BIBL. NAZ
Vitt. Emanuele III
165
I
27
NAPOLI

XVI. I. 12.
B. S. D. M.
N.

Digitized by Google

Digitized by Google

BULLARIUM
ORDINIS
FF. PRÆDICATORUM,
SUB AUSPICIIS
SS. D. N. D.
CLEMENTIS XII,
PONTIFICIS MAXIMI,
OPERA
REVERENDISSIMI PATRIS
F. THOMÆ RIPOLL,
MAGISTRI GENERALIS,
EDITUM.

Et ad autographam fidem recognitum, variis Appendicibus, Notis, Diſſertationibus, ac Tractatu de Conſenſu Bullarum, illuſtratum.

A P. F. ANTONINO BREMOND S. T. M.
PROVINCIÆ TOLOSANÆ ORDINIS MEMORATI ALUMNO,
AC EJUSDEM REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS SOCIO PRO GALLIARUM REGNO.

TOMUS QUARTUS
Ab Anno 1484 ad 1549.



ROMÆ MDCCXXXII.
Ex Typographia Hieronymi Mainardi.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO
D. N. D.
CLEMENTI XII
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO,

FR. THOMAS RIPOLL,
Totius Ordinis FF. Prædicatorum
GENERALIS MAGISTER.

N*IHIL ſane mihi jucundius*, BEATISSIME PATER, *nihil opportunius accidere poterat, quam cedro digna Diplomata, quibus benefica voluntas* Florentinæ *Gentis auxit Ordinem Fratrum Prædicatorum*, Sanctitati Tuæ, *quam lumen, decus, ſplendorem ſuum novit* Florentia, *tot accep-*

Digitized by Google

tis beneficiis, gratus ac memor nuncupare.

Quid enim magnificentius? quid præclarius? quid glorioſius ampliſſimis illis laudibus, quibus Summus Pontifex Leo Decimus, *Deceſſor Tuus, eundem Ordinem ſic in hoc opere cumulavit, ut in illum omnia laudis ornamenta congeſſerit? Quæ vero tanta poteſt exiſtere ubertas ingenii, quæ tanta dicendi copia, quod incredibile genus orationis, quo quiſquam poſſit ejuſdem Summi Pontificis* Leonis *in Ordinem Fratrum Prædicatorum univerſa promerita, non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando? Immenſum ſiquidem quiddam, & infinitum fere dixerim, quod ipſi debemus. Ut enim ſilentio prætermittam tot eximias, Ordinis Fratrum Prædicatorum gratia, ſancitas leges: tot opima Sacerdotia quibuſdam Cœnobiis ab ipſo collata: Domus a fundamentis excitatas: Indulgentias, & id genus cetera: tot tandem magnificentiſſima Decreta, quibus a* Leone Decimo *cohoneſtati ſumus: ut, inquam, hæc ſilentio prætermittam, quo ipſi uni omnia referremus accepta, quicquid ipſius Deceſſores Summi Pontifices ceteris Ordinibus elargiti fuerant, Ordini Fratrum Prædicatorum conceſſum voluit Summus Pontifex* Leo.

Quid plura? Innumerabilia, quibus ejuſdem Sum-

Summi Pontificis Succeſſores per tot futura ſecula ceteros Ordines erant honeſtaturi, is unus uno tempore omnia uni dedit Ordini Fratrum Prædicatorum.

Hæc ſunt, Beatiſſime Pater, *quibus velut adamantinis vinculis Ordinem Fratrum Prædicatorum ſibi æternum devinxit* Leo Decimus, *Summus ille Pontifex, quem nominaſſe laudare eſt: enim vero, quas exprimis ipſe, præſtantiſſimis eminebat virtutibus*: Erat (a) judicii in rebus cognoſcendis peracuti, in audiendo patiens, aditu facilis, in dicendo elegans, prudens in ſententiis, altæ indolis, munificentiæ, & liberalitatis incredibilis. *Summa publicas res adminiſtrabat ſapientia, tantaque benignitate literatos fovebat, ut ad excolenda ſtudia omnes accenderentur.*

(a) *Ciaconius in Leone X ex variis Scriptoribus.*

Neque Clemens Septimus, *ex eadem* Medicea *proſapia, quam* Leo Decimus *illuſtraverat, oriundus, Ordinem Fratrum Prædicatorum diligendo cuiquam conceſſit ſuorum. Sed vindex ille libertatis eccleſiaſticæ, cuſtos ſalutis Chriſtiani gregis, ſubſidium Urbis afflictæ, repreſſor cædis civium, defenſor templorum, atque tectorum, præſidium bonorum*, Clemens Septimus, *cujus virtutes, ut fert hiſtoria, ſola ſingulari clementia, quam ſemper præ ſe tulit*

lit Sanctitas Tua, *ſuperatæ ſunt, eundem Ordinem tanta caritate complectebatur, ut ipſum omnibus officiis benevolentiæ proſecutus ſit.*

Hæc, Beatiſſime Pater, *licet innatæ Summorum Pontificum benignitati debeat Ordo Fratrum Prædicatorum: cur tamen in ipſum tantam benevolentiam detulerit* Leo Decimus: *quæ tot concedendi cauſa ſibi fuerit, paucis exponens, profitetur: ex eo ſe Fratres ejuſdem Ordinis ex intimo ſenſu mirum in modum dilexiſſe, nihilque ſtudii quod ad ipſius utilitatem ſpectet, prætermittere voluiſſe, quia pari ſemper virtute, animo, fide, pro ſalute Chriſtianæ plebis, pro S. Romanæ Sedis auctoritate, pro ſtatu matris Eccleſiæ, nullas ſibi inimicitias, nullam vim, nullos impetus, nullum vitæ diſcrimen vitandum unquam putaverint ejuſdem Ordinis alumni. Nec enim defuit ipſis, nec modo deeſt, vel in conſiliis de Fide capiendis diligentia, vel in periculis ab Eccleſia propulſandis animus, vel in perferendo labore induſtria, vel in Eccleſiæ commodis augendis grata benevolentia.* Cum inter ceteros operarios, *inquit* (b) *Leo Decimus*, qui ad excolendam Vineam Domini Sabaoth vocati ſunt, Ordo Prædicatorum magnos, & probitatis, & doctrinæ, & animarum ſalutis fructus ſemper olim attulerit, quotidieque afferre cernatur, de-

(b) *Conſtitutione IV pag. 298, & Conſtitutione LXXXVI pag. 365.*

deceatque, ut etiam in hac vita pro tot ſuis ſanctis ſtudiis, honeſtiſque laboribus, ab Apoſtolica Sede, cujus noſtris quoque periculoſis temporibus, pacem & dignitatem Ordo idem fortiter tutatus eſt, ſpiritualia ſubſidia, ornamentaque accipiat, quibus, & ſancta ſua officia facilius, atque expeditius exequatur, & ceteræ Religioſæ perſonæ, Ordineſque alii exemplo benignitatis promptiores, alacrioreſque ad ſua officia perſolvenda reddantur, idcirco &c. *Hæc Summus Pontifex* Leo Decimus, *cujus aurea verba, ſingularis inſtar gratiæ, immenſa quibus Fratres Prædicatores ornavit, beneficia longe ſine dubio ſuperant. Nec enim diffitendum, quod, vel hoc uno nomine, plus ipſi debent Fratres Prædicatores, quam ut unquam ſolvendo eſſe poſſint, etiamſi ſit omnis ætas ad ejuſdem Summi Pontificis erga nos merita prædicanda atque recolenda.*

Inſignis etiam benignitatis argumentum nobis omnibus, Beatiſſime Pater, *præbet* Sanctitas Tua, *dum, feliciſſimis ſub auſpiciis Tuis, hæc vetuſtatis immortalia monimenta poſteritati propagari ſinis. Cujus ſane præſtantiſſimi beneficii memoria nullo tempore, nec die finietur, ſed omnium noſtrum erit infixa animo ſempiterna.*

AP-

APPROBATIO.

QUæ circa tria priora domeſtici hujuſce Bullarii jure digneque vulgata Volumina mihi ſedit ſententia, hanc eandem ferme a me ipſo extorquet IV, cui ſequens inſcriptio -- *Bullarium Ordinis Prædicatorum ſub auſpiciis SS. D. N. D. Clementis XII Pont. Max., Opera Reverendiſſimi P. Fr. Thomæ Ripoll Magiſtri Generalis editum, & ad autographam fidem, variis Appendicibus, Notis, Diſſertationibus, ac Tractatu de Conſenſu Bullarum, illuſtratum a P. Fr. Antonino Bremond, S. T. M. Provinciæ Toloſanæ Ordinis memorati alumno, ac ejuſdem Reverendiſſimi P. Generalis Socio pro Galliarum Regno, ab anno* 1484 *ad an.* 1549 -- quod, ut imperata facerem prælaudati Reverendiſſimi Ordinis Magiſtri, accuratione, quoad me, maxima, per ſingula legi, ac pro tenuitate mea expendi. Quum itaque nihil in eo deprchenderim quod Catholicæ Eccleſiæ fidem, aut de moribus doctrinam vel leviter labefactare mihi videatur; quinimmo plura ab eximii Auctoris eruditione repetenda adſerta perſpexerim, quæ utramque potius juvare videantur, vel adornare: ſingulaque per eundem exarata digna prorſus appareant, quæ in rem prodeant publicam; idcirco Volumen ipſum, alias ex qua parte Apoſtolica refert diplomata, eaque plerumque inedita, cedro digniſſimum, ex illa quoque qua tantum refert Scriptorem perpetua typorum luce donandum cenſeo. Ita ſentio &c. Romæ in Conventu ad S. Mariam ſupra Minervam 18 Septembris 1732.

Fr. Johannes Dominicus de Agnanis, ejuſdem Ordinis, S.T.M., Bibliothecarius Caſanatenſis, ac Sacræ Congregationis Indicis Conſultor.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanen. Viceſgerens.

APPROBATIO.

BUllarium inclyti Prædicatorum Ordinis, demandante Reverendiſſimo Patre Fr. Jo: Benedicto Zuanelli Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro, debita Summorum Pontificum Oraculis cum veneratione legi; doctaſque Notas, & luculentas Diſſertationes, quibus illud accurate illuſtravit, atque auxit Admodum Reverendus Pater Fr. Antoninus Bremond ejuſdem Ordinis Sac. Theologiæ Magiſter, non ſine ingenti animi mei voluptate percurri. In his enim, non modo ſolida eruditio, verum etiam eximia pietas Auctoris mirificè elucet; adeo ut nihil, quod ab orthodoxæ Fidei Dogmatibus, aut caſtæ Ethices regulis, vel minimum diſcrepet, in ipſis deprehendere potuerim. Quamobrem egregium hoc Opus, atque omni ex parte, mea quidem ſententia, abſolutum, typis mandari poſſe cenſeo.

Tibure Quinto Decimo Kalendas Auguſti 1729.

Fr. Placidus indignus Caſæ Marii Abbas Epiſcopus Tiburtinus.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

BUL-

BULLARIUM
ORD. FF. PRÆDICATORUM.

INNOCENTIUS VIII

Johannes Baptiſta Cibo antea dictus, patria Genuenſis, electus eſt die XXIX (*a*) Auguſti MCCCCLXXXIV. Eodem anno Coronatus fuit die XII (*b*) Septembris. Obiit anno MCCCCXCII, die XXV (*c*) Julii. Sedit annos VII, Menſes X, Dies XXVIII: mortuus eſt enim hora circiter Italis ſeptima.

(a) *Ciaconius*. & *Panvinius*. (b) Eidem. (c) *Ciaconius*.

De Viterbien. (1) lite componenda.

Anno 1484 Die 17 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

I.

Motu proprio.

CUm inter Priorem, & Fratres S. Mariç ad Gradus Viterbien. Ordinis Fratrum Prçdicatorum, & Archipresbyterum, Canonicos, & Capitulum Eccleſiç Nepeſinç (3), ſive Communitatem Nepeſinam, & nonnullos alios Laicos, ſive Clericos Terrç Roncilionis (4), Sutrinen. (5) Diçceſis, dilectos filios, ſuper quodam tenimento Caſale nuncupato, & illius confinibus, nonnullas controverſias, non absque animi diſplicentia ſubortas fuiſſe intellexerimus, cupientes, quantum in Nobis eſt, hujuſmodi controverſiis obviare, & illis, prout noſtro incumbit Officio, finem imponere, dilecto filio Baptiſtç de Capotiis, Priori ſecularis, & Collegiatç Eccleſiç S. Angeli Viterbien., ac pro Nobis, & Camera Apoſtolica Patrimonii B. Petri in Tuſcia, Theſaurario Generali, Motu ſimili, & ex certa ſcientia committimus, & mandamus, ut per ſe, vel ab eo ſubdelegatum, vocatis qui fuerint evocandi, controverſias ipſas extrajudicialiter, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, ſubſtantialibus, & juris poſitivi, penitus, & omnino omiſſis, audiat, cognoſcat, & fine debito terminet, faciatque per ſe, vel delegatum hujuſmodi, quod deciſum fuerit, ſub penis, & cenſuris eccleſiaſticis, appellatione remota, inviolabiliter obſervari, habens hic omnium prçmiſſorum, & aliorum, quç forte exprimi debuiſſent, tenores, & dicti tenimenti qualitates, quantitates, vocabula, & confines pro ſufficienter expreſſis, prçmiſſis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſtylo Palatii (6), ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Fiat, ut prçmiſſum eſt. Datum Romç apud S. Petrum XVI Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1.) *Viterbien.*) In *Hetruria* Ditionis Pontificiæ, ubi ceteræ Civitates, de quibus hoc in Diplomate.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Viterbien.*
3. *Nepeſin.*) Vulgo *Nepi*.
4. *Roncilionis*.) Vulgo *Ronciglione*.
5. *Sutrin.*) Vulgo *Sutri*.
6. *Stylo Palatii*.) Bullarum ſcilicet, ac Brevium.

Ut præcedens Conſtitutio executioni mandetur.

Anno 1484 Die 22 Octobris.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

II.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Venerabilis (2) Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

MIttimus Fraternitati tuç ſupplicationem prçſentibus incluſam, manu noſtra ſignatam Quare volumus, & tibi committimus, ac mandamus, ut vocatis vocandis, ad illius executionem procedas juxta ſignaturam noſtram. Datum Romç apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXII Octobris MCCCCLXXXIV., Pontificatus noſtri Anno Primo. Motu Proprio. Cum inter Priorem & Fratres &c. (3).

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Viterbien.*
2. *Venerabilis*,) Hujuſce Diplomatis inſcriptio deeſt.
3. *Fratres &c.*) Ut in præcedenti ad finem uſque.

Anno 1484 Die 5. Decembris.

Fratres Prædicatores Inquiſitores Germaniæ animadvertant (1) in maleficos, ceteroſque id genus.

Ex Bullario (2) Romano Conſtitutione I.

III.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. SUmmis deſiderantes affectibus, prout paſtoralis ſolicitudinis cura requirit, ut fides catholica noſtris
potiſſime temporibus ubique augeatur, & floreat, ac omnis hęretica pravitas de finibus fidelium pro-
cul pellatur, ea libenter declaramus, ac etiam de novo concedimus, per quę hujuſmodi pium deſiderium
noſtrum votivum ſortiatur effectum; cunctiſque propterea per noſtrę operationis miniſterium, quaſi per
providi operatoris ſarculum erroribus extirpatis, ejuſdem fidei zelus, & obſervantia in ipſorum corda
fidelium fortius imprimatur. Sane nuper ad noſtrum, non ſine ingenti moleſtia, pervenit auditum, quod
in nonnullis partibus Alemannię ſuperioris, necnon in Maguntinen., Colonien., Treveren., Saltzum-
Diplomatis cauſa. burgen. (3), & Bremen. Provinciis, civitatibus, terris, locis, & diœceſibus complures utriuſque ſexus
perſonę, proprię ſalutis immemores, & a fide catholica deviantes, cum dęmonibus incubis, & ſuccubis
abuti, ac ſuis incantationibus, carminibus, & conjurationibus, aliiſque nefandis, ſuperſtitioſis, & forti-
legis exceſſibus, criminibus, & delictis, mulierum partus, animalium fętus, terrę fruges, vinearum uvas,
& arborum fructus, necnon homines, mulieres, pecora, pecudes, & alia diverſorum generum animalia,
vineas quoque, pomeria, prata, paſcua, blada, frumenta, & alia terrę legumina perire, ſuffocari, &
extingui, facere, & procurare, ipſoſque homines, mulieres, jumenta, pecora, pecudes, & animalia diris,
tam intrinſecis, quam extrinſecis doloribus, & tormentis afficere, & excruciare, ac eoſdem homines, ne
gignere, & mulieres, ne concipere, viroſque ne uxoribus, & mulieres ne viris, actus conjugales reddere
valeant, impedire, fidem preterea ipſam, quam in ſacri ſuſceptione Baptiſmi ſuſceperunt, ore ſacrilego
abnegare, aliaque quamplurima nefanda, exceſſus, & crimina, inſtigante humani generis inimico, com-
mittere, & perpetrare non verentur, in animarum ſuarum periculum, divinę majeſtatis offenſam, ac per-
nicioſum exemplum, ac ſcandalum plurimorum; Quodque licet dilecti filii Henricus Inſtitoris (4), in
prędictis partibus Alemannię ſuperioris, in quibus etiam Provincię, Civitates, terrę, diœceſes, & alia lo-
ca hujuſmodi comprehenſa fore cenſentur, necnon Jacobus Sprenger (5) per certas partes lineę Rheni,
Ordinis Prędicatorum, & Theologię profeſſores, hęreticę pravitatis Inquiſitores per Literas Apoſtolicas
deputati fuerunt, prout adhuc exiſtunt, tamen nonnulli clerici, & laici illarum partium, quęrentes plura
ſapere quam oporteat, pro eo quod in literis deputationis hujuſmodi provincię, civitates, diœceſes, terrę,
& alia loca prędicta, illarumque perſonę, ac exceſſus hujuſmodi nominatim, & ſpecifice expreſſa non fue-
runt, illa ſub eiſdem partibus minime contineri, & propterea prefatis Inquiſitoribus in provinciis, civita-
tibus, diœceſibus, terris, & locis prędictis, hujuſmodi Inquiſitionis Officium exequi non licere, & ad per-
ſonarum earundem, ſuper exceſſibus, & criminibus antedictis punitionem, incarcerationem, & correctio-
nem admitti non debere, pertinaciter aſſerere non erubeſcunt; Propter quod in provinciis, civitatibus,
diœceſibus, terris, & locis prędictis, exceſſus, & crimina hujuſmodi, non ſine animarum earundem evi-
Mandatum. denti jactura, & ęternę ſalutis diſpendio, remanent impunita. Nos igitur impedimenta quęlibet, per quę
ipſorum Inquiſitorum officii executio, quomodolibet retardari poſſet, de medio ſubmovere, & ne labes
hęreticę pravitatis, aliorumque exceſſuum hujuſmodi in perniciem aliorum innocentum ſua venena dif-
fundat, opportunis remediis, prout noſtro incumbit officio, providere volentes, fidei zelo ad hoc maxime
Nos impellente, ne propterea contingat, provincias, civitates, diœceſes, terras, & loca prędicta, ſub
eiſdem partibus Alemannię ſuperioris debito Inquiſitionis officio carere, eiſdem Inquiſitoribus in illis offi-
cium Inquiſitionis hujuſmodi exequi licere, & ad perſonarum earundem, ſuper exceſſibus, & criminibus
prędictis, correctionem, incarcerationem, & punitionem admitti debere, perinde in omnibus, & per
omnia, ac ſi in literis prędictis provincię, civitates, diœceſes, terrę, & loca, ac perſonę, & exceſſus
hujuſmodi nominatim, & ſpecifice expreſſa forent, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſtatui-
mus. Proque potiori cautela literas, & deputationem prędictas ad Provincias, civitates, diœceſes, ter-
ras, & loca, necnon perſonas, & crimina hujuſmodi extendentes, prefatis Inquiſitoribus, quod ipſi, &
alter eorum, accerſito ſecum dilecto filio Johanne Gremper, Clerico Conſtantien. Diœceſis, magiſtro in
Nota. Artibus, eorum moderno, ſeu quovis alio Notario publico per ipſos, & quemlibet eorum pro tempore
deputando, in provinciis, Civitatibus, Diœceſibus, terris, & locis prędictis contra quaſcunque perſo-
nas cujuſcunque conditionis, & pręeminentię fuerint, hujuſmodi Inquiſitionis Officium exequi, ipſaſque
perſonas, quas in pręmiſſis culpabiles repererint, juxta earum demerita, corrigere, incarcerare, punire,
& mulctare, necnon in ſingulis provinciarum hujuſmodi parochialibus Eccleſiis, Verbum Dei fideli po-
pulo, quoties expedierit, ac eis viſum fuerit, proponere, & prędicare, omniaque alia, & ſingula in
pręmiſſis, & circa ea neceſſaria, & opportuna facere, & ſimiliter exequi libere, & licite valeant, ple-
nam, ac liberam, eadem auctoritate, de novo concedimus facultatem. Et nihilominus venerabili Fratri
noſtro Epiſcopo Argentinenſi per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſe, per ſe, vel per alium, ſeu
alios, pręmiſſa, ubi, quando, & quoties expedire cognoverit, fueritque pro parte Inquiſitorum hujuſ-
modi, ſeu alterius eorum legitime requiſitus, ſolemniter publicans, non permittat eos per quoſcunque
ſuper hoc contra prędictarum, & pręſentium literarum tenorem, quavis auctoritate moleſtari, ſeu alias
quomodolibet impediri: moleſtatores, & impedientes, & contradictores quoſlibet, & rebelles cujuſcun-
que dignitatis, ſtatus, gradus, pręeminentię, nobilitatis, & excellentię, aut conditionis fuerint, & quo-
cunque exemptionis privilegio ſint muniti, per excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ac etiam
formidabiliores, de quibus ſibi videbitur, ſententias, cenſuras, & pœnas, omni appellatione poſtpoſita,
com-

compeſcendo; & etiam legitimis ſuper his per eum ſervandis proceſſibus, ſententias ipſas, quoties opus fuerit, aggravare, & reaggravare, auctoritate noſtra procuret, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia, generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, effectus hujuſmodi gratię impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę declarationis, extenſionis, conceſſionis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Quarto, Nonis Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Animadvertant.*) *Eodem anno* (MCCCCLXXXIV) *Generales Inquiſitores in Germania P. Jacobus Sprengerius Prior Colonienſis, & P. Henricus Inſtitoris cum P. Gerardo Elitem, acerrime in lamias & ſtriges, quibus affluebant eorum ditiones, inſurrexerunt ex Innocentii Decreto.* Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. IX ad annum MCCCCLXXXIV pag.379.

2. *Bullario.*) Legitur etiam apud *Peñam* ad calcem *Directorii Inquiſitorum pag.*106. Ejuſdem meminerunt *Fontana* loco laudato, *pag.*380, *Echard*, aliique paſſim.

3. *Saltzumburgen.*) *Salisburgen.* ſcilicet.

4. *Henrici Inſtitoris.*) Viri celeberrimi. Adeas *Echard Tomo I Script. Ord. ad an. MD pag.*896.

5. *Jacobus Sprenger.*) Qui *zelum pro avita religione intrepidum, vigilantiam, ac animi fortitudinem adverſus ſubinde naſcentes errores ubique monſtravit.* Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad an. MCCCCXCIV pag.880.

Indulgentia (1) pro Capitulo Provinciali Romanæ Provinciæ.

Anno 1485 Die 9 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. VIII. IV.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui cunctis fidelibus, tam exemplo, quam etiam ſalutaribus diſciplinis pauperum Religioſarum perſonarum curam pręcipuam commendavit, doctrinam imitari cupientes, ad ſuſtentationem ipſorum Religioſorum ſtudia noſtra libenter convertimus, &, ut potiora pręſidia eiſdem proveniant, fideles quoslibet, quos in cęleſti patria collocari cupimus, ad hęc & alia pia opera ſpiritualibus gratiis, & muneribus benigne inducimus. Sane accepimus, quod Capitula Provincialia Fratrum Ordinis Pręedicatorum in Romana Provincia propter inopiam, & paupertatem locorum commode celebrari non poſſint, & licet Bonifatius Papa Nonus, Prędeceſſor noſter, certam Indulgentiam in Eccleſia Domus, ubi Capitulum celebratur conceſſerit, tamen niſi Chriſtifideles majoribus pręmiis excitentur, ſine difficultate celebrari non poterunt. Nos igitur cupientes, ut Dominicanus Ordo, qui aſſidue in agro Domini uberes fructus affert, ſalutaribus proficiat incrementis, fideleſque ipſi eo libentius ad ſuſtentationem ipſorum Fratrum manus porrigant adjutrices, quo ſe ex hoc majora ſenſerint ſpiritualia beneficia percepturos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, dictas literas Bonifatii pręfati in hoc extendentes, omnibus, & ſingulis utrinſque ſexus Chriſti fidelibus, vere pęnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam dictę Provincię, in qua hujuſmodi Capitulum celebrari contigerit, ipſis diebus quibus Capitulum celebrabitur, & non ultra, juxta tenorem literarum dicti Bonifatii commode viſitare non potuerint, & tamen pro ſuſtentatione Fratrum ad Capitulum ipſum convenientium manus adjutrices porrexerint, vel de bonis a Deo ſibi collatis miſerint, pro hac vice duntaxat, ſeptem Annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus; & nihilominus, omnibus, & ſingulis, tam laicis quam Fratribus ſub pęna excommunicationis latę ſententię diſtrictius inhibemus, ne ex oblationibus, & eleemoſynis hujuſmodi aliquid occultare, & uſurpare pręſumant, & quicquid inde in eorum manus pervenerit Commiſſariis dictę Provincię Integre, reſtituant, & aſſignent. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die IX Aprilis MCCCCLXXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Exordium.

Nota:

Indulgentia.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit.I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Peruſino.*

Quod F. Georgius Fabri (1) variis officiis ornatus fuerit, ratum habet.

Anno 1485 Die 21 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Georgio Fabri Ordinis Fratrum Pręedicatorum, & Theologię Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. V.

Gratię Sedis Apoſtolicę plenitudo &c. (3) exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, quod olim dilecti filii Epiſcopus, Decanus, & Capitulum Tarbaten. (4), attendentes probitatem, & doctrinam perſonę tuę, ad evangelicę pręedicationis Verbum, in earum Tarbaten. Eccleſiam, cum nonnullis emolumentis, pręedicatori Verbi Dei in dicta Eccleſia pro tempore concedi ſolitis, elegerunt, in qua cum magna populi illuc confluentium devotione Chriſti fidelibus Verbum Dei evangelizaſti,

Diplomatis cauſa.

ac poſtmodum cum ex partibus Livonię a Romana Curia multum remotis cum magnis laboribus & expenſis ad Sedem Apoſtolicam te contuliſſes, venerabilis Frater noſter Oliverius (5) Sabinen., tunc Albanen. Epiſcopus, Ordinis Fratrum Prędicatorum Protector, teque dudum jam quondam Leonardus (6) de Manſuetis de Peruſia, dicti Ordinis Generalis Magiſter, in domo Sancti Dominici Tarbaten. dicti Ordinis Vicarium ſuum deputaverat, in hujuſmodi Vicariatus officio confirmavit, ac in domo ipſa, & illius Conventu Vicarium Generalem conſtituit, cum ea poteſtate, & facultate, quę tibi per eundem Leonardum Magiſtrum conceſſa fuerat, nec non cum omni cura, regimine, & adminiſtratione, in capite, & in membris in ſpiritualibus, & temporalibus viſitandi, pręcipiendi, corrigendi, emendandi, puniendi, pęnitentiandi, excommunicandi, incarcerandi, ab excommunicatione & carcere abſolvendi, & liberandi, Fratres diſcolos, & inutiles emittendi, expellendi, ac alios bonos, & utiles recipiendi, & aſſignandi, Priores, & officiales abſolvendi, inſtituendi, & confirmandi, Conventum regulandi, reformandi, diſponendi, ordinandi, & omnia & ſingula alia faciendi, quę pro honore Dei & ipſius Religionis, ac pro conſervatione, & utilitate dictę domus cognoſceres opportuna, ad hęc omnia, ſi opus foret, invocando auxilium brachii ſecularis. Et deinde dilectus filius Bartholomęus (7) Comatius de Bononia ejuſdem Ordinis Generalis Magiſter, ejuſdem Oliverii Cardinalis, & Protectoris veſtigiis inhęrens, de diſcretorum Patrum dicti Ordinis conſilio, & aſſenſu, te in Vicariatu hujuſmodi dictę domus confirmavit, & de novo inſtituit, ſuum in domo, & Conventu, prędictis, ac ſuper Fratribus ibidem, & in illius terminis commorantibus, Vicarium Generalem, cum omni in capitibus & in membris, in ſpiritualibus, & temporalibus, & quavis alia in eorundem Oliverii Cardinalis Protectoris, necnon Leonardi Magiſtri literis contenta, facultate, & poteſtate, quas quidem literas, & in eis contenta ratificavit, confirmavit, & approbavit, primo per quaſdam, & deinde per alias ſuas literas te in dicta Dięceſi Tarbaten. hęreticę pravitatis Inquiſitorem de ſimilibus conſilio, & aſſenſu fecit, & inſtituit, cum plena poteſtate & auctoritate hujuſmodi Inquiſitoribus dari conſueta, nec non tibi, ut cum Dei, & Ordinis benedictione Cathedram prędicationis Verbi Dei in Eccleſia prędicta juxta factam tibi deſuper per pręfatos Epiſcopum, Decanum, & Capitulum conceſſionem, tenere, res eaſdem, & emolumenta exinde recipere, quodque cuicunque Fratri dicti Ordinis confiteri valeres, qui a ſe non reſervatis quidem peccatis, & caſibus, quoties opportunum foret, a reſervatis vero, & irregularitatibus, & in quibus idem Bartholomęus Magiſter poſſet, quater in anno duntaxat abſolvere conceſſit quodque tibi catenus a prędeceſſoribus ſuis dicti Ordinis Generalibus Magiſtris factas conceſſiones, & gratias confirmavit, approbavit, ac de novo conceſſit, ac voluit, ut illis libere uti poſſes prout in prędictis eorundem Oliverii Cardinalis, & Protectoris, ac Bartholomęi Magiſtri literis, eorum ſigillis munitis plenius dicitur contineri. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Oliverii Cardinalis, & Protectoris, ac Bartholomęi Magiſtri, literis prędictis, omnibuſque privilegiis in eis contentis, necnon electioni, & deputationi de te per eoſdem Epiſcopum, Decanum, & Capitulum, ut pręfertur, aliiſque pręmiſſis pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, & tibi, ut in dicta Eccleſia, quoad vixeris, & quandiu volueris prędicare, ac emolumenta prędicta & oblationes, ac alia pia ſuffragia a Chriſti fidelibus pie erogata percipere poſſis, concedere, ac quod a Vicariatus, & Inquiſitoris officiis prędictis occurrente obitu, aut mutatione dicti Bartholomęi Magiſtri, nequeas quomodolibet amoveri, niſi & duntaxat a Magiſtro Generali dicti Ordinis, & per ejus literas a Vicariatus & Inquiſitoris hęreticę pravitatis officiis prędictis expreſſe, & nominatim amovearis, decernere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui ad ea, ex quibus Chriſtianę fidei, & religionis incrementa, ac animarum ſalus proveniunt, libenter intendimus, teque a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Oliverii Cardinalis, & Protectoris, ac Bartholomęi Magiſtri literas prędictas, omniaque & ſingula in eis contenta, necnon factam de te per pręfatos Epiſcopum, Decanum, & Capitulum in earum Eccleſia, ut pręfertur, deputationem & electionem, aliaque pręmiſſa, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, & approbamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, necnon tibi quod in dicta Eccleſia Verbum Dei quoad vixeris, & quandiu volueris, prędicare, ac emolumenta, oblationes, & alia pia ſuffragia prędicta percipere poſſis, eiſdem auctoritate, & tenore concedimus, decernentes te a Vicariatus, & Inquiſitoris hęreticę pravitatis officiis hujuſmodi, occurrente obitu, aut mutatione dicti Bartholomęi Magiſtri non poſſe quoquomodo amoveri, niſi a Magiſtro Generali dicti Ordinis per ejus literas ab eiſdem officiis expreſſe, & nominatim amoveri contingat. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, confirmationis, approbationis, communitionis, ſuppletionis, conceſſionis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Quinto, Duodecimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Nota.

Confirmatio.

1. *Georgius Fabri.*) De quo in ſequenti Diplomate.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VI fol.* 195.
3. *Plenitudo &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Tarbaten.*) *Torpaten.*, vulgo *Derpt*, in *Livonia*.
5. *Oliverius.*) *Caraſa*, de quo *Ciaconius* in *Paulo II*, & *Ughellus* in *Epiſcopis Sabinen.*
6. *Leonardus.*) Anno *MCCCCLXXIV* Ordinis Generalis Magiſter renunciatus fuerat.
7. *Bartholomaeus.*) Anno *MCCCCLXXXIV* Magiſter Generalis creatus.

F. Georgius Fabri fit Inquiſitor Livoniæ (1).

Anno 1485 Die 21 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

VI.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Georgio Fabri Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Theologię profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CONſiderantes tuę circunſpectionis induſtriam, in multis, & arduis ſępius approbatam, ac alia grandia virtutum inſignia, quibus perſonam tuam bonorum dator Altiſſimus decoravit, ea, quę gravis ſunt ponderis, tibi fiducialiter committimus, ſperantes firmiter, quin potius pro certo tenentes, quod ad illa efficaciter exequenda ferventer in dies intendas, intentum animi dirigas, & operoſę ſolicitudinis ſtudio proſequaris. Hinc eſt, quod Nos, qui deſideramus, & in votis gerimus, ut fides catholica noſtris proſperetur temporibus, & hęreſes ac errores in Dięceſi Tarbaten. (3) & Livonię partibus, de finibus fidelium extirpentur, circa extirpationem eandem ſalubriter, & utiliter providere intendentes, te, qui, ut aſſeritur, Inquiſitor hęreticę pravitatis auctoritate Sedis Apoſtolicę deputatus exiſtis, in dicta Dięceſi, necnon Livonię partibus, cum omnibus, & ſingulis immunitatibus, privilegiis, gratiis, & libertatibus, Inquiſitoribus dictę pravitatis a jure, vel conſuetudine hactenus conceſſis, in cauſis hęreſum, Inquiſitorem facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, dantes, & concedentes tibi contra omnes dictę hęreticę pravitatis credentes, receptatores, fautores, & defenſores eorum, tam eccleſiaſticas quam ſeculares utriuſque ſexus perſonas, exemptas, & non exemptas, cujuſcunque etiam dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, necnon infamatos, vel ſuſpectos de hęreſi, procedendi, ac officium Inquiſitoris tibi commiſſum exequendi, juxta canonicas ſanctiones, necnon alia faciendi, quę de jure, vel conſuetudine Inquiſitores pravitatis prędictę quomodolibet facere conſueverunt, ſeu etiam potuerunt, plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus facultatem. Per conceſſionem autem hujuſmodi non intendimus poteſtati, ac juriſdictioni aliorum Inquiſitorum a Nobis, vel aliis, ad hoc auctoritatem habentibus, deputatorum, in aliquo derogare. Datum (4) Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Quinto, Duodecimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Livonia.*) Regio eſt *Sarmatia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VI fol.* 195.
3. *Tarbaten.*) *Torpaten.*; vulgo *Derpt*, in *Livonia*.
4. *Datum.*) Quamplures alios Inquiſitores ab *Innocentio VIII* creatos fuiſſe liquet ex ſequentibus Diplomatibus, quibus Inquiſitores renunciantur

F. Johannes de Mondato. Conſtitutio ſic incipit: *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Mondato Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, & in Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes tuæ circunſpectionis &c. Te in Diœceſi Cliven., & illi adjacentibus partibus &c. Inquiſitorem facimus &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo* (Legendum *Octuageſimo Sexto*, ſtylo ſcilicet Bullarum, æræ vero communis MCCCCLXXXVIII, vel ſcribendum *Maii*, non vero *Martii*) *Quartodecimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro X fol.* 39. — Anno 1487 Die 16 Februarii. VII.

F. Michael de Morillo. Conſtitutio ſic incipit: *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Michaeli de Morillo, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes tuæ circunſpectionis &c. Te in Civitate, & Diœceſi Hiſpalen., & illi vicinarum partium &c. Inquiſitorem facimus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Sexto* (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCLXXXVII) *Septimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLI fol* 358. — Anno 1487 Die 23 Februarii. VIII.

F. Johannes de S. Martino. Conſtitutio ſic incipit: *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de S. Martino, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes &c. Te in Civitate, & Diœceſi Hiſpalen., & illi vicinarum partium &c. Inquiſitorem facimus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Octavo* (Legendum *Octuageſimo Septimo*, ſtylo nempe Bullarum, æræ vero communis MCCCCLXXXVIII, vel ſcribendum *Junii*, non vero Januarii) *Septimo Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLII fol.* 332. Eidem Fratri inſcribuntur duo alia Diplomata, quę ſic incipiunt. — Anno 1488 Die 7 Januarii. IX.

I*Nnocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Johanni de Sancto Martino, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, & Triſtano Decretorum Doctori in Civitate, & Diœceſi Hiſpalen. hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus per Sedem Apoſtolicam deputatis, ac Vicario Venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Hiſpalen. in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte Petri Remon &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Qua-* — Anno 1488 Die 7 Septembris. X.

Digitized by Google

Quadringenteſimo Octuageſimo Octavo, Septimo Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLII fol.* 321.

Anno 1488 Die 7 Septembris. XI.

I*Nnocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Johanni de Sancto Martino, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, & Triſtano Decretorum Doctori in in Civitate, & Diœceſi Hiſpalen. hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus per Sedem Apoſtolicam deputatis, ac Vicario venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Hiſpalen. in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte Petri Pinto &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Octavo, Septimo Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLII fol.* 321.

Anno 1489 Die 9 Martii. XII.

F. Sanctus de Raphanellis. Conſtitutio ſic incipit: *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Sancto de Raphanellis Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, ac in Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes &c. Te in Civitate, & Diœceſi Ferrarien. &c. Inquiſitorem facimus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Octavo* (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCLXXXIX) *Septimo Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. X fol.* 225.

Anno 1490 Die 10 Julii. XIII.

F. Johannes de Grunyoris. Conſtitutio ſic incipit: *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Grunyoris. Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes &c. Te in Civitata, & Diœceſi Biſuntin., & illi vicinarum partium &c. Inquiſitorem facimus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo, Sexto Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXXIV fol.* 312.

Anno 1490 Die 10 Julii. XIV.

F. Johannes Jordanus. Conſtitutio ſic incipit: *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Jordano, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes &c. Te in Civitate, & Diœceſi Biſuntin., & illi vicinarum partium &c. Subinquiſitorem facimus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo, Sexto Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXXIV fol.* 312.

Anno 1490 Die 26 Septembris. XV.

F. Vincentius de Rebonis. Conſtitutio ſic incipit: *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vincentio de Rebonis, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes &c. Te in Regno Cypri, & illi vicinarum partium &c. Inquiſitorem facimus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Primo* (Legendum Nonageſimo) *Sexto Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXXI fol.* 47.

Anno 1491 Die..... XVI.

F. Franciſcus Graneti. Conſtitutio ſic incipit: *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Franciſco Graneti, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes &c. Te in Civitata, & Diœceſi Gebennen., & illi vicinarum partium &c. Inquiſitorem facimus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Primo, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXIV fol.* 50.

Anno 1491 Die 30 Martii. XVII.

F. Thomas de Turrecremata Inquiſitor Generalis renunciatur. Conſtitutio ſic incipit: *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomæ de Turrecremata, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes &c. Te in Regnis cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Regis, & cariſſimæ in Chriſto filiæ Eliſabeth Reginæ Caſtellæ, & Legionis illuſtrium &c. Te in Regnis prædictis &c. Inquiſitorem facimus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Primo, Tertio Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Septimo.*

Anno 1491 Die 26 Septembris. XVIII.

F. Michael de Morillo (jam antea Inquiſitor particularis, ut ex Conſtitutione VIII videre eſt) fit Inquiſitor Generalis. Conſtitutio ſic incipit: *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Michaeli de Morillo, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes &c. Te in Regnis Caſtellæ, & Aragoniæ, & illi vicinarum partium &c. Inquiſitorem Generalem facimus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Primo* (Legendum Nonageſimo, vel potius ſcribendum: Sexto Kalendas Septembris.) *Sexto Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XLIX fol.* 352.

Ex obſervantiæ domo ad Conventualem transfert F. Ludovicum de Valentia (1).

Anno 1485
Die 6 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Ludovico de Valentia Ferrarien. Ordinis Fratrum Prędicatorum de Obſervantia.

XIX.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

EXponi nobis feciſti, quod tu, qui Ordinis Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum, & in utroque jure, ac artibus, & Theologia profeſſor exiſtis, & in Univerſitate Bononien., ſive Ferrarien., Cathedram regis, propter corporis debilitatem, & invalidam complexionem, ac auſteritatem Regulę, de cetero in ipſa obſervantia vivere poſſe non confidis, cupis propterea ad Fratres Conventuales dicti Ordinis te transferre, & Cathedram in aliquibus aliis locis, & preſertim in Civitate Ferrarien., ex qua oriundus es, regere, ſuper quo tam cariſſimus in Chriſto filius noſter Ferdinandus (3) Sicilię Rex, quam dilectus filius Jo. (4) Cardinalis de Aragonia, de opportuna pro te Nobis licentia ſupplicari curarunt. Unde Nos, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, & paterno affectu erga ſtatum tuum moti, tibi, ut de domo Sancti Dominici Bononien., ſive Ferrarien., Ordinis, & Obſervantię prędictorum, in qua ad pręſens degis, ad domum dicti Sancti Ferrarien. ejuſdem Ordinis Fratrum Conventualium te transferre, ac inibi perpetuo Altiſſimo famulari valeas, licentiam concedimus pariter, & indulgemus. Necnon Priori, & Fratribus dictę domus Ferrarien. mandamus, ut te benigne recipiant, & ad inſtar aliorum Fratrum ſuę domus pertractent; Decernentes ut tu, neque per Generalem, neque per Provincialem Miniſtros, aut alios Superiores a dicta domo Ferrarien. amoveri valeas. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis prędicti, juramento, aut alias roboratis ſtatutis, ac dictis Fratribus de Obſervantia conceſſis privilegiis, & literis Apoſtolicis, quibus, etiamſi de eis, eorumque toto tenore habenda eſſet mentio ſpecialis, quoad hoc duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, derogamus, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die VI Julii MCCCCLXXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Facultas.

L. Grifus.

1. *Ludovicum de Valentia.*) De quo conſulendus *Roverta* in *Bibliotheca Provinciæ Lombardiæ*. Ex hoc autem Diplomate, & ex alio dato *XVIII* Martii *MCCCCXCI* liquet, quod per id tempus florebant tres Ordinis alumni nomine *Ludovici*, cognomento *Ferrarien.* Iſte, *Ludovicus* ſcilicet *de Valentia Ferrarien.*: alter *Ludovicus* nempe *de Ferraria*, *vir ingentis literaturæ, qui agens Ordinis Prædicatorum in Romana Curia cauſas, vulgo dictus Procurator, Viterbii interiit anno Domini MCCCCXCVI*, ut inquit *Leander Alberti*; tertius tandem, cujus mentio in Diplomate mox citato.

2. *Archivo.*) In quo Autographum.

3. *Ferdinandus.*) Hujus nominis *I*.

4. *Jo.*) *Johannes* ſcilicet *Ferdinandi* Regis *Siciliæ* filius, de quo *Ciaconius Vit. Pontif., & Cardinal. Tomo III ad an. MCCCCLXXI pag. 69.*

Facultates (1) Procuratori Generali Ordinis conceſſas ratas habet, firmat, & auget.

Anno 1485
Die 16 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Barnabę Sanſono (3) de Neapoli (4), Ord. Pręd., Sacrę Theol. Profeſſori, ac ejuſdem Ordinis in Romana Curia Procuratori (5).

XX.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

CUm olim bonę memorię Bartholomeus de Comaſio (6) Ordinis tui quondam Generalis (7), attendens ad utilitatem, ac ſtatum ſalubrem, & occurrentes neceſſitates dicti Ordinis, conceſſerit tibi Procuratori ejuſdem Ordinis in Romana Curia quaſdam facultates, & poteſtates, quibus in eadem Curia uti, & exercere libere poſſes, quandocunque Generalem prędictum abeſſe quomodocunque contingeret, & nunc, ſicut Domino placuit, ex hac vita migraverit (8), Nos, ejuſdem Ordinis neceſſitatibus opportune providere ex Paſtorali officio cupientes, & de tua pariter probitate, induſtriaque plurimum in Domino confidentes, tenore pręſentium, omnes, & ſingulas facultates, & poteſtates tibi, ut pręfertur, conceſſas, & in literis dicti Generalis contentas, quas omnes, & eorum tenores hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, Apoſtolica auctoritate approbamus, & confirmamus, ac vim, & robur obtinere decernimus, donec & quouſque per dilectum filium Vicarium (9) ipſius Ordinis Generalem a Nobis noviter conſtitutum aliter ordinatum fuerit, concedentes etiam tibi omnimodam interea auctoritatem in tota Italia, quam Vicarius ipſe, mortuo, vel amoto Magiſtro Generali, habere conſuevit, donec ſimiliter per ipſum Vicarium aliter fuerit diſpoſitum. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, privilegiis, conſuetudinibus Ordinis prędicti, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris Die XVI Auguſti MCCCCLXXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Confirmatio.

1. *Fa-*

1. *Facultatem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Barnaba Sanſono.*) *Saxonus* corrupte cognominatur ab *Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad an. MCCCCLXXXVI pag.* 869.
4. *De Neapoli.*) Sic ex patria nuncupatur *Barnabas* noſter, nobili loco natus.
5. *Procuratori.*) Magiſter Generalis poſtea fuit.
6. *Bartholomaus de Comaſio,*) *Comanzius* ab aliis dicitur. Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXXXIV pag.* 866.
7. *Generalis.*) Electus fuerat anno *MCCCCLXXXIV.*
8. *Migraverit.*) Hoc anno *MCCCCLXXXV*, Quarto Nonas Auguſti.
9. *Vicarium.*) *Jacobum Stubach*, Provincialem *Teutoniæ*.

Anno 1486 Die 2 Januarii.

Indulgentia (1) conceſſa pro Capitulo Generali.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXI. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. A Superno Patrefamilias, meritis licet inſufficientibus, in domo Domini diſpenſatores effecti, theſaurum dominicum divinitus Nobis commiſſum diſpenſare Nos convenit, ut per illius erogationem populum Chriſtianum Domino acceptabilem, & bonorum operum, ac Religionis, pręſertim Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſectatorem, reddere valeamus, & Fratres prędictos pro rebus Fidei Orthodoxę in unum convenientes, & alios Chriſti fideles ad complacendum Deo, quaſi quibuſdam allectivis muneribus, Indulgentiis videlicet, & remiſſionibus invitemus, ut exinde reddantur divinę gratię aptiores, & fides ipſa felicia exinde ſuſcipiat incrementa. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti filii prędicti Ordinis Prędicatorum profeſſores, pro electione futuri Generalis, & laudabili reformatione cunctarum perſonarum ſub regulari habitu dicti Ordinis Altiſſimo dedicatarum, eorum Capitulum (3) Generale Venetiis in Feſto Indulgentia. Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli proxime futuro celebrare intendant, ad cujus celebrationem viri utique Religionis zelo, & literarum ſcientia, ac morum probitate prędititi ipſius Ordinis profeſſores, Altiſſimo favente, ſunt in magno numero acceſſuri, ad quorum ſuſtentationem Domus Eccleſię Sanctorum Johannis, & Pauli dicti Ordinis in eadem Urbe Venetiarum nullo modo ſuppetunt facultates, quinimmo pro eorum ſuſtentatione, ac incumbentium onerum ſupportatione Chriſti fidelium largitiones plurimum neceſſarię fore noſcantur. Nos igitur, ut Fratres dicti Ordinis ad Capitulum hujuſmodi celebrandum, & alii Chriſti fideles devotionis cauſa ad Eccleſiam prędictam eo tempore liberius confluant, & pro dictorum profeſſorum & onerum ſupportatione manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei Miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, undecunque fuerint, vel ubicunque moram traxerint, qui in Feſto prędicto proxime futuro ab ipſius primis Veſperis, uſque ad ſecundas Veſperas diei immediate ſequentis incluſive, Eccleſiam dictę Domus devote viſitaverint, & ad hujuſmodi ſuſtentationem, & ſupportationem manus porrexerint adjutrices, plenam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & Indulgentiam tenore pręſentium indulgemus, concedimus, & elargimur; necnon illis, qui, dicto Capitulo durante, pro Fratrum convenientium, ac Capituli prędictorum ſuſtentatione, & ipſorum refectione manus porrexerint adjutrices eandem plenam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem indulgemus pariter, & elargimur. Et inſuper ut fideles Chriſti ad eandem Eccleſiam prędicto tempore confluentes, & contribuentes, ut dictum eſt, conſcientię pacem, & animarum ſalutem, Deo propitio, conſequantur, ac Indulgentię, & remiſſionis hujuſmodi participes ſincerius eſſe poſſint, dilecto filio Jacobo Stubach (4) Vicario Generali ejuſdem Ordinis nonnullos prout ei videbitur ipſius Ordinis profeſſores idoneos in Confeſſores eligendi, & deputandi ipſiſque ſic electis, & deputatis Confeſſiones prędictorum Chriſti fidelium viſitantium, & porrigentium pręfato tempore in dicta Eccleſia, ſeu in ejus ambitu, licite audiendi, & pro commiſſis, dummodo talia non fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica merito eſſet conſulenda, debitam abſolutionem auctoritate Apoſtolica impendendi, & pęnitentiam ſalutarem injungendi, vota vero peregrinationis, & abſtinentię, quę dicti viſitantes, & porrigentes commode ſervare non poterunt, peregrinationis Roman., ultramarinę, & Sancti Jacobi in Compoſtella, necnon Religionis, & Caſtitatis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutandi, plenam, & liberam concedimus facultatem. Pręterea volumus, & etiam decernimus, Nota. quod pręſens remiſſio, & Indulgentia, quacunque ſuſpenſione conſimilium Indulgentiarum per Nos, ſeu Prędeceſſores noſtros Romanos Pontifices quocunque reſpectu facta, vel forſan facienda, non obſtante, plenum, & omnimodum effectum habere debeant, quodque Dięceſani, & Ordinarii locorum, necnon Parochialium Eccleſiarum Rectores, & quorumcunque Mendicantium Ordinum Fratres ubilibet conſtituti, pręſentium literarum publicationem, inſinuationem, & notificationem in ſermonibus, & aliis Divinis Officiis, quę in ipſorum Eccleſiis fieri contigerit, libere, & abſque alicujus rei exactione facere teneantur, & quoties ſuper his requiſiti fuerint, fieri permittant, ſub ſuſpenſione a Divinis in Epiſcopos, & Superiores, ac excommunicationis in alios ab eis pęnis, quas ſi ſecus fecerint, ipſos, & eorum quemlibet incurrere volumus ipſo facto, quodque earundem pręſentium tranſumptis per Notarium aliquem publicum ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Curię Eccleſiaſticę communitis, ubicunque exhibita fuerint, vel oſtenſa, ſtetur, illiſque plena fides adhibeatur in omnibus, prout ipſis pręſentibus ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Quinto (5), Quarto Nonas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.* In quo Exemplar ex Autographo *Veneto*.
3. *Capitulum.*) In quo *F. Barnabas Sanſonus*, aliis *Sa-*

Saxonus, Magiſter Generalis renunciatus fuit.

4. *Jacobo Stubach.*) Provinciali Teutoniæ. Adeas *Fontanam Monumen. Dominican. Parte III cap. X ad an. MCCCCLXXXVI pag.* 383. Emendandus tamen ipſius librarius qui *Jacobum* noſtrum *Stanbach* cognominat.

5. *Octuageſimo Quinto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCLXXXVI.*

Ferrarienſem Eccleſiam S. Mariæ Angelorum viſitantes Indulgentiis ornat.

Anno 1486 Die 8 Januarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXII.

Dilecto filio Vicario venerabilis Fratris Epiſcopi Ferrarien. in ſpiritualibus Generali.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUpplicari Nobis humiliter curavit dilectus filius Nobilis vir Hercules Ferrarię Dux, ut Indulgentiam olim per felicis recordationis Eugenium IIII, Prędeceſſorem noſtrum, Eccleſię Sanctę Marię Angelorum extra Ferrariam conceſſam, & una cum ſimilibus aliis Indulgentiis a Nobis ſuſpenſam confirmare vellemus. Nos, pio ejuſdem Ducis deſiderio annuentes, ſimul volentes populos illarum partium hoc ſpiritualis gratię munere eſſe participes, tibi pręſentium tenore committimus, ut declares Indulgentiam pręfatam in feſto Aſſumptionis B. Marię Virginis omnes utriuſque ſexus Chriſti fideles, qui a primis veſperis feſtivitatis prędictę uſque ad ſecundas veſperas incluſive diei ſequentis pro una vice, & hoc anno ſolum, ut pręfertur, eandem Eccleſiam devote viſitaverint, Indulgentiam pręfatam plene conſequi poſſint, & valeant, ac ſi ſuſpenſio, aut revocatio aliqua quoad illam a Nobis nullatenus emanaſſet. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſuſpenſione pręfata, & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die VIII Januarii MCCCCLXXXVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Hie. Balbanus.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Ferrarien.*

Cœnobii de Burges Vaill (1) fundandi facultas.

Anno 1486 Die 19 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXIII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Tuamen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

IMmenſa Sedis Apoſtolicę benignitas &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Donaldi Ymearan, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, petitio continebat, quod olim quondam Richardus de Burgo, Domicellus Tuamen. Dięceſis, cupiens terrena, in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio, commutare, ac pro ſuę, & progenitorum ſuorum animarum ſalute ob ſingularem devotionem, quam ad dictum Ordinem gerebat quendam locum de Burges Vaill, cartam gracilem nuncupatum, dictę Dięceſis, ad ipſum Richardum, tunc legitime pertinentem, aptum, & decentem, pro ędificatione, & conſtructione unius Domus, pro uſu, & habitatione Fratrum ejuſdem Ordinis, pręſertim cum nulla Domus ipſius Ordinis per duodecim milliaria in partibus circumvicinis, reperiretur conſtructa, in puram eleemoſynam dicto Ordini, perpetuo conceſſit, & donavit, quas quidem conceſſionem, & donationem poſtmodum tunc Archiepiſcopus Tuamen. laudavit, & probavit, ac auctoritate ordinaria confirmavit, prout in quibuſdam literis authenticis deſuper confectis, dicitur plenius contineri; & deinde quondam Ruriacus, etiam Ymearan. dicti Ordinis profeſſor, nulla a Sede Apoſtolica per eum licentia deſuper obtenta, ad dictum locum ſe tranſtulit, & inibi quandam Domum ligneam conſtrui, & ędificari cum certa agricultura fecit, & inchoavit, & tam ipſe Ruriacus, quam alii Fratres dicti Ordinis poſtmodum ipſam domum inhabitarunt, & in ea ſub regulari habitu dicti Ordinis permanſerunt, latam in Ordinum Mendicantium profeſſores nova loca ad inhabitandum ſine licentia Sedis prędictę recipientes, excommunicationis ſententiam damnabiliter incurrendo, & illa ligati exiſtentes, Miſſas, & alia Divina Officia, non tamen in contemptum clavium, celebrarunt, & illis ſe alias immiſcuerunt, irregularitatis maculam contrahendo. Quare pro parte dicti Donaldi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſum Donaldum, & alios Fratres prędictos a dicta excommunicationis ſententia abſolvere, & ſuper irregularitate prędicta diſpenſare, necnon conceſſioni, & donationi prędictis, pro earum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, & ei, & aliis dicti Ordinis Fratribus, Domum prędictam pro eorum uſu, & habitatione recipiendi, & cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, dormitorio, clauſtro, & refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis perficiendi, & reformandi, ac perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, aliaſque ſuo, & aliorum Fratrum ſtatui in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſalutem quęrimus ſingulorum, & Religionem hujuſmodi ubilibet propagari, ac cultum Divinum vigere, & augeri noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideriis affectamus, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Donaldum, & alios Fratres prędictos, ſi id humiliter petierint, ab exceſſu, ac excommunicationis ſententia prędictis auctoritate noſtra hac

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Facultas.

vice duntaxat abſolvas, in forma Eccleſię conſueta, injunctis eis pro modo culpę, pęnitentia ſalutari, & aliis, quę de jure fuerint injungenda, ſecumque ſuper irregularitate prędicta diſpenſes, aboleaſque omnem inhabilitatis, & infamię maculam per eos pręmiſſorum occaſione contractam, & ſi abſolutionem, diſpenſationem, & abolitionem prędictas per te vigore prętentium fieri contigerit, ut pręfertur, & vocatis dicti donatoris hęredibus, & aliis, qui fuerint evocandi, de conceſſione, & donatione, ac confirmatione prędictis tibi legitime conſtiterit, illas, & prout eas concernunt, omnia, & ſingula in dictis literis contenta, & quęcunque inde ſecuta dicta auctoritate approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ac Donaldo, & aliis Fratribus, prędictis, locum, & inceptam inibi Domum, pro uſu, & habitatione eorum recipiendi, & cum Eccleſia in honorem, & ſub invocatione B. M. Virginis, campanili humili, campana, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis perficiendi, & reformandi, ac perpetuo inhabitandi ſine cujuſcunque prędudicio, licentiam, eadem auctoritate, concedas; Non obſtantibus pręmiſſis, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne cujuſvis Ordinis Mendicantium ad inhabitandum nova loca, recipere &c., & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon dicti Ordinis, juramento &c. quibuſcunque. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te vigore prętentium concedi contigerit, eidem Domui, ac Priori, & Fratribus, qui illam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, & gratiis, aliis domibus, & in illis pro tempore degentibus, Prioribus, & Fratribus dicti Ordinis per Sedem Apoſtolicam, vel alias in genere conceſſis, & quibus alię domus, & illarum Priores, & Fratres dicti Ordinis, in genere utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, Apoſtolica auctoritate, prętentium tenore, concedimus. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Quinto (3), Undecimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Barges Vaill.*) In *Hibernia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXIII fol. 37.*
3. *Octuageſimo Quinto.*) Stylo Bullarum, ęre communis *MCCCCLXXXVI.*

Anno 1486 Die 24 Maii.

Epiſcopo (1) Bellunenſi de Magiſtri Generalis electione.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXIV.

Venerabili Fratri Epiſcopo Bellunenſi.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Nota. QUoniam profeſſores Ordinis Prędicatorum in Noſtra Religione primarii pręcipua caritate complectimur, & deſideramus illos in dies ſalubria capere in Domino incrementa, informati de virtute, induſtria, & laudabilibus moribus tuis, duximus fraternitati tuę prętentibus injungendum, ut in Capitulo Generali, quod Venetiis proximo menſe Junio (3) celebraturi ſunt, piam operam impendas: nam cum Ordinem ipſum, ut diximus, paterno proſequamur affectu, ſolicitudini noſtrę pertinere putavimus, ut

Mandatum. res hęc cum omni quiete animorum, & religioſa ſanctitate tranſigatur. Quocirca fraternitati tuę tenore prętentium committimus, quatenus cum omni dexteritate, & prudentia, Religioſos, qui iſtic ad Capitulum confluent, adeas, illoſque ad concordiam, ac profeſſioni eorum conſonam modeſtiam, conſervandam animes, perſuadeas, atque inducas, ut poſtpoſitis ſimultatibus, ac turbulentis contentionibus, quę ab his debent eſſe omnino alienę, & Nobis maxime diſplicerent, libere ac ſecundum Ordinis eorum Conſtitutiones Generalem (4) eligant, virtute, ac meritis probatiſſimum, cujus regimine, & univerſus Ordo ſublevare lacertos poſſit, & ſalubriter in Domino conſervari. Quare Religioſi Nos magnopere lętificarent, & pręberent cauſam Nobis majoris erga ſe dilectionis, & caritatis. Scribimus in prętentiarum eiſdem in hanc ſententiam per literas (5) noſtras in forma brevis; quas illis ſtudioſe reddendas, atque inſinuandas, fraternitati tuę mittimus, idem quod tibi, ſcribimus venerabili Fratri Epiſcopo Terviſin. (6) Oratori noſtro. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIV Maii MCCCCLXXXVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Hic. Balbanus.

1. *Epiſcopo.*) Adeas Ughellum in *Epiſcop. Bellunen.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Junio.*) Die *XXIX.*
4. *Generalem,*) F. *Barnabas Sanſonus* creatus fuit Generalis Magiſter.
5. *Literas.*) Deſiderantur hę literę.
6. *Terviſin.*) Conſulendus *Ughellus* in *Epiſcop. Terviſin.*

To-

Toletani (1) Monaſterii Matris Dei fundandi facultas.

Anno 1486 Die 27 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXV.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii de Monte Sion extra muros Toletan., & Majori, ac de Talavera Eccleſiæ Toletan. Archidiaconis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EX injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectę in Chriſto filię, nobilis mulieris, Marię Gometii, alias de Silva (4), quondam Alfonſi de Silva, Comitis de Fuentes natę, mulieris Toletan., petitio continebat, quod olim ipſa abjectis hujuſmodi illecebris mundi, religioſe vivere, ac Deo Altiſſimo famulari deſiderans, ex magno devotionis fervore, quem ad Ordinem S. Dominici gerebat, prout gerit, cum certis aliis honeſtis mulieribus ejus ſociis in quadam domo in Civitate Toletan. conſiſtente, de ſpeciali licentia Archiepiſcopi Toletan., tunc exiſtentis, quandam Capellam cum Altari ſub Invocatione glorioſę Virginis Marię, Matris Dei, conſtrui fecit, ubi Miſſę, & alia Divina Officia ad laudem Dei celebrarentur, in qua quidem Domo Maria, & ejus ſocię prefatę ſub habitu Sororum dicti Ordinis, de Penitentia nuncupati, hactenus laudabiliter, & honeſte, quantum humana permiſit fragilitas, vixerunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Maria, & ejus ſocię prefatę, volentes arctiorem vitam ducere in terris, ut ad eternam vitam facilius pervenire poſſint, mutato in melius primo propoſito, cupiunt, ut in dicta domo Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum Predicatorum, & ſub dicta invocatione Matris Dei cum Eccleſia, campanili, & aliis neceſſariis erigatur, & Vicario Generali Congregationis dictorum Fratrum, de Obſervantia reformatorum nuncupatorum, ſecundum morem dicti Ordinis Provincię Caſtellę, & Legionis ſubiiciantur. Et quia dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Franciſca de Caſtaneda, quę Soror Matris dictę Marię, & in ſimili ętate conſtituta exiſtit, ex magno devotionis fervore, ut honeſtius, & religioſe vivere poſſit, cupiat in habitu dicti Ordinis S. Dominici de Penitentia, abſque eo, propter debilitatem corporis ſui, quod habitum Monialium, dicti Ordinis S. Auguſtini ſuſcipiat, vel profeſſionem emittat, in hujuſmodi erigendo Monaſterio vitam ducere, & cum Prioriſſa, ac Monialibus prędictis ſpiritualem conſolationem ſuſcipere, & ibidem dies ſuos in pace finire, & eidem Monaſterio nonnulla bona ſua, quę poſſidet pro ſua, & Monialium dicti Monaſterii ſuſtentatione, donare intendat, pro parte Marię, & ejus ſociarum, ac Franciſcę prędictarum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in Domo, & Capella hujuſmodi Monaſterium Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini ſub cura dictorum Fratrum Prędicatorum cum Eccleſia, humili campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis Officinis, ac decenti clauſura, quod quidem Monaſterium obedientię dicti Vicarii ſubiiciatur, & per Prioriſſam juxta formam dicti Ordinis eligendam, & confirmandam, perpetuo regatur, & gubernetur, erigendi, ac Prioriſſę, & Monialibus in eodem Monaſterio pro tempore exiſtentibus ſtatuta, & ordinationes, juxta quę Monaſterium ipſum, illiuſque perſonę regi, & gubernari debeant, condendi, quę per Vicarium prędictum, ſeu ab eo poteſtatem habentem, confirmari poſſint, & debeant, licentiam, & facultatem concedere, necnon cum prefata Franciſca, ut habitum dicti Ordinis S. Dominici de Penitentia retinere, abſque eo quod habitum Monialium ejuſdem Ordinis S. Auguſtini ſuſcipere, & profeſſionem in eodem Monaſterio emittere, & in dicto Monaſterio, quoad vixerit perſiſtere poſſit, diſpenſare, aliaſque in prędictis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui regularia loca ampliari, & cultum divinum in illis vigere noſtris potiſſime temporibus ſummopere affectamus, Mariam, ejuſque Sorores, & Franciſcam prefatas, earumque ſingulas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum eiſdem Marię, & ſociis in Domo, & Capella hujuſmodi, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini, quod ſub cura Fratrum Prędicatorum perſiſtat, & Vicario Generali Congregationis dictorum Fratrum, de Obſervantia reformatorum nuncupatorum, ſecundum morem dicti Ordinis Prędicatorum ejuſdem Provincię Caſtellę, & Legionis, ſubſit, cum Eccleſia, humili campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, quod quidem Monaſterium per Prioriſſam juxta ſtatuta ejuſdem Ordinis S. Auguſtini eligendam, & confirmandam, perpetuo regatur, & gubernetur abſque alicujus prejudicio erigendi, & conſtruendi, ſeu erigi, & conſtrui faciendi, licentiam auctoritate noſtra concedatis. Nos enim, ſi Monaſterium prędictum erigi, & conſtrui contigerit, ut prefertur, Prioriſſę, & Monialibus in dicto erigendo Monaſterio pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, & indultis, quibus Prioriſſę, & Moniales aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis S. Auguſtini, ſub cura dictorum Fratrum degentes gaudent, potiuntur, & utuntur, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, gaudere, & potiri, ac ſtatuta, & ordinationes, juxta quę Monaſterium erigendum, & illius perſonę hujuſmodi regi, & gubernari debeant, concedere, quę per Vicarium prędictum, ſeu ab eo poteſtatem habentem, confirmari debeant, libere, & licite poſſint, & valeant, quę quidem ſtatuta, & ordinationes, poſtea ſemper firma, & illibata permaneant, auctoritate Apoſtolica, tenore prefentium indulgemus, necnon cum prefata Franciſca, ut abſque eo quod habitum Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini, & profeſſionem in dicto erigendo Monaſterio emittere debeat, in dicto Monaſterio, habitum S. Dominici de Penitentia hujuſmodi retinere, quoad vixerit, perſiſtere, & cum Monialibus ipſius Monaſterii commorari libere, & licite poſſit, eadem auctoritate diſpenſamus, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus, Ordinum prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque.

Facultas.

Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Sexto, Quinto Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Toletani*.) In *Hiſpania*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXIX fol.* 32.
3. *Officium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Silva*.) Gens eſt illuſtris, quæ nunc etiam floret in *Hiſpania*, & *Portugallia*.

Anno 1486 Die 26 Julii.

Indulgentias (1) Ordini Fratrum Prædicatorum conceſſas firmat, & auget.

XXVI.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium ab Ordinis ampliſſima laude.

SAcer Prędicatorum Ordo ad inſtar unius fluviorum, a cęleſtium voluptatum, & amęnitatum paradiſo egredientium ſacroſanctę univerſalis Eccleſię terram, ne mundanarum cupiditatum, & vitiorum calore areſcat, pręclarę Doctrinę (3), virtuoſorum operum, ac multiplicium meritorum imbribus irrigans, magis, ac magis in dies illam fructuoſam efficit. Hic eſt unus de duobus Seraphim, qui in ſublime contemplationis, & ſeraphici amoris elevatus, a terreniſque rebus abſtractus, aſſiduo divinarum laudum clamore, ac immenſorum divinorum officiorum humano generi a ſummo Opifice exhibitorum declaratione, ferventiſſimis prędicationibus populos inſtruendo, ad cęleſte iter dirigendo, inſiſtens, multiplicata ei credita talenta Domino Deo noſtro de ſegetis animarum, ſcilicet Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti pretioſi Sanguinis, effuſione redemptarum, in horreo Sanctę Eccleſię refert manipulos. Hic eſt una tuba, per quam Dominus pręcepit ad populum Paulum aſſiduis prędicationibus advocare, ut in omnem terram ejus ſonus exiret, & redderet ſibi populum acceptabilem, & bonorum operum ſectatorem. Ad prędictum igitur Prędicatorum Ordinem, quem ex ampliſſimis meritis, & uberrimis fructibus, quos in Dei Eccleſia continue affert, pre ceteris paterna caritate diligimus, noſtrę conſiderationis intuitum dirigentes, illa ei libenter concedimus, quę in eo optatę quietis fructum inducant, & ſtatum ejus faciant tranquillum, & pacificum. Dudum ſiquidem, ut Ordinis ejuſdem profeſſorum ſtatui, & quieti conſuleremus, motu proprio nonnullas literas diverſorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum dicto Ordini conceſſas, & ejus domibus, & Fratribus, & in illis contenta approbavimus, & quoad aliqua declaravimus, ampliavimus, & extendimus, & nonnulla de novo conceſſimus, prout in diverſis noſtris literis plenius continetur. Cum autem, ſicut poſtmodum accepimus, per hujuſmodi ampliationes, & declarationes totali ejuſdem Ordinis, & illius profeſſorum quieti, ut expedit, plene non conſulatur, aſſeraturque a nonnullis, per eaſdem literas omnes gratias ſpirituales, & temporales dicto Ordini conceſſas, & ejus Domibus, & Fratribus, a Prędeceſſoribus noſtris conceſſas, approbatas non fore; Nos, attenta meditatione penſantes, quantum ad exaltationem fidei, Evangelicęque veritatis, dicti
Nota. Ordinis profeſſores hactenus attulerunt, & afferre valeant, Deo adjuvante, in futurum, ac propterea volentes, ut tenemur, ejus tranquillitati uberius providere, motu ſimili, non ad ipſorum Fratrum, nec alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex noſtra certa ſcientia, quaſcunque literas, & gratias ſpirituales, & temporales, conceſſiones, & indulgentias, remiſſiones peccatorum in genere, vel in ſpecie, Fratribus, & Sororibus Prędicatorum Ordinis, ac Domus, necnon eorum Eccleſias viſitantibus, vel Capellas, & Oratoria, conceſſas, quarum tenores de verbo ad verbum, ac ſi pręſentibus insererentur, habere volumus pro expreſſis, & pręſentium tenore, approbamus, & robur, firmitatemque obtinere debere decernimus. Pręterea approbamus, & confirmamus nonnullas literas, & gratias, Indulgentias, & remiſſiones peccatorum in genere, vel in ſpecie a nonnullis Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris conceſſas, videlicet; Dudum ſiquidem Johannes XXII per quandam Bullam (4) quę incipit: Quia, ut ait Apoſtolus: conceſſit omnibus Chriſti fidelibus Benefactoribus viginti annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis: Clemens IV conceſſit etiam dictis Benefactoribus dicti Ordinis decem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis: Benedictus XI, qui fuit aſſumptus ab Ordine Prędicatorum, conceſſit omnibus Benefactoribus viginti annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis, & facit eos participes, & conſortes in omnibus bonis quę fiunt, & fient in perpetuum in toto Ordine Prędicatorum, & commiſit facultatem Magiſtro Ordinis & Prioribus Provincialibus, & Conventualibus, ut poſſint inſtituere ſuas Confratrias, ſecundum arbitrium, & voluntatem eorum, & reci-
Nota. pere germanos, & Confratres ad omnia Beneficia, & ad omnes gratias, & Indulgentias totius Ordinis Prędicatorum, & facit omnes Benefactores participantes, & conſortes in omnibus, quę fiunt, & fient in perpetuum, ut dictum eſt. Et in omnibus peregrinationibus Terrę Sanctę, & Romę. Nicolaus IV per quandam Bullam, quę incipit: Devotis in Chriſto; conceſſit dictis Benefactoribus viginti annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis, & remittit eis ſeptimam partem ſuorum peccatorum, & facit eos participantes, & conſortes in bonis omnibus quę fiunt, & fient in perpetuum in toto Ordine Prędicatorum. Urbanus V conceſſit etiam dictis Benefactoribus decem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis, & remiſit eis ſeptimam partem ſuorum peccatorum. Calixtus etiam conceſſit eiſdem Benefactoribus decem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis. Benedictus XII, conceſſit quod quiſquis catholicus chriſtianus, qui de bonis ſibi a Deo collatis dederit aliquam eleemoſynam, vel acceperit Fratres in ſuo hoſpitio, ſeptem annos de injunctis eis pęnitentiis. Johannes XXIII conceſſit dictis Benefactoribus decem annos, & totidem quadragenas
Nota. de injunctis eis penitentiis, & remittit eis injurias, patrum, & principum, ſine manus injectione violenta, & omnia Feſta male obſervata, & omnia juramenta falſa ſine damno alterius, & remittit Sacerdotibus, & Clericis in Sacris Ordinibus conſtitutis, quatenus ad exemplum aliorum manus ſuas por-

porrexerunt adjutrices, quicquid in divinis Officiis, aut horis canonicis dicere omiſerunt propter infirmitatem, vel negligentiam, ſeu per defectum librorum, conceſſit etiam de gratia ſpeciali, quod hujuſmodi Confratres, & germani Ordinis, poſſint ſepeliri tempore interdicti in Eccleſia, vel Cęmeterio, niſi fuerint excommunicati publici, vel nominatim, ibique divina celebrari, & conceſſit oſculantibus habitum dicti Ordinis quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis.

Indulgentia oſculantibus habitum conceſſa.

Conceſſit etiam quod animę defunctorum, pro quibus Ordini, & Fratribus ejuſdem, collata fuit eleemoſyna, admitterentur ad omnia beneficia, & ſuffragia, & ad omnes gratias totius Ordinis, & remittit eis ſeptimam partem ſuorum peccatorum. Alexander IV conceſſit etiam quatuor annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis. Eugenius IV conceſſit decem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis. Nicolaus etiam conceſſit eiſdem Benefactoribus ſeptem annos, & totidem quadragenas. Sixtus fel. rec., Prędeceſſor noſter Papa IV, qui fuit aſſumptus ab Ordine Minorum, ampliavit, extendit, & conceſſit plures gratias ſpirituales, & temporales dicto Ordini Prędicatorum, inter quas conceſſit, quod omnes Benefactores dicti Ordinis, qui pro ſuſtentatione Fratrum, & Sororum, & Domorum reparatione manus ſuas porrexerint adjutrices, & in Fraternitate ſua ſtatuiſſent ſe eſſe Confratres, ſecundum arbitrium & voluntatem Pręſidentium, quod hujuſmodi Benefactores, & Confratres eſſent participes, & Conſortes in omnibus bonis, quę fiunt, & fient in perpetuum per omnes Fratres, & Sorores Ordinis Prędicatorum, & aliorum trium Ordinum Mendicantium, ſcilicet Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum, & conſequerentur etiam gratias, & Indulgentias dictis Ordinibus conceſſas; hujuſmodi vero gratiam conceſſit animabus defunctorum, pro quibus collata fuit eleemoſyna.

Confirmatio.

Nos vero, attenta meditatione penſantes, quantum ad exaltationem fidei, & Evangelicę veritatis, ut dictum eſt, Ordinis Prędicatorum profeſſores attulerunt, & afferre valeant, ac propterea volentes, eorum tranquillitati, ut tenemur, uberius providere, quaſcunque literas, ac ſpirituales, & temporales, conceſſiones, & Indulgentias, ac remiſſiones peccatorum conceſſas, deſuper contentas, ac ſi de verbo ad verbum hic inſererentur pro expreſſis haberi volumus, & pręſentium tenore approbamus, & robur habere firmitatis perpetuę decernimus, prout pro potiori cautela auctoritate Apoſtolica de novo juxta literarum deſuper conceſſarum continentiam, & tenorem, concedimus, & largimur: ut Eccleſię, Domus, & Oratoria Prędicatorum Ordinis per univerſum Orbem conſtructę, & ędificatę, & quę conſtrui, & ędificari contigerit in futurum, congrua devotione a Chriſti fidelibus viſitentur, ac quęque imperfecta ſunt perficiantur, & ad complementum deducantur, & completę conſerventur, necnon ornamentis ad divinum cultum ibi neceſſariis debite ornentur, ipſi Chriſti fideles ad Eccleſias eo libentius confluant, & ad pręmiſſa manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię ſe conſpexerint refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia ac Apoſtolorum Petri, & Pauli auctoritate, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, utriuſque ſexus Confratribus receptis, & recipiendis ad beneficia Ordinis per literas, concedimus plenariam omnium peccatorum remiſſionem ſemel in vita, & ſemel in morte, & eandem Indulgentiam concedimus omnibus dicentibus Pſalterium, quod de Beata Virgine, ſive Roſario nuncupatur; & his qui de Confraternitate Pſalterii nuncupantur.

Nota.

Etiam concedimus omnibus viſitantibus domos, & Oratoria Fratrum Prędicatorum in ſingulis Feſtis Sancti Dominici, & Sancti Franciſci centum annos, & totidem Quadragenas, & in Sanctorum Petri Martyris, Thomę de Aquino, Vincentii, & S. Catharinę de Senis, Antonii de Padua, Ludovici Epiſcopi, Bernardini, & S. Clarę, & B. Eliſabeth feſtivitatum diebus a primis Veſperis, & per totum diem ipſarum Feſtivitatum quinquaginta annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis qui devote viſitaverint, annuatim, & ad pręmiſſa, aut eorum aliqua manus porrexerint adjutrices, miſericorditer in Domino relaxamus, pręſentibus, perpetuis, & futuris temporibus valituris. Etiam concedimus, & mandamus, quod Feſtum S. Dominici celebretur, & ſervetur ſicut feſtum Sancti Franciſci. Concedimus etiam omnibus viſitantibus Corpus B. Dominici, quod jacet in Conventu Bononienſi a primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas eandem Plenariam remiſſionem omnium peccatorum ſuorum quemadmodum illis qui viſitant Corpus B. Franciſci in Civitate Aſſiſii.

Nota.

Et quia difficile foret pręſentes literas ad ſingula loca, in quibus expediens fuerit, deferri, volumus, & prefata auctoritate decernimus, quod illarum tranſumpto manu publici Notarii inde rogati ſubſcripto, & ſigillo alicujus perſonę Eccleſiaſticę in dignitate conſtitutę munito, ea prorſus in judicio, & extra, fides ubilibet adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę, Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, voluntatis, & Decreti infringere &c. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit quoquo modo publice, vel occulte &c. ſub excommunicationis pęna, a qua nonniſi a Nobis vel Succeſſoribus noſtris canonice intrantibus, pręterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi poſſint, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, decernimus, & inhibemus. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Quinto (5), Septimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Indulgentias.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Salmanticenſi.*
3. *Preclara doctrina.*) Ut in *Tractatu* mox laudato, *Tit. VI.*
4. *Bullam.*) De Conſtitutionibus iſtis dicetur in eodem *Tractatu Tit. I.*
5. *Octuageſimo Quinto.*) Sic amanuenſis. Legendum: *Sexto*: ut ex ſe patet.

Anno 1486 Die 22 Auguſti.

XXVII.

Moniales Toletani (1) Monaſterii Matris Dei poſſint carnibus veſci.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. INtenta ſemper ſalutis operibus Apoſtolicę Sedis conſueta benignitas circa ea circunſpectionis ſuę ſolicitudinem diligenter convertit, per quę cunctorum ſibi fidelium pręſertim ſeminei ſexus &c. Sane pro parte dilectę in Chriſto filię nobilis mulieris Marię Gometii, alias de Silva, quondam Alfonſi de Silva, Comitis de Fuentes natę Toletan. Nobis expoſito, quod olim ipſa abjectis mundanis illecebris, religioſe vivere, & Altiſſimo famulari deſiderans, ob devotionem, quam ad Ordinem S. Dominici de Pęnitentia nuncupati gerebat, cum certis aliis honeſtis mulieribus, ejus ſociis in quadam domo in Civitate Toletan. conſiſtente de licentia Archiepiſcopi Toletan. tunc exiſtentis, quandam Capellam cum Altari ſub invocatione glorioſę Virginis Marię Matris Dei, conſtrui fecerat, ut inibi Miſſę, & alia Divina Officia celebrarentur, in qua quidem domo Maria, & ejus ſocię pręfatę, cum habitu Sororum dicti Ordinis, eatenus laudabiliter vixerant, quodque Maria, & ejus ſocię hujuſmodi arctiorem vitam ducere cupientes, deſiderabant, ut in dicta Domo Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum, & ſub dicta invocatione Matris Dei cum Eccleſia, humili campanili, campana, & aliis neceſſariis officinis erigeretur, & Vicario Generali Congregationis dictorum Fratrum, de Obſervantia reformatorum nuncupatorum, Provincię Caſtellę, & Legionis ſecundum morem dicti Ordinis ſubiiceretur; ac dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Franciſca de Caſtaneda, Matris ipſius Marię ſoror, in ſimili ętate conſtituta, magna devotione ducta, cupiebat in habitu dicti Ordinis S. Dominici in dicto erigendo Monaſterio vitam ducere cum illius Prioriſſa, & Monialibus, ſpiritualem conſolationem ſuſcipere, & inibi dies ſuos in pace finire, intendebatque eidem Monaſterio nonnulla bona ſua, quę poſſidebat, pro ſua, & Monialium dicti Monaſterii ſuſtentatione donare, Nos per alias noſtras literas certis Judicibus, inter alia dedimus in mandatis, ut ipſi, vel duo, aut unus eorum Marię, & ejus ſociis pręfatis, in Domo prędicta, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum hujuſmodi, quę Vicario dictę Congregationis ſubeſſent cum Eccleſia, humili campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis prędictis, quod per Prioriſſam gubernaretur, erigendi, & conſtruendi, ſeu erigi, & conſtrui faciendi, auctoritate Apoſtolica concederent, necnon cum pręfata Franciſca, ut abſque eo quod habitum Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini ſuſcipere, & profeſſionem in eodem Monaſterio erigendo, emittere teneretur, in ipſo Monaſterio habitu ordinis S. Dominici de Pęnitentia hujuſmodi retento, quoad viveret remanere, & cum Monialibus ipſius Monaſterii commorari valeret, diſpenſavimus, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dictę Marię, petitio continebat, Moniales dicti Ordinis S. Auguſtini ſub cura dictorum Fratrum exiſtentes juxta illius inſtituta regularia ab eſu carnium abſtinere teneantur, ac Civitas pręfata a mari valde remota exiſtat, ſitque ibidem piſcium penuria, & propterea Prioriſſa, & Moniales in eodem Monaſterio pro tempore commorantes, abſque eſu carnium commode ſuſtentari non poſſint, pro parte, tam dilecti filii nobilis viri Eneci Lupi (3) de Mandoza (4) Comitis de Tendilla, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Regis, & cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Eliſabeth Reginę Illuſtrium Caſtellę, & Legionis Regnorum apud Nos oratoris, quam dictę Marię Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuę, & Monialium prędictarum commoditatibus in pręmiſſis opportune providere, ac ſuarum animarum ſaluti conſulere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui religioſas perſonas quaslibet, pręſertim in ſexus fragilitate Altiſſimo devote famulantes, ut illi ferventiori ſtudio deſerviant, libenter Apoſtolicis favoribus confovemus, dictam Mariam a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionum, & interdicti &c. abſolutam fore cenſentes &c., hujuſmodi ſupplicationibus inclinati auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium, ſtatuimus, & ordinamus, quod Prioriſſa, & Moniales dicti Monaſterii, poſtquam illud erectum fuerit, ut pręfertur, pro tempore exiſtentes, illis diebus, quibus eſus carnium non eſt prohibitus, & quibus alii Chriſti fideles illis licite veſcuntur, ſimiliter veſci libere, & licite valeant, necnon Confeſſores idoneos inibi deputare, qui earundem Prioriſſę, & Monialium pro tempore exiſtentium, ac dictę Franciſcę Confeſſionibus diligenter auditis, ipſas, & earum quamlibet, a quibuſcunque earum peccatis, & criminibus, videlicet in reſervatis ſemel in vita, in non reſervatis vero Sedi Apoſtolicę caſibus, toties, quoties fuerit opportunum, abſolvere, & eis pęnitentiam ſalutarem injungere, necnon bis in anno quolibet, videlicet in Nativitatis, & Reſurrectionis D. N. J. C. Feſtivitatibus ipſis, & cuilibet earundem in ſinceritate fidei in unitate S. R. E. ac obedientia, & devotione noſtra, & ſucceſſorum noſtrorum Roman. Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus Plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem impendere valeant, & inſuper eadem auctoritate decernimus, quod ſtatutum, & ordinatio noſtra hujuſmodi, ac pręſentes literę ſub quibuſcunque revocationibus, vel ſuſpenſionibus Indulgentiarum per Nos, vel Sedem Apoſtolicam de cetero faciendis, minime comprehendantur, ſed ſemper ab illis excepta eſſe intelligantur, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, ſtatuti, ordinationis & Decreti infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Sexto, Undecimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Facultas. Nota.

1. *Toletani*.) Conſulenda Conſtitutio XXV.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXII fol.* 229.
3. *Eneci Lupi*.) Vulgo *Inigo Lopez*.
4. *Mandoza*.) *Mendoza*. Gens eſt celeberrima.

De

Anno 1486 Die 1 Septembris.

De reformando Mediolanenſi (1) Monaſterio Veterum nuncupato.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXVIII.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecti filii (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUpplicationibus dilecti filii noſtri Jo: (4) tituli S. Praxedis Presbyteri Cardinalis, qui Eccleſię Mediolanen. ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica pręeſt (5), inclinati; ſumentes de veſtris virtutibus in Domino fiduciam ſpecialem, vobis committimus & mandamus, ut ſine ullo Archiepiſcopalis Eccleſię prejudicio ad Monaſterium monialium foris portam Ticinen. Mediolani Veterarum nuncupatum Ordinis Sancti Dominici, quod Archiepiſcopo Mediolanen. pro tempore exiſtenti ſubjectum exiſtit, perſonaliter accedentes, & ſolum Deum, & ſalutem animarum prę oculis habentes illud in capite, & membris viſitetis, & quę pro dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Monialium illius ad regularem obſervantiam dicti Ordinis reductionem neceſſaria, ſive quomodolibet opportuna fore cognoveritis, ibidem congrue reformare, & ordinare curetis, prout ſecundum Deum, & animarum earum ſalutem, vobis videbitur expedire. Nos enim vobis pro hujuſmodi dicti Monaſterii reformatione transferendi ad illud de aliis Monaſteriis Monialium dicti Ordinis, & regularis obſervantię, quatuor Moniales probas, & in obſervantia regulari expertas, & ſi transferri recuſarent, eas, ac contradictores quoslibet, & rebelles ad id per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia compellendi, facultatem concedimus per pręſentes, ac volumus, quod vos de cetero, quoad vixeritis, in eodem Monaſterio Veterarum eandem prorſus poteſtatem, & auctoritatem habeatis, quam habet Vicarius Fratrum Reformatorum veſtri Ordinis in Monaſteriis Monialium ſuę curę commiſſarum; Vos autem, injunctum vobis onus hujuſmodi prompta devotione ſuſcipientes, ſic circa dicti Monaſterii reformationem, & perſonarum illius ad regularem obſervantiam ſui Ordinis reductionem, & in illa manutentionem, & conſervationem probe, & laudabiliter vacare ſtudeatis, quod ex veſtris operibus fructus ſalutis animarum proveniant, quos ſperamus, poſſitiſque exinde apud Nos, & Sedem Apoſtolicam merito commendari. Incurſuri excommunicationis latę ſententię pęnam ſi noſtris hujuſmodi recuſaveritis obtemperare mandatis. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die I Septembris MCCCCLXXXVI Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Mediolanen.*) In ejuſdem nominis Ducatus Metropoli. Juris eſt Provincię *Lombardia*. Tunc extra, nunc intra portam *Ticinen.* ſitum eſt.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar in Bullario *Bononienſi* *pag.* 48.
3. *Dilecti filii.*) Quibus inſcriptum ſit hocce Diploma, non legitur in *Bullario* mox laudato: ex ipſo tamen Diplomate liquet, ipſos Ordinis Prędicatorum alumnos fuiſſe.
4. *Jo.*) *Johannis* ſcilicet *Arcimboldi*, de quo conſulendus *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III ad annum MCCCCLXXI pag.* 43.
5. *Praeſt.*) Hinc emendandi Scriptores qui *Johannem* anno *MCCCCLXXXIV* Eccleſiæ *Mediolanenſi* nuncium remiſiſſe docent.

Anno 1486 Die 30 Septembris.

Qui civili Magiſtratui puniendi traduntur pœnas ab Inquiſitoribus latas perſolvant ſine nova litis recognitione.

Ex Bullario (1) *Romano in Innocentio VIII Conſtitut. X.*

XXIX.

Venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Brixienſi, & dilecto filio Inquiſitori hęreticę pravitatis in partibus Lombardię.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Venerabilis Frater, & dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DIlectus filius Frater Antonius (2) de Brixis Ordinis Prędicatorum, in partibus Lombardię Inquiſitor hęreticę pravitatis, una cum venerabili Fratre Epiſcopo Brixienſi, ſeu ejus Vicario Generali, ſicuti Nobis nuper fecit exponi, contra nonnullos utriuſque ſexus hęreticos, ut accepimus, quos culpabiles, ut hęreticos impęnitentes repertos, pęna debita juris puniendos condemnavit: ac officiales Civitatis Brixienſis, ut injunctam executionem adimplerent, requiſivit: qui Officiales juſtitiam miniſtrare, & dictas ſententias exequi, niſi prius proceſſus per Epiſcopum, & Inquiſitorem agitatos viderent, in non parvum orthodoxę Fidei ſcandalum recuſarunt. At cum hujuſmodi crimen hęreſis ſit mere eccleſiaſticum, & delicta nullo pacto impunita remanere debeant, tenore pręſentium vobis committimus, atque mandamus; ut, ſi eſt ita, eiſdem officialibus ſecularibus civitatis Brixienſis, ſub excommunicationis pęna, & aliis cenſuris eccleſiaſticis, pręcipiatis, atque mandetis, ut infra ſex dies, poſtquam legitime fuerint requiſiti, ſine aliqua dictorum proceſſuum, per vos agitatorum viſione, ſententias per vos latas contra hujuſmodi hęreticos prompte exequantur, appellatione remota. Quam excommunicationis pęnam ipſo facto volumus, & tenore pręſentium declaramus incurriſſe, ſi quod mandatum fuerit, infra dictum ſex dierum ſpatium, ceſſante legitimo impedimento, cum effectu non impleverint. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis Civitatis Brixienſis, ceteriſque in contrarium facien-

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXX Septembris MCCCCLXXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Bullario.*) Legitur etiam apud *Peñam* ad calcem *Directorii Inquiſitor. pag.* 108.
2. *Antonius.*) Vir magnæ prudentiæ, cujus meminit *Leander Albertus* de *Viris illuſtribus Ord. Prædicatorum*, Ejuſdem laudes celebrant *Luſitanus*, *Razzius*, *Fernandez*, *Altamura*, aliique paſſim. Adeat *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXCVIII pag.* 892.

Anno 1486 Die 1 Octobris.

De Templi Viterbienſis (1) abſide, quæ tribuna vulgo dicitur, conſtruenda.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXX. Dilectis filiis Fratribus Monaſterii S. Marię ad Gradus Viterbien. Ordinis Prędicatorum.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. EXponi Nobis feciſtis, quod vos alias, quandam Capellam ſub invocatione S. Crucis juxta ſepta Monaſterii veſtri erigi curaſtis, in qua per aliqua tempora congregari ſolita eſt quędam laicorum Confraternitas, S. Crucis nuncupata. Sed cum poſtmodum ea Confraternitas congregationem hanc facere pretermiſiſſet, & Miſſę, & alia Divina Officia, in eadem Capella non celebrarentur, ea pene corruit, nec inſtaurari facile poterit, cum in loco vobis incommodo ſit ſita. Ea propter Nobis humiliter ſupplicari curaſtis, ut cum decreveritis Tribunam veſtrę Eccleſię ampliare, dignaremur, licentiam vobis concedere, ut lapides, & alia in dicta Capella conſiſtentia, in ampliationem prędictam convertere poſſitis. Facultas. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati: vobis dictam Capellam in totum demoliendi, & lapides, & alia in ea exiſtentia in ampliationem dictę Tribunę, convertendi, licentiam, & facultatem tenore pręſentium, concedimus, & elargimur. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die Prima Octobris MCCCCLXXXVI Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Hie. Balbanus.

1. *Viterbien.*) In *Hetruria* ditionis Pontificiæ.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Viterbienſi*.

Anno 1486 Die 24 Octobris.

Provinciæ Patrimonii Gubernator ſententiam ferat de litibus Fratribus Cœnobii Viterbienſis illatis ab eorundem villicis.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXXI. INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecti filii (2), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nobis feciſtis, quod cum varias poſſeſſiones, & terras habeatis, in diverſis oppidis prope Viterbium ad ſeptem, vel decem milliaria, & citra unam dietam, quę ſunt in manibus agricolarum, & laboratorum, & ſępe numero contingit, ut fructus Conventui veſtro inde provenientes a dictis laboratoribus, ut debeant, non exhibeantur, immo vero litibus, tergiverſationibus, & ſubterfugiis diverſorum Judicum nitantur vobis, de eo quod debent, minime reſpondere, & vos contentionibus, & expenſis, defatigare. Volentes igitur quieti Religioſorum, & Deo ſervientium commodis, ut debemus, conſulere, vobis pręſentium tenore, ut agricolę laboratores pręfati; pręterquam Carbonianenſes (3), & quicunque veſtri debitores, dummodo non ultra unam dietam a civitate noſtra Viterbienſi remoti ſint, citari, & conveniri poſſint coram Gubernatore Provincię noſtrę Patrimonii, ut vobis juſtitiam faciat, facultatem concedimus, & indulgemus, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXIV Octobris MCCCCLXXXVI Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Authographo *Viterbienſi*.
2. *Dilecti filii.*) Inſcriptio Diplomatis deeſt.
3. *Carbonianenſes.*) Sic vocat Carbonarios.

Anno 1486 Die 26 Octobris.

Velienſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXII. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Sueſſanen. (3), & Laudaven. (4) Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SAcrę Religionis ſinceritas, ſub qua Fratrum Prędicatorum profeſſores ſub voluntaria paupertate, devotum, & ſedulum impendunt Domino famulatum &c. (5) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Baillivi (6), Prępoſiti, Majoris Argentarii (7), Rectoris, & incolarum Oppidi de

de Veliato, Sueſſanen. Diœceſis, petitio continebat, quod ipſi pro divini cultus, & dictę Religionis augmento cuperent, in dicto Oppido, quod in partibus illis notabile eſſe dignoſcitur, unam Domum cum Eccleſia, campanili humili, campana, cemeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis per Vicarium Generalem, & Fratres dicti Ordinis Congregationis Hollandię (8) ſecundum morem ejuſdem Ordinis prima vice inibi ponendorum, quorum unus dictę Domus Prior exiſtat, de bonis a Deo eis collatis, & per Chriſti fideles ad hoc elargiendis, conſtrui, & ędificari facere deſiderant, & proponunt, ſi ſuper hoc Priori, & Fratribus prędictis illam pro eorum perpetuis uſibus, & habitatione recipiendi per Sedem Apoſtolicam licentia concederetur: Quare pro parte Baillivi, Prępoſiti, Majoris Argentarii, Rectoris, & ceterorum incolarum prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis Domum hujuſmodi, ut pręmittitur, conſtrui faciendi, & eiſdem Fratribus, illam pro eorum uſu, & habitatione recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus incrementum, & animarum ſalutem intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum Baillivo, Prępoſito, Majori Argentario, Rectoribus, & incolis in prędicto oppido, & loco hujuſmodi, de bonis a Deo ſibi collatis, & per ipſos Chriſti fideles ad id elargiendis, dictam Domum cum Eccleſia, humili campanili, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione Fratrum prędictorum, quorum unus ipſius Domus Prior exiſtat, ut pręfertur, conſtrui, & ędificari faciendi, ac Vicario, & Fratribus pręfatis illam pro eorum uſu, & habitatione, recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam auctoritate noſtra concedatis; Jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, & ſine prejudicio cujuſcunque. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne prędicti, & aliorum Mendicantium Ordinum Fratres, in aliqua Civitate, caſtro, ſeu villa, aut loco quocunque Domos, ſeu loca ad inhabitandum, de novo recipere &c. ac illis quibus caveri dicitur expreſſe, quod nulla Domus concedatur, niſi a Priori Provinciali, & Definitoribus Provincialis Capituli Fratrum dicti Ordinis fuerit poſtulata, nec conceſſa ponatur, nec poſita transferatur, niſi ubi prędicti indicaverint expedire, & aliis dicti Ordinis juramento &c. quibuſcunque. Nos enim ſi licentiam hujuſmodi per vos, vigore pręſentium concedi contigerit, dictę Domui, ac Priori, & Fratribus, qui illam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, favoribus, & indultis ſpiritualibus, & temporalibus, Domibus dicti Ordinis, & illarum Prioribus, & Fratribus in genere conceſſis, & quibus Domus ipſę, & illarum Priores, & Fratres potiuntur, & gaudent &c. uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant Apoſtolica auctoritate, pręſentium tenore, concedimus. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Sexto, Septimo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Supplex petitio.

Facultas.

Nota.

1. *Velienſis.*) Juris eſt *Pariſienſis* Provinciæ.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLII fol.* 147.
3. *Sueſſanen.*) Seu *Sueſſionen.*, vulgo *Soiſſons*, in *Gallia*.
4. *Laudaven.*) *Laudunen.*, vulgo *Laon*, in *Gallia*.
5. *Famulatum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
6. *Baillivi.*) Magiſtratus ſcilicet, cui adminiſtrandæ juſtitiæ cura demandatur: Apud *Gallos* ſiquidem *Baillivi* ſubierunt vices *Comitum*, qui munus illud obibant, ſtante prima & ſecunda ſtirpe Regum *Galliarum*.
7. *Majoris Argentarii.*) Quæſturæ ſcilicet præfecti, qui nunc a Gallis *Threſorier*, alias *Argentier* vocabatur.
8. *Congregationis Hollandiæ.*) Hanc celebrem Congregationem Conventus in *Galliis* quamplures habuiſſe jam dictum fuit.

Prior Cœnobii FF. Prædicatorum conſtituat unum ex duodecim Rectoribus Mantuani Montis Pietatis (1).

Anno 1486 Die 29 Novembris.

Ex Waddingo Annal. Minorum Tomo VII pag. 198.

XXXIII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

AD ſacram Petri Sedem plenitudine poteſtatis divina diſpoſitione vocati, ad ea, ut decet, libenter intendimus, per quę pauperum, & miſerabilium perſonarum neceſſitatibus utiliter, & ſalubriter valeat provideri, & his quę propterea provide ordinata fore noſcuntur, ut eo firmius illibata perdurent, quo erunt majori robore ſolidata, noſtrę confirmationis robur adiicimus, & ut optatum ſortiantur effectum interponimus ſolicitudinis noſtrę partes. Sane pro parte dilectorum filiorum Communitatis Civium Mantuanorum Nobis exhibita, petitio continebat, quod olim nonnulli bonę mentis viri provide conſiderantes, quod in dicta Civitate, & locis Marchionatus Mantuani continue erant quamplurimi pauperes, quorum aliqui adeo pecuniis carere noſcebantur, ut in eorum opportunitatibus expediret eos ad Hebręos fęneratores, in Civitate prędicta degentes, perſępe habere recurſum, & ab eis, pignoribus traditis, ſub non levibus uſuris pecunias mutuo capere. Erant pręterea aliqui, qui quanquam pro eorum decenti ſuſtentatione facultates haberent, nihilominus vitam ducentes diſſolutam, ut eorum noxios appetitus implerent, ad eoſdem fęneratores ultro ſeſe offerentes recurrebant, & ſub hujuſmodi juris pecunias mutuo recipiebant ab eiſdem, quas poſtea in malos uſus convertebant, & ſtatuto termino illas non reſtituentes pignora perdebant, ſicque paulatim ipſi fęneratores tam tenues, quam alias facultates exhauriebant eorundem, per uſurariam pravitatem, eos ad extremam miſeriam deducentes in dies: & excogitantes, ac diſcutientes, quomodo fieri poſſet, quod honeſtis pauperum neceſſitatibus, adjuvante caritate fidelium, facultates ſuas ad id miſericorditer erogantium, omni uſura penitus ceſſante, ſuccurreretur, & Hebręi fęneratores prędicti non degerent ibidem, ſicque hujuſmodi incommodis, quę ex illorum fęnoris exercitio proveniebant, obviaretur, perſuaſione, & impulſu nonnullorum Ordinis Fratrum Minorum de

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Obſervantia nuncupatorum, & de illorum, ac diverſorum Juriſperitorum conſilio in prędicta Civitatē Mantuana, non paucam pecunię ſummam, quę Mons pietatis nuncuparetur, redigere curarunt, & quod, illius fide, & facultatibus idoneus, depoſitarius perſonis pauperibus, & egenis per officiales, deſuper pro tempore ordinandos, examinata cauſa neceſſitatis eorum, ac receptis pignoribus ab eiſdem opportune valeret proportionaliter ſubvenire, inter alia provide ordinarunt, quod dictarum pecuniarum depoſitarius, qui pro tempore foret, teneretur mutuare pauperibus, & egenis incolis Civitatis, & Marchionatus Mantuani ad eum pro tempore recurrentibus, & non ludi, aut negotiationis cauſa id petentibus, de pecuniis prędictis, primo anno poſt ordinationem illius uſque ad ſex libras monetę Mantuanę pro quolibet eorum, & illo decurſo tantum quantum facultates dicti Montis paterentur, receptis ab eis pignoribus valoris duplicis ſummę mutuatę quam intra annum reſtituere deberent eidem, alioquin anno decurſo pignora venderentur pręcedentibus ſubbaſtationibus plus offerenti, nec deberet Mons ipſe ab eis intra annum ſolventibus, aut de pretio pignorum, quę venderentur, aliquid pręter mutuatam quantitatem habere ullo modo: Quodque ad conſervationem, cuſtodiam, & gubernationem dictorum pignorum, & ad diſtribuendum mutua, pignora, venditiones, & pretia pignorum venditorum, eſſe deberent alii officiales, & miniſtri exercitiis opportunis dicti Montis vacantes, & numero ſufficienti, qui idoneam cautionem pręſtarent de pignorum cuſtodia, & curatione hujuſmodi, & de implendo omnia, ad quę tenerentur ratione officiorum ſuorum, & omnem eorum induſtriam adhibere circa pręmiſſa eorum officio incumbentia, tenerenturque de pignorum perditione, & deterioratione, quę eorum culpa eveniret, qui officiales, & miniſtri pro hujuſmodi laboribus, & periculis eis ordinanda convenientia ſalaria habere deberent, liceretque eis pro hujuſmodi ſalariorum ſolutione, ac etiam penſione domus ad pręmiſſa in loco commodo, & honeſto conducenda in civitate prędicta, libris, & ſubhaſtationibus, aliiſque expenſis neceſſariis pro executione eis commiſſorum officiorum hujuſmodi a perſonis mutuo recipientibus pecunias dicti Montis, illaſque reſtituentibus intra annum pręter ſummam mutuatam duos denarios pro qualibet libra mutuata ejus ſummę pro quolibet menſe petere, & recuperare, & a non reſtituentibus de pretio venditorum pro tempore pignorum retinere; & ſi dicti duo denarii pro libra ſic collecti in fine anni non aſcenderent ad ſummam opportunam pro ſalariis, & aliis expenſis prędictis, voluerunt id, quod deficeret ſuppleri de ſumma anni ſequentis, & ſi ſumma dictorum duorum denariorum pro libra ſic collecta in fine anni tranſcenderet ſummam opportunam pro ſalariis, & expenſis prędictis, voluerunt id quod ſuperabundaret eiſdem ſolventibus proportionabiliter, & pro rata, pro qua ſolviſſent, ultra reſtitui, ſi recuperare vellent, & ad hunc effectum publice ſępius proclamari per Civitatem prędictam, quod quicunque intenderent rehabere portiones eis contingentes de ſuperabundantia prędicta collecta per exactorem duorum denariorum pro libra, debeant proteſtari officialibus prędictis infra quindecim dies ad minus a die ſibi facti mutui recepiſſe mutuo animo rehabendi talem portionem eis contingentem, quantumcunque parvam; alioquin decurſis dictis quindecim diebus, proteſtatione prędicta non facta, intelligerentur poſt tot proclamationes repetitis vicibus factas, tales mutuo recipientes, & non proteſtantes velle, immo mandare, ac injungere dictis officialibus, quod diſpenſent pauperibus, vel convertant in alias pias cauſas illas parvas quantitates, & portiones, quę ipſos proteſtantes contingebant de dicta quantitate ſuperabundanti, amore Dei, & pro ſuę, ac ſuorum prędeceſſorum animarum ſalute, de conſilio duorum Religioſorum, vel aliorum Sacerdotum, aut aliorum bonę opinionis, & famę. Ordinaverunt pręterea, quod dicto Monti pręſiderent, & ſuperintenderent in concernentibus illum, quatuor Religioſi, & octo ſeculares, quorum ſecularium duo Milites, vel Nobiles, duo legum Doctores, vel in Medicina Magiſtri, duo Mercatores, & duo alii Cives Mantuani forent, & ex dictis quatuor Religioſis, quorum officium ad eorum vitam duraret, primus per dilectos filios Capitulum Eccleſię S. Petri Mantuani, ſecundus per Abbatem Monaſterii de Padoloren. (2) extra muros Mantuę Ordinis S. Benedicti, ſeu Confeſſorem Monialium Monaſterii S. Johannis de Carettis (3) Mantuani dicti Ordinis, Tertius per Priorem S. Dominici, & quartus per Guardianum S. Franciſci domorum Mantuan. Fratrum Prędicatorum, & Minorum Ordinum pro tempore exiſtentes deputarentur; ſeculares vero illi forent, quorum nomina duntaxat immitterentur, quos convenientibus in unum Marchione, & Epiſcopo Mantuano, ſi intereſſe vellent, & ipſo Epiſcopo abſente, vel infirmo, aut intereſſe recuſante illius in ſpiritualibus Vicario Generali, & pręfatis Abbate, Confeſſore, Priore, & Guardiano, necnon Rectore hoſpitalis pauperum Mantuan. Priore Collegii, & Conſulibus, ac Prępoſitis artis Canę (4) per majorem partem eorum ſic convenientium, miſſo partito (5), ad fabas albas, & nigras pro idoneis contingeret approbari, deberentque ipſi laici prima vice ſic extracti ſimul per annum integrum dicto Monti pręſidere, & anno finito, quatuor ex eis officium ipſum Pręſidentium continuare, & alii quatuor quorum nomina extrahi contingeret de buſſula (6) prędicta ſubrogari. Secundo vero anno decurſo, loco eorum, qui remanſiſſent, biennio officium continuaſſent, illis amotis alii quatuor eorum loco pari modo ſubrogari, ſicque continuo fieri, & cum quatuor, qui uno pręfuiſſent, alii quatuor de novo veniente, deputarentur, & ſuperintenderent circa ejuſdem Montis opportunitates, & commiſſa eis per ordinationes: & nonnulla alia Capitula, & ordinationes deſuper juxta materię hujuſmodi exigentiam Sanctorum PP. decretis minime contraria, ediderunt, & illa ſic edita, dilecto filio nobili Viro Franciſco (7) Marchioni Mantuano obtulerunt, & pro illorum confirmatione eidem cum inſtantia ſupplicarunt, ut illa pro dicti Operis executione, & incremento ipſius Marchionis auctoritate roborata validius firmarentur, & majora in dies, Domino inſpirante, incrementa ſuſciperent, qui ſubditorum ſuorum commodis, ut decebat, intentus, attendens propoſitionem prędictam laudabili deſiderio conceptam fore, capitula, & ordinationes hujuſmodi diſcuſſioni, & examini conſiliariorum ſuorum commiſit, ut illis bene, & mature digeſtis, eidem ſancto operi effectualiter intendi poſſet: cumque Conſiliarii prędicti dictis Capitulis, & Ordinationibus juxta mandatum ipſius Marchionis viſis, & diligenter examinatis, & ubi opus fuerat conſultiſſime reformatis, eorum tenorem Chriſtianę Religioni conſentaneum, & ipſi Marchioni honorificum, Civitati, & ſubditis ejus quibuſcunque utilem fideliter eidem Marchioni retuliſſent, ipſe Marchio ſupplicationibus prędictorum benigna mente annuens, omnia, & ſingula Capitula, &

Ordi-

Ordinationes, ac omnem illorum tenorem, prout, de verbo ad verbum in illis exprimebatur, auctoritate ſui Marchionatus per quaſdam ſuas literas approbavit, & confirmavit, mandans officialibus ſuis quibuſcunque pro tempore exiſtentibus, ut illa tam in judicio, quam extra facerent pleniſſime, omni cavillatione remota, perpetuis tunc futuris temporibus, ubi opus foret, obſervari. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Communitas pręfata cupiat pręmiſſa pro eorum ſubſiſtentia firmiori Apoſtolicę auctoritatis munimine comprobari, pro parte Communitatis prędictę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut erectioni Montis Mantuani, capitulis, & ordinationibus prędictis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur noſtrę Confirmationis adiicere, aliaſque ſuper contentorum in eis obſervatione opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui pręfatum Marchionem ejus exigentibus ſincerę devotionis affectu, & integra fide ad Nos, & Romanam Eccleſiam, & ejus conſideratione, illius ſubditos pręfatos ſpeciali dilectione proſequimur, & gerimus in viſceribus caritatis, ordinationem dicti Montis pietatis, quę eiſdem Incolis Civitatis, & Marchionatus Mantuan. non parum proficua eſſe dignoſcitur, plurimum in Domino commendantes, ac cupientes, ut illa noſtrę approbationis munimine circumfulta firmius obſervetur, & Mons ipſe ad eorundem pauperum ſubventionem in dies ſuſcipiat incrementum, felicis recordationis Pauli Papę ſecundi, qui Peruſinę, & Sixti IV, Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum, qui Saonen. Civitatum Montis Pietatis ordinationes, & ſtatuta per eorum literas approbarunt (8), veſtigiis inhęrendo, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Montis Pietatis Mantuan. creationem, plantationem, erectionem, inſtitutionem, & illa, in quibus inter alia continetur, quod Pręſidentes dicti Montis debeant eſſe duodecim, quatuor videlicet Religioſi, quorum primus per dilectos filios Capitulum Eccleſię S. Petri Mantuanę, ſecundus per Abbatem Monaſterii S. Benedicti de Padoloren. extra muros Mantuan., ſeu Confeſſorem Monialium Monaſterii S. Johannis de Canetis, Ordinis S. Benedicti, etiam Mantuan., tertius per Priorem S. Dominici, & quartus per Guardianum S. Franciſci Domorum Mantuan., Prędicatorum, & Minorum, Ordinum, pro tempore exiſtentes deputarentur, & octo ſeculares, videlicet duo Milites, ſeu Nobiles, duo Legum Doctores, vel in Medicina Magiſtri, duo Mercatores, & duo alii Cives Mantuan., & eorundem pręſidentium Religioſorum perpetuo, laicorum vero officium biennio duntaxat duret, & quolibet anno quatuor ex eis amotis eorum loco alii quatuor, quorum nomina de buſſula, in qua buſſulata forent, extrahi contigerit ſubrogentur, ſicque perpetuis futuris temporibus obſervetur, quę pro illius directione, manutentione, & confirmatione, ac pecuniarum ejus diſtributione, & recuperatione, pauperum quoque ſubventione laudabili, ac aliis Montem ipſum Mantuan., & illius conſervationem, & incrementum concernentibus emanaverunt, ordinationes, & capitula prędicta quęcunque auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia approbamus, & confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et ut ejuſdem Montis Pietatis Mantuani proventus in eas, pro quibus deputati ſunt, cauſas, provide diſpenſentur, pręſidentibus, & aliis tam dicti Montis, quam Civitatis Mantuanę officialibus quocunque nomine nuncupatis, & quibuſcunque aliis cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, Ordinis, vel conditionis exiſtant, & quacunque nobilitate, dignitate, & facultate Eccleſiaſtica, vel mundana pręfulgeant, ſcientia, & auctoritate ſimilibus diſtrictius prçcipiendo inhibemus, ne dicti Montis Mantuani proventus in totum, vel pro aliqua parte in alias cauſas, quam illas, ad quas ordinantur, & deputantur, quovis modo convertere, aut de illis quidquam exponere, ſeu circa illos fraudem, vel dolum committere, & illos, qui proventus ipſos augere intenderent, quo minus id faciant, impedire, aut ab eorum pia intentione hujuſmodi retrahere, directe, vel indirecte quovis quęſito colore pręſumant, ſub excommunicationis latę ſententię pęna, a qua ab alio quam Romano Pontifice, pręterquam in mortis articulo conſtituti, nequeant abſolutionis beneficium obtinere: & nihilominus duplum ejus quod expoſitum fuerit, aut fraudatum, ſeu ne illi erogaretur ſuaſum, eidem Monti Mantuan. reſtituere teneantur. Et quia ſecundum varietates temporum nonnunquam expedit ſtatuta immutare, Pręſidentibus dicto Monti Pietatis, ac quibuſcunque aliis, ad quos ex forma ordinationum illius, ſtatuta ipſius Montis Pietatis immutare poſſe conceſſum eſt, ſtatuendi ſuper dictorum proventuum, acquiſitione, uſu, & diſtributione, ac conſervatione, ac ſtatuta pro tempore immutandi, & ex toto abrogandi, ac alia faciendi, per quę tamen nullum votivę diſtributioni eorundem proventuum in pios uſus, ad quos deputantur, pręjudicium generetur, ſcientia, & auctoritate prędictis facultatem concedimus, ac mandamus, quod ea quę ſtatuta, & ordinata ſunt, & pro tempore in poſterum provide ordinari, & reformari contigerit, debeant ab omnibus inviolabiliter obſervari: Prędicatoribus verbi Dei, qui in prędicta Mantuana Civitate pro tempore erunt, in remiſſionem peccatorum eorundem injungentes, ut in eorum prędicationibus Chriſti fideles ad impendendum pia ſuffragia prędicto Monti Mantuano inducere, dum, & quoties expedire putaverint, non omittant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę approbationis, confirmationis, communitionis, ſuppletionis, inhibitionis, conceſſionis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Sexto, Tertio Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Hje. Balbanus.

1. *Montis Pietatis.*) Quid ſit, ex ipſo Diplomate liquet. Unde vero ſic nuncupetur, res ipſa loquitur. De Monte Pietatis conſulendi Theologi, qui de moribus inſtituendis tractant.

2. *Padoloren.*) Vulgo *Padoliron*. De hoc celeberrimo Monaſterio alias dictum fuit.

3. *De Carettis.*) *De Canettis* poſtea dicitur hoc in Diplomate.

4. *Cana.*) Hic, ut verum fatear, hæreo. Quantum autem conjectura conſequi licet, de Præpoſitis cuilibet arti loquitur Diploma. Sciendum ſiquidem, quod hæc vox *Can*, qua nunc *Tartari* Principes ſuos vocant, ipſis *Italis* olim fami-

miliaris fuit. Sic *Veronenſes* Principes appellatos, docet *Joſephus Juſtus Scaliger* in *Epiſtola de vetuſtate, & ſplendore gentis Scaligeræ, & Julii Cæſaris Scaligeri Vita*, Idem de Venetis habet *Sanſovinus in Venet. Lib. XIII ad an. MCCCXXVIII*, *Rogerius* vero *de deſtructione Hungariæ* cenſet, quod vox *Caneſius* ſignificat *majorem*, eum ſcilicet qui *juſtitiam facit*: ſic enim loquitur Cap. XXXIII: *Alteri vero ipſorum Caneſio, id eſt, majori*: & Cap. XXXV: *Conſtituerunt*, inquit, *Caneſios, id eſt Ballivos, qui juſtitiam facerent*. Hinc *Artis Canæ* (legerem *Canes*, vel *Can*) ipſi videntur, qui ceteris ejuſdem artis præficiuntur.

5. *M ſſo Partito*.) Latis nempe ſuffragiis.

6. *Buſſula*,) Urna ſcilicet, Italis *Buſſolo da cavar a ſorte*,

7. *Franciſco*.) E nobiliſſima gente *Gonzaga*.

8. *Approbarunt*,) Hinc emendandi Scriptores docentes, *Patavinum* Montem Pietatis anno *MCCCCXCI* fundatum, omnium primum fuiſſe.

Anno 1486 Die 19 Decembris.

Donationem Fratribus Raguſinis factam confirmat.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XXXIV.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecti filii (2), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. Dudum, ſicut accepimus, dilecti filii canonici, & Capitulum Eccleſię Raguſin. capitulariter congregati vobis tres ſolidos terrę, in Inſula, quę Media dicitur, ſitę, annui fructus duorum ducatorum, ad ędificandum in ea Eccleſiam, Domum, dormitorium, refectorium, clauſtrum, hortalitia, aliaſque neceſſarias officinas, ut haberetis tempore peſtis, quo confugere poſſetis, liberaliter donaverunt, prout in publico Inſtrumento deſuper confecto, & in actibus Cancellarię Raguſin. deſcripto, cujus tenorem hic haberi volumus pro expreſſo, plenius dicitur contineri. Cum autem vos deſideratis donationem prędictam pro illius ſubſiſtentia firmiori Apoſtolica auctoritate confirmari, & Nobis tam vos quam Canonici, & capitulum pręfati deſuper humiliter ſupplicaveritis, Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationem candem vobis, ut pręfertur, factam, Apoſtolica auctoritate, pręſentium tenore, approbamus, & confirmamus, & quatenus opus ſit de novo etiam concedimus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan in ea intervenerint. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſię Raguſin., & Ordinis veſtri, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, & confirmatione Apoſtolica, vel alias quomodolibet roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XIX Decembris MCCCCLXXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio,

Confirmatio.

Hier. Balbanus.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Raguſin*.

2. *Dilecti filii*,) Diplomatis inſcriptio deeſt, ſic autem reſtituenda videtur: *Dilectis filiis Priori, & Fratribus Conventus Raguſin. Ordinis Fratrum Prædicatorum*.

Anno 1486 Die 20 Decembris,

Vicarium Generalem facultate (1) Magiſtro Generali conceſſa donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Joachino Turriano (3) Ordinis Prędicatorum Vicario Generali.

XXXV.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. Intelleximus, quod vacante (4) nunc veſtri Ordinis Generalatu multa in dies occurrunt in Ordine ipſo providenda, quibus ſi Generalis Magiſter jam electus eſſet, pro conſervatione ipſius, mature provideret, ob ſcandala, quę inde veriſimiliter exoriri, niſi provideatur, poſſent. Et quod tu illa impręſentiarum diſponere non ceſſares, ſi eadem, quam Magiſter Generalis pro tempore exiſtens habere conſuevit, uſque ad proxime futuram ipſius electionem, facultas tibi concederetur. Nos itaque ejuſdem, Ordinis neceſſitatibus pro noſtro paſtorali Officio opportune providere volentes, & de tua pariter probitate, induſtriaque, ac zelo Religionis tuę plurimum in Domino confidentes, omnes, & ſingulas facultates, & poteſtates, quas dicti Ordinis Generalis Magiſter pro tempore exiſtens ſuper univerſo Ordine Prędicatorum, habere dignoſcitur tibi Apoſtolica auctoritate pręſentium tenore concedimus, uſque ad futuri Generalis Magiſtri proximam electionem pariter, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis veſtri decretis, quibus hac vice expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX Decembris MCCCCLXXXVI Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Facultas.

Hie. Balbanus.

1. *Facultate*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV*.

2. *Archivo*.) In quo Autographum,

3. *Turriano*.) Generalis renunciatus eſt anno *MCCCCLXXXVII*.

4. *Vacante*.) Mortuo ſcilicet *Barnaba Sanſono*, aliis *Saxono*.

Vil.

Villadenſis (1) Cœnobii fundandi facultas;

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Anno 1487 Die 28 Januarii.

XXXVI.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nobili viro Henrico Henriquez (3), Domino Loci de Villada, Legionen. Dęceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

DUm ad fructus uberes, quos facer Ordo Fratrum Prędicatorum in agro militantis Eccleſię continue producere non deſinit, diligenti conſideratione attendimus, dignum reputamus, ut pia vota fidelium, ad Ordinis ipſius dilatationem ferventer intendentium, opportunis favoribus proſequamur, & loca Ordinis ejuſdem devote viſitantes ſpiritualibus muneribus, Indulgentiis, videlicet, & remiſſionibus, confoveamus, ut exinde reddantur divinę gratię aptiores. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, quod tu ex magno devotionis fervore, quem ad Ordinem Prędicatorum geris, & in recompenſam nonnullorum onerum, ad quę obligatus exiſtis, ac pro exoneratione conſcientię tuę deſideras in oppido de Villada, Legionenſis Dięceſis, tuo temporali Dominio ſubjecto, unam domum, cum Eccleſia, humili campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum dicti Ordinis, de Obſervantia Reformatorum nuncupatorum, ſecundum morem dicti Ordinis, qui Vicario Generali dicti Ordinis de obſervantia Provincię Caſtellę ſubſint, quorum doctrina, exemplo, & prędicatione habitatores dicti Oppidi poſſent divinis beneplacitis ſe facilius coaptare, tuis propriis ſumptibus, & expenſis de novo conſtrui, & ędificari facere. Quare pro parte tua, qui, ut aſſeritur, Pręceptor Militię S. Jacobi de Spata (4), & cariſſimi in Chriſto filii noſtri Fernandi (5) Caſtellę, & Legionis Regis Illuſtris Avunculus exiſtis, & dilecti filii nobilis viri Emanuelis (6) Lopez de Mendoza Comitis de Tendilla, pro parte dicti Regis, & cariſſimę in Chriſto filię Eliſabet Reginę dictorum Regnorum Illuſtrium Oratoris ad Nos deſtinati, Nobis fuit ſupplicatum, ut in premiſſis juxta deſideria tua providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui locorum Religioſorum propagationem ſinceris deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati tibi domum prędictam cum Eccleſia, humili campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis prędictis ſine alicujus prejudicio conſtruendi, & ędificandi, perficiendique, quę quidem conſtructio, & ędificatio in recompenſam onerum prędictorum, ad quę, ut pręfertur, obligaris, cedant, ac Fratribus prędicti Ordinis de obſervantia Reformatorum nuncupatorum, ſecundum morem dicti Ordinis, qui eiſdem Vicario perpetuo ſubſint, domum ipſam recipiendi, & perpetuo inhabitandi, plenam, & liberam facultatem Apoſtolica auctoritate tenore prędentium elargimur: Et nihilominus Priori, & Fratribus in eadem domo pro tempore commorantibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, prerogativis, & indultis quibus Priores, & Fratres aliarum domorum dicti Ordinis de obſervantia eis per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet in genere conceſſis gaudent, potiuntur, & utuntur, ſeu uti, potiri, & gaudere poterint quomodolibet in futurum, gaudeant, potiantur, & utantur, eadem auctoritate concedimus per prędentes. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri, qua prohibetur ne quivis Ordinum Mendicantium Fratres loca ad habitandum de novo recipere prędumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & quibuslibet aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & Conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Et nihilominus cupientes, ut Eccleſia prędicta, cum conſtructa fuerit, a Chriſti fidelibus frequentetur, & debita veneratione habeatur, fideleſque ipſi eo libentius devotionis cauſa ad eandem Eccleſiam confluant, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus utriuſque ſexus vere penitentibus, & Confeſſis qui Eccleſiam prędictam in Annunciationis Virginis Marię, & S. Dominici Confeſſoris dicti Ordinis Inſtitutoris, feſtivitatibus, a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis ſingularum feſtivitatum earundem devote viſitaverint, annuatim viginti annos, & totidem quadragenas de injunctis eis penitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, prędentibus, perpetuis, futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod ſi dictam Eccleſiam viſitantibus, aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per Nos conceſſa fuerit, prędentes literę nullius ſint roboris, vel momenti. Nulli ergo omnino &c. noſtrę conceſſionis, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Sexto (7) Quinto Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Supplex petitio.

Indulgentia.

Hier. Balbanus.

Gratis de Mandato SS. D. N. Papę.

1. *Villadenſis*.) Juris eſt Provincialis *Hiſpaniæ*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Villadenſi*.
3. *Henriquez*.) Cognatione Regem attingebat, ut ex ipſo Diplomate, & ex *Nota V* videre eſt.
4. *De Spata*.) De hoc Ordine Militari alibi dictum fuit.
5. *Fernandi*.) *Ferdinandi*, hujus nominis *V*, cognomento *Catholici*. Natus erat Patre *Joanne*, Rege Aragonum, matre vero *Johanna Henriquez*. Hinc *Henricus Henriquez* ipſius Avunculus erat.
6. *Emanuelis*.) Sic Amanuenſis: legendum *Eneci*, vulgo *Inigo*, ut in *Conſtitutione XXVII data* XXII Auguſti *MCCCCLXXXVI*: vel dicendum, quod binomius fuit.
7. *Octuageſimo Sexto*.) Stylo Bullarum, eræ communis *MCCCCLXXXVII*.

Re-

Digitized by Google

Anno 1487 Die 2 Martii.

Regin. (1) Monaſterii S. Raphaelis, Ordinis S. Benedicti, Moniales committit curæ Fratrum Prædicatorum.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXXVII.

Dilectis filiis Priori, & Fratribus S. Dominici Ordinis Prędicatorum Congregationis Lombardię de obſervantia, Civitatis Regii.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PIo zelo dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Monialium Monaſterii S. Raphaelis Regin., Ordinis S. Benedicti, moti, & ſupplicationibus illarum nomine circa hoc Nobis porrectis inclinati, devotioni veſtrę, & cuilibet veſtrum in virtute Sanctę obedientię, tenore pręſentium, expreſſe, auctoritate Apoſtolica, pręcipimus, & mandamus, ut regimen, & curam Monaſterii, & Monialium prędictarum ſuſcipiatis, illiſque Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtretis, & alia faciatis, quę ad ſalutem animarum, & directionem Monialium earundem ad verum dei famulatum juxta ſalubria Ordinis earundem inſtituta, & regulas, pertinere judicaveritis, in quo apud Deum meritum, & a Nobis, & hac Sancta Sede commendationem reportabitis. Pro conſervatione autem regularis vitę in dicto Monaſterio tenendę ſtatuimus, & declaramus quod moderna Abbatiſſa decedente, electio de alia facienda non valeat, neque teneat, niſi fiat de aliqua, quę ſit ſufficienter inſtructa de bis, quę ad regularem vitam, & obſervantiam, ſeu reformationem dictarum Monialium ſpectant, jure tamen Ordinarii ſalvo, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis ac dicti Monaſterii ſtatutis, & privilegiis, etiamſi talia forent de quibus ſpecialiter eſſet habenda mentio, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę ſub Annulo Piſcatoris die II Martii MCCCCLXXXVII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Hier. Balbanns.

1. *Regin.*) In ejuſdem nominis ditione *Lombardiæ*.   2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Regin.*

Anno 1487 Die 10 Martii.

Ne Fratres Prædicatores Inquiſitores quæſtionem inſtituant in Fratres Minores, & viciſſim.

Ex Roderico (1) *in Nova Collectione Privilegiorum Apoſtolicor. in Innocentio VIII Conſtit. I pag.* 208.

XXXVIII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

EX debito ſolicitudinis paſtoralis officii, cui, meritis licet inſufficientibus, pręſidemus, ea quę pacem, & concordiam nutriunt, pura, ut debemus, intentione perquirimus, & quę ſeditiones excitant, & ſcandalum introducunt, ab Eccleſiaſticis, regulari obſervantię pręſertim deditis, perſonis, ſtudioſius extirpare curamus, & his, quę propterea provide emanaſſe dicuntur, ut omni tempore, firma, & illibata perſiſtant, libenter, cum petitur, noſtri adiicimus roboris firmitatem, ac alias deſuper providemus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem felicis recordationis Clemens PP. IV Prędeceſſor noſter, ex certis rationabilibus cauſis prohibuit omnino, ne Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, contra Ordinis Fratrum Minorum profeſſores, vel contra Ordinis Fratrum Minorum profeſſor contra Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſores, ex commiſſo, vel committendo ſibi in poſterum Inquiſitionis hęreticę pravitatis officio, quantumcunque ſtaret, aut exiſtimaret eum reum, aliqua ratione procederet, ſeu vel ejuſdem ſuperiori denunciaret, quod crederet corrigendum, vel ad Sedem Apoſtolicam referret, ſi mallet, & videret expedire, & ſi ſecus attentaretur, decrevit proceſſum non teneri. Et deinde recolendę mem. Sixtus Papa IV etiam Prędeceſſor noſter ſtatuit, & ordinavit, quod Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, dictę pravitatis Inquiſitor in Ordinis Fratrum Minorum profeſſores, & e contra Ordinis Fratrum Minorum profeſſor ejuſdem pravitatis Inquiſitor, in Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſores quos contingeret officio Inquiſitionis hujuſmodi fungi, illud exercere nullatenus poſſent abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, de ipſius Sixti Prędeceſſoris ſtatuto, & ordinatione, ſpecialem, & expreſſam faciente mentionem, prout in eorundem Prędeceſſorum literis deſuper confectis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper, pro parte dilectorum filiorum Generalis Miniſtri, & Vicariorum, tam citra, quam ultra montes dicti Ordinis Fratrum Minorum de obſervantia nuncupatorum, petitio continebat, nonnulli dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſores, in Hiſpaniarum Regnis, & aliis dominiis cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi, regnorum eorundem Regis, Inquiſitores hęreticę pravitatis, per Sedem Apoſtolicam, ſeu alias deputati, contra nonnullos Ordinis prędicti Fratrum Minorum profeſſores, etiam de obſervantia nuncupatorum, officium hujuſmodi exercere, inhibitioni prędictę contraveniendo, quanquam id eis nominatim conceſſum non exiſtat, tentaſſe dicantur; pro parte Generalis Miniſtri, & Vicariorum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi prohibitioni, ſtatuto, & ordinationi Prędeceſſorum prędictorum, pro eorum ſubſiſtentia fir-

Idem a Clemente IV, & a Sixto IV ſancitum.

Digitized by Google

firmiori, robur noſtrę approbationis adiicere, & ſuper eorum obſervatione pro quiete perſonarum dictorum Ordinum alias opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui profeſſorum prędictorum Ordinum, quietem, & proſperitatem, votivos ſucceſſus habere, paternis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus iuclinati, Clementis prohibitionem, & Sixti Prędeceſſorum prędictorum ſtatutum, & ordinationem hujuſmodi, & prout illa concernunt omnia, & ſingula in dictis literis contenta auctoritate Apoſtolica, pręſentium tenore, approbamus, & robur perpetuę firmitatis obtinere, & obſervari debere decernimus, proque potiori cautela ea, quę per eoſdem Prędeceſſores, ſicut pręfertur, provide prohibita, ſtatuta, & ordinata fuerunt, de novo eadem auctoritate, ſtatuimus, & ordinamus. Ac univerſis, & ſingulis Inquiſitoribus hęreticę pravitatis prędictis Prędicatorum, & aliorum quorumcunque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium profeſſoribus, & dictis ſecularibus, tam juxta privilegia ipſorum Ordinum in illorum capitulis, vel per illorum Pręlatos, quam per Sedem Apoſtolicam, ſeu ejus Legatos, vel alios deputatos hactenus, & quos in poſterum quandocunque perpetuis futuris temporibus deputari continget in Regnis, & Dominiis prędictis, ac alibi per univerſum Orbem, ne prętextu cujuſcunque poteſtatis, & facultatis eis attributę, ſeu attribuendę, ſuper Inquiſitione hujuſmodi quantumcunque ampliſſimę contra quempiam dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem procedere, & inquirere, aut officium ſuum exercere, quoquo modo pręſumant, pręfata auctoritate prohibemus. Et ut ſi quem ex ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum profeſſoribus, capere, ſeu carceribus mancipare, forſan hucuſque pręſumpſerunt, vel in futurum pręſumerent, Fratres ipſos, ſic captos, infra triduum, poſtquam de pręſentibus notitiam qualitercunque habuerint, aut requiſiti fuerint, ad ipſorum ſic captorum, & detentorum Fratrum Superiores, per omnia illęſos, & ſine mora, per eos, juxta juris formam, & regularia Inſtituta, debitis pęnis puniendos remittant. Et quibuſcunque communitatibus, univerſitatibus, Collegiis, Capitulis, Conventibus, & perſonis Eccleſiaſticis, tam religioſis, quam ſecularibus cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtant, & quacunque Eccleſiaſtica Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, Primatiali, vel mundana, etiam Comitiali, Ducali, Marchionali, vel alia qualibet dignitate, & auctoritate pręfulgeant, ne, ut contra dictos Ordinis Fratrum Minorum profeſſores contra Prędeceſſorum prędictorum, & noſtrarum literarum hujuſmodi tenorem, procedant, inſiſtant, aut ad id auxilium, conſilium, vel favorem pręſtent, neve illorum, ex eis, qui contra earundem literarum tenorem, detenti nunc, & pro tempore forent, relaxationem, & remiſſionem hujuſmodi impedire, aut malitioſe differri, ſeu retardari procurare, & ne fiant perſuadere, per ſe, vel alios, directe, vel indirecte attentent, pręlibata auctoritate mandamus. Et illos ex eis, qui Prędeceſſorum prędictorum, ac noſtris, prohibitioni, ſtatuto, & ordinationi contravenerint, excommunicationis ſententiam, & privationis officii Inquiſitionis, & aliorum officiorum, & beneficiorum, quę obtinent, ſeu poſſident, & pro tempore obtinebunt, & poſſidebunt, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, irremiſſibiliter, eadem auctoritate incurrere volumus. Et nihilominus locorum ordinariis, & perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, ac Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, & eorundem ordinariorum Vicariis, in ſpiritualibus Generalibus, & officialibus ubilibet conſtitutis, qui deſuper pro parte alicujus profeſſoris dicti Ordinis Fratrum Minorum pro tempore fuerint requiſiti, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel plures, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, pręmiſſa, ubi, quando, & quoties expedire cognoverint, ſolemniter publicari procurent, & eiſdem requirentibus, in pręmiſſis, efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, non permittant Inquiſitores pręfatos prętextu cujuſcunque poteſtatis, & facultatis eis attributę, ſeu attribuendę, ſuper Inquiſitionis hujuſmodi quantumcunque ampliſſime, contra quempiam dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, procedere, & inquirere, aut Inquiſitionis hujuſmodi officium, alias quomodolibet exercere. Et ſi quis ex eiſdem Fratribus Minoribus aliquem capere, ſeu carceribus mancipare forſan hucuſque pręſumpſerit, Fratres ipſos ſic captos ad prędictorum Fratrum Minorum ſuperiores per omnia illęſos, ſine mora remitti faciat puniendos. Et illos, quos eis hujuſmodi excommunicationis, & privationis pęnas, non parendo Prędeceſſorum, & noſtris prohibitionibus, ſtatuto, & Ordluationibus prędictis, incurrlſſe conſtiterit, eos excommunicatos, & privatos publice nuncient, faciantque ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius evitari. Ac legitime ſuper his habendis, ſervatis proceſſibus, cenſuras hujuſmodi iteratis vicibus aggravare, & loca quęcunque ad quę cenſuris hujuſmodi ligatos declinare contigerit, Eccleſiaſtico interdicto ſubjacere procurent; contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam, quacunque appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII, etiam prędeceſſoris, quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, & diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis, ultra unam dietam a fine ſuę diœceſis, ad judicium evocetur: ſeu ne judices a Sede Apoſtolica deputati extra civitatem, & diœceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere pręſumant. Et de duabus dietis in Concilio Generali, ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, ſeu ſi Inquiſitoribus prędictis, vel quibusvis aliis, & eorum Ordinibus a Sede prędicta indultum exiſtat, quod ipſi, & eorundem Ordinum perſonę ſuſpendi, & excommunicari, aut eorum loca interdici non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, decernentes pręſentibus literis, nunquam intelligi derogatum per quaſcunque clauſulas, etiam derogatoriarum derogatorias, fortiores, ac efficaciores, niſi dum, & quoties, earum vero expreſſo tenore de verbo ad verbum, non autem per clauſulas hujuſmodi expreſſionem importantes, contingeret derogari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę Ordinationis, Inhibitionis, & Conſtitutionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Sexto (2), Sexto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Mandatum.

1. *Roderico.*) Legitur etiam apud *Waddingum Annal. Minorum Tomo VII pag.* 208.

2. *Octuageſimo Sexto.*) Stylo Bullarum; ęra communis *MCCCCLXXXVII.*

Caſ-

Digitized by Google

Caſtriveterani (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1487 Die 20 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Archidiacono Eccleſię Nazarien. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXXIX.

Diplomatis cauſa.

INjunctum Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officium, Nos continue ſolicitare non deſinit &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Nini (4) Baronis, & Domini Caſtri Verinani (5), Nazarien. (6) Dięceſis, ac Univerſitatis Hominum dicti Caſtri, petitio continebat, quod ipſi alias zelo devotionis accenſi, & pie conſiderantes, quod ex prędicationibus, & aliis virtuoſis operibus, ac exemplari vita Fratrum Ordinis Prędicatorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſi apud dictum locum, aliquam Domum, baberent, incolę, & babitatores dicti loci, melius inſtruerentur, & divinus cultus cum populi devotione eorundem augeretur, ſaluſque animarum exinde proveniret, quoddam Oratorium, ſive Capellam ſub Invocatione B. Marię de Jeſu extra muros dicti Caſtri ſitam, & deſolatam, quę nunquam proprium Rectorem babuit, cum certo territorio prope illam ad ipſos Ninum Baronem, & Univerſitatem legitime pertinente, nonnullis Fratribus Ordinis, & Obſervantię prędictorum de conſenſu loci Ordinarii ac dilectorum filiorum Confratrum Confraternitatis S. Johannis dicti Caſtri, ſua in hoc intereſſe aſſerentium, ad conſtructionem, & ędificationem unius Domus pro uſu, & babitatione perpetuis, nonnullorum Fratrum Ordinis, & Obſervantię eorundem conceſſerunt, & donarunt. Quare pro parte Nini Baronis, ac Univerſitatis, & Fratrum prędictorum, Nobis fuit bumiliter ſupplicatum, ut eiſdem Fratribus Capellam, & territorium hujuſmodi recipiendi, ac inibi unam domum pro uſu, & habitatione perpetuis dictorum Fratrum, cum humili campanili, & campana, necnon clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruendi, & ędificandi, ipſamque Domum perpetuo retinendi, & inhabitandi, licentiam concedere, & alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religioſorum locorum propagationem, & divini cultus augmentum, ac animarum ſalutem ſinceris deſideramus affectibus, de pręmiſſis, certam notitiam non habentes, ipſoſque Ninum Baronem, ac ſingulos ex Univerſitate, & Fratribus prędictis a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Fratribus prędictis Capellam, & territorium hujuſmodi recipiendi, & inibi unam Domum pro uſu, & habitatione perpetuis aliquorum Fratrum Ordinis, & Obſervantię prędictorum cum humili campanili, campana in dicta Capella, necnon clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, abſque alicujus prejudicio conſtruendi, & ędificandi, ipſamque Domum perpetuo retinendi, & inhabitandi licentiam auctoritate noſtra concedas. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri probibente, ne quivis Ordinum Mendicantium Fratres loca ad inhabitandum, de novo recipepere pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali &c. ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo, Duodecimo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Facultas.

1. *Caſtriveterani*.) Vulgo *Caſtel Vecchio*, vel *Caſtel Vetrano*, in *Sicilia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XLIII fol.* 172.
3. *Nazarien.*) *Mazarien.*, in *Sicilia*.
4. *Nini*.) Seu *Antonini*, ut vocatur a *Pledio de Progenie S. Dominici in Italia Cap. XIX pag.* 71.
5. *Caſtri Verinani*.) Sic amanuenſis; legendum; *Caſtri Vetrani*, rectius *Veterani*, ut in *Nota I*.
6. *Nazarien.*) *Mazarien.*

Villæmencienſis (1) Cœnobii fundationem confirmat, & Fratribus animarum curam committit.

Anno 1487 Die 26 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XL.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Ven. Fratri Epiſcopo Corduben., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

SEdis Apoſtolicę copioſa clementia, recurrentibus ad eam poſt exceſſum cum humilitate perſonis, libenter ſe propitiam exhibet, & benignam, ad ea quoque favorabiliter intendit, per quę religioſa loca ad Divini Nominis laudem, & animarum ſalutem valeat ubilibet propagare. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Didaci Fernandez de Corduba (3) Comitis de Cabra, ac Prioris, & Fratrum Domus B. Marię de Conſolatione loci de Doña Mencia Ordinis Fratrum Prędicatorum, Corduben. Dięceſis, petitio continebat, quod olim poſtquam quondam Didacus Ferdinandi de Corduba Mareſcallus (4) Regni Caſtellę, ejuſdem Comitis progenitor, ut obviaret pluribus damnis, quę Saraceni Granatę Incolis villę de Vaena, ſuo temporali Dominio ſubjectę dictę Dięceſis, quę eiſdem Saracenis propinqua eſt, tunc inferebant (5) prope dictam villam in ejus territorio dictum locum de Doña Mencia cum quodam Fortalitio pro illius ab eorundem Saracenorum defenſione ſuis ſumptibus, & expenſis, de novo ędificaverat, & in eo aliquos habitatores collocaverat, quibus terras, & poſſeſſiones ad colendum conſignaverat, & in eodem loco quandam Eccleſiam ſub invocatione B. Marię de Conſolatione bujuſmodi, in qua habitatores dicti loci Miſſas, & alia divina Officia audirent, conſtrui, & erigi fecerat, pro parte ipſius Didaci fundatoris, felicis recordationis Martino PP. V Prędeceſſori noſ-

noſtro, expoſito, quod pręfatus locus, per tria milliaria a dicta villa diſtabat, & habitatores dicti
loci pro Miſſis, & aliis divinis Officiis audiendis, & Sacramentis Eccleſiaſticis ibidem recipiendis, ad Ec-
cleſiam dictę villę propter metum Saracenorum commode accedere non poterant, atque Rectores, & Be-
neficiati Eccleſiarum dictę villę in Eccleſia prędicta dicti Oppidi unum Presbyterum, qui continue ibi-
dem exiſteret, & Miſſas celebraret, & Eccleſiaſtica Sacramenta habitatoribus miniſtraret, deputare recu-
ſabant, idem Martinus Prędeceſſor per ſuas literas certo Judici dedit in mandatis, ut ſi vocatis quorum
intererat, ita eſſe reperiret, dictam Eccleſiam B. Marię in Parochialem Eccleſiam erigeret, & decimas,
primitias, atque fructus, redditus, & proventus dicti loci, eidem Eccleſię applicaret, atque juspatro-
natus, & pręſentandi perſonam idoneam in Rectorem dictę Eccleſię ordinario loci prima vice, & dum
pro tempore vacaret, eidem Didaco Mareſcallo, ejuſque hęredibus, & ſucceſſoribus reſignaret. Et, ſi-
cut eadem petitio ſubjungebat, licet idem Judex, ad executionem dictarum literarum procedens, dictam
Eccleſiam, in Parochialem erexit, tamen aliquis in eadem Eccleſia per pręſatum Didacum Mareſcallum
minime pręſentatus, neque ordinaria auctoritate inſtitutus fuit, ſed idem Didacus Mareſcallus, ob devotio-
nem, quam ad Fratres dicti Ordinis, eoſdem qui ibidem Miſſas, & alia divina Officia, celebrabant, & Ec-
cleſiaſtica Sacramenta eiſdem habitatoribus miniſtrabant ibidem, adduxit, qui per plures annos inibi ſte-
terunt, & idem Didacus Mareſcallus, decimas, atque fructus, redditus, & proventus dictę Eccleſię
percipiens, eiſdem Fratribus neceſſaria pro eorum ſuſtentatione miniſtravit, & deinde quidam Magiſter
Generalis dicti Ordinis, ad partes illas ſe conferens, & habens ad hoc, ut dicebat, ſpecialem a Sede Apoſ-
tolica facultatem, dictam Eccleſiam in Domum Fratrum dicti Ordinis cum campanili, campana, hortis,
hortalitiis, & aliis neceſſariis erexit, & in ea Priorem, & Fratres ejuſdem Ordinis collocavit, qui ex
tunc Miſſas, & alia divina Officia in dicta Eccleſia celebrarent, & Eccleſiaſtica Sacramenta habitatori-
bus prędictis miniſtrarent, & dictus Didacus Mareſcallus, dum vixit, & poſtmodum ejus hęredes, &
ſucceſſores, de quorum numero, pręſatus Didacus Comes exiſtit, decimas, & omnes fructus, redditus,
& proventus dicti loci, per plures annos perceperunt, & ex illis Fratribus dictę Domus, & pro fabrica
dictę Eccleſię neceſſaria miniſtrarunt, reſiduum vero in ſuos, & dicti loci uſus converterunt. Demum ve-
ro anno nondum elapſo, cum venerabilis Frater noſter Enecus Epiſcopus Corduben. viſitaret dictum
locum, idem Didacus Comes ad cor reverſus videns decimas, & fructus hujuſmodi cum bona conſcien-
tia, recipere non poſſe, facta prius per eum de mandato dicti Epiſcopi certa recompenſa pro fructibus ma-
le perceptis, in ędificationem, & ampliationem dictę Eccleſię, ac etiam facta certa recompenſatione ſuper
illis cum Collectoribus Cruciatę (6) contra Regnum Granatę inſtitutę (7) de dictis fructibus male percep-
tis, abſolutus fuit, neque deinceps illos percipere, ſed ab eorum perceptione deſiſtere, eoſque libere Eccleſię
dimittere intendit, paratus exiſtit, cupitque, quod omnes decimę, atque fructus, redditus, & proven-
tus prędicti, qui centum Ducatos auri de camera, vel circa, valent annuatim, eidem Domui, atque
Priori, & Fratribus ejuſdem Domus pro eorum ſuſtentatione, & fabrica dictę Eccleſię, cujus ipſi curam
habent, applicentur, & per eoſdem Priorem, & Fratres, Miſſę, & alia divina officia, in dicta Eccle-
ſia, celebrentur, ac confeſſiones Chriſti fidelium audiantur, eiſque per eos, aut aliquem idoneum Pres-
byterum ſecularem, per eoſdem Priorem, & Fratres deputandum, & ad eorum nutum amovibilem, Ec-
cleſiaſtica Sacramenta, miniſtrarentur. Quare pro parte dicti Comitis, ac Prioris, & Fratrum prędicto-
rum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Priorem, & Fratres hujuſmodi, a ſententia excommunicatio-
nis, ſi quam propterea incurrerunt, abſolvere, eiſque Domum prędictam ſic erectam, & pro eorum,
& aliorum Fratrum dicti Ordinis, uſu, & habitatione perpetuis concedere, eiſque in pręmiſſis oppor-
tune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, attendentes, quod pręfatę Sedis **Confirmatio.**
clementia veniam poſt exceſſum cum humilitate petentibus denegare non conſuevit, ac locorum Re-
ligioſorum propagationem, ſinceris deſideriis affectantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraterni-
tati tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus eoſdem Priorem, & Fratres, ſi id
humiliter petierint, ab excommunicationis ſententia hujuſmodi, ſi quam pręmiſſorum occaſione incur-
rerunt, auctoritate noſtra, hac vice duntaxat abſolvas in forma Eccleſię conſueta, injunctis inde ipſis, &
eorum cuilibet pro modo culpę pęnitentia ſalutari, & aliis, quę de jure fuerint injungenda, necnon cum
ipſis ſuper irregularitate, ſi quam ſententia hujuſmodi ligati, Miſſas, & alia divina Officia, non ta-
men in contemptum clavium, celebrando, vel ſe illis alias immiſcendo, contraxere, eadem auctorita-
te diſpenſes, aliaſque omnem inhabilitatis, & infamię maculam, ſive notam per eos, pręmiſſorum oc-
caſione contractam deleas, & nihilominus Domum prędictam cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis
eiſdem Priori, & Fratribus pro illorum, & aliorum dicti Ordinis Fratrum uſu, & habitatione perpetuis,
de novo abſque alicujus pręjudicio &c. ipſiſque illam recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam eadem
auctoritate concedas. Nos enim, ſi abſolutionem, & diſpenſationem, abolitionem, & conceſſionem hu-
juſmodi, vigore pręſentium feceris, omnes, & ſingulos fructus, redditus, & proventus, decimas, &
primitias prędictas eidem Domui, pro ſuſtentatione dictorum Fratrum, ac reparatione, & conſervatione
Domus, & Eccleſię prędictarum neceſſitatibus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo ap-
plicamus. Necnon Priori, & Fratribus in dicta Domo pro tempore commorantibus, ut per ſe, vel per
alium Presbyterum ſecularem, cum eorum nutu deputandum, & amovendum, Eccleſiaſtica Sacramen- **Nota.**
ta habitatoribus dicti loci miniſtrare, ac in eadem Eccleſia Fontem Baptiſmalem, & alia ad Parochialem
Eccleſiam pertinentia habere, libere, & licite valeant, eiſdem auctoritate, & tenore indulgemus. Non
obſtantibus pręmiſſis, ac pię memorię Bonifatii PP. VIII etiam Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne cu-
juſvis Ordinis Mendicantium Fratres loca ad inhabitandum de novo recipere pręſumant abſque Sedis
Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo, ad verbum de hujuſmodi pro-
hibitione mentionem, & quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis,
& conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia robo-
ratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę
Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo, Sexto Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Villamencienſis.*) Juris eſt Provinciæ *Bætica*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo in ejuſdem Cœnobii Archivo aſſervato.
3. *De Corduba.*) Florebat tunc ejuſdem gentis decus *Ferdinandus Gundiſalvus de Corduba*.
4. *Mareſcallus.*) Caſtrorum ſcilicet ſummus Præfectus.
5. *Inferebant.*) Conſulenda *Conſtitutio LX Martini V.* Legitur *pag.* 580 *Tomi II*.
6. *Cruciata.*) Belli ſcilicet pro Religione ſuſcepti.
7. *Contra Regnum Granatæ inſtituta.*) Id eſt contra Saracenos Regni *Granatæ*.

Anno 1487
Die 1 Junii.

Inſerit, & firmat Conſtitutionem (1) qua Sixtus IV Aveyrenſe Monaſterium Beneficio eccleſiaſtico donat.

XLI.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

PRoviſionis noſtrę debet provenire ſubſidio, ut jus ſuum cuilibet conſervetur. Hinc eſt, quod Nos tenorem quarundam literarum felicis recordationis Sixti PP. IV Prędeceſſoris noſtri pro eo quia, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſę, & Conventus Monaſterii de Jeſu, Daveiro Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum, Columbrien. Diœceſis, petitio continebat, ipſę hujuſmodi tenore ex certis cauſis, ſe aſſerunt indigere, ad ipſarum Abbatiſſę, & Conventus inſtantiam pręſentibus annotari fecimus, qui eſt talis. Sixtus Epiſcopus &c. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Apoſtolice nobis licet immeritis deſuper &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Secundo, Sexto Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo. Nos enim, ut earundem Literarum tenor prędictus ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, auctoritate Apoſtolica decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, & eundem vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales literę ſupradictę, & etiam, eidem tenori fides adhibeatur quandocunque, & ubicunque ſive in judicio, ſive alibi, ubi fuerit exhibitus, ac oſtenſus, & eidem ſtetur in omnibus, ſicuti eiſdem originalibus literis ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Per hoc autem, nullum jus de novo cuiquam acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo, ſi quod ſit, conſervari. Nulli ergo &c. noſtri ſtatuti, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo, Kalendis Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Conſtitutione.*) Eſt *CLXII*. Legitur *pag.* 609 *Tertii Tomi*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXIV fol.* 1.

Anno 1487
Die 3 Junii.

Indulgentia pro Ferrarienſi Cœnobio.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XLII.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

CUm, ſicut nuper accepimus, felicis recordationis Eugenius PP. IV Prędeceſſor noſter omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus utriuſque ſexus viſitantibus Eccleſiam Domus Sanctę Marię de Angelis extra muros Ferrarien. Ordinis Fratrum Prędicatorum in Feſto Aſſumptionis ejuſdem Beatę Marię Plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, etiam in ſingulis caſibus Sedi Apoſtolicę reſervatis, ac ipſorum fidelium vota, nonnullis tamen exceptis, in alia pietatis opera commutari conceſſit, & alias prout in ejuſdem Eugenii Prędeceſſoris, deſuper confectis literis, quarum tenores, etiamſi de illis habenda foret pręſentibus mentio ſpecialis, haberi volumus pro expreſſis, plenius continetur. Et deinde quam plures revocationes, & ſuſpenſiones Indulgentiarum hujuſmodi a Sede Apoſtolica a tempore dicti Eugenii Prędeceſſoris circa emanaverint; Et propterea credatur quod dicta Indulgentia ſub revocationibus, & ſuſpenſionibus hujuſmodi fuerit, & ſit comprehenſa, Nos, cupientes, ut Eccleſia ipſa, quę, ſicut etiam accepimus, in magna veneratione apud populum illum, ac etiam in partibus illis habetur, eaque tam in ſuis ędificiis, quam in aliis multa damna, jacturas, & incommoda, propter bella, mortalitates, & alios ſiniſtros eventus, quibus ipſa Civitas noviſſimis temporibus afflicta fuit, eſt paſſa, ab ipſo populo frequentetur, & hoſpitale Pauperum Sanctę Annę dictę Civitatis, in quo plurima pietatis, & caritatis opera exercentur, maxime in alendis pueris in eo, & in copioſo numero expoſitis, aliquod relevamen ſentiant, & ad id ſuffragia Chriſti fidelium noſcantur plurimum opportuna, Indulgentiam prędictam dictę Eccleſię per eundem Eugenium Prędeceſſorem, ut prefertur, conceſſam, cum omnibus, & ſingulis clauſulis, & facultatibus in ea contentis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, ac in ſuum priſtinum, eumque ſtatum in quo ante revocationem & ſuſpenſionem prędictas erat, plenarie reſtituimus, & redintegramus, ac ipſam ad Capellas dicti hoſpitalis extendimus. Ita tamen ut Confeſſoribus deputandis pro audiendis Confeſſionibus eorum qui Indulgentiam hujuſmodi conſequendi. . . . . abſolvendi, exceptis in Bulla, quę. . . . . . . in Cęna Domini ſingulis annis publicari ſolet, ſit interdicta poteſtas, votaque viſitationis ſepulcri Dominici, liminum Apoſtolorum Petri, & Pauli de Urbe, S. Jacobi in Compoſtella, continentię, & Religionis commutare non poſſint, & ex Indulgentia ipſa alternatis annis conceſſa cenſeatur primo Eccleſię in feſto prędicto, & Capellę in die ferię quintę majoris Hebdomadę dummodo Indulgentia prefata non ſit niſi ſemel in anno, ſive in Eccleſia, ſive in Capella, prout ex ordine con-

contigerit, quodque eleemoſynę, quę in Eccleſia, & Capella pręfatis pie erogabuntur, inter Priorem, & Conventum Domus, & Gubernatorem hoſpitalis prędictorum ęqualiter dividantur in reparationem Domus, & Eccleſię, ac hoſpitalis, eorumque neceſſitates, necnon expoſitarum prędictarum, aliarumque perſonarum miſerabilium in dicto hoſpitali degentium ſubventionem reſpective convertendo: Decernentes hujuſmodi plenariam remiſſionem, ac deſuper confectas literas cum ſingulis clauſulis, & facultatibus in eis contentis hujuſmodi ſub quibuſcunque revocationibus pro tempore per Sedem Apoſtolicam fiendis non comprehendi, niſi de domo, & hoſpitali pręfatis ſpecialis & expreſſa mentio fiat, & quod ſi ſimilis Indulgentia in eiſdem Eccleſia, & Capella per aliquem ex Prędeceſſoribus noſtris ſit conceſſa pręſens Indulgentia nullum habeat effectum Quam etiam poſt quadriennium nullius roboris vel momenti eſſe decernimus. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Junii MCCCCLXXXVII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Hier. Balbanus.

2. *Archivo*,) In quo exemplar authenticum ex authentico *Ferrarienſi*.

De componenda lite Viterbien. (1) Fratribus illata.

Anno 1487 Die 24 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLIII.

Venerabili Fratri Johanni (3) Epiſcopo Albanen., Cardinali Andegavenſi, Provincię noſtrę Marchię Apoſtolicę Sedis Legato.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Venerabilis Frater noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Mittimus circunſpectioni tuę ſupplicationem pręſentibus introclusam, manu noſtra ſignatam, voluműſque, & eidem tuę circunſpectioni injungimus, ut vocatis vocandis ad illius executionem procedas, juxta continentiam, & ſignaturam noſtram. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXIV Julii MCCCCLXXXVII Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Viterbien.*) De Fratribus hujuſce Cœnobii loqui Diploma, legitur in Exemplari aſſervato in Archivo Ordinis.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Viterbien.*
3. *Johanni.*) Cognomento *Balver*, de quo conſulendus *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II in Paulo II.*

Hoſpitale Tabernenſe (1) Cœnobio Fratrum Prædicatorum unitur.

Anno 1487 Die 22 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLIV.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono, & Cantori, Eccleſię Catharcen. (3), ac Vicario ven. Fratris noſtri Epiſcopi Catharcen. in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

His quę Religioſorum locorum quorumlibet, ac perſonarum in illis &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus S. Dominici Oppidi Tabernę Ordinis Fratrum Prędicatorum, Catharcen. Diœceſis (4), petitio continebat, quod olim dilecti filii Univerſitas dicti Oppidi, provide conſiderantes, quod in certo Hoſpitali pauperum dicti Oppidi, cujus ipſi fundatores fuerant, & quod etiam de eorum jure Patronatu exiſtebat, a longo tempore citra hoſpitalitas ſervata non fuerat, quodque incuria, & negligentia procuratorum dicti Hoſpitalis, fructus, redditus, & proventus illius, qui alias decem florenos auri de camera valebant annuatim, adeo tenues, & exiles effecti erant, ut ad pręſens ſex florenorum ſimilium ſecundum communem extimationem valorem annuum, non excedant, & ſi Hoſpitale prędictum Sacriſtię dictę domus, cui ipſum Hoſpitale propinquum erat, pro luminaribus, paramentis, & aliis eccleſiaſticis ornamentis ad divinum cultum neceſſariis concederetur, & donaretur, ex hoc profecto divini cultus incremento, ac etiam commoditatibus Fratrum in dicta Domo pro tempore degentium, propter commoditatem Domus, & Hoſpitalis prędictorum, non parum conſuleretur, fervore devotionis, quam ad Fratres dicti Ordinis propter eorum uberes fructus, quos in dies prędicationibus verbi Dei, & aliis bonis operibus ſuis afferunt, accenſi, Hoſpitale prędictum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis dictę Sacriſtię pro luminaribus, paramentis, & aliis ornamentis hujuſmodi conceſſerunt, & aſſignarunt, ea adjecta conditione, quod Prior, & Fratres in dicta Domo pro tempore degentes in Hoſpitali prędicto, unum locum munitum ad recipiendos aliquos pauperes continue habere tenerentur, prout in quodam publico Inſtrumento deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Quare pro parte tam Prioris, & Fratrum, quam Univerſitatis prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, donationi, & aſſignationi prędictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de prędictis, certam notitiam non habemus, pręfatos Priorem, & Fratres, eorumque ſingulos, a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c., abſolutos fore cenſentes, dictęque Sacriſtię fructuum, redditum, & proventuum, annuum valorem pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

dıo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam vobis de donatione, conceſſione, aſſignatione, & aliis premiſſis legitime conſtiterit, donationem, conceſſionem, & aſſignationem prędictas cum conditione hujuſmodi, ac prout illas concernunt, omnia, & ſingula in dicto Inſtrumento contenta, & inde ſecuta quęcunque auctoritate noſtra approbare, & confirmare curetis, ſuppleatiſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo, Undecimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Tabernen.*) Vulgo *Taverna*, in *Calabria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*.
3. *Cathacen.*) Seu *Catacien.*, vulgo *Catanzaro*.
4. *Diœceſis.*) Sedes ſiquidem *Tabernenſis*, olim Epiſcopalis, jamjam unita fuerat Epiſcopatui *Catacienſi*.

Anno 1487 Die 3 Octobris.

Lavallenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XLV.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viri Guidoni (3) Comiti de Laval, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex fundatoris petitio.

Piis ſupplicum votis &c. (4) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, quod tu zelo devotionis accenſus, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, pro divini cultus, & ſacrę Religionis Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſub regulari obſervantia degentium, augmento, ac animarum ſalute, de bonis a Deo tibi collatis in Oppido tuo de Laval, quod in partibus illis inſigne eſſe dignoſcitur, aut ejus ſuburbiis, in loco ad hoc honeſto, & convenienti unam Domum cum Eccleſia, humili campanili, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione nonnullorum Fratrum dicti Ordinis, per Vicarium Generalem, & Fratres dicti Ordinis Congregationis Hollandię ſecundum morem dicti Ordinis prima vice inibi ponendorum, quorum unus dictę Domus Prior exiſtat, conſtruere, & ędificare, ſeu conſtrui, & ędificari facere ſummopere deſideras, dummodo tibi ſuper hoc Apoſtolicę Sedis licentia ſuffragetur. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi Domum prędictam, ut premittitur, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, necnon Fratribus Ordinis, & Obſervantię prędictorum, illam pro eorum uſu, & habitatione recipiendi, & retinendi, licentiam concedere, aliaſque in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui

Facultas.

Religionem dilatari, & cultum divinum augeri noſtris potiſſime temporibus affectamus, tuum pium, & laudabile propoſitum in hac parte in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi in Oppido, ſeu ſuburbiis prędictis, in loco, ad id convenienti, & honeſto, Domum cum Eccleſia, clauſtro, campana, humili campanili, cęmeterio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi, pro uſu, & habitatione eorundem Fratrum, abſque tamen alicujus prejudicio, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, ipſiſque Fratribus Domum prędictam recipiendi, & perpetuo inhabitandi, plenam, & liberam licentiam auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium elargimur. Nos enim eidem domui, & Priori, ac Fratribus in eadem domo pro tempore commorantibus, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis, favoribus, & indultis, domibus dicti Ordinis, & illarum Prioribus, & Fratribus in genere conceſſis, & concedendis, & quibus illi potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate, & tenore prędictis indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri inter alia prohibente, ne quis Ordinum Mendicantium Fratres in aliqua Civitate, caſtro, vel villa, vel alio loco quocunque Domos, & loca ad inhabitandum de novo recipere preſumant abſque Sedis ejuſdem licentia ſpeciali &c. & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus &c. ac privilegiis eidem Ordini conceſſis, illis preſertim, quibus cavetur, quod nulla Domus eidem Ordini concedatur, niſi a Priore Provinciali, & Definitoribus

Nota.

Provincialis capituli fuerit poſtulata, nec conceſſa ponatur, nec poſita transferatur, niſi ubi prędicti viderint expedire, quibus hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, derogationis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo, Quinto Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Lavallen.*) Vulgo *Laval*, in *Cenomanenſi* Provincia *Gallia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Libro LIII *fol.* 77.
3. *Guidoni.*) E nobiliſſima *Lavallenſi* gente, de qua conſulendus *Du Cheſnius* in libro cui titulus: *Hiſtoire de la Maiſon de Montmorenci*.
4. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Fra-

Fratres Sacramenta (1) miniſtrent iis, qui vel ipſis, vel Monialibus Ordinis famulantur.

Anno 1487 Die 23 Octobris.

Ex Bullario (2) *Uſuſmaris pag.* 168.

XLVI.

Dilectis filiis Vicario Generali, & Fratribus Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis feciſtis quod literis, & privilegiis per Sedem Apoſtolicam Ordini veſtro conceſſis inter alia expreſſe continetur, quod Fratres Ordinis veſtri omnibus, & ſingulis perſonis eorum obſequiis inſiſtentibus cuncta Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, & illis decedentibus earundem perſonarum cadavera in eorum cęmeteriis ſepelire poſſint, prout in eiſdem literis, & privilegiis aſſeritis conſtare. Cum vero habeatis quamplurimos vobis obſequentes, ad quos hujuſmodi indultum extendi deſideratis, veſtris in hac parte, Nobis porrectis, ſupplicationibus inclinati, literas, & privilegia hujuſmodi, ad quaſlibet perſonas etiam Sorores, ſeu Moniales dicti Ordinis, ſub cura, & directione veſtrę Congregationis degentes, aut alias ipſis Sororibus, aut Monialibus, ſeu Fratribus dictę Congregationis communiter, vel ſingularibus perſonis obſequia impendentes, etiam ſi eorum agros colant, & greges paſcant, vel ad longum, vel ad modicum tempus conducti, aut alias Fratrum dictę Congregationis ſervitiis occupati ſint, dummodo operas diurnas non exerceant, tenore pręſentium extendimus, ac vobis, & veſtrę Congregationis Fratribus, aut eiſdem Monialibus, Sororibus, & aliis perſonis pręfatis, Extremę Unctionis, Confeſſionis, & Euchariſtię Sacramenta, etiam in Paſchate Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti miniſtrare libere, & licite valeatis, Apoſtolica auctoritate concedimus, ac vos a cenſuris, & pęnis, ſi quas hujuſmodi Sacramenta ipſis perſonis miniſtrando, aut eorum cadavera in veſtris cęmeteriis ſepeliendo, incurriſſetis, eadem auctoritate abſolvimus, & abſolutos fore cenſemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Congregationis, & Ordinis prędictorum, juramento, vel aliter roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXIII Octob. MCCCCLXXXVII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Diplomatis cauſa.

Facultas.

1. *Sacramenta.*) Conſulendus *Tractatus de Cenſuris Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*

2. *Bullario*) Legitur apud *Caſtellanum Parte 1 pag. 24.* Autographum eſt in Cœnobio *Cremonenſi*.

De ſpatio (1) quo diſtare debent Mendicantium Fratrum Cœnobia,

Anno 1487 Die 28 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLVII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono Cerven., & Scholaſtico Eccleſię Burdegalen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

JUſtis, & honeſtis petentium votis &c. (4). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum univerſorum Fratrum, tam Prędicatorum, quam omnium aliarum Domorum Fratrum Ordinum Mendicantium Civitatis Burdegalen. petitio continebat, quod licet olim felicis recordationis Clemens PP. IV (5) Prędeceſſor noſter, inter alia per ſuas literas ordinaſſet, & inhibuiſſet, quod nulli ex tunc liceret, de Minorum Pęnitentia Jeſu Chriſti nuncupatorum, qui nunc de obſervantia appellantur, B. Marię de Monte Carmeli, Eremitarum S. Auguſtini, Sanctę Clarę, aliiſque Ordinibus, aliquod Monaſterium, Eccleſiam, vel Oratorium ędificare, ſeu conſtruere, nulli quoque ſeculari, vel Religioſo cujuſcunque profeſſionis, Eccleſiam, vel Monaſterium ſeu Oratorium jam ędificatum in aliquem transferre de Ordinibus ſupradictis, infra ſpatium trecentarum cannarum ab Eccleſiis Fratrum Ordinis Prędicatorum hujuſmodi menſurandarum, ac ſtatuiſſet, ut quicquid contra hujuſmodi ordinationis, & inhibitionis tenorem, ex tunc in antea ędificatum foret dirueretur, nihilominus dilectus filius Oliverius Maillardi Frater dicti Ordinis Minorum de obſervantia hujuſmodi nuncupatorum, & nonnulli ejus in ea parte complices, & fautores, ac illi adhęrentes, ordinationis, inhibitionis, & ſtatuti hujuſmodi contemptores, & violatores in loco, a Campaura nuncupato, dictę Civitatis, ab Eccleſia Fratrum Prędicatorum ejuſdem Civitatis, ultra centum viginti cannas non diſtante, quandam Domum pro uſu, & habitatione Fratrum Minorum de obſervantia hujuſmodi conſtruere, & ędificare nituntur in contemptum, & vilipendium ordinationis, inhibitionis, & ſtatuti prędictorum, necnon Prioris, & Fratrum dictę Domus, ac omnium aliorum Fratrum Ordinum Mendicantium hujuſmodi in dicta Civitate habitantium, non modicum prejudicium, atque damnum. Quare pro parte univerſorum Fratrum Civitatis hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum indemnitati in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque ſingulos ex Fratribus Civitatis hujuſmodi a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, ſi, & poſtquam vocatis dicto Oliverio, & aliis, qui fuerint evocandi, de pręmiſſis Nobis aſſertis vobis legitime conſtiterit, ſi forſan Oliverius, ac ejus complices, & fautores prędicti, in dicto loco a Campaura, aliquid conſtruere, & ędificare cęperint, illud juxta tenorem ſtatuti prędicti penitus dirui, & demoliri, faciatis, prout de jure fuerit facien-

Diplomatis cauſa.

Nota.

faciendum, & nihilominus illi, & illorum cuilibet ſub excommunicationis ſententię pęna, quam ſingulos contrafacientes ipſo facto incurrere volumus, auctoritate noſtra, diſtrictius inhibeatis, ne in dicta Civitate, vel alio quovis loco, Domum, vel Oratorium ędificare pręſumant infra ſpatium trecentarum cannarum a ſingulis Eccleſiis Fratrum quorumvis Ordinum Mendicantium dictę Civitatis, juxta tenorem Ordinationis Clementis Prędeceſſoris hujuſmodi menſurandarum, ac illis, quos excommunicationis ſententiam hujuſmodi ex eis incurriſſe conſtiterit, tandiu in Eccleſiis, Dominicis, & aliis Feſtivis diebus per vos, vel alium, ſeu alios, quoties ſuper hoc pro parte dictorum Fratrum ipſius Civitatis requiſiti fueritis, excommunicatos publice nuncietis, & faciatis, ab aliis nunciari, ac ab omnibus arctius evitari, donec a pręmiſſis deſiſtant, & ſatisfactione pręmiſſa meruerint ab hujuſmodi excommunicationis ſententia abſolutionis beneficium obtinere, non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Dięceſim niſi in certis exceptis caſibus &c., ſeu ne judices a Sede Apoſtolica deputati &c. aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcumque, aut ſi Oliverio, complicibus, fautoribus, & adhęrentibus prędictis &c. ab eadem ſit Sede Indultum, quod Interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam &c. de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo, Quinto Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Spatio.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LII fol. 15.*
3. *Burdegalen.*) In *Aquitania.*
4. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Clemens PP. IV.*) *Conſtitutione XXXIV.* Legitur *pag. 466 Tomi I* hujus Bullarii.

Anno 1487 Die 28 Octobris.

Parochialis Eccleſia de Pobladura (1) unitur Cœnobio S. Juliani de Monte.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLVIII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

EX injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus S. Juliani de Monte Ordinis Fratrum Prędicatorum, Legionen. Dięceſis, petitio continebat, quod olim dilectus filius Johannes de Laguna, Canonicus Legionen., qui bonę memorię Antonii Epiſcopi Legionen. Vicarius in Spiritualibus Generalis erat, provide conſiderans, quod fructus, redditus, & proventus dictę Domus, quę in Eremo ſita eſt, adeo tenues, & exiles erant, quod Fratres, & alię perſonę in eadem domo Altiſſimo famulantes, ex illis ſe commode ſuſtentare nequibant, habens ad hoc, ut aſſerebat, ab eodem Epiſcopo ſpecialem per ejus literas facultatem, illius vigore Parochialem Eccleſiam B. Marię de Pobladura dictę Dięceſis, prope eandem Domum ſitam, tunc per obitum quondam Johannis Gundiſalvi, olim ipſius Eccleſię Rectoris extra Romanam Curiam defuncti, vacantem, & ad quam, dum pro tempore vacabat, pręſentatio perſonę idoneę Priori, & Fratribus prędictis canonice pertinebat, cujuſque fructus, redditus, & proventus pro congrua ſuſtentatione unius Sacerdotis, minime ſufficiebant, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis prefatę Domui perpetuo, ordinaria auctoritate, quamvis de facto, univit, annexuit, & incorporavit, ac Fratribus ejuſdem Domus in Sacerdotio conſtitutis, ut Eccleſiaſtica Sacramenta Parochianis ipſius Eccleſię, miniſtrare poſſent, eadem auctoritate conceſſit etiam de facto, ipſique Prior & Fratres unionis, annexionis, & incorporationis earundem pretextu, dictam Eccleſiam ex tunc, tanquam eidem Domui unitam per plures annos detinuerunt, prout detinent de pręſenti, fructus percipiendo, & exigendo etiam de facto. Cum autem ſecundum pręmiſſa unio, annexio, & incorporatio, ac conceſſio prędictę, viribus non ſubſiſtant, &, ſicut accepimus, dicta Eccleſia, adhuc, ut premittitur, vacare noſcatur, &, ſi illa Sacriſtię dictę Domus pro luminaribus, & eccleſiaſticis ornamentis habendis, aliiſque ipſius Sacriſtię oneribus, perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, profecto ipſius Sacriſtię commodo, & utilitati conſuleretur, pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum, aſſerentium, quod Sacriſtię quadraginta, & Eccleſię prędictarum viginti quatuor librarum Turonen. parvorum fructus, redditus, & proventus ſecundum communem extimationem valorem annuum, non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam prędictam eidem Sacriſtię pro ornamentis, & luminaribus hujuſmodi, ac aliis ipſius Sacriſtię oneribus ſupportandis perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac alias in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod in unionibus, ſemper fieret commiſſio, ad partes, vocatis quorum intereſſet, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Eccleſiam prędictam, ſive, ut pręmittitur, ſive alias quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona vacet. & ſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranen. Statuta Concilii, ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ipſaque Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicę, ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper ea, inter aliquos, lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore dat. preſentium, non ſit in ea alicui ſpecialiter jus quęſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis pręfatę Sacriſtię pro luminaribus, & ornamentis hujuſmodi habendis, ac eiſdem oneribus ſupportandis auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod dimiſſa prius per eoſdem Priorem, & Fratres dicta Eccleſia in manibus loci Ordinarii, liceat eis ex tunc per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum prędictorum propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in uſus, & utilitatem dictę Sacriſtię convertere, necnon eidem Eccleſię per aliquem Fratrem dictę Domus, ad id alias idoneum deſerviri illiuſque parochianorum

Mandatum.

ani-

Digitized by Google

animarum curam exerceri facere, Diœceſani prędicti, & cujusvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, non obſtantibus voluntate noſtra prędicta, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus &c. quibuſcunque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi &c. literas impetraverit &c. ad dictam Eccleſiam, volumus non extendi &c. & quibuslibet aliis privilegiis &c. de quibus, quorumque totis tenoribus &c. habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Proviſo quod dicta Eccleſia, propter unionem, annexionem &c. debitis non fraudetur obſequiis &c. ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrę unionis, annexionis, incorporationis, conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo, Quinto Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Pobladura.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LII fol.* 103.
3. *Officio &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

De amplianda quadam poſſeſſione Mantuani (1) Monaſterii S. Vincentii.

Anno 1487 Die 13 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLIX.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Lamoſen., & dilecto filio Archipresbytero Eccleſię Sancti Jacobi Mantuan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EX injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio &c. (3) Dudum ſiquidem a felicis recordationis Paulo PP. II Prędeceſſore noſtro emanarunt literę tenoris ſubſequentis: Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Cum in omnibus judiciis &c. Et deinde exhibita Nobis pro parte dilecti filii Jacobi de Paſſarotis laici Mantuan., petitio continebat, quod ipſe nonnullas terrarum petias in Diœceſi Mantuan. conſiſtentes a Prepoſitura ſeculari in Eccleſia Monaſterii Sancti Benedicti de Padolerone (4) Ordinis ejuſdem Sancti, dictę Diœceſis, in feudum honorificum, & antiquum rite tenet. Verum ſi ſibi vigintiquinque jugera terrarum prędictarum menſurę illarum partium dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui per Prioriſſam ſoliti gubernari Monaſterii Sancti Vincentii Mantuan. Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentibus, pro amplianda quadam dicti Monaſterii Sancti Vincentii poſſeſſione in dicta Diœceſi conſiſtente, ac pro earum victu pro lacticiniis ſingulis diebus habendis, cum ob regularem dicti Monaſterii obſervantiam carnibus non veſcantur, plurimum neceſſaria, de conſenſu dilecti filii moderni in dicta Eccleſia Prępoſiti, vendendi, licentia concederetur, prę fatus Jacobus totidem alia terrarum jugera dictę Prępoſiturę utiliora infra certum competentem terminum inter eum, & Prepoſitum prętatum ſtatuendum, etiam cum pecuniis propriis emeret, ac ſufficientem de hoc faciendo prętaret cautionem, quod profecto in evidentem dictę Prępoſiturę cederet utilitatem. Quare pro parte tam Jacobi, quam Prioriſſę, & Conventus prędictorum aſſerentium jugera feudalia prędicta valorem ducentorum florenorum auri de camera non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prętato Jacobo vigintiquinque jugera feudalia hujuſmodi vendendi, & pretium inde proveniens in alia totidem jugera dictę Prępoſiturę utiliora convertendi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de prędictis certam notitiam non habemus, jugerum feudalium prędictorum ſituationes, & confines prętentibus pro expreſſis haberi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra vos conjunctim, ſervata forma literarum Pauli Prędeceſſoris hujuſmodi, diligenter informetis, &, ſi, ita eſſe, ac in evidentem utilitatem cedere repereritis, & ad id prętati Prępoſiti expreſſus accedat aſſenſus, eidem Jacobo vigintiquinque jugera feudalia hujuſmodi, illis prius coram vobis ſpecificatis, prętatis Prioriſſę, & Conventui ab omni cenſu libera, poſtquam tamen cautionem idoneam de emendo ex pretio inde provenienti, ac ex propriis pecuniis ſuis totidem alia jugera terrarum dictę Prępoſiturę utiliora prętiterit, vendendi, licentiam dicta auctoritate largiamini. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod pretium inde proveniens interim penes eandem ſacram, aut fide, & facultatibus ſufficientem perſonam, in emptionem totidem aliorum jugerum utiliorum pro dicta Prepoſitura, & non in alios uſus omnino convertendum, cum recognitionibus, & cautelis in talibus apponi ſolitis, fideliter deponatur. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo, Idibus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Mandatum.

1. *Mantuan.*) In *Longobardia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LIII fol.* 234.
3. *Officio &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Padolerone.*) Vulgo *Polirone*. Conſulendus vir clariſſimus *Benedictus Bacchinus* in ejuſdem Monaſterii hiſtoria.

Pri-

Digitized by Google

Anno 1488 Die 19 Januarii.

L.

Privilegia (1) a Sixto IV Ordinibus Mendicantibus conceſſa confirmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

ADmonet Nos ſuſcepta cura regiminis, ut ad ea favorabiliter intendamus &c. Sane pro parte dilectorum filiorum univerſorum Prędicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, B. Marię de Monte Carmelo, & Servorum ejuſdem B. Marię Ordinum Generalium, Magiſtrorum, Provincialium, Miniſtrorum, ac Domorum Ordinum eorundem, Guardianorum, Priorum, & Fratrum, necnon dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſarum, & Prioriſſarum, ac Monialium Monaſteriorum, & Sororum Domorum dictorum Ordinum, ſeu ſub cura eorundem degentium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet eiſdem Ordinibus, domibus, Monaſteriis, & perſonis eorum, etiam quoad bona, ad Monaſteria, & Domos hujuſmodi ex privilegio, & alias legitime pertinentia, diverſa privilegia, gratię, libertates, exemptiones, immunitates, & indulta per felicis recordationis Sixtum PP. IV Prędeceſſorem noſtrum, & Sedem Apoſtolicam, ſub diverſis modis, & formis conceſſa fuerint, prout in Literis Apoſtolicis, deſuper confectis, plenius continetur, tamen nonnulli locorum ordinarii, eorumque Officiales, & Vicarii, ac etiam Officiales Provincię Marchię noſtrę Anconitanę, Patrimonii, & aliarum terrarum Romanę Eccleſię, mediate, vel immediate, ſubjectarum, ac Judices ſpiritualium, terrarum earundem, & pręſertim ejuſdem Marchię Anconitanę, eoſdem Generales, Provinciales, Miniſtros, Guardianos, Priores, Fratres, Abbatiſſas, Moniales, Sorores, necnon Domos, & Monaſteria eorum, contra literarum, privilegiorum, exemptionum, libertatum, immunitatum, & indultorum hujuſmodi tenorem in dies multipliciter moleſtare, & perturbare non ceſſant, in non modicum eorum pręjudicium, & detrimentum, auctoritatis Apoſtolicę contemptum, malumque exemplum, & ſcandalum plurimorum. Quare pro parte eorundem Generalium, Provincialium, Miniſtrorum, Guardianorum, Fratrum, Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Monialium, & Sororum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Confirmatio.

Nos igitur, cupientes privilegia, gratias, exemptiones, libertates, immunitates, & indulta hujuſmodi ab omnibus illęſa ſervari, ac volentes Generalium, Provincialium, Miniſtrorum, Guardianorum, Priorum, Fratrum, Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Monialium, & Sororum prędictorum indemnitati, opportune providere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus, & ſingulis locorum ordinariis, eorumque Vicariis, & Officialibus, ac judicibus ſpiritualium Marchię, & aliarum terrarum prędictarum, ac aliis quibuſcunque perſonis cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel pręeminentię exiſtant, ne de cetero Generales, Provinciales, Miniſtros, Guardianos, Priores, Fratres, Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales, & Sorores, Domos, ac Monaſteria hujuſmodi, tam in perſonis, quam in bonis ad Monaſteria, & domos hujuſmodi, ut pręfertur, pertinentibus, contra privilegiorum, exemptionum, libertatum, immunitatum, & indultorum hujuſmodi tenorem, quoquomodo moleſtare, ſeu perturbare pręſumant ſub excommunicationis pena, a qua nonniſi a Nobis, vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, pręterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi poſſint, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pęnis in dictis literis contentis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium diſtrictius inhibemus, decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari.

Conſervatores conſtituti.

Et nihilominus cuicunque Cathedralis, ſeu Metropolitanę Eccleſię Canonico, aut in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę perſonę, quam, ſeu quem Generales, Provinciales, Miniſtri, Guardiani, Priores, Fratres, Abbatiſſę, Prioriſſę, Moniales, & Sorores prędicti, & quilibet eorum duxerint requirendos, omnes, & ſingulos ſupradictos, qui eos, ut pręfertur, moleſtare, ſeu perturbare preſumpſerint, quoties expedierit, excommunicationis, aliaſque ſententias, cenſuras, & pęnas predictas incurriſſe, auctoritate noſtra declarandi, & ſuper his, legitimis ſervatis proceſſibus ſententias ipſas, etiam iteratis vicibus, aggravando. Contradictores quoque &c. Non obſtantibus pię memorię Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Dięceſim &c., ſeu ne judices &c.; & aliis Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Aut ſi aliquibus &c. ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici &c. Verum, quia difficile foret, preſentes literas ad ſingula quecunque loca, in quibus expediens fuerit, deferre, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis manu publici Notarii inde rogati ſubſcriptis, & ſigillo alicujus prędictorum, vel alterius perſonę eccleſiaſticę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, ea prorſus fides, in judicio, & extra, & alias ubilibet adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo &c. noſtrę inhibitionis, conſtitutionis, conceſſionis, voluntatis, & decreti infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo (3), Quartodecimo Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Privilegia.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. F.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LII fol.* 205. Aſſervantur Autographa in Cœnobiis *Salmantin.*, & *Firman.*

3. *Octuageſimo Septimo.*) Stylo Bullarum, ęra communis *MCCCCLXXXVIII.*

De

Anno 1488 Die 31 Januarii.

De Garrexienſi (1) Cœnobio fundando, & quibuſdam Beneficiis ipſi uniendis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LI.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archipreſbytero Eccleſię Beatę Marię de Ceva, Alben. Diœceſis, & Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Alben. in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Piis fidelium votis, illis pręſertim, quę Religionis propagationem, divini cultus augmentum, & animarum ſalutem reſpiciunt, libenter annuimus, eaque, quantum cum Deo poſſumus, favoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem omnia Beneficia Eccleſiaſtica, apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, contingeret attentari. Cum itaque poſtmodum tres Capellę ſub Invocatione S. Bernardini loci de Garrexio, Alben. Diœceſis, invicem contiguę dudum Parochiali Eccleſię, Prępoſiturę nuncupatę Beatę Marię dicti loci Apoſtolica auctoritate perpetuo unitę, annexę, & incorporatę, ex eo quod Nos unionem, annexionem, & incorporationem prędictas dilecti filii Magiſtri Johannis Franciſci ex Marchionibus Cevę ipſius Eccleſię Rectoris Prępoſiti nuncupati, Notarii noſtri, ad hoc per dilectum filium Magiſtrum Hieronymum de Calagranis Diœceſis Alben., etiam Notarium noſtrum, Procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, expreſſo accedente conſenſu, harum ſerie diſſolvimus, apud Sedem eandem vacaverint; & vacent ad pręſens, nullusque de illis pręter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis. Et, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum univerſitatis hominum dicti loci, petitio continebat, ipſi fervore devotionis, quem ad Fratres Ordinis Prędicatorum, propter eorum uberes fructus, quos continue prędicationibus verbi Dei, & aliis bonis eorum operibus, populis afferunt, ſemper geſſerunt, & adhuc gerere noſcuntur, accenſi, ſummopere deſiderent, quod in Capellis prędictis, quas univerſitas pręfata, olim de propriis eorum bonis de licentia ordinarii loci fecerunt ędificare, una Domus pro Fratribus dicti Ordinis pro eorum uſu, & habitatione perpetuis conſtruatur, & ędificetur, pro parte tam dilecti filii Provincialis dicti Ordinis. Provincię Lombardię ſecundum morem dicti Ordinis, quam univerſitatis, & Johannis Franciſci prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eidem Provinciali Capellas prędictas, nomine dicti Ordinis recipiendi, & inibi unam Domum pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum prędictorum, cum Eccleſia, Cemeterio, humili campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, ac dictis Fratribus illam perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, aliaſque in premiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, & Religionis propagationem, animarumque ſalutem, ſupremis deſideramus affectibus, pium, & laudabile deſiderium univerſitatis prędictorum, plurimum in Domino commendantes, ac Provincialem, & Univerſitatem pręfatos, eorumque ſingulos, a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum preſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, eidem Provinciali Capellas predictas, quę ſine cura ſunt, & quarum fructus, redditus, & proventus, ut aſſeritur, nulli ſunt, ſive premiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex cujuſcunque perſona, ſive per liberam reſignationem alicujus de illis in Romana Curia, vel juxta eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, vacent, etiamſi tanto tempore vacaverint, quod earum collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem prędictam legitime devoluta, ipſęque Capellę diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter, vel alias generaliter reſervatę exiſtant, & ſuper eis inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo earum diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, cum Domibus ad illas pertinentibus, nomine dicti Ordinis recipiendi, & inibi unam Domum pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum prędictorum cum Eccleſia, cemeterio, humili campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ſive alicujus prejudicio, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & edificari faciendi, necnon Fratribus prędictis Domum ipſam recipiendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam largiamini, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, illa pręſertim, qua prohibetur, ne quivis Ordinis Mendicantium Fratres nova loca recipere, ſeu jam recepta mutare pręſumant, abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali, de prohibitione hujuſmodi ſpecialem, & expreſſam mentionem faciente, ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas, ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſecuta quęcunque ad dictas Capellas volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum pręjudicium generari; & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore pręſentium concedi contigerit, ut pręfertur, eidem Domui, ac Fratribus in ea pro tempore de-

Diplomatis cauſa.

Facultas.

degentibus, ut omnibus, & ſingulis Privilegiis, Indulgentiis, prerogativis, exemptionibus, libertatibus, & indultis aliis Domibus, & Fratribus dicti Ordinis in genere conceſſis, & concedendis, uti, potiri, & gaudere, libere, & licite poſſint, & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium, de ſpecialis dono gratię indulgemus, non obſtantibus omnibus ſupradictis. Volumus autem quod Fratres in dicta Domo degentes, ſingulis diebus unam Miſſam pro ſalute animę dicti Johannis Franciſci, perpetuis, futuris, temporibus celebrare, ſibique quandiu vixerit, medietatem omnium funeralium, & exequiarum, quę fient pro animabus defunctorum, quorum corpora in Eccleſia dictę Domus ſepulta erunt, ac ſingulis annis duas tortias, ſeu faces, cereas trium librarum pro qualibet ipſarum, etiam eidem Johanni Franciſco, quoad vixerit duntaxat dare, & deſignare teneantur; Et inſuper, prout eſt, irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo (3), Pridie Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Garrexienſi.*) Juris eſt Provinciæ *Lambardiæ*, in Principatu *Pedemontii*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Garrexienſi*.
3. *Octuageſimo Septimo.*) Stylo Bullarum, eræ communis *MCCCCLXXXVIII*. Ceterum huc ſpectat ſequens Diploma.

In Nomine Domini Amen. Anno Domini 1480, Indictione Decimatertia, die 20 Menſis Novembris, Actum Garrexii videlicet in Domo Communis Garrexii, ibidem præſentibus diſcretis viris Baptiſta Rubeo de Violla, Franciſco Bracho, Michaele Carlevar, & Philippo Panzellino, omnibus de loco Viollæ ad infraſcripta vocatis, atque rogatis.

Cum locus prædictus Garrexii, propter Religioſorum inopiam, conſolationes ſpirituales, hactenus habere nequiverit, volentes ſuper hoc opportunum, ac ſalubre adhibere remedium, magnifici, & generoſi Domini Johannes Guglielmus, & Bonifatius Cevę Marchiones, condomini Garrexii, una cum Conſulibus, Syndicis, Conſilio, & aliis nominibus adjunctis, quorum nomina dicentur inferius, libere donaverunt ſitum, & terram, in qua ſunt jam ædificatæ Capellæ tres, & fundamenta totius Eccleſię Ordinis Prędicatorum, ſive Reverendiſſimo Sacræ Theologiæ Magiſtro Michaeli de Matthæis Fratrum Prędicatorum Provincię Lombardię Provinciali, abſenti tamen, & R. Fr. Laurentio Fio ejuſdem Ordinis, ac facultatis Profeſſori, una cum Fratribus Franciſco de Clavena & Petro Piſtono de Garrexio præſentibus, & acceptantibus dictam donationem, nomine & vice R. P. Provincialis prædicti promittentis dictam Eccleſiam officiare, ſecundum morem Ordinis prædicti. Nomina vero Conſulum, ſunt hæc: Blaxinus Roterius, Odinus Fuxinerius, & Simon Roſella. Nomina Syndicorum ſunt hæc: Innocentius Alamandra, & Benedictus Maglorius: Nomina Conſiliariorum, & Adiunctorum, ſunt hæc infraſcripta. Antonius Blancus, Stephanus Blancus, Bertolinus Porta, Barnabas Gerinus, Hieronymus Bellinus, Angelinus Gonellus, Antonius Gonella, Pelliſarius Seraphinus Gonella, Gulielmus Troſſus, Garaxinus Zacconus bechus, Antoninus Torellus, Antonius Tortellus, Mellianus Borrus, Johannes Faccius, Bartholomæus Timonus, Antonius Carrara Johannis, Garaxinus Magliorius, Johannes Zacchonus, Antonius Garellus, Garaxinus Carrara Petri, Franciſcus Amadeus, Blaxinus Gratianus, Angelinus Ramundus Guglielmi, Angelinus Ferrinus Petri, Emanuel Juglarius, Ludovicus Niger, Silveſter Barberius, Dominicus Bogerius, Franciſcus Reagnus, Jacobus Gonella Tobiæ, Antoninus Raveta, Garaxinus Gaſtaldus, Angelinus Garellus Stephani, Antonius Zeccunus, Johannes Martinus, Antonius Timonus Johannis, Jacobinus Ferrarius, Vaſſallinus Amadeus, Franchinus Sterpianus, Guglielmus Barberius, Garaxinus Borrus, Stephanus Borgarinus, Bartholomæus Matthæus, Corradinus Polſerius, Matthæus Garellus, Manuel Piſtonus, Odonus Becbus, Marchettus Niger, Petrus Bechus, Petrus Alamandra, Jacobinus Gonella Gaſparri, Franciſcus Garellus Dominici, Blaxinus Vaſus, Marchio Murigernus. Johannes Salva, Guglielmus Scupinus Nicolæ, Garaxinus Wipis, Johannes Troſſus Bataglini, Franciſchinus Gillinus, Obertus Georgius, Guglielmus Cultus Magiſter, Lazarus Borellus, Ludovicus Gazanus, Johannes Gonella Juliani, Venturinus Bellinus, Johannes Garellus Antonii, Simon Tornator, Antonius Ravottus, Patrerius de Patreriis, Antonius Ruba Petri, Franceſchinus Garellus, Angelinus Bellinus, Ricius Vaſus, Johannes Ghilia, Guglielmus Viglonus, Johannes Faxanus, Leo Tornator, Petrus Garellus Stephani, Jacobinus Trintarinus, Antonius Ruba Petri, Chriſtophorus Troſſus, Benedictus Zappa, Jacobinus Ferrinus, Antonius Clericus, Antonius Bava, Henricus Bellinus, Guglielmus Gonella, Angelinus Gaglineta, Jacobinus Giglia, Petrus Gonella Antonii, Antonius Timonus Johannis, Odinus Fradellus, Antonius Tornator Guglielmi, Johannes Lambertus Dominici, Laurentius Reagnus, Laurentius Faxanus, Nicola Vaſus, Odinus Carrara Antonii, Jacobinus Porta Corradi, Antonius Victus Laurentii, & Bartholomæus Petrus, alias Albus. Qui omnes, tam magnifici Domini ſupradicti ſuis propriis nominibus, ac nomine valde magnificorum DD. Galeotti, Bernardi, & Fratrum, pro quibus de rato habendo, promiſit magnificus D. Johannes Guglielmus, nec non & ipſe D. Bonifatius, pariter promiſit de rato habendo nomine valde magnifici D. Garſilaſchi, Fratris ſui; ac omnes alii præfati viri nominati, & tam conjunctim, quam diviſim, & omnibus melioribus via, jure, modo, & forma, quibus melius potuerunt, & poſſunt de jure per ſe, & hæredes, ac ſucceſſores ſuos, libere, pure, mere, & irrevocabiliter ad præſens, inter vivos dederunt, & tradiderunt jure proprio, & in perpetuum ſitum Eccleſiæ cum Capellis, Domibus, & ædificiis, ac omnibus aliis in loco dicto exiſtentibus, & cum omnibus, & ſingulis, quæ in eo loco, & ſitu ſunt, quod ſitum eſt in territorio Garrexii, loco, ubi dicitur ad hortos, cui cohærent D. Georgius de Vicario ab una parte, Nicolaus de Vicario, Ego Notarius infraſcriptus & Johannes Gazanus, ab alia parte, hæredes Johannis Ferrini, Caſtrum ab alia, hæredes Conſtantii Gillini ab alia, & Jacobinus

Piſ-

Piſtonus Petri, ab alia, & alii &c. qui ſunt ibidem vicini confines, ad habendum, tenendum, & poſſidendum, & quicquid ſupradictis Ven. Dominis deinceps placuerit faciendum, cum omnibus, & ſingulis, quæ dicta res donata habet ſuper ſe, infra, ſeu intra ſe, in integrum, omnique ſua ratione, uſu, ſeu requiſitione, ſibi ex ea, vel pro ea re, aut ipſi rei, modo aliquo pertinente, conſtituentes ſeſe dicti magnifici DD., & homines, dictam rem donatam nomine, & vice prænominatorum RR. DD. Fratrum, tenere, & poſſidere, donec ipſius rei donatę poſſeſſionem accipiant corporalem, quam accipiendi ſua auctoritate, & retinendi deinceps eiſdem licentiam omnimodam dederunt: acto tamen inter prædictos magnificos DD., & homines donantes nominibus, quibus ſupra ex una parte, & prædictos ven. DD. Fratres Laurentium, Franciſcum, & Petrum, etiam nominibus, quibus ſupra donatarios ex altera, per pactum expreſſum ſolemni ſtipulatione hine inde vallatum, quod caſu, quo aliquo tempore contingeret, tam prædictis magnificis DD., & hominibus, tam in particulari, quam in communi, ac ſingularibus perſonis ejuſdem loci per aliquam perſonam, tam Eccleſiaſticam, quam ſecularem, moveri litem, quæſtionem, ſeu controverſiam, tam in judicio, quam extra occaſione prædictæ donationis, ac dependentibus ab ea, ſeu pro legatis, & relictis dictæ Eccleſiæ, ſeu permiſſionis factæ a Reverendiſſimo D. Epiſcopo Alben., nunc ex eo caſu ſupradicti ven. DD. Fratres Michael Provincialis, ut ſupra, ac ſupradicti donatarii promiſerunt dictam litem, ſeu lites in ſe ſuſcipere, ac defendere ſuis propriis expenſis, ac Ordinis prædicti, nulla ſibi facta denunciatione dictæ litis, ac ipſos præfatos magnificos DD., & homines, ac ſingulares perſonas dicti loci Garrexii, indemnes penitus conſervare a quacunque perſona, & perſonis, tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus prætextu, & occaſione dictæ donationis, ac dependentium ab ea. Item actum ut ſupra, & reſervatum fuit, quod Capella magna, & magnifica dictæ Eccleſiæ donatæ reſtet, & reſtare debeat in perpetuum ſub vocabulo, & nomine S. Bernardini, ad honorem cujus fuit fundata, propter quam donationem, ipſi ſupradicti DD. donatarii dictis nominibus promiſerunt, & convenerunt prædictis magnificis DD., & nominibus quibus ſupra curare cum effectu, quod præfatus R. P. Michael, & Ordo prædictorum, acceptabunt dictam donationem, & locum prædictum, ac ibidem fundabunt Monaſterium unum Ordinis prædictorum. Quæ omnia, & ſingula ſupraſcripta præfati magnifici DD. homines, ac Fratres, attendere, & obſervare promiſerunt, & in nullo contrafacere, dicere, vel opponere, aliqua ratione, vel cauſa de jure, vel de facto ſub obligatione bonorum ſuorum; De quibus omnibus, & ſingulis ſupradictis præceptum fuit mihi Notario infraſcripto confici unum, vel plura Inſtrumenta, & facta refici dictamine ſapientis, ſi opus fuerit, ſubſtantia in aliquo non mutata. Et Ego Johannes de Odella de Garrexio Publicus Imperiali auctoritate Notarius his omnibus præſens fui, vocatus, & rogatus ſcripſi, & ſignum meum, quo in ſimilibus utor, appoſui conſuetum, in fidem, & teſtimonium præmiſſorum &c.

De quibuſdam Fratribus Prædicatoribus transferendis (1) ad Ordinem B. Mariæ Teutonicorum (2).

Anno 1488 Die 9 Februarii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Revalien.; Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LII.

Diplomatis cauſa.

EXpoſcit devotionis dilecti filii Johannis Fridach de Loringhoria, Ordinis B. Marię Teutonicorum Jeroſolymitan. in Livonia Magiſtri, ſinceritas &c. Sane pro parte dicti Johannis, nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum in territorio in dominio ejuſdem Livonię, quod in partibus ultra marinis, & confinibus Turcorum, & ſchiſmatorum eſt conſtitutum, omnes Domus Fratrum Prędicatorum, quę dudum antea ſub regulari obſervantia non fuerant, per Superiores dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, reformatę fuerint, & aliqui ex Fratribus in illis degentibus, in eis remanſerint, alii vero, qui ante reformationem hujuſmodi, dictas Domos ingreſſi fuerant, tam propter ſenium, quam propter corporum debilitatem, ab eſu carnium abſtinere, & ſub obſervantię regularis inſtitutione remanere non valentes, a dictis domibus exiverint, ſive coacti fuerint, quam plures exire, & totaliter vagari cogantur, in caſtris, & fortalitiis, in quibus Milites dicti Ordinis B. Marię contra Chriſti nominis hoſtes continue pugnant, ſe receperunt, eiſdem Militibus in divinis officiis ſub habitu tamen dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, deſervientes. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dictus Ordo B. Marię hujuſmodi inſufficiens haberi non poſſit, magiſque conveniens exiſtat, dictos Fratres Ordinis Prędicatorum, qui cantando, & legendo horas Canonicas ſub eorum regula, cum Fratribus dicti Ordinis B. Marię conjungi, & illos ſub illius habitu recipere, quam quod illi hinc inde diſcurrant apoſtatando, pro parte ejuſdem Magiſtri, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut triginta ex Fratribus prędictis ad dictum Ordinem B. Marię tranſire volentibus, recipiendi, illiſque ad dictum Ordinem B. Marię, ſe transferendi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, volentes, tam Ordinis B. Marię, quam Fratrum Prędicatorum indemnitati paterna caritate conſulere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut triginta ex Fratribus prędictis, ad dictum Ordinem Beatę Marię tranſire volentibus, & per ipſum Johannem, ac pro tempore exiſtentem dicti Ordinis B. Marię in Livonia Magiſtrum eligendis, & per te acceptandis, ut ad eundem Ordinem B. Marię ſe transferre, ac in illo ſub ejus regulari habitu perpetuo remanere, dictoque Magiſtro, ut illos in dicto Ordine S. Marię recipere, libere, & licite valeant, licentiam concedendi, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus facultatem. Non obſtantibus felicis recordationis Martini PP. V. Predeceſſoris noſtri, quę incipit: Viam ambitioſę cupiditatis: ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c.

Facultas.

quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octnageſimo Septimo (4), Quinto Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Transferendis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XII.*
2. *Teutonicorum.*) Ordo eſt Militaris.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXV fol. 45.*
4. *Octuageſimo Septimo.*) Stylo Bullarum, æra communis *MCCCCLXXXVIII.*

Anno 1488 Die 7 Junii.

Conventus (1) e Provincia Saxoniæ ad Hollandiæ Congregationem (2) translatos, eidem Provinciæ reſtituit.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

LIII. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

HIs, quę, pro Religioſorum locorum omnium, ac perſonarum in illis ſub ſuavi Religionis jugo degentium, pace, & quiete facta fuiſſe dicuntur &c. Sane pro parte dilecti filii Joachini Turriani (4) Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Theologię profeſſoris, dictique Ordinis Generalis Magiſtri, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim ipſe, provide conſiderans magnas diſſenſiones, quę inter Fratres domorum dicti Ordinis, Provincię Saxonię, occaſione ſubjectionis de dictis domibus, illarumque Fratribus, tanquam per ſuos Prędeceſſores dicti Ordinis Generales, qui pro tempore fuerunt, nonnullis Vicariis extraordinariis, videlicet Congregationis Hollandię Ordinis ejuſdem factę, & reductionis ad obſervantiam dictę Congregationis, evenerant, ac volens deſuper pro debito ſui Generalatus officii providere, & diſſenſionibus hujuſmodi obviare, pacemque, & concordiam, inter Fratres Ordinis, & Provincię prędictorum fovere, domos, & Fratres Provincię, & Ordinis hujuſmodi ab obedientia eorundem Vicariorum, & cujuſcunque alterius, matura deſuper deliberatione pręhabita, ex ſua certa ſcientia amovit, & abſolvit, domoſque, & Fratres hujuſmodi in ſuum priſtinum ſtatum reſtituit, & redintegravit, & de cetero perpetuis futuris temporibus in illo permanere voluit, illoſque, & illas Provinciali Ordinis, & Provincię prędictorum pro tempore exiſtenti perpetuo ſubmiſit, & ſubjecit, ac omnibus, & ſingulis dictę Provincię Fratribus cujuſcunque forent conditionis, ne quovis modo hujuſmodi reſtitutioni, & ſubjectioni contravenire pręſumerent, ſub excommunicationis latę ſententię pęna mandavit, volens tamen, & ordinans, quod dictus Provincialis in domibus reformatis, obſervantiam foveret, & manuteneret, & alias Domos reformabiles reformaret, ac alia fecit, ſtatuit, & ordinavit, prout in quibuſdam literis authenticis dicti Generalis, deſuper confectis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte ejuſdem Generalis, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut abſolutioni, amotioni, redintegrationi, ſubmiſſioni, voluntati, mandato, ſtatuto, & ordinationi prędictis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui pacis amœnitatem inter quaſcunque perſonas, prę ſertim religioſas, quas decet a quibuſvis diſſenſionibus fore ſemotas, vigere, & augeri noſtris potiſſime temporibus, ſupremis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, abſolutionem, amotionem, redintegrationem, ſubmiſſionem, voluntatem, mandatum, ſtatutum, & ordinationem hujuſmodi, ac, prout illa concernunt, omnia, & ſingula in dictis literis contenta, & inde ſecuta quęcunque, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia approbamus, & confirmamus, ac perpetuę firmitatis robur obtinere decernimus, ſupplentes, omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et nihilominus potiori pro cautela, illa omnia, & ſingula de novo, modo, & forma premiſſis facimus, ſtatuimus, & ordinamus, quibuſcunque Fratribus dictę Provincię ſub excommunicationis latę ſententię pęna, quam eo ipſo, ſi contra fecerint, incurrant, diſtricte pręcipiendo mandantes, ne contra pręmiſſa, quovis modo, directe, vel indirecte, facere, vel venire pręſumant, ac decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus premiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis literis, etiam in forma Brevis, dictę Congregationi ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriis, & talibus, quod eis nonniſi ſub certis inibi expreſſis, modo, & forma, vel nullatenus derogari poſſit, per Nos, & Sedem Apoſtolicam conceſſis, quibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus pro illorum ſufficienti derogatione, ſpecialis, ſpecifica expreſſa, individua, ac de verbo, ad verbum, mentio habenda foret, tenores hujuſmodi prę ſentibus pro expreſſis habentes, hac vice duntaxat, eis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, conſtitutionis, ſuppletionis, ſtatuti, ordinationis, mandati, decreti, & derogationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Octavo, Septimo Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Confirmatio.

1. *Conventus.*) Quinam ſint Conventus iſti, docet *Bernardus* noſter *de Jonghe* in *Belgio Dominicano Tractat. Praliminar.* §. *IV pag.* 6.
2. *Congregationem.*) Conſulendus idem §. *III pag.* 2.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXVI fol.* 48.
4. *Turriani.*) Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLXXXVII pag.* 869.

Bar-

Barbaſtrenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1488
Die 15 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LIV.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Cęſarauguſtan., & dilectis filiis Abbati Monaſterii Montiſaragonum, Oſcen. (3) Dięceſis, ac Officiali Oſcen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Facultas.

PIis fidelium votis gratum nos decet pręſtare aſſenſum. &c. (4) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Majoris, domus, ac Confratrum Confraternitatis Sancti Salvatoris in Capella ejuſdem Sancti Salvatoris prope, & infra muros oppidi de Barbaſtro, Oſcen. Dięceſis (5), petitio continebat, quod cum alias Capella prędicta, quę olim Synagoga Judęorum exiſtebat, ordinaria auctoritate in Capella ſub invocatione Sancti Salvatoris erecta, & dedicata, & inibi pręfata Confraternitas ſub dicta invocatione inſtituta fuiſſet, dicti Confratres obligarunt ſe ordinario loci quod pro uno perpetuo Beneficiato in dicta Eccleſia inſtituendo trecentos ſolidos monetę Jacren. (6) annis ſingulis darent, & aſſignarent, & quia Capella ipſa reparatione, & ornamentis indigebat, dictus ordinarius eiſdem Confratribus antequam ad erectionem alicujus beneficii in dicta Capella in perpetuum Beneficiatum inſtitueret, eiſdem Confratribus conceſſit, ut dictos trecentos ſolidos ad certum tempus in ornamenta, & reparationem Capellę hujuſmodi pro premiſſis, & aliis piis operibus converterent. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ad inſtitutionem dicti Beneficiati nondum proceſſum extiterit, cupiantque dicti Confratres pro divini cultus augmento, & ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem Fratrum Pędicatorum gerunt, apud dictam Capellam unam domum Ordinis prędicti fundari, & ędificari facere, ut Fratres prędicti inibi horis diurnis, & nocturnis continuo Altiſſimo valeant famulari, pro parte pręedictorum Prioris, & Majoris, domus, ac Confratrum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis apud dictam Capellam unam domum pręedicti Ordinis cum cęmeterio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis conſtruendi, & ędificandi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis, & divini cultus augmentum, noſtris potiſſime temporibus, ubique vigere & augeri, intenſis deſideramus affectibus, pręfatos Priorem, & Majorem, domus, ac Confratres, & eorum quemlibet a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum Priori, & Majori domus, ac Confratribus pręedictis, apud Capellam pręedictam unam domum cum campanili humili, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, & hortalitiis, ac aliis officinis neceſſariis, pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis, ſine alicujus pręjudicio conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, ac Fratribus pręedictis illam pro eorum uſu, & habitatione perpetuis, & Capellam pręedictam pro divinis officiis celebrandis, recipiendi, necnon Capellam ad inſtar aliarum domorum dicti Ordinis reformandi, & mutandi, auctoritate noſtra licentiam, & facultatem concedatis, ac dictos trecentos ſolidos eidem domui, poſtquam conſtructa, & ędificata fuerit, pro Fratrum pręedictorum, in ea pro tempore degentium, ſuſtentatione eadem auctoritate applicetis. Nos enim Priori, & Fratribus, qui domum pręedictam inhabitabunt pro tempore, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, & exemptionibus, aliis domibus dicti Ordinis in genere nunc, & pro tempore, conceſſis, uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali gratia indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne pręedicti, aut cujuſvis alterius Mendicantium Ordinum profeſſores domos, vel loca de novo recipere, vel recepta mutare pręſumant, ſine Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente de prohibitione hujuſmodi plenam, & expreſſam mentionem, & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Octavo, Idibus Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Barbaſtren.*) Vulgo *Balbaſtro*, in *Aragonia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLII fol.* 126.
3. *Oſcen.*) Vulgo *Hueſca*, in *Hiſpania Tarraconen.*
4. *Aſſenſum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Oſcen. Diœceſi.*) Nunc Epiſcopalis eſt *Barbaſtrenſis* Civitas.
6. *Monet. Jacren.*) Fortaſſis: *Curren.*, ſeu *Currentis*, ut vulgo dicitur: Italis *Moneta corrente*: vel legendum: *Jaccen.*, & dicendum, quod huic monetæ nomen inditum fuit ex Urbe Jacca. Eſt in *Aragonia* Regno.

De

Anno 1488 Die 24 Julii.

LV.

De reformando Piſano (1) Cœnobio S. Catharinæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Generali Miniſtro (3) Ordinis Prędicatorum.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INtelligentes, Monaſterium S. Catherinę (4) de Piſis, neceſſaria indigere reformatione, tibi, cui ex officio hoc incumbit, & de cujus integritate pręcipuam in Domino fiduciam obtinemus, committimus per pręſentes, ut ad ipſum Monaſterium te conferas, illudque, tam in capite, quam in membris reformes, & reducas ad Obſervantiam Ordinis Prędicatorum Congregationis Lombardię, Deum prę oculis habendo, & agendo quicquid ſecundum Deum, & conſcientiam tuam bono regimini dicti Monaſterii juxta ſalubria ejuſdem Ordinis, & Congregationis inſtituta cognoveris expedire; Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIV Julii MCCCCLXXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Hie. Balbanus.

1. *Piſano*.) Conſulendus *Fontana de Romana Provincia Cap. II Tit. V pag. 96. &c.*
2. *Archivo*.) In quo Autographum.
3. *Miniſtro*.) Sic nonnunquam falluntur amanuenſes. Legendum: *Magiſtro*.
4. *Catherina*.) Alias ſic, nunc ſcribitur *Catharina*.

Anno 1488 Die 18 Auguſti.

LVI.

De reformando Piſano (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum (3) precibus dilecti filii Laurentii Medicis (4) inclinati commiſimus dilecto filio Generali Ordinis tui per alias noſtras literas in forma Brevis, ut Conventum Sanctę Catharinę de Piſis reformaret, ad inſtar aliorum Conventuum Lombardię reformatorum, prout in ipſis literis latius continetur; hoc ſi factum eſt, laudamus: ſin autem, committimus tibi, & auctoritate Apoſtolica mandamus ſub pęna excommunicationis latę ſententię, quatenus infra dies decem, poſtquam has acceperis, ſive per te, ſive per alium idoneum, & probatum Religioſum tui Ordinis antedictum Conventum Sanctę Catharinę de Piſis tam in capite, quam in membris reformes: quem tuę curę, & directioni, & regimini in omnibus, & per omnia ſive reformatum, ſive reformandum, ac ſucceſſoribus tuis ſubiicimus: itaut de ipſo diſponere poſſis, ſicut de aliis Conventibus Lombardię reformatis, & tuę curę ſuppoſitis diſponere potes, & debes. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Aug. MCCCCLXXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Piſano*.) Nunc juris eſt *Romanæ* Provinciæ.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar in *Bullario Bononien. pag.* 48.
3. *Dudum*.) Die ſcilicet *XXIV* Julii.
4. *Medicis*.) Gens eſt nobiliſſima, quæ nunc etiam floret.

Anno 1488 Die 9 Septembris.

LVII.

De Valliſoletano (1) Collegio fundando.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa. INter curas multiplices, quę nobis ex paſtorali officio &c. (3). Dudum ſiquidem pro parte Ven. Fratris noſtri Alfonſi (4) Epiſcopi Palentin. Nobis expoſito, quod ipſe, qui Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor fuit, pia devotione ductus ſummopere deſiderabat in oppido Valliſoleti Palentin. Diœceſis, quod in partibus illis admodum inſigne exiſtit, & in quo ſecunda Univerſitas Studiorum generalium Caſtellę, & Legionis Regnorum eſt conſtituta, ac una magna, & ampla Domus Fratrum dicti Ordinis
Nota. de obſervantia reformatorum nuncupatorum, exiſtit, in qua continuo profeſſores dicti Ordinis in magno numero degebant, unum Collegium, in quo Fratres dicti Ordinis de obſervantia, reformati nuncupati, ſacrarum literarum ſtudio operam dantes, continue degant, & exinde verbum Dei, ad quod
Nota. dictus Ordo principaliter inſtitutus fuerat, Chriſti fidelibus prędicare, & animabus ſalutem afferre poſ-

poſſent, magnis ſumptibus, & expenſis erigere, & inſtituere, quodque Domum pro hujuſmodi Collegio non ſine maximis expenſis jam ędificare cępcrit; Nos certis judicibus in partibus illis eorum propriis nominibus non expreſſis aliis noſtris literis (5) dedimus in mandatis, ut ipſi, vel duo, aut unus eorum eidem Alfonſo Epiſcopo Collegium hujuſmodi Fratribus dicti Ordinis de obſervantia nuncupatis, qui inibi literarum ſtudio vacare poſſent in Domo prędicta erigendi, & inſtituendi, ac dictos Fratres ſtudentes ad libitum ſuum in eo commorandi, quorum unus eorum dicti Collegii Rector, atque laudabilia ſtatuta, & ordinationes, non tamen Sacris Canonibus concernentia (6), ſecundum quę Collegium, & Scholares, in eo pro tempore degentes, vivere, & quę perpetuo obſervari deberent, in antea condendi, licentiam, & facultatem concederent, ac quod Fratres in dicto Collegio pro tempore exiſtentes, non tamen ultra numerum ſexdecim, quandiu in eo eſſent, ſolum pro tempore exiſtenti Vicario Generali dicti Ordinis reformatorum de obſervantia nuncupatorum, dictorum Regnorum, ſubjecti exiſterent, quodque, ut ſtudio melius vacare poſſent, carnibus tempore quo illarum eſus aliis Chriſti fidelibus, vel Religioſis, non eſt prohibitus, veſci, ac camiſiis, & linteaminibus lineis, uti, & in illis dormire libere, & licite, & abſque alicujus peccati, & tranſgreſſionis Regulę & ſtatutorum dicti ordinis incurſu valeant, ſtatuerunt, & ordinaverunt, & alia, tunc expreſſa, facere curaverunt, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Epiſcopi, petitio continebat, ipſe ſummopere cupiat Collegium prędictum, quod vigore literarum prędictarum cęptum fuit, plurimum ampliare, ac ut Fratres inibi pro tempore degentes, ſemotis quibuſvis obſtaculis, & diſpendiis, literarum ſtudio commodius vacare poſſint, pro parte ejuſdem Epiſcopi, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi quod numerum prędictum ſexdecim Fratrum, uſque ad numerum viginti augere poſſit, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Facultas. literarum ſtudium, pręſertim per quod fides catholica exaltatur, & ampliatur, ubique vigere, & augeri noſtris potiſſime temporibus ſupernis deſideramus affectibus, pium, & laudabile propoſitum dicti Epiſcopi, plurimum in Domino commendantes, ipſumque Epiſcopum a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Epiſcopo, quod Collegium dictorum ſexdecim Fratrum, uſque ad numerum viginti Fratrum Ordinis hujuſmodi augere, libere, & licite valeat, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium licentiam concedimus, ipſiſque Fratribus, ultra dictum numerum ſexdecim in dicto Collegio deputandis, quod omnibus, & ſingulis pręrogativis, & gratiis, aliis ſexdecim Fratribus prędictis conceſſis, gaudere poſſint, indulgemus; Et quod vicarius, qui Fratres pro tempore in dicto Collegio exiſtentes viſitabit, aliqua jura, ſeu pecunias, ac victum ab eis, ſeu Collegio hujuſmodi exigere, ac aliquos Fratres in dicto Collegio collocare, & ab illo mutare, vel amovere nequeat, ſed id tantum licere prefato Epiſcopo, & pro tempore exiſtenti dicti Collegii Gubernatori, alias juxta ſtatuta Provincię condita, & condenda, quę ſemper valida, & in ſuo robore permanerent, quodque nulla perſona, etiam cujuſcunque ſtatus, ordinis, & conditionis, etiamſi dicti Ordinis Frater fuerit, in dicto Collegio, contra illius ſtatuta, & ordinationes, hoſpitari, & eſſe, ac nullus etiam de dicto Collegio, aliqua ornamenta eccleſiaſtica, aurea, & argentea, jocalia, & utenſilia Domus, & alia bona dicti Collegii ab eodem Collegio extrahere, ſeu in pignus dare, vel alienare, nec meliorationis, aut reparationis cauſa poſſint, ſub excommunicationis latę ſententię pęna, quam contrafacientes, eo ipſo incurrerent, & a qua, non niſi a Sede Apoſtolica, pręterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi poſſint, eadem auctoritate ſtatuimus, decernimus, & ordinamus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, conſuetudinibus, & privilegiis dicti Ordinis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, conceſſionis, Indulti, Conſtitutionis, Decreti, & ordinationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Octavo, Quinto Idus Septembris (7), Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Valliſoletano.*) In *Hiſpania.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLII fol.255.*
3. *Officio &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Alfonſi.*) *Burgos*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Sixti IV.*
5. *Literis.*) Mox tranſcribendis.
6. *Concernentia.*) Contraria.
7. *Quinto Idus Septembris.*) Hinc liquet quod a die Coronationis duntaxat Annos Pontificatus ſui *Innocentius VIII* numerabat in Bullis, non autem ab Electionis die.

Eadem de re (1).

Anno 1488 Die.....

Ex Johanne Lopez in Hiſtoria Ordinis III Parte Lib. III Cap. LXXXVI.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. LVIII.

APoſtolicę dignitatis ſpeculatores conſtituti &c. Sane pro parte venerabilis Fratris noſtri F. Alfonſi Epiſcopi Palentini &c. Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſe qui Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor fuit, pia devotione ductus ſummopere deſiderat, in oppido Valliſoleti Palentinę Diœceſis, quod in partibus illis admodum inſigne exiſtit, & in quo ſecunda Univerſitas ſtudiorum Generalium Caſtellę, & Legionis Regnorum eſt inſtituta, atque una magna ampla Domus Fratrum dicti Ordinis de obſervantia reformatorum nuncupatorum, in qua continue profeſſores dicti Ordinis in magno numero degunt, unum collegium, in quo ſexdecim Fratres Ordinis prędicti de obſervantia reformati nuncupati ſacrarum literarum Studio operam dantes continue degant, ut exinde Verbum Dei, ad quod dictus Ordo principaliter inſtitutus fuit, Chriſtifidelibus prędicare, & animabus ſalutem afferre poſſint, maximis ſumptibus & expenſis erigere, ſi ſibi ad id Apoſtolica auctoritas ſuffragetur. Quare

pro

pro parte ejuſdem Alfonſi, qui cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Regis, & cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Eliſabeth Reginę eorundem Regnorum Illuſtrium Conſiliarius ex ſtit, ac domum pro hujuſmodi Collegio non ſine magna expenſa jam ędificare cępit, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi Collegium hujuſmodi in dicto oppido, ac domo prędicta, loco ad hoc convenienti &c. Romę 1488.

2. *Eadem de re.*) Conſtitutionem iſtam, mutilam licet, tranſcribendam duximus.

Anno 1488 Die 9 Septembris.

Conſervatores creat qui præcedens Diploma ſervandum curent.

Ex Archivo (1) Ordinis.

LIX. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Secularibus, & Collegiatę Beatę Marię de Friſillis, Palentin. Diœceſis, & de Froneca Burgen. Abbatibus, ac Priori ipſius Palentin. Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt Literę tenoris ſubſequentis. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam. Inter curas multiplices &c. (2). Quo circa diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, Epiſcopo Palentin., ſeu Gubernatori, ac Fratribus Ordinis Prędicatorum in dicta Domo pro tempore degentibus, in premiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra, omnia, & ſingula premiſſa inviolabiliter obſervari, non permittatis eos per quoſcunque deſuper indebite moleſtari, & nihilominus, illos, quos hujuſmodi excommunicationis ſententiam vobis incurriſſe conſtiterit, quoties ſuper hoc pro parte Epiſcopi, Gubernatoris, & Fratrum prędictorum, fueritis requiſiti, tandiu Dominicis, & aliis feſtivis diebus in Eccleſiis, dum major inibi populi multitudo ad Divina convenerit, excommunicatos publice nuncietis, & faciatis ab aliis nunciari, ac ab omnibus arctius evitari, donec ſtatuto, & ordinationi veſtris prędictis realiter, & cum effectu parere curaverint, ipſique exinde ab hujuſmodi excommunicationis ſententia abſolutionis beneficium meruerint obtinere. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. non obſtantibus omnibus ſupradictis, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam &c. de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Octavo, Quinto Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLII fol. 156.*

2. *Multiplices &c.*) Ut in præcedenti Conſtitutione ad finem uſque.

Anno 1488 Die 22 Septembris.

Ut per Villadenſem (1) Priorem liceat Fratribus ejuſdem Cœnobii ter qualibet hebdomada veſci carnibus (2).

Ex Archivo (3) Ordinis.

LX. INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecte (4) fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ſicut dilecti filii Fratres tuę domus Nobis exponi fecerunt, ſępe numero contingat, ut urgente neceſſitate expediat eis comedere carnes, Nos, volentes deſuper indemnitati eorum paterna caritate, conſulere, tibi cum Fratribus prędictis, ut diebus Dominicis, ac III, & V Feria carnes libere, ac licite, urgente tamen neceſſitate, comedere poſſint, diſpenſandi auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium licentiam concedimus, & etiam facultatem, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Domus, Ordinis, & obſervantię prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXII Septembris MCCCCLXXXVIII Pontificatus noſtri Anno Quinto.

A. Kapezuntius.

1. *Villadenſem.*) Juris eſt Provincialis *Hiſpaniæ.*
2. *Carnibus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Villadenſi.*
4. *Dilecte.*) Deeſt inſcriptio Diplomatis, quæ ſic reſtituenda: *Dilecto filio Priori Conventus Villaden. Ordinis Fratrum Prædicatorum.*

Gal.

Galwienſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1488 Die 4 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Decano, & Willelmo Omnllarchlyn, ac Willelmo Machay Canonicis Eccleſię Enachdwen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LXI.

Cognita devotionis conſtantia, fidei quoque integritas, quas dilecti filii incolę oppidi Galwyę, Enachdwen. Diœceſis, ad Nos, & Romanam gerunt Eccleſiam, non indigne promerentur &c. (4). Cum itaque, ſicut accepimus, Capella B. Marię de Colle extra, & prope dictum oppidum vacet ad pręſens, & tanto tempore vacaverit, quod de ejus vacationis modo certa notitia non habetur, &, ut exhibita Nobis nuper pro parte incolarum prędictorum, petitio continebat, ipſi ſperent, quod ſi Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſores, ad quos gerunt ſpecialem devotionis affectum, haberent in dicto Oppido, aut extra, prope illud, aliquam Domum pro decenti habitatione unius Prioris, & aliquorum Fratrum dicti Ordinis, ipſi incolę eorundem Prioris, & Fratrum pro tempore in dicta Domo habitantium, exemplari vita, aſſidua, & devota divinorum celebratione, audientia Confeſſionum, & prędicationibus Verbi Dei, ac exhortationibus ad bene vivendum facilius poſſent conſequi animarum ſuarum ſalutem, fuitque propterea pro parte eorundem incolarum Nobis humiliter ſupplicatum, ut Capellam predictam, quę, etſi, ut a nonnullis aſſeritur, ad collationem, pręſentationem, ſeu aliam diſpenſationem dilectorum filiorum Abbatis, & Conventus Monaſterii S. Trinitatis Pręmonſtraten. Ordinis, Tuamen. Diœceſis, ſeu alias pertineat, tamen a longo tempore citra per diverſos clericos ſeculares, de facto detenta fuit, dicto Ordini Fratrum Prędicatorum, & pro illo Priori Provinciali, & Fratribus Provincię Hibernię dicti Ordinis ſecundum morem ejuſdem Ordinis applicare, & ut apud illam, unam Domum cum opportunis campanili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui, & ędificari facere, ac pro eorum perpetuis uſu, & habitatione recipere, & inhabitare valerent, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui animarum ſalutem, procurari, Religionis ſtatum propagari, & divinum cultum adaugeri, noſtris potiſſime temporibus ferventibus deſideriis affectamus, verum ultimę vacationis dictę Capellę modum, etiamſi ex illo, vel loco ejus, generalis reſervatio reſultet, pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam, vocatis Abbate, & Conventu predictis, & aliis, qui fuerint evocandi, ita eſſe repereritis, Capella prędicta, quę ſine cura eſt, & cujus fructus, redditus, & proventus unius marchę Sterlinghorum, ſecundum extimationem, valorem annuum, ut dicti incolę aſſerunt, non excedunt, quovis modo, & ex cujuſcunque perſona, etiamſi per liberam cujuſvis reſignationem de illa extra Romanam Curiam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, vacet, & tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateran. ſtatuta Concilii, ad Sedem prędictam legitime devoluta, ipſaque Capella diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper ea, inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore dat. pręſentium non ſit in ea alicui ſpecialiter jus quęſitum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, Ordini, & pro illo, Priori Provinciali, & Fratribus prędictis, auctoritate noſtra concedatis, & ut apud illam, unam Domum cum campanili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui, & ędificari facere, ac pro eorum perpetuis uſu, & habitatione recipere, & inhabitare libere, & licite valeant, jure tamen Parochialis Eccleſię, & dicti Monaſterii, ac cujuslibet alterius in reliquis omnibus ſemper ſalvo, & ſine prędjudicio cujuſcunque, dicta auctoritate, licentiam largiamini, inducentes per vos, vel alium, ſeu alios, eoſdem Priorem, & Fratres, vel eorum Procuratorem eorundem nomine in corporalem poſſeſſionem Capellę, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, & defendentes inductos, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes eis de ipſius Capellę fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integre provideri. Contradictores auctoritate noſtra &c. non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, pręſertim prohibente, ne prędicti, & aliorum Mendicantium Ordinum Fratres, nova loca ad inhabitandum recipere pręſumant &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. quibuſcunque. Aut ſi aliqui, ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis &c. dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarunt, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem &c. ſit proceſſum. Quas quidem literas, & proceſſum &c. ad dictam Capellam, volumus non extendi &c. ſeu ſi ven. Fratri noſtro Epiſcopo Enachdwen., ac Abbati, & Conventui pręfatis &c. a dicta ſit Sede indultum, quod ad receptionem, vel proviſionem alicujus, minime teneantur &c., aut quod interdici, ſuſpendi &c. & qualibet alia dictę Sedis Indulgentia &c. & de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis; Nos enim ſi Capellam prędictam eiſdem Ordini, Priori, & Fratribus per vos vigore pręſentium concedi, & licentiam hujuſmodi largiri, contingat, eidem Domui, Priori, ac Fratribus, qui illam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, favoribus, conceſſionibus, & indultis, quibus alię Domus dicti Ordinis, & in illis pro tempore degentes, Priores, ac Fratres in genere potiuntur, & gaudent, ac potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, Apoſtolica auctoritate indulgemus; Et inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his &c. contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Octavo, Pridie Nonas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Supplex petitio.

Facultas.

1. *Galvvien.*) In *Hibernia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXVII fol.* 19.
3. *Enachdovven.*) *Alachden*, vulgo *Avaghdovvne*, nonnullis *Kill-alla*, in *Hibernia*, ſub *Tuamenſi* Metropoli.
4. *Promerentur &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Anno 1488 Die 16 Decembris.

De tribus Cœnobiis fundandis in Hibernia.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

LXII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Hibernię ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

SAcrę Religionis, in qua ſub jugo voluntarię paupertatis, devotum, & ſedulum Deo exhibetis obſequium, promeretur honeſtas &c. (2) Exbibita ſiquidem Nobis nuper pro parte veſtra, patitio continebat, quod nobilis vir Baro de Norach, & Eugenius Macdonchard, ac Edmundus de Lantu Laici Kaldaren. (3), & Akaden. (4), ac Miden. (5) Diœceſum, dilecti filii, pia devotione, quam ad Ordinem veſtrum, illiuſque perſonas, ob earum bonos, & exemplares mores, ac vitę ſanctimoniam, uberesque fructus, quos continuis prędicationibus verbi Dei, & aliis bonis operibus in populo Miden. Diœceſis afferunt, ducti, certa loca, ſive terras Intyma Kudir, & Colynymihan (6), ac Fonſchormaci (7) nuncupata, ad eoſdem Baronem, Eugenium, & Edmundum legitime pertinentia in eiſdem Diœceſibus conſiſtentia, vobis ad effectum, ut ibidem Domus pro habitatione Fratrum ejuſdem Ordinis conſtruantur, & ędificentur, ſalvo Sedis Apoſtolicę beneplacito, dederunt, & conceſſerunt. Quare pro parte veſtra, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis terras, & loca prędicta recipiendi, & in illis tres Domos pręfati Ordinis cum Eccleſiis, campanilibus humilibus, campanis, dormitoriis, clauſtris, refectoriis, & aliis officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis conſtruendi, & ędificandi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem, & cultum hujuſmodi noſtris potiſſime temporibus vigere, & augeri intenſis deſideramus affectibus, veſtrum quemlibet ex quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutum fore cenſentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis terras, & loca prędicta recipiendi, & in illis tres Domos cum Eccleſiis, campanilibus humilibus, campanis, clauſtris, refectoriis, dormitoriis, hortis, hortalitiis, aliiſque officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis, ſine alicujus pręjudicio, conſtruendi, & ędificandi, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam concedimus, ac Domibus prędictis, &, qui illas inhabitabunt pro tempore, Fratribus, quod omnibus, & ſingulis, gratiis, privilegiis, & indulgentiis, libertatibus, immunitatibus, & indultis, aliis domibus, & Fratribus dicti Ordinis per Sedem prędictam in genere conceſſis, & concedendis, uti, & gaudere libere, & licite poſſint, eadem auctoritate indulgemus, jure tamen parochialium Eccleſiarum, in quibus Domus ipſę ędificandę conſiſtunt, & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne cujuſvis Ordinis Mendicantium Fratres, in aliqua Civitate, vel villa, ſeu caſtro, vel alio loco ad habitandum Domos, ſeu loca quęcunque, de novo recipere pręſumant, ſine Sedis prędictę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, conceſſionis, & indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Octavo Decimo Septimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Facultas.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXVII fol.* 273.
2. *Honeſtas &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
3. *Kaldaren.*) *Kildarien.*, ſub Metropoli *Dublinien.*
4. *Akaden.*) *Achaden.*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*.
5. *Miden.*) *Meden.*, ſub *Armachana* Metropoli.
6. *Colynymihan*.) Forſitan: *Cluinmhicen.*
7. *Fonſchormaci*.) Fortaſſis: *Roſcomaci.*

Anno 1489 Die 5 Januarii.

De reædificando Audomarenſi (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXIII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

HIs quę pro Eccleſiarum, ac Religioſorum locorum &c. (3) Sane pro parte dilectorum filiorum, Prioris, & Fratrum Domus oppidi S. Audomari Ordinis Prędicatorum, Morinen. (4), Diœceſis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim Magiſter Generalis, ac Provincialis Provincię Francię Ordinis ejuſdem, ſecundum morem dicti Ordinis, provide attendentes, quod Domus prędicta, cauſantibus bellorum turbinibus, quibus partes illę, proh dolor, afflictę fuerant, penitus diruta, & ſolo ęquata erat, ac ad ędificationem illius Chriſti fidelium ſuffragia eſſent plurimum opportuna, unam Confraternitatem ad honorem B. Virginis ſub invocatione pietatis, & doloris, quas ipſa Virgo in Paſſione D. N. J. Chriſti pertulit, inſtituerunt, ac Confratres dictę Confraternitatis utriuſque ſexus, tam pręſentes, quam futuros, ut ipſos ad contribuendum reędificationi dictę Domus inducerent, in omnibus Miſſis, ſuffragiis, jejuniis, prędicationibus, ſinguliſque aliis bonis, quę per Fratres, & Sorores dicti Ordinis fierent, participes effecerunt, ac Fratres pręfati omnes eleemoſynas ad ordinationem dicti Generalis, ac Diœceſani loci in trunco, diverſis clavibus clauſo, in reędificationem hujuſmodi fideliter convertendas, impoſuerunt, ipſeque Diœceſanus ordinationem hujuſmodi, ordinaria auctoritate approbavit, & confirmavit, ac tunc pręſentibus, & futuris Confratribus prędictis, quas potuit, Indulgentias conceſſit, & dein-

Digitized by Google

deinde tunc Vicarius, tunc Epiſcopi Morinen. in ſpiritualibus Generalis, nonnullique alii locorum Diçceſani, omnes Confratres prędictos in premiſſis contribuentes in omnibus bonis operibus meritoriis, quę per ſuos ſubditos in eorum Diçceſi reſpective fierent, participes efficerentur, & ſucceſſive venerabilis Frater noſter Lucas Epiſcopus Sibinicen., tunc in partibus illis cum poteſtate Legati de Latere Apoſtolicę Sedis Nuncius, habens ad id, ut aſſerebat, ab eadem Sede per ejus literas facultatem, illius vigore, & ſimiliter nonnulli S. R. E. Cardinales, eiſdem Confratribus, certis diebus tunc expreſſis, nonnullas alias Indulgentias conceſſerunt, prout in diverſis literis authenticis deſuper confectis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut institutioni, conceſſionibus, & Indulgentiis prędictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę Confirmationis adiicere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Eccleſiarum, ac Religioſorum locorum omnium conſervationem, & inſtaurationem, ac animarum ſalutem, divinique cultus augmentum, noſtris potiſſime temporibus ſupernis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, inſtitutionem, conceſſiones, & Indulgentias prędictas auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et inſuper ipſis Confratribus, qui nunc ſunt, & infra quinquennium futuris, ut ipſi, & quilibet eorum, aliquem idoneum Presbyterum ſecularem, vel cujuſvis Ordinis Religioſorum, in eorum poſſint eligere Confeſſorem, qui vita eis comite, in caſibus Sedi Apoſtolicę reſervatis, pręterquam offenſę Eccleſiaſticę libertatis, criminum Hęreſis, rebellionis, aut conſpirationis in perſonam, vel ſtatum Romani Pontificis, ſeu Sedem Apoſtolicam, falſitatis literarum Apoſtolicarum, ſupplicationum, & commiſſionum, invaſionis, depredationis, vel occupationis, vel devaſtationis terrarum, & maris Romanę Eccleſię, mediate, vel immediate ſubjectarum, offenſę perſonalis in Epiſcopum, vel alium Prelatum, prohibitionis devolutionis cauſarum ad dictam Curiam, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes Infidelium, ſemel duntaxat in vita, in aliis vero, quoties fuerit opportunum, Confeſſionibus eorum diligenter auditis, pro commiſſis eis, debitam abſolutionem impendat, & injungat pęnitentiam ſalutarem, necnon vota quęcunque voluntaria, liminum Apoſtolorum, & S. Jacobi in Compoſtella, & caſtitatis, & Religionis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera convertere valeat; quodque Confeſſor, quem duxerint eligendum, omnium peccatorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, ſemel in vita, & in mortis articulo, plenam remiſſionem eis in ſinceritate ſimili unitatis S. R. Eccleſię, ac obedientia, & devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica, concedere valeat, ſic tamen, quod idem Confeſſor, de iis, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam eis per eos, ſi ſupervixerint, vel per alios, ſi forſan tranſierint, faciendam injungat, quam ipſi facere teneantur, ut prefertur. Et ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam, vel conceſſionem reddantur proclíviores, ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod ſi a ſinceritate fidei, unitate Romanę Eccleſię, ac obedientia, & devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, deſiſterent, aut ex confidentia ejuſdem conceſſionis, vel remiſſionis, aliqua forſan committerent, conceſſio, remiſſio, ac quoad illas pręſentes literę nullatenus ſuffragentur, quodque ipſi Confratres ſic contribuentes, viſitando aliqua Altaria, ſeu Eccleſias per Priorem dictę Domus pro tempore exiſtentem, vel Confeſſorem per eos eligendum deputanda, omnes Indulgentias conſequantur, quas conſequuntur viſitantes Eccleſias, in quibus Stationes Urbis, diebus, quibus illę conceſſę fuerint, eadem auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpecialis dono gratię indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Volumus autem, quod ſi pręfatis Confratribus, aliqua alia Indulgentia, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti, & quia difficile foret ipſas literas ad ſingulas perſonas, aut loca, in quibus expediens fuerit, deferre, volumus, & eadem Apoſtolica auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, manu publici Notarii, inde rogati, ſubſcriptis, & ſigillo alterius perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę, aut Curię Eccleſiaſticę, vel Prioris, & Fratrum dictę Domus munitis, ea prorſus fides indubia adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo &c. noſtrę approbationis, confirmationis, ſuppletionis, conceſſionis, voluntatis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Octavo, Nonis Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Confraternitas conſtituta.

1. *Audomaren.*) Vulgo *Saint Omer*, in *Belgio*. Juris eſt Provinciæ *S. Roſæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. LXX fol. 64.
3. *Locorum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Morinen.*) Nunc Epiſcopalis eſt Urbs *S. Audomari*.

Varia privilegia (1) concedit Fratribus Provinciæ Hiſpaniæ.

Anno 1489 Die 28 Februarii.

Ex Roderico in Nova Collectione Privilegiorum Apoſtol. pag. 208.

LXIV.

Petrus (2) miſeratione divina Sanctorum Coſmę, & Damiani (3), Romanę Eccleſię Diaconus Cardinalis, de Fox nuncupatus (4), univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Exordium.

RAtio exigit, & ęquitas perſuadet, ut teſtimonium veritati perhiberi valeat. Igitur notum facimus, per pręſentes, quod nuper Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter Dominus Innocentius, divina providentia Papa Octavus, conſultatione veſtra (5), ac volens Vicario Generali, ac ſingulis Prioribus, ac Fratribus univerſarum Domorum Ordinis Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, Congregationis Provincię Hiſpanię, pręſentibus, & futuris, & perpetuo ſcrupulum conſcientiarum ipſorum au-

Privilegia.

auferre, vivę vocis oraculo, nobis facto, motu proprio, & certa ſcientia diſpenſavit cum dictis Fratribus ſuper poſſeſſionibus, & redditibus habendis, alias juxta formam Bullę Mare magnum nuncupatę, auferendo maledictionem Sancti Dominici, & non obſtantibus Conſtitutionibus dicti Ordinis, prohibentibus, ne Fratres ejuſdem Ordinis habere poſſeſſiones poſſent. Item quoniam eum in partibus Hiſpanię pro majori parte medici judęi exiſtant, nec facile poſſint in aliquibus locis reperiri medici Chriſtiani, idem Dominus noſter concedit licentiam eiſdem Fratribus pręſentibus, & futuris, etſi magnam neceſſitatem non habeant, cum judęis ſe medicandi, non obſtantibus quibuſcunque, prohibitionibus, & cenſuris eccleſiaſticis in genere, vel in ſpecie ſuper hoc editis. Item conceſſit, quod Fratres dictę Congregationis in Conventibus ſuis, & aliis locis, ubi eis concelebrare contingat, per horam ante diem, & per horam poſt meridiem, pręſertim quando prędicatur in Conventibus, & ſunt ſolemnia officia, Miſſam celebrare poſſint. Et quia non modicum periculum imminet animarum Fratrum dictę Congregationis ſi iidem Fratres gauderent perpetuo Confeſſionali in Bulla Cruciatę contra Saracenos Regni Granatę, contento, idem Dominus noſter declaravit, Fratres dictę Congregationis non poſſe gaudere Confeſſionali prędicto, ne detur Fratribus occaſio peccandi, & ab obedientia ſe ſubtrahendi, pręſertim cum tempore felicis recordationis Sixti PP. IV cum ſimilis gratia prędicaretur in Italia, in ſimili caſu fuerit declaratum per eundem Sixtum. Item quia nonnullis dubia occurrunt Fratribus, & occurrere poſſunt ſuper gratiis, & privilegiis tam Ordini, quam Congregationi prędictis conceſſis: idem Dominus noſter pro ſecuritate conſcientiarum ipſorum Fratrum concedit facultatem Vicario Generali dictę Congregationis pro tempore exiſtenti cum aliqua perſona in dignitate Eccleſiaſtica conſtituta, & duobus aliis Juriſconſultis interpretandi hujuſmodi dubia, & quod Fratres dictę Congregationis ſecure poſſint ſtare declarationibus per eoſdem faciendis. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium, pręſentes patentes literas per infraſcriptum notarium noſtrum fieri mandavimus, & nomine noſtro ſubſcripſimus, noſtrique magni ſigilli juſſimus, & fecimus appenſione communiri. Datum Romę in Domibus noſtrę habitationis, & ſolitę reſidentię ſub Anno a Nativitate Domini MCCCCLXXXIX indictione VII die vero ultima Menſis Februarii, Pontificatus ejuſdem SS. Domini noſtri Innocentii VIII Anno V.

P. Cardinalis de Fox.

1. *Privilegia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Petrus.*) E Regio *Cantabrorum* ſanguine procreatus. Conſulendus *Oldoinus apud Ciaconium Vit. Pontif.*, *& Cardinal. Tomo III ad annum MCCCCLXXI pag. 62.*

3. *SS. Coſmæ, & Damiani.*) Hinc *Oldoini* dubium ſolvitur. *Ciaconius*, inquit *Oldoinus* loco mox laudato, *huic attribuit Diaconiam SS. Coſmæ, & Damiani, ſed quo fundamento mihi ignotum: ex literis enim Sixti, quas in Vaticano Archivo ſæpe ſæpius vidit Felix Contelorius, habemus Petrum S. Sixti titulum ipſo initio Cardinalatus obtinuiſſe.* Sit ita: ex hoc tamen Diplomate liquet, *Petrum* titulo SS. *Coſmæ, & Damiani* donatum fuiſſe.

4. *De Fox nuncupatus.*) *Fuxenſis* ſcilicet, vulgo *Foix* Gens eſt nobiliſſima, de qua conſulendus *Guillelmus de la Perriere in Annal. Fuxen.*

5. *Veſtra.*) Fortaſſis: *Noſtra.*

Anno 1489 Die 12 Martii.

Privilegia (1) Congregationi Hiſpanicæ jam conceſſa firmat, aliiſque eandem Congregationem ornat.

LXV.

Ex Roderico in Nova Collectione Privilegiorum Apoſtolicor. pag. 204.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

SAcrę Religionis puritatem ubique vigere ſinceris deſideriis affectantes, illa quę propterea facta fuiſſe comperimus, ut firma perpetuo & inconcuſſa permaneant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus, ac pro Religionis ipſius conſervatione, & manutentione ſtatuimus, & ordinamus, prout cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Vicarii Generalis, ac univerſorum Priorum Fratrum Ordinis Prędicatorum Reformatorum nuncupatorum, Congregationis provincię Hiſpanię juxta morem dicti Ordinis Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim quondam Leonardus de Manſuetis, tunc Magiſter Generalis totius Ordinis prędicti nonnullas gratias eidem Congregationi conceſſit, quę poſtmodum per felicis recordationis Sixtum Papam Quartum Prędeceſſorem noſtrum Apoſtolica auctoritate confirmatę fuerunt, quas, & alias gratias eidem Congregationi, illiuſque particularibus domibus per Sedem Apoſtolicam conceſſas, pro illarum firmitate majori, Vicarius, Priores, & Fratres prędicti cupiunt per Sedem eandem confirmari. Et pro ipſius Congregationis, & Religionis augmento eidem Congregationi de novo concedi. Quare pro parte Vicarii, Priorum, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut omnes, & ſingulas gratias prędictas pro illarum ſubſiſtentia firmiori, approbare, & confirmare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, Vicarium, Priores, & Fratres prędictos, & eorum ſingulos a quibuſcunque Excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnes & ſingulas gratias eidem Congregationi, & illius particularibus domibus per Sedem eandem, etiam vivę vocis oraculo, pro animarum ſalute, & Religionis augmentatione conceſſas, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent pręſentibus, haberi volumus pro expreſſis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus. Et nihilominus ſtatuimus, & ordinamus, quod Vicarius Generalis dictę Congregationis, qui per unum triennium officium Vicariatus hujuſmodi exercuerit, immediate poſt dictum triennium non poſſit confirmari in Vicarium, nec de novo reeligi, niſi ad minus unum aliud triennium poſtquam Vicarius eſſe deſierit, tranſierit, quodque electio Vicarii Generalis dictę Congregationis ſemper fieri debeat Dominica Tertia poſt feſtum Reſurrectionis Dominicę, & ab illa die currit triennium, etiam ſi poſt ejus Electionem

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

ſta-

ſtatim non confirmetur. Et, ſi contingat, aliquem Vicarium infra triennium officii ſui ab hac vita decedere, vel ab officio vicariatus hujuſmodi abſolvi, vel amoveri, quod ſtatim Prior illius Conventus, qui
ejus vices juxta Conſtitutiones dicti Ordinis geſſerit, alios Priores ad electionem Vicarii Generalis convocare teneatur, nec differatur Electio uſque ad dictam Dominicam. Et, ſi fiat ante feſtum Omnium Sanc- Nota.
torum, annus ille inceptus cenſeatur completus in dicta Dominica; ſi vero poſt dictum feſtum electio hujuſmodi fiat, tempus illud, quod ſupererit, in dicto triennio non computetur; ſitque Vicarius Generalis
dictę Congregationis ſuperior omnium Monialium Monaſteriorum dicti Ordinis reformatorum, & reformandorum, & illas poſſit viſitare, & corrigere, quibuſcunque literis Apoſtolicis, quibusvis Fratribus
dicti Ordinis, pręſertim dilecto filio Alfonſo de Sancto Cypriano ſuper deputatione Vicariorum, Sociorum, & Confeſſorum, & Capellanorum, ac aliorum mutatione, necnon viſitatione hujuſmodi, etiam
cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, Clauſulis, conceſſis, non obſtantibus, excepto, quod
pręfatus Alfonſus officium viſitationis hujuſmodi in Zamoren., & Deſcon. Cypriano (2) dicti Ordinis Palentinę dięceſis Monaſteriis Monialium duntaxat exercere poſſit. Tamen in deputando ſocios, & Confeſſores, ac Capellanos hujuſmodi, illoſque mutando nullam habeat facultatem abſque licentia dictę Congregationis, ad quam diſpoſitio deputationis, & amotionis hujuſmodi pertineat. Et inſuper, quia in ſtatutis
dicti Ordinis inter alia cavetur, quod Conventus dicti Ordinis, in quo duodecim Fratres non eſſent, vocem in Capitulis non haberent, ſtatuta hujuſmodi moderantes, volumus, quod deinceps, quicunque Conventus dictę Congregationis, etiamſi numerus duodenarius non fuerit, dummodo in eo octo Fratres exiſtant, habeant vocem in Congregatione ſecundum formam dictorum ſtatutorum. Si tamen aliquis Conventus in poſterum reformandus adeo parvus, & pauper exiſtat, ut ibidem octo Fratres commodę ſuſtentari non poſſent, tunc Vicarius Generalis, cum Definitoribus dictę Congregationis poſſit illum alteri Conventui unire, & incorporare, & tunc talis non cenſeatur Conventus, ſed membrum Conventus: dummodo abſque ſcandalo hoc fiat, & in Eccleſia loci incorporati cultus divinus non ceſſet; quodque nullus
Frater dictę Congregationis Magiſterii, vel alium quemcunque Gradum in ſacra Theologia, niſi ad illum
per Capitulum dictę Congregationis expoſitus fuerit, aſſumere quoquomodo pręſumat, & ſi qui aliter pro- Nota.
moti fuerint, pro non promotis habeantur, & ad hujuſmodi Gradus inhabiles ſint, & eſſe cenſeantur. Et
cum propter magnas expenſas, quę in ſuſcipiendis gradibus in Univerſitate Salmantina fiunt, Fratres dictę Congregationis gradus hujuſmodi ibidem ſuſcipere commode non poſſint, quod Regens, & in ejus abſentia Prior domus Sancti Stephani Salmantini dictę Congregationis poſſint conferre quoſcunque Gradus
Fratribus dictę Congregationis per eandem Congregationem expoſitis, & admiſſis per Capitulum, vel
Magiſtrum Generalem dicti Ordinis, dummodo ſic graduati peregerint curſus ſuos. Et inſuper quod
deinceps Vicarius Generalis dictę Congregationis, ejuſque vices gerens, habeant eandem poteſtatem
ſuper dictam Congregationem, quam habent, vel habere poſſunt Prior Provincialis alicujus Provincię,
ejuſque Vicarius, & Viceſgerens, tam ex ſtatutis dicti Ordinis quam ex privilegiis Sedis Apoſtolicę, &
quia in Bulla, Mare magnum nuncupata, continetur, quod Fratres Prędicatores, & Moniales ſub eorum
cura degentes gaudeant, & gaudere poſſint perpetuis futuris temporibus, omnibus, & ſingulis privilegiis, & gratiis Fratribus Ordinis Minorum conceſſis, & a nonnullis vertitur in dubium, an hoc intelliga- Nota.
tur de gratiis tempore dictę Bullę conceſſis, vel ex tunc in antea concedendis, auctoritate, & tenore pręmiſſis declaramus, illud etiam intelligi debere de gratiis ex tunc concedendis. Et quod Fratres Prędicatores, & Moniales dictę Congregationis de obſervantia gaudeant privilegiis, & gratiis concedendis Fratribus Minoribus etiam de Obſervantia, & Monialibus Ordinis Sanctę Clarę, & Tertię Regulę S. Franciſci. Pręterea poſtquam olim pręfatus Sixtus Prędeceſſor eidem Conventui Salmantin., ut reformari non
poſſet per ſuas Literas clauſulas derogatorias in ſe continentes, conceſſerat, tunc Vicarius Generalis dictę
Congregationis quarundam aliarum literarum ipſius Prędeceſſoris ſibi ſuper facultate reformandi quoſcunque Conventus & Monaſteria Monialium dicti Ordinis Prędicatorum in Caſtellę, & Legionis Regnis
conſiſtentium, & illos reducendi ad ſuam Congregationem, conceſſarum vigore, plura ex Conventibus,
& Monaſteriis hujuſmodi, de quorum numero pręfatus Conventus S. Stephani exiſtit, reformavit, & cum
de juribus reformationis dict: Conventus S. Stephani pro eo quod in Literis eidem Vicario ſuper reformatione hujuſmodi conceſſis, nulla de priori conceſſione mentio habita extitit, a nonnullis hęſitetur, reformationem, tam pręfati S. Stephani, quam aliorum Conventuum dictę Congregationis in vim poſteriorum literarum hujuſmodi factam, ac inde ſecuta quęcunque &c. prioribus Literis non obſtantibus,
auctoritate, & tenore pręmiſſis, approbamus, & confirmamus, & nihilominus ſtatuimus, quod correctio
Fratrum dictę Congregationis undecunque ad terminos Pręſidentium Conventuum, etiam Reformatorum
venientium, juxta Conſtitutiones dicti Ordinis fieri debeat, & ad eoſdem Pręſidentes juxta conceſſionem
ejuſdem Leonardi ſuper hoc, ut pręfertur, factam, pertineat, quibuſcunque aliis privilegiis, indultis,
& literis Apoſtolicis, Scholaſtico, ac Univerſitati Salmantin., ac quibuſcunque Univerſitatibus per Sedem
Apoſtolicam conceſſis, & quę adverſus Pręſidentes nolumus in aliquo ſuffragari, non obſtantibus, dummodo propter correctiones faciendas ſtudium Fratrum corrigendorum non impediatur. Et inſuper, ne
per quaſcunque literas, & Conceſſiones Apoſtolicas Fratribus dictę Congregationis pro tempore conceſſas eiſdem Fratribus, vagandi, & extra obedientiam ſuorum Superiorum exiſtendi occaſio prębeatur,
volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod quęcunque ſimiles literę, ſeu conceſſiones eiſdem
Fratribus, tam circa reſidentiam in ſtudiis, atque Eremitoria inhabitandi, ſeu Capellaniis deſerviendi,
quam alias qualitercunque conceſſę, & in poſterum forſan concedendę, niſi prius per Vicarium Generalem, cum aliquibus Fratribus dictę Congregationis viſę fuerint, & ipſius Vicarii Generalis expreſſo conſenſu, nemini ſuffragentur, nec teneantur Vicarius, & Congregatio hujuſmodi, ſi contra Religionis honeſtatem, vel dictam Congregationem extortę fuerunt, pretextu quarumcunque ſententiarum, cenſurarum, ſeu perſonarum (3) inibi contentarum eiſdem obedire, ſaltem uſque ad ſecundam juſſionem, ſed
libere poſſint eiſdem contravenire, & illarum executionem impedire abſque alicujus pęnę incurſu. Demum cum in Dięceſi Civitatenſi, in quadam aſpera Rupe quędam domus dictę Congregationis, Sanctę
Ma-

Marię de Francia nuncupata, conſtructa exiſtat, in qua Fratres dictę Congregationis tempore hyemali commode habitare non poſſunt, eidem Vicario domum ipſam cum Eccleſia, & aliis neceſſariis officinis ad pedem dictę Rupis mutandi, atque Fratribus inibi ſe transferendi, dummodo Eccleſia dictę domus tanquam Eremitorium remaneat, & in ea cultus divinus non ceſſet, auctoritate, & tenore pręmiſſis licentiam concedimus, & etiam facultatem, dilecti filii Joachim de Venetiis (4), Magiſtri Generalis dicti Ordinis, ad pręmiſſa expreſſo attendente (5) Conſilio, de quo Nobis per legitimum documentum fuit facta fides. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, conſuetudinibus Congregationis, & Ordinis Pręedicatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ceterum quia difficile foret pręſentes literas ad ſingula, in quibus de eis fides forſan fienda fuerit, loca deferre, volumus, & auctoritate ſupradicta decernimus, quod ipſarum tranſumpto, alicujus Epiſcopalis, vel alterius Superioris Curię eccleſiaſticę ſigillo munito, ac ſigno, ac ſubſcriptione alicujus notarii publici, & legalis ſignato, in judicio, & extra, tanquam ipſis pręſentibus, ſi exhiberentur, plena fides adhibeatur, & perinde ſtetur, ac ſi pręſentes literę forent exhibitę vel oſtenſę. Nulli ergo omnino &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Octavo (6), Quarto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Privilegia.*) Conſulenda *Conſtitutio CVIII Sixti IV.* Legitur *pag.* 565 *III* Tomi.
2. *Deſcon. Cypriano.*) Fortaſſis: *de Sancto Cypriano.*
3. *Perſonarum.*) *Panarum.*
4. *Joachim de Venetiis.*) Joachini ſcilicet *Turriani.*
5. *Attendente.*) *Accedente.*
6. *Octuageſimo Octavo.*) Stylo Bullarum æræ communis *MCCCCLXXXIX.*

Anno 1489 Die 16 Martii.

Firmat quædam privilegia Fratrum Reformatorum Aragoniæ.

Ex Archivo (1) Ordinis.

LXVI.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecti filii (2), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplicari Nobis humiliter feciſtis, ut cum vos deſideretis nonnulla privilegia ſuper inſtitutione, & deſtitutione Vicarii Generalis, & Priorum Conventuum, ac etiam de non contribuendo cum expenſis Provincię particularibus, & quibuſdam aliis rebus, vobis per Generales veſtri Ordinis conceſſa, Apoſtolica auctoritate confirmari &c. (3) dignaremur: Huic veſtro deſiderio paterna benignitate annuere volentes, Nos privilegia pręfata, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodique ſupplicationibus inclinati, illa, dummodo in obſervantia ſint, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVI Martii MCCCCLXXXVIIII Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar Autographum eſt in Cœnobio *S. Onuphrii*, in Provincia *Aragoniæ*, *Ordinis Fratrum Prædicatorum.*
2. *Dilecti filii.*) Inſcriptio deeſt, ſic reſtituenda videtur. *Dilectis Filiis Fratribus de Obſervantia Congregationis Aragoniæ*, *Ordinis Fratrum Prædicatorum.*
3. *Confirmari &c.*) Quæ deſunt ſic reſtituerem: *id vobis concedere, vel ſuper his providere de benignitate apoſtolica.*

Anno 1489 Die 30 Aprilis.

Kereſzegienſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXVII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Provinciali Ordinis Fratrum Pręedicatorum Provincię Hungarię ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Suppl. ex petitio.

Piis fidelium votis &c. (3). Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Michaelis Chaki (4), Domini oppidi de Kerchegh. (5), Varadien. (6) Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim ipſe, qui ad profeſſores Ordinis Fratrum Pręedicatorum ſingularem gerit devotionis affectum, ſperans, quod ſi Fratres prędicti apud ipſum oppidum, aliquam Domum pro ipſorum habitatione haberent, tam ipſe, quam alii incolę ejuſdem oppidi, Prioris, & Fratrum in illa degentium pro ipſorum exemplari, & laudabili vita, aſſidua, ac devota divinorum celebratione, audientia Confeſſionum, & prędicationibus verbi Dei, conſiliis, & exhortationibus, magnum ſuſciperent pro ſuarum ſalute animarum pręſidium, & juvamen, extra dictum oppidum in loco commodo, & honeſto, unam Domum cum Eccleſia ſub invocatione S. Michaelis, campanili humili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu, & habitatione aliquorum dicti Ordinis Fratrum, de bonis ſibi a Deo collatis canonice conſtrui, & ędificari facere, illamque Fratribus dicti Ordinis donare, & aſſignare proponat, ſi ſibi ad hoc Apoſtolicę Sedis auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte, tam tua, quam pręfati Michaelis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi Domum prędictam nomine ipſius Ordinis recipiendi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica

Facultas.

dignaremur. Nos igitur, qui animarum ſalutem, & divini cultus augmentum noſtris potiſſime temporibus,

fu-

ſupernis deſideramus affectibus, pium, & laudabile propoſitum dicti Michaelis plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Domum prędictam, ſi pręfatus Michael illam eiſdem Fratribus donare, & aſſignare voluerit, ut pręfertur, nomine dicti Ordinis, pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum Ordinis ejuſdem, ſine alicujus pręjudicio, recipiendi, ac Fratribus prędictis, ipſam perpetuo inhabitandi, & recipiendi, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium licentiam elargimur; jure tamen Parochialis Eccleſię. & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne cujusvis Ordinis Mendicantium Fratres nova loca recipere pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, de prohibitione hujuſmodi, plenam, & expreſſam mentionem faciente, & aliis conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus &c. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono, Pridie Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Kereſzegienſis.*) Vulgo *Kereſech*, vel *Kereſzeg*, in *Biborienſi*, aut *Torontalienſi* Comitatu *Hungariæ*. Adeas *Ferrarium De Rebus Hungar. Provincia Parte IV Lib.* Unico *Cap. II pag.* 522.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXIX fol.* 94.
3. *Vobis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Chaki.*) *Ferrarius* mox laudatus *pag.* 95 ſcribit *Cakii*.
5. *Kerchegh.*) *Kereſech*, ut in *Nota I.*
6. *Varadien.*) In *Hungaria*.

Anno 1489 Die 9 Maii.

LXVIII.

Labathlan. (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Provinciali Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Hungarię ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Piis fidelium votis &c. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Gregorii de Labathlan, Domini Oppidi de Labathlan., Veſperinen. (3) Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim ipſe, qui ad profeſſores Ordinis Fratrum Prędicatorum ſingularem gerit devotionis affectum, ſperanſque, ſi Fratres prędicti apud ipſum Oppidum aliquam Domum pro eorum habitatione haberent, tam ipſe, quam alii incolę ejuſdem Oppidi, Prioris, & Fratrum in illa pro tempore degentium exemplari, & laudabili vita, aſſidua, ac devota divinorum celebratione, audientia Confeſſionum, & prędicationibus verbi Dei, conſiliis, & exhortationibus ad bene vivendum magnum ſuſciperent pro ſuarum ſalute animarum ſubſidium, & juvamen, extra dictum Oppidum in loco commodo, & honeſto, unam domum cum Eccleſia ſub invocatione B. Marię Virginis de Angelis, campanili humili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu, & habitatione aliquorum dicti Ordinis Fratrum, de bonis ſibi a Deo collatis canonice conſtrui, & ędificari fecit, illamque Fratribus dicti Ordinis donare, & aſſignare proponit, ſi ſibi ad hoc Apoſtolicę Sedis auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte tam tua, quam pręfati Gregorii, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi Domum ipſam nomine ipſius Ordinis recipiendi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui animarum ſalutem, & divini cultus augmentum, noſtris potiſſime temporibus, ſupernis deſideramus affectibus, pium, & laudabile propoſitum dicti Gregorii plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi Domum prędictam, ſi pręfatus Gregorius illam eiſdem Fratribus donare, & aſſignare voluerit, ut pręfertur, nomine dicti Ordinis pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum Ordinis ejuſdem, ſine alicujus prędjudicio, recipiendi, ac Fratribus prędictis, ipſam perpetuo inhabitandi, & retinendi; auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam elargimur, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne cujuſvis Ordinis Mendicantium Fratres nova loca recipere pręſumant &c. ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono, Septimo Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Facultas.

1. *Labathlan.*) Seu *Commercien.*, vulgo *Labathlan.*, in *Hungaria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIII fol.* 261.
3. *Veſperinen.*) *Veſprimien.*, in *Hungaria*, ſub Archiepiſcopo *Strigonienſi*.

Digitized by Google

Anno 1489 Die 30 Junii.

LXIX.

F. Thomas de Monteroyo Beneficium Eccleſiaſticum conſequi poſſit.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomę de Monteroyo, Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis zelus, vitę, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio: Nos inducunt, ut te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Hinc eſt, quod Nos, te, qui, ut aſſeritur, Ordinem Fratrum Prędicatorum expreſſe profeſſus, & de nobili genere procreatus exiſtis, pręmiſſorum meritorum tuorum intuitu, & pro quo etiam dilectus filius nobilis vir Alfonſus cariſſimi in Chriſto filii noſtri Johannis Portugallię, & Algarbii Regis Illuſtris Primogenitus, Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicavit, gratioſo favore proſequi volentes, teque a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ac aliis eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus, quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ipſius Alfonſi, ac tuis, in hac parte ſupplicationibus inclinati, tecum, ut quamcunque dignitatem eccleſiaſticam per Clericos ſeculares obtineri ſolitam, etiam ſi perpetua Vicaria fuerit, ſi tibi alias canonice conferatur, aut pręſenteris ad illam, & inſtituaris in ea, recipere, & retinere, illamque dum tibi placuerit dimittere, & loco dimiſſę aliam ſimilem, vel diſſimilem dignitatem per eoſdem Clericos obtineri ſolitam, ſimiliter recipere, & retinere libere, & licite valeas, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, de ſpecialis dono gratię, diſpenſamus. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, & diſpenſationis infringere &c. Si quis &c. Datum (2) Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono, Pridie Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXV fol.* 139.

2. *Datum*.) In Archivo Ordinis aliud aſſervatur Diploma, quo F. *Matthæus de Bonis* fit Abbas *Otbonienſis* Monaſterii. Sic incipit:

Anno 1491 Die 17 Septembris.

LXX.

I*Nnocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Raguſin., & Vulteran., ac Cortonen. Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Romani Pontificis &c. Cum itaque Monaſterium S. Nicolai Oppidi Otbonien., Ordinis S. Benedicti, Segnien. Diœceſis, quod dilectus filius Martinus de Arbi Presbyter ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica in commendam olim obtinebat &c. Dilecto filio Matthæo de Bonis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Sacræ Theologiæ Profeſſori &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Primo, Quinto decimo Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.* Ex Archivo Ordinis, in quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Anno 1489 Die 3 Julii.

Prorogatio, & tranſlatio Capituli (1) Generalis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXI.

Dilecto filio Joachino (3) Turriano Priori Generali Ordinis Prędicatorum.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

COnſiderantes, quod infra ſpatium annorum quatuor (4) ſunt tui Ordinis Prędicatorum tria Generalia Capitula celebrata, non ſine magnis Provinciarum impenſis, & Fratrum incommodo, multaque in Francia impręſentiarum immineant guerrarum diſcrimina, itaut ad Cenomanen. (5) Civitatem, ubi Capitulum Generale de proximo eſt celebrandum, difficilis ſit acceſſus, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, celebrationem dicti Capituli, quę anno MCCCCLXXXX futuro aſſignata erat, ad annum ſequentem videlicet MCCCCLXXXXI, una cum plenaria Indulgentia, illi per Nos conceſſa, auctoritate Apoſtolica prorogamus, atque transferimus; devotioni tuę injungentes, ut prorogationem, & tranſlationem hujuſmodi per Provincias intimare, denuntiareque debeas, juxta ritum Ordinis antedicti. In contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Julii MCCCCLXXXIX, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Hie. Balbanus.

1. *Capituli*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo*.) In quo Autographum.

3. *Joachino*.) Aliis *Joachimo*. Adeas *Echard Tomo I Script. Ord. ad an. MCCCCLXXXVII pag.* 869.

4. *Quatuor*.) Capitula ſcilicet *Romæ* an. *MCCCCLXXXIV*, ac *Venetiis* annis *MCCCCLXXXVI*, & *MCCCCLXXXVII* celebrata.

5. *Cenomanen*.) Vulgo *le Mans*, in *Gallia*.

Li-

Digitized by Google

Literas (1) in gratiam Provincialis Saxoniæ contra Congregationem Hollandiæ datas reſcindit.

Anno 1489 Die 3 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

Licet exacta Romani Pontificis providentia in rebus omnibus juſtitię conſervandę curam ſuſcipiat, non poteſt tamen humana conditio, in tanta rerum varietate, & negotiorum multitudine, uſque adeo vigilanter intendere &c. (3) Dudum (4) ſiquidem pro parte dilecti filii Joachini Turriani Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Theologię profeſſoris, dictique Ordinis Generalis Magiſtri Nobis expoſito, quod ipſe olim, provide conſiderans, magnas diſſenſiones, quę inter Fratres Domorum, ſeu Conventuum dicti Ordinis Provincię Saxonię, occaſione ſubjectionis de dictis Domibus, illorumque Fratribus, tam per eum, quam ſuos Prędeceſſores dicti Ordinis Generales, qui pro tempore fuerunt, nonnulis Vicariis extraordinariis, videlicet, Congregationis Hollandię Ordinis ejuſdem, factę, & reductionis ad obſervantiam dictę Congregationis, evenerunt, ac volens deſuper pro debito ſui Generalatus officii providere, & diſſenſionibus hujuſmodi obviare, pacemque, & concordiam inter Fratres Ordinis, & Provincię prędictorum fovere, Domos, & Fratres Provincię, & Ordiois hujuſmodi, ab obedientia eorundem Vicariorum, & cujuſcunque alterius, matura deſuper deliberatione prębabita, ex certa ſua ſcientia abſolverat, & amoverat, Domoſque, & Fratres hujuſmodi in ſuum priſtinum ſtatum reſtituerat, & integraverat, & de cetero perpetuis futuris temporibus in illo permanere voluerat, illoſque, & illas Previnciali Ordinis Provincię prędictorum pro tempore exiſtenti perpetuo ſubmiſerat, & ſubjecerat, ac omnibus, & ſingulis dictę Provincię Fratribus, cujuſcunque fuerint conditionis, ne quovis modo hujuſmodi reſtitutioni, & ſubjectioni contravenire pręſumerent, ſub excommunicationis latę ſententię pęna mandaverat, volens tamen, & ordinans, quod dictus Provincialis in Domibus reformatis obſervantiam foveret, & manuteneret, & alias Domos reformabiles reformaret, ac alia fecerat, ſtatuerat, & ordinaverat, prout in quibuſdam literis authenticis dicti Generalis, deſuper confectis, dicitur plenins contineri. Nos tunc ejuſdem Magiſtri Generalis in ea parte ſupplicationibus inclinati abſolutionem, amotionem, redintegrationem, ſubmiſſionem, voluntatem, mandatum, ſtatutum, & ordinationem hujuſmodi, ac prout illa concernebant, omnia, & ſingula in dictis literis contenta, & inde ſecuta quęcunque, Apoſtolica auctoritate, & ex certa noſtra ſcientia approbavimus, & confirmavimus, ac perpetuę firmitatis robur obtinere decrevimus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem. Et oihilominus pro potiori cautela illa omnia, & ſingula de novo, modo, & forma pręmiſſis fecimus, & ſtatuimus, & ordinavimus, quibuſcunque Fratribus dictę Provincię ſub excommunicationis latę ſententię pęoa, quam ipſi, ſi contrafacerent, incurrerent, diſtricte pręcipiendo, mandantes, ne contra pręmiſſa, quovis modo directe, vel indirecte facere, vel venire pręſumerent, ac decrevimus ex tuoc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam &c. contingeret attentari; necnon quibuſvis literis, etiam in forma Brevis dictę Congregationis ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriis, & talibus quod, niſi ſub certis inibi expreſſis modo, & forma, nullatenus derogari, poſſet per Nos, vel Sedem Apoſtolicam conceſſis, etiamſi de eis &c. habenda foret mentio, hujuſmodi tenores pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat &c. derogavimus, pront in eiſdem noſtris deſuper confectis literis plenius continetur. Et deinde, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Joachini, ac dilectorum filiorum Fratrum Domorum Congregationis Hollandię, & Lypſen. (5) prędictorum, petitio continebat alię literę a Nobis emanaſſe dicuntur; per quas dilecti filii Hermani Meyer, Provincialis dictę Provincię ſecundum morem dicti Ordinis, in ea parte ſupplicationibus inclinati, literas noſtras prędictas ipſius Magiſtri Generalis literarum confirmatorias, auctoritate Apoſtolica, ex certa noſtra ſcientia approbavimus, & innovavimus; decernentes illas ſobnr obtinere perpetuę firmitatis, ac perpetuo inviolabiliter obſervari debere: necnon abſolutionem, amotionem, redintegrationem, ſubmiſſionem, ſubjectionem, voluntatem, mandatum, ſtatutum, ordinationem, & alia pręmiſſa, per dictum Joachinnm Generalem facta, ſtatuta, & ordinata, etiam de novo per eaſdem poſteriores noſtras literas fecimus, ſtatuimus, & ordinavimus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem, & nihilominus quęcunque per Nos, vel Sedem prędictam, contra pręmiſſa, per eundem Joachinum, etiam in illorum pręjudicium, quomodolibet facta, ſtatuta, & ordinata, ac literas deſuper in forma Brevis confectas, etiamſi motu proprio, & ſimili ſcientia, aut ad inſtantiam, quorumcunque Pręlatorum Eccleſiaſticorum, ſeu Principum ſecularium, & aliarum perſonarum, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradns, ordinis, nobilitatis, vel pręeminentię forent, ſub quibuſcunque formis, & expreſſionibus verborum, ac ex quibuſcunque cauſis expreſſis, & cum clauſulis, etiam literarum noſtrarum prędictarum derogatoriis, emanaſſent, & inde ſecuta qnęcunque revocavimus, caſſavimus, irritavimns, & annullavimus, ac pro nnllis, & infectis, & juribus vacuis debere baberi voluimus, & decrevimus; ſtatuentes nihilominus, & ordinantes, quod prędictus Joachinus, vel pro tempore exiſtens Generalis dicti Ordinis pręfatum Hermanum, vel pro tempore exiſtentem Provincialem a dicto Provincialatu Saxonię, abſque expreſſo conſenſu omnium Fratrum ejuſdem Provincię, ad quornmcunque inſtantiam, ſeu alias qnomodolibet nullatenus abſolvere poſſet, niſi juxta ipſius Ordinis Conſtitutiones per Fratres Provincię hujuſmodi, prius ab eodem officio abſolutus foret, ac diſtrictius inhibuimus ipſius Ordinis Fratribus, quibuſvis in ipſo Ordine privilegiis, pręeminentiis, officiis, & gradibus quibuſlibet fungentibus, ſub excommunicationis latę ſententię, ac privationis privilegiorum, pręeminentiarum, officiorum, & graduum hujuſmodi pęnis, quas ſi contrafacerent, ipſo facto incurrerent, ne contra, tam priorum, quam poſteriorum literarum noſtrarum tenorem venire, aut aliquid facere,

Diplomatis cauſa.

ſeu attentare quoquomodo pręſumerent: necnon quibuſvis literis, etiam ſub forma Brevis in contrarium forſan emanatis, & in poſterum emanandis, quarum tenores haberi volumus pro expreſſis, etiamſi ad illarum derogationem de ipſis, earumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio habenda foret, quoad prę miſſa derogavimus, prout etiam in eiſdem poſterioribus noſtris literis prędictis plenius, dicitur, contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, quondam Martialis de Anſivone (6) dicti Ordinis Generalis Magiſter, conſiderans multas Domos, & illarum Fratres Ordinis, & Provincię prędictorum, a vita regulari excidiſſe, & plures ſpiritu devotionis accenſos ejuſdem Fratres, cupientes vitam in melius commutare, juxta ſui Ordinis ſtatuta regulariter converſari, certas Domos dicti Ordinis reformaverit, quas volens in dies, magis, ac magis proficere, & in pace continuare, quandam Congregationem domorum Conventuum reformatorum dicti Ordinis inſtituerit, & eas, illarumque Fratres, ſub Vicario repoſitas, a certis Domibus, ſive Conventibus non reformatis dicti Ordinis, quorum crebra converſatione remiſſiores fieri poſſent, ſeparaverit, ac juriſdictione Provincialis, cujus negligentia, ſeu diſſimulatione eorum bonam vitam deperire formidabat, exemerit; ſucceſſores vero ejus Conradus (7), Leonardus (8), Salin. (9), Bartholomęus (10), & Barnabas (11), olim dicti Ordinis Magiſtri Generales, ac poſtremo ipſe Joachinus, animadvertentes, talibus exemptionibus, & ſeparatione, Fratres, & Domos ſive Conventus dictę Congregationis, fama, religione, ſcientia, & numero utilium perſonarum, plurimum proficere, antedictam Congregationem cum ſuis privilegiis confirmaverint, protexerint, & promoverint, dictus autem Hermanus, dictę Provincię Provincialis, volens prędictam Congregationem Hollandię, cujus perſonę ante ſuum officium laudabiliter vixerant, & de eorum laudabili vita commendabantur, perturbare, dividere, ac penitus deſtruere, dicto Joachino, cum falſa ſuggeſtione circumveniens, narraverit, quod Fratres domorum, ſive Conventuum dictę Congregationis, volebant eidem ſubeſſe; & a Vicario Magiſtri Generalis abſolvi, multumque bonum ex hoc dependere; idem Joachinus Generalis ſuggeſtione hujuſmodi circumventus, & exiſtimans narrata ſibi per dictum Hermanum vera eſſe, prędictas ſuas literas, quibus Conventus reformatos ejuſdem Provincię dicto Provinciali ſubjecerat, conceſſit, aſſignans ſibi formam, & modum, quibus dictis literis uteretur, quos cum ipſe Hermanus, non obſervaſſet, in his & aliis ſuę fraudis conſcius, & timens deprehendi de hujuſmodi fraude, prędictas literas ab ipſo Joachino dolo obtentas, ſeu verius extortas, ab eodem Joachino revocari per dictas noſtras literas poſteriores a Nobis, ut aſſeritur, obtinuit, ex quibus eo quod per eas mandatum fuit Fratribus dictę Provincię ſub pęnis, & cenſuris, quod eidem Provinciali perpetuo ſubeſſe deberent, cum plurima perturbatio hujuſmodi Domorum, & Fratrum, earum diffamationes, falſę accuſationes, expulſiones Fratrum, ac diſſenſiones eveniſſent, plures quoque imminerent, tandem propter hujuſmodi, & alios exceſſus, dictus Johachinus Magiſter Generalis, ad multorum Deum timentium Patrum, & Fratrum dicti Ordinis, inſtantiam, eundem Hermanum ab officio Provincialatus dictę Provincię Saxonię abſolvit, & amovit, ipſe vero Hermanus, nolens cedere, contra abſolutionem, & amotionem hujuſmodi, frivolam appellationem objecit, ac prędictas literas poſteriores, quas involuto contextu verborum, quod per Generalem Magiſtrum, non poſſit abſolvi, niſi certis, obſervatis modis, & formis ſubreptitie, ut dicitur, impetravit, in gravem vitę regularis, & pacis, juriſdictioniſque ordinarię dicti Magiſtri Generalis, qua eiſdem literis eum privat, lęſionem, cum ſingulis annis juxta ejuſdem Ordinis ſtatuta, de retentione, ſeu abſolutione Provincialis alicujus Provincię, ſecundum morem dicti Ordinis, ſecretum fieri debeat Scrutinium (12) a Prioribus Conventualibus ſuę Provincię, & eorum ſociis capitulariter electis, & nihilominus propter exceſſus, extra prędictum tempus per Generalem, poſſit abſolvi, &, ſi, ſicut aſſeritur, a Nobis emanatę poſteriores literę prędictę, quod ſcilicet dictus Hermanus ab hujuſmodi officio Provincialatus amoveri nequeat, & ad inſtantiam quorumcunque, niſi de expreſſo conſenſu omnium Fratrum dictę Provincię, qui, nec jure, nec conſuetudine in hoc vocem habent, in ſuo deberent vigore permanere, hoc in magnam tyrannidem, & audaciam dicti Hermani cedere poſſet, multaque ſcandala, contentiones, & lites, quaſi immortales in dicta Provincia, ut veriſimiliter per plures ex Fratribus dicti Ordinis, Deum timentibus, formidatur, provenient, cum nunquam, aut vix reperiri poſſit, quod omnes conſentirent eum removendum, quin aliquis ex tanta Fratrum multitudine, vel corrupto amore, vel privato commodo, ductus, defenderet Pręlatum ſibi propitium, licet alias univerſo Ordini damnoſum, & ſcandaloſum. Quare pro parte Joachini, & Fratrum Domorum reformatorum Hollandię, ac Lypſen. prędictarum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſupradictas, & quaſcunque alias literas, per dictum Hermanum Meyer, vel alium, ſuo nomine impetratas, contra juriſdictionem ipſius Generalis Magiſtri, ſeu contra privilegia, aut literas a Sede Apoſtolica, ſeu a Magiſtris Generalibus dicti Ordinis eidem Congregationi, & aliis ejuſdem Provincię reformatis Conventibus, ſive Domibus, etiam Lypſen. conceſſa, revocare, dictaſque Domos reformatas, in priſtinum ſtatum reſtituere, & reponere, aliaſque in prę miſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. *Mandatum.* Nos igitur, qui cupimus ex noſtris conceſſionibus ſingulorum Ordinum, prę ſertim regularis obſervantię propagationem, & inter illorum perſonas pacem, & concordiam, debitamque obedientiam, non autem diſſenſiones, ſcandala, aut lites provenire, conſideratione etiam ven. Fratris Oliverii (13) Epiſcopi Sabinen. dicti Ordinis Protectoris Generalis Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, Joachinique (14), necnon Fratrum Domorum Congregationum Hollandię, & Lypſen. reformatorum prędictorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, ſupradictas literas, & quaſcunque alias, etiam in forma Brevis per dictum Hermanum, vel alium, ſuo nomine impetratas contra juriſdictionem ipſius Generalis Magiſtri, ſeu contra privilegia, & literas a Sede prędicta, vel a Magiſtris Generalibus dictę Congregationi, & aliis ejuſdem Provincię reformatis, Domibus etiam Lypſen. conceſſas, & conceſſa ſub quibuſcunque verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis inſolitis, & aliis quibuſcunque in ipſis literis contentis, etiam ſi in eis caveretur, quod illis, niſi ſub certis inibi expreſſis modis, & formis, derogari non poſſit, & de quibus, quorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio, ad effectum derogationis earum, habenda eſſet, cum omnibus inde ſecutis, auctoritate Apoſtolica, tenore prę ſentium revocamus, caſſamus, irritamus, & annul-

annullamus, ac nullius roboris, vel momenti eſſe decernimus, & declaramus, & ipſius Congregationis ſingulas Domos, & illarum Fratres, qui nunc ſunt, vel fuerunt, preſertim Bremenſem dicti Ordinis, nuper pretextu illarum hujuſmodi a Congregatione prędicta Hollandię ablatam, & ſeparatam, & Lypſen., ac alias Domos ejuſdem Provincię reformatas ſub eorum Vicariis, ſicut ante impetrationem literarum prędictarum per eundem Hermanum obtentarum erant, vel fuerint, eadem auctoritate reponimus, & reſtituimus, ſupradictaſque literas Magiſtro Generali in nullo obſtare volumus, quod & Provincialem pro tempore exiſten., & Vicarios quoſcunque, etiam Congregationis Hollandię, poſſit, cum ſaluti animarum, & religioni, viſum fuerit expedire, ſemper abſolvere, & ab officio removere (15), non obſtantibus ſingulis literis, ac aliis premiſſis, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę revocationis, caſſationis, irritationis, annullationis, decreti, declarationis, reſtitutionis, & repoſitionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono, Tertio Nonas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Nota.

1. *Literas.*) Vide *Conſtitutionem datam die VII Junii MCCCCLXXXVIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXVI fol.* 47.
3. *Intendere &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Dudum.*) Ex his quæ ſequuntur liquet quaſdam hujuſce Pontificis conſtitutiones deſiderari.
5. *Congregationis Hollandiæ & Lypſen.*) *Hollandiæ* ſcilicet, & *Saxoniæ. Lypſia* ſiquidem, ſeu *Lipſia*, vulgo *Leipſick*, Urbs eſt *Germaniæ* in *Miſnia* Provincia *Saxoniæ Superioris.*
6. *Martialis de Anſyrone.*) Hæc amanuenſis. Legendum *Martialis de Avenione*, ſeu *Martialis Auribelli.* Generalis Magiſter renunciatus fuerat anno *MCCCCLIII.* Quod hujus Congregationis auctor fuerit refert *Bernardus de Jonghe* in *Belgio Dominicano Tractat. Præliminar. §. III pag.* 3 *&c.*
7. *Conradus.*) Cognomento *Aſtenſis.* Generalis creatus erat anno *MCCCCLXII.*
8. *Leonardus.*) *De Manſuetis* nuncupatus. Electus fuit anno *MCCCCLXXIV.*
9. *Salin.*) Sic Amanuenſis, ſcribendum: *Salvus.* Quod enim de *Salvo Caſſetta* loquatur Diploma, conſtat ex ipſius prædeceſſoris, & ſucceſſoris nominibus ibidem laudatis. Anno *MCCCCLXXXI* ſucceſſerat *Leonardo de Manſuetis.*
10. *Bartholomæus.*) *De Comatiis.* Ordinis Magiſter Generalis creatus anno *MCCCCLXXXIV.*
11. *Barnabas.*) *Sanſonus*, aliis *Saxonus.* Anno *MCCCCLXXXVI* electus fuit.
12. *Scrutinium.*) Nota morem antiquum.
13. *Oliverii.*) E nobiliſſima gente *Carafa.* Adeas *Ciaconium* in *Paulo II*, & *Ughellum* in *Epiſcopis Sabinen.*
14. *Joachinique.*) *Turriani.* Succeſſerat *Barnabæ* anno *MCCCCLXXXVII.*
15. *Ab officio removere.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

Truxillenſis (1) Cœnobii transferendi facultas.

Anno 1489 Die 11 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXIII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum in humilitatis ſpiritu, ſedulum, & devotum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas &c. (3). Sane pro parte dilectorum filiorum Franciſci de Thoro, Prioris, & Fratrum Domus S. Catharinę extra muros oppidi de Truſigillo, Ordinis prędicti, Placentin. Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim ipſi Prior, & Fratres, provide conſiderantes, quod dicta Domus a prefato oppido aliquantulum nimis remota erat, quodque incolę, & habitatores dicti oppidi, pro divinis Officiis, & verbo Dei audiendis, ad Eccleſiam dictę Domus, propter illius a dicto oppido nimiam diſtantiam, commode accedere non poterant, quendam alium locum eidem Oppido magis propinquum, ac eiſdem incolis, & habitatoribus commodiorem, alias canonice eiſdem Priori, & Fratribus conceſſum, de ſpeciali Sedis Apoſtolicę licentia, receperunt, & in illo, unam Domum pro uſu, & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum ejuſdem Ordinis ſub invocatione B. Marię de Incarnatione ex piis Chriſti fidelium eleemoſynis conſtrui, & ędificari facere cœperunt (4), ac dilectus filius Gondiſalvus Poccario oppidanus dicti Oppidi, habens ad hoc, ut aſſerebat, ſufficientem poteſtatem, nonnulla bona immobilia, tunc expreſſa, in dicta Diœceſi conſiſtentia, olim per quondam Jucundum Didaci Baccalaureum in Decretis pro celebratione nonnullarum Miſſarum in quibuſdam Eccleſiis relicta ſacriſtię dictę Domus B. Marię pro illius conſtructione, & aliis ejus neceſſitatibus conceſſit, & donavit, cum onere, quod Fratres, in ipſa Domo B. Marię pro tempore commorantes, Miſſas predictas per eundem Jucundum ordinatas, alias juxta ipſius ordinationem in Eccleſia dictę Domus B. Marię celebrare tenerentur, prout in quodam publico Inſtrumento deſuper confecto dicitur plenius contineri. Quare pro parte, tam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Regis, & cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Eliſabeth Reginę Caſtellę, & Legionis, Illuſtrium, quam prędictorum Franciſci Prioris, & Fratrum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis Domum inchoatam prędictam cum Eccleſia hujuſmodi, necnon humili campanili, campana, clauſtro, Refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis inſtaurandi, & perficiendi, ac Franciſco Priori, & Fratribus prędictis, illam perpetuo retinendi, & inhabitandi, licentiam concedere, necnon conceſſionem, & donationem bonorum prędictorum, pro illarum ſubſiſtentia firmiori approbare, & confirmare, aliaſque in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis ampliationem ſummis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Franciſco Priori, & Fratribus prędictis, Domum prefatam cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis prędictis inſtaurandi, & perficiendi, ac illam perpetuo retinendi, & inhabitandi licentiam, auctoritate Apoſtolica, tenore prękſentium concedimus, necnon Priori, & Fratribus, Domum ipſam B. Marię pro tempore inhabitantibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, favoribus, & indultis aliis Domibus, & Fratribus dicti Ordinis per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet in genere conceſſis, & concedendis, uti,

Diplomatis cauſa.

Facultas.

uti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant, eadem auctoritate indulgemus. Et nihilominus conceſſionem, & donationem bonorum hujuſmodi, ac prout illas concernunt, omnia, & ſingula in dicto Inſtrumento contenta, dicta auctoritate approbamus, & confirmamus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ita quod, cedentibus, vel decedentibus ſimul, vel ſucceſſive Presbyteris, dictas Miſſas ad preſens celebrantibus, liceat, Priori pro tempore, exiſtentibuſque Fratribus dictę Domus B. Marię nomine dictę ſacriſtię corporalem poſſeſſionem eorundem bonorum per ſe, vel alium, ſeu alios propria auctoritate libere apprehendere, & eodem nomine, tam pro complemento dictę Domus, quam luminaribus, eccleſiaſticis ornamentis ad divinum cultum neceſſariis, & aliis neceſſitatibus ejuſdem ſacriſtię retinere, illorumque fructus, redditus, & proventus, in uſus prędictos convertere, alicujus licentia ſuper hoc minime requiſita. Volentes nihilominus, & auctoritate prędicta decernentes, quod Fratres dictę Domus B. Marię pro tempore exiſtentes ad celebrationem Miſſarum earundem, in Eccleſia ipſius Domus, alias juxta ordinationem hujuſmodi, perpetuo ſint aſtricti. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, indulti, approbationis, confirmationis, ſuppletionis, conſtitutionis, ſtatuti, ordinationis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono, Tertio Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Truxillenſis.*) Juris eſt Provinciæ *Hiſpaniæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIII fol.* 334.
3. *Honeſtas &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Ceperunt.*) Hac de re dedit *Innocentius VIII* ſequens Diploma.

Anno 1489 Die 11 Auguſti.

Pro eodem Cœnobio.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXXIV.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

SAcrę Religionis ſub qua dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum &c. Pręterea cupientes, ut inceptum opus domus Fratrum Prędicatorum extra muros oppidi de Truſigillo ſub invocatione B. Marię de Incarnatione votivum quantocius complementum ſuſcipiat &c. Quinque annorum & totidem quadragenarum &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono (2), Tertio Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIII fol.* 335.
2. *Octuageſimo Nono.*) Hinc liquet quod a die Coronationis, non ab electionis die Pontificatus annos numerabat *Innocentius VIII.*

Anno 1489 Die 26 Auguſti.

Moniales Mediolanenſis (1) Monaſterii Veterum committit curæ Vicarii Generalis Congregationis Lombardiæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXV.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſę, & Conventui Monaſterii Veterum, extra Portam Ticinen. Mediolanen., Ordinis S. Auguſtini, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SAcrę Religionis, ſub qua uni Sponſo Chriſto Jeſu, cui ſpretis mundi oblectamentis, voto vos celebri deſponſaſtis, & cum odore bonę famę, devotum, & ſedulum exhibere ſtudetis famulatum, promeretur honeſtas, ut ea vobis favorabiliter concedamus, per quę quieti veſtrę, ac animarum veſtrarum ſaluti opportune conſuli poſſit. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, vos, Diplomatis cauſa. quę dudum ex certa conceſſione Apoſtolica, curę, & gubernationi dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus S. Euſtorgii Mediolanen. Ordinis Prędicatorum Conventualium nuncupatorum, ſubjectę fuiſtis, cupiatis ob meliorem vitę frugem, ad regularem dicti Ordinis Prędicatorum obſervantiam reduci, Mandatum. & ſub illa de cetero Altiſſimo perpetuo famulari. Nos, veſtrum pium, & laudabile propoſitum hujuſmodi in hac parte plurimum in Domino commendantes, voſque, & quamlibet veſtrum a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutas fore cenſentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vos, ac Monaſterium veſtrum viſitationi Vicarii Generalis de Obſervantia Conventuum reformatorum dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum utriuſque Lombardię pro tempore exiſtenti, prout alia Monaſteria Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini reformata ſubjecta fuerunt, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium perpetuo ſubiicimus, Vicario, ut vos, ac Monaſterium veſtrum hujuſmodi ſub ſua cura, & viſitatione prędictis recipere debeat, ac Priori, & Fratribus Conventualibus pręfatis, ne de cetero, de cura, & viſitatione hujuſmodi ſe intromittere pręſumant, diſtricte pręcipiendo mandantes, non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, ſubjectionis, & mandati infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono (3), Septimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Me-*

1. *Mediolanenſi.*) In ejuſdem nominis Ducatus Metropoli, in *Italia*.
2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar, unum ex *Archivo Apoſtolico Lib.LXXXIII fol.*149, aliud in *Bullario Bononienſi pag.*49.
3. *Octuageſimo Nono.*) Hinc etiam conſtat quod a conſecrationis die, non autem ab electione Annos ſui Pontificatus numerabat *Innocentius VIII.*

De Monaſterio S. Catharinæ uniendo Monaſterio S. Agathæ Novarien. (1).

Anno 1489 Die 28 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXVI.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Romerio de Prinis, & Jacobo de Berta Canonicis Eccleſię Novarien., ac Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Novarien. in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

JUſtis, & honeſtis ſupplicum votis &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Communitatis Civitatis Novarien., ac dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſę, & Conventus Monaſterii S. Agathę Novarien. Ordinis S. Auguſtini, petitio continebat, quod cum in Monaſterio Monialium S. Catharinę extra muros Novarien., non eſſet aliqua certa regula, nec pro certo ſciretur cujus Ordinis ipſę Moniales exiſterent, licet ab aliquibus aſſeratur, illas eſſe Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentes, & in ipſo Monaſterio plura ſcandala fierent, & dicti Communitas humillime requiſiſſent loci Ordinarium, ut dictum Monaſterium S. Catharinę prędicto Monaſterio S. Agathę in quo illius Moniales diu, noctuque divinis Officiis inſiſtentes, ſub honeſta vita vivunt, uniretur, dictus Ordinarius ejus in ſpiritualibus Vicario Generali ſuis literis, inter cetera, dedit in mandatis, ut ipſum Monaſterium S. Catharinę, eidem Monaſterio S. Agathę, perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, & poſtmodum dilectus filius Nicolaus de Inordio Canonicus Novarien., & ejuſdem Vicarii Generalis Locumtenens, ſervata forma commiſſionis, eidem Vicario factę, & habitis deſuper tribus tractatibus cum dilectis filiis Capitulo Eccleſię Novarien., de eorundem Capituli & Syndici utriuſque dictorum Monaſteriorum, ad hoc conſtituti, expreſſo conſenſu, dictum Monaſterium Sanctę Catharinę eidem Monaſterio S. Agathę ordinaria auctoritate perpetuo univit, annexuit, & incorporavit, prout in quibuſdam Inſtrumentis deſuper confectis, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ab aliquibus de viribus unionis hujuſmodi hęſitetur, pro parte communitatis, ac Abbatiſſę, & Conventus Monaſterii S. Agathę hujuſmodi, aſſerentium, quod S. Catharinę, quinquaginta, & S. Agathę Monaſteriorum prędictorum octuaginta florenorum auri de camera fructus, redditus, & proventus ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, ac Moniales dicti Monaſterii S. Catharinę diverſum habitum ab habitu Monialium S. Agathę deferre, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unioni, annexioni, & incorporationi prędictis pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac dictum Monaſterium S. Catharinę eidem Monaſterio S. Agathę de novo perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod ſemper in unionibus vocarentur, quorum intereſſet, ipſos Communitatem, & Abbatiſſam, ac Conventum Monaſterii S. Agathę, hujuſmodi, & ſingulares perſonas eorundem a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, unionem, annexionem, & incorporationem predictas, ſi, & poſtquam de illis vobis conſtiterit, ac prout illas concernunt, omnia, & ſingula in dictis Inſtrumentis contenta auctoritate noſtra confirmetis, & approbetis, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus pro potiori cautela, dictum Monaſterium S. Catharinę cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem Monaſterio S. Agathę, auctoritate noſtra, perpetuo uniatis, annectatis, & incorporetis, ita quod liceat Abbatiſſę pro tempore, & Conventui dicti Monaſterii S. Agathę per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem dicti Monaſterii S. Catharinę continuare, & de novo apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in ſuos, ac Monaſteriorum prędictorum uſus utilitatem convertere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, necnon Monialibus dicti Monaſterii S. Catharinę, ut in delatione habitus hujuſmodi Monialibus ejuſdem Monaſterii S. Agathę ſe conformare poſſint, dicta auctoritate noſtra concedatis & indulgeatis, non obſtan. voluntate noſtra prędicta, ac aliis conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c., necnon privilegiis, & indultis Apoſtolicis dicto Ordini Fratrum Predicatorum forſan conceſſis, quibus &c. hac vice duntaxat, harum ſerie expreſſe derogamus, necnon quibuſcunque aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus &c. & de quibus &c. habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis; proviſo quod in dicto Monaſterio S. Catharinę divinus cultus, & ſolitus Monialium, & Miniſtrorum numerus non minuatur, ſed illius, ac Conventus ejuſdem, congrue ſupportentur onera conſueta, Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono, Quarto Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Confirmatio.

1. *Novarien.*) Vulgo *Novara*, in *Inſubria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CII fol.*180.
3. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Anno 1489 Die 2 Octobris.

Conſervatores creat pro Cœnobio San-Maximinenſi (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXVII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Arelaten. (3), & Avenionen. (4) Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Seneceníi (5), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Militanti Eccleſię licet immeriti, diſponente Domino, pręſidentes, circa curam Eccleſiarum, & Religioſorum locorum omnium, pręſertim Romanę Eccleſię immediate ſubjectorum, ac perſonarum in illis ſub ſuavi jugo Religionis degentium, ſolertia reddimur indefeſſa ſoliciti, ut juxta debitum paſtoralis officii, eorum occurramus diſpendiis, & profectibus, divina cooperante clementia, ſalubriter intendamus. Sane dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus B. Marię Magdalenę, Romanę Eccleſię immediate ſubjectę, Ordinis Fratrum Pręddicatorum, loci Sancti Maximini, Aquenſis Diœceſis, conqueſtione percepimus, quod nonnulli Archiepiſcopi, & Epiſcopi, aliique Eccleſiarum Pręlati, & clerici, ac eccleſiaſticę perſonę, tam religioſę quam etiam ſeculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & Laici, communia Civitatum, Univerſitates oppidorum, caſtrorum, Villarum, & aliorum locorum, & alię ſingulares perſonę Civitatum, Diœceſum, ac aliarum partium diverſarum, occuparunt, & occupari fecerunt Caſtra, Villas, & alia loca, terras, domos, poſſeſſiones, jura, & juriſdictiones, necnon decimas, fructus, cenſus, redditus, & proventus Sacriſtię dictę domus, & nonnulla alia bona mobilia, & immobilia, ſpiritualia, & temporalia ad dictam Sacriſtiam, ac alias ex diverſis privilegiis Apoſtolicis, ad licitos uſus Fratrum dictę domus legitime ſpectantia, & ea detinent indebite occupata, ſeu ea detinentibus pręſtant auxilium, vel favorem, ac etiam privilegia, libertates, & exemptiones dictę domus, ac Religioſis, & perſonis illius dudum per diverſos Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros conceſſa, perturbare, ac penitus auferre, & parochianos, eis ratione Eccleſię dictę domus, quę etiam Parochialis exiſtit, ſubjectos, impedire conantur. Nonnulli etiam Civitatum, ac Diœceſum, ac partium prędictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, eiſdem Priori, & Fratribus, & parochianis, necnon ſervitoribus dictę Domus, ac colonis, ſuper prędictis Caſtris, Villis, & locis, aliiſque Domibus, poſſeſſionibus, juribus, & juriſdictionibus, decimis, fructibus, cenſibus, redditibus, & proventibus eorundem, & quibuſcunque aliis bonis mobilibus, & immobilibus, ſpiritualibus, & temporalibus, ac aliis rebus, ad Sacriſtiam & licitos uſus Fratrum dictę Domus ſpectantibus, multiplices moleſtias, & injurias, & minas inferunt, ac jacturas. Quare tam dicti Prior, & Fratres, quam cariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus (6) Francorum Rex illuſtris, dictę domus Patronus, Nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum eiſdem, ac Parochianis, ſervitoribus, & colonis prędictis valde reddatur difficile pro ſingulis querelis ad Apoſtolicam Sedem habere recurſum, providere ipſis ſuper hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adverſus occupatores, detentores, pręſumptores, moleſtatores, & injuriatores hujuſmodi volentes eiſdem Priori & Fratribus, ac ſervitoribus, & parochianis, colonis, & eorum cuilibet, remedio ſubvenire, per quod ipſorum compeſcatur temeritas, & aliis aditus committendi ſimilia pręcludatur, Fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis Conſervatores, & judices, pręfatis Priori, & Fratribus, ac ſervitoribus, & colonis, ac eorum cuilibet efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, non permittatis, eoſdem ſuper his, & quibuslibet aliis bonis, & juribus ad Priorem, & Fratres, parochianos, colonos, & ſervitores prędictos, & eorum quemlibet, tam ratione dictę domus, quam perſonarum ſuarum, & aliis, ut prefertur, pro tempore ſpectantibus, necnon libertatibus, exemptionibus, privilegiis, prędictis, ab eiſdem, vel quibuslibet aliis indebite moleſtari, vel eis gravamina, ſeu damna vel injurias irrogari, factis (7), dictis Priori, & Fratribus ſervitoribus parochianis, & colonis, & eorum cuilibet, cum ab eis, vel procuratoribus ſuis, ſeu eorum aliquo fueritis requiſiti, de prędictis & aliis perſonis quibuslibet, ſuper reſtitutione hujuſmodi Caſtrorum, villarum, terrarum, & locorum aliorum, juriſdictionum, jurium, & bonorum mobilium, & immobilium, reddituum quoque, & proventuum, & aliorum quorumcunque bonorum, ac exemptionum, libertatum, & privilegiorum hujuſmodi violatione, necnon de quibuslibet aliis moleſtiis, injuriis, atque damnis pręſentibus, & futuris, in illis videlicet, quę judicialem requirunt indagationem, ſummarie, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, juſtitię complementum, occupatores, detentores, pręſumptores, moleſtatores, injuriatores, & violatores hujuſmodi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, vel conditionis extiterit, quandocunque, & quotieſcunque expedierit, auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis; Et nihilominus legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos, quos cenſuras, & pęnas per vos pro tempore latas, incurriſſe noveritis, declarandi, &, quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggravandi, &, ſi per ſummariam ſuper his per vos habendam informationem vobis conſtiterit, quod ad loca, in quibus occupatores, detentores, pręſumptores, moleſtatores, violatores, & injuriatores hujuſmodi, ac alios, quos pręſentes literę concernunt, pro tempore morari contigerit, pro monitionibus ipſis, & citationibus de eis faciendis tutus non pateat acceſſus, Nos, vobis citationes, & monitiones quaslibet per edicta publica, locis affigenda publicis, & partibus illis vicinis, de quibus ſit veriſimilis conjectura, quod ad notitiam citatorum, & monitorum hujuſmodi pervenire valeat, faciendi, plenam, & liberam in earundem tenore pręſentium concedimus facultatem, ac volumus, & prędicta auctoritate decernimus, quod monitiones, & citationes hujuſmodi ligent ipſos monitos, & citatos perinde, ac ſi eis perſonaliter, & pręſentialiter inſinuatę, & intimatę le-

Diplomatis cauſa.

legitime extitiſſent. Non obſtantibus tam felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, in quibus cavetur, ne aliquis extra ſuam Civitatem, & Dięceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Dięceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices & conſervatores a Sede deputati prędicta, extra Civitatem, & Dięceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine Dięceſum earundem trahere pręſumant, vel de duabus dietis in Concilio Generali edita, ſeu quod de aliis, quam de manifeſtis injuriis, violentiis, & aliis, quę judicialem requirunt indaginem, pęnis in eos, ſi ſecus egerint, & in id procurantes, edictis, conſervatores nullatenus ſe intromittant, quam aliis quibuſcunque conſtitutionibus, a Prędeceſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus, tam de judicibus delegatis, & conſervatoribus, quam perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quę veſtrę poſſent in hac parte juriſdictioni, aut poteſtati eiſdem libero exercitio quomodolibet obviare; ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a prędicta Sede ſit indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, ſeu extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi, & eorum perſonis, locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictę Sedis Indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, veſtrę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua, cujuſque toto tenore de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Ceterum volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit canonico impedimento prępeditus, quodque a datis pręſentibus ſit vobis, & unicuique veſtrum in pręmiſſis omnibus, & eorum ſingulis, cęptis, & non cęptis, pręſentibus, & futuris, perpetua poteſtas, & juriſdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate poſſitis in pręmiſſis omnibus, cęptis, & non cęptis, pręſentibus, & futuris, & pro prędictis procedere, ac ſi prędicta omnia & ſingula a vobis cępta fuiſſent, in contrarium editis non obſtantibus. Pręſentibus futuris temporibus valituris. Verum quia difficile foret pręſentes literas ad ſingula quęque loca, in quibus expediens fuerit deferre, volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod earum tranſumptis manu publici Notarii inde rogati, ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę Eccleſiaſticę in dignitate conſtitutę aut curię eccleſiaſticę, ſeu Prioris, & Fratrum Prędicatorum munitis, ea prorſus in judicio, & extra, & alibi, ubique fides, habeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitę vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono, Sexto Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto,

1. *San-Maximinen.*) Conſulendæ Conſtitutiones *III, IV, V &c. Bonifatii VIII Tomo II pag.40. &c.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario San-Maximinenſi pag.32.*
3. *Arelaten.*) In *Gallo-Provincia.*
4. *Avenionen.*) In ejuſdem nominis Comitatu.
5. *Senecen.*) Vulgo *Senez*, in *Gallo-Provincia*, ſub *Ebredunenſi* Metropoli.
6. *Carolus.*) Hujus nominis *VIII.*
7. *Faſiis.*) *Faciatiſque.*

Cintylienſis (1) Monaſterii fundandi facultas.

Anno 1489 Die 24 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXVIII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono de Lorca in Eccleſia Cartaginen. (3), & Officiali Cartaginen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SEdis Apoſtolicę gratioſa benignitas piis fidelium quarumlibet perſonarum, pręſertim feminei ſexus &c. (4) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Monialium Oppidi de Chinchilla Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Cartaginen. Dięceſis, petitio continebat, quod cum alias, in dicto Oppido, non eſſet aliquod Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſub hujuſmodi cura degentium, & dilectę in Chriſto filię Gulomar Gomez, & Anna Velameta tunc mulieres dicti Oppidi, nunc vero ejuſdem Monaſterii Moniales, cuperent ſub regulari habitu dicti Ordinis virtutum Domino famulari, nonnullas domos in dicto Oppido exiſtentes, & Eremitorio, ſive Eccleſia ſine cura S. Catharinę, quod infra muros dicti Oppidi exiſtit, contiguas, de propriis bonis emerunt, ac poſtmodum cum eiſdem domibus, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſub eadem cura degentium, de licentia ordinarii loci erectum fuiſſet, Guiomar, & Anna prędictę, habitum per eaſdem Moniales geſtari ſolitum, ſuſceperunt, & in eodem Monaſterio, profeſſionem regularem, per Moniales ejuſdem Ordinis ſub ſimili cura degentes emitti ſolitam, emiſerunt regularem, & demum Provincialis Provincię Cartaginen. (5) ſecundum morem dicti Ordinis, alias Moniales de regularibus Inſtitutis Ordinis ejuſdem, bene inſtructas in dictum Monaſterium introduxit, quę una cum Guiomar, & Anna prędictis inibi ſub perpetua clauſura, & regulari obſervantia vixerunt, & vivunt, & cum magna populi devotio erga eaſdem Moniales creviſſet, bonę memorię Lupus Epiſcopus Cartaginen., dictum Eremitorium, ſive Eccleſiam eiſdem Monialibus conceſſit, & donavit, ac poſtmodum tunc Officialis Cartaginen., ſeu Vicarius venerabilis Fratris noſtri Roderici (6) Epiſcopi Portuen. S. R. E. Vice-Cancellarii, Eccleſię Cartaginen. in ſpiritualibus, & temporalibus perpetui adminiſtratoris, in eiſdem ſpiritualibus Generalis, habens ad hoc, ut aſſerebat, ab eodem Roderico Epiſcopo, & adminiſtratore ſpecialem per ipſius literas facultatem, ordinaria auctoritate confirmavit, & approbavit, prout in quibuſdam Inſtrumentis publicis, deſuper reſpective confectis, dicitur plenius contineri. Quare

Supplex petitio.

pro

Digitized by Google

pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut erectioni, conceſſioni, & donationi, ac approbationi, & confirmationi prędictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui illis votis, per quę prudentes virgines, accenſis lampadibus, Domino obviam ire, & integritatem ſuam, illi qui ſpecioſus eſt prę filiis hominum, reddere valeant, libenter annuimus, ipſas Prioriſſam, & Conventum, ac earum ſingulas, a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni veſtrę &c. mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, erectionem, conceſſionem, donationem, ac approbationem, & confirmationem prędictas, ſi, & poſtquam de illis vobis legitime conſtiterit, auctoritate noſtra, ſine alicujus prejudicio confirmetis, & approbetis, ſuppleatiſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono, Nono Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Facultas.

1. *Cintylien.*) Vulgo *Chinchilla*, in *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCIV fol.* 289.
3. *Cartaginen.*) *Carthaginen.*, vulgo *Cartajena*, in *Hiſpania*.
4. *Sexus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Provincialis Provincia Cartaginen.*) Provincialis ſcilicet *Hiſpaniæ*, nunc vero Provincialis *Batica*.
6. *Roderici.*) Is erat *Rodericus Lenzolius Borgia*, de quo conſulendi *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. tomo II in Caliſto III*, & *Ughellus Tomo I Italia Sacra in Epiſcop. Portuen.*

Anno 1489 Die 8 Novembris.

Mediolanenſis (1) Monaſterii S. Catharinæ Monialibus quædam præſcribit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIX.

Innocentins Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Rolando Epiſcopo Anteraden. in Civitate Mediolanen. commoranti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

SOlet Apoſtolicę Sedis clementia recurrentium ad eam cum humilitate &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, Matris nuncupatę, & Conventus Monaſterii Monialium S. Catharinę in Contrata de Peraziolis Mediolanen. Ordinis Sancti Auguſtini, petitio continebat, quod cum alias in dicto Monaſterio Moniales, ſive Sorores, ſub diverſo habitu inhabitarent, & aliquę Monialium ejuſdem Sancti Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, & alię Sancti Benedicti, alię vero diverſorum aliorum Ordinum Monialium habitum deferrent, & ex hujuſmodi diverſitate habitus quędam deformitas inter eaſdem Moniales generaretur, omnes illę Moniales, ſive Sorores, quę Sancti Benedicti, & aliorum Ordinum habitum deferebant, illo relicto, habitum Sancti Auguſtini, abſque tamen alicujus Superioris licentia aſſumpſerunt, excommunicationis ſententiam, & Apoſtaſię notam incurrendo, ac divinum officinm, qnod ſecundum morem Ambroſianum (4) cantare antea ſolitę erant, mutarunt, & illud ſecundum morem, & conſuetudinem Roman. Curię poſtmodum recitarunt, & dixerunt, prout etiam dicunt, ac demum tam ipſę, quam alię Moniales prędictę in ipſo Monaſterio ſub habitu hujuſmodi Sancti Auguſtini, & regularis obſervantię diſciplina, vixerunt, prout vivunt de preſenti. Quare pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictarum, aſſerentium, qnod fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii viginti ducatorum auri de Camera ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, quodque ipſę Moniales in reliquis victum ex labore manuum ſuarum ſibi quęrunt, Nobis fuit humiliter ſnpplicatum, ut omnes, & ſingulas alias Moniales, ſive Sorores hujuſmodi, quę priori habitu dimiſſo habitum Sancti Auguſtini aſſumpſerunt ab excommunicationis, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pęnis, quas propter premiſſa incurrerunt, abſolvere, ac quod Monaſterium prędictum per Prioriſſam triennalem duntaxat regatur, & gubernetur, ſtatuere, & ordinare, qnodque officium hujuſmodi more Roman. Curię dicere poſſint eis concedere, & indulgere, ac alias eorum ſtatui in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremnr. Nos igitur, attendentes Sedis prędictę clementiam recnrrentibus ad eam gremium ſnę pietatis claudere non conſueviſſe, Prioriſſam, & Conventum, ac hujuſmodi Conventus ſingulares perſonas a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, tam quavis alia, quam premiſſorum occaſione, vel cauſa, latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtant ad effectum preſentinm duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamns, & committimus, quatenus omnes, & ſingulas illas Moniales, ſive Sorores prędictas, quę dictnm habitum Sancti Auguſtini reaſſumpſerunt, priori habitu dimiſſo, ab excommunicationis, aliiſque cenſuris, & pęnis eccleſiaſticis, quas propter prępmiſſa incurrerunt, auctoritate noſtra hac vice duntaxat abſolvas in forma Eccleſię conſueta, injunctis inde ſibi pro modo culpę pęnitentia ſalutari, & aliis quę de jure fuerint injungenda, ac eis, quę ſub habitu prędicto Sancti Auguſtini, & regulari obſervantia in ipſo Monaſterio quoad vixerint, remanere voluerint, libere, & licite valeant, eadem anctoritate concedas. Nos enim ſi abſolutionem, & conceſſionem prędictas per te vigore prępſentium fieri contigerit, Prioriſſę, & Conventui prędictis, quod officium prędictum ſecundum uſum Roman. Curię dicere, & recitare, quodque Confeſſorem, vel idoneum ſecularem, vel regularem, qui Prioriſſę, & Monialium nunc, & pro tempore exiſtentium, confeſſiones audiat, ipſaſque in ſingulis caſibus ordinario loci reſervatis abſolvat, & eis pro commiſſis pęnitentiam ſalutarem injungat, & eccleſiaſtica Sacramenta miniſtret, ſibi eligere, libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore prępſentium indulgemus, ac quod ipſum Monaſterium de cetero per Prioriſſam trien-

Mandatum.

Digitized by Google

triennalem duntaxat, per Conventum ejuſdem Monaſterii eligendam, regatur, & gubernetur, & ipſa ſic electa abſque alicujus Superioris confirmatione, regimini, & adminiſtrationi dicti Monaſterii ſe immiſcere, & illud in ſpiritualibus, & temporalibus, hujuſmodi durante triennio, regere, & gubernare, & quod ipſa, quę ſic in Prioriſſam ejuſdem Monaſterii electa fuerat lapſo eodem triennio in Prioriſſam dicti Monaſterii de novo eligi poſſit, eadem auctoritate ſtatuimus, & ordinamus. Non obſtantibus prę-miſſis, ac Apoſtolicis, & quibus inter cetera diſponitur, quod nullus ad dictum Monaſterium accedere, & cum ipſis Monialibus loqui poſſit, Archiepiſcopalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Monaſterii &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono, Sexto Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Nota,

1. *Mediolanen.*) In ejuſdem nominis Ducatus Metropoli.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCVIII fol.* 172.
3. *Humilitate &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Ambroſianum.*) Sic ex S. *Ambroſio Epiſcopo Mediolanenſi* vocatur peculiaris ritus ille quo utitur *Mediolanenſis* Eccleſia.

De quibuſdam Beneficiis Eccleſiaſticis uniendis Valliſoletano (1) Collegio.

Anno 1489 Die 14 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. LXXX.

Ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio ad ea libenter intendimus, per quę perſonis eccleſiaſticis &c. (3) Dudum ſiquidem pro parte venerabilis Fratris noſtri Alfonſi (4) Epiſcopi Palentin., Nobis expoſito, quod ipſe, qui Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor exiſtit, pia devotione ductus, ſummopere deſiderabat, in Oppido Valiſoleti, Palentin. Dięceſis, quod in partibus illis admodum inſigne exiſtit, & in quo ſecunda Univerſitas ſtudiorum Generalium Caſtellę, & Legionis Regnorum eſt inſtituta, ac una magna, & ampla Domus Fratrum dicti Ordinis, de Obſervantia reformatorum nuncupatorum, in qua continue profeſſores dicti Ordinis in magno numero degebant, unum Collegium, in quo ſexdecim Fratres dicti Ordinis, de Obſervantia reformati nuncupati, ſacrarum literarum ſtudio, operam dantes, continue eſſent, ſuis ſumptibus, & expenſis erigere, & inſtituere volebat. Nos dicti Alfonſi Epiſcopi ſupplicationibus inclinati, dilectis filiis ſecularis, & Collegiatę B. Marię de Friſillis Palentin. Dięceſis, & de Froneca, Burgen. Abbatibus, ac Priori Palentin. Eccleſiarum, eorum propriis nominibus non expreſſis, per quaſdam primo dedimus in mandatis, ut ipſi duo, aut unus eorum eidem Alfonſo Epiſcopo Collegium hujuſmodi pro ſexdecim Fratribus dicti Ordinis deobſervantia nuncupatis, qui inibi literarum ſtudio continue vacare poſſent, in Domo prędicta erigendi, & inſtituendi, ac dictos Fratres ſtudentes ad libitum ſuum in eo ponendi, quorumunus eorum dicti Collegii Rector exiſteret, & alia faciendi licentiam, & facultatem, auctoritate noſtra concederet, quodque ſi licentiam hujuſmodi per eos concedi contingeret, reſignationes pręſtimoniorum, ſeu pręſtimonialium portionum, aut ſimplicium Beneficiorum, in quibuſvis Civitatibus, & Dięceſibus dictorum Regnorum conſiſtentibus a perſonis, illa, vel illas obtinentibus, ac ſponte, & libere in manibus ſuis reſignare volentibus, vel procuratoribus ſuis, & ad id poteſtatem habentibus, dicta auctoritate, ea vice duntaxat reciperent, & admitterent, illiſque per eos receptis, & admiſſis, pręſtimonia, ſeu pręſtimoniales portiones, aut ſimplicia Beneficia hujuſmodi, & quę pręfatus Alfonſus Epiſcopus, & alii locorum Ordinarii ad dictum effectum, eidem Collegio aſſignare vellent, etiam ſi pręſtimonia, pręſtimoniales portiones, aut ſimplicia beneficia reſignata hujuſmodi, diſpoſitioni Apoſtolicę, ac perſonis illa, ſeu illas obtinentibus, ex quavis cauſa generaliter reſervata, aut ex generali reſervatione affecta exiſterent, dummodo eorum, ſeu earum inſimul fructus, redditus, & proventus quinquaginta librarum Turon. parvorum ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excederent, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Collegio pro Fratrum in eo pro tempore degentium ſuſtentatione, & aliis eidem Collegio neceſſariis, eadem auctoritate perpetuo unirent, annecterent, & incorporarent, & ſubſequenter per alias noſtras literas eiſdem Abbatibus, & Priori ſimiliter dedimus in mandatis, ut eiſdem reſignantibus, & cuilibet eorum reſpective, ne ex reſignationibus ſuis diſpendium paterentur, penſiones annuas ſuper ipſorum, quę reſignarent pręſtimoniorum, pręſtimonialium portionum, ant ſimplicium beneficiorum fructibus, redditibus, & proventibus, in convenientibus locis, & terminis, ad id per eos, de conſenſu, quorum intereſſet, ſtatuendis, ſub cenſuris, & pęnis eccleſiaſticis perſolvendis, aut omnes, & ſingulos fructus, redditus, & proventus reſignatorum pręſtimoniorum, pręſtimonialium portionum, aut Beneficiorum hujuſmodi, ſeu eorum, aut illarum partem, quoad viverent, loco penſionis annuę cum libera facultate, fructus, redditus, & proventus hujuſmodi per ſe, vel alium, ſeu alios propria auctoritate percipiendi, & levandi, reſervare, conſtituere, & aſſignare curarent, prout in ſingulis literis prędictis plenius continetur. Et deinde, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Epiſcopi, petitio continebat, Didacus de Gnivara Archidiaconus de Campos, unam, ſeu unum de Ciſveros, & Antonius Garſię Canonicus dictę Palentin., aliud, ſeu aliam de Villodre, ac Chriſtophorus de Mirodio, Canonicus Giennen. Eccleſiarum dilecti filii reliquum, ſeu reliquam de Villaverde locorum prędictę Palentin., & Legionen., ac Salamantin. Dięceſum, pręſtimonia, ſeu pręſtimoniales portiones, ac ſimplicia beneficia, quę, ſeu quas reſpective obtinebant, in manibus dilecti filii Franciſci de Madrid Abbatis de Friſillis in dicta Eccleſia Palentin. extra Romanam Curiam, ſponte, & libere, reſpective reſignarunt, ipſeque Abbas reſignationibus hujuſmodi per eum extra dictam Curiam, literarum prędictarum vigore, admiſſis, omnia, & ſingula pręſtimonia, ſeu pręſtimoniales portiones, aut ſimplicia beneficia reſignata hujuſmodi, eidem Collegio, perpetuo univit, annexuit, & incorporavit, reſervatis pręfato Didaco Archidiacono omnibus fructibus, redditibus,

Exordium.

Diplomatis cauſa.

& proventibus pręſtimonii, ſeu pręſtimonialis portionis, aut ſimplicis beneficii de Ciſveros, per eum reſignati hujuſmodi, dictuſque Epiſcopus, ſeu procurator dicti Collegii, unionum, annexionum, & incorporationum predictarum vigore, poſſeſſionem pręſtimoniorum, ſeu pręſtimonialium portionum, aut ſimplicium beneficiorum reſignatorum, ſeu reſignatarum hujuſmodi aſſecuti fuerunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, de juribus unionum, annexionum, & incorporationum, ac reſervationis fructuum Didaco Archidiacono hujuſmodi, a nonnullis hęſitatur, pro eo maxime quod tempore dictarum unionum factarum, Rector, & ſcholares, ſive Collegiales in dicto Collegio nondum poſiti, nec deputati erant, pro parte dicti Epiſcopi, aſſerentis, de Ciſveros octuaginta, & de Villodre quindecim, necnon de Villaverde, pręſtimoniorum, ſeu pręſtimonialium portionum, aut ſimplicium beneficiorum hujuſmodi, quinquaginta librarum ſimilium, ſecundum extimationem pręedictam, fructus, redditus, & proventus, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unionibus, annexionibus, & incorporationibus hujuſmodi, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adjicere, & pro potiori cautela, pręſtimonia, ſeu pręſtimoniales portiones, aut ſimplicia beneficia reſignata hujuſmodi, dicto Collegio perpetuo de novo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Mandatum. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur, exprimere verum annuum valorem, ſecundum communem extimationem, etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, & idem in confirmationibus unionum jam factarum, voluimus obſervari, fructuum, redditium, & proventuum Collegii hujuſmodi, verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, uniones, annexiones, & incorporationes, pręſtimoniorum, ſeu pręſtimonialium portionum, aut ſimplicium Beneficiorum reſignatorum, ac reſervationem fructuum hujuſmodi, & inde ſequuta, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem, & nihilominus pro potiori cautela pręſtimonia, ſeu pręſtimoniales portiones, aut ſimplicia Beneficia reſignata hujuſmodi, ſive ut pręmittitur, ſive aliis quibuſvis modis, aut ex aliorum quorumcunque perſonis, ſeu per ſimiles reſignationes Didaci, & Antonii, ac Chriſtophori pręedictorum, vel aliquorum aliorum de illis extra dictam Curiam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte reſpective factas, vacent, etiamſi tanto tempore vacaverint, quod eorum, vel earum collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii, ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ac pręſtimonia, ſeu pręſtimoniales portiones, aut beneficia reſignata hujuſmodi diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervatę, ſeu reſervata exiſtant, & ſuper eis inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore dat. pręſentium, non ſit in eis alicui ſpecialiter jus quęſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem Collegio de novo auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat, eidem Rectori, ſive procuratori ejuſdem Collegii per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem pręſtimoniorum, ſeu pręſtimonialium portionum, aut ſimplicium Beneficiorum unitorum, juriumque, & pertinentiarum pręedictorum, propria auctoritate de novo apprehendere, & perpetuo retinere, ac illorum, ſeu illarum fructus, redditus, & proventus in dicti Collegii, ac Fratrum, ſive ſtudentium in eo pro tempore exiſtentium uſus, utilitatemque convertere, Dięceſanorum locorum, & quorumvis aliorum licentia ſuper hoc minime requiſita, non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon Legionen., Palentin., & Salamantin. Eccleſiarum &c. quibus caveri dicitur expreſſe, quod nullus in earum Civitatibus, & Dięceſibus pręſtimonia, pręſtimoniales portiones, aut ſimplicia Beneficia hujuſmodi obtinere poſſit, niſi dictarum Eccleſiarum Canonicus actu pręebendatus, aut in illis perpetuus Beneficiatus, reſpective exiſtat, quibus illis, alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de pręſtimoniis &c. hujuſmodi &c. literas impetrarunt &c. Quas quidem literas &c., ad pręſtimonia, ſeu pręſtimoniales portiones, aut ſimplicia Beneficia unita hujuſmodi, volumus non extendi &c. & quibuſlibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis &c., & de quibus &c. habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrę approbationis, confirmationis, ſuppletionis, unionis, annexionis, incorporationis, derogationis, voluntatis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono, Decimo octavo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Valliſoletano.*) In *Hiſpania*, ubi cetera Civitates, & loca de quibus hoc in Diplomate. Conſulenda *Conſtitutio LVII data IX* Septemb. *MCCCCLXXXVIII*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVI fol.* 135.

3. *Eccleſiaſticis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

4. *Alfonſi.*) Burgos, de quo in *Appendice ad Pontificatum Sixti IV*.

Piſcia-

Piſciacenſe (1) Monaſterium privilegiis ornat.

Anno 1489 Die 18 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

LXXXI.

Diplomatiş cauſa.

EX paternę caritatis officio &c. (3). Sane pro parte dilecti filii Magiſtri Ambroſii de Cambray (4) Cancellarii Eccleſię, & Univerſitatis Pariſien., utriuſque Juris Doctoris, Notarii noſtri, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias ipſe de propria ſalute recogitans, ac volens ſibi in cęleſtibus ędibus theſaurizare, & alias ob ſingularem devotionis affectum, quem gerebat, prout gerit, ad Beatiſſimum Michaelem Archangelum militię cęleſtis principem, & hoſtis humani generis debellatorem, necnon Monaſterium Monialium Sancti Ludovici de Piſſiaco, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Carnoten. (5) Dięceſis, illiuſque, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Prioriſſam hujuſmodi, & Moniales inibi ſub perpetua clauſura degentes, ductus, ac etiam conſiderans, quod Monaſterium ipſum olim miris & ſumptuoſis ędificiis per claręmemorię Francorum Reges fundatum, & opulentiſſimis redditibus dotatum extitit, & in eo Octuaginta Religioſę numero, vel circa, quarum nonnullę (6) Regum, Ducum, Comitum, Baronum, & aliorum Illuſtrium Principum, & magnorum Nobilium filię, & conſanguinęę, alię vero plebeę, ſive populares divinis officiis diurnis, & nocturnis, cum vigiliis, & orationibus, jejuniis, aliiſque variis abſtinentiis, regularibus diſciplinis, & proprii corporis afflictionibus aſſidue vacando, fore noſcuntur, & in eo Virgines duntaxat recipiuntur, ac quod ob earum ſingularem vitam & bonorum operum exercitium quamplures alię puellę, & juvenes Virgines ſeculares partium Regni Francię, ut bonis moribus & doctrinis inſtruantur, ab earum parentibus ad ipſum Monaſterium tranſmittantur, ad Omnipotentis Dei, ac Beatę, & glorioſę Virginis Dei Genitricis Marię, ipſiuſque Sancti Michaelis Archangeli, totiuſque curię cęleſtis laudem, & gloriam, necnon pro ſuę ac parentum, conſanguineorum, amicorum, & benefactorum ſuorum animarum ſalutem, in Eccleſia dicti Monaſterii unam Imaginem ipſius Beatiſſimi Archangeli Michaelis miro, & ſumptuoſo artificio depictam apponi, & collocari fecit, ac inter cetera voluit, ſtatuit, & ordinavit, quod ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus ante dictam Imaginem Prioriſſa & Moniales dicti Monaſterii pro tempore exiſtentes annis ſingulis in Vigilia feſti ejuſdem Sancti Michaelis de Menſe Septembri immediate poſt Collectam, ſive orationem Veſperarum, & poſt Matutinas noctis ſequentis, ac in die craſtino, videlicet feſti ejuſdem Sancti Michaelis ante inchoationem Majoris Miſſę, & etiam poſt Collectam, ſive orationem ejuſdem diei, ſingulis vero diebus Octavę prędicti feſti ſemel duntaxat, videlicet ante inchoationem majoris Miſſę, in die vero ejuſdem octavę videlicet ante inchoationem ejuſdem majoris Miſſę, & in Veſperis immediate poſt Collectam, ſive orationem, ipſorum, ſingulis vero hebdomadis totius anni, in illa videlicet die, in qua feſtum ipſius Sancti Michaelis in Eccleſia militanti de Menſe Septembri celebrari continget ſemel duntaxat, videlicet de mane ante inchoationem majoris Miſſę, ut in diebus octavę certam tunc expreſſam antiphonam cum Verſiculo & Collecta ejuſdem Sancti Michaelis alta voce, ac cum decentibus, congruis, & honeſtis eccleſiaſticis cęremoniis decantare, & ut Moniales, ſive Converſę, ac alię perſonę dicti Monaſterii, & alii Chriſti fideles infra ſepta ipſius Monaſterii commorantes decantationi hujuſmodi commodius intereſſe, & inde laudes, & preces altiſſimo effundere valeant, quandam Campanulam dicti Monaſterii ſono ſubmiſſo ante decantationem Antiphonę, Verſiculi, & Collectę prędictorum pulſare deberent, & tenerentur, & ut Prioriſſa & Moniales prędictę decantationi, & aliis prępmiſſis commodius intereſſe poſſent, prępfatus Ambroſius de bonis ſuis a Deo ſibi pie collatis nonnulla tunc expreſſa immobilia bona, ſive annuos redditus, ſive cenſus, Monaſterio, illiuſque Prioriſſę, & Monialibus prędictis perpetuo donavit, & aſſignavit, quę omnia poſtmodum Provincialis generalis Provincię Superioris ſecundum morem dicti Ordinis ordinaria auctoritate approbavit, & confirmavit, prout tam in ipſius Provincialis, quam diverſis aliis literis authenticis, ſive Inſtrumentis publicis, deſuper confectis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte dicti Ambroſii, aſſerentis ſe cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli (7) Francorum Regis Chriſtianiſſimi Conſiliarium, & Requeſtarum domus ipſius Regis Magiſtrum ordinarium exiſtere, prępmiſſaque ad augmentum divini cultus, religioniſque propagationem, ac animarum ſalutem, ceſſiſſe, & cedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut voluntati, ſtatuto, ordinationi, donationi, aſſignationi, aliiſque prędictis pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, & in prępmiſſis, ac etiam alias pro ſalute Prioriſſę & Monialium prędictarum opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum ubique vigere, & augeri, potiſſime noſtris temporibus intenſis deſideramus affectibus, ac illorum votis, per quę prudentes Virgines facilius integritatem ſuam Altiſſimo reddere valeant, prout poſſumus, libenter annuimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, voluntatem, ſtatutum, ordinationem, donationem, aſſignationem, ac confirmationem prędicta, ac, prout illa concernunt, omnia, & ſingula in Provincialis, & aliis literis, ſeu Inſtrumentis prędictis contenta, & inde ſecuta quęcunque, ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore prępſentium confirmamus, & approbamus, ac prępſentis ſcripti patrocinio communimus; ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et nihilominus ut Prioriſſa, & Moniales, ſive Sorores, & alii Chriſti fideles infra dictum Monaſterium, & illius ſepta, commorantes eo frequentius ad intereſſendum Antiphonę, Verſiculo, & Collectę ante Imaginem ejuſdem Sancti Michaelis excitentur, & animentur, quo ex hoc majorem animarum ſuarum ſalutem uberius ſe noverint conſequi poſſe, de ejuſdem omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Apoſtolorum ejus Petri, & Pauli auctoritate confiſi, Prioriſſę & Monialibus prędictis, ac Converſis, ancillis, miniſtris, & aliis utriuſque ſexus perſonis, & ſervitoribus dicti Monaſterii, ac aliis Chriſti fide-

Nota.

Privilegia, & Indulgentiæ.

fidelibus infra ſepta ejuſdem Monaſterii commorantibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in ſingulis decantationibus prędictis, videlicet quę in Vigilia, & die Feſti prędicti, ipſiuſque feſti octava die unum annum, qui vero in ſingulis ejuſdem octavę, & qua dictum feſtum dicti Sancti Michaelis ab Eccleſia Dei, ut pręfertur, celebrari continget, diebus, interfuerint pro qualibet dictarum dierum centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Et inſuper Prioriſſę & Monialibus dicti Monaſterii duntaxat profeſſis, pręſentibus, & futuris, & ipſarum cuilibet, ut Fratres dicti Ordinis Prędicatorum alias idonei ad curam animarum Prioriſſę & Monialium prędictarum, & adminiſtratores eccleſiaſticorum ſacramentorum ſecundum morem, & ſegularia Inſtituta dicti ordinis deputati, quos in ſuos Confeſſores elegerint, ipſis Prioriſſę & Monialibus pro tempore, & cuilibet earum, vita ipſarum comite, in caſibus Sedi Apoſtolicę reſervatis, pręterquam offenſę eccleſiaſticę libertatis, criminum hęreſis, rebellionis, aut conſpirationis in Papam, vel ſtatum Roman. Pontificis, ſeu Sedem Apoſtolicam, falſitatis literarum Apoſtolicarum, ſupplicationum, & commiſſionum, invaſionis, deprędationis, aut devaſtationis terrarum, & Maris Romanę Eccleſiæ, mediate vel immediate ſubjectarum, offenſę perſonalis In Epiſcopum, vel alium Pręlatum, devolutionis cauſarum ad dictam Romanam Curiam, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ſemel duntaxat, in vita, & in mortis articulo, in aliis vero, quoties fuerit opportunum, confeſſione earum diligenter audita, pro commiſſis eis, & cuilibet earum, debitam abſolutionem impendat, & injungat pęnitentiam ſalutarem, necnon vota quęcunque, ultramarino, liminum eorundem Petri, & Pauli, ac Sancti Jacobi in Compoſtella Apoſtolorum, necnon caſtitatis, & Religionis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare valeant, quodque Fratres prędicti ad bujuſmodi curam deputati omnium peccatorum ipſarum Prioriſſę & Monialium, de quibus corde contritę, & ore confeſſę fuerint, ſemel in vita, & in mortis articulo, plenam remiſſionem, eis, & earum cuilibet in ſinceritate fidei, unitate Sanctę Romanę Eccleſię, ac obedientia, & devotione noſtra, ac ſucceſſorum noſtrorum Roman. Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica concedere valeant, necnon eiſdem Prioriſſę & Monialibus nunc, & pro tempore exiſtentibus, quę quadrageſimali, & aliis diebus ſtationum Eccleſiarum Urbis tria Altaria, ſive loca Imaginibus Sanctorum, vel Sanctarum Dei depicta, in eodem Monaſterio exiſtentia, viſitaverint, & inibi orationem Dominicam & Angelicam Salutationem tribus vicibus coram eiſdem Altaribus,
Nota, ſive locis depictis dixerint, omnes illas indulgentias, & peccatorum remiſſiones toties quoties id fecerint conſequantur, quas conſequerentur, ſi in eiſdem diebus Eccleſias Urbis diebus ſtationum prędictarum perſonaliter viſitarent, eadem auctoritate, tenore pręſentium, indulgemus, ſic tamen, quod Confeſſores prędicti de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam eis per ſe, ſi ſupervixerint, vel per alios, ſi forte tranſierint, faciendam injungant, quam ipſę vel illa facere teneantur, ut pręfertur, & ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam & conceſſionem reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod ſi a ſinceritate fidei, unitate Roman. Eccleſię, ac obedientia & devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Roman. Pontificum canonice intrantium, deſiſterent, aut ex confidentia ejuſdem conceſſionis, vel remiſſionis, aliqua forſan committerent, conceſſio, remiſſio, & pręſentes literę eis nullatenus ſuffragentur. Et ſi alias intereſſentibus decantationi Antiphonę, & Verſiculi prędictorum aliqua alia Indulgentia per Nos conceſſa fuerit, eędem pręſentes literę quoad Indulgentiam intereſſentium decantationi hujuſmodi nullius ſint roboris, vel momenti. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, approbationis, communitionis, ſuppletionis, relaxationis, conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono, Quinto decimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Piſciacenſe.*) Vulgo *Poiſſy*. Juris eſt Provincialis *Franciæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCVIII fol.*11.
3. *Officio &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Cambray.*) Adeas *Boulaeum Hiſtor. Univerſitatis Pariſien.*
5. *Carnoten.*) Vulgo *Chartres*.
6. *Nonnulla.*) Nunc etiam Virgines, Deo Sacræ, quas natalium ſplendor, & pietas maxime commendant, ibidem vitam degunt.
7. *Caroli.*) Hujus nominis *VIII.*

Anno 1490 Die 22 Februarii.

Inſerit, firmat, & auget privilégia San-Maximinenſi (1) Cœnobio conceſſa.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium, BEnignitas Apoſtolicę Sedis conſueta ea, quę per Romanos Pontifices pro Religionis conſervatione, & augmento, ac perſonarum ſub ipſius ſuavi jugo Altiſſimo famulantium, pace, & quiete provide facta fuiſſe comperit, libenter approbat, & innovat, eiſque Apoſtolici muniminis robur adiicit, de novo concedit, & alias eorum ſtatui providet, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem a felicis recordationis Bonifatio Octavo, & Martino Quinto, & Eugenio Quarto, Romanis Pontificibus,
Diplomatis cauſa. Prędeceſſoribus noſtris, emanarunt literę, quarum tenores in quibuſdam tranſumptis publicis per dilectum filium Clementem de Coreis, officialem Avenionen., Decretis, & Bulla plumbea conſueta Curię officialatus Avenionenſis, munitis, quę in Cancellaria noſtra diligenter inſpici, & examinari fecimus, inſerti reperiuntur, & eoſdem tenores ex dictis tranſumptis fideliter extractos de verbo ad verbum pręſentibus annotari fecimus, qui tales ſunt. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio
Inſerit Prædeceſſorum Conſtitutiones hac de re datas. Carolo Regi Sicilię illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ob tuorum excellentiam meritorum &c. (3). Datum Laterani Octavo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Maſſilienſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ob

Ob excellentiam meritorum, quibus cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Siciliæ Regis Illuſtris ſublimitas dignoſcitur inſignita, petitiones ipſius &c. (4). Datum Laterani Septimo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Ad ea ex Apoſtolicę ſervitutis Nobis injunctę deſuper officio libenter intendimus, per quę Eccleſiarum omnium, & pręſertim Romanę Eccleſię immediate ſubjectarum &c. (5). Datum Romę apud S. Petrum Sexto Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Rationi congruit & convenit honeſtati, ut ea, quę de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu literę Apoſtolicę ſuper illis expeditę non fuerint &c. (6). Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Trigeſimo, Quinto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo. Quare pro parte tam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli (7) Francorum Regis Illuſtris, quam dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Beatę Marię Magdalenę Romanę Eccleſię immediate ſubjectę, loci Sancti Maximini, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Aquenſis Diœceſis, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut literas prędictas pro illarum ſubſiſtentia firmiori, approbare, & innovare, & de novo concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui quorunlibet Religioſorum locorum commodum, & utilitatem, ac perſonarum in illis ſub ſuavi contemplationis jugo Altiſſimo famulantium, pacem, & quietem ſinceris deſideriis exoptamus, Priorem, & Fratres pręfatos, eorumque ſingulos a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus, quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſingulas literas prędictas, quatenus ſint in uſu, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium approbamus, innovamus, & de novo concedimus, & perpetuę firmitatis robur obtinuiſſe, & obtinere decernimus. Et quia aliquando contingit Eccleſiam (8), & Cœmeterium (9), dictę Domus per effuſionem ſanguinis, vel ſeminis violari, Priori pro tempore exiſtenti pręfato quod Eccleſiam, & Cœmeterium hujuſmodi, quoties opportunum fuerit, aqua prius per aliquem Catholicum Antiſtitem, ut moris eſt, benedicta, reconciliare, ac mappas, veſtes, & alia ornamenta, & paramenta Eccleſiaſtica ad divinum cultum neceſſaria, & deputata in Eccleſia dictę Domus benedicere, ac quoſcunque Epiſcopos Catholicos gratiam, & Communionem dictę Sedis habentes, ibidem tranſeuntes rogare, requirere, & invitare, ut omnes etiam ſacros Ordines Religioſis dicti Prioratus, & aliis clericis, & ſcholaribus eidem Prioratui ſubditis, conferant, Prior quoque, & Fratres pręfati Chriſma, & oleum Sanctum a quibuſcunque Catholicis Epiſcopis, ipſis ſponte concedere volentibus, recipere, Fratres etiam, & Clerici, & ſcholares prędicti a quibuſcunque maluerint Catholicis Antiſtibus gratiam, & communionem dictę Sedis habentibus, ad omnes, etiam Sacros, Ordines, ſtatutis a jure temporibus ſe promoveri (10) facere, ac eiſdem Antiſtibus, ut illos ad hujuſmodi Ordines promovere libere, & licite valeant, dicta auctoritate de ſpecialis dono gratię indulgemus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus Domus, & Ordinis Prędicatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon omnibus illis, quę pręfati prędeceſſores in literis pręfatis voluerunt non obſtare, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, approbationis, innovationis, conceſſionis, conſtitutionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prępſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono (11), Octavo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Privilegia firmat, & auget.

1. *San-Maximinenſ.*) Vide *Notas* ad *Conſtitutiones* mox laudandas.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar *lib. B. fol.* 305. Legitur etiam in *Bullario San-Maximinenſi pag.* 19.
3. *Meritorum &c.*) Ut in *Conſtitutione III Bonifatii VIII* ad finem uſque. Legitur *Tomo II pag.* 40.
4. *Ipſius &c.*) Ut in *Conſtitutione V Bonifatii VIII* ad finem uſque. Legitur *Tomo II pag.* 42.
5. *Subjectarum &c.*) Ut in *Conſtitutione CLV Martini V* ad finem uſque. Legitur *Tomo II pag.* 641.
6. *Non fuerint &c.*) Ut in *Conſtitutione I Eugenii IV* ad finem uſque. Legitur *Tomo III pag.* 1.
7. *Carol.*) Hujus nominis *VIII*.
8. *Eccleſiam.*) Ex maxima ſcilicet exterorum frequentia.
9. *Cœmeterium.*) Tunc ante fores templi *San-Maximinenſis* ſitum erat.
10. *Promoveri.*) Prior ſiquidem *San Maximinenſis* Cœnobii delegatione Provincialis non utitur, ut Fratres ad Ordines ſuſcipiendos mittat.
11. *Octuageſimo Nono.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXC.*

Conſervatores creat, qui præcedentem Conſtitutionem ſervandam curent.

Anno 1490 Die 22 Februarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXXXIII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Arelaten., & Avenionen. Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Senecen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Ad Perpetuam Rei Memoriam. Benignitas Apoſtolicę Sedis &c. (2) Quocirca Fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, prędictas literas, ac omnia, & ſingula in eis contenta, ubi, & quando expediens fuerit, ac quoties pro parte Prioris, & Fratrum Domus S. Marię Magdalenę loci S. Maximini Ordinis Fratrum Prędicatorum fueritis requiſiti, ſuper hoc ſolemniter publicantes, ac eiſdem Priori, & Fratribus in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis, literas, & in eis contenta hujuſmodi, inviolabiliter obſervari,

non

Digitized by Google

non permittentes Priorem, & Fratres pręfatos contra illarum tenorem, per quoſcunque quomodolibet moleſtari, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus omnibus ſupradictis, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua inter alia cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Dięceſim, niſi in certis exceptis Caſibus, & in illis, ultra unam dietam a fine ſuę Dięceſis ad judicium vocetur, ſeu ne judices a Sede prędicta deputati, extra Civitatem, vel Dięceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis, vices ſuas committere pręſumant, dummodo ultra dúas dietas, aliquis auctoritate pręſentium, ad judicium non trahatur, ac aliis Conſtitutionibus &c. quibuſcunque, aut ſi aliquibus &c. Ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono (3), Octavo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCVII fol.* 77.

2. *Sedis &c.*) Ut in præcedenti ad finem uſque.

3. *Octuageſimo Nono.*) Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXC.

Anno 1490 Die 10 Martii.

LXXXIV.

Cœnobii in Diœceſi Gebennenſi (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Tarantaſien. (3), & dilectis filiis Decano Capellę Sanctę Chamberiaci (4) Grationopolitan. (5) Dięceſis. ac Cantori Eccleſię Gebennen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex fundatorum petitio.

INter cetera, quibus ex ſuſcepti regiminis cura vigilantius Nos intendere convenit &c. (6). Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Amedei de Viriaco Baronis Baronię de Viriaco Perrerię, Copeti, Montis Veteris, & Rotuli, necnon dilectę in Chriſto filię Margheritę de Challant, relictę quondam Bernardi Domini loci Mentonis, Gebennen. Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſi pro devotione, quam ad Ordinem S. Dominici gerere noſcuntur, ac divini cultus augmento, ſuarumque, ac parentum, & prędeceſſorum ſuorum, ac aliorum Chriſti fidelium animarum ſalute, unam Domum cum Eccleſia, cęmeterio, campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis in loco ad hoc apto, & idoneo, in territorio, ſeu Dominio dictorum Amedei, & Margheritę, ſeu alterius eorundem conſiſtente, pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis conſtrui, & ędificari facere proponunt, atque deſiderant, ſi eis, ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte eorundem Amedei, & Margheritę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis, & eorum cuilibet, Domum prędictam, cum Eccleſia, cęmeterio, campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, aliiſque officinis pręfatis in loco ad hoc apto, & idoneo, in eorundem Amedei, & Margheritę territorio, ſeu Dominio conſiſtente pro uſu, & habitatione Fratrum hujuſmodi conſtrui, & ędificari faciendi, necnon Fratribus prędictis, illam recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, ac alias, ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & Divini cultus augmentum, noſtris potiſſime temporibus, vigere, & augeri, ſinceris deſideriis affectamus, ipſorum Amedei, & Margheritę laudabile propoſitum hujuſmodi plurimum in Domino commendantes, & de pręmiſſis certam notitiam non habentes, ac quemlibet eorundem Amedei, & Margheritę a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis &c., abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi eſt ita, pręfatis Amedeo, & Margheritę, & eorum cuilibet, Domum ipſam cum Eccleſia, cęmeterio, campanili humili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi, in loco tamen ad hoc apto, & idoneo in dominio, ſeu territorio ad ipſos Amedeum, & Margheritam, vel alterum eorundem ſpectante, conſiſtente pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum eorundem conſtrui, & ędificari faciendi, necnon pręfatis Fratribus Domum ipſam recipiendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam largiamini, ſine tamen cujuſcunque prejudicio, necnon jure Parochialis Eccleſię, & cujusvis alterius, in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium, in aliqua Civitate, Villa, vel Caſtro &c., ad inhabitandum Domos, vel loca quęcunque, de novo recipere &c., aliiſque conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nos enim ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore pręſentium concedi contigerit, dictę Domus Fratribus pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus &c. per Sedem pręfatam, vel alias aliis Domibus, ſeu Fratribus conceſſis, uti, potiri, & gaudere, libere, & licite valeant, auctoritate apoſtolica, tenore pręſentium indulgemus. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono (7), Sexto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Facultas.

1. *Gebennenſi.*) Urbs quidem *Gebennenſis* in limite *Sabaudiæ*, Diœceſis vero etiam in *Sabaudia* ſita eſt.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXV fol.* 140.

3. *Tarantaſien.*) Aliis *Tarentaſien.*, in *Alpibus Graiis*.

4. *Chamberiaci.*) *Camberiaci*, vulgo *Chambery*, in *Sabaudia*.

5. *Grationopolitan.*) *Gratianopolitan.*, vulgo *Grenoble*, in *Delphinatu*.

6. *Convenit &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

7. *Octuageſimo Nono.*) Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXC.

Ri-

Ripaltenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1490 Die 3 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXV.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito S. Marię de la Cuira, Alexandrin. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

SEdis Apoſtolicę copioſa benignitas &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Joachini (4) Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, qnod alias dilecti filii Univerſitas hominum loci Ripaltę (6) vallis Bivandę, Aquen. (7) Diœceſis, Provincię Mediolanen., ſecundum morem dicti Ordinis, de propria ſalute cogitantes, ac cupientes, temporalia in ſpiritualia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, quendam locum Sancti Spiritus nuncupatum, ſitum in territorio loci Ripaltę cum certis bonis tunc expreſſis, quę olim a dilecto filio Johannino de Rottis Miniſtro Hoſpitalis Gratiarum, Caſalen. &c. canonice dicto Ordini, de conſenſu Domini temporalis dicti loci Ripaltę, donarunt, ut ibidem una Domus pro uſu, & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum ejuſdem Ordinis conſtruerent, & ędificarent, & Benedictus de Ruginettis, tunc Prior Domns Alexandrin. dicti Ordinis, nulla ſibi ſuper hoc ab eadem Sede conceſſa licentia, locum ipſum ſic donatum cum eiſdem bonis nomine dicti Ordinis acceptavit, illiuſque poſſeſſionem apprehendit, excommunicationis ſententiam &c. incurrendo. Quare pro parte Joachini, & Benedicti prędictorum, Nobis fuit humiliter ſnpplicatum, ut ipſum Benedictum ab excommunicationis ſententia hujuſmodi abſolvere, ac eidem Joachino, ut locnm donatum cum bonis donatis hujuſmodi nomine ipſius Ordinis retinere, & inibi unam Domum pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis conſtrui, & ędificari facere poſſint licentiam, & facultatem concedere, aliaſque In premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis augmentum, noſtris potiſſime temporibus appetimus, attendentes, quod pręfatę Sedis clementia petentibus gratiam ſuę pietatis non denegare conſuevit, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę committimus, & mandamus, quatenus eundem Benedictum, ſi hoc bumiliter petieiit, ab excommunicationis ſententia hujuſmodi, quam prędiſſorum occaſione incurrerit, auctoritate noſtra hac vice duntaxat abſolvas in forma Eccleſię conſueta, injuncta a te ſibi pro modo culpę pęnitentia ſalutari, & aliis, quę de jure fuerint injungenda, & nihilominus eidem Joachino locum prędictum pro dicto Ordine retinendi, & inibi unam Domum pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis cum Eccleſia, campanili humili, campanis, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ſine alicujus prejudicio, conſtrui, & ędificari faciendi, anctoritate noſtra prędicta, licentiam concedas, jure Parochialis Eccleſię, & cujuſvis alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Boniſatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri prohibente, ne qnorunvis Ordinum Mendicantium Fratres loca ad inhabitandum de novo recipere &c. & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo, Tertio Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Facultas.

1. *Ripalten.*) Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCIII fol.* 30.
3. *Alexandrin.*) Vulgo *Aleſſandria della paglia*.
4. *Benignitas &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Joachini.*) *Turriani*, de quo ſæpius dictum fuit.
6. *Ripalta.*) Seu *Ripa alta*, vulgo *Rivalta*, in ditione Ducis *Sabaudiæ*.
7. *Aquen.*) Vulgo *Acqui*.

Firmat ea, quæ Monialis, votis ſolemnibus jam nuncupatis, teſtamento (1) caverat.

Anno 1490 Die 20 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXVI.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Auguſtino de Flaſco, Canonico Januen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

A Supremo Patreſamilias, meritis quanqnam inſufficientibus, in domo Domini diſpenſatores effecti &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarnm in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii (4) per Prioriſſam ſoliti gubernari Corporis Chriſti, alias Sancti Silveſtri, Januen., Ordinis Sancti Auguſtini, de obſervantia nuncupati, ſub cura, ac juxta regularia Inſtituta Fratrum Prędicatorum degentium, necnon Margaritinę dilectę in Chriſto filię Seraphinę, & Jacobi de Auria (5) Monialis dicti Monaſterii ex legitimo Matrimonio natę, ac Tutorum, & curatorum ipſius Margaritinę, petitio continebat, quod olim dicta Seraphina, poſtquam Monaſterium prędictum ingreſſa fuerat, infra annum probationis exiſtens, de conſenſu ſui genitoris, prout juxta quoddam ſtatutum Civitatis Januen. facere poterat, ſuum ultimnm condidit teſtamentum, & deinde melins conſiderans, & infra annum probationis hujuſmodi adhuc exiſtens, teſtamentum prędictum, prout vigore dicti ſtatuti facere poterat, revocavit, poſtmodum vero cum dicta Seraphina profeſſionem per Moniales hujuſmodi Monaſterii emitti ſolitam, reſervato tamen ſibi de conſenſu & voluntate earundem Conventus teſtandi arbitrio, expreſſe emiſiſſet, conſiderans, quod bona, quę dicta Margaritina ejus nata, quę de nobili genere procreata eſt, poſſidebat, pro ejus dote juxta ſtatum ſuum non ſufficiebant, conſentientibus ſuperiori Vicarlo dicti Monaſterii, illiuſque Prioriſſa, ac eorum auctoritatem in hoc interponentibus aliud teſtamentum

con-

condidit, in quo dictam Margaritinam ſibi univerſalem hęredem inſtituit, deputatis ſibi tutoribus, & curatoribus tum expreſſis, prout in quodam publico Inſtrumento, ſuper dicto ultimo teſtamento confecto dicitur plenius contineri. Quare pro parte Vicarii, Prioriſſę, Conventus Monaſterii Margaritinę, ac tutorum, & curatorum prędictorum, aſſerentium prędicta in commoditatem dicti Monaſterii cedere, & ea pro illius tutiori cautela facta fuiſſe, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut poſteriori teſtamento prędicto pro illius ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias in premiſſis opportune

Confirmatio.

providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque de premiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam de poſteriori teſtamento hujuſmodi tibi legitime conſtiterit, teſtamentum ipſum, ac prout illud concernunt, omnia, & ſingula in dicto Inſtrumento contenta auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus premiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo, Duodecimo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Teſtamento.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CII fol.* 310.
3. *Effecti &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Monaſterii.*) De quo in *Conſtitutione XIII Pii II.* Legitur *pag.* 392 hujus *III Tomi*. Et alias non ſemel.
5. *De Auria.*) Antiqua gens eſt, quæ nunc etiam floret.

Anno 1490 Die 29 Aprilis.

Apuliæ (1) Provinciam dividit ab aliis Provinciis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXXVII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

HIs, quę pro pace, & quiete, & ſtatu perſonarum quarumlibet, preſertim ſub ſuavi Religionis jugo degentium &c. (3). Sane pro parte dilectorum filiorum Vicarii Generalis, ac Priorum Domorum Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Apulię, ſecundum morem dicti Ordinis, Regni Sicilię, ultra Pharum, ac Profeſſorum Ordinis, & Provincię prędictorum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum Domus Ordinis, & Provincię hujuſmodi retroactis temporibus, ſecundum antiquam conſuetudinem, & ordinationem antiquorum Patrum dicti Ordinis a quibuſcunque aliis Domibus cujusvis alterius Provincię Ordinis ejuſdem ſeparatę, & deinde ad nonnullorum profeſſorum dicti Ordinis Terrę Laboris, & Calabrię Provinciarum, requiſitionem, Domibus Terrę Laboris, & Calabrię Provinciarum prędictarum perpetuo unitę fuiſſent, & exinde magnum detrimentum Domibus Provincię Apulię hujuſmodi ſequeretur, preſertim quia Vicarii Provinciales Ordinis ejuſdem, Domos Provincię Apulię; non perſonaliter viſitabant, dilectus filius Johannes (4) Turrianus, Magiſter Generalis dicti Ordinis, premiſſis ad ſupplicationis dilectorum filiorum Patrum dicti Ordinis Provinciarum earundem inſtantiam, providere volens, Domos dictę Provincię Apulię, ab aliis Domibus aliarum Provinciarum predictarum auctoritate ſui Generalatus Officii de novo ſeparavit, & ad priſtinum ſtatum reduxit, volens, & ordinans, quod nulli alii Patres, ſive profeſſores dicti Ordinis cujuſvis alterius Provincię in regimine Domorum dictę Provincię Apulię, ſe de cetero intromittere pręſumerent, prout in quibuſdam literis authenticis dicti Generalis, deſuper confectis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Vicarii, Priorum, & aliorum profeſſorum Provincię Apulię hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſeparationi, reductioni, voluntati, & ordinationi predictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Mandatum.

Nos igitur, qui Religioſorum locorum omnium ſtatum in melius dirigi noſtris potiſſime temporibus ſupremis deſideramus affectibus, prefatos Vicarium, Priores, & profeſſores Provincię Apulię hujuſmodi, eorumque ſingulos a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſeparationem, reductionem, voluntatem, & ordinationem prędictas, auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium, approbamus, & confirmamus, ac preſentis ſcripti patrocinio communimus, & diſtrictius quibuſcunque dicti Ordinis Prelatis, cujuſcunque gradus, & conditionis exiſtant, ne de cetero aliquid in contrarium attentare preſumant ſub excommunicationis latę ſententię pęna inhibemus, ac decernimus, dictam Provinciam Apulię, non quoad Domos dicti Ordinis reformatas, & reformandas in poſterum, ac illarum Fratres, a Terra Idyony Apulię Capitanatę (5), uſque ad Terram Bagnoli Nuſcan. (6) Diœceſis conſervari, & intelligi debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari. Nos enim Domibus dictę Provincię Apulię, ut omnibus gratiis, privilegiis, & indulgentiis &c., uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, eadem auctoritate, de ſpecialis dono gratię indulgemus, non obſtantibus premiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. necnon quibuſvis privilegiis, gratiis, & indultis per Sedem Apoſtolicam &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, inhibitionis, conſtitutionis, conceſſionis, & derogationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo, Tertio Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Apulia.*) Vulgo *Puglia*, in Regno *Neapolitano*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*.
3. *Degentium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Johannes.*) Sic amanuenſis; legendum: *Joachinus*, ut in ceteris Diplomatibus.
5. *Apulia Capitanata.*) Duplex eſt enim; *Peucetia* ſcilicet & *Capitanata*, ſeu *Daunia*.
6. *Nuſcan.*) Vulgo *Nuſco*, in Provincia *Principatus ulterioris*.

F. Jo-

F. Joachinus (1) Turrianus Ordinem viſitet ac reformet.

Anno 1490 Die 15 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Joachino Turriano Generali Ordinis Prędicatorum.

INNOCENTIUS PP. VIII.

LXXXVIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD ea pro noſtra paſtorali ſolicitudine libenter intendimus quę ad tui Ordinis conſervationem, & Religinnis augmentum pertinent. Cum igitur tu impręſentiarum a Nobis proficiſcaris citra & ultra montes, Conventus tui Ordinis viſitaturus, & dubites, vel importunitate ſupplicantium, vel pręoccupatione à Nobis eſſe extorta a tui Ordinis Religioſis reſcripta aliqua Apoſtolica, quorum prętextu, vel ipſi laxius vivant, vel ut ſtatutis, & conſtitutionibus dicti Ordinis non aſtringantur. Ex quo, ut dicis, & obedientia Superiorum diſſolvitur, Religio labefactatur; & confuſio in toto Ordine generatur. Deſideras propterea ſuper iis Apoſtolicę auctoritatis remedio provideri. His igitur ſcandalis paterno affectu obviare volentes, & ut tuo Ordini liberius valeas, & ſalubrius providere, pręſentium tenore diſcretioni tuę committimns facultatem, & damus, ut ſecundum regulam, & ordinis tui conſtitutiones, omnes, & ſingulos dicti Ordinis Religioſos viſitare, ac ſalubriter eis prout prudentię tuę, ſervatis dictis conſtitutionibus, expedire videbitur, conſulere, & providere integre omnino poſſis, & valeas. Non obſtantibus quibuſcunque reſcriptis, ſeu literis Apoſtolicis a Nobis ſub quacunque verborum forma forſitan emanatis, etiam cum quibuſvis clauſulis derogatoriarum derogatoriis, quibus omnibus ad effectum duntaxat pręſentium expreſſe derogamus, ac premiſſis, ceterisque in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Junii MCCCCLXXXX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Mandatum.

Sigiſmundus.

1. *Joachinus*.) De quo ſæpius dictum fuit.
2. *Archivo*.) In quo Autographum.

De non aſportandis ornamentis eccleſiaſticis e quibuſdam Cœnobiis, & Monaſteriis Ovetenſis (1) Diœceſis.

Anno 1490 Die 4 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

LXXXIX.

INjunctum Nobis deſuper Apoſtolice ſervitutis officium &c. (3). *Sane pro parte* dilecti filii nobilis viri Roderici Pimeutel (4) Comitis Benaventi (5), Oveten. Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod in nonnullis locis, & terris quorum, ſeu quarum, ipſe Comes Dominus temporalis exiſtit, nonnulla Monaſteria, ac Domus Ciſtercien., Minorum, Prędicatorum, & aliorum Ordinum, tam virorum, quam mulierum fore noſcuntur, quę licet ornamentis eccleſiaſticis, tam per prędictum Comitem, & ejus progenitores, quam alios Chriſti fideles eiſdem Monaſteriis, & Domibus ex pia eorum devotione relictis, & donatis ſufficienter ornata, & munita exiſtant, tamen pluries cum viſitatores, & Miniſtri, ſeu Provinciales dictorum Ordinum ad Monaſteria, & Domos hujuſmodi accedere contingit, contra Comitis, & aliorum, qui ornamenta prędicta donarunt, voluntatem, illa a domibus, & Monaſteriis prędictis extrahunt, & extrahi faciunt, ac ad alia Monaſteria, & Domos extra dominium predictum conſiſtentia aſportant, quo fit, ut Chriſti fidelium ad ſimilia dona dictis Monaſteriis, & Domibus relinquenda, & donanda devotio ceſſet, ac Monaſteria, & Domus hujuſmodi magnum exinde patiuntur detrimentum. Quare pro parte dicti Comitis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui fidelium devotionem vigere, & augeri, noſtris potiſſime temporibus, ſupremis deſideramus affectibus, pręfatum Comitem a quibuſcunque excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod deinceps, viſitatores, Miniſtri, & Provinciales, ac alii quicunque Pręlati, ſub excommunicationis ſententia, quam contrafacientes eo ipſo incurrant, aliqua ornamenta eccleſiaſtica, a Monaſteriis, & domibus, ac locis prędictis In Dominio dicti Comitis conſiſtentibus, extrahere, & illa ad aliqua alia Monaſteria, atque Domus extra dictum Dominium transferre non pręſumant, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtri ſtatuti &c. infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo, Quarto Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Oveten.*) Vulgo *Oviedo*, in *Hiſpania Tarraconen.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XCIII fol.* 315.
3. *Officium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Pimentel*.) Nobiliſſima gens eſt, quæ nunc etiam floret.
5. *Benaventi*.) *Beneventi*, vulgo *Benavente*, in Regno *Legionenſi*, inter *Senticam* & *Legionem*, ad *Eſlolam* fluvium. Hæc notanda, ut a ceteris ejuſdem nominis civitatibus iſtud oppidum diſtinguatur.

Anno 1490 Die 16 Julii.

De ſacris Stigmatibus S. Catharinæ (1) Senenſis.

Ex Alberto Caſtellano Parte II pag. 127.

XC.

Dilecto filio Joachino Turriano Ordinis Prędicatorum Generali Magiſtro,

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm dudum, ut accepimus, quędam Apoſtolica Bulla felicis recordationis Sixti immediati Prędeceſſoris noſtri, emanaverit, per quam diſtricte prohibebatur, ne aliquis imagines, ſive figuras alicujus Sancti ad inſtar imaginum, ſive figurarum B. Franciſci, cum Stigmatibus depingeret, aut depingi faceret; Et propterea ob nonnullas figuras, quę tam ante, quam poſt pręfatam Bullam depictę cum Stigmatibus ad inſtar, & non ad inſtar, Beati Franciſci, fuerunt, lites, & diſſenſiones, & diſcordię inter aliquos Religioſos tui Ordinis, & Minorum exortę fuerint, & in poſterum etiam exoriri veriſimiliter formidentur; Nos, propterea paterna ſolicitudine illis obviare, & dictorum Religioſorum paci, quieti, ac tranquillitati conſulere volentes, tenore pręſentium ſub excommunicationis pęna diſtricte pręcipiendo mandamus, quatenus imagines, ſive figurę B. Catherinę pręfatę, quę ante prędictam Bullam, & poſt eam, uſque ad pręſentem diem depictę fuerunt, illeſę, & integrę ut nunc ſunt, debeant permanere. Et nihilominus nulla figura B. Catherinę pręfatę depingi in poſterum cum Stigmatibus debeat ſub eadem excommunicationis pęna expreſſe prohibemus, donec per Nos aliter fuerit ordinatum. Non obſtantibus Bulla pręfata, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVI Julii MCCCCXC Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *S. Catharinæ.*) Conſulendæ *Sixti IV* Conſtitutiones *LXXIX*, Legitur *Tomo III pag.* 536, & *CXIII.* Legitur *pag.* 570.

Anno 1491 Die 1 Februarii.

De Definitoribus in abſentium locum ſubſtituendis (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCI.

Dilecto filio Joachino Turriano Generali Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ad Generale Capitulum tui Ordinis de proximo celebrandum, ſicut accepimus, juxta illius Conſtitutiones ſingulę Provincię ſingulos Diffinitores ſimul cum Magiſtro Generali ad res diffiniendas mittere teneantur, ac veriſimile ſit propter longam diſtantiam, & viarum diſcrimina, pleroſque Diffinitores defuturos, ne ergo Ordo veſter diminuto Diffinitorum numero incommodum patiatur, ideo auctoritate Apoſtolica tibi per pręſentes committimus, ut, ſi tibi videbitur, non venientium loco, eos, quos ex profeſſoribus tui Ordinis idoneos duxeris, valeas ſubrogare cum plena diffiniendi poteſtate, non obſtantibus ordinationibus Apoſtolicis, ac tui Ordinis Conſtitutionibus, & aliis contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die Prima Februarii MCCCCLXXXXI, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Sigiſmundus.

1. *Subſtituendis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.* 2. *Archivo.*) In quo Autographum.

Anno 1491 Die 1 Februarii.

De Ordine Reformando.

Ex Archivo (1) Ordinis.

XCII.

Dilectis filiis Diffinitoribus Ordinis Prędicatorum.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm dilectus filius Joachinus Turrianus Ordinis Prędicatorum Generalis Magiſter a Nobis noviſſime loca ultramontana viſitaturus diſcederet, hortati ſumus eum, ut Provincias, & loca, quę reformatione indigere viderentur, reformaret, & ſtudia litterarum attolleret: nam ex hujuſmodi reformationibus fidelium devotio ad dictum Ordinem augetur, & viri litterati, quibus idem Ordo omni tempore floruit, magnum lucrum faciunt animarum. Credimus, quod noſtrę hortationis memor in Generali Ca-

Nota.

Capitulo proxime celebrando, vobis conſultis de utraque harum rerum aget. Quare pietatis, & officii veſtri erit ab ejus voluntate non diſcrepare, ſed ei prompte adhęrere, & obſequi, ut per reformationes, ſtudiaque prędicta Ordo veſter ſalutaribus proficiat incrementis, ad quod ex abundantia caritatis vos omnes in Domino exhortamur. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die Prima Februarii MCCCCLXXXXI, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Jo. Crothon.

1. *Archivo.*) In quo Autographum.

De Definitoribus (1) Capituli Generalis.

Anno 1491 Die 1 Februarii.

XCIII.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Joachino Turriano Ordinis Prędicatorum Magiſtro Generali.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ex Conſtitutionibus tui Ordinis, ſicut accepimus, ſtatuatur in Capitulis Generalibus, ut duobus annis Diffinitores, & tertio anno Priores Provinciales ſimul cum Generali Magiſtro diffiniant, & aliquando per Sedem Apoſtolicam fuerit proviſum, ut rebus Ordinis rectius conſuleretur, quod etiam Provinciales in annis diffinitorum ad diffiniendum admitterentur, ideo auctoritate Apoſtolica tibi per pręſentes facultatem concedimus, ut eos Provinciales, quos ad proximum tui Ordinis Generale Capitulum venire contigerit, ad diffiniendum cum aliis Diffinitoribus, ſi tibi videbitur expedire, admittas. Inſuper etiam cum ex Conſtitutione de biennali, & triennali Capitulo a Gregorio Undecimo felicis recordationis, Prędeceſſore noſtro, confirmata, caveatur, ne eligatur Diffinitor Generalis Capituli, nec ei ſocius aſſignetur, niſi anno ultimo, quo celebrandum eſt Capitulum Generale, & multę Provincię ſuos Diffinitores pręterito anno elegerint credentes in eo anno futurum eſſe hujuſmodi Generale Capitulum, quod Nos poſtea honeſtis de cauſis in alium annum diſtulimus, vertaturque nunc in dubium apud quoſdam, an Diffinitores tunc electi a ſuis Provinciis, vel ſocii aſſignati, ad diffiniendum admitti debeant; ideo auctoritate Apoſtolica per pręſentes tibi committimus, ut ipſos Diffinitores ſic electos, vel ſocios aſſignatos, ſi per Provincias de aliis Diffinitoribus alia non fuerit facta proviſio, ad diffiniendum tanquam indubitatos, & veros Diffinitores, admittas. Non obſtantibus ordinationibus Apoſtolicis, & tui Ordinis Conſtitutionibus, ac aliis in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die Prima Februarii MCCCCLXXXXI, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Jo. Crothon.

1. *Definitoribus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum.

Sodales SS. Roſarii (1) Indulgentiis ornat.

Anno 1491 Die 26 Februarii.

XCIV.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SPlendor paternę glorię, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate, & abſcondita producit in lucem, pia vota devotorum fidelium, de ſua clementiſſima majeſtate ſperantium, tunc pręcipue benigno favore proſequitur, cum devotorum ipſorum humilitas Sanctorum, & Sanctarum, pręcipueque precibus Virginis Marię, & meritis adjuvatur. Quia enim matrem ante Filium habemus oſtendentem pectus, & ubera, Filium ante Patrem, oſtendentem latus, & vulnera, Filius non denegabit Matri intercedenti, nec Pater Filio interpellanti. Igitur ſi Regina Angelorum interpellat aſſidue pro Nobis, apud cęleſtis curię Regem eo ferventius ipſam ſalutare decet, ut apud eum, quem genuit, ac ſacris ſuis uberibus lactavit, intercedat, ut tandem per ejus merita in ęterna cęlorum Regna conſcribi mereamur, & Confratres ejuſdem Filii eſſe dicamur. Nos igitur, cupientes (3) devotiſſimam Confraternitatem de Roſario, ſeu Capelleto (4) nuncupatam, & a Prędeceſſore noſtro Sixto Papa Quarto, in inclyto Ordine Prędicatorum innovatam (5), & confirmatam, quam etiam auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, & ut Chriſti fideles utriuſque ſexus, eo libentius devotionis cauſa, ad illam devotiſſimam Confraternitatem de Roſario confluant, ac Confratres, & Conſorores effici, ac inſcribi concupiſcant, quo ex hoc uberius cęleſtis gratię dono conſpexerint ſe fore refectos, de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ac Beatiſſimę Virginis Marię meritis, & interceſſionibus, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus Confratribus, & Conſororibus conſcriptis, vere pęnitentibus, & confeſſis, Roſarium quinquagenarium (6) dicentibus, toties, quoties id dixerint, ſexaginta millia Annorum, & totidem quadragenas Indulgentiarum de injunctis ſibi pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Nos denuo cupientes, ut ipſi Confratres, & Conſorores ſedulius Roſarium prędictum ob Virginis Marię reverentiam deferant, & in

Indulgentia.

& in fine cujuslibet Angelicę ſalutationis Nomen Jeſus nominent, quo ex hoc dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe fore refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, volumus, & auctoritate Apoſtolica ordinamus, & concedimus, ac omnibus, & ſingulis Confratribus, & Conſororibus conſeriptis vere pęnitentibus nunc & pro tempore exiſtentibus Roſarium deferentibus, centum annos, & totidem quadragenas Indulgentiarum de injunctis ſibi pęnitentiis miſericorditer in Domino indulgemus, atque etiam ſi prędicti Confratres Nomen Jeſus in fine cujuslibet Angelicę ſalutationis nominaverint quinque annos, & totidem quadragenas ſimiliter concedimus, pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę ordinationis, conceſſionis, approbationis, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Octavo (7), Quarto Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Roſarii.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar authenticum. Legitur in *Bullario Confraternitatum Ord. Prædicatorum pag.* 53, ubi variis mendis ſcatet.
3. *Cupientes.*) Nonnihil deeſt.
4. *Capelleto.*) Gallis *Chapelet*, Italis *Corona*.
5. *Innovatam.*) Alii, mendoſe tamen, legunt *inſtitutam*: Conſulenda ipſamet *Conſtitutio CXXII Sixti IV. Legitur Tomo III pag. 576.*
6. *Roſarium Quinquagenarium.*) Tertiam ſcilicet partem Roſarii. Roſarium ſiquidem Quindecim ſalutationis Angelicæ decades habet.
7. *Octuageſimo Octavo.*) Sic amanuenſis. Legendum: *Nonageſimo* (ſtylo Bullarum, æræ vero communis *MCCCCXCI.*)

Anno 1491 Die 18 Martii.

Provinciali Provinciæ S. Dominici (1), & F. Ludovico de Ferraria (2) quædam agenda præſcribit.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XCV.

Dilectis filiis Provinciali Provincię S. Dominici Ordinis Prędicatorum, ac Ludovico de Ferraria ejuſdem Ordinis, & Sacrę Theologię profeſſori in Univerſitate ſtudii Paduan. actu legenti (4).

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Mittimus vobis ſupplicationem pręſentibus introcluſam manu dilecti filii noſtri A. (5) Cardinalis Alerien. in pręſentia noſtra ſignatam. Volumuſque, & vobis committimus, ac mandamus, ut, vocatis vocandis, ad illius executionem procedatis juxta ejus continentiam, & ſignaturam. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Martii MCCCCLXXXXI, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

B. de Gamonibus.

1. *Provincia S. Dominici.*) Seu *Lombardiæ*.
2. *Ludovico de Ferraria.*) Diſtinguendus iſte ab alio ejuſdem nominis, & cognominis Fratre qui per id tempus floruit. Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXCVI pag. 882 &c.*
3. *Archivo.*) In quo Autographum.
4. *Actu legenti.*) Cum, . . . anno MCCCCXC Senatus *Venetus Cathedram Theologicam in via S. Thomæ in Univerſitate Patavina erigendam duxiſſet, Ludovicum illum elegit, qui primus eam obtineret.* Echard loco laudato, ubi refert Senatus conſultum.
5. *A.*) Antoniotti ſcilicet *Pallavicini*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III ad an. MCCCCLXXXIV pag. 129.*

Anno 1491 Die 30 Martii.

Abulenſis (1). Cœnobii S. Thomæ ſacras ædes viſitantibus Indulgentias elargitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCVI.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

PAſtoris ęterni, qui pro ſalute humani generis ſe in ara Crucis in pretium immolari non renuit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, fideles quoslibet ad viſitandum pia eccleſiaſtica loca, caritatiſque opera exercendum, ſpiritualibus muneribus, Indulgentiis videlicet, & remiſſionibus, libenter inducimus, ut ipſorum operum participes effecti ſupernam patriam valeant facilius introire. Sane accepimus, quod dilectus filius Frater Thomas (3) de Turrecremata, Prior Monaſterii S. Crucis Segobien., Ordinis Prędicatorum, in Regnis cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi (4) Regis, & cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Eliſabeth Reginę Caſtelle, & Legionis Illuſtrium, Generalis auctoritate Apoſtolica Inquiſitor quandam Domum ſub vocabulo S. Thomę ejuſdem Ordinis cum Eccleſia, clauſtro, dormitorio, & horto, aliiſque membris, & officinis neceſſariis, tam ex gratia ipſorum Regis, & Reginę, quam ex aliis Chriſti fidelium eleemoſynis prope muros Civitatis Abulen. a fundamentis erigi, conſtrui, & ędificari curavit, in qua plures dicti Ordinis Religioſi, die, noctuque divina officia celebrantes, Altiſſimo famulantur. Nos igitur cupientes, ut dicta Eccleſia congruis frequentetur honoribus, & in ſuis ſtructuris, & ędificiis conſervetur, ac reparetur, libriſque, calicibus, paramentis, & aliis ornamentis divino cultui neceſſariis, muniatur, fideleſque Chriſti eo libentius devotionis cauſa confluant ad

can-

eandem, & ad prǽmiſſa, manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam prędictam in Annunciationis B. Marię, & in Inventionis S. Crucis, SS. Fabiani, & Sebaſtiani, ac S. Thomę de Aquino feſtivitatibus, a primis veſperis, uſque ad ſecundas veſperas ſingularum Feſtivitatum eorundem, devote viſitaverint annatim, & ad conſervationem, reparationemque prędictas, ac ornamentorum bujuſmodi acquiſitionem, manus porrexerint adjutrices, ut prefertur, ſingulis Feſtivitatum eorundem diebus, quibus id fecerint, vigintiquinque annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus, pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod ſi prędictam Eccleſiam viſitantibus, & ad prǽmiſſa, manus porrigentibus adjutrices, ſive alias, aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę, nullius ſint roboris, vel momenti. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Primo, Tertio Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Indulgentia;

1. *Abulenſis*,) Vulgo *Avila*, in *Hiſpania*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*.
3. *Thomas*.) De quo ſæpius dictum fuit.
4. *Ferdinandi*,) Cognomento *Catholici*,

De perficiendo Palantin. (1) Cœnobio.

Anno 1491 Die 7 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Caurien. (3), & dilectis filiis Priori Monaſterii per Priorem ſoliti gubernari B. Marię de S . . . . . , Toletan. Diœceſis, ac Archidiacono Eccleſię Caurien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XCVII.

CUra &c. (4) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Alfonſi Maldonado (5) Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, petitio continebat, quod cum olim quondam Leonora Pimentel (6) Duciſſa Palantin. dum in humanis ageret, de propria ſalute recogitans, ac temporalia in ſpiritualia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare cupiens, in Civitate ſua Palantin, quandam Domum ſub invocatione S. Vincentii pro uſu, & babitatione perpetuis nonnullorum Fratrum dicti Ordinia de ſpeciali Sedis Apoſtolicę licentia, magno, & ſumptuoſo opere, non abſque magnis ſuis ſumptibus, & expenſis, conſtrui, & ędificari facere cępiſſet, & cum propter ejus mortem ſuum laudabile propoſitum ad optatum complementum perducere non potuiſſet, ipſa Duciſſa ſuum, in ejus ultima voluntate, condens teſtamentum, nonnulla bona ſua immobilia, tunc expreſſa, pro ejuſdem Domus complemento legavit, & executoribus dicti ſui teſtamenti dedit in mandatis, ut Domum prędictam tam in ędificiis, & utenſilibus, ac aliis neceſſariis officinis, quam ornamentis, & aliis ad divinum cultum neceſſariis copioſe, & magnifice ornari curarent, quantum voluntatis dictę Duciſſę cognoverant extitiſſe, ac omnia peragerent juſſu, diſpoſitione, & arbitrio dicti Alfonſi, quem Priorem dictę Domus eſſe voluit, necnon ex bonis dictę Duciſſę pręfatam Domum ſufficienter dotarent pro ſuſtentatione quadraginta Fratrum dicti Ordinis, inibi pro tempore commorantium, & eiſdem executoribus mandavit, ut retinerent villas de Vinguillos, & Capilla in eorum Domus patrimonio, cum omnibus earum juribus, fructibus, redditibus, & proventibus pro complemento ſtructurarum, & ędificiorum, & dote dictę Domus, & aliis per eandem Duciſſam in dicto ejus teſtamento diſpoſitis, & deinde ipſa Duciſſa ab hac luce ſubtracta, quondam Alvarus Dux Palantin. ſimiliter in ſuo teſtamento voluit, & ordinavit, quod dictam Domum ſumptuoſe ędificatam juxta voluntatem ipſius Duciſſę, de bonis ſuis copioſe adjuvarent, & licet pręfato Alfonſo pro adminiſtratione dictę Domus, illiuſque ſtructurarum, & ędificiorum cura, quę juxta dictę Duciſſę voluntatem ipſi commiſſa extitit, attenta perſonę illius induſtria, & diligentia, bona ipſius meliorandi, & in nullo diminuendi, fuiſſet attributa facultas, nec aliquid componere, & ordinare potuit, quod in ipſius Domus cederet detrimentum; Nihilominus importuna nonnullorum nobilium, ſeu potentium ſubordinatione (7), ipſe Alfonſus certum pactum cum hęredibus ipſius Duciſſę, ſeu Executoribus illius teſtamenti hujuſmodi ſub juramento, & nonnullis pęnis, videlicet inter cetera, quod dicti hęredes, ſeu Executores ducenta millia morapettinorum (8) monetę illarum partium eidem Alfonſo annuatim darent, & aſſignarent pro ſtructuris, & ędificiis, ac regimine, & adminiſtratione prędictis. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Domus pręfata a principio juxta ipſius Duciſſę voluntatem magno opere incepta fuerit, & attentis ędificiorum deſignatione, & quantitate, ac Domus ſitu, ſi juxta pactum prędictum eis ſuccederet, opus ipſum nunquam compleretur, ipſiuſque Duciſſę laudabili propoſito ſatisfieri non poſſet, & forſan mandatum ejus, & tempora mutari poſſent, taliter quod prędictum opus imperfectum remaneret, pro parte ipſius Alfonſi, aſſerentis, quod Executores prędicti infra tempus ad id per eandem Duciſſam pręfixum, prǽmiſſa non adimpleverint, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſum a juramento, & pacto prędictis abſolvere, eumque ad obſervantiam pacti, & juramenti bujuſmodi minime teneri, & pęnis eiſdem propterea mulctari non poſſe, decernere, aliaſque in prǽmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eundem Alfonſum a quibuſcunque ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi eſt ita, eundem Alfonſum a juramento, & pacto prędictis, auctoritate noſtra abſolvatis, ac juramentum prędictum, & pactum relaxetis, eumque ad illius, & dicti pacti obſervationem non teneri, & pęnis prędictis propterea mulctari non poſſe, eadem auctoritate decernatis, necnon inceptionem dictę Domus hujuſmodi, juxta voluntatem, & ordi-

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

ordinationem dictę Ducilſę facere, & exequi libere, & licite valere, quodque idem Alfonſus adminiſtrationem dicti operis habeat uſque ad complementum omnium pręmiſſorum juxta ipſius Ducilſę voluntatem hujuſmodi, pręfata auctoritate ſtatuatis, & ordinetis; & inſuper per vos, vel alium, ſeu alios, eiſdem Executoribus, in pręmiſſis, efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis ipſos Fratres dictarum villarum pacifica poſſeſſione gaudere, non permittentes, eos ſuper illis per quoſcunque moleſtari, necnon eoſdem Executores, & quoſcunque alios cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, vel conditionis fuerint ad declarandum, quantum pro dote dictę Domus dari debeat, necnon ad aſſignandum eidem Alfonſo, tantum ex redditibus dictarum villarum, & aliis bonis ad prędictam Ducilſam pertinentibus, quod Domus prędicta cum omnibus neceſſariis ad optatum complementum perduci valeat, eadem auctoritate compellatis. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. non obſtantibus lapſu temporis, & pacto, ac juramento, & aliis pręmiſſis, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua inter alia cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus &c. Seu ne Judices a Sede Apoſtolica deputati &c. ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Aut ſi Executoribus pręfatis, vel quibuſvis aliis &c., ab Apoſtolica ſit Sede indultum, qood interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes &c. de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Primo, Nonis Maii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Palantin.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXVIII fol.* 11.
3. *Caurien.*) Vulgo *Coria*, in *Hiſpania*, ubi ceteræ Civitates, & loca de quibus hoc in Diplomate.
4. *Cum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Alfonſi Maldonado*,] Diſtinguendus iſte ab alio ejuſdem nominis, cognominis, nationis, & profeſſionis, qui floruit *XVII* ſeculo.
6. *Pimentel.*) Gens eſt clariſſima, de qua jam dictum fuit.
7. *Subordinatione*.) *Subornatione*.
8. *Marapettinorum*.) *Marabotinorum &c.* vulgo *Marauedis*. Monetæ ſpecies eſt, de qua alias.

Anno 1491 Die 20 Junii.

XCVIII.

Fratres Congregationis Lombardiæ curam gerant Monaſterii Regin. (1) Ordinis S. Benedicti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilectis filiis Vicario Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum de Obſervantia nuncupatorum Provincię Lombardię ſecundum morem dicti Ordinis, & Priori Domus ejuſdem Regin., ac cuilibet eorum.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VOlentes venerabilis Fratris Bonifrancisci (3) Epiſcopi Regin. laudabilibus, & honeſtis votis annuere, devotionem veſtram hortamur in Domino, vobis nihilominus in virtute Sanctę obedientię, diſtricte pręcipiendo, mandantes, ut in ea cura, & gubernatione Monialium Monaſterii S. Raphaelis Regin. Ordinis S. Benedicti, quam aliquandiu cum odore bonę famę habuiſtis, perſeverare, & dictas Moniales in timore Dei regere, & dirigere, & cum eiſdem privilegiis, gratiis, immunitatibus, libertatibus, & indultis, ac ab ordinaria juriſdictione exemptionibus, quibus alia Monaſteria Monialium vobis ſubjecta reguntur velitis, & debeatis, ut exinde ſuccedant optati fructus, quos ſperamus, voſque non immerito poſſitis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam commendari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus, tam veſtri, quam prędicti S. Benedicti Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX Junii MCCCCXCI, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Jo. Pe. Zuvaberius.

1. *Regin.*) In *Longobardia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Regin.*
3. *Boni Franciſci*.) Sic amanuenſis. Legendum *Bonifatii*. Tunc enim illius Sedis Epiſcopus erat *Bonifatius Arlottus* de quo conſulendus *Ughellus in Epiſcop. Regin. Tomo II Italia Sacræ pag.* 312. *Edit. II.* Nota tamen quod *Bonifranciſcus* vocatur in alio Diplomate aſſervato in Archivo Ordinis. Hujus tenoris eſt:

In Chriſti Nomine Amen.

Anno Circumciſionis ejuſdem 1491 *Indictione nona die* 17 *Menſis Decembris, Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Sacra Theologia, ac Philoſophia Doctor Eximius, & Dominus D. Bonifranciſcus de Arlottis, Dei & Apoſtolica Sedis gratia Epiſcopus Reginus, & Princeps, venerandis Patribus, venerabilis, & Religioſa Congregationis ſocietatis Fratrum Regularium S. Dominici, Magiſtro Thoma de Brixia ipſius Vicario Generali & Fratri Johanni de Ulmo de Bergamo, & Priori Monaſterii, & Conventus dictorum Fratrum Civitatis Regii ad præſentiam præfati D. Epiſcopi conſtitutis, exhibuit, & præſentavit Breve Sanctiſſimi D. N. PP. Innocentii VIII. clauſum, & ſub Annulo Piſcatoris ſigillatum, cujus Inſcriptio ab extra talis eſt. Dilectis filiis Vicario Generali Ordinis Fratrum Prædicatorum de obſervantia nuncupatorum Provinciæ Lombardiæ ſecundum morem dicti Ordinis, & Priori Domus ejuſdem Reginen., ac cuilibet eorum, ab intra vero, ipſius Brevis tenor talis erat. Innocentius PP. 8. Dilecti filii, Salutem &c. Volentes venerabilis Fratris Bonifranciſci &c. Datum Roma apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die* 20 *Junii* 1491 *Pontificatus noſtri Anno* 7. *Jo. Pe. Zuvaberius. Qui præfati Venerandi Patres, ea, qua decuit reverentia, ipſum Breve acceptarunt, & admiſerunt, eo viſo, & lecto, & intellecto tanquam filii obedientiæ obtulerunt ſe paratos, & promptos parere, & obedire Mandatis Apoſtolicis, & Sanctiſſimi D. N., & ſuperiorum ſuorum in præmiſſis, & aliis quibuſcunque. Mandans idem R. D. Epiſcopus, & rogantes dicti RR. PP. me Notarium, ut de prædictis publicum conficiam Inſtrumentum. Actum Regii in Epiſcopali Palatio in Camera præfati D. Epiſcopi. Præſentibus ſpectabilibus, & eximiis Doctore Ludovico de Malagutiis, Equite D. Obizone de Rugeriis, & D. Aliprando de Arlottis omnibus Civibus Reginis teſtibus notis, adhibitis, & vocatis.*

Re-

Regienſe (1) Monaſterium S. Raphaelis curæ Fratrum Prædicatorum commiſſum eximitur Epiſcopi juriſdictione.

Anno 1491 Die 29 Julii.

XCIX.

***Ex Archivo* (2) *Ordinis*.**

Venerabili Fratri Bonfranciſco (3) Epiſcopo Regien.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum dilectis filiis Vicario Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum obſervantię regularis Congregationis Lombardię, & Priori, ac Fratribus Domus Regien. Ordinis, & Congregationis prędictorum per alias noſtras in forma brevis literas mandavimus, ut curam, & regimen Monaſterii Sancti Raphaelis, etiam Regien., Ordinis Sancti Benedicti, ac Monialium in illo pro tempore degentium in ſpiritualibus ſuſciperent, & exercerent, jure tamen Ordinarii ſemper ſalvo, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut Vicarius, & Fratres prędicti, ac dilecti filii Communitas Civitatis Regien. Nobis nuper exponi fecerunt, licet Vicarius, & Prior, ac Fratres prędicti, ut filii obedientię, curam hujuſmodi ſuſceperint, ac illam laudabiliter, & cum odore bonę famę exercuerint, prout in dies de bono in melius perſeverant: tamen ſi Monaſterium ipſum quoad curam, & regimen hujuſmodi ab omni ordinaria juriſdictione exemptum (4) foret, Prior, & Fratres prędicti, circa curam, & regimen hujuſmodi melius, & liberius intendere curarent, & etiam magis proficere poſſent; Nos de pręmiſſis certam notitiam non habentes Fraternitati tuę, de qua in iis, & aliis ſpecialem fiduciam obtinemus, per pręſentes committimus, & mandamus, ut, vocatis Vicario, & Fratribus prędictis, ſeu eorum Procuratoribus, cum ipſis ſuper iis convenias, ac facias prout tibi ad majorem Monaſterii, & Monialium hujuſmodi profectum videbitur expedire, ratum, & gratum habituri quicquid feceris in pręmiſſis. Quę omnia ex nunc, prout ex tunc, & auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium approbamus, & confirmamus, ac perpetuę firmitatis robur obtinere decernimus. Non obſtantibus premiſſis, ac conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & Conſuetudinibus Monaſterii, Domus, & Ordinis Prędicatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon omnibus illis, quę in literis prędictis voluimus non obſtare, cęteris quoque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIX Julii MCCCCXCI, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Mandatum.

1. *Regienſe.*) In *Lombardia*, in ditione Ducis Mutinen[illegible].
2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi* pag. 49.
3. *Bonfranciſco.*) *Bonifatio*, ut in Conſtitutione præce-[illegible].
4. *Exemptum.*) Quod Epiſcopus juſſa Summi Pontificis fuerit executus, liquet ex Inſtrumento mox tranſcripto.

Judices conſtituit qui de damnis Cœnobio Viterbienſi (1) illatis ſententiam ferant.

Anno 1491 Die 6 Septembris.

C.

***Ex Archivo* (2) *Ordinis*.**

Dilectis filiis Gubernatori & judici generali Provincię noſtrę Patrimonii pręſentibus, & pro tempore exiſtentibus, vel eorum alteri.

INNOCENTIUS PP. VIII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

MIttimus vobis ſupplicationem (3) pręſentibus incluſam manu dilecti filii noſtri A. (4) Cardinalis S. Anaſtaſię in pręſentia noſtra ſignatam; volumuſque, & vobis committimus, ac mandamus, ut vos, vel alter veſtrum, vocatis vocandis, ad illius executionem procedatis juxta ejus ſignaturam. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die VI Septembris, MCCCCXCI Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Jo: Crothon.

1. *Viterbien.*) In *Hetruria* ditionis Pontificiæ.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Viterbien.*
3. *Supplicationem.*) Hujus tenor is eſt.

Beatiſſime Pater

CUm Prior, & Fratres Eccleſiæ Sanctæ Mariæ ad Gradus de Viterbio, teneant, & poſſideant pro dicta Eccleſia quoddam tenimentum, vulgariter nuncupatum Caſale juxta ſuos confines: ſintque multi circumſtantes, qui in eodem tenimento afferunt damna, arbores ſecando, frumenta, & alia legumina corrodendo, herbas paſcendo, & alias hujuſmodi damna inferendo in grave damnum, & præjudicium dictæ Eccleſiæ. Cumque, P. S., dicti Prior, & Fratres, non habeant poteſtatem faciendi aliqua ſtatuta, nec curiam aliquam habeant ſpecialem, coram qua poſſint dictos damna dantes convenire, niſi eorum ordinarios, a quibus hactenus juſtitiam minime ſunt conſecuti;

Id

Idcirco Prior, & Fratres prædicti, humiliter ſupplicant V.S., ut eiſdem paterno affectu compatientes, committere dignemini Gubernatoribus, & Judicibus veſtris Provinciæ Patrimonii præſentibus, & futuris, & cuilibet eorum in ſolidum, ut contra dictos damna dantes, in dicto tenimento cujuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, inquirant ad querelam dictorum Fratrum, ipſoſque hujuſmodi delinquentes puniant, & caſtigent, ſecundum formam ſtatutorum, & decretorum veſtræ Civitatis Viterbii, ad hoc, ut pœna unius ſit metus multorum, haben. nomina, & cognomina locorum circumſtantium, ac etiam delinquentium pro ſufficienter expreſſis, ſtatutis, & privilegiis dictorum locorum, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtylo Curiæ, & aliis in contrarium facientibus, non obſtan. quibuſcunque, & etiamſi de eis ſpecialis, ſeu ſingularis, fieri deberet expreſſio. Conceſſ. ut petitur. de Commiſſione Cauſæ in præſentia D. N. PP. A. Card. S. Anaſtaſiæ. Et per Breve S. V. conceſſ. A. Card. S. Anaſtaſiæ. Datum Romæ apud S. Petrum Kalendis Septembris Anno Septimo &c.

4. *A.) Antoniotti Pallavicini, de quo Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III ad an. MCCCCLXXXIV pag. 129.*

Anno 1491 De 26 Novembris.

De F. Vincentio de Rebonis, ceteriſque Regni Cypri (1) Prædicatoribus.

Ex Archivo (2) Ordinis:

CI.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Patriarchę Venetiarum (3), & in Civitate Venetiarum commorantibus Bartholomęo Archiepiſcopo Spalaten. (4), ac Thomę Epiſcopo Chiſamen. (5), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus &c. (6) Dudum ſiquidem per Nos accepto, quod in Regno Cypri diverſę ſectę, & hęreſes nationum diverſarum ab unitate Romanę Eccleſię, & fidei Orthodoxę deviantium, ſcilicet Armeniorum (7), Cophitorum (8), Jacobitarum (9), Tſeſtarviorum (10), Chaldæorum, Maronitarum, Judęorum, & Gręcorum fore noſcebantur, quę in eorum ſectis hujuſmodi peritos, & pręſtantes viros alios eis adhęrentes, inſtruentes, & in eorum malo propoſito conſtantes, habebant, quibus niſi per peritos ſacrę lectionis ſtudiis obſiſteretur, veriſimiliter formidandum erat, ne in dies labes illa, adeo per contagionem creſceret, & diffunderetur, quod poſtea provideri non poſſet. Et quia propter dicti Regni turbationes, quę retroactis temporibus viguerunt, nulli, vel perpauci in eodem Regno in Theologia Magiſtri, & alii periti, qui hujuſmodi erroribus, & hęreſibus reſiſtere poſſent, reperiebantur, & dilectus filius Vincentius de Rebonis, de dicto Regno oriundus, Ordinis Fratrum Pręedicatorum, & Theologię profeſſor, ac hęreticę pravitatis in eodem Regno Inquiſitor (11), continue prędicationibus, diſputationibus, & aliis bonis operibus hujuſmodi perfidię, & erroribus, & in lingua Gręca, [illegible], Nos per alias noſtras literas, motu proprio, & ex certa ſcientia, ſtatuimus, & ordinavimus, quod venerabiles Fratres noſtri, & pro tempore exiſtentes Paſen. (12), & Nimoſien., ac Famaguſtan. Epiſcopi, ac quilibet eorundem, fructus, redditus, & proventus menſarum ſuarum Epiſcopalium tantam portionem eidem Vincentio, vel procuratori ſuo ad id ab eo ſpeciale mandatum habenti, in pecunia, victualibus, & aliis conſuetis, quantum ſingulis annis quilibet eorum unicuique Canonico Prębendato Eccleſiarum ſuarum reſpective daret, aſſignare, & exhibere, donec per quemlibet eorum, aut alios, de beneficio eccleſiaſtico, cum cura, vel ſine cura, valoris ęquivalentis dictę portionis, dicto Vincentio proviſum, ipſeque Vincentius illud, vel illa, pacifice aſſecutus foret, omnino deberent, & tenerentur, poſſetque dictus Vincentius, & deberet portiones prędictas percipere, colligere, & levare; vel in altera ex Civitatibus, & Dięceſibus Eccleſiarum prędictarum reſidendo cum ea integritate, cum qua alii Canonici reſidentes percipiebant, quodque ipſe Vincentius in ſynodis Provincialibus, quoties illa fieri, & celebrari contigerit, pro fidei defenſione intereſſe deberet, dummodo venerabilis Fratris noſtri Benedicti moderni, & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Nicoſien. ad id expreſſus accederet aſſenſus, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte prefatorum Epiſcoporum, petitio continebat, pręfatus Vincentius &c., & Eccleſię prędictę, prędictę, pręſertim Nimoſien., & Paſen. (13), ac earum Dięceſes, ut plurimum Populo latino careant, ſintque impręſentiarum effectę pene rurales, ac hujuſmodi prędicationes, & diſputationes nunquam, aut raro in dictis eccleſiis, ſed ut plurimum in Civitate Nicoſien. Dięceſis, ubi magnus populus, & major dictarum ſectarum multitudo inhabitat, fieri conſuevit, ſintque certa legata dictę Eccleſię Nicoſien., pro prędicatoribus, & Magiſtris in Theologia, verbum Dei in dicto Regno prędicantibus conceſſa, ipſeque Archiepiſcopus nuper ad hujuſmodi effectum, ac pro ſtipendio, & ſalario dicti Vincentii, & aliorum qui inibi pro tempore haberent prędicare, & pręmiſſa facere, certum Monaſterium Menſę ſuę Archiepiſcopalis per Nos perpetuo uniri, annecti, & incorporari obtinuerit, & ex hoc prędictis Epiſcopis, & eorum Eccleſiis, quę diverſis oneribus, tam eccleſiaſticis, quam ſecularibus

Mandatum.

ſe onerarunt, plurimum prejudicetur, pro parte eorundem Epiſcoporum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut portionem prędictam caſſare, & extinguere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de prędictis certam notitiam non habemus, prędictos Epiſcopos, & eorum ſingulos a quibuſcunque excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam vocatis dicto Vincentio, & aliis, qui fuerint evocandi, vobis de prędictis legitime conſtiterit, portionem prędictam, auctoritate noſtra penitus caſſetis, & extinguatis, ipſoſque Epiſcopos, & eorum ſucceſſores ad dictę portionis exhibitionem, & ſolutionem dicto Vincentio faciendam non teneri, nec obligari, ac ob non ſolutionem hujuſmodi, ſententias, cenſuras, &

pęnas

pęnas aliquas Eccleſiaſticas, non incurrere decernatis, ac ipſarum literarum executoribus, ut ad illarum executionem quoquomodo procedere pręſumant, diſtrictius inhibeatis, non obſtantibus premiſſis, & felicis recordationis Bonifatii VIII Prędeceſſoris noſtri &c., ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus &c. Quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Primo, Sexto Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Regni Cypri.*) In ejuſdem nominis Inſula maris mediterranei.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIV fol.* 129.
3. *Patriarcha Venetiarum.*) Tunc enim *Veneta* ditionis erat Inſula *Cyprus*.
4. *Spalaten.*) Vulgo *Spalatro*, in *Dalmatia*.
5. *Chiſamen.*) Seu *Ciſamen.*, vulgo *Chiſamopoli*, & *Chiſamo*, in *Gracia*.
6. *Annuimus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
7. *Armeniorum.*) *Armenorum*. Adeas *Galanum* in *Conciliatione Eccleſia Armena cum Romana*.
8. *Cophicorum.*) Conſulendus *Leo Allatius* de *Eccleſia Orientalis*, *& Occidentalis Perpetua conſenſione*.
9. *Jacobitarum.*) Sic a *Jacobo Syro* vocatos *Eutychetis*, & *Diſcori* diſcipulos, alibi notatum. Ibique de ceteris, *Chaldais* ſcilicet, & *Maronitis* dictum fuit.
10. *Tſcharviorum.*) Corrupta vox. Legerem: *Neſtorianorum*.
11. *Inquiſitor.*) Notandum, quod in Archivo Ordinis aſſervatur aliud ejuſdem tenoris Diploma, quo die *I* Decembris *MCCCCXCI* idem *F. Vincentius de Rebonis* Inquiſitor Regni *Cypri* conſtituitur. Sic incipit: *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vincentio de Rebonis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologia Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes &c. Te in Regno Cypri, & illi vicinarum Partium &c. Inquiſitorem facimus &c. Datum Roma apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominica Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Primo, Sexto Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXXXIV fol.* 129.
12. *Paten.*) *Paphen.*, vulgo *Baffo*, in Inſula *Cypro*, ubi *Nicoſienſis* Metropolis, & Epiſcopatus *Famaguſtanus*, ac *Nimoſienſis*.
13. *Faſen.*) *Paphen.*, ut in præcedenti *Nota*.

De Neocaſtrenſi (1) Cœnobio reædificando.

Anno 1492 Die 27 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CII.

Innocentius Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Neocaſtren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Piis, & honeſtis petentium votis &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus B. Marię de Gratiis extra muros Neocaſtren. Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod Eccleſia Domus prędictę, in qua alias Fratres dicti Ordinis, Conventuales nuncupati, inhabitare conſueverunt, & in qua poſtmodum Fratres ejuſdem Ordinis regularis obſervantię introducti fuerunt, pro Divinis Officiis celebrandis, ſic anguſta exiſtat, ut Domus ejuſdem ędificia, apta, & idonea, non ſint ad receptionem Fratrum ejuſdem Ordinis in numero ſufficienti, propter quę ipſi Prior, & Fratres eandem Eccleſiam a fundamentis ędificari facere inceperunt, proponentes Domum prędictam, & illius clauſtrum, dormitorium, refectorium, & alias neceſſarias officinas reędificari, reformari, & mutari facere, itaut ad receptionem, & habitationem Fratrum prędicti Ordinis regularis obſervantię, apta, & idonea exiſtat, dummodo eis ſuper hoc Sedis Apoſtolicę licentia concedatur. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum, aſſerentium, quod ipſi Eccleſiam S. Marię de Foriſtella extra dictos muros, ut Sacriſtię ejuſdem Domus unitam, ſeu eidem Domui legitime conceſſam hactenus tenuerunt, & poſſederunt, & nunc tenent, & poſſident, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis Eccleſiam, & Domos hujuſmodi ampliandi, ejuſdemque Domus refectorium, dormitorium, clauſtrum, & alias officinas ad inſtar aliarum Domorum dicti Ordinis regularis obſervantię, in toto, vel in parte reędificari, & reformari, ac mutari faciendi licentiam concedere, aliaſque in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ipſos Priorem, & Fratres a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Priori, & Fratribus prędictis Eccleſiam Domus hujuſmodi ampliandi, ejuſdemque Domus refectorium, dormitorium, clauſtrum, & alias officinas ad inſtar aliarum Domorum dicti Ordinis Regularis obſervantię, in toto vel in parte, prout opus fuerit, reędificari, & reformari, ac mutari faciendi, licentiam, & facultatem auctoritate noſtra concedas. Nos enim, ſi conceſſionem hujuſmodi, per te vigore pręſentium fieri contigerit, eiſdem Domui, ac Priori, & Fratribus, qui illam inhabitabunt pro tempore, quod poſt ampliationem, reędificationem, reformationem, & mutationem prędictas omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, indultis, & Indulgentiis in ſpiritualibus, quibus alię Domus dicti Ordinis Regularis Obſervantię in genere potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere, poſſeſſioneſque, ac redditus omnes, necnon prędictam Eccleſiam S. Marię de Foriſtella, ac omnia, & ſingula, quę hactenus canonice perceperunt, poſſederunt, ac habuerunt, percipere, habere, ac poſſidere, libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne quorumvis Ordinum Mendicantium profeſſores, loca de novo &c. & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica &c. Quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Primo (4), Tertio Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Facultas.

1. *Neocaſtren.*) Vulgo *Nicaſtro*, in *Calabria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLIII fol.* 169.
3. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Nonageſimo Primo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXCII*.

Anno 1492 Die 27 Aprilis.

Ratam habet vivendi normam Monialium Piſciacen. (1) Monaſterii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CIII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Ambroſio de Cambray Cancellario Eccleſię Pariſien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolicę Nobis deſuper injunctum ſervitutis officium mentem noſtram excitat, & inducit, ut circa ea, quę pro ſtatu proſpero Monaſteriorum &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Monialium S. Ludovici de Piſſiaco, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, Carnoten. Dięceſis, ſecundum regularia Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, petitio continebat, quod Monaſterium ipſum, inter alia Monaſteria Monialium illarum partium, inſigne admodum, & celebre reputatur, fuitque olim, ante centum, & octuaginta annos per Chriſtianiſſimos Francorum Reges ſumptuoſis ędificiis fundatum, & redditibus ampliſſimis dotatum, & in eo nonniſi virgines recipi conſueverunt, & pro majori parte in eo, ſemper fuerunt filię Ducum, Baronum, Militum, & aliorum magnorum Nobilium, prout impręſentiarum exiſtunt numero nonaginta quinque Religioſę, ſub obedientia unius Prioriſſę viventes, ac Altiſſimo die, noctuque devotiſſime famulantes, ipſaque Prioriſſa, cum Conventu prędictis habent omnimodam adminiſtrationem bonorum dicti Monaſterii &c., & ſicut eadem petitio ſubjungebat, licet Monaſterium ipſum ſit fundatum ſub regularibus Inſtitutis dictorum Fratrum Ordinis Prędicatorum, tamen, quia ab initio fundationis hujuſmodi Prioriſſę, & Moniales prędictę, non integraliter ſecundum ſtatuta regularis obſervantię, ſed alias caſte, & laudabiliter, & ſub quadam honeſta, & mediocri obſervantia, & perpetua clauſura vixerunt, ita quod nulli earum poſtquam profeſſionem inibi emiſit, etiam propter infirmitatem, patet exitus extra clauſuram dicti Monaſterii, nec etiam ad alia Monaſteria dicti Ordinis, ſe transferre poſſant, & a primęva ipſius Monaſterii fundatione Regulam, quam nunc tenent, ſemper quoque tenuerunt, & diverſis elapſis temporibus, nonnullę ex dictis Monialibus quę hactenus fuerunt, ſcrupulum aliquem habentes, quod non obſervabant ex Magiſtro (4) regulam ſupradictam, ſuper hoc permiſſionis, & diſpenſationis ab aliquibus Prioribus Generalibus, & Provincialibus dicti Ordinis Prędicatorum, obtinuerunt, pro parte ipſarum Prioriſſę, & Conventus, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in premiſſis, pro ſecuritate conſcientiarum Prioriſſę, & Monialium prędictarum, nunc & pro tempore exiſtentium, opportune de benignitate Apoſtolica dignaremur providere. Nos igitur, ipſas Prioriſſam, & Conventum, & ipſarum quamlibet a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c., abſolutas fore cenſentes, ac alias de premiſſis, certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę, cum, ſicut aſſeritur, tu ratione Cancellarię Eccleſię Pariſien., quam obtines eiſdem Prioriſſę, & Monialibus conceſſorum Privilegiorum in partibus Francię Conſervator per

Diplomatis cauſa. Notæ. Confirmatio.

Sedem Apoſtolicam deputatus exiſtas, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus vocatis tecum duobus, aut tribus Religioſis, dicti Ordinis Magiſtris in Theologia ſuper modo vivendi, quem Prioriſſa, & Moniales prefatę ab initio predictę fundationis hactenus tenuerunt, te diligenter informes, & inſpectis dicti loci ſtatu, & aliis circumſtantiis univerſis, quę circa hęc attendendę fuerint, ſuper quo tuam, & ipſorum Religioſorum conſciencias oneramus, modum vivendi prędictum auctoritate Apoſtolica approbes, & confirmes, ſeu, ſi opus fuerit, omnia, & ſingula, quę pro ipſarum Prioriſſę & Monialium animarum ſalute, & corporis ſuſtentatione, utilia, & neceſſaria eſſe cognoveris, eadem Auctoritate ſtatuas, & ordines, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Quinto Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Piſciacen.*) Juris eſt Provinciæ *Franciæ*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLV fol.* 253.
3. *Monaſteriorum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Ex Magiſtro*.) Fortaſſis: *Ex toto*.

Anno 1492 Die 26 Junii.

Valentini (1) Monaſterii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CIV.

Innocentins Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filils Martino Enygo Canonico Eccleſię Valentin., ac Officiali Valentin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter univerſa Divinę Majeſtatis accepta opera, fundare Cęnobia, & religioſa loca, in quibus prudentes Virgines acceptis lampadibus ſe pręparent obviam ire Sponſo Chriſto Jeſu, ac gratum & debitum illi exhibeant famulatum, non modicum reputantes, piis devotarum perſonarum deſideriis, per quę Cęnobia, & loca ipſa fundari, & erigi valeant, libenter annuimus, & earum humiles

Supplex petitio.

preces favorabiliter exaudimus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Gubernatoris, & Communitatis Civitatis Valentin., petitio continebat, quod olim cariſſimus in Chriſto filius noſter Ferdinandus (3) Caſtellę, & Legionis Rex Illuſtris, conſiderans bonos, & exemplares mores, ac vitę ſanctimoniam, & uberes fructus Monialium Ordinis S. Auguſtini ſub obſervantia re-

Digitized by Google

regulari Fratrum Prędicatorum degentium, ob ſingularem devotionis affectum, quem ad illas, & ordinem prędictum gerebat, quandam Domum in Parochia Parochialis Eccleſię S. Andreę Valentin. conſiſtentem, & ad ipſum Regem tunc legitime pertinentem, in qua erat una Capella, diverſis Eccleſiaſticis ornamentis ad divinum cultum neceſſariis decorata, nonnullis dicti Ordinis monialibus ejuſdem Obſervantię, pro earum, & aliarum dicti Ordinis monialium perpetuis uſu, & habitatione, Facultas.
una cum ornamentis prędictis, conceſſit, & donavit. Et deinde tunc Vicarius Ordinis Fratrum Prędicatorum Reformatorum Provincię Aragonię ſecundum morem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſub cujus cura, & gubernatione dictę Moniales degunt, Moniales prędictas in Domum ipſam introduxit, quę ex tunc cum odore bonę famę, ac populi Valentin. ſpirituali conſolatione in illa permanſerunt, prout permanent de pręſenti, dictamque Domum cum Capella hujuſmodi in modum Monaſterii cum aliquibus officinis conſtrui, & ędificari facere cęperunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pręfatę Moniales, quę populo prędicto plurimum gratę, & acceptę exiſtunt, deſiderent, ut cum quiete, & pace ſua vivere poſſint, dictam Domum in Monaſterium Ordinis S. Auguſtini hujuſmodi erigi, & illud perpetuo retinere, pro parte tam Gubernatoris, & Communitatis, quam Monialium hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictam Domum in Monaſterium Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini ejuſdem Obſervantię regularis, cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, erigi mandare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem, divinique cultus augmentum, & animarum ſalutem noſtris potiſſime temporibus ſupremis deſideramus affectibus, pium, & laudabile propoſitum hujuſmodi plurimum in Domino commendantes, ipſaſque Moniales, & earum ſingulas a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, conſideratione venerabilis Fratris noſtri Roderici (4) Epiſcopi Portuen. S. Rom. Eccleſię Vicecancellarii, qui Eccleſię Valentinę ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica pręeſſe dignoſcitur, Nobis etiam ſuper hoc humiliter ſupplicantis, ac hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum dictam Domum in Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini, & Obſervantię prędictorum cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro una Prioriſſa, & Monialibus dicti Ordinis S. Auguſtini, quę inibi, prout fit in aliis Monaſteriis Ordinis S. Auguſtini, & obſervantię prędictorum, vivant, ac curę, & gubernationi Vicarii, & Fratrum prędictorum, ac ſecundum Inſtituta illorum, & dicti Ordinis Prędicatorum, degant, ſine alicujus prejudicio, erigere, ipſiſque Monialibus in dicta Domo nunc degentibus, ut dictum Monaſterium perpetuo retinere libere, & licite poſſint, licentiam concedere auctoritate noſtra curetis, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim, ſi erectionem hujuſmodi per vos vigore pręſentium fieri contigerit, ut pręfertur, dicto Monaſterio ſic erigendo, ac Monialibus in illo pro tempore degentibus, ut omnibus, & ſingulis gratiis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, Indulgentiis, & indultis, aliis Monaſteriis Ordinis S. Auguſtini, & obſervantię prędictorum in genere conceſſis, & concedendis in poſterum uti, potiri, gaudere, libere, & licite poſſint, & debeant, auctoritate Apoſtolica tenore earundem pręſentium de ſpecialis dono gratię indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & Conſuetudinibus Ordinis S. Auguſtini, & obſervantię prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Sexto Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Valentini.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Valentino*.
3. *Ferdinandus.*) Cognomento *Catholicus*.
4. *Roderici.*) *Lenzolini*, e gente *Borgia*. Adeas *Ciaconium* in *Caliſto III.*

Renovat Indulgentiam pro Ferrarienſi Cœnobio conceſſam.

Anno 1492 Die 30 Junii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Dilecto filio Vicario venerabilis Fratris Epiſcopi Ferrarien. in ſpiritualibus generali.

INNOCENTIUS PP. VIII. CV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUpplicari nobis humiliter curavit dilectus filius nobilis vir Hercules Ferrarię Dux &c. (2). Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die ultima Junii MCCCCXCII, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Hie. Balbanus.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Ferrarienſi*.
2. *Dux &c.*) Ut in *Conſtitutione XXII ejuſdem Innocentii VIII.*

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiſcopi, & Epiſcopi Dignitates, Innocentio VIII Summo Pontifice, Promotos exhibens.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1486. F. Petrus Burgundus, Archiepiſcopus Tuamenſis, Toam, in Hibernia. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CVIII pag. 108, ex Fernandez, & Plodio. Cavalcrius Tomo I pag. 298 num. CCLXXXIX.

Anno 1489 Die 27 Julii. F. Marcus Maroldus, Patria Neapolitanus, ſed oriundus ex nobili, vetuſtaque gente Florentina della Bella, uti notant Auctores mox laudandi, Archiepiſcopus Reginus, ſeu Rhegienſis, Reggio, in Calabria. Ughellus in Archiep. Rhegien. Tomo IX Italiæ Sacræ pag. 332 Edit. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXIX pag. 96. Cavalcrius Tomo I pag. 306 num. CCCXVIII. Emendandi tamen Scriptores iſti, non enim Marcus Archiepiſcopus renunciatus fuit anno MCCCCLXXXVIII, ut ipſi docent, ſed anno MCCCCLXXXIX, ut ex hoc Diplomate liquet. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Ferdinando, Siciliæ Regi illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Gratiæ divinæ præmium &c. Hodie Eccleſiæ Regin. tunc per obitum bonæ memoriæ Antonii Epiſcopi Regin. extra Roman. Curiam defuncti Paſtoris regimine deſtitutæ de perſona dilecti filii Marci Maroldi Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſoris Electi Regin., Nobis, & Fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepta de eorundem Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providimus, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenario committendo. prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum itaque, fili cariſſime, ſit virtutis opus Dei Miniſtros benigno favore proſequi, & eos verbis, & operibus pro Regis æterni gloria venerari, ſerenitatem tuam rogamus, & hortamur attente quatenus eundem Marcum Electum, & Eccleſiam prædictam, ſuæ curæ commiſſam habens pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia propenſius commendatos, in ampliandis, & conſervandis juribus ſuis, ſic ipſos benigni favoris auxilio proſequaris, quod idem Electus tuæ Celſitudinis fultus præſidio in commiſſo ſibi curæ Paſtoralis officio poſſit Deo propitio proſperari, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium, & a Nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Nono, Sexto Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Sexto (Quinto). Ex Archivo Apoſtolico Lib. 29 fol. 361. Quod amanuenſis erraverit, & legendum ſit Pontificatus noſtri Anno Quinto, non autem Anno Sexto, ex eo patet, quod Innocentius VIII electus fuit die XXIX Auguſti, & conſecratus die XII Septembris MCCCCLXXXIV, Annus igitur Sextus Pontificatus Innocentii, die XXVII Julii, fuit Anno Chriſti MCCCCXC: cum igitur hoc in Diplomate Annus æræ communis MCCCCLXXXIX inſcriptus ſit, Annus Pontificatus Quintus aſcribatur oportet: vel dicendum, quod Menſis ipſe mendoſus eſt, nec legendum Sexto Kalendas Auguſti, ſed Sexto Kalendas Septembris, vel alterius Menſis a Septembri ad Martium uſque. Ceterum Ferdinandus, de quo Diploma loquitur, eſt ejuſdem nominis I Rex Siciliæ: Antonius vero Reginus Antiſtes, cujus ibidem mentio, eſt Antonius de Riceis, cui ſucceſſit Marcus, & de quo conſulendus Ughellus in Archiepiſcopis Rhegien. Ex hoc autem ſolvitur dubium, quod ſubnaſci poteſt ex illis verbis: præfecimus in Epiſcopum: & ex iſtis: Antonii Epiſcopi Regin. Ex Prædeceſſore ſiquidem Marci, & ex Rege Siciliæ, cui Marcus ipſe commendatur, conſtat, ibidem loqui Summum Pontificem de Regienſi Archiepiſcopatu Calabriæ, non autem de Regienſi Epiſcopatu Status Mutinenſis.

EPISCOPI.

Anno 1484 Die 17 Novembris. F. Stephanus Kanor, Epiſcopus Termopolenſis, aliis Thermopylen., & Thermopulen., vulgo Scelos, Terremotto, & Bocca di Lupo, in Theſſalia, ſub Archiepiſcopo Lariſſæo. Omittitur a Fontana, Cavalerio, ceteriſque. Ipſius mentio in ſequentibus Diplomatibus: Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Stephano Kanor Electo Termopolen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Termopolen. regimini Eccleſiæ Termopolen. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum dicti Johannis Epiſcopi qui, extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi, fide dignis relatibus, intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, in theologia Doctorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate

Apoſ-

Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis præmium noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Quarto, Quintodecimo Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XX fol.* 4. Aliud hujus tenoris eſt: *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Stephano Electo Termopolen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſpoſitione clementia &c. Dudum ſiquidem Eccleſia Termopolen., tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtituta, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam decernentes ex tunc irritum, & inane ſi ſecus &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne ipſa eccleſia longioris vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſum, & in ſacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias, & largitur præmia confidentes &c. Jugum igitur Domini &c. prompta devotione ſuſcipiens &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Quarto, Decimo ſeptimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. I fol.* 38.

Anno circiter 1484. F. Nicolaus Brugman., Conventus Gandenſis, Epiſcopus Salubrien., *Selibria*, in Thracia, ſub Archiepiſcopo Heracleenſi. A confeſſionibus, & conſiliis fuit *Maximiliano I* Cæſari, uti docet eruditus noſter *Bernardus de Jonghe* in *Belgio Dominicano de Conventu Gandenſi Cap. V pag.* 66 &c. ubi refert *Nicolai* geſta. Ejuſdem meminerunt *Cavalerius Tomo I pag.* 304 *num. CCCXI*, & *Sovegius in Anno Dominicano ad XXII Aprilis.*

Anno 1485 Die 10 Januarii. F. Hieronymus Almenſa, Neapolitanus, Epiſcopus Policaſtrenſis, *Policaſtro*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Salernitano. *Ughellus in Epiſcopis Policaſtren. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 564 *Edit. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXV pag.* 268. *Cavalerius Tomo I pag.* 305 *num. CCCXIII.* Maximam ſibi famam comparaverat vir ſcientia clarus, &, qua erat prudentia, tanti fuit apud *Siciliæ* Regem, ut ipſius juſſu variis legationibus perfunctus ſit. Ejuſdem Regis Orator obiit *Romæ*: *Neapolim* tamen ipſius cadaver tranſlatum eſt, & in ædibus ſacris *S. Dominici* ſepultum in tumulo quem vivens conſtituerat ſibi, gentique ſuæ, hoc inſcripto epitaphio, quod referunt *Vallius*, *Ughellus*, & *Fontana*.

Hieronymus ex Religioſa Prædicatorum
familia, Policaſtren. Pont., & Bernard.
Phyſic. Catal. Almenſæ Patri, ne offi-
cium in paternum cinerem deſiueret,
& ſibi, & poſteritati poſuit
Anno MCCCCLXXXXI.

Anno 1485 Die 28 Februarii. F. Benedictus de Pagagnotis, Florentinus, Epiſcopus Vaſionenſis, *Vaiſon*, in Comitatu Vindaſcino, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Avenionenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXVII pag.* 317, *ex Regeſt. Magiſtror. Ordinis, Gallia Chriſtiana, & Act. Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag.* 336 *num. XXII.* Interfuit Concilio *Lateranenſi V*, uti docet *Cavalerius*. Addit *Fontana*, quod *ejus mentio habetur in Regeſtis Magiſtri Ordinis Joachini Turriani, qui eidem facultatem conceſſit manendi in Conventu S. Mariæ Novellæ de Florentia anno MD: In Capitulo autem Generali Romæ habito MDVIII fuit ad gratias, & beneficia Ordinis receptus.* Hæc ille. Notandum quod a *Fontana* vocatur *de Pagaaottis*, a *Leandro* dicitur *Pavagnottus*, a *Cavalerio* cognominatur *Pagagnotti*, ſed in Diplomate, quo renunciatur Epiſcopus, *de Pagagnotis* nuncupatur. Hujus tenoris eſt: *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Benedicto de Pagagnotis Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis conſueta benignitas ad ea libenter intendit, per quæ perſonæ eccleſiaſticæ ad regimen præſertim Cathedralium Eccleſiarum aſſumendæ, quas omni macula carere decet ſemotis obſtaculis univerſis illis valeant puro corde, & ſincera conſcientia præſidere. Cum itaque nos hodie eccleſiæ Vaſionen. Paſtoris ad præſens regimine certo modo deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos, ne proviſio, & præfectio hujuſmodi, ſi forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus ſit valeant propterea quomodolibet impugnari, providere volentes, teque a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædicta, ac ſingulæ literæ Apoſtolicæ deſuper conficiendæ ſuum conſequantur effec-*

effectum auctoritate Apoſtolica harum ſerie abſolvimus , & abſolutum fore nunciamus , non obſtantibus conſtitutionibus , & ordinationibus Apoſtolicis , ac ſtatutis , & conſuetudinibus dictæ eccleſiæ, juramento , confirmatione Apoſtolica , vel quavis alia firmitate roboratis , ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis , & nunciationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Quarto , Pridie Kal. Martii , Pontificatus noſtri Anno Primo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XIX fol.* 96.

E Juſdem *Benedicti* meminit *Plodius* noſter apud *Cavalerium* , ubi *Vaſionenſem* Epiſcopatum non diſtinguit a *Caducenſi* , & io hoc emendandus , *Caducenſis* enim vulgo *Cahors* eſt in *Aquitania* , ſub Archiepiſcopo *Bituricenſi* .

Anoo circiter 1485. F. Simon Balcinola , Epiſcopus Paphenſis , *Baffo* , in Regno Cypro , ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi . *Fontana Theatro Dominicano pag.* 627 *in Appendice , ex Plodio , & Sampaio . Cavalerius Tomo I pag.* 298 *num. CCLXXXVI* .

Anno circiter 1485. F. Thomas Florentinus , Epiſcopus Clugienſis , ſeu Foſſæ Clodiæ , *Chiozza* , in Statu Veneto , ſub Patriarcha Veoeto . *Cavalerius Tomo I pag.* 297 *num. CCLXXX , ex Johanne Marietta , & Plodio* .

Anno circiter 1485. F. Ludovicus Urbevetanus , Epiſcopus Sinopen. , *Sinopi* , & *Sinabe* , in Paphlagonia , ſub Archiepiſcopo Amaſeno . *Cavalerius Tomo I pag.* 297 *num. CCLXXVIII , & CCLXXIX , ex Razzio , & Plodio* .

Anno circiter 1486. F. Stephanus Salomonis , Epiſcopus Nimocienſis , in Cypro , ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi . *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXIII pag.* 249 , *ex Fernandez , & Plodio . Cavalerius Tomo I pag.* 298 *num. CCLXXXVII , & CCLXXXVIII* . Nota quod *Plodius* Epiſcopum iſtum vocat *Seraphinum Cyprium* .

Anno 1486 Die 28 Julii. F. Marcus Stella , Epiſcopus Melenſis , *Milo* , in ejuſdem nominis Inſula Maris Ægæi , oune ſub Archiepiſcopo Rhodienſi , tuoc ſub Naxenſi . Hunc non norunt *Fontana* , *Cavalerius* , ceterique . Quod Epiſcopus fuerit , habetur ex hoc Diplomate : *Innocentius Epiſcopus , Servus Servorum Dei , dilecto filio Marco Stella electo Melen. , Salutem , & Apoſtolicam Benedictionem . Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem proviſiones eccleſiarum omnium apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantium & in antea vacaturarum ordinationi & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus , decernentes ex tunc irritum , & inane , ſi ſecus &c. contigerit attentari . Poſtmodum vero Eccleſia Melen. ex eo quod venerabilis Frater noſter Jacobus Epiſcopus nuper Melen regimini , & adminiſtrationi ejuſdem Eccleſiæ cui tunc præerat hodie in manibus noſtris ſponte , & libere ceſſit . noſque ceſſionem ipſam duximus admittendam , apud Sedem prædictam Paſtoris ſolatio deſtituta nos ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem & felicem de qua nullus præter nos &c. ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſtmodum vero deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem , & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem , demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum , cui de religionis zelo , literarum ſcientia , vitæ munditia , honeſtate morum , ſpiritualium providentia , & temporalium circumſpectione , aliiſque multiplicium virtutum donis , apud nos fide digna teſtimonia perhibentur , direximus oculos noſtræ mentis , quibus omnibus debita meditatione penſatis , de perſona tua nobis , & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum conſilio , auctoritate Apoſtolica , providemus , teque illi præficimus in Epiſcopum , & Paſtorem , curam , & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ , tibi in ſpiritualibus , & temporalibus plenarie committendo &c. quo circa diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus , quatenus impoſitum tibi a Domino onus &c. ſuſcipiens &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram & dictæ Sedis benedictionem , & gratiam exinde uberius conſequi merearis . Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Sexto , Quinto Kal. Auguſti , Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. L fol.* 80. Ceterum quod Epiſcopus *Melenſis* nunc ſuffraganeus ſit Archiepiſcopi *Rhodienſis* , paſſim docent Auctores. Conſulendi *Philippus Ferrarius* , *Antonius Baudrand* &c. & *Johannes Carolus a Stadel in Compendio Geographiæ Lib. II pag.* 236. Addit iſte *pag.* 238 Archiepiſcopatum *Naxiæ* ſioe ſuffraganeis eſſe . Verum ſub hac Metropoli fuit olim *Melenſis* Sedes , ut ex hoc Diplomate videre eſt . *Innocentius Epiſcopus , Servus Servorum Dei , venerabili Fratri Archiepiſcopo Naxen , Salutem . & Apoſtolicam Benedictionem . Ad cumulum tuæ &c. hodie Eccleſiæ Melen tunc ex eo Paſtoris regimine deſtitutæ quod Venerabilis Frater noſter Jacobus Epiſcopus nuper Melen. regimini , & adminiſtrationi dictæ Eccleſiæ , cui tunc præerat , in manibus noſtris ſponte , & libere ceſſit , noſque ceſſionem ipſam duximus admittendam , de perſona dilecti filii Marci Stella Ordinis Fratrum Prædicatorum , Electi Melen. nobis , & Fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepta , de Fratrum eorundem conſilio , auctoritate Apoſtolica , providimus , ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum , & Paſtorem , curam , & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus , & temporalibus , plenarie committendo , prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur . Cum itaque ut idem electus in commiſſa ſibi regiminis , & adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ cura facilius proficere valeat*

tuus

tuus favor ſibi noſcatur fore plurimum opportunus, fraternitatem tuam rogamus, & hortamur attente per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus eundem electum, ac Eccleſiam hujuſmodi ſuffraganeam tuam habens pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia propenſius commendatos, in ampliandis, & conſervandis ejuſdem Eccleſiæ juribus ſic eum tui favoris præſidio proſequaris, quod ipſe electus tuo fultus auxilio in commiſſo ſibi dictæ Eccleſiæ regimine ſe poſſit utiliter exercere, tuque exinde divinam miſericordiam, ac noſtram & dictæ ſedis benedictionem valeas uberius promereri. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Sexto, Quinto Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico *Libro L fol.*81.

F. Stephanus Armenus, Leopolienſis, Epiſcopus Chelmenſis, *Chelm*, & *Chitlmnick*, in Ruſſia Nigra, ſub Archiepiſcopo Leopolitano. *Dominicus Frydrychowicz in S. Hyacintho &c. pag.* 225. *Simon Okolski in Ruſſia Florida Parte I pag.* 58. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXIII pag.*166, *ex Bzovio de Reb. geſtis in Polonia Cap. III. Cavalerius Tomo I pag.* 298 *num. CCLXXXVII ex Stephano Sampaio, & Plodio.* Anno circiter 1486.

F. Theodorus Faventinus, Epiſcopus Magalonenſis, in Occitania, ſub Archiepiſcopo Narbonenſi, Sic docet *Cavalerius Tomo I pag.* 298 *num. CCLXXXVIII, ex Stephano Sampaio*, & *Plodio*. Suſpicatur tamen legendum *Magalaſſen.*, nec ſine fundamento, nullus enim locus *Theodoro* noſtro *Magalonenſis* inter Epiſcopos. Hinc vel ſcribendum *Magalen.*, Urbs eſt *Æthiopiæ*, vel *Megalonen.*, rectius *Megalopolitan.*, vulgo *Leondari*, in *Peloponneſo*, ſub Archiepiſcopo *Corinthio*. Anno circiter 1486.

F. Thomas Cataneus, Bergomas, Epiſcopus Parentinus, *Parenzo*, in Iſtria, ſub Aquilejenſi Patriarcha. *Ughellus in Epiſcopis Parentinis Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 411 *Edit Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLIII pag* 260. *Cavalerius Tomo I pag.*327 *num. CCCLXXIII.* Nota, quod erravit librarius *Fontanæ* ſcribens, quod *Thomas a Sixto IV* ſit renunciatus Epiſcopus *Parentinus*, & ad *Cervienſem* translatus: en ipſius verba: *P. F. Thomas Cataneus, Bergomenſis, vir doctus, & vulgatæ famæ Theologus, a Sixto IV hujus Eccleſiæ Epiſcopus creatur anno a Virginis partu Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Sexto, mox ab eodem Pontifice Maximo ad Cervien. translatus die 4 Martii ejuſdem anni.* Legendum ſine dubio *Innocentio VIII*, non autem *Sixto IV*. *Sixtus* enim cœlos petierat ab anno *MCCCCLXXXIV* die *XII* Auguſti. In eundem errorem lapſus eſt amanuenſis *Altamuræ* in *Bibliotheca Dominicana*. Aliud mendum irrepſit in hæc verba: die 4 *Martii*. Scribendum *XII Decembris*, ut ex ipſo *Fontana* mox dicetur. Anno 1486.

IDem, ex Epiſcopo Parentino, Epiſcopus Cervienſis, in Romandiola, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Ughellus* mox laudatus, & in *Epiſcopis Cervien. Tomo II Italiæ Sacræ pag* 476 *Edit. Venetæ. Cavalerius Tomo I pag.* 327 *num. CCCLXXIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXI pag.* 165, ubi ſic loquitur: *P. F. Thomas Cataneus nobilis Bergomenſis in regulari obſervantia Congregationis Lombardiæ enutritus, ſacriſque literis imbutus, celebris Magiſter, egregiuſque concionator evaſit. Ab Innocentio VIII Cervienſis Epiſcopus factus die XII Decembris anno Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Sexto, Eccleſiam illam claro vitæ exemplo ſanctiſſime rexit. Lateranenſi Concilio interfuit.* Anno 1486 Die 12 Decembris.

F. Oliverius Cantwel, Epiſcopus Oſſorien., ſeu *Oſſerien.*, vel Oſſoren., *Oſray*, *Oſſery*, & *Kilkennie*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Dublinienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXL pag.* 252, *ex Lib. Proviſ. Prælat. Innocentii VIII. Cavalerius Tomo I pag.* 341 *num. XXXIII. Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag.* 422. De anno quo renunciatus eſt Epiſcopus *Oliverius* noſter, ſilet Auctor iſte: *Fontana* vero, & *Cavalerius*, id anno *MCCCCLXXXVIII* contigiſſe, docent, & in hoc emendandi ex hoc Diplomate. *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Oliverio Ordinis Fratrum Prædicatorum Electo Oſſorien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem Eccleſiæ Oſſorien. Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua Nobis & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de eorundem Fratrum conſilio, ac auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, nos ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati tibi ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, aſcitis & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus vel tribus Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis accipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro & Romanæ Eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum auctoritate noſtra impendere tibi libere poſſit plenam, & liberam concedimus eorundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, ac decernimus quod ſi non recepto prius a te per ipſum Epiſcopum dicto Juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud recipere præſumpſeritis dictus Antiſtes a pontificalis exercitio officii, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium Eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Propterea volumus, quod forma hujuſmodi a te tunc præſtiti juramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Dublinen. cui præfata Eccleſia Metropolitico Jure ſubeſſe dignoſcitur nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma* Anno 1487 Die 27 Martii.

autem Juramenti quod præſtabis hæc eſt : Ego Oliverius Electus Oſſorien. ab hac hora in antea fidelis , & obediens ero Beato Petro Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ , & Domino noſtro Domino Innocentio PP. VIII ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet , & hæc Sancta Dei Evangelia . Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo , Sexto Kal. Aprilis , Pontificatus noſtri Anno Tertio . Ex Archivo Apoſtolico *Lib. L fol.* 254.

Anno 1487 Die 22 Junii.

F. Michael de Leopoli , Epiſcopus Kyovienſis , ſeu Kiovienſis , *Klow* , in Volhinia , ſub Archiepiſcopo Leopolienſi . Hunc Epiſcopum omittunt Scriptores . Hinc ſubnaſcitur dubium , utrum ſcilicet *Michael* iſte diſtinguendus ſit a *Michaele Polono* , quem *Simon Okolski in Ruſſia Florida pag.* 58 , *ex MSS. Cracoviæ , & ex Bzovio in Thaumaturgo , Dominicus Frydrychowicz , Cavalerius* , & *Fontana* , quos excepimus in *Appendice ad Pontificatum Eugenii IV Tomo III pag.* 225 , anno *MCCCCXXXIX* Epiſcopum *Kiovienſem* fuiſſe, docent. Id unum hac de re certum, quod nempe *Michael de Leopoli* hoc anno *MCCCCLXXXVII*, conſtitutus eſt Epiſcopus *Kiovienſis* , ut ex ſequentibus Diplomatibus conſtat . *Innocentius Epiſcopus , Servus Servorum Dei , dilecto filio Michaeli de Leopoli , Electo Kyovien. , Salutem , & Apoſtolicam benedictionem . Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Stanislao Epiſcopo Kyovien. regimini Eccleſiæ Kyovien. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi , & diſpoſitioni noſtræ &c decernentes ex tunc irritum , & inane &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Stanislai qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta , ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem , & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem , demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum in Sacerdotio conſtitutum , cui apud nos . de religionis zelo , vitæ munditia , honeſtate morum , ſpiritualium providentia , ac temporalium circumſpectione , aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur direximus oculos noſtræ mentis , quibus omnibus debita meditatione penſatis , de perſona tua nobis , & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta , eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio , auctoritate Apoſtolica providemus , teque illi præficimus in Epiſcopum , & Paſtorem , curam , & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus , & temporalibus plenarie committendo . In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c noſtram , & Apoſtolicæ Sedis benedictionem , & gratiam exinde uberius conſequi merearis . Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo , Decimo Kal. Julii , Pontificatus noſtri Anno Tertio .* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. L fol.* 197. In alia vero Conſtitutione ſic legitur : *Innocentius Epiſcopus , Servus Servorum Dei , dilecto filio Michaeli de Leopoli Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori , Salutem , & Apoſtolicam Benedictionem . Cum nos hodie Eccleſiæ Kyovien. paſtoris regimine deſtitutæ de perſona tua nobis , & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum præficiendo te illi in Epiſcopum , & Paſtorem , prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur , nos ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes , tuis ſupplicationibus inclinati , tibi , ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam , & communionem Apoſtolicæ Sedis habente , aſcitis , & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus vel tribus aliis Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam , & communionem habentibus munus conſecrationis recipere valeas , ac eidem Antiſtiti , ut recepto prius per eum noſtro & Romanæ Eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam tibi munus prædictum auctoritate noſtra impendere libere poſſit , plenam , & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem . Volumus autem , & auctoritate prædicta ſtatuimus , & decernimus , quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto Juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere , & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis , dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio , & tam ipſe quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium quam temporalium eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo . Propterea volumus quod formam a te tunc præſtiti Juramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures , quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Leopolien. cui præfata eccleſia Metropolitico jure dignoſcitur ſubeſſe nullum in poſterum præjudicium generetur . Forma autem Juramenti quod præſtabis hæc eſt . Ego Michael Epiſcopus Kyovien. ab hac hora in antea fidelis , & obediens ero Beato Petro Sanctæque Romanæ Eccleſiæ & Domino noſtro Domino Innocentio PP. VIII ſuiſque Succeſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet , & hæc Sancta Dei Evangelia . Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo , Decimo Kal. Julii , Pontificatus noſtri Anno Tertio .* Ex Archivo Apoſtolico *Lib L fol.* 198 Tertia tandem hujus tenoris eſt : *Innocentius Epiſcopus , Servus Servorum Dei , Cariſſimo in Chriſto filio Cazimiro Regi Poloniæ Illuſtri , Salutem , & Apoſtolicam Benedictionem . Gratiæ divinæ ac &c. hodie eccleſiæ Kyovien. tunc per obitum bonæ memoriæ Stanislai Epiſcopi Kyovien. extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona dilecti filii Michaelis de Leopoli Ordinis Fratrum Prædicatorum electi Kyovien. duximus auctoritate Apoſtolica providendum , præficiendo ipſum eidem eccleſiæ in Epiſcopum , & Paſtorem , curam . & adminiſtrationem dictæ eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus , & temporalibus plenarie committendo , prout in noſtris deſuper confectis literis plenius continetur . Cum itaque , fili cariſſime , ſit virtutis opus Dei miniſtros benigno favore proſequi ac eos verbis , & operibus pro Regis æterni gloria venerari , Serenitatem tuam rogamus , & hortamur attente , quatenus eundem electum & præfatam eccleſiam ſuæ curæ commiſſam habeas pro noſtra , & Apoſtolicæ Sedis reverentia propenſius commendatos , ipſos benigni favoris proſequens auxilio . Ita quod idem electus Celſitudinis tuæ fultus præſidio in commiſſo ſibi Paſtorali officio poſſit Deo propitio proſperari , ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium , & a nobis proveniat condigna actio gratiarum . Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo*

Qua-

Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo, Decimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Ex Archivo Apoſtolico Lib. L fol. 198.

F. Petrus de Montemolin., Epiſcopus Marochitanus, in Africa. Omittitur a Fontana, Cavalerio, ceteriſque. Quod Epiſcopus fuerit, liquet ex his duobus Diplomatibus. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro de Montemolin. Ord. Fratrum Prædicatorum profeſſori in Theologia Præſentato electo Marochitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Roman. geris eccleſiam &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Marochitan., tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis, in quibus volumus, quod quamprimum illas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes, & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Marochitan. pontificalia officia exercere nequires plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad Eccleſiam præfatam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, nequeas abſque perſonæ tuæ periculo accedere, & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, quod ad eccleſiam prædictam accedere, ſeu apud illam perſonaliter reſidere, minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis rite ſuſceperis extra eaſdem Civitatem, & Diœceſim, in Oxonien. ſi per dilectum filium noſtrum Raphaelem Sancti Georgii ad Velum. Canonicum Diaconum, qui nunc Eccleſiæ Oxonien. ex conceſſione Apoſtolica præeſt, & pluribus aliis Civitatibus, & Diœceſibus, ſi per locorum Ordinarios ad id requiſitus fueris, & de illorum ſpeciali licentia Pontificalia officia exercere libere, & licite valeas, voluntate noſtra prædicta, ac quibuſcunque conſtitutionibus &c. nequaquam obſtantibus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo, Sextodecimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. LX fol. 347. Id ex ſequenti Conſtitutione firmatur. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro de Montemolin. electo Marochitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ex ſuſcepto &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Alfonſo Epiſcopo Marochitan. &c. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Alfonſi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem in Sacerdotio conſtitutum, & in Theologia Præſentatum, vitæ, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, & aliis virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Marochitan. Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo, Sextodecimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. LX fol. 346.

Anno 1487 Die 17 Decembris.

F. Johannes Vaſſoris, Epiſcopus Gebeldenſis, ſeu Gybeldenſis, Gybeletenſis, & Byblienſis, vulgo Gibel, Gibiet, & Zibellet, in Phœnicia, ſub Antiocheno Patriarcha. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLIX pag. 196. Cavalerius Tomo I pag. 301 num CCCII. Errant tamen in hoc, quod Johannem anno duntaxat MCCCCXCI Epiſcopum creatum docent. Epiſcopus certe renunciatus eſt die XXX Januarii MCCCCLXXXVIII, ut ex hoc Diplomate videre eſt: Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Vaſſoris electo Gebelden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Gebelden. regimini Eccleſiæ Gebelden. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ipſius Johannis Epiſcopi, qui extra Roman. Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, Magiſtrum in Theologia, & in Presbyteratus Ordine conſtitutum, religionis zelo conſpicuum, vitæ, ac morum honeſtate decorum in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, multipliciter inſignitum, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Volumus autem quod quam primum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis bene-

Anno 1488 Die 30 Januarii.

benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis, quodque extra Civitatem, & Diœceſim Gebelden. pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCLXXXVIII) Tertio Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. LX fol. 246. Eadem de re dedit Innocentius VIII aliam Conſtitutionem, quæ brevitatis ergo prætermittitur. Aſſervatur in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico Libro LX fol. 247, ſed quia Cavalerius Tomo I pag. 393 num. CXLVI Epiſcopum iſtum diſtinguit a Johanne Le Vaſſeur, Doctore Pariſienſi, Epiſcopo titulari in partibus, Epiſcopi Morinenſis ſuffraganeo, id eſt Vicario: hinc aliud ejuſdem Innocentii Diploma transcribendum: Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Vaſſoris Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in Theologia Magiſtro, electo Gebelden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Gebelden. tunc certo modo Paſtoris regimine deſtitutæ de perſona tua nobis. & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum, accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, in quibus inter cetera voluimus, quod quam primum illas haberes expeditas, ad præfatam eccleſiam te conferres, & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Gebelden. Pontificalia officia exercere nequires. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad præfatam eccleſiam. quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonæ tuæ periculo commode nequeas te conferre, & apud eandem perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, quod ad dictam eccleſiam accedere, & apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque, poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, in Civitate, & Diœceſi Morinen. duntaxat, dum ad id per dilectum filium Antonium de Croy perpetuum adminiſtratorem in ſpiritualibus, & temporalibus eccleſiæ Morinen per Sedem Apoſtolicam deputatum, aut pro tempore exiſtentem Epiſcopum Morinen. requiſitus fueris, & de ſpeciali eorum licentia pontificalia officia hujuſmodi exercere, libere, & licite valeas, voluntate prædicta, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. nequaquam obſtantibus auctoritate Apoſtolica tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCLXXXVIII) Tertio Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. LX fol. 248.

Anno 1488 Die 17 Martii.

F. Reginaldus, Epiſcopus Tiberiadenſis, in Palæſtina, ſub Archiepiſcopo Nazareno. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit. DLXXXVII pag. 208, ex Regeſtis Magiſtri Generalis Joachini Turriani Lib. I fol 6, ubi Reginaldo fit poteſtas aſſumendi ſocium ex Ordine ſibi gratum. Cavalerius Tomo I pag 298 num. CCXC. Diplomata duo, quibus Epiſcopus renunciatur Reginaldus, habes in Archivo Ordinis, ex Archivo Apoſtolico Lib LX fol. 299, & fol. 300 Unum prætermitto, ſed aliud transcribendum, quo ſcilicet conſtat Reginaldum Vicarium fuiſſe Didaci Epiſcopi Hiſpalenſis. Hujus tenoris eſt: Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Reginaldo Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſori, Baccalaureo in Decretis, electo Tiberiaden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam non indigne meretur, ut votis tuis quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Hodie ſiquidem eccleſiæ Tiberiaden. Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus Apoſtolica auctoritate providendum. præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem prout in noſtris inde confectis literis, in quibus voluimus quod quam primum illas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes & perſonaliter reſideres in eadem, quodque extra tuam Civitatem, & Diœceſ. Tiberiaden Pontificalia officia exercere nequires. plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad eccleſiam præfatam quæ in partibus Infidelium conſtituta eſt, nequeas commode accedere & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes te favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, quod ad eccleſiam prædictum accedere. ſeu apud illam reſidere. perſonaliter minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, in Civitate, & Diœc. Hiſpalen. duntaxat, ſi ad id per venerabilem Fratrem noſtrum Didacum modernum & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Hiſpalen. fueris requiſitus, & de ſpeciali ejus licentia hujuſmodi pontificalia officia exercere, libere, & licite valeas, voluntate noſtra prædicta, ac quibuſcunque Conſtitutionibus &c. nequaquam obſtantibus, eadem auctoritate, tenore præſentium, indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCLXXXVIII) Sexto Decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. LX fol. 300.

Anno 1489 Die 7 Januarii.

F. Petrus de S. Maximino, Alumnus Provinciæ Provinciæ, Epiſcopus Bethleemitanus, in Judæa, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXXVIII pag. 141, ex Lib. Proviſion. Prælator. Innocentii VIII, & ex Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 301 num. CCC. Nota quod a nonnullis dicitur de S. Maximo, ab aliis de S. Martino, ab aliquibus de S. Maxentio, uti monet Cavalerius. Epiſcopus tamen iſte diſtinguendus a Petro de S. Maxentio Epiſcopo Bethleemitano, de quo dictum fuit in Appendice ad Pontificatum Honorii IV Tomo II pag. 18. Enim vero Petrus de S. Maxentio florebat anno MCCLXXXVII, ut ex Bernardo Guidonis videre eſt in Epiſcopis Terræ Sanctæ: Petrus autem de S. Maximino duobus ſeculis junior eſt, uti probant Libri Proviſion. Prælatorum Innocentii VIII.

F. Geor-

F. Georgius Fabri, Epiſcopus Verſavien., vel Varſavien. Quod in *Poloniæ* Regno ſita ſit Urbs *Varſavienſis*, ſeu W*arſavienſis*, vulgo W*arſovie*, nemo neſcit. Verum quod Sedes Epiſcopalis fuerit, ingenue dicam, me fugit. Unum ſcio, quod ſcilicet Epiſcopus *Varſavienſis* fuit *Georgius* noſter, ut ex hoc Diplomate videre eſt. *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Georgio Fabri electo Verſavien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Varſavien. regimini Eccleſiæ Verſavien. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum dicti Johannis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne ipſa Eccleſia longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in Theologia Magiſtrum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. confidentes &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringenteſimo Nonageſimo, Sexto Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XC fol.* 120. Anno 1490 Die 10 Julii.

F. Petrus Stornell, Epiſcopus Civitatenſis, immediate ſub S. Sede, in ditione tamen Regis Hiſpaniarum, ut liquet ex ſequentibus Diplomatibus. *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Stornell electo Civitaten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Roderico Epiſcopo Civitaten. regimini Eccleſiæ Civitaten. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ &c decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Roderici Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, in Theologia Baccalaureum, & Sacerdotio conſtitutum, religionis zelo, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & temporalibus circumſpectum, aliiſque virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, multipliciter inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringenteſimo Nonageſimo, Nonis Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXXX fol.* 71. Aliud hujus tenoris eſt. *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Stornell Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Baccalaureo in Theologia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis conſueta clementia, ne diſpoſitiones per eam de Cathedralibus Eccleſiis pro tempore factas valeant quomodolibet impugnari, ſed perſonæ ad illas promotæ illis puro corde, & ſincera conſcientia præſidere valeant, remedia, prout convenit, adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie Eccleſiæ Civitaten. Sedi prædictæ immediate ſubjectæ ad præſens Paſtoris regimine deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio Apoſtolica auctoritate providere, teque in Epiſcopum, & Paſtorem illi præficere intendamus, nos, ne proviſio, & præfectio prædictæ, ſi forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus exiſtis, valeant invalidæ reputari, providere volentes, te, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet ligatus exiſtis, ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædictæ, ac ſingula deſuper conficiendæ literæ ſuum ſortiantur effectum, auctoritate præfata tenore præſentium abſolvimus, & abſolutum fore nunciamus, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dictæ Eccleſiæ, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, & nunciationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringenteſimo Nonageſimo, Nonis Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXXX fol.* 73. In alio tandem ſic legitur. *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Ferdinando Caſtellæ, & Legionis Regi Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Gratia divinæ &c. hodie ſiquidem Eccleſiæ Civitaten. Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectæ tunc per obitum bonæ memoriæ Roderici Epiſcopi Civitaten. extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris regimine deſtitutæ de perſona dilecti filii Petri Stornell Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſoris, in Theologia baccalaurei, electi Civitaten. nobis, & Fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio Apoſtolica auctoritate providemus, ipſumque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem dictæ Eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout* Anno 1490 Die 5 Novembris.

in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum itaque fili cariſſime ſit virtutis opus Dei Miniſtros benigno favore proſequi, & eos verbis, & operibus pro Regis æterni gloria venerari, ſerenitatem tuam rogamus, & hortamur attente quatenus eundem electum, & præfatam Eccleſiam Civitaten. ſuæ curæ commiſſam habeas pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia propenſius commendatos in ampliandis, & conſervandis juribus ſuis, ſic eiſdem te exhibeas benevolum favore regio, & in opportunitatibus gratioſum, quod idem electus tuo fultus præſidio in commiſſo ſibi dictæ Eccleſiæ Civitaten. regimine poſſit Deo propitio proſperari, tuque perinde conſequaris præmia felicitatis æternæ, ac nos etiam Celſitudinem Regiam condignis poſſimus in Domino laudibus commendare. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo, Nonis Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Ex Archivo Apoſtolico *Libro CXXX fol. 72*, Hic Epiſcopus omittitur a *Fontana*, *Cavalerio*, ceteriſque paſſim.

Anno 1490. F. Gregorius Polonus, Epiſcopus Uladiſlavien., *Wladislaw*, in Polonia, ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi. *Dominicus Frydrychowicz in S. Hyacinto Poloniæ Patrono &c. pag.219*, ubi hæc habet: *Reverendiſſimus Pater Gregorius Sacræ Theologiæ Magiſter, & Alberti Regis Eccleſiaſtes, vir divinarum literarum experientiſſimus, unanimi conſenſu electus, & ad poſtulationes Sereniſſimi a Pontifice Maximo confirmatus anno MCCCCXC. Cavalerius Tomo I pag. 300 num. CCXCVI, ex Severino Cracovienſi, Bzovio, & Plodio.*

Anno circiter 1491 F. Jacobus Polonus, Epiſcopus Lacedæmonen., vulgo *Miſitra*, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Corinthio. Nunc Metropolis eſt *Lacedæmonenſis* Sedes. Epiſcopi *Plocenſis* ſuffraganeus, ſeu Vicarius fuit *Jacobus. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCX pag 209, ex Bzovio. Dominicus Frydrychowicz in S. Hyacintho Poloniæ Patrono pag. 221. Cavalerius Tomo I pag. 302 num. CCCV*. Nota quod erravit librarius *Dominici Frydrycowicz* ſcribens, quod *Jacobus* noſter *ab Innocentio VIII Lacedæmonen. Epiſcopus, ſuffraganeuſque Plocenſis creatus eſt anno* 1401, legendum 1491, ut ex ſe patet. Anno ſiquidem *MCCCCI* lucis uſuram nondum acceperat *Innocentius*.

Anno circiter 1491. F. Nicolaus de Rempis, Gallus, Epiſcopus Varnenſis, *Varna*, in Bulgaria. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXVI pag. 316, ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag. 302 num. CCCIV, & CCCV, ex Ambroſio Altamura*, a quo *Nicolaus* noſter cognominatur de *Ripis*.

Anno 1491 Die 9 Maii. F. Arnaldus de Caubera, alumnus Provinciæ Toloſanæ, Conventus S. Gaudentii, Epiſcopus Aconenſis, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. Omittitur a *Fontana*. Ipſum *Cavalerius Tomo I pag. 325. num. XXI* cognominat de *Cambera*. Quod cognomento fuerit de *Caubera*, ſucceſſerit eidem *Georgio*, & Vicarius fuerit *Johannis* Epiſcopi *Convenarum*, liquet ex his Diplomatibus. *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Arnaldo de Caubera, Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſori, in Theologia Magiſtro, Electo Aconen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Aconen. tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona tua nobis & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus Apoſtolica auctoritate providendum præficiendo te eidem eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem prout in noſtris inde confectis literis, in quibus voluimus quod quam primum literas ipſas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes, & perſonaliter apud illam reſideres, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Aconen. Pontificalia officia exercere nequires, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad præfatam eccleſiam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonæ tuæ periculo commode nequeas te conferre, & apud eandem perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, quod ad eccleſiam ipſam accedere, & apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis in Civitate, & Diœceſi Convenar., dummodo ad id per venerabilem Fratrem noſtrum Johannem modernum, & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Convenar. requiſitus fueris, & de ejus ſpeciali licentia Pontificalia officia hujuſmodi exercere libere, & licite valeas, voluntate prædicta, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtri indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Primo, Septimo Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXX fol. 40*. Aliud hujus tenoris eſt: *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Arnaldo de Caubera Electo Aconen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Georgio Epiſcopo Aconen. regimini Eccleſiæ Aconen. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Georgii Epiſcopi qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, Magiſtrum in Theologia, in Presbyteratus ordine conſtitutum, vitæ, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque virtutum donis,*

donis, prout ſide dignorum teſtimoniis accepimus, multipliciter inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Aconen. pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Primo, Septimo Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. V An. VII fol.*39. Tertium tandem hac de re Diploma dedit *Innocentius* quod brevitatis ergo prætermitto. Aſſervatur in Archivo Ordinis, ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXX fol.* 39. Inſcribitur *dilecto filio Arnaldo de Caubera Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Magiſtro in Theologia.*

F. Baldaſſar Beniwalt de Waleſtat, Epiſcopus Trojanus, in Phrygia, ſub Archiepiſcopo Cyziceno. Anno 1491 Die 16 Maii.
Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio &c.* Epiſcopus certe fuit, ut ex iſtis Conſtitutionibus videre eſt. *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Baldaſſari Beniwalt de Waleſtat electo Trojan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Hieronymo Epiſcopo Trojan. regimini eccleſiæ Trojan. præſidente nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Hieronymi Epiſcopi qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, in Theologia lectorem, ac Presbyteratus ordine conſtitutum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum & temporalibus circumſpectum, aliiſque virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, multipliciter inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem quod quam primum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Trojan. Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Primo, Decimo Septimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXXI an. VII fol.* 34. In alio ſic legitur. *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Baldaſſari Beniwalt Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſori, in Theologia lectori, electo Trojan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Trojan. tunc paſtoris regimine certo modo deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus auctoritate Apoſtolica providendum præficiendo te eidem eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis, in quibus voluimus, quod quam primum literas ipſas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes, & perſonaliter apud illam reſideres, quodque extra tuas Civitatem, & Diœc. Trojan. Pontificalia officia exercere nequires, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad prædictam eccleſiam quæ in partibus Infidelium exiſtit abſque perſonali periculo commode nequeas te conferre, & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, quod ad eccleſiam ipſam accedere, & apud illam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, in Civitate, & Diœc. Curitan. duntaxat dum ad id per modernum vel pro tempore exiſtentem Epiſcopum Curitan. requiſitus fueris, & de ipſius ſpeciali licentia, hujuſmodi Pontificalia officia exercere, libere, & licite valeas, voluntate noſtra prædicta, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Primo, Decimo Septimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro CXXX fol.* 37.

F. Thomas de Acayre, Epiſcopus Satrianenſis, *Satriano*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Anno 1498 Die 22 Junii.
Compſano. *Ughellus in Epiſcop. Satrianen. Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 854 *Edit. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXXI pag.* 290. *Cavalerius Tomo I pag.* 307 *num. CCCXX.* Nota quod *Thomas* noſter *Attarius* cognominatur a Scriptoribus mox laudatis, qui ſilent, quod a confeſſionibus fuerit *Ferdinando* Regi *Siciliæ*. Hinc transcribendæ duæ Conſtitutiones *Innocentii*. Hujus tenoris ſunt. *Innocentius Epiſcopus, dilecto filio Thomæ de Acayre Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis indefeſſa clementia ad ea libenter intendit, per quæ perſonarum eccleſiaſticarum ſtatui valeat ſalubriter provideri. Cum itaque nos hodie de perſona tua nobis &* Fra-

Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta Eccleſiæ Satrianen. Paſtoris ſolatio deſtitutæ de Fratrum eorundem conſilio Apoſtolica auctoritate providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus. nos ne proviſio, & præfectio prædictæ, ſi aliquibus ſententiis, cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis ligatus exiſtis, poſſint invalidæ reputari, te qui cariſſimi in Chriſto filii Ferdinandi Siciliæ Regis Illuſtris Confeſſor exiſtis, a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccl ſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi qui us quomodolibet innodatus exiſtis, quoad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædictæ. ac ſingulæ literæ deſuper conficiendæ ſuum ſortiantur effectum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium abſolvimus, & abſolutum fore cenſemus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus dictæ eccleſiæ Satrianen. juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque: Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Primo, Decimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXXX fol.* 48. In alia ſic legitur. *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Ferdinando Siciliæ Regi Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Gratiæ divinæ &c. hodie eccleſiæ Satrianen. tunc ex eo, quod nos venerabilem Fratrem noſtrum Georgium Caſtren., tum Satrianen. Epiſcopum a vinculo, quo eidem eccleſiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Caſtren. Hidruntin. tunc certo modo vacantem, Apoſtolica auctoritate tranſtulimus, ipſumque Georgium eidem Eccleſiæ Caſtren. præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, Paſtoris regimine deſtitutæ de perſona dilecti filii Thomæ de Acayre Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſoris electi Satrianen. de Fratrum noſtrorum conſilio Apoſtolica auctoritate duximus providendum, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ Satrianen. ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum itaque fili cariſſime ſit virtutis opus, Dei Miniſtros digno ſavore proſequi, ac eos verbis, & operibus pro Regis æterni gloria venerari, ſerenitatem tuam rogamus, & hortamur attente, quatenus eundem electum, & eccleſiam Satrianen. ſuæ curæ commiſſam habens pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia propenſius commendatos in ampliandis juribus ſuis, ſic eos favoris tui Regii præſidio proſequaris, quod ipſe electus in commiſſo ſibi dictæ eccleſiæ regimine poſſit Deo propitio proſperare, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimu Nonageſimo Primo, Decimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXXX fol.* 47.

Anno 1492 Dic 23 Januarii.

F. Robertus de Noya, Epiſcopus Minervin., ſeu Minerbien., in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Ughellus in Epiſcopis Minerbin. Tomo VII Italiæ Sacræ pag* 1011 *Edit. I*, & *Edit Venetæ pag.* 746 *Tomo VII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXXIX, ex Regeſtis Joachini Turriani Magiſtri Generalis, & ex Vallo de Viris illuſtribus. Cavalerius Tomo I pag.* 327 *num. CCLXXIX.* Variis Eccleſiis præfuit, ut in *Appendice* ſequenti dicetur. *Robertum de Noya* ſucceſſiſſe *Johanni Campanellæ*, & *Marinum de Falconibus* ſucceſſorem fuiſſe *Roberti*, auctor eſt *Ughellus* mox laudatus, & in hoc errat: *Marinus* ſiquidem deceſſor fuit *Roberti*, ut ex hac conſtitutione liquet. *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Roberto de Noya electo Minervin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Marino Epiſcopo Minervin. regimini eccleſiæ Minervin. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccl.ſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ &c duximus reſervandum. decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum dicti Marini Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, no vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. ne ipſa eccleſiæ longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum in Theologia Magiſtrum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Primo*, (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXCII) *Decimo Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo* (Octavo). Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLI fol.* 358.

Anno 1492 Die 22 Junii.

F. Johannes Salamon, Epiſcopus Ebronenſis, in Palæſtina, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio* &c. Succeſſit *Guillelmo*, ut ex hoc Diplomate liquet. *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Salamoni Electo Ebronen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Guillelmo Epiſcopo Ebronen. regimini Eccleſiæ Ebronen. Præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ &c. duximus reſervandam. decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus &c. poſtmodum vero præfata eccleſia vacante per obitum ejuſdem Guillelmi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ celerem, &*

feli-

felicem &c. ne ipſa eccleſia longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, in Theologia Licentiatum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta de ipſorum Fratrum conſilio eidem eccleſiæ, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias &c. confidentes. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Decimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Octavo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLI fol.* 237.

Digitized by Google

(a) Alexander VI in Diplomate ad *Interamnenſes*.
(b) Ex Mſſ. Vaticanis, & ex *Petro Delphino* teſte oculato *Lib. III Epiſt. XXXVIII.*
(c) *Ciaconius* in *Alexandro VI.*

ALEXANDER VI,

Natione Hiſpanus, electus (a) eſt die XI Auguſti MCCCCXCII. Coronatus (b) fuit die XXVI ejuſdem Menſis. Obiit (c) die XVIII Auguſti MDIII. Sedit Annos XI, Dies VIII.

Privilegium conceſſum Piſciacenſi (1) Monaſterio.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Anno 1492 Die 26 Auguſti.

I.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. Rationi congruit, & convenit æquitati, ut ea, quę de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet, ejus ſuperveniente obitu, literę Apoſtolicę ſuper illis confectę non fuerint, ſuum conſequantur effectum. Diplomatis cauſa. Dudum ſiquidem felicis recordationis Innocentio Papę Octavo Prędeceſſori pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri, tunc ſui, Caroli (3) Francorum Regis Illuſtris, expoſito, quod licet fructus, redditus, & proventus Monaſterii Monialium Piſſiacenſis, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, Carnotenſis Diœceſis, in quo Prioriſſa, & illius Moniales, quę tunc numero nonaginta, & ultra, aliis perſonis, eiſdem Monialibus famulantibus, non computatis, pro tempore exiſtentes ſub perpetua clauſura, ac ſub cura, & Inſtitutis regularibus Fratrum Ordinis Prędicatorum, virtutum Domino famulabantur, & quod per pręfati Regis progenitores fundatum, & dotatum extiterat, adeo uberes exiſterent, & in dies pia largitione pręfati Caroli Regis uberiores redderentur, Nota. quod ex illis Prioriſſa, & Moniales pro tempore exiſtentes ſuſtentari, & ipſius Monaſterii onera commode preferre poterant, tamen propter officialium, Miniſtrorum, & Vicariorum, pro ſpiritualium, & temporalium dicti Monaſterii adminiſtratione, pro tempore deputatorum per Generalem, ſeu Provincialem Priores dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, pro tempore exiſtentes crebram, & ſine rationabili cauſa, amotionem, & deſtitutionem fieri ſolitam, Monaſterium prędictum in eiſdem fructibus, ac illius bonis mobilibus, & immobilibus, non modicum patiebatur detrimentum, & gravamen, ac earundem Prioriſſę, & Monialium conſcientię propterea quam plurimum lędebantur, ac ipſę Prioriſſa, & Moniales a divinorum celebratione ex hujuſmodi deſtitutione etiam retrahebantur, Privilegia. idem Innocentius Prędeceſſor, qui ſingulorum, prǽſertim catholicorum Regum, votis, per quę ſub Religionis jugo Domino famulantium conſcientię paci & quieti conſuleretur, favorabiliter annuebat, volens eiſdem Prioriſſę & Monialibus, ut earum animas Deo lucrifacere facilius poſſet, in premiſſis opportune providere, pręfati Caroli Regis in ea parte ſupplicationibus inclinatus, ſub data videlicet decimo Kalendas Auguſti, Pontificatus ſui Anno Octavo (4), eiſdem Prioriſſę, & Monialibus, quod officiales, Miniſtri, & Vicarii predicti in ſpiritualibus, & temporalibus tunc & pro tempore deputati, abſque Prioriſſę, & Monialium prędictarum expreſſo conſenſu per Generalem, ſeu Provincialem dicti Ordinis Fratrum Predicatorum pro tempore exiſtentes Priores deponi, ſeu amoveri, aut quod novi officiales deputari, ſeu inſtitui non poſſent, auctoritate Apoſtolica perpetuo conceſſit pariter, & indulſit, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, & Ordinum predictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ne autem de ceſſione, & indulto prędictis pro eo quod ſuper illis literę dicti Innocentii Prędeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, confectę non fuerunt, valeat quomodolibet hęſitari, ipſęque Prioriſſa, & Moniales illarum fruſtrentur effectu, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod conceſſio, & indultum Innocentii Predeceſſoris hujuſmodi perinde a dicta die decimo Kal. Auguſti ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis literę dicti Innocentii Prędeceſſoris ſub prędictę diei data confectę fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodque prǽſentes literę, ad probandum conceſſionem, & indultum prędicta ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę voluntatis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prǽſumpſerit, indignationem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Septimo Kal. Septembris (5), Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Piſciacenſi.*) Vulgo *Poiſſy*. Conſulendæ *Conſtitutiones XII, XIII, & XIV Clementis V, Tomo II pag.* 121 *&c.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Piſciacenſi*.
3. *Caroli.*) Hujus *VIII.*
4. *Octavo.*) Chriſti *MCCCCXCII.*
5. *Septimo Kalendas Septembris.*) Hac igitur die corona Pontificia redimitus fuit *Alexander VI.* Nec enim putandum eſt, *Alexandro VI* Summo Pontifice, ſtylum mutatum fuiſſe, Bullamque datam ante Pontificiæ coronæ ſuſceptionem. Emendandus igitur *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III ad an. MCCCCXCII pag.* 149, ubi docet, Alexandrum VI *Pridie idus Septembris, . . . coronationis inſignia ſuſcepiſſe.* Quod *Septimo Kalendas* ejuſdem Menſis Septembris coronatus fuerit, auctor eſt *Petrus Delphinus* oculatus teſtis. Id refert *Lib. III Epiſtolar. Epiſtola XXXVIII.* Idem firmari poteſt ex ſequentibus Conſtitutionibus, & ex *Ms. Codice CXV* aſſervato in Bibliotheca *Caſanatenſi*. Ipſi titulus: *Alexandri PP. VI Diaria a Johanne Burchardo Argentinenſi, Clerico Capellæ, & Magiſtro Cæremoniarum ejuſdem Papæ.* Sic autem loquitur Burchardus: *Anno MCCCCXCII, undecima Auguſti, mane, Rodericus Borgia nepos Calixti, Vicecancellarius, creatus Papa, vocatuſque eſt Alexander VI. . . Die Vigeſima Sexta dicti Menſis Auguſti coronatus fuit Alexander VI in S. Petro, deinde, prout de more, acceſſit ad eccleſiam Sancti Johannis Lateranen.*

Digitized by Google

Electio Prioriſſæ Sororum Tertii Ordinis de Urbe a Magiſtro Generali confirmanda.

Anno 1492 Die 26 Auguſti.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

II.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

RAtioni congruit &c. (2) Dudum ſiquidem felicis recordationis Sixto PP. IV Prędeceſſori noſtro pro parte quondam Paulę de Spoleto, tunc Prioriſſę, & aliarum etiam Conſororum Domus prope Eccleſiam B. Marię ſupra Minervam de Urbe Ordinis Fratrum Prędicatorum de Pęnitentia S. Dominici, ſeu Tertii Ordinis, ſub cura, & regimine Generalis Miniſtri (3) Ordinis ejuſdem Fratrum prędictorum viventium, expoſito, quod cum alias quondam Jacoba Colutię Bronch mulier Roman., condens in ejus ultima voluntate teſtamentum, inter alia reliquiſſet quandam ejus Domum ſitam in Parochia S. Euſtachii de dicta Urbe, quam dicta teſtatrix inhabitabat ad uſum pauperum mulierum Deo famulantium, tam illarum, quę tunc ſecum in dicta Domo habitabant, quam aliarum in illa in poſterum recipiendarum, conſtituiſſetque quondam Catharinam Lucii, ejus ſociam religioſam dicti Ordinis, teſtamenti ſui executricem, & dictę Domus gubernatricem, & manutentricem poſt obitum ipſius teſtatricis, hac conditione adjecta, quod dicta Catharina infra certum tempus, aliam ſibi eligeret, quę poſt dictę Catharinę obitum, Domum prędictam regeret, & gubernaret, hocque perpetuis futuris temporibus de una, in aliam obſervaretur, fuiſſetque tunc a quinquaginta annis, & ultra poſt obitum dictę Jacobę primę teſtatricis in dicta Domo, dictus Ordo, & ejus regula obſervata, prout etiam, tunc obſervabatur, ejuſque teſtatricis voluntas in gubernatione dictę Domus executioni demandata, temporibus retroactis, quodque Paula, & alię Sorores prędictę dubitabant moleſtari poſſe tempore procedente per aliquas alterius forte Ordinis, aut conditionis, prętextu quod Domus ipſa per dictam Jacobam teſtatricem ad uſum pauperum mulierum Domino famulantium relicta fuerat, idem Sixtus Prędeceſſor, earundem Paulę, & Sororum in ea parte ſupplicationibus inclinatus, bonę memorię Angelo Epiſcopo Pręneſtin., ſuis literis dedit in mandatis, quatenus ſe de pręmiſſis omnibus, & ſingulis auctoritate Apoſtolica informaret, &, ſi per informationem hujuſmodi pręmiſſa vera eſſe reperiret, dictam Domum prędictam per Jacobam teſtatricem ad uſum pauperum mulierum relictam, & pręfatis Sororibus aſſignatam ad pręfatas Sorores Tertii Ordinis ſpectare, & pertinere eadem auctoritate decerneret, & declararet, ac pro potiori cautela, Domum pręfatam eiſdem Prioriſſę, & Sororibus Tertii ordinis antedicti, & in ea pro tempore exiſtentibus pro earum uſu, & habitatione perpetuis, auctoritate pręfata, de novo concederet, & aſſignaret, atque deinceps in ea aliqua cujusvis alterius Ordinis, ſeu conditionis, aut alia perſona in ea permanere poſſet, aut deberet, niſi prius habitum dicti Ordinis aſſumeret. Idem enim Sixtus Prędeceſſor, ſi commiſſionem, & aſſignationem prędictas per eundem Angelum Epiſcopum fieri contingeret, ut pręfertur, eiſdem Prioriſſę, & Sororibus in dicta Domo pro tempore exiſtentibus, ut ad recipiendum aliquam, ſeu aliquas in dicta Domo niſi habitu Ordinis antedicti, ut pręfertur, aſſumpto, a quoquam cogi, aut compelli non poſſent, eadem auctoritate indulſit, & deinde pię memorię Innocentio PP. VIII, etiam Prędeceſſori noſtro, pro parte dilecti filii Joachini (4) Miniſtri Generalis dicti Ordinis, etiam expoſito, quod dictus Angelus Epiſcopus ad earundem literarum, forma ſervata, executionem procedens, quia per diligentem informationem per eum deſuper habitam pręmiſſa eidem Sixto Prędeceſſori expoſita vera eſſe reperierat, dictam Domum per eandem Jacobam ad uſum pauperum mulierum relictam, & pręfatis Sororibus aſſignatam, ad eaſdem Sorores Tertii ordinis ſpectare, & pertinere pręfata auctoritate decreverat, & declaraverat, ac pro potiori cautela Domum ipſam eiſdem Prioriſſę, & Sororibus Ordinis antedicti in ea pro tempore exiſtentibus pro earum uſu, & habitatione, perpetuis, auctoritate pręfata, de novo conceſſerat, & aſſignaverat, ita quod deinceps in ea aliqua cujusvis alterius Ordinis, ſeu conditionis, aut aliqua alia perſona recipi non poſſet, aut deberet, niſi prius habitu dicti Ordinis aſſumpto, prout in literis ipſius Sixti, ſuper hoc confectis, plenius continetur, ac quibuſdam Inſtrumentis publicis ſuper teſtamento dictę teſtatricis, ac proceſſu per dictum Angelum Epiſcopum, ſuper eiſdem literis reſpective confectis, dicebatur plenius contineri; Et in eadem expoſitione ſubjuncto, quod licet Domus prędicta pro uſu, & habitatione dictarum Religioſarum dicti Ordinis vigore literarum prędictarum, deputata fuiſſet, ut pręfertur, tamen in ea poſtmodum alię mulieres alterius profeſſionis, ac etiam habitu alterius Ordinis non aſſumpto, habitaverunt, & habitabant, tunc (5) dictę Religioſę Tertii ordinis de Pęnitentia ſub cura, & regimine dicti Joachini Miniſtri Generalis vivebant, conveniens exiſtebat, quod ſicut Miniſter prędictus in aliis Domibus dicti tertii ordinis Prioriſſas deputabat, etiam Prioriſſa dictę Domus per dictum Miniſtrum Generalem pro tempore exiſtentem deputaretur, ſeu ſaltem ab aliis Religioſis electa, antequam curam, & adminiſtrationem dictę Domus ſuſciperet, ab ipſo Miniſtro confirmaretur, & quod ſicut in aliis domibus per eorum Religioſas vivebatur, & in dicta domo prope Minervam, illius Sorores pro tempore exiſtentes, prout aliarum Domorum dicti Tertii Ordinis hujuſmodi Sorores vivebant, vivere deberent, & non conveniebat, quod ibi mulieres alterius Ordinis, ſeu profeſſionis, aut etiam habitu dicti Tertii Ordinis non ſuſcepto, abſque licentia dicti Miniſtri Generalis permanerent, cum diverſitas habitus diverſitatem voluntatis generare conſueverit, ac pro parte dicti Joachini Miniſtri, eidem Innocentio Prędeceſſori, humiliter ſupplicato, ut dictę mulieres in eadem Domo, quiete, & religioſe, ac ſine ſcandalo vivere poſſent, in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaretur: Idem Innocentius Predeceſſor, cupiens obviare ſcandalis, quę provenire poſſent, ſi inter ipſas mulieres diſſenſiones exorirentur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ſub Data videlicet Kal. Aprilis Pontificatus ſui Anno Octavo (6), quod ex tunc de cetero, perpetuis futuris temporibus, nulla in Prioriſſam dictę Domus per alias illius religioſas

Mandatum.

electa, curam & adminiſtrationem ejuſdem Domus, ſuſcipere poſſet, niſi prius illius electio per Miniſtrum Generalem pro tempore exiſtentem dicti Ordinis Fratrum prędictorum approbata foret, quodque etiam nulla alia perſona alterius habitus, etiam aliquo alio habitu non ſuſcepto, inibi permanere valeret, exceptis tamen illis, quę inibi tunc alterius Ordinis, ſeu aliquo habitu non ſuſcepto, tunc exiſtebant, auctoritate Apoſtolica, perpetuo ſtatuit, & ordinavit, non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcunque. Ne autem, de ſtatuto, & ordinatione predictis pro eo, quod ſuper illis litere dicti Innocentii Predeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, confectę non fuerunt, valeat quomodolibet heſitari, ipſeque Joachinus, & pro tempore exiſtens dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum Miniſter, illarum fruſtretur effectu, volumus, & dicta Auctoritate decernimus, quod ſtatutum, & ordinatio Innocentii Predeceſſoris hujuſmodi perinde a dicta die Kal. Aprilis ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis literę ejuſdem Innocentii Prędeceſſoris ſub dicta diei data confectę fuiſſent, prout ſuperius enarratur; Quodque pręſentes literę ad probandum plene ſtatutum, & ordinationem prędictam ubique ſufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur. Nulli ergo &c. noſtrę voluntatis, & Conſtitutionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Septimo Kalendas Septembris, (7) Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo*.) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXI fol.* 44.
2. *Congruit &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
3. *Miniſtri*.) Sic amanuenſis, legendum: *Magiſtri*.
4. *Joachini*.) *Turrians*, de quo ſępius dictum fuit.
5. *Tunc*.) Ad literam: *cum vero tunc*.
6. *Anno Octavo*.) Chriſti *MCCCCXCII*.
7. *Septimo Kal. Septembris*.) Ut in *Nota V* ad precedens Diploma.

Anno 1492 Die 26 Auguſti.

Eccleſiaſticum Beneficium unit Aquenſi (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

III.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii Sancti Cornelii Inden., & Decano Eccleſię Beatę Marię Aquen., Colonien., & Leodien. Dięceſum, ac Officiali Leodien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

RAtioni congruit &c. Dudum ſiquidem felicis recordationis Innocentio PP. VIII Prędeceſſori noſtro pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Predicatorum Oppidi Aquen., Leodien. Dięceſis, expoſito quod olim, poſtquam quondam Johannes de Grouſſelt Dominus temporalis dominii in Grouſſelt dictę Dięceſis a nonnullis ſibi inſidiantibus interfectus, ac in Choro Eccleſię dictę domus Eccleſiaſticę ſepulturę traditus fuerat, & quoddam perpetuum beneficium eccleſiaſticum ſub invocatione Beatę Marię Virginis, ac Sanctorum Georgii, & Chriſtophori Martyrum in Capella ſita in Curia de Schochriſueit dicti Oppidi, ipſi domui contigua pro emenda necis, & homicidii hujuſmodi, ab illius auctoribus fundatum, & dotatum, extiterat, jurepatronatus, & pręſentandi perſonam idoneam ad hujuſmodi beneficium, quibuſdam laicis ordinaria auctoritate reſervato, & quia in fundatione, & dotatione hujuſmodi beneficii inter alia cavebatur, quod Rector illius pro tempore deberet ſingulis diebus Miſſam in dicta Capella celebrare, & ex illius fructibus, redditibus, & proventibus quandam lampadem continue accenſam juxta ſepulturam dicti Johannis conſervare, venerabilis Frater noſter Johannes Epiſcopus Leodien., provide conſiderans fructuum, redditunm, & proventuum hujuſmodi tenuitatem tanto oneri non ſufficere, ac domum prędictam tunc noviter ad ſtrictam regularem obſervantiam reformatam perſonis, & ſacerdotibus nimium oneratam, de dilectorum filiorum Capituli Leodien., ac patronorum ejuſdem Beneficii expreſſo conſenſu, beneficium hujuſmodi cum ſuis juribus, & pertinentiis univerſis eiſdem Priori, & Fratribus per modum eleemoſynę pro ſuſtentatione Fratrum inibi degentium, ac firmiori obſervatione hujuſmodi fundationis, ac cum onere, quod Fratres dictę domus ex tunc deinceps Miſſam quotidianam hujuſmodi celebrare, & lampadem accenſam perpetuo conſervare deberent, donaverit, ſeu eidem domui univerit, annexuerit, & incorporaverit, ita quod, cedente, vel decedente, dictum beneficium tunc obtinente, liceret eiſdem Priori, & Fratribus corporalem poſſeſſionem beneficii, juriumque, & pertinentiarum omnium ejuſdem propria auctoritate libere apprehendere, dictamque Miſſam quotidianam per ſe, vel alium, ſeu alios regulares, vel ſeculares, Presbyteros celebrare, vel celebrari facere, & de ipſius fructibus, redditibus, & proventibus diſponere, ac in dictę domus, ſeu illius ſacriſtię uſus, & utilitatem convertere, cujusvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, prout in literis authenticis ipſius Johannis Epiſcopi, deſuper confectis, dicebatur plenius contineri. Et pro parte tam Epiſcopi, Capituli, & Patronorum, aſſerentium fructus, redditus, & proventus beneficii quatuor marcarum argenti puri ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedere, & Sacriſtię prędictorum nullos eſſe, ac in poſſeſſione dicti beneficii exiſtere, quam Prioris, & Fratrum Prędicatorum eidem Predeceſſori humiliter ſupplicato, ut beneficium hujuſmodi eidem Sacriſtię pro luminaribus, & ornamentis, ac aliis illius neceſſitatibus perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaretur; idem Prędeceſſor, qui dudum inter alia voluerat, quod ſemper in unionibus vocarentur, quorum intereſſet, Priorem, & Fratres prędictos, ac eorum ſingulos, a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & penis &c. abſolutos fore cenſens, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, voluit, & conceſſit ſub data Kal. Martii, Pontificatus ſui Anno Octavo, certis judicibus dari in mandatis, ut, ſi ita eſſet, beneficium predictum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis de conſenſu quorum intererat, eidem Sacriſtię auctoritate Apoſtolica perpetuo unirent, annecterent, & incorporarent, ita, quod liceret Priori, & Fratribus pręfatis per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem be-

beneficii, Juriumque, & pertinentiarum prędictorum propria auctoritate de novo libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac illius fructus, redditus, & proventus hujuſmodi in dictę Sacriſtię uſus, & utilitatem pro pręmiſſis convertere, cujusvis licentia ſuper hoc minime requiſita; Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac voluntate Prędeceſſoris hujuſmodi &c. quibuſcunque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi &c. literas impetraſſent &c. quas quidem literas &c. idem Prędeceſſor ad Beneficium hujuſmodi voluit non extendi &c. ac quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis &c. quorumcunque tenorum exiſterent, per quę literis ipſius Prędeceſſoris, ſi ſuper hoc confectę fuiſſent &c. effectum earum impediri valeret &c. Proviſo quod dictum Beneficium debitis propterea non fraudetur obſequiis &c. idem enim Prędeceſſor ex tunc irritum decrevit, & inane, ſi ſecus a quoquam &c. contingeret attentari. Ne autem de abſolutione, voluntate, & conceſſione prę-fatis, pro eo quod ſuper illis ipſius Prędeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, literę confectę non fuerunt, valeat quomodolibet hęſitari, ipſique Prior, & Fratres illarum fruſtrentur effectu, volentes, & auctoritate Apoſtolica prędicta decernentes, quod abſolutio, voluntas, & conceſſio Prędeceſſoris hujuſmodi perinde a dicta die Kal. Martii ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Innocentii Prędeceſſoris literę ſub ejuſdem diei data confectę fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodque pręſentes literę ad probandum plene abſolutionem, voluntatem, & conceſſionem Prędeceſſoris hujuſmodi ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur, diſcretioni veſtrę &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi eſt ita, beneficium prędictum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis eidem Sacriſtię pro pręfatis oneribus ſupportandis perpetuo unire, annectere, & incorporare curetis juxta voluntatem, & conceſſionem Innocentii Prędeceſſoris antedicti. Non obſtantibus omnibus ſupradictis. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Septimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Aquenſ.*) *Aquiſgranenſi* ſcilicet, vulgo *Aix la chapelle in Germania.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXX fol.* 221.

Ne Cœnobium conſtituatur in Oppido Coppeti (1).

Anno 1492 Die 1 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

IV.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

SAcrę Religionis ſinceritas, in qua dilecti filii Prior Generalis, & Fratres Ordinis Prędicatorum ſub voluntarię paupertatis habitu, militantes, in humilitatis ſpiritu devotum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum &c. (3) Sane pro parte dilectorum filiorum Joachini, Prioris Generalis, & Definitorum dicti Ordinis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum alias bonę memorię Johannes Archiepiſcopus Tarantaſien. pro executore quarundam literarum Apoſtolicarum, ad inſtantiam dilecti filii Amedei (4) de Viriaco, Domini temporalis loci etiam de Viriaco, Gebennen. Diœceſis, impetratarum, ſe gerens, eidem Amedeo conſtruendi, & ędificandi apud locum Coppeti dictę Diœceſis, unam novam Domum ejuſdem Ordinis cum Eccleſia, campanili, & ſacriſtia, ac aliis officinis inibi neceſſariis pro habitatione perpetua aliquorum Fratrum dicti Ordinis licentiam conceſſiſſet, ipſeque Amedeus Domum eandem ędificari facere procuraret, pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum dictę Domus S. Dominici extra muros Gebennen. in quorum non modicum pręjudicium conſtructio dictę novę Domus cedebat, ſentientium exinde indebite ſe gravari, fuit ad Sedem Apoſtolicam appellatum, ipſique Prior, & Fratres dictę Domus S. Dominici ſuper appellatione hujuſmodi Apoſtolicas ad dilectum filium Petrum Ferodi Canonicum Eccleſię Gebennen., & certos alios eis in hac parte collegas ſub certis modo & forma tunc expreſſis, literas impetrarunt, & illarum vigore fecerunt dilectum filium Jacobum Franconis tunc pro Priore dictę Domus ſe gerentem in cauſa appellationis hujuſmodi coram dicto Petro ad judicium evocari. Et deinde, poſtquam in Capitulo Generali, juxta morem dicti Ordinis in illis partibus celebrato, per Priorem Generalem prędictum, & alios Fratres in dicto Capitulo prꝑſidentes, attenta exilitate, & incommoditate loci, prope quem prędicta S. Dominici, & plures alię Domus prędicti, & aliorum Ordinum Mendicantium exiſtunt, unanimiter ordinatum fuerat, quod eadem Domus de novo conſtrui cępta a Fratribus dicti Ordinis Prędicatorum dereſereretur, neque amplius ędificaretur, aut conſtrueretur, dictuſque Generalis ipſum Jacobum, & nonnullos alios Fratres cum eo commorantes, ut ab eodem loco, infra certum tunc expreſſum terminum diſcederent, & ad primęvas eorum Domos redirent, ſub excommunicationis latę ſententię, & incarcerationis pœnis, per ſuas certi temporis literas inter alia monuerat, & mandaverat eiſdem. Quidam alter etiam pro Priore ejuſdem novę Domus ſe gerens, & alii Fratres prędicti quaſdam literas in forma Brevis a felicis recordationis Innocentio PP. VIII Prędeceſſore noſtro, per quas, dilecta in Chriſto filia nob. Muliere Blanca (5) Duciſſa Sabaudię eidem Prędeceſſori, ſuper hoc ſupplicante, dictum Priorem Generalem requiſivit, & hortatus eſt, ne conſtructionem dictę novę Domus impediret, ſed quod ipſi Fratres in eadem nova Domo, pacifice permanere valerent, attentius provideret, obtinuerunt; quarum prętextu idem Prior Generalis volens ejuſdem Prędeceſſoris, ut tenebatur, obedire mandatis, literas, proceſſus, & cenſuras quaſcunque ſuper hoc contra prędictos Fratres emanatas, per quaſdam alias ſuas etiam certi tenoris literas, inter cetera caſſavit, & annullavit, dictiſque Fratribus, ut eandem Domum ędificare, & ampliare poſſent, licentiam, & facultatem conceſſit. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, conſtructio, & ędificatio novę Domus hujuſmodi, in maximum dicti Ordinis Prędicatorum pręjudicium, & prꝑſertim dictę Domus S. Dominici extra dictos muros Gebennen. cedat, & propterea provida, & matura examinatione prꝑcedente ſtatutum, & de-

Diplomatis cauſa.

& definitum fuerit, ne eadem nova Domus ulterius ędificaretur, ſed ut locus ipſe totaliter ab eodem Ordine Prędicatorum, & illius Fratribus dereſereretur, ne ſuper hoc ipſe Ordo, ulteriores expenſas, & gravia damna incurrere habeat, & ne illius Fratres ea occaſione litibus involvi cogerentur, pro parte, tam Generalis, quam Definitorum, & intra Lauſanen., ac extra Gebennen. muros, Domorum hujuſmodi Priorum prędictorum, & Fratrum Domorum earundem, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ordinationi, & Definitioni ſuper hoc in dicto Capitulo Generali factis prędictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in premiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Ordinem prędictum, & illius perſonas a noxiis pręſervari cupimus, ſingularum literarum prędictarum, necnon ordinationis, & definitionis in dicto Capitulo factarum, veriores tenores, necnon ſtatum cauſę hujuſmodi pręſentibus pro expreſſis haberi volentes, cauſamque ipſam ad Nos harum ſerie advocantes, & litem penitus extinguentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ordinationem, & definitionem predictas, ac prout illas concernunt, omnia, & ſingula in literis, ſeu in ſcripturis, vel actis ſuper hoc confectis contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ac prędentis ſcripti patrocinio communimus, ac robur perpetuę firmitatis obtinere debere, decernimus, ac omnibus, & ſingulis Fratribus dicti Ordinis, ne contra ordinationem, & definitionem hujuſmodi, deinceps aliquid attentare, aut facere pręſumant, ſub excommunicationis ſententia, eadem auctoritate per pręſentes inhibemus, non obſtantibus pręmiſſis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę voluntatis, advocationis, extinctionis, approbationis, confirmationis, communitionis, decreti, & inhibitionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Kalendis Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Coppeti.*) In *Sabaudia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro V fol.* 229.
3. *Famulatum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Amedei.*) Aliis *Amadei*.
5. *Blanca.*) *Maria Sforcia*, quæ nupſerat *Philiberto I* Duci *Sabaudiæ*.

Anno 1492 Die 1 Septembris.

De non conſtruendo Coppeti (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

V.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Lugdunen., & Gebennen., ac Lauſanen. Officialibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie ordinationem, & definitionem per dilectos filios Priorem Generalem, & Definitores Capituli Generalis Ordinis Prędicatorum, tunc in partibus illis celebrati factas, ſeu ordinatas, ne quędam domus pro uſu, & habitatione, Fratrum dicti Ordinis per dilectum filium Amedeum de Viriaco Dominum temporalem loci etiam de Viriaco, Gebennen. Diœceſis, apud locum Coppeti, ulterius ędificaretur, ſeu conſtrueretur, auctoritate Apoſtolica approbavimus, & confirmavimus, ac robur perpetuę firmitatis obtinere debere decrevimus, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę literę vobis preſentatę fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios, eiſdem Generali, ac Definitoribus, & certis aliis perſonis, in dictis literis expreſſis, de quorum pręjudicio agitur, in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, non permittatis eos per dictos Amedeum, & Fratres, aut quoſvis alios, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtant, contra definitionem, & ordinationem prędictas, ſuper ulteriori conſtructione, & edificatione, novę domus hujuſmodi quomodolibet moleſtari. Contradictores &c. Non obſtantibus omnibus, que in dictis literis voluimus non obſtare, ſeu ſi Amedeo, & Fratribus prędictis &c. ab eadem ſic Sede indultum, quod interdici &c. non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes &c. de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Kalendis Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Coppeti.*) Conſulenda *Conſtitutio præcedens*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro V fol.* 231.

Anno 1492 Die 29 Novembris.

De fundando Monaſterio in Marchionatu de Moyra (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

VI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Officiali Toletan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

EXimię devotionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Andreas Cabrera Marchio, & dilecta in Chriſto filia Lelia nobilis mulier Beatrix de Bona della Ruris contoralis, Marchioniſſa de Moyra, Conchen. Diœceſis, ad Nos, & Romanam Eccleſiam gerere dignoſcuntur, non indigne meretur &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Andreę Marchionis, & Beatricis Marchioniſſę prędictorum, petitio continebat, quod ipſi, cupientes terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, & ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum regularis obſervantię gerunt, cupiant, ad Dei laudem, & Religionis propagationem, ac divini cultus augmentum, unum Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum, regularis

ob-

obſervantię degentium in aliquo loco condecenti, & honeſto eorum temporali Dominio ſubjecto, eorum propriis ſumptibus, & expenſis erigi. Quare pro parte dictorum Andreę Marchionis, & Beatricis Marchioniſſę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in aliquo loco condecenti, & honeſto ſub eorum Dominio temporali exiſtente unam Monaſterium Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini ſub cura dictorum Fratrum degentium erigere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, & Religionis propagationem, ac animarum ſalutem, ſupernis deſideramus affectibus, deſiderium Andreę Marchionis, & Beatricis Marchioniſſę prędictorum, plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in aliquo loco honeſto, & idoneo ſub dominio temporali pręfato conſiſtente, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini, quę ſub cura dictorum Fratrum, de obſervantia reformatorum nuncupatorum, & ſub obedientia Vicarii Generalis Congregationis dictorum Fratrum de obſervantia Provincię Hiſpanię pro tempore exiſtentis, vivant, ſub invocatione, de qua ipſis Marchioni, & Marchioniſſę videbitur, cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, horto, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione perpetuis Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini, ſub dicta cura degentium, ſi Andreas Marchio, & Beatrix Marchioniſſa prędicti, expenſas propterea neceſſarias facere, dictumque Monaſterium ſic erigendum, redditibus ad illius Abbatiſſę, & Monialium pro tempore, congruam ſuſtentationem, dotare voluerint, auctoritate noſtra, ſine alicujus pręjudicio erigas. Nos enim dicto Monaſterio, poſtquam ſic erectum fuerit, ut pręfertur, ac illius Abbatiſſę, & Monialibus, qui illud pro tempore inhabitabunt, quod omnibus, & ſingulis gratiis, privilegiis, indulgentiis, immunitatibus, & indultis, quibus alia Monaſteria Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini ſub ſimili cura viventium in genere, utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere, libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium de ſpecialis dono gratię indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię &c. ſemper ſalvo, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Tertio Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Facultas.

1. *Moyra.*) In Hiſpania.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro V fol.* 164.

3. *Meretur &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordio.

F. Marianus de Vico poſſit quodcunque Beneficium eccleſiaſticum obtinere.

Anno 1492 Die 28 Decembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

VII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Mariano de Vico Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis zelus, vitę ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut te ſpiritualibus favoribus, & gratiis proſequamur. Hinc eſt, quod Nos, volentes te, pro quo dilectus filius nobilis vir Fredericus de Aragonia Princeps Altamurę, & magnus Regni Sicilię adminiſtrator, aſſerens, te dilectum ſuum fore, Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicavit, pręmiſſorum meritorum tuorum intuitu, favore proſequi gratioſo, teque a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum &c. abſolutum fore cenſentes, pręfati Principis, ac tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tecum, ut quamcunque dignitatem eccleſiaſticam per Clericos ſeculares teneri ſolitam, ſi tibi alias conferatur, aut pręſenteris, vel aſſumaris ad eam, ſeu ad illam inſtituaris, recipere, & retinere, illamque ſimpliciter, vel ex cauſa permutationis, quoties tibi placuerit, dimittere, & loco dimiſſę aliam ſimilem, vel diſſimilem dignitatem per eoſdem Clericos teneri ſolitam, ſimiliter recipere, & retinere libere, & licite valeas, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, quodque Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor exiſtis &c. ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium de ſpecialis dono gratię diſpenſamus. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, & diſpenſationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Quinto Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. III An. I fol.* 20. Idem conceſſum nonnullis aliis Fratribus, videlicet.

F. Paulo Sanr. Conſtitutio ſic incipit: *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Paulo Sanr, Ordinis Fratrum Prædicatorum & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Religionis zelus &c. te, quem, ut aſſeritur, dilectus filius nobilis vir Fredericus Marchio Brandeburgen. vigore quarundam aliarum literarum Apoſtolicarum per felicis recordationis Pium PP. II Prædeceſſorem noſtrum quondam Alberto Marchioni ejus genitori, filiiſque ſuis, tunc natis, & naſcituris, conceſſarum in ſuum Confeſſorem elegit, quique apud eundem Fredericum Marchionem ex tunc, de licentia tamen tui ſuperioris permanſiſti, prout adhuc permanes &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Sexto, Quinto Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CIII fol.* 59.

Anno 1496 Die 27 Aprilis.

VIII.

F. Se-

Anno 1496 Die 24 Decembris. IX

F. Sebaſtiano de Laurino, alias de Lamleeo. Conſtitutio ſic incipit: *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Sebaſtiano de Laurino, alias de Lamieeo, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Nos volentes te, qui, ut aſſeris, venerabilis Fratris noſtri Bartholomæi Epiſcopi Callien., Confeſſoris noſtri, Secretarius exiſtis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Sexto, Nono Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib CIII fol.9.*

Anno 1502 Die 27 Auguſti. X.

F. Geraedo Rodati. Conſtitutio ſic incipit: *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gerardo Rodatl Ordinis Fratrum Prædicatorum & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Religionis zelus &c. te, qui, ut aſſeris, in ſeptuageſimo, vel circa, tuæ ætatis anno conſtitutus, & dilecti filii moderni Inquiſitoris hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ Vicarius Generalis exiſtis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Secundo, Sexto Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.CCCVII fol.2.*

Anno 1492 Die 29 Decembris.

In bonorum Raguſini (1) Cœnobii detentores.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii Sanctę Marię de Lacroma extra mueos Raguſin., & Franciſco de Gradis Canonico Eccleſię Raguſin. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Significarunt Nobis dilecti filii Prior, & Fratres Domus Sancti Dominici Raguſin. Ordlnis Pędicatoeum, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorſus ignorant, calices, cruces, miſſalia, bieviaeia, fructus, redditus, peoventus, terras, domos, molendina, poſſeſſiooes, vineas, hortos, campos, peata, paſcua, nemora, ſilvas, arbores, aeboeum fructus, ligna, poſtes, piſces, piſcarias, aquas, aquarum decurſus, vini, bladi, frumenti, hordei, arenę, lini, lanę, cerę, olei, auei, argenti monetati, & non monetati, quantitates, taſſas (3), ſcyphos, coclearia, diſcos, ſcutellas, vaſa aurea, argentea, ęrea, cuprea, ſtannea, ferrea, lignea, pannos laneos, lineos, ſericeos, veſtes, tunicas, fodceaturas, mantellos, caputia, zonas, annulos, peelas, & alia jocalia, lectos, culciteas, linteamina, mappas, manuteegia, domorum utenſilia, eqnos, jumenta, boves, & alia animalia, libros, ſceiptueas publicas, & peivatas, teſtamenta, codicillos, & alia documenta, debita, credita, legata, depoſita, jura, pecuniarum ſummas, & nonnulla alia mobilia, & immobilia bona eiſdem Priori, & Frateibus pro reparatione, & conſervatione dictę Domus, illiuſque Eccleſię, ornameotis eccleſiaſticis, & aliis pro divino cultu inibi neceſſariis, in eleemoſynam pie erogata, & cetera, quę apud bonę memorię Donatum (4) Epiſcopum Tribunienſem, antequam ad Ecclesiam Tribunienſem aſſumeretur, dictę Domus Fratrem exiſtebant, & per ipſos Peiorem, & Fratres, poſtquam ad dictam eccleſiam Teibunienſem aſſumptus fuit, ejus uſibus ad illius vitam, peout juxta ſtatuta dicti Ordinis poterant, deputata, & apud ipſum Epiſcopum tempoee ſui obitus exiſtentia, temere, & malitioſe occultare, & occulte detinere pręſumunt, non cueantes ea Peiori, & Fratribus pręfatis exhibere in animarum ſuarum periculum, ipſorumque Prioeis, & Fratrum, & domus non modicum detrimentum, ſuper qno iidem Prior, & Fratres Apoſtolicę Sedis remedium implorarunt.

Mandatum.

Quo circa diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnes hujuſmodi occultos detentores calicum, crucum, & alioeum bonorum pręditorum ex parte noſtra publice in Eccleſiis coram populo per vos, vel alium, ſeu alios moneatis, ut infra competentem terminum, quem eis pręfixeritis, ea Priori, & Feateibus prefatis, a ſe debita reſtituant, & revelent, ac de ipſis plenam, & debitam ſatisfactionem impendant, & ſi id non adimpleveeint, infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc peremptorie duxeritis pręfigendum, ex tunc in eos geneealem excommunicationis ſententiam proferatis, & eam faciatis, ubi, & quando expedire videritis uſque ad ſatisfactionem condignam ſolemniter publicari, quod ſi non ambo his exequendis potueritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominus exequatur. Datum Romę apud Sanctum Petrum Aono Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Quarto Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Raguſini.*) In ejuſdem nominis Reipublicæ Metropoli.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Raguſino.*
3. *Taſſas.*) Seu pateras.
4. *Donatum.*) *De Georgiis* nuncupatum. Ipſius mentio in *Appendice ad Pontificatum Sixti IV.*

Fra-

Fratres ſint in poſſeſſione bonorum (1) Monaſteriorum Monialibus deſtitutorum.

Anno 1493 Die 8 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Decano Sancti Petri Senioris Argentinen., & in Sarburg ac in Wiſemburg, Spiren. Diœceſis Prępoſitis Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HIs, quę pro commodo, & utilitate religioſorum locorum quorunlibet &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Beatę Marię Wiſemburg Ordinis Prędicatorum, Spiren. Diœceſis, Provincię Teutonicę, ſecundum morem dicti Ordinis, petitio continebat, quod olim pręfato Ordini Apoſtolica fuit auctoritate conceſſum, ut, cum contingeret aliquod Monaſterium Monialium Ordinis Sancti Auguſtini ſub cura, habitu, & inſtitutione Fratrum Prędicatorum degentium, Monialibus deſtitui adeo, ut de eorum reformatione ſpes nulla ſupereſſet, quia convenientius erat, quod illorum ſic deſtitutorum bona ad ipſos Fratres devenirent, quorum erant curę commiſſa, quam ad alios, illa, quę ſic deſtituta erant, & deſtitui contingeret in futurum, cum eorum bonis omnibus perpetuis uſibus Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum applicarentur. Et deinde eum bona mortuarum Monialium Beatę Marię in Wiſemburg, olim membrum Ordinis Sancti Auguſtini, & Diœceſis prędictorum, ſub cura dictorum Fratrum Prędicatorum per aliquot annos, per dilectas in Chriſto filias Prioriſſam, & Sorores dicti Monaſterii manuteneri, & conſervari non poſſent, & adeo ipſum Monaſterinm deſtitutum eſſet, ut de ejus reformatione ſpes nulla haberetur, Prior, & Fratres, ac Prioriſſa, & Sorores pręfati, ad hujuſmodi conventionem inter ſe devenerunt, videlicet, quod bona tam immobilia, quam mobilia, pręter Monaſterium prędictum, in quo quandiu viverent Sorores tunc viventes, debeant habitare, ad domum prędictam devenirent, quanquam Fratres pręfati eiſdem Sororibus ſingulis annis nonnulla tunc expreſſa aſſignare tenerentur. Poſtmodum vero dilectus filius Joachinus Turrianus dicti Ordinis Prędicatorum profeſſor, & Generalis Magiſter pręmiſſa auctoritate ſui Generalatus officii approbavit, & confirmavit, prout in quibuſdam literis authenticis dicti Generalis, & inſtrumentis publicis ſuper hujuſmodi conventionem confectis, plenius dicitur contineri. Quare pro parte tam Prioris, & Fratrum, quam Prioriſſę, & Sororum prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conventioni prędictę, pro illius ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de prędictis certam notitiam non habemus, Priorem, & Fratres, ac Prioriſſam, & Sorores prędictos, eorumque ſingulos, a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſeretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam vobis de pręmiſſis legitime conſtiterit, conventionem prędictam, ac, prout illam concernunt, omnia, & ſingula in Inſtrumentis, & literis prędictis contenta, & inde ſecuta quęcunque, auctoritate noſtra approbare, & confirmare curetis, ſuppleatiſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Seeundo (3), Sexto Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo. Mandatum.

1\. *Bonorum*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2\. *Archivo*.) In quo Exemplar es *Archivo Apoſtolico Libro XLIX fol.* 247.

3\. *Nonageſimo Secundo*.) Stylo Bullarum, ęrę communis MCCCCXCIII.

Undecim Conventus Terræ Laboris (1) curæ Congregationis Lombardiæ committit.

Anno 1493 Die 25 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XIII.

Dilectis filiis Pręſidentibus, & Prioribus Congregationis Lombardię.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes Congregationem Lombardię Ordinis Prędicatorum, ad quam ſpecialem devotionem gerimus, ubique, annuente Domino, propagari, ac feliciora incrementa ſuſcipere, vobis in virtute Sanctę Obedientię mandamus, ut curam undecim Conventuum reformandorum Terrę laboris; videlicet Sancti Dominici, Sancti Petri Martyris, & Sancti Spiritus Neapolitan., Conventus Salernitani, Pedemontis, Fundenſis, Cajetani, Sueſſani, Capuani, Averſani, & Arrientii (3) intra Menſem a die receptionis pręſentium computandum ſuſcipere, illiſque de Prioribus, & aliis Officialibus, juxta morem dictę Congregationis providere debeatis. Nos enim eiſdem Conventibus, poſtquam eos ſub veſtra cura ſuſceperitis, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, pręrogativis, gratiis, conceſſionibus, & indultis, quibus alii, dictę Congregationis Conventus reformati, utuntur, potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere valeant, tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, Ordinationibus Apoſtolicis, pręſertim quadam Bnlla per felicis recordationis Paulum Papam II Prędeceſſorem noſtrum deſuper edita, qua caveri dicitur, ne dicta Congregatio alicujus Conventus curam de-

man-

mandato Sedis Apoſtolicę ſuſcipere teneatur, niſi binis, aut ternis literis ſibi replicatum fuerit; necnon quibusvis privilegiis per Sedem prę fatam dictę Congregationi conceſſis, ceteriſque contrariis quibuſcunqne. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXI Januarii MCCCCXCIII Pontificatus noſtri Anno Primo.

5. *Terra Laboris*.) In *Regno Neapolitano*.
6. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum. Legitur etiam in *Bullario Bononienſi pag.* 51. Authographum aſſervatur *Bononiæ*.
7. *Arrientii*.) Seu *Arientii*, vulgo *Arienzo*. Nunc juris eſt Provinciæ *Sanitatis*.

Anno 1493 Die 22 Februarii.

Montis Cerignonis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIV.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Franciſco de Arimino, Canonico Eccleſię Feretran. (3), & Vicario ven. Fratris noſtri Epiſcopi Feretran. in ſpiritualibus, Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem,

Supplex petitio.

Piis fidelinm votis, illis preſertim, quę religionis propagationem, Divinique cultus augmentum, & animarum ſalutem reſpicinnt libenter annuimus &c. (4). Sane pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis Oppidi Montis Cerignonis, Feretran. Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſi, ob ſingularem, quem ad Fratres Ordinis Prędicatorum, ob eorum bonos, & exemplares mores, ac vitę ſanctimoniam, necnon uberes fructus, quos continue prędicationibus Verbi Dei, & aliis bonis eorum operibus, afferunt, gerunt devotionis affectum, ſummopere deſiderant, de propriis eorum bonis in oppido prędicto, in quodam loco, in quo eſt quędam imago B. Marię Virginis devotiſſima, unam Domum cum eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, cęmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis conſtruere, & ędificare, ſi eis ad hoc Apoſtolicę Sedis auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte dictę Univerſitatis, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis Domum prędictam in dicto loco pro uſu, & habitatione Fratrum prędictorum conſtruendi, & ędificandi, licentiam concedere, aliaſque in prę miſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, pium, & laudabile propoſitum dictę Univerſitatis, plurimum in Domino commendantes, eoſque, & eorum ſingulos a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum eidem univerſitati, unam Domum cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum prędictorum, ſine alicujus prejudicio conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, ac dilectis filiis Generali, & Provinciali dicti Ordinis Provincię Lombardię, ſecundum morem Ordinis ejuſdem, aliiſque Fratribus dicti Ordinis, Domum ipſam recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam auctoritate noſtra largiamini, jure tamen parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore preſentium concedi contigerit, ut prę fertur, eidem Domui, necnon Fratribus, qui illam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis gratiis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, & indultis aliis Domibus, & Fratribus dicti Ordinis per Sedem Apoſtolicam in genere conceſſis, & concedendis in poſterum, uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & debeant auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpecialis dono gratię indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri prohibente &c. ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. Quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo (5), Octavo Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Facultas.

1. *Montis Cerignonis*.) *Ginguneuſis* ſcilicet, vulgo *Monte Cerugnone*, ſeu *Monte Cenagnone*, in *Urbinatenſi* Ducatu *Italiæ*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XI fol.* 19.
3. *Feretran*.) Vulgo *Monte Feltre*, in ejuſdem nominis Comitatu *Italiæ*, in *Urbinatenſi* Ducatu.
4. *Annuimus &c*.) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Nonageſimo Secundo*.) Stylo Bullarum, æra communis *MCCCCXCIII*.

Anno 1493 Die 26 Februarii.

Vicarius Congregationis Lombardiæ curam gerat Aquilani (1) Cœnobii S. Dominici.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XV.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Sedis Apoſtolicę gratioſa benignitas piis fidelium, ſub Religionis habitu Domino militantium, votis libenter annuit, & honeſtis ſupplicum precibus favorem benevolum impertitur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Camerarii, & quinque Artium Civitatis Aqnilan., petitio continebat, qnod etſi dudum felicis recordationis Pio Papę II, Prędeceſſori noſtro pro parte Camerarii, & quinque Artium Populi Civitatis Aqnilan. prędictorum expoſito, quod ipſi ob ſingularem, quem ad Congregationem Fratrum Ordinis Prędicatorum de obſervantia Provincię Lombardię ſecundum morem dicti Ordinis, gerebant devotionis affectum, & ex certis aliis rationabilibus cauſis, ad id animos eorum inducentibus, Domum S. Dominici ejuſdem Civitatis, quę juxta morem, & obſervantiam Domorum ejuſ-

ejuſdem Ordinis, Provincię Tuſcię ſecundum morem prędictum, reformata extiterat veteri regimini Vicarii Fratrum Provincię Lombardię prefatę ſubiici deſiderabant, idem Prędeceſſor ipſorum Camerarii, & quinque Artium ſupplicationibus inclinatus, Domum prefatam, necnon Fratres in ea pro tempore degentes, curę, & regimini tunc, & pro tempore exiſtentis Vicarii Congregationis prędictę Provincię Lombardię auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, per quaſdam ſuas literas ſubjecerit, & ſubjectos de cetero ſtatuerit, decreverit, & declaraverit, & mandaverit eidem Vicario in virtute Sanctę Obedientię ſub excommunicationis pęna, ipſo facto, ſi contrafaceret, incurrenda, prout antea per alias ſuas literas in forma Brevis ei mandaverat, ut Domum Aquilan. prędictam ſub ſuis cura, & regimine hujuſmodi acceptaret, & apprehenderet, illamque, & ejus Fratres prędictos more aliarum Domorum Ordinis, & Provincię Lombardię prędictorum regeret, & gubernaret, necnon juxta, & ſecundum morem, & obſervantiam dictę Congregationis, quoties opus foret, reformaret, ſeu regi, gubernari, & reformari faceret, & procuraret, prout in ipſis prędictis literis, deſuper confectis, plenius dicitur contineri. Et poſt datam dictarum literarum, Vicarius prefatus, qui tunc erat, illis parendo, Domum prędictam Aquilan., & in ea degentes Priorem, & Fratres dicti Ordinis ſub cura, & directione ſua receperit, & juxta morem dictę Congregationis regere, & gubernare curaverit per annos quindecim, vel circa, nihilominus idem Vicarius a decem annis proxime decurſis, citra, vel circa, Domum prefatam Aquilan., & illius Fratres deſeruit, & de retinenda Fratrum directione, & regimine, ſe amplius impedire noluit, & recuſavit, ac recuſat in non modicum devotionis populi ad Domum ipſam diminutionem, & non ſine animarum periculo. Quare pro parte Camerarii, & quinque Artium Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Vicarium prędictum ad reaſſumendam domum predictam Aquilan., & in ea pro tempore degentes Priorem, & Fratres ſub ejus cura, & directione, compelli mandare, aliaſque in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dignum cenſentes, & debitum, ut in ſingulis locis eccleſiaſtica religione conſpicuis, inviolata vigeat obſervantia regularis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Vicario Congregationis, & Provincię Lombardię prefato, & pro tempore exiſtenti, in virtute Sanctę Obedientię, & ſub excommunicationis latę ſententię pęna, in dictis literis contenta, per eum ſi non paruerit, eo ipſo incurrenda, mandamus, quatenus Domum prędictam Aquilan., & in ea nunc, & pro tempore degentes Priorem, & Fratres ſub ſuis cura, & directione, ſub qua per dictos quindecim annos, ut prefertur, permanſerunt, reaſſumat, & eos regat, dirigat, & reformet, prout ſecundum Deum, & ſalutem animarum viderit expedire. Et nihilominus dilectis filiis Sancti Juſti, & Sancti Martialis Prepoſitis, & Archipresbitero Sanctę Marię de Vodio Collegiatarum Eccleſiarum Aquilan. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios in premiſſis Priori, & Fratribus dictę Domus Aquilan. efficaci preſidio aſſiſtentes, eundem Vicarium ad reaſſumendum Domum prędictam Aquilan., & in ea degentes, nunc, & pro tempore Priorem, & Fratres predictos, illoſque regendum, & dirigendum juxta earundem prędictarum literarum continentiam, atque formam, & prout ſolitus erat antequam curam hujuſmodi dimitteret, ut prefertur, auctoritate noſtra compellant, contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus premiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon illis, quibus caveri dicitur expreſſe, quod Vicarius prefatus aliquam Domum dicti Ordinis ſub cura, regimine, & directione ſua de novo recipere nullatenus debeat, & mandatis Apoſtolicis ei ſuper hoc factis parere non teneatur iiſdem, & quoties id ſibi per diverſa Brevia mandaretur, quibus, illa, etiamſi de eis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum, ſeu quęvis alia expreſſio habenda eſſet, preſentibus pro expreſſis habentes, quoad premiſſa, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, Vicario, & Congregationi Lombardię prefatis conceſſis privilegiis, & literis Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Congregationis Lombardię prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque, ſeu ſi Vicario prefato, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo, ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo (3), Quarto Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo,

Mandatum.

1. *Aquilan.*) Conſulenda *Conſtitutio XXXVIII Pii II.* Legitur *pag.* 415 *III* Tomi.
2. *Archivo.*) In Bullario *Bononien. pag.* 50.
3. *Nonageſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXCIII*.

Quoddam Hoſpitale Florentinæ Diœceſis unitur Societati (1) S. Petri Martyris.

Anno 1493 Die 19 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

IN cordis deſideriis gerimus, ut tenemur, ut per noſtrę proviſionis auxilium, Hoſpitalia, & alia pia loca, bene, & fideliter gubernentur, eorumque bona diligenter conſerventur. Sane pro parte dilectorum filiorum Priorum, & Capitaneorum Societatis S. Petri Martyris nuncupatę S. Marię Novellę Florentin., Ordinis Prędicatorum, per felicis recordationis Eugenium PP. IV, Prędeceſſorem noſtrum, perpetuo unitę, annexę, & incorporatę, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſi Priores, & Capitanei, qui patroni Hoſpitalis pauperum, ſiti infra limites Parochię Parochialis Eccleſię S. Michaelis de Caſtello Plebanatus S. Stephani in pane, Florentin. Dięceſis, fore noſcuntur, formidant ſi Hoſpitale prędictum, quod dilectus filius Gabriel Dominici de Florentia dicti Ordinis profeſſor, ad prę-

Diplomatis cauſa.

prę́ſens gubernat, & in quo Hoſpitalitas hactenus laudabiliter ſervata fuit, & continue obſervatur, ad manus aliarum perſonarum, quam dictę Societatis, prefato Gabriele cedente, vel decedente, deveniret, ne ſtructurę, & ędificia hujuſmodi Hoſpitalis ad ruinam devenirent, & Hoſpitalitas in eo negligeretur, ejuſque poſſeſſiones, & bona diſſiparentur, & dilapidarentur, quod profecto in divinam offenſam, ac detrimentum, & jacturam pauperum ad illud confluentium cederet. Verum, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi dictum Hoſpitale Menſę Communi dictę Societatis perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur ita, quod per eoſdem Societatem, aut aliquem Rectorem, ad id per eos pro tempore deputandum, perpetuo regeretur, & gubernaretur, profecto hoſpitalitas in illo debite manuteneretur, ac illud in ſuis ſtructuris, & ędificiis melius conſervaretur, &, dum opus eſſet, repararetur, & reſtauraretur, bonaque ejuſdem ab illa occupare volentibus deffenderentur, & in uſus, ad quos deputata ſint, fideliter, converterentur. Quare pro parte Priorum, & Capitaneorum aſſerentium, quod fructus, redditus, & proventus ipſius Hoſpitalis ſedecim florenorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum; non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Hoſpitale prędictum eidem Menſę per Societatem prędictam, aut aliquem idoneum, ad id per ipſos pro tempore deputandum, Rectorem regendum, & gubernandum perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Hoſpitalia, & alia pia loca omnia feliciter gubernari, eorumque bona conſervari, & in illis caritatis opera exerceri, ſinceris deſideriis affectamus, quique dudum inter alia voluimus, quod ſemper in unionibus commiſſio fieret, ad partes, vocatis quorum intereſſet, Priores, & Capitaneos prefatos, ac eorum ſingulos a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes, necnon fructus, redditus, & proventus dictę Menſę verum annuum valorem pręſentibus, pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Hoſpitale prędictum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis prefatę Menſę per Societatem prędictos, ſeu idoneum ad hoc per eos pro tempore deputandum, Rectorem regendum, & gubernandum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus ita, quod, cedente, vel decedente dicto Gabriele, ſeu Hoſpitale prędictum alias quomodolibet dimittente, liceat eiſdem Prioribus, & Capitaneis per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem Hoſpitalis, juriumque, & pertinentiarum prędictorum propria auctoritate apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus prędictos in uſus pauperum, & infirmorum, ac alias juxta conſtitutiones felicis recordationis Clementis PP. V, Prędeceſſoris noſtri, ſuper hoc editam, convertere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, non obſtantibus voluntate noſtra prędicta, & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis Hoſpitalibus &c. literas impetrarunt, etſi per eas ad inhibitionem &c. quomodolibet ſit proceſſum; Quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſecuta quęcunque, ad ipſum Hoſpitale volumus non extendi &c. & quibuſlibet aliis privilegiis, Indulgentiis, & literis Apoſtolicis &c., & de quibus, quorumque totis tenoribus, de verbo, ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi, dictum Hoſpitale debitis non fraudetur obſequiis &c. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane &c. contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, conſtitutionis, & voluotatis Infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo (3), Quarto decimo Kal, Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Societati.*) Conſulenda *Conſtitutio CCXVII Eugenii IV.* Legitur *pag.* 131 *III* Tomi.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XVIII fol.* 230.
3. *Nonageſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, nec communis *MCCCCXCIII.*

Anno 1493 Die 7 Maii.

Ut Reatini (1) Monaſterii Sorores vota ſolemnia nuncupare poſſint.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVII.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servornm Dei, dilecto filio Johanni de Mazarulo Canonico Reatin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

APoſtolicę Sedis providentia circumſpecta deſideria juſta petentium congruo favore proſequi &c. (3). Cum itaque, ſicut accepimus, dilecta in Chriſto filia Vanutia, Prioriſſa Monaſterii Monialium, per Prioriſſam ſoliti gubernari, S. Agnetis extra muros Reatin. Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum degentium, regimini, & adminiſtrationi dicti Monaſterii, cui prǽeſt, ex certis cauſis ſponte, & libere cedere proponat, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Franciſcę Cervaſi, ac nonnullarum aliarum Sororum ſub habitu dicti Ordinis Prędicatorum, de Tertio habitu nuncupati, petitio continebat, dilectus filius modernus Prior Provincialis Provincię Romanę ſecundum morem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, provide conſiderans, quod dictum Monaſterium erat Monlalibus deſtitutum, & in eo, duę, aut tres duntaxat Moniales, quarum una ex eis eſt dicta Prioriſſa, remanſerant, Franciſcam, & alias Sorores prędictas, in dicto Monaſterio introduxerint, ipſeque ſic introductę Sorores, poſtmodum in prefato Monaſterio, cum Prioriſſa, & aliis Monialibus prędictis habitaverint, & ipſarum Sororum de Tertio habitu in prędicto Monaſterio numerus auctus fuerit, & augeatur in dies, & propter paupertatem earum, & inopiam dicti Monaſterii, ſpes nulla ſit, quod illud poſſit de Monialibus dicti Ordinis S. Auguſtini reformari &c. pro parte tam Franciſcę, & aliarum Sororum prędictarum, quam, qui, ut aſſeritur, ad dictas Sorores introductas, ſpe-

ſpecialem gerunt devotionis affectum, dilectorum filiornm Communitatis Civitatis Reatin., aſſerentium fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii duodecim florenorum auri de Camera ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in prędicto Monaſterio, nomen, & titulum Monaſterii, necnon Dignitatem Prioriſſalem, & Ordinem prędictum S. Auguſtini, penitus, & omnino ſupprimere, & extinguere, ipſumque Monaſterium ſic ſuppreſſum, & extinctum eiſdem Franciſcę, & Sororibus Tertii habitus bujuſmodi, inibi in communi ſub unius Prioriſſę obedientia vivere, ac paupertatis, Caſtitatis, & obedientię vota ſubſtantialia Regularis vitę, emittere volentibus, pro Domo Sororum hujuſmodi concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur votis ipſius Vanutię in hac parte favorabiliter annuentes, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus ab ipſa Vanutia, vel Procuratore ſuo ad hoc ab ea ſpeciale mandatum babente, ceſſionem bujuſmodi, ſi illam in manibus veſtris ſponte, & libere facere voluerit, ut pręfertur, auctoritate noſtra, hac vice duntaxat recipias, & admittas, eaque per te recepta, & admiſſa, nomen, & titulum Monaſterii, ac Dignitatem Prioriſſalem, necnon Ordinem S. Auguſtini bujuſmodi inibi ſupprimere, & extinguere, & ſi ſuppreſſionem, & extinctionem hujuſmodi, per te vigore pręſentium fieri contigerit, Monaſterium prędictum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Franciſcę, & aliis Sororibus ſub habitu prędicto Altiſſimo inibi famulari, & inibi in communi ſub unius Prioriſſę obedientia vivere, & vota ſubſtantialia, emittere volentibus, pro ipſarum Sororum Domo, & habitatione perpetua concedere, & nihilominus dictę Vanutię, & aliis Monialibus prędictis, quandiu vixerint, habitandi in dicta Domo, ac victum ex redditibus dicti Monaſterii reſervare, concedere, & aſſignare, eadem auctoritate noſtra, procures, ac facias Vanutiam, & alias Moniales prędictas, quoad vixerint, pacifica poſſeſſione, vel quaſi, habitationis, necnon perceptionis, victus, & veſtitus bujuſmodi gaudere, non permittens, eas per Franciſcam, & alias Sorores introductas, ſeu introducendas, deſuper quomodolibet moleſtari. Contradictores per Cenſuram eccleſiaſticam &c., non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque, aut ſi Franciſcę, & Sororibus prędictis, vel quibuſvis aliis, communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Literas Apoſtolicas non facientes, plenam, & expreſſam, ac de verbo, ad verbum de indulto bujuſmodi mentionem; attente quoque provideas, ne in ceſſione hujuſmodi, ſi fiat, ex parte Vanutię, & Franciſcę, ac aliarum Sororum prędictarum, aliqua ſimoniaca pravitas interveniat. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Tertio, Nonis Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Facultas.

Nota.

1. *Reatini*.) Vulgo *Rieti*, in *Umbria*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXI fol. 175.*
3. *Proſequi &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Indulgentia plenaria conceſſa viſitantibus Sacellum S. Thomæ ſitum in ædibus ſacris S. Mariæ ſupra Minervam de Urbe.

Anno 1493 Die 19 Maii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XVIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUm pręcelſa meritorum inſignia, quibus Cęlorum Regina Virgo Dei Genitrix Glorioſa, Sedibus pręlata ſydereis, quaſi ſtella matutina perrutilat, devotę conſiderationis indagine perſcrutamur. Dum etiam intra pectoris arcana revolvimus, quod ipſa, utpote mater miſericordię, pietatis amica, & humani generis conſolatrix, pro ſalute fidelium, qui delictorum onere pergrsvantur ſedula exoratrix, ac pervig l ad regem, quem genuit, intercedit, dignum, quin potius debitum arbitramur, ut Capellas in honorem ſui Sacratiſſimi Nominis dicatas, gratioſis remiſſionum proſequamur impendiis, & indulgentiarum muneribus decoremus. Cupientes igitur, ut Capella Annunciationis B. Marię, & S. Thomę de Aquino, in Eccleſia Domus ejuſdem S. Marię ſuper Minervam de Urbe Ordinis Prędicatorum per ven. Fratrem noſtrum Oliverium (2) Caraffam (3) Epiſcopum Sabinen. S. R. E. Cardinalem Neapolitan. ex ſua pia erga eandem Virginem devotione, de propriis bonis ejus, opere quidem ſumptuoſo, fundata, ac ſufficienter dotata, & ornamentis Eccleſiaſticis plurimum decorata, congruis freqnentetur honoribus, Chriſtique fideles, eo libentius devotionis cauſa erga eandem Capellam confluant, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius ſe conſpexerint refectos, de Omnipotentis Dei Miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui Capellam prędictam, ad quam Nos perſonaliter pro noſtra devotione acceſſimus, in Nativitate ejuſdem S. Marię, & ipſius S. Thomę feſtivitatibus a primis Veſperis, uſque ad occaſum Solis diei ſequentis ſingularum Feſtivitatum earundem, devote viſitaverint annuatim Plenariam omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, Indulgentiam, & remiſſionem, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium elargimur, pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Tertio, Decimo quarto Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Exordium.

Indulgentia.

Nota.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar inter monumenta Cœnobii *Minervitani*.
2. *Oliverium*.) De quo conſulendus *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II in Paulo II.*
3. *Caraffam*.) Gens eſt percelebris quæ nunc etiam floret.

Anno 1493 Die 22 Maii.

Florentinum Cœnobium (1) S. Marci diſtrahitur a Congregatione Lombardiæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus S. Marci Florentin. Ordinis Fratrum Prędicatorum.

XIX.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. EXigit veſtrę devotionis affectus, necnon Religionis zelus, ut petitionibus veſtris quibus poſſitis Deo quietiori mente ſervire, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut Nobis nuper tam pro parte veſtra, quam dilectorum filiorum Communitatis Florentinę expoſitum fuit, Vos, qui alias ſub Protectore, & Magiſtro Generali Ordinis veſtri Fratrum Prędicatorum exiſtebatis, & proceſſu temporis, cum vos, ac Domum veſtram, dilectorum filiorum Congregationis Lombardię dicti Ordinis gubernationi tantummodo commendaviſſetis, poſt aliquantum temporis Prior quidam tunc ipſius Domus veſtrę prętextu quarundam Literarum Apoſtolicarum in forma Brevis, per eum a Sancta Sede Apoſtolica obtentarum, & clam vobis impetratarum, ipſo tantum, & uno, aut forſan paulo pluribus illius Fratribus conſciis, ſecumque conſentientibus, dictę Congregationi, ac illius Superioribus, & inſtitutionibus vos, & Domum veſtram ſubjicere attentavit: cupiatis, ut Deo quietius poſſitis famulari, & alias ex certis cauſis a prędictis Congregatione, & Pręſidentibus, illiuſque inſtitutionibus, & ordinationibus eximi, & liberari; Nos veſtris, & Communitatis prędictorum, Nobis pro vobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, ex premiſſis, & aliis veſtro nomine Nobis expoſitis cauſis, in hac parte, ſupplicationibus inclinati, vos, & Domum veſtram predictam, illiuſque Priorem, & Fratres nunc, & pro tempore exiſtentes, a dictis Congregatione, necnon Pręſidentibus, Definitoribus, ſeu etiam Officialibus, ac Superioribus quibuſcunque nunc, & pro tempore exiſtentibus, eorumque Viſitatione, ſuperioritate, pręceptis, cenſuris, aſſignationibus Fratrum factis, aut faciendis, auctoritate Apoſtolica, pręſentibus perpetuo eximimus, & liberamus: Itaut ipſi Pręſidentes, vel Congregationis hujuſmodi ſuperiores nullam in vos, aut aliquem veſtrum juriſdictionem, vel ſuperioritatem exercere poſſint; ac vos, & Domum veſtram prędictam ſub Protectoris, & Magiſtri Generalis dicti Ordinis, & ab ipſo Magiſtro pro tempore confirmandi Prioris, curę, viſitationi, ac ſuperioritati perpetuo ſubjicimus. Ita ut his, & non aliis ſitis immediate ſubjecti: Et in Priorem iſtius Domus pro tempore electus ab ipſo Magiſtro Generali pro tempore exiſtente confirmari debeat, ſic tamen, ut ſingulis annis die ipſa ſuę electionis intelligatur abſolutus: & alter, vel etiam idem opportuno tempore eligatur: concedentes Fratribus dictę Domus, nunc exiſtentibus, & qui ad alias Domos Ordinis, & Congregationis prędictorum, & aliquot aliis Fratribus dictę Congregationis, qui ex aliis Domibus ad ipſam Domum tranſmiſſi ſunt: quod ſi ipſius domus ſic ad alienas Domos tranſmiſſi, ad eandem Domum redire voluerint, per vos, de conſilio ſeniorum Fratrum dictę domus recipi, & ipſi quacunque contradictione Pręſidentum, & Officialium dictę Congregationis non obſtante ad ipſi (3) Domum: ipſi vero aliquot Fratres aliarum domorum prędictę Congregationis in ipſa domo veſtra exiſtentes, ad ipſam domum veſtram pertinere, & in ea de conſilio ſeniorum permanere: inſuper etiam licentia veſtra non petita ad Domos Congregationis prędictę redire libere, & licite valeant; decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quocunque, quacunque auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis: necnon Congregationis, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ac quibuſdam excommunicatoriis felicis recordationis Pauli II impetratis a dicta Congregatione contra Fratres recedentes ab ea, ſub Bulla Aurea expeditis, & aliis Sixti IV Romanorum Pontificum, Prędeceſſorum noſtrorum Literis, quibus, etiamſi de illis, de verbo ad verbum, illarum toto tenore, non autem per clauſulas generales, etiam mentionem ſpecialem importantes, ſpecifica, & individua mentio habenda erunt, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus; & per pręſentes illis ſufficienter derogatum eſſe volumus, atque decernimus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII Maii MCCCCXCIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Nota.

B. Floridus.

1. *Cœnobium*.) Caput eſt Congregationis, cui a *S. Marco Florentiæ* nomen eſt.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Florentino*.

3. *Ipſi*.) Turbatus locus: legerem: *ipſam*.

Aqui-

Aquilanum (1) Cœnobium S. Mariæ de Populo ſolius Generalis Magiſtri juriſdictionis ſit.

Anno 1493 Die 8 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XX.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati ſecularis, & Collegiatę S. Silveſtri de Petra Valida, Aquilan. Diœceſis, & Apollonio Johannis Canonico Aquilan. Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

PIis ſupplicum votis, illis pręſertim, quę divini cultus augmentum, & ſacrę Religionis propagationem, & ſalutem animarum concernunt &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum communitatia Civium Civitatis Aquilan., petitio continebat, quod cum alias Altiſſimus apud quandam Imaginem glorioſiſſimę Dei Genitricis, ſemper Virginis Marię, prope muros dictę Civitatis conſiſtentem, meritis, & interceſſione ejuſdem Virginis Marię, ut pie creditur, quam plura miracula operaretur, & incolę dictę Civitatis, ac circumvicinorum locorum ad viſitandum, & venerandum dictam Imaginem confluerent in multitudine copioſa, ipſi, qui ad eandem Virginem, ſperantes illius precibus, & interceſſione in eorum neceſſitatibus adjuvari, & Ordinem Fratrum Prędicatorum, ac illius profeſſores, propter eorum laudabiles mores, vitę ſanctimoniam, & verbi Dei prędicationem, aliaque bona opera, quę aſſidue exercent, ſpecialem gerunt devotionis affectum, apud ipſam Imaginem quandam Eccleſiam in ejuſdem Virginis honorem ſub invocatione S. Marię de Populo, necnon quandam Domum pro perpetuia uſu, & babitatione nonnullorum Fratrum dicti Ordinis conſtrui, & ędificari facere inceperunt, & ad perfectionem reducere intendunt, cupiuntque dilectum filium Johannem de Turrone dicti Ordinis profeſſorem, qui inchoationi dictę Domus, favorem, & auxilium pręſtitit, & perfectioni pręſtare ſperat, illi, quam Fratres dicti Ordinis, de licentia Sedis Apoſtolicę receperunt, pręfici in Priorem. Quare pro parte Communitatis prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eundem Johannem in dictę Domus Priorem pręficere, & quod illa, ac pręfatus Johannes, & pro tempore degentes in illa Prior & Fratres Generali Magiſtro Fratrum dicti Ordinis immediate ſint ſubjecti, & ab aliorum Pręlatorum ejuſdem ſuperioritate exempti, ſtatuere, & ordinare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ob ſincerę devotionis affectum, quem Communitas pręfati, ad Nos, & Sedem pręfatam gerere dignoſcuntur, eorum votis, per quę pręſertim commodo, & utilitati Fratrum dicti Ordinis, quos, eorum exigentibus meritis, gerimus in viſceribus caritatis, conſulere, libenter annuimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, prefatum Johannem, ſi ſit idoneus, & aliud Canonicum non obſtat, dictę Domui in Priorem auctoritate noſtra pręficiatis, ac ei, & in ea pro tempore degentibus Priori, & Fratribus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, conceſſionibus, favoribus, & indultis aliis Domibus, & in illis degentibus pro tempore Prioribus, & Fratribus dicti Ordinis per Sedem eandem, vel alias quomodolibet in genere conceſſis, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, dicta auctoritate concedatis, & quod Domus ipſa, & dictus Johannes, ac pro tempore in eadem Domo degentes Prior, & Fratres dicti Ordinis, moderno, & pro tempore exiſtenti Generali Magiſtro Fratrum dicti Ordinis duntaxat immediate, & non alii ſuperiori ejuſdem Ordinis, ſint ſubjecti, pręfata auctoritate ſtatuatis, & ordinetis, ſine prejudicio cujuſcunque, contradictores &c. non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus &c. a Sede pręfata indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi &c. non facientes &c. mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Tertio, Sexto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Aquilanum.*) Vulgo *l'Aquila*, in *Aprutio*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro* XXIII *fol.* 159.
3. *Concernunt &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis a

De reformando Cœnobio S. Severini (1).

Anno 1493 Die 19 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXI.

Dilecto filio Vicario Congregationis Lombardię Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſeu ejus vices gerenti.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

DE miſerabili ſtatu, ad quem devenit Domus S. Dominici Terrę noſtrę S. Severini, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Camerinen. Diœceſis, in ſpiritualibus, & temporalibus, deque reprobis moribus Fratrum dicti Ordinis Conventualium nuncupatorum, qui illam pro tempore inhabitarunt, fide digna relatione, pręſertim univerſitatis prędictorum ſupplicationibus inclinati, Domum ipſam, cum bonis, juribus, & pertinentiis ſuis, Congregationi tuę Fratrum Lombardię dicti Ordinis reformatorum nuncupatorum per te, & pro tempore exiſtentem Vicarium, & Fratres ejuſdem Congregationis, juxta illius ritus,

ritus, mores, & regularia inſtituta dicti Ordinis tenendam, regendam, & gubernandam, aggregamus, Mandatum. unimus, & incorporamus, ac volumus in poſterum, tibi, & pro tempore exiſtenti Vicario dictę Congregationis eſſe ſubjectam, mandantes tibi in virtute ſanctę Obedientię, & ſub excommunicationis latę ſententię pęna, ut per ſe, vel alium, ſeu alios introducas in dicta Domo Fratres tuę Congregationis prędictę, qui juxta ejuſdem Congregationis mores illam ſtudeant reformare, & devotionem incolarum dictę terrę ad illam augere, nec ſuper hoc noſtram ſecundam juſſionem expectes, amoveaſque exinde Priorem, & Fratres, qui in ea degunt de pręſenti, quique tuę Congregationi ſe incorporare noluerint. Contradictores quoſlibet, & rebelles eccleſiaſtica cenſura, &, ſi oportuerit, ſeculari brachio compeſcendo, facultatem concedens. Non obſtantibus conſtitutionibus, ac literis Apoſtolicis, pręſertim quibus caveri dicitur expreſſe, quod Vicarius, & Fratres dictę Congregationis non debeant aliquam Domum Fratrum Conventualium de eorum Fratribus reformare, etiamſi id eis per Sedem Apoſtolicam mandaretur, ſed ſe excuſare apud Sedem ipſam, & illius ſecundam juſſionem expectare; quibus, illarum tenorem, ac ſi de verbo ad verbum inſereretur, pro expreſſo habentes, & contentis in eis clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis fortioribus, hac vice expreſſe derogamus, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel aliis quomodolibet roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris Die XIX Julii MCCCCXCIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *S. Severini.*) *Septempedani* ſcilicet; vulgo *S. Severino*, in *Piceno*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in Bullario *Bononienſi pag.* 52. Autographum aſſervatur *Bononiæ*.

Anno 1493 Die 31 Julii.

De Balurolenſi (1) Cœnobio perficiendo.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario ven. Fratris noſtri Epiſcopi Venuſin. in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOneſtis petentium votis, illis pręſertim, per quę perſonarum ſub ſuavi Religionis jugo degentium commoditatibus conſuli poſſit &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Syndici Univerſitatis & hominum terrę Baluroli, Nuſcan. Diœceſis, petitio continebat, quod olim ipſi devotionis fervore accenſi, unam Domum ſub invocatione B. Marię de Loreto extra, & prope muros dictę terrę, pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum Ordinis Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, cum Eccleſia, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui, & ędificari facere, cuperent, ac ad illius perfectionem continuare intendant, ac illam dicti Ordinis Fratres pro eorum habitatione, jam rite, & canonice receperunt, verum quia eidem Domui, quędam Capella ſub invocatione S. Bernardini, alias per certos Confratres Laicos dictę terrę ędificata, eidem Domui conjuncta eſt, & Syndicus, Univerſitas, & homines pręfati dictam Domum, ſine demolitione dictę Capellę in ſuis ſtructuris, & ędificiis perficere non poſſint, & ſi Capella prędicta, cujus fructus, redditus, & proventus nulli ſunt, eiſdem Syndico, univerſitati, & hominibus concederetur profecto Domus prędicta in ſuis ſtructuris, & ędificiis perfici poſſet, ac cultus Divinus inibi, nec non devotio Univerſitatis, & hominum prędictorum, plurimum augeretur. Quare pro parte, tam Syndici, Univerſitatis, & hominum, quam dilecti filii Prioris dictę Domus, aſſerentium Confratres prędictos, dictam Capellam, alias Priori, & Confratribus dictę Domus, quantum in eis ſit, conceſſiſſe, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Capellam prędictam eiſdem Fratribus, ad effectum illam demoliendi, ac ſtructuras, & ędificia prędicta inibi perficiendi, & ampliandi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, Mandatum. de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de pręmiſſis, certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam tibi de pręmiſſis legitime conſtiterit, & ad id dictorum Confratrum expreſſus acceſſerit aſſenſus, eiſdem Priori, & Fratribus, Capellam prędictam auctoritate noſtra concedas, eiſque illam demoliendi, ac ſtructuras, & ędificia dictę Domus inibi ampliandi, & perficiendi, licentiam dicta auctoritate largiaris, non obſtantibus premiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Tertio, Pridie Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

(Margin: Diplomatis cauſa.)

1. *Balurolenſi.*) Legendum: *Balneolen.*, in Regno *Neapolitano*, ubi civitates de quibus hoc in Diplomate.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XX fol.* 49.

3. *Poſſit &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Anno 1493 Die 7 Auguſti.

F. Matthæus (1) Lullinus fit Inquiſitor Mediolanenſis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Matthęo Lullino Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

COnſiderantes tuę circumſpectionis induſtriam in multis, & arduis ſępius approbatam, ac alia grandia virtutum inſignia, quibus perſonam tuam bonorum dator Altiſſimus decoravit, ea quę gravis ſunt ponderis tibi fiducia committimus, ſperantes firmiter, quin potius pro certo tenentes, quod ad illa

effi-

efficaciter exequenda ferventer intendas, intentum animi dirigas, & operoſę ſolicitudinis ſtudio proſequaris. Hinc eſt, quod Nos qui deſideramus, & in votis gerimus, ut fides Catholica noſtris proſperetur temporibus, & pravitas perverſorum hominum, hęreſeſque, & errores eorundem in Ducatu Mediolanen., & illi vicinarum partium degentium, de finibus fidelium extirpetur, circa extirpationem eandem ſalubriter, & utiliter providere intendentes, te in Ducatu Mediolanen. cum omnibus, & ſingulis immunitatibus, privilegiis, gratiis, & libertatibus Inquiſitoribus dictę pravitatis a jure, vel conſuetudine, hactenus conceſſis in cauſis hęreſum, Inquiſitorem facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, dantes, & concedentes tibi contra omnes dictę pravitatis credentes, fautores, receptatores, & defenſores eorum tam Eccleſiaſticas, quam Seculares, utriuſque ſexus perſonas exemptas, & non exemptas, cujuſcunque etiam dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, necnon infamatos, vel ſuſpectos de hęreſi, procedendi, ac officium Inquiſitoris tibi commiſſum exequendi juxta canonicas ſanctiones, necnon alia faciendi, quę de jure, vel conſuetudine Inquiſitores pravitatis pręd:ctę quomodolibet facere conſueverunt, ſeu etiam potuerunt, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica concedimus facultatem. Per conceſſionem autem hujuſmodi non intendimus poteſtati, ac Juriſdictioni aliorum Inquiſitorum, a nobis, vel aliis ad hoc auctoritatem habentibus deputatorum in aliquo derogare. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Tertio, Septimo Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Matthaus.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Julii II* dicetur. Fuit enim Epiſcopus. Hic unum notandum quod ſcilicet *Lulmus* paſſim cognominatur *Matthaus* noſter uti videre eſt apud *Echard Tomo II Scriptorum Ord. ad an. MDXII pag.25*, ceteroſque ab illo citatos.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.X fol.40.* De nonnullis aliis Inquiſitoribus, ab *Alexandro VI* creatis, hic paucis dicendum. Fidei ſiquidem cenſores conſtituit

FRatrem Johannem Coſard. Conſtitutio ſic incipit: *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Coſard Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes &c. Te in Regno Franciæ &c. Inquiſitorem facimus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto, Kalendis Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.LXI fol.7.* Anno 1494 Die 1 Junii. XXIV.

FRatrem Antonium de Brixia. Conſtitutio ſic incipit: *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio de Brixia Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes &c. Te in Civitate & Diœceſi Brixien., & partibus illis circumvicinis &c. Inquiſitorem facimus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto, Undecimo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro XCV fol.12.* Anno 1494 Die 22 Octobris. XXV.

FRatrem Johannem Brehali. Conſtitutio ſic incipit: *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Brehali Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes &c. Te in Regno Franciæ &c. Inquiſitorem facimus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo, Pridie Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.CXLV fol.91.* Anno 1497 Die 14 Octobris. XXVI.

FRatrem Nicolaum de Certrugos. Conſtitutio ſic incipit: *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao de Certrugos Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſiderantes &c. Te in Regno Franciæ & Ducatu Aquitaniæ, & illi circumvicinis partibus &c. Inquiſitorem facimus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo, Kalendis Octobris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro CXLI fol. 212.* Ejuſdem *Nicolai* mentio in Conſtitutione data die *I* Novembris *MCCCCXCVII.* Sic incipit: *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Albien. & Carcaſſonen.. ac Electen. Officialibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Humilibus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo, Kalendis Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.CLXXIII fol.163.* Anno 1498 Die 1 Novembris. XXVII.

Anno 1494 Die 1 Januarii.

XXVIII.

Ut Septempedanum (1) Cœnobium juris ſit Congregationis Lombardiæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Generali Ordinis Prędicatorum.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LIcet per alias noſtras in forma brevis literas non ſine ſcientia, & conſenſu ven. Fratris noſtri Ol. (3) Epiſcopi Sabinen. Card. Neapolitan., Ordinis tui Prędicatorum Protectoris, Domum, & Conventum Sancti Dominici Terrę noſtrę Sancti Severini Congregationi Fratrum Provincię Lombardię ejuſdem Ordinis de Obſervantia nuncupatorum, per eos tenendum, & gubernandum conceſſerimus, & ipſorum literarum vigore Fratres de Obſervantia prędicti in eadem domo, & Conventu poſiti illam aliquandiu gubernaverint, nihilominus nonnulli Fratres Conventuales, ſicut accepimus, domum, & Eccleſiam prędictas armata ingreſſi manu, Fratres de Obſervantia ejecerunt, & adhuc ibidem fortes reſiſtunt, non abſque rumore, & periculo ſcandali, & quod amplius eſt in damnabile bonorum morum, & Religioſitatis exemplum, & quamvis dilecto filio Provincię noſtrę Marchię Anconitan. Locumtenenti ſuper hoc ad obviandum ſcandalis nuper ſcripſerimus, tamen volentes ea, quę Ordinem veſtrum, & Fratres, ac Conventus veſtros concernunt, recte, & ſancte diſponi, tibi qui onus ejuſdem totius Ordinis ſpecialiter geris, & qui nullo claudus pede incedere debes, per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus totam rem hanc cum pręfato Protectore conferas, & communices, & vocatis atque auditis, qui fuerint vocandi, diſcuſſis bene matureque negotii qualitatibus, & circumſtantiis, quod idem Protector, & tu ſecundum conſcientiam veſtram, quam in Domino oneramus, juſtum, ſanctum, & ſalubrius eſſe, judicaveritis, aut per vos decernatis, & exequamini, aut per literas veſtras fideles, ac authenticas Nobis aperte ſignificetis. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die Prima Januarii MCCCCLXXXXIIII, Pontificatus noſtri Anno (4).

B. Floridus.

1. *Septempedanum.*) Vulgo *San Severino*, in *Piceno*. Juris eſt Congregationis *S. Sabinæ*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Ol....*) *Oliverii*, de quo ſæpius dictum fuit.
4. *Anno.*) Adde *Secundo*.

Anno 1494 Die 23 Januarii.

XXIX.

Lombardiæ Congregationem privilegiis (1) ampliſſimis ornat.

Ex Bullario Caſtellani Parte I pag. 22.

Dilectis filiis Vicario Generali, & Fratribus Congregationis Lombardię.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. INducimur ex commiſſi Nobis deſuper Paſtoralis officii debito ad illa vigilanter intendere, per quę cum animarum quiete, & ſemotis quibuſlibet perturbationibus, gratum, & quietum poſſitis reddere Domino famulatum. Hinc eſt, quod Nos ex pręmiſſis, & certis aliis cauſis, Nobis expoſitis, moti, & inducti, auctoritate Apoſtolica per pręſentes perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, vobiſque, & ſucceſſoribus

Privilegia. veſtris concedimus, quod Generalis Magiſter Ordinis Fratrum Prędicatorum pro tempore exiſtens aliquem in Priorem alicujus Domus iſtius veſtrę Congregationis inſtituere, aut abſolvere, vel Fratres inde amovere non poſſit abſque conſilio, & aſſenſu, Vicarii Generalis pręfatę Congregationis pro tempore exiſtentis, nec Fratres per eundem in poſterum deputandos, ſeu aſſignandos in Domibus locorum Con-

Nota. gregationis hujuſmodi, niſi ubi ſtudium vigeat generale, quo caſu liceat tantum pręfatis, ſeu ſuperioribus dicti Ordinis, ſecundum morem ejuſdem Ordinis, & ejus regularia inſtituta, & pro rata Provinciarum ſibi commiſſarum Fratres Ordinis pręfati ſtudentes idoneos in domibus veſtrę Congregationis deputare, & aſſignare; Alioquin alias quam in caſu pręmiſſo, liceat Prioribus, ſeu Pręſidentibus dictorum Domorum Congregationis pręfatę, ipſos Fratres ſic deputatos, ſeu aſſignatos, ſi eos admittere noluerint, ab eorum domibus, ſi inde recedere noluerint, auctoritate Apoſtolica amovere. Quod ſi dictus Generalis Magiſter aliquam Domum veſtrę Congregationis viſitare voluerit, in hujuſmodi viſitatione, conſilium, & aſſenſus Vicarii Generalis prędicti pro tempore exiſtentis, & etiam decem Priorum ex antiquioribus Domorum Congregationis ejuſdem, vel majoris dictorum Priorum partis habeatur, alioquin ad hujuſmodi viſitationem eum admittere non teneamini. Diſtrictius inhibentes ſub excommunicationis ſententię pęna eo ipſo per contra facientes incurrenda, & a qua pręter quam ab Apoſtolica Sede, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolutionis beneficium obtinere nequeat, ne aliquis pręfati Ordinis Prędicatorum Frater, ſive Laicus, cujuſcunque ſtatus, conditionis, auctoritatis, & pręeminentię fuerit, vel per ſe, vel per alium, directe, vel indirecte aliquam perturbationem, ſeparationem, ſciſſionem, ſeu dimembrationem Domorum, & Fratrum prędictę Congregationis quoquomodo procurare, vel quęrere,

aut

aut facere audeat, & prę ſumat. Ac Fratribus Congregationis prędictę, ne abſque licentia Vicarii Generalis prę fati pro tempore exiſtentis, ab eadem Congregatione recedant, & ad alias Domos, etiam dicti Ordinis, eidem Vicario non ſubjectas quoquomodo ſe transferant, alias excommunicationis ſententiam juxta tenorem quarundam literarum felicis recordationis Pauli Papę II Prędeceſſoris noſtri, ipſo facto incurrant. Et Pręlati, ſeu ſuperiores dicti Ordinis, ad quos declinaverint, ſeu de quorum mandato recepti fuerint, ſuſpenſionem Officiorum ſibi commiſſorum eo ipſo incurrant, ſi ultra triduum dictos Fratres retinuerint, liceatque Prioribus, & Pręſidentibus dictę Congregationis de conſilio ſuorum Patrum diſeretorum, vel majoris partis eorum, predictos Fratres ſic fugitivos a Congregatione prędicta ubicunque eos invenerint, ad clauſtra domorum dictę Congregationis, etiam invitos, revocare, & juxta regularia inſtituta eorum exceſſus corrigere, & punire, invocato, ſi opus fuerit, ad prę miſſa, auxilio brachii ſecularis. Et quia quandoque &c. quod ad fidei, & Religionis chriſtianę fundamentum, defenſionem, & exaltationem profuturum exiſtimamus, oporteatque propterea hęreticę pravitatis Inquiſitores, non ſolum doctrina, ſed etiam vitę ſanctimonia, & odorę bonę famę dotatos, & probatos exiſtere, eadem etiam auctoritate ſtatuimus, quod prędictus Generalis Magiſter pro tempore exiſtens, aliquem Inquiſitorem hęreticę pravitatis in domibus dictę Congregationis, in quibus dicti Inquiſitores deputari conſueverunt, inſtituere, aut deputare, ſeu alias electum confirmare non poſſit, niſi quem Prior dicte Domus de conſilio, & aſſenſu ſuorum Patrum diſcretorum, ſeu eorum majoris partis elegerit, ſeu poſtulaverit, & etiam ſic deputatum, & inſtitutum, ſeu confirmatum abſque eorum conſenſu, vel majoris partis eorum amovere, aut ab officio commiſſo Inquiſitionis abſolvere. Ac volumus quod in ſtudio Domus S. Dominici Neapolitani Ordinis, & Congregationis prędictorum, ille in Regentem conſtituatur, & deputetur, quem Vicarius predictus Generalis cum Definitoribus Capituli Generalis dictę Congregationis a Magiſtro Generali, vel Capitulo prę fati Ordinis inſtitui poſtulaverint, juxta ſtylum, & modum, qui in hoc in Domo S. Dominici Bononien. dicti Ordinis obſervatur. Ac omnia, & ſingula, gratias, prętogativas, conſtitutiones, ordinationes, inhibitiones, ſtatuta, privilegia, & indulta, tam per eundem Paulum, quam alios quoſcunque Prędeceſſores noſtros Romanos Pontifices, ſeu Sedem Apoſtolicam, ac Generales Magiſtros dicti Ordinis, dictę Congregationi, & illius Domibus, & Fratribus quomodolibet conceſſa, ſeu conceſſas, rata, & grata, ac illorum tenores prę ſentibus pro expreſſis habentes, illa omnia, & ſingula eadem auctoritate Apoſtolica, & per prę ſentes approbamus, confirmamus, ac perpetuę firmitatis robur obtinere decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſcunque aliis literis, & indultis ab eadem Sede Apoſtolica, vel illius legatis forſan per modernum, aut ejus Prędeceſſores, Generalem Magiſtrum, aut alias quomodolibet ſub quibuſcunque tenoribus, & formis impetratis, & obtentis, ſeu alias quomodolibet etiam motu proprio conceſſis, quorum illorum omnium tenores, etiam ſi in illis caveatur expreſſe, quod de illis de verbo ad verbum, & dicto Ordine ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio fiat, alias non ſit aliquo modo derogatum. ea omnia pro expreſſis habentes per quę prę ſentibus literis, & in illis contentis prę miſſis omnibus aliquod prę judicium non volumus generari, & in quantum illis prę judicium afferre poſſent, pro infectis, & non conceſſis habere volumus, & mandamus, necnon Ordinis, & Congregationis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Januarii MCCCCXCIV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

I. Privilegiis.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

De fundando Toletano (1) Cœnobio B. Mariæ de Nivibus.

Anno 1494 Die 28 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXX.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio officiali Toletan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

SAcrę Religionis propagationem, & conſervationem, & fidelium ſingulorum, ſub illius ſuavi jugo Altiſſimo famulantium utilitates, & commoda, ſinceris deſideriis affectamus &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus S. Petri Martyris Toletan. Ordinis Prędicatorum, de Obſervantia, ſeu reformatorum nuncupatorum, petitio continebat, quod Domus prędicta, in ſolo adeo parvo, & ſtricto ſita eſt, quod in illa aliquis hortus, aut fons aquę non exiſtat, quodque extra muros Toletan., eſt certum fundum, ſeu territorium, Abuhecn. nuncupatum, ad dictam Domum legitime pertinens, pro conſtructione unius Domus dicti Ordinis ſatis accommodum, & in quo Prior, & Fratres predicti pro receptione, & ſolatio infirmorum, & aliorum Fratrum, ac inhabitatorum, unam Domum dicti Ordinis ſub invocatione B. Marię de Nivibus, cum Eccleſia, humili campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis, cum adjutorio eleemoſynarum, ac piorum ſuffragiorum Chriſti fidelium conſtrui, & ędificari facere, ſummopere deſiderant, ſi ad hoc ipſis per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum, aſſerentium, quod juxta ſtatuta, & conſtitutiones dicti Ordinis eſus carnium eſt prohibitus, quodque Civitas Toletan. per octo dietas, vel circa a mari diſtat, & in illa eſt continue piſcium penuria ex quo dicti Fratres detrimentum non modicum patiuntur, nec poſſunt ſtudii, laboris, & religionis aſperitatem, abſque magna difficultate perficere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis in fundo, ſeu territorio prędicto, unam Domum ſub Invocatione prędicta, cum Eccleſia, humili campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum dic-

dicti Ordinis conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, ac Fratribus in illa pro tempore commorantibus, aliquibus, non tamen omnibus ... bus, ſeu quibus Chriſti fideles Seculares Facultas. carnibus veſci conſueverunt, eiſdem carnibus veſcendi, licen... ... concedere, aliaſque in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſacram Religionem ubilibet ampliari, ſinceris deſideramus affectibus, de premiſſis, certam notitiam non habentes, Priorem, & Fratres dictę Domus S. Petri, eorumque ſingulos, a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eiſdem Priori, & Fratribus, Domum prędictam in fundo, ſeu territorio prefato ſub dicta Invocatione cum Eccleſia, humili campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis prefatis pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis abſque alicujus prejudicio conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, ipſiſque Fratribus, illam perpetuo retinendi, & inhabitandi, licentiam auctoritate noſtra concedas. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te vigore preſentium concedi contigerit, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſtatuimus, & ordinamus, quod Fratres in dicta Domo conſtruenda pro tempore degentes, Miſſas, & alia Divina officia ibidem ſolemniter celebrare, ac omnia, & ſingula alia, quę ad ſtatum Religioſorum pertinent, quodque Regulam, & Inſtituta ipſius Ordinis facere, & exercere, libere, & licite valeant, & inſuper, conſtructę Domui, ac Fratribus in ea pro tempore commorantibus, ut omnibus, & ſingulis Privilegiis, indultis, immunitatibus, favoribus, & gratiis, aliis Domibus, & Fratribus ejuſdem Ordinis in genere conceſſis, & concedendis, & quibus alię Domus, & Fratres ipſius Ordinis utuntur, potiuntur, & gaudent. ſimiliter uti, potiri, & gaudere valeant, pręterea quod Prior, & Fratres in Domibus predictis pro tempore degentes, ut Divinis officiis commodius vacare, & ſtudii, ac religionis labores, facilius perferre poſſint, carnibus ipſis etiam diebus, quibus illarum uſus, aliis Chriſti fidelibus ſecularibus non eſt prohibitus, prętérquam in ſingulis Quartis feriis, & vigilia S. Dominici, ac in Adventu Domini noſtri, necnon ſecunda, & tertia feriis poſt Quinquageſimam, etiam in Refectorio communi veſci poſſint, in quibus, quod (4) exceptis diebus, Fratres ipſi, ſecundum Inſtituta dicti Ordinis ab eſu carnium abſtinere deberent, niſi eſſent infirmi, & de conſilio medicorum liceret eis, omnibus diebus carnibus veſci poſſe. quodque Fratres predicti, qui ſecundum Inſtituta ejuſdem Ordinis, a feſto Exaltationis S. Crucis uſque ad feſtum Reſurrectionis Dominicę obſervarent &c. carnium eſus, dummodo eiſdem diebus omnibus abſtineant, & ſi contingat, aliquos ex dictis Fratribus infirmari, liceat, eis in Infirmaria linteaminibus, de ſimili medicorum conſilio uti, ita quod propter hoc aliquod peccatum, ſeu aliquam Regulę ſuę tranſgreſſionem non incurrant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, in qua prohibetur, ne quivis Ordinum Mendicantium, Fratres, loca ad inhabitandum de novo recipere preſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali. faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de hujuſmodi prohibitione mentionem, & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominice Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Tertio (5), Pridie Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Toletano.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro L. fol.177.*
3. *Affectamus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *In quibus quod.* Quædam deeſſe videntur: legerem s *in quibus ſicut in excepti.*
5. *Nonageſimo Tertio.*) Stylo Bullarum æræ communis *MCCCCXCIV.*

Anno 1494 Die 19 Aprilis.

Indulgentias elargitur ædes ſacras Cœnobii Budovicenſis (1) viſitantibus feria V cum ad quoddam Altare Sacratiſſimum Corpus D. N. J. C. ſolemni ritu defertur, & Sabbato cum Salutatio *Salve Regina* decantatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

GRatum credimus impertiri Domino famulatum cum perſonis eccleſiaſticis ſub Religionis habitu pię vitę ſtudio vacantibus &c. (3). Sane exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Diplomatis cauſa. Domus B. Marię Virginis glorioſe oppidi Budincen., Pragen. Dięceſis, Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod cum Eccleſia dictę Domus, que ad laudem Omnipotentis Dei, ejuſque Glorioſę Virginis Marię prędictę, fuit ab antiquo dedicata (4), ſit quoddam Altare ſub Invocatione Corporis Chriſti conſtructum, in quo Memoria Roſarii (5) ejuſdem glorioſę Virginis Marię exiſtit, & ad quod quolibet die Sabbati, dum ipſi Fratres, juxta quandam eorundem laudabilem conſuetudinem (6), decantando hanc Salutationem Salve Regina, in hujuſmodi Eccleſia ingrediuntur, magna populi multitudo, devotionis cauſa, confluat, & confluere conſuevit, pro parte eorundem Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eiſdem, ut in ipſa Eccleſia qualibet quinta feria cujuslibet hebdomade ſacratiſſimum Corpus D. N. J. C. ad Altare prędictum cum debita reverentia, & ſolemnitate, deferre valeant, licentiam, & facultatem concedere, aliaſque in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi pium deſiderium plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prędictis, & aliis pro tempore exiſtentibus dictę Domus Fratribus, ut ipſi deinceps perpetuis futuris temporibus qualibet quinta feria cujuslibet hebdomadę in ipſa Eccleſia, ad ipſum Altare Sacratiſſimum Corpus D. N. J. C. cum debita reverentia, & honore, ac ſolemnitate deferre, Indulgentia. libe-

libere, & licite poſſint, & valeant Apoſtolica auctoritate tenore preſentium, licentiam concedimus, & facultatem, & nihilominus, ut ipſa Eccleſia, congruis frequentetur honoribus, & utriuſque ſexus Chriſti fidelium, eo libentius devotionis cauſa confluant ad eandem, & ad reparationem, & manutentionem, ornamentorum eccleſiaſticorum ejuſdem Eccleſię eo promptius manus porrigant adjutrices, quo ibidem ex hoc ſpiritualis dono gratię conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei gratia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus fidelibus hujuſmodi, vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in delatione dicti Sacratiſſimi Corporis Chriſti in dicta Eccleſia ad pręfatum Altare quinta Feria cujuslibet hebdomadę, & in Salutatione pręadicta Salve Regina, die Sabbati hujuſmodi, laudem, & gratias Altiſſimo devote effundendo, tunc interfuerint, & ad reparationem, ac manutentionem ornamentorum eccleſiaſticorum ejuſdem Eccleſię, manus porrexerint adjutrices, quadraginta dies, in quolibet dictorum Ferię quintę, & Sabbati die, de injunctis eis pęnitentiis, eiſdem auctoritate, & tenore in Domino, miſericorditer relaxamus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, & relaxationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto, Tertio decimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Budovicen.*) Vulgo *Budvvis*. Hinc *Budincen.* vocatur hoc in Diplomate. Juris eſt Provinciæ *Bohemiæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXVIII fol.* 243.
3. *Vacantibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Dedicata.*) Ipſi ſiquidem nomen eſt a *B. Maria Virgine Præſentata*.
5. *Roſarii.*) Conſulenda *Diſſertatio II Tomo ultimo*.
6. *Conſuetudinem.*) Nota morem hoc anno *MCCCCXCIV* longe antiquiorem.

De non conſtituendo Cœnobio in Oppido Coppeti (1).

Anno 1494 Die 31 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Lugdunen., & Biſuntin., ac Gratianopolitan. Officialibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Joachini Turriani Generalis, & Domus S. Dominici extra muros Gebennen. Priorum, ac Definitorum Ordinis Fratrum Prędicatorum, necnon ejuſdem Domus Fratrum, petitio continebat, quod cum alias bonę memorię Johannes Archiepiſcopus Tarantaſien. pro executore quarundam literarum Apoſtolicarum ad inſtantiam dilecti filii nobilis viri Amedei de Viriaco Domini temporalis loci etiam de Viriaco Gebennen. Diœceſis impetratarum, ſe gerens, eidem Amedeo conſtruendi, & ędificandi apud locum Coppeti, dictę Diœceſis, unam novam Domum ejuſdem Ordinis cum Eccleſia, campanili, & ſacriſtia, ac aliis officinis inibi neceſſariis pro habitatione perpetua aliquorum Fratrum dicti Ordinis, licentiam conceſſiſſet, ipſeque Amedeus, pretextu dictę licentię Domum eandem ędificare facere cępiſſet, pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus S. Dominici extra muros Gebennen. dicti Ordinis, in quorum non modicum pręjudicium constructio dictę novę Domus cedebat, ſentientium, exinde indebite ſe gravari, fuit ad Sedem Apoſtolicam appellatum, ipſique Prior, & Fratres dictę Domus S. Dominici, ſupradicta appellatione hujuſmodi, Apoſtolicas ad dilectum filium Petrum Ferodi Canonicum Eccleſię Gebennen., & certos alios ejus in hac parte collegas, ſub certis, modo, & forma tunc expreſſis, literas impetrarunt, & illarum vigore fecerunt, dilectum filium Jacobum Franconis, tunc pro Priore dictę novę Domus ſe gerentem in cauſa appellationis hujuſmodi coram dicto Petro Canonico ad judicium evocari, & deinde, licet, poſtquam in Capitulo Generali juxta morem dicti Ordinis in illis partibus celebrato per Priorem Generalem prędictum, & alios Fratres in dicto Capitulo pręſidentes, attenta exilitate, & incommoditate loci, prope quem prędicta S. Dominici, & plures alię Domus prędictę, & aliorum Ordinum Mendicantium exiſtunt, unanimiter ordinatum, & definitum fuerat, quod eadem Domus de novo conſtrui cępta a Fratribus dicti Ordinis prędictorum deſereretur, neque amplius ędificaretur, aut conſtrueretur, dictuſque Generalis ipſum Jacobum, & nonnullos alios Fratres cum eo commorantes, ut ab eodem loco, infra certum tunc expreſſum terminum diſcederent, & ad ipſas eorum Domos redirent, ſub excommunicationis latę ſententię, & incarcerationis pęnis per ſuas certi tenoris literas, inter alia monuerat, & mandaverat eiſdem; & quidam alter, etiam pro Priore ejuſdem novę Domus ſe gerens, & alii Fratres prędicti, quaſdam literas in forma Brevis a felicis recordationis Innocentio PP. VIII Prędeceſſore noſtro, per quas, dilecta in Chriſto filia nobili muliere Blanca, Duciſſa Sabaudię, eidem Prędeceſſori ſuper hoc ſupplicante, dictum Priorem Generalem hortatus fuit, ne conſtructionem dictę novę Domus impediret, ſed ut ipſi Fratres in eadem nova Domo, pacifice permanere valerent, provideret obtinuerat, illarumque pretextu; ac Prior Generalis volens, ejuſdem Prędeceſſoris, ut tenebatur, obedire mandatis, proceſſus, & cenſuras, ac quęſtiones ſuper hoc contra prędictos Fratres ab eo emanatos per quaſdam alias ſuas etiam certi tenoris literas, irritaverat, caſſaverat, & annullaverat, dictiſque Fratribus ejuſdem novę Domus, ut eam ędificare, & ampliare poſſint, licentiam, & facultatem conceſſerat. Nos ad inſtantiam Prioris Generalis, & definitorum prędictorum cauſam hujuſmodi per quaſdam literas noſtras ad Nos advocantes, & litem penitus extinguentes, ordinationem, & definitionem prędictas, ac, prout illas concernebant, omnia, & ſingula in literis, ſeu ſcripturis, vel actis ſuper hoc confectis contenta, poſteriorum literarum hujuſmodi tenore, auctoritate Apoſtolica, approbavimus, & confirmavimus, ac robur perpetuę firmitatis obtinere debere decrevimus, necnon omnibus, & ſingulis Fratribus dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, ne contra ordinationem, & definitionem hujuſmodi, deinceps aliquid attentare, ſeu facere pręſumerent, ſub excommunicationis ſententia, Apoſtolica auctoritate inhibuimus, prout in eiſdem

Diplomatis cauſa.

poſterioribus literis, dicitur plenius contineri. Quarum vigore tu, fili Officialis Lugdunen., ſicuti nnus ex illarum executoribus Priorem, & Fratres dictę novę Domus pręſa os, ut infra certum, tunc expreſſum, terminum, locum, ſeu novam Domum hujuſmodi dimitterent, ac ipſos, ac pręfatum Amedeum, ut ab ędificio dictę novę Domus deſiſterent per tuas certi tenoris literas monuiſti, & eiſdem mandaſti, prout etiam dictus Prior Generalis monuit, & mandavit eiſdem. Pro parte vero Prioris, & Fratrum novę Domus, & Amedei prędictorum, falſo prętendentium exinde indebite ſe gravari, ad prędictam fuit Sedem appellatum, & licet ipſi Prior, & Fratres dictę novę Domus, pręfata Duciſſa Nobis etiam ſuper hoc ſupplicante, conceſſam ſuper conſtructione dictę novę Domus licentiam prędictam, ac omnia, & ſingula inde in illius favorem ſecuta confirmari, & approbari, necnon prędictas poſteriores literas, pręterquam in certa tunc expreſſa eorum parte, revocari, & prędictis Priori dictę Domus S. Dominici, ac aliis Fratribus dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, Conventualibus nuncupatis, ſuper pręmiſſis perpetuum ſilentium imponi, tibique, fili Officialis Lugdunen., & aliis executoribus pręfatis, nt ad illarum ulteriorem executionem procedentes &c. inhiberi, per alias noſtras literas a Nobis ſubreptitie, & obreptitie extortas, quę an eorum executoribus ad hoc pręſentatę fuerint Generalis, & dictę Domus S. Dominici pręfati, ſe ignorare aſſerunt, ut dicitur, de facto obtinuerint, tamen Prior, & Fratres dictę novę Domus, qui cenſuras, & pęnas hujuſmodi contemnentes ab ejuſdem Domus ędificio ceſſare, & monitionibus, ac mandatis hujuſmodi parere minime curarunt, poſteriorem appellationem hujuſmodi, prout eam potuerunt, non fuerunt infra tempus debitum proſecuti. Quare pro parte Generalis, & dictę Domus S. Dominici Prioris, ac Definitorum, & Fratrum ejuſdem Domus S. Dominici prędictorum, etiam aſſerentium, ob deſertionem poſterioris appellationis pręfatę monitiones, & mandata hujuſmodi, in rem tranſiviſſe judicatam, & in alio Capitulo Generali, etiam juxta morem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum noviſſime celebrato, per Priorem Generalem, & Definitores pręfatos, ac alios Fratres in eodem Capitulo ſimiliter pręſidentes, quod prima ordinatio, & definitio prędictę, in omnibus obſervarentur, & dicta nova Domus non ędificaretur, nec in illa aliqui Fratres dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum inhabitarent, ordinatum fuiſſe, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut monitiones, & mandata, ac cenſuras, & pęnas hujuſmodi inviolabiliter obſervari, illaque firmitatis debitum obtinere mandare, necnon ſubreptionis, & obreptionis dictarum poſteriorum extortarum literarum, illorumque, & ex illis forſan ſecutorum, & aliorum omnium; & ſingulorum in Domus S. Dominici, & Ordinis Fratrum Prędicatorum prędictorum pręjudicium per eundem Amedeum, & Priorem, & Fratres dictę novę Domus, ac alios quoſcunque judices, & perſonas quomodocunque geſtorum nullitatis, & invaliditatis, dictarumque literarum eiſdem Generali, & Domus S. Dominici Prioribus, & definitoribus conceſſarum, ulterioris, & omnimodę executionis, totiuſque principalis negotii, & omnes, & ſingulas, quas Generalis, & dictę Domus S. Dominici Priores, ac illius Fratres prędicti, contra Priorem, & Fratres dictę novę Domus, & Amedeum pręfatos, ac quoſcunque alios Fratres dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Clericos, & Laicos ſuper ſingulis pręmiſſis, & incarceratione, & percuſſione nonnullorum, eis monitiones, & mandata hujuſmodi intimantium, & aliis injuriis, & damnis eiſdem Priori, & Fratribus dictę Domus S. Dominici ſuper hoc illatis, & cenſurarum Eccleſiaſticarum per eoſdem incarcerantes, & percutientes, ac id fieri mandantes incurſarum declarationis, & nunciationis, & illorum occaſione conjunctim, vel diviſim movere intendunt, cauſas aliquibus probis viris in partibus illis committere, & alias eiſdem in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi vocatis Priore, & Fratribus dictę novę Domus, & Amedeo pręfatis, ac aliis, qui fuerint evocandi, vobis de poſterioribus appellationis prędictę deſertione, & re judicata hujuſmodi legitime conſtiterit, monitiones, & mandata, ſi quidem rite facta, cenſuras vero, & pęnas hujuſmodi, ſi rationabiliter prolatę ſint, faciatis auctoritate noſtra, appellatione remota, inviolabiliter obſervari, ſuper aliis vero auditis hinc inde propoſitis, ſi etiam de negotio principali hujuſmodi legitime conſtiterit, monitiones, & mandata &c. appellatione remota decernatis, facientes, quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes &c. non obſtantibus pię memorię Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua inter alia cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Dięceſim, niſi in certis exceptis caſibus &c. ſeu ne judices &c., & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus &c. quibuſcunque, ſeu ſi *Mandatum.* Amedeo, & Priori, & Fratribus dictę novę Domus, ac aliis evocandis, necnon Ordini Fratrum Prędicatorum, pręfatis, vel quibuſvis aliis &c. ab eadem ſit Sede indultum, quod ipſi &c. & alię dicti Ordinis perſon~ extra, vel ultra certa loca ad judicium trahi, ſuſpendi &c. non poſſint per literas Apoſtolicas, & quibuſlibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis &c. quorumcunque tenorum exiſtant &c. quę quoad hoc nolumus ipſis aliquatenus ſuffragari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto, Pridie Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Coppeti.*) Conſulenda *Conſtitutio IV data I Septembris MCCCCXCII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXI fol. 36.*

Olomucen. (1) Monaſterii S. Catharinæ Privilegia firmat.

Anno 1495 Die 28 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

XXXIII.

Exordium.

AD ea, quę circa ſtatum Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium, ac perſonarum pręſertim fęminei ſexus, in illis ſub regulari obſervantia Domino famulantium &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii, per Prioriſſam ſoliti gubernari, S. Catharinę Olomucen., Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod dudum felicis recordationis Bonifatius PP. VIII, Prędeceſſor noſter, certis ſuadentibus cauſis tunc expreſſis, tunc pro tempore exiſtenti dicti Monaſterii Prioriſſę, ut eum duabus, aut tribus, ſeu pluribus Monialibus, quas ad id eligeret, unam, aut duas, vel tres, ſeu plures Moniales ejuſdem Monaſterii pro utilitate dicti Monaſterii, ſeu illius negotiis promovendis, vel proſequendis, aut etiam expediendis, committere, Dięceſani loci ſeu Magiſtri Generalis dicti Ordinis, aut cujusvis alterius, licentia ſuper hoc minime requiſita, ſeu obtenta, libere, & licite valeret, Apoſtolica auctoritate indulſit, & deinde pię memorię Paulus PP. II, etiam Prędeceſſor noſter, earundem Prioriſſę, & Conventus perſonas, ac locum, in quo divino erant obſequio mancipatę, cum omnibus bonis, quę tunc rationabiliter poſſidebant, & in futurum juſtis modis, pręſtante Domino; poſſent adipiſci, ſub ſua, & B. Petri protectione ſuſcepit, omnes quoque libertates, & immunitates, a Prędeceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus, ſive privilegia, & alia indulta eis, & earum Domui conceſſas, necnon libertates, exemptiones ſecularium exactionum, a Regibus, & Principibus, atque aliis Chriſti fidelibus, Prioriſſę, & Conventui, ac Domui pręfatis, rationabiliter indultas ſpecialitet, aut Decimas, primitias, terras, domos, vineas, hortos, poſſeſſiones, fructus, redditus, proventus, jura, juriſdictiones, aliaque mobilia, & immobilia bona ad dictam Domum legitime tunc ſpectantia, ſicut Prioriſſa, & Conventus pręfatę, ea omnia juſte, & pacifice poſſidebant, eis, & per eas dictę Domui, ſalvâ moderatione Concilii Generalis, eadem auctoritate confirmavit, prout in ſingulis literis eorundem Prędeceſſorum, deſuper confectis, dicitur plenius contineri.

Confirmatio.

Quare pro parte earundem Prioriſſę, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſiones, confirmationes, & ſingulas literas prędictas, pro illarum ſubſiſtentia firmiori approbare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Prioriſſam, & Conventum pręfatas, illarumque ſingulares perſonas, a quibuſcunque Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conceſſiones, confirmationes, & ſingulas literas prędictas, pręfata auctoritate, tenore pręſentium approbamus, ac perpetuę firmitatis robur obtinere decernimus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quę pręfati Prędeceſſores in ſuis literis, voluerint non obſtare &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, approbationis, & Decreti infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto (3), Quinto Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Olomucen.*) Juris eſt Provinciæ *Bohemiæ*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Libro LXXXVIII *fol.* 131.
3. *Nonageſimo Quarto*.) Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXCV.

Leyrienſis (1) Monaſterii fundandi facultas.

Anno 1495 Die 12 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori ſecularis & Collegiatę Eccleſię Beatę Marię de la Miſericordia oppidi de Ouren. Ulixbonen. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXXIV.

Exordium.

PIa fidelium, Nobis, & Apoſtolicę Sedi devotorum, & generis nobilitate pollentium, ex quibus cum ſalute animarum ſacra religio propagatur &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectę in Chriſto filię nobilis mulieris Guiomarę Comiriſſę de Lonlo, Silven. Dięceſis, petitio continebat, quod poſtquam alias quondam Catharina dum viveret Comitiſſa de Lonlo, ejus ſoror, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, quoddam Monaſterium Monialium Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, degentium, ſub invocatione Sanctę Annę in oppido de Leyria, Colimbrien. Dięceſis de ordinarii loci licentia, ſuis ſumptibus, & expenſis conſtrui, & ędificari facere cęperat, & Eccleſiam ejuſdem Monaſterii jam compleverat, aliaque ejuſdem Monaſterii ędificia incipi fecerat, ipſumque Monaſterium aliquantulum dotaverat, ipſa Catharina antequam Monaſterium ipſum perficeretur, ſicut Domino placuit, diem clauſit extremum.

Diplomatis cauſa.

Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pręfata Guiomara, ſimiliter devotionis fervore accenſa, ſummopere deſiderat inchoatum opus prędictum ad totalem perfectionem ſuis propriis ſumptibus, & expenſis perducere, & ut in eo, poſtquam perfectum fuerit, aliquę Religioſę dicti Ordinis, quę inibi Altiſſimo Domino famulentur, collocentur, pro parte dictę Guiomarę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi Monaſterium prędictum cum campanili, campana, refectorio, dormitorio, horto, hortaliciis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu, & habitatione Monialium dicti Ordinis conſtrui & ędificari faciendi, licentiam concedere, & quod Monaſterium ipſum, poſtquam perfectum, & erectum fuerit, ac-

ac Abbatiſſa, ſen Prioriſſa, & Moniales in eo pro tempore exiſtentes Vicario Provinciali dictorum Fratrum Prędicatorum, dę obſervantia nuncupatorum, Provincię Portugallię pro tempore exiſtenti ſubjiciatur, & ſub ejus viſitatione exiſtant, ſtatuere, & ordinare, aliaſque in prędictis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui religionis propagationem, & divini cultus augmentum noſtris potiſſime temporibus vigere, & augeri ſuppremis deſideramus affectibus, ipſam Guiomaram a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis &c. abſolutam fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eidem

Facultas. Guiomarę Monaſterium prędictum cum campanili humili, campana, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione perpetuis Monialium dicti Ordinis Sancti Auguſtini, quę ſub obedientia, & viſitatione pro tempore exiſtentis Vicarii Provincialis Ordinis Prędicatorum de obſervantia hujuſmodi Provincię Portugallię ſubſint, abſque tamen alicujus prejudicio, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, eidemque Vicario aliquas Moniales ex Monaſterio de Jerlem (4) oppidi de Aveyro, Ordinis, & Colimbrien. Diœceſis prędictorum, ſeu quocunque alio Monaſterio ipſius Ordinis, uſque ad competentem numerum, extrahendi, illaſque in dicto Monaſterio erigendo ponendi, & collocandi, ac eiſdem Monialibus per ſe, vel alium, ſeu alios, ab eo deputandos, eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrandi & earum confeſſiones audiendi, licentiam & facultatem auctoritate noſtra concedas, decernaſque, quod idem Vicarius ſolus, & nullns alius etiam quacunque auctoritate ſuffultus, aliquam juriſdictionem, dominium, vel ſuperioritatem in dicto erigendo Monaſterio habere, nec exercere poſſit. Nos enim ſi licentiam, & facultatem hujuſmodi, per te vigore pręſentium concedi contigerit, ut prefertur, eidem erigendo Monaſterio, ac Monialibus in illo pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, indulgentiis, exemptionibus, immunitatibus, ſpiritualibus, & temporalibus per Sedem Apoſtolicam aliis Monaſteriis, & Monialibus dicti Ordinis in genere conceſſis, & quibus gaudent, potiuntur, & utuntur, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, quodque eędem Moniales ad Eccleſiam ejuſdem erigendi Monaſterii pro illa, & illius Altaribus mundandis, & purgandis toties quoties opus fuerit, clauſis tamen ipſius eccleſię januis exire, ac eccleſiam, & Altaria hujuſmodi

Nota. mundare, & purgare, & aliquas famulas & ancillas, etiam religioſas, intra clauſtrum ejuſdem Monaſterii, quę eiſdem Abbatiſſę, ſive Prioriſſę, & Monialibus in eodem dicto Monaſterio neceſſariis deſerviant, habere, & commorari facere, libere & licite valeant, eiſdem auctoritate, & tenore, de ſpecialis dono gratię indulgemus. Jure tamen Parochialis eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto (5), pridie Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Levrien.*) In *Portugallia* Regno, ubi civitates de quibus hoc in Diplomate.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXI fol. 170.*
3. *Propagatur &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Jerlem.*) Legerem *Jeſu*, ſic enim vocatur *Aveyrenſe* Monaſterium.
5. *Nonageſimo Quarto*,) Stylo Bullarum æra communis *MCCCCXCV.*

Anno 1495 Die 13 Februarii.

De conſtruendo Leyrienſi (1) Monaſterio S. Annæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXV.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Johanni Epiſcopo Zafren. in Civitate Ulixbonen. commoranti, & dilecto filio Priori ſecularis, & Collegiatę Eccleſię Beatę Marię de la Miſericordia Oppidi de Ouren. Ulixbonen. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. Humilibus &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectę in Chriſto filię nobilis mulieris Guiomarę Comitiſſę de Lonlo, & dilectorum filiorum Johannis de Braga, Prioris Monaſterii de Aveyro, per Priorem ſoliti gubernari, & Nunnii Guillon laici, Silven., & Colimbrien. Diœceſum petitio continebat, quod olim quondam Catharina, etiam Comitiſſa de Lonlo, ipſius Guiomarę Soror, dum viveret, in Oppido de Leyra Colimbrien. Diœceſis, quod ſpirituali juriſdictioni Prioris Monaſterii, per Priorem ſoliti gubernari, Sanctę Crucis Colimbrien. Ordinis Sancti Auguſtini ſubjectum exiſtit, quod dictum Monaſterium Monialium Ordinis ejuſdem Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, ſub invocatione Sanctę Annę de conſenſu tunc Prioris dicti Monaſterii Sanctę Crucis ſuis propriis expenſis ędificari incepit, & pro ſuſtentatione Monialium in dicto Monaſterio Sanctę Annę pro tempore degentium, nonnullos annuos redditus, & poſſeſſiones tunc expreſſas eidem ędificando Monaſterio conſignavit, & applicavit, & in ejus teſtamento, ſeu ultima voluntate, Monaſterium Sanctę Annę hujuſmodi omnium bonorum ſuorum heredem inſtituit, & cum demnm prefata Catharina vita functa, Guiomara Comitiſſa, & Johannes de Braga Prior, ac Nunnius prefati, ipſius teſtamenti, ſeu ultimę voluntatis executores, & erigendi Monaſterii, ac ejus bonorum hujuſmodi adminiſtratores per eandem Catharinam in dicto teſtamento deputati, habita per eos poſſeſſionem bonorum hujuſmodi, teſtamentum prędictum exequi, & opera dicti Monaſterii Sanctę Annę complere vellent, dilectus filius Ludovicus Vaaz Canonicus dicti Monaſterii Sanctę Crucis pro Vicario, ſeu locumtenente dilecti filii Johannis de Roha Prioris ejuſdem Monaſterii Sanctę Crucis in dicto Oppido deputato, ſe gerens, ex abrupto, & de facto, juris ordine non ſervato, Guiomarę, & Johanni de Braga Priori, ac Nunnio prefatis, necnon Magiſtris operum dicti Monaſterii Sanctę Annę, ne opus ipſum continuarent, nec dictum Monaſterium

Sanc-

Sanctę Annę ędificarent, ſub cenſuris eccleſiaſticis inhibuit. Unde pro parte Guiomarę Comitiſſę, & Johannis de Braga Prioris, ac Nunnii prędictorum, ſentientium exinde indebite ſe gravari, ad Sedem fuit Apoſtolicam appellatum. Et deinde Nobis humiliter ſupplicatum, ut dictę appellationis, ac poſt, & contra eam forſan attentatorum, & innovatorum, nullitatiſque proceſſus dicti Ludovici, ac negotii principalis hujuſmodi cauſas aliquibus probis viris in partibus illis committere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Mandatum.
diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, vocatis dicto Ludovico, & aliis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, etiam de negotio principali hujuſmodi cognoſcentes legitime, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes &c. non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua inter alia cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem &c. ſeu ne judices &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. quibuſcunque, ſeu ſi dicto Ludovico &c. a Sede prędicta indultum exiſtat quod interdici &c. non poſſint &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto (4), Idibus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Leyrien.*) In *Portugallia* Regno.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXI fol.* 170.
3. *Humilibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Nonageſimo Quarto.*) Stylo Bullarum, ęrę communis *MCCCCXCV*.

De Decimis (1) non ſolvendis.

Anno 1495 Die 16 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXVI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Sancti Vincentii, & Beatę Marię del Carmen., Salamantin. (3), Monaſteriorum per Priores gubernari ſolitorum, Prioribus, ac Archidiacono de Toro (4) in Eccleſia Zamorren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Humilibus &c. (5) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Sancti Vincentii Placentin. (6) Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, Diplomatis cauſa.
quod licet olim ipſi nonnullas poſſeſſiones, de Heſas nuncupatas, tunc expreſſas in Dięceſi Placentin. conſiſtentes, nomine Roman. Eccleſię pro eorum ſuſtentatione, ex ſpeciali privilegio Apoſtolico, eidem Ordini conceſſo, tenerent, & poſſiderent, nec ex fructibus, ex eiſdem poſſeſſionibus provenientibus, decimas alteri perſonę eatenus ſolviſſent, nec ſolvere teneantur, ſed ab earum ſolutione ipſi, & poſſeſſiones, ex ſimili privilegio exempti fuiſſent, tamen venerabilis Fratęr noſter Rodericus Epiſcopus, & dilecti filii Capitulum Placentin., falſo aſſerentes, eoſdem Priorem, & Fratres ad ſolutionem decimarum, ex fructibus earundem poſſeſſionum provenientibus, eis faciendam, de jure teneri, eoſdem Priorem, & Fratres, ſuper hoc, inter alia petendo eos condemnari, & compelli ad ſolvendum eis decimas hujuſmodi, ex tempore quo dictas poſſeſſiones poſſederunt, & ad illas in poſterum eis ſolvendum de jure teneri, declarari, coram dilecto filio Johanne Pereira Archidiacono Eccleſię Salamantin., quem ſuper hoc judicem, Apoſtolica auctoritate deputatum, fore dicebant, traxerunt in cauſam, & dilectus filius Martinus Yamez Archidiaconus de Medina in dicta Eccleſia, cui prefatus Johannes Archidiaconus, poſtquam in cauſa ipſa proceſſerat, commiſerat vices ſuas, in eadem cauſa perperam procedens, definitivam pro eiſdem Epiſcopo, & Capitulo, & contra Priorem, & Fratres prędictos ſententiam promulgavit iniquam, a qua pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum ad Sedem fuit Apoſtolicam appellatum, & quia idem Martinus eiſdem Priori, & Fratribus ad proſequendum dictam appellationem, cui detulerat reverenter, nimis brevem terminum pręfixerat, pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum, ſentientium exinde indebite ſe gravari, fuit demum appellatum ad eandem, & deinde Nobis humiliter ſupplicatum, ut appellationum prędictarum, ac poſt, & contra eam forſan attentatorum, & innovatorum, nullitatiſque proceſſus, ac negotii principalis hujuſmodi, cauſas aliquibus probis viris in partibus illis committere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel Indultum.
duo, aut unus veſtrum, vocatis Epiſcopo, & Capitulo prefatis, & aliis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, etiam de negotio principali hujuſmodi cognoſcentes, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis ab eodem Epiſcopo auctoritate noſtra, ab aliis vero per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem &c. non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua inter alia cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Dięceſim, niſi in certis exceptis caſibus &c. ſeu ne judices &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. quibuſcunque, ſeu ſi Epiſcopo, & Capitulo prefatis &c. a Sede prędicta indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi &c. non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes &c. de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto (7), Quartodecimo Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Decimis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXI fol.* 157.
3. *Salamantin.*) Seu *Salmanticen.*
4. *Toro.*) *Taurenſi* ſcilicet.
5. *Humilibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
6. *Placentin.*) In *Hiſpania*, ubi ceteræ Civitates, de quibus hoc in Diplomate.
7. *Nonageſimo Quarto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXCV*.

De

Anno 1495 Die 2 Maii.

De Beneficiis eccleſiaſticis uniendis Valliſoletano (1) Collegio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

INjunctum Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officium &c. (3) Dudum ſiquidem pro parte ven. Fratris noſtri Alfonſi Epiſcopi Palentin. felicis recordationis Innocentio PP. VIII Prędeceſſori noſtro expoſito, quod ipſe, qui Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor erat, pia devotione ductus, ſummopere deſiderabat in Oppido Valliſoleti, Palentin. Dięceſis, quod in partibus illis admodum inſigne exiſtebat, & in quo ſecunda Univerſitas ſtudiorum Generalium Caſtellę, & Legionis Regnorum erat conſtituta, ac una magna, & ampla Domus Fratrum dicti Ordinis, de obſervantia reformatorum nuncupatorum, in qua continue profeſſores dicti Ordinis in magno numero degebant, exiſtebat, unum Collegium, in quo ſexdecim Fratres dicti Ordinis de obſervantia, reformati nuncupati, literarum ſtudio operam dantes continue eſſent, ſuis ſumptibus, & expenſis erigere, & inſtituere, idem Innocentius Prędeceſſor pręfati Epiſcopi in ea parte ſupplicationibus inclinatus, B. Marię de Friſillis dictę Dięceſis, & de F..... Burgen. Abbatibus, ac Priori Palentin. Eccleſiarum, eorum propriis nominibus non expreſſis, per quaſdam dedit in mandatis, ut ipſi, vel duo, aut unus eorum eidem Alfonſo Epiſcopo Collegium hujuſmodi pro ſexdecim Fratribus dicti Ordinis, de obſervantia nuncupatis, qui inibi literarum ſtudio, continue vacare poſſint in Domo prędicta erigendi, & inſtituendi, ac dictos Fratres in eo ſtudentes ad libitum ſuum in eo ponendi, quorum unus eorum dicti Collegii Rector exiſteret, & alia faciendi, licentiam, & facultatem concederent, quod ſi licentiam hujuſmodi per eos concedi contingeret, ut pręfertur, reſignationes prędictimoniorum, ſeu prędictimonialium portionum, & ſimplicium beneficiorum, in quibuſvis Civitatibus, & Dięceſibus dictorum Regnorum conſiſtentium a perſonis, illa, vel illas obtinentibus ſponte, & libere in manibus ſuis reſignare volentibus, vel Procuratoribus ſuis, ad id poteſtatem habentibus, ea vice duntaxat recipere, & admittere, illoſque per eos receptos, & admiſſos, prędictimonia, ſeu prędictimoniales portiones, aut ſimplicia beneficia hujuſmodi &c. Cum autem prędictus Alfonſus Epiſcopus, & alii locorum ordinarii, ad dictum effectum eidem Collegio aſſignare volentes, etiamſi prędictimoniales portiones, aut ſimplicia beneficia Eccleſiaſtica hujuſmodi diſpoſitioni Apoſtolicę, ex perſonis illa, ſeu illas obtinentibus ex quavis cauſa generaliter reſervata, aut ex generali Apoſtolica reſervatione affecta exiſten., dummodo eorum, ſeu earum inſimul fructus, redditus, & proventus quinquaginta librarum Turonen. parvorum ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excederent, eidem Collegio pro Fratrum in eo pro tempore degentium ſuſtentatione, & aliis eidem Collegio neceſſariis perpetuo unirent, annecterent, & incorporarent, & deinde per alias ſuas literas eiſdem Abbatibus, & Priori dedit in mandatis, ut eiſdem reſignantibus, & cuilibet illorum reſpective, ut ex reſignationibus ſuis, nimium diſpendium, non paterentur, penſiones ſuper ipſorum ex reſignantibus prędictimoniorum, ſeu prędictimonialium portionum, aut ſimplicium beneficiorum hujuſmodi in convenientibus locis, & terminis, ad id per eos de conſenſu, quorum intereſſet, ſtatuendi, ſub cenſuris, & pęnis eccleſiaſticis perſolvendas, aut omnes, & ſingulos fructus, redditus, & proventus reſignatorum prędictimoniorum, ſeu prędictimonialium portionum, aut beneficiorum hujuſmodi, ſeu eorum, aut earum partem, quoad viverent, loco penſionis annue cum libera facultate fructus, redditus, & proventus hujuſmodi per ſe, vel alium, ſeu alios propria auctoritate percipiendi, & levandi, reſervare, conſtituere, concedere, & aſſignare, prout in ſingulis literis prędictis plenius continetur. Poſtmodum vero Nos ad apicem Summi Apoſtolatus, divina favente clementia, aſſumpti omnes uniones, annexiones, incorporationes de quibuſvis beneficiis eccleſiaſticis, quomodolibet Apoſtolica, vel alterius quavis auctoritate, que ſuum ſortitę non eſſent effectum, ac quandoquidem conceſſiones, & mandata ſuper unionibus, annexionibus, incorporationibus, revocavimus, caſſavimus, & irritavimus, nulliuſque decrevimus exiſtere firmitatis. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte pręfati Epiſcopi, petitio continebat, licet literarum prędictarum vigore, nonnulla prędictimonia, ſeu prędictimoniales portiones, aut beneficia hujuſmodi, dicto Collegio, unita fuerunt, quia tamen unio, annexio, & incorporatio predictę, quoad omnia, & ſingula prędictimonia, ſeu prędictimoniales portiones, aut beneficia hujuſmodi in dictis literis comprehenſa, effectum ſortitę non fuerint, propter revocationem prędictam, prędictus Epiſcopus, earundem literarum fruſtretur effectu, pro parte ejuſdem Epiſcopi Nobis fuit ſupplicatum, ut ſingulas literas prędictas in priſtinum, & in eum ſtatum, in quo ante revocationem prędictam quomodolibet exiſtebant, quoad ea, in quibus nondum ſunt ſortitę effectum, reſtituere, reponere, ac pro potiori cautela, tot prędictimonia, ſeu prędictimoniales portiones, aut ſimplicia beneficia in quibuſvis Civitatibus, vel Dięceſibus dictorum Regnorum conſiſtentia, dummodo illorum, ac aliorum jam unitorum hujuſmodi, inſimul fructus, redditus, & proventus ſeptuaginta, & quinquaginta librarum ſimilium ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedant, eidem Collegio, de novo perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficium eccleſiaſticum, aliis uniri, tenerentur exprimere verum valorem dicti beneficii, cui aliud uniri petitur, alioquin unio non valeret, & ſuper unionibus vocarentur, quorum intereſſet, prędictum Epiſcopum a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, dictique Collegii fructuum, redditum, & proventuum verum annuum valorem preſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, necnon conſideratione cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Regis, & cariſſime in Chriſto filię noſtrę Eliſabeth Reginę, eorundem Regnorum Illuſtrium, etiam ſuper hoc Nobis humiliter ſup-

Mandatum.

ſupplicantium, ſingulas literas prędictas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clanſulis qnoad ea, in quibus nondum ſunt ſortitę effectum, in ſuum priſtinum, & eum, in quo ante revocationem prędictam, quomodolibet exiſtebant, ſtatum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium reſtituimus, reponimus, & plenarie redintegramus, & nibilominus Abbati, & Priori pręfatis, ac quibuſvis perſonis in eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, ac Cathedralium Eecleſiarum Canonicis per pręfatum Epiſcopum eligendis, ac eorum cuilibet, reſignationes pręſtimoniorum, & pręſtimonialium portionum, aut ſimplicium beneficiorum hujuſmodi, dummodo illorum, ac aliorum in quibus unio prędicta jam ſortita eſt effectum, inſimul fructus, redditus, & proventus ſeptnaginta, & quinquaginta librarum hujuſmodi, ſecundum extimationem prędictam, valorem annuum non excedant, a perſonis, illa, vel illas obtinentibus, & ſponte reſignare volentibus, vel procuratoribus ſuis ad hoc ab eis ſpecialiter conſtitutis, auctoritate noſtra, ea vice duntaxat recipiendi, & admittendi, illiſque per eos receptis, & admiſſis pręſtimonia, ſeu pręſtimoniales portiones, aut beneficia hujuſmodi, etiamſi diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter, vel ex quavis cauſa generaliter reſervata exiſtant, cum omnibns juribus, & pertinentiis ſuis eidem Collegio pro Fratrum in eo pro tempore degentium ſuſteniatione, & aliis eidem Collegio neceſſariis, eadem auctoritate noſtra perpetuo uniendi, annectendi, & incorporandi, ita, quod liceat dilecto filio Rectori, ſeu procuratori pręfati Collegii per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem pręſtimoniorum, ſeu pręſtimonialium portionum, ant beneficiorum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum poſſeſſionem, propria auctoritate, libere apprebendere, & perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, & proventus in prę- miſſos, & non in alios nſus omnino convertere, Dięceſanorum locorum, & quorumcunque aliorum licentia ſuper hoc minime requiſita, &, ſi pręfatus Epiſcopus in hoc conſentire voluerit, uniones, annexiones, incorporationes pręſtimoniorum, ſen pręſtimonialium pertionum, & beneficiorum prędictorum hactenus factas, & in poſterum faciendas, dicta auctoritate noſtra diſſolvendi, illiſque diſſolutis, pręſtimonia, ſeu pręſtimoniales portiones, aut beneficia hujuſmodi per diſſolntiones hujuſmodi, tunc vacantia perſonis idoneis, etiam quotieſcunque, aut qualiacunque beneficia eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura obtinentibus, & expectantibus, conferendi, & de illis etiam providendi, & loco illorum reſignationem aliorum pręſtimoniorum, ſeu pręſtimonialium portionnm, ac ſimplicium beneficiorum, quę eidem Collegio magis propinqua, & utilia fuerint, & quę perſone prędictę ſponte, & libere reſignare voluerint, ab eiſdem perſonis, vel procuratoribus ſuis ad boc ab eis ſpecialiter conſtitutis ea vice duntaxat; & pręfata auctoritate noſtra recipiendi, & admittendi, eiſque receptis, & admiſſis, illa, eidem Collegio perpetuo, modo, & forma premiſſis, nniendi, incorporandi, & annectendi, & eiſdem reſignantibus, & cuilibet eorum reſpective, ne ex reſignationibus hujuſmodi, niminm diſpendium patiantur, penſiones annuas ſuper ipſorum reſignatorum pręſtimoniorum, ſeu pręſtimonialium portionnm, aut ſimplicium beneficiorum fructibus, redditibus, & proventibus in locis, & terminis, ad id per eos. de conſenſu, quorum intererit, ſtatuendis, ac ſub ſententiis, cenſuris, & pęnis eccleſiaſticis perſolvendas; aut omnes fructus, redditus, & proventus, illorum, vel illarum, ſupportatis tamen per eos oneribus, ſi qui fuerint, aut partem eis per eos, quoad vixerint, percipiendos, colligendos, & levandos, ac in ſuos uſus convertendos loco penſionis, auctoritate noſtra conſervandi, conſtituendi, eoneedendi, & aſſignandi, ac faciendi eis de penſionibus hujuſmodi, ſeu fructibus, redditibus, & proventibus, juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis earundem, ſi illa vigore pręſentium fecerint, & juxta tenorem integre abſolvi, ac etiam omnia alia, & ſingula faciendi, & exequendi, quę in pręmiſſis neceſſaria, & opportuna fuerint, quomodolibet plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica pręfata, earundem tenore pręſentium eoncedimus facultatem. Non obſtantibus pręmiſſis, ac voluntate noſtra prędicta &c. neenon omnibus illis, quę pręfatus Innocentius Prędeceſſor in literis prędictis, voluit non obſtare &c. quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de preſtimoniis &c. literas impetrarunt &c. ad pręſtimonia, ſeu pręſtimoniales, aut beneficia hujuſmodi, volumus non extendi &c. ſeu ſi aliqnibus &c. ab eadem ſit Sede indultum, quod ad ſolntionem, vel pręſtationem penſionis alieujus minime teneantur &c. aut quod, interdici, ſuſpendi &c. & quibuſlibet aliis privilegiis &c. & de quibus &c. habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis; attente quoque provideas, ne in reſignationibus hujuſmodi, ſi fiant ex parte Epiſcopi, & aliarum perſonarum prędictarum, aliqua pravitas interveniat, ſeu etiam corruptela, Nos enim ex nunc decernimus, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, conſtitutionis, repoſitionis, redintegrationis, voluntatis, & interdicti infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apnd S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quinto, Sexto nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Valliſoletano.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIV fol.* 196.
3. *Officium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Anno 1495
Die 22 Maii.

F. Matthæus (1) de Panitiis Pœnitentiarius creatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXVIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Matthęo de Panitiis Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Theologię Profeſſori in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe minori Pęnitentiario, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

RELigionis zelus, literarum ſcientia, vitę ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut te ſpiritualibus favoribus, & gratiis proſequamur. Cum itaque officium minorum Pęnitentiariorum in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, quod quondam Jacobus de Caſſis in ipſa Baſilica pro natione Italica, minor Pęnitentiarius, dum viveret, obtinebat, per obitum ejuſdem Jacobi, qui extra Roman. Curiam diem clauſit extremum, vacaverit, & vacet ad pręſens, Nos, volentes te, qui, ut accepimus, dilecti filii noſtri Dominici tituli S. Clementis Presbyteri Cardinalis Confeſſor exiſtis, pręmiſſorum meritorum tuorum intuitu favore proſequi gratioſo, teque a quibuſvis excommunicationis &c. fore cenſentes motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate officium prędictum ſic vacans cum omnibus, & ſingulis illius honoribus, oneribus, & emolumentis conſuetis, Apoſtolica auctoritate, conferimus & aſſignamus, ac te ad illud in ipſius Jacobi locum conſtituimus, & ſurrogamus, necnon dilectorum filiorum aliorum prędictę Baſilicę minorum Pęnitentiariorum numero, & conſortio favorabiliter aggregamus, ad officium prędictum, ejuſque liberum exercitium, necnon honores, onera, & emolumenta hujuſmodi recipiendum & admittendum fore, ac recipi, & admitti debere, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, collationis, aſſignationis, conſtitutionis, ſurrogationis, & aggregationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quinto, Undecimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Matthæus.*) Hunc omiſit *Fontana* Pœnitentiarios recenſens in *Theatro Dominicano*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIII fol.* 131. In Archivo Ordinis aſſervatur alia Conſtitutio eadem de re data die *XXII* Maii *MCCCCXCV*. Sic incipit: *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Juliano Epiſcopo Britonorien. in Romana curia reſidenti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Hodie motu proprio &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quinto, Undecimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXXXIII fol.* 131.

Anno 1495
Die 23 Maii.

Ut Provinciæ Teutonicæ Fratres *de Vita communi* nuncupati habeant Vicarium Generalem.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXXIX.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

INter perſonas quaslibet, pręſertim ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantes, pacis, & quietis dulcedinem vigere & confoveri &c. (2). Sane pro parte dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum, de vita communi nuncupatorum, provincię Teutonicę juxta morem dicti Ordinis Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim, dum ſuper electione Provincialis dictę Provincię in Domo Eslingen. (3) dicti Ordinis, Conſtantien. Diœceſis, Provincię Maguntin., Capitulum juxta morem prędictum celebraretur, & ſuper eadem Electione in dicto Capitulo, inter Fratres ipſius Ordinis, quorum aliqui de communi vita, alii vero de obſervantia nuncupantur, diſcordia, ſive controverſia orta fuiſſet, & utraque pars, pro ſe Provincialem habere contenderet, quondam Leonardus de Manſuetis (4), tunc (5) Generalis Magiſter totius Ordinis prędicti, controverſiam, ſeu quęſtionem hujuſmodi decidendo, determinavit, & ordinavit, quod tunc electus in Provincialem per Fratres de Obſervantia nuncupatos, haberetur pro electo, & eſſet Provincialis, ac electionem de eo factam confirmavit, pro religioſis vero utriuſque ſexus de vita communi nuncupatis, vicariatum creavit, & vicarium inſtituit, ac Vicarium hujuſmodi, & omnes ſibi commiſſos a viſitatione prędicta, & pro tempore exiſtentis Provincialis exemit, & deinde felicis recordationis Sixtus PP. Prędeceſſor noſter, inſtitutionem dicti Vicarii, per ſuas literas in forma Brevis confirmavit, & approbavit, prout in Sixti Prędeceſſoris, ac authenticis ipſius Leonardi Generalis, deſuper confectis, literis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Fratrum, de communi vita nuncupatorum, prędictorum, aſſerentium, quod dicti Religioſi ſub eodem Vicario, etiam ex approbatione omnium Generalium dicti Leonardi ſucceſſorum ex tunc permanſerunt, & permanent de pręſenti, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut determinationi, ordinationi, erectioni, inſtitutioni, confirmationi, exemptioni, & aliis pręmiſſis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, ac majori eorundem Fratrum pace, & tranquillitate, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac pro potiori cautela Vicarium hujuſmodi de novo inſtituere, necnon Vicarium pro tempore exiſtentem, & Religioſos utriuſque ſexus ſibi commiſſos, a juriſdictione Provincialis, & ejus Capitulo perpetuo eximere, & liberare, & ſoli Generali pro tempore exiſtenti, & ſuo Capitulo ſubiicere, ac alias in pręmiſſis opportune

Confirmatio.

providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctorum fidelium, pręcipue ſub ſua-

ſuavi Religionis jugo Altiſſimo ſamulantium, pacem, & quietem, quantum cum Deo poſſumus, continue procuramus, prefatos Fratres de communi vita nuncupatos dictę Provincię, ac eorum ſingulos, a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, determinationem, ordinationem, erectionem, inſtitutionem, confirmationem, & exemptionem, & alia premiſſa prout ea concernunt, omnia, & ſingula, in ſingulis literis prędictis, contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus pro potiori cautela, Vicarium prędictum de novo inſtituimus, ac Vicarium pro tempore exiſtentem ipſius Vicariatus, & Religioſos utriuſque ſexus ſibi commiſſos a juriſdictione Provincialis, & illius Capituli perpetuo eximimus, & totaliter liberamus, ac ſoli Generali pro tempore exiſtenti, & ſuo Capitulo, eadem auctoritate ſubiicimus, ſtatuimus quoque, & ordinamus, quod occurrente quotieſcunque vacatione dicti Vicariatus, Fratres de ipſo Vicariatu exiſtentes Vicarium libere eligere poſſint, & ipſius electionis confirmatio, ad Capitulum, aut pro tempore exiſtentem Magiſtrum Generalem dicti Ordinis pertineat, quodque Vicarius pro tempore exiſtens, prędictas convocationes, & Capitula ſibi commiſſorum celebrare juxta formam, & ordinationem a dilecto filio moderno Generali per ejus literas, omniaque ſingula, & alia, quę alii Vicarii ejuſdem Ordinis Hollandię, & Lombardię Provinciarum, ſeu Provincialis in ſuis Provinciis, in ſuis ſubditis, & in ipſis de jure, indulto, & conſuetudine celebrant, & exercent, dictus Vicarius pro tempore celebrare, & exercere valeat, dummodo jura, & contributiones, ſecundum ratam Domorum ſuarum, debitas Generali, & Procuratori totius Ordinis legitime perſolvant, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, communitionis, ſuppletionis, Inſtitutionis, exemptionis, liberationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quinto, Decimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Nota.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro* LXXXI *fol.* 112.
2. *Confoveri &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
3. *Eslingen.*) In *Suevia*.
4. *Leonardus de Manſuetis.*) *Manſuetus* ab aliis dictus. Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum* MCCCCLXXIV *pag.* 848.
5. *Tunc.*) Generalis Magiſter renunciatus fuit anno MCCCCLXXIV.

Indulgentias, & Privilegia Confraternitati (1) Sanctiſſimi Roſarii conceſſa firmat & auget.

Anno 1495 Die 15 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XL.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Illius, qui perfecta caritas eſt, & a quo omnia charismatum dona procedunt, vices licet immeriti gerentes in terris, Confraternitates, & alia pia loca, in quibus caritatis opera exercentur, ſpecialium gratiarum, libenter muneribus confovemus, & fideles quoslibet, ad exhibendum Altiſſimo, & ejus Matri opportuna ſuffragia, & quę ad ſalutem neceſſaria exiſtunt, frequenter invitamus, ut exinde reddantur divinę gratię aptiores, & caritatis devotio peramplius in dies augeatur in eis. Exordium. Sane pro parte celeberrimi ſacrę paginę profeſſoris Magiſtri Joachini Turriani (3) de Venetiis Ordinis Prędicatorum Generalis Magiſtri, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quod cum Fratres ſui Ordinis ſint pauperes Mendicantes, volunt penuriam pati de bonis, & aliis ob Virginis Marię reverentiam abundare, & cunctam plebem Chriſtianam in Oratione Dominica, & Salutatione Angelica erudire, ut tandem Chriſti fideles, ſibi theſauros in cęlis theſaurizent, quodque minime poſſent niſi ipſa Regina Cęlorum, maris Stella, peccatorum Advocata, ſit adjutrix, & apud Filium, quem genuit, oratrix, quoniam equidem divino ſpiramine ordinata eſt quędam ſalubris, & devota Confraternitas, ad honorem Angelicę Salutationis de Roſario, ſeu Capelleto (4) nuncupata, in Conventu Fratrum Prędicatorum Colonien., & alibi in toto Ordine, quę non ſolum viros recipit, ſed etiam defunctos Confratres, & Conſorores, & per ipſius Virginis Marię merita, & S. Dominici, hujus Confraternitatis Roſarii olim prędicatoris eximii (5), interceſſione, tota mundi machina extitit pręſervata. Supplex petitio. Quare cupit, hanc Confraternitatem per Sedem Apoſtolicam approbari, & confirmari. Confirmatio. Quapropter veſtris (6) juſtis poſtulationibus, grato concurrentes aſſenſu, omnes Indulgentias, libertates, pro hac devotiſſima Confraternitate conceſſas, aut alia privilegia, ſeu indulta, a Prędeceſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus, conceſſa vobis, & ordini veſtro approbamus, & confirmamus, ac etiam de Omnipotentis Dei Miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, &c. ut ex eo Confratres, & Conſorores dono cęleſtis gratię, conſpexerint, ſe fore refectos, omnes Indulgentias a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus conceſſas auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium duplicamus, perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, & auctoritate Apoſtolica ordinamus dictis Confratribus, & conſororibus conſcriptis, Orationem, & Salutationem Angelicam prędictas dicentibus, aliquod aliud privilegium, vivis pariter, & defunctis in perpetuum duraturum per Nos conceſſum, videlicet quod ſi dicti Confratres, iſtam Confraternitatem prędictam obſervare non valentes, annuatim dicant, aut dicere faciant unam Miſſam, ut tandem participent, & communicent ad invicem in bonis ſpiritualibus, ab eiſdem Confratribus, & Conſororibus dicturis, & facturis (7) ſimiliter, & in noſtris, totiuſque Militantis Eccleſię in quibus volumus eos fieri participes. Nota. Verum, ut Chriſti fideles B. Virginis Marię Confratres, & Conſorores effici concupiſcant, volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod omnes, & ſinguli Confratres, & Conſorores, animabus ſuorum parentum, vel aliorum defunctorum in Purgatorio exiſtentium ſuccurrere volentes, ſingulariter no-

nomina ſuorum parentum, vel aliorum defunctorum in Purgatorio exiſtentium exarent, vel exarare faciant. Si vero pro ſingulari anima, interventione devota, manus porrexerint adjutrices, juxta eorum poſſe, & facultatem, tandem pęnam, quam in Purgatorio pati debuerint, auctoritate Dei, qua utimur in terris, de qua magis, ac magis confidimus in cęlis, auctoritate plenaria, totius militantis Eccleſię eis bona ipſius communicando, ac merita Paſſionis Chriſti, ac Virginis Marię Interceſſionibus, per modum ſuffragii miſericorditer in Domino relaxamus, pariter, & dimittimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę ordinationis, approbationis, confirmationis, conceſſionis, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem, hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto (8), Idibus Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Confraternitati.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar authenticum. Legitur etiam in *Bullario Confraternitatum Ord. Prædicatorum pag. 55.*
3. *Joachini Turriani.*) De quo ſæpius dictum fuit.
4. *Capelleto.*) Sic vocant tertiam *Roſarii* partem, Italis *Corona*, Gallis *Chapelet*.
5. *Confraternitatis Roſarii olim prædicatoris eximii.*) Ejuſdem ſiquidem Societatis auctor eſt *S. P. Dominicus*.
6. *Veſtris.*) Hinc, & ex ſequentibus verbis liquet, quod hæc Conſtitutio Fratribus Ordinis Prædicatorum fuit inſcripta.
7. *Dicturis & facturis.*; Fortaſſis: *Dicendis & faciendis.*
8. *Nonageſimo Quarto.*) Sic in utroque exemplari, & in Bullario ſupra laudato. Legendum tamen: *Nonageſimo Quinto*, ut ex ſe patet. *Alexander* enim *VI* Summus Pontifex renunciatus fuit die *XI* Menſis Auguſti *MCCCCXCII.*

Anno 1495 Die 8 Julii.

Ratam habet reformationem Septempedani (1) Cœnobii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

EA quę pro ſedandis litibus concordia, vel alias, inter perſonas quaſlibet prę ſertim ſub ſuavi Religionis jugo degentes terminata fuiſſe dicuntur, firma perpetuo debent, & illibata perſiſtere, propterea illa, cum a Nobis petitur, libenter Apoſtolico munimine roboramus. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Sanctę Marię in Mercato Terrę Sancti Severini Ordinis Fratrum Prędicatorum, Camerinen. Diœceſis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi decurſis jam duobus fere annis, prętextu quarundam literarum noſtrarum in forma brevis a dilectis filiis Fratribus dicti Ordinis Congregationis Lombardię a dicta Domo expulſi fuerunt & deinde poſt paucos dies eiſdem Fratribus dictę Congregationis ab eadem Domo ejectis Domum prędictam recuperarunt, in quo etiam degunt de preſenti, &. cum ſępenumero omnes Fratres prędicti ad Nos ſuper his recurſum habuiſſent, Noſque dilecto filio Joachino de Turriano dicti Ordinis Generali dediſſemus (3) in mandatis, ut una cum venerabili Fratre noſtro Oliverio Epiſcopo Sabinen. dicti Ordinis Protectore quid deſuper agendum eſſet ſtatueret, decerneret, & ordinaret, vel Nobis ſignificaret, pręfatus Generalis, poſtquam Fratres Congregationis hujuſmodi Domum prędictam coram pręfato Epiſcopo, & Protectore ſponte dimiſerant, ac loco illius Domum ejuſdem Beatę Marię de Quercu dicti Ordinis Viterbien. Diœceſis eis per dictum Generalem conceſſam receperant, ad Domum Terrę Sancti Severini hujuſmodi etiam de conſenſu, & auctoritate pręfati Epiſcopi, & Protectoris perſonaliter ſe conferens, illam, & Fratres qui prius in illa degebant, & ejecti fuerant, reformavit. Quare pro parte eorundem Prioris, & Fratrum Domus Sancti Severini hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut reformationi, & dimiſſioni prędictis pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in prę miſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Priorem, & Fratres pręfatos, eorumque ſingulos a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & penis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum prę ſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, reformationem, & dimiſſionem prędictas, auctoritate Apoſtolica, tenore prę ſentium approbamus, & confirmamus, ac prę ſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, mandantes quibuſcunque perſonis, ne de cetero prę fatos Priorem, & Fratres in aliquo ſuper premiſſis moleſtare prę ſumant, ſub excommunicationis, ac mille ducatorum auri Camerę Apoſtolicę applicandorum penis, ac decernentes, prę ſentibus per quaſcunque alias literis derogari non poſſe, niſi de illis de verbo ad verbum mentio fieret in eis. Non obſtantibus prę miſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus Ordinis, & Congregationis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, communitionis, ſuppletionis, mandati, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prę ſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quinto, Octavo Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

1. *Septempedani.*) Vulgo *San Severino*, in *Piceno*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Septempedano*.
3. *Dediſſemus.*) Anno *MCCCCXCIV* die *I* Januarii. Conſulenda Conſtitutio *XXVIII*. Legitur *pag.* 104.

Ref-

Reſcindit literas in Bergomenſes (1) Fratres datas.

Anno 1495 Die 9 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Prępoſito Prępoſiturę S. Bartholomęi Bergomenſis.

XLII.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

DUdum per Nos intellecto, inter Rectores Parochialium Eccleſiarum, & aliorum Curatorum Civitatis, & Dięceſis Bergomen., & Fratres Ordinum Mendicantium verti diſſenſiones ſuper prędicationibus populis faciendis confeſſionibus eorum audiendis, & pęnitentiis injungendis, ac Sacramentis, & in propriis domibus miniſtrandis, ac ſuper intereſſentia teſtamentorum per eos condendorum, & ſepulturis apud eorum Eccleſias eligendis, necnon portione canonica de legatis, & relictis, eis factis, aliiſque juribus Parochialibus, Rectoribus, & Curatis prędictis debitis; Nos attendentes, diſſenſiones, & quęſtiones inter perſonas eccleſiaſticas pernicioſas eſſe, & cedere aliis in reprobum, & ſcandaloſum exemplum, venerabili Fratri tunc, & pro tempore exiſtenti Epiſcopo Bergomenſi, aliiſque, noſtris literis in forma brevis, dedimus in mandatis, quatenus circa premiſſa, & quodlibet pręmiſſorum, quicquid per felicis recordationis Bonifatium VIII, & Clementem V in Concilio Viennen., ac Johannem XXII, & poſtmodum per Caliſtum III, Prędeceſſores noſtros, Romanos Pontifices, ſtatutum fuerat, per prędictos Ordinum Mendicantium Fratres profeſſores, & quoſvis alios in prędictis Civitate, & Dięceſi Bergomenſi faceret auctoritate noſtra inviolabiliter obſervari: Contradictores quoſlibet, & rebelles cenſuris eccleſiaſticis, & aliis juris remediis, auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, prout in illis plenius continetur. Hodie ſiquidem fide digna relatione dilectorum filiorum nobilium virorum Ducis, & dominii Venetorum, ac ex tenore literarum Communitatis Bergomen. informati, quod cauſę propter quas literę prędictę conceſſę fuerunt, verę non fuerant, neque de pręſenti exiſtant, quodque nulla penitus contentio fuit, nec eſt inter Ordines Mendicantium prędictorum profeſſores, & Curatos, aut alios, poſſentque occaſione contentorum in dictis literis veriſimiliter ſcandala inibi exoriri, literas prędictas, ac omnia, & ſingula perinde haberi, ac ſi a Nobis non emanaſſent, Ordinum quoque prędictorum profeſſores in eum, & priſtinum ſtatum, ac ad Privilegia indulta, & literas Apoſtolicas eiſdem Mendicantium Ordinibus conceſſa, in quibus antequam literę prędictę emanaſſent, erant, reſtituimus, reponimus, & plenarie redintegramus, ipſique Epiſcopo ſub virtute Sanctę Obedientię, & ſi non paruerit, interdicti ingreſſus Eccleſię, ſubſtitutis vero ab eo, ac aliis ſub excommunicationis latę ſententię pęna, in quam, ſi contrafecerint, eo ipſo incurrere decernimus, committendo mandamus, quatenus pretextu dictarum literarum revocatarum quidquam nullatenus attentare prędumant, quodque Domorum, & Ordinum eorundem Priores, & Guardiani, & illorum Vicarii hujuſmodi revocationem literarum prędictarum, dum inibi major populi devotio ad divina convenerit audienda publice nuncient, faciantque ab aliis publice nunciari. Non obſtantibus quibuſcunque litibus per quoſcunque forſan ſuper pręmiſſis, aut aliquo pręmiſſorum occaſione dictarum revocatarum literarum contra dictos Mendicantium profeſſores, vel eorum procuratores, motis, quarum ſtatum pro expreſſis pręſentibus habentes, illas ad Nos advocamus, & eas penitus extinguimus, necnon omnibus illis, quę in dictis revocatis literis volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die IX Septembris MCCCCXCV, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Abrogatio.

1. *Bergomenſes*.) In *Longobardia ditionis Veneta*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Bergomenſi*.

Cœnobii (1) S. Michaelis fundandi facultas.

Anno 1495 Die 12 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XLIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori ſecularis, & Collegiatę S. Johannis Lucan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD uberes, quos Ordinis Fratrum Prędicatorum Sacra Religio virtutum fęcunditate, per multiplicia virtutum inſignia profert in Univerſali Eccleſia fructus, & eximiam, quam fidelis populus Chriſtianus, ad Fratres, & Ordinem prędictos devotionem gerere dignoſcuntur, paternę conſiderationis dirigentes intuitum, inducimur non indigne, ut ipſos eo pręcipuo proſequamur favore, quo latius per orbem propagati, fęcundius, Deo propitio, ſtudio pię vitę afferre animarum profectum valeant, & ſalutem. Sane pro parte venerabilis Fratris noſtri Nicolai (3) Epiſcopi (4) Lucan., & dilecti filii Nicolai Marchionis Lucani, dicti Ordinis profeſſoris, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum Monaſterium S. Michaelis loci de Sucano (5), Ordinis S. Benedicti, Lucan. Dięceſis, jam ducentis annis, vel circa, elapſis Menſę Epiſcopali Lucan. unitum in ſuis ędificiis, quaſi totaliter deſolatum ſit,

Epiſcopi ſupplex petitio.

non poſſitque dictus Epiſcopus imprępſentiarum ex fructibus dictę Menſę ędificia hujuſmodi commode reparatione perficere, quodque ſi ędificia ipſa, aliquibus Religioſis concederentur, illi ipſa ſucceſſu temporis repararent, & inibi divina officia celebrarent, curamque animarum nonnullorum inibi habitantium exercerent, adeo ut inibi divinus cultus ſuſciperet incrementum. Quare pro parte Epiſcopi, & Nicolai Marchionis prędictorum, Nobis fuit bumiliter ſupplicatum, ut eidem Nicolao Epiſcopo concedendi dicto Nicolao Marchionis ędificia prędicta cum Eccleſia, clauſtris, hortis, bortalitiis dicti Monaſterii, ac illius parietibus, ad decem brachia illis adjacentibus, vel plus, ſi voluerint, pro conſtructione unius Domus pro perpetuis uſu, & habitatione dicti Nicolai Marchionis, & aliorum Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum, qui inibi ſub regulari obſervantia, & obedientia Vicarii Generalis pro tempore exiſtentis Congregationis Lombardię ſecundum morem dicti Ordinis Prędicatorum, perpetuo Altiſſimo famulentur, ipſique Nicolao Marchionis, Eccleſiam, & ędificia bujuſmodi pro dicto Ordine Prędicatorum recipiendi, ac inibi unam Domum cum clauſtro, dormitorio, refectorio, campanili humili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu, & habitatione Nicolai Marchionis, & Fratrum bujuſmodi conſtruendi, & ędificandi Eccleſiam, & alia ędificia bujuſmodi ad inſtar aliarum Domorum Ordinis Prędicatorum, necnon Congregationis prędictorum reformandi, ac inibi Fratres dicti Ordinis Prędicatorum profeſſores introducendi, & alios dictum Ordinem Prędicatorum profiteri volentes in eadem conſtruenda Domo Fratres recipiendi, eiſque habitum regularem exhibendi, & ab eis regularem profeſſionem admittendi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui animarum ſalutem, procurari, & religionis ſtatum propagari, ac divinum cultum adaugeri, noſtris pręſertim temporibus ferventibus deſideriis exoptamus, ipſos Nicolaum Epiſcopum, & Nicolaum Marchionis a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis dilectis filiis Capitulo Lucan., & aliis, qui fuerint evocandi, Eccleſiam, & ędificia prędicta, a Menſa, & Monaſterio prędictis Apoſtolica auctoritate ſepares, & dividas, & nihilominus, ſi ſeparationem, & diviſionem bujuſmodi per te vigore pręſentium, fieri contigerit, Nicolao Epiſcopo ędificia cum illorum clauſtris, hortis, hortalitiis, & illis adjacentibus parietibus, ad decem brachia, & ultra, ſi dictus Nicolaus Epiſcopus, voluerit, ut pręfertur, pręfato Nicolao Marcbionis pro conſtructione dictę Domus pro uſu, & habitatione ſua, & aliorum Fratrum prędictorum, qui inibi ſub obſervantia, & obedientia prędictis Vicarii hujuſmodi Altiſſimo famulentur, ut pręfertur, ac Eccleſiam ipſam pro Eccleſia dictę Domus concedendi, ac pręfato Nicolao Marcbionis ędificia hnjuſmodi recipiendi, ac inibi unam Domum cum clauſtro, dormitorio, refectorio, campanili bumili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione prędictis, ſine alicujus prejudicio conſtruendi, & ędificandi, ac inibi Fratres ejuſdem Ordinis Prędicatorum profeſſores, quos ad id benevolos invenerit, introducendi, & alios dictum Ordinem Prędicatorum profiteri volentes, in dicta Domo Fratres recipiendi, & eis habitum regularem exbibendi, ac ab eis regularem profeſſionem per Fratres dicti Ordinis Prędicatorum emitti ſolitam, ſi illam in ejus manibus ſponte emittere voluerint, admittendi, Domumque conſtruendam hujuſmodi, & Fratres in ea pro tempore, ut pręfertur, degentes ad inſtar aliarum Domorum Fratrum Ordinis, & Congregationis prędictorum, reformandi, licentiam, & facultatem dicta auctoritate noſtra largiaris. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi largiri, & alia pręmiſſa per te vigore pręſentium fieri, contigerit, ut pręfertur, dictę conſtructę Domui, & illius pro tempore Priori, & Fratribus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, indulgentiis, & indultis, aliis domibus Ordinis Prędicatorum, & Congregationis hujuſmodi in genere conceſſis, & concedendis in poſterum, & quibus alię Domus hujuſmodi utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & debeant, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, de ſpecialis dono gratię indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri probibente, ne prędicti &c ad inbabitandum nova loca recipere &c., & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quinto, Pridie Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Famulatus.

1. *Cœnobii.*) In *Hetruria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLIII fol. 9.*
3. *Nicolai.*) Adeas *Ughellum in Epiſc. Lucen.*
4. *Epiſcopi.*) Nunc Archiepiſcopalis eſt Sedes *Lucen.*
5. *De Sucano.*) Fortaſſis: *Noſano.*

Quæ-

Quædam (1) nonnullis Fratribus Congregationis Lombardiæ conceſſa reſcindit, & interpretatur.

Anno 1495 Die 28 Septembris.

Ex Bullario Caſtellani Parte I pag. 24.

XLIV.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXponi nobis nuper feciſti, quod ex indultis, & facultatibus, quę Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoribus Congregationis Lombardię ſuper eligendis Confeſſoribus, qui eos a peccatis per eos commiſſis, in caſibus eorum ſuperioribus reſervatis, abſolvant, & aliquibus bonis per eos, ut propriis retinendis, abſque tua licentia conceduntur, Religionis norma, & obſervantię regularis diſciplina lenteſcit, & delinquendi liberius quodammodo occaſio prębetur, in animarum periculum Fratrum prędictorum. Quare Nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut providere in pręmiſſis opportune de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quaſcunque facultates eligendi Confeſſores, qui Fratres Ordinis, & Congregationis hujuſmodi in caſibus eorum ſuperioribus de futuris reſervatis, abſolvant, & eis penitentiam ſalutarem injungant, necnon ſuper habendis pecuniis, ſeu aliis bonis quibuſcunque, & de illis ut propriis diſponendi, tam per Nos, vel Sedem Apoſtolicam, ſeu illius Legatos, vel Nuncios, quamquoſcunque alios, quacunque auctoritate fungentes, etiam in dicto Ordine, abſque tua, ſeu qui pro tempore extiterit, Vicarii Generalis dictę Congregationis, ſeu Prędentium Conventuum, tuę curę commiſſorum, licentia, & conſenſu, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, quas, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, haberi volumus pro expreſſis, hactenus, etiam vigore literarum Apoſtolicarum, quoad abſolutiones illarum prętextu in futurum faciendas, ac bonorum, & rerum hujuſmodi retentionem hactenus conceſſas, auctoritate Apoſtolica revocamus per pręſentes. Et in poſterum abſque tui, & pro tempore exiſtentis dictę Congregationis Vicarii Generalis, ſeu prędictorum Prędentium Conventuum tuę curę commiſſorum, ſimili licentia, & conſenſu concedendas nullius firmitatis exiſtere decernimus. Et quia, ſicut accepimus, juxta quaſdam literas felicis recordationis Pauli Papę Secundi Prędeceſſoris noſtri, ſi contingat Vicarium Generalem dictę Congregationis pro tempore exiſtentem cujus Officium Vicariatus biennio duntaxat duret, infra dictum biennium deficere, Prior antiquioris Conventus, ſeu Domus Congregationis, & Ordinis prędictorum, Officium Vicarii prędicti uſque ad electionem, ſeu Confirmationem alterius Vicarii Generalis, facere habet; ſi forſan contingat dictum Vicarium infra dictum biennium decedere, & Prior antiquioris Conventus, extra Provincias utriuſque Lombardię exiſtentis, Officium Vicarii prędicti quoad loca ejuſdem Congregationis in ipſis Provinciis utriuſque Lombardię exiſtentia exercere haberet, ex hoc neceſſitati aliorum locorum dictę Congregationis in ipſis Provinciis utriuſque Lombardię, quę pluribus Patribus numero, & auctoritate abundant, quorum conſilio res Congregationis melius diſcerni poſſunt, exiſtentium, non provideretur, eadem auctoritate Apoſtolica etiam per has pręſentes volumus, atque decernimus, quod de cetero perpetuo dicto Vicario Generali infra biennium prędictum deficiente, Prior antiquioris Conventus ejuſdem Congregationis in pręfatis Provinciis utriuſque Lombardię exiſtentis, non autem aliarum Provinciarum, Officium, & vices Vicarii ſic deficientis, etiam quoad Loca & Conventus alibi exiſtentia, alias juxta tenorem literarum Pauli Prędeceſſoris, hujuſmodi vices ſuppleat, & obtineat. Non obſtantibus premiſſis, ac conſuetudinibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Congregationis, & Ordinis Prędicatorum juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, nec non privilegiis, & indultis Apoſtolicis, eiſdem Congregationi, & Ordini quomodolibet conceſſis, quibus quatenus in aliquo ex pręmiſſis obſtent, quoad illa ſpecialiter, & expreſſe per eaſdem pręſentes derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Septembris MCCCCXCV, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Abrogatio.

Nota.

B. Floridus.

1. *Quædam.*) De his in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

Fra-

Anno 1495 Die 30 Septembris.

Fratres non ſolum die Paſchatis, ſed etiam mortis tempore Sacramenta (1) miniſtrent Fratribus, ac Sororibus Tertii Ordinis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLV.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Pręd icatorum.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a laude Fratrum.

Facultas.

CONſiderantes uberes fructus, quos Fratres Ordinis Prędicatorum, Congregationis Lombardię, ad ſalvationem animarum Chriſti fidelium in militanti Eccleſia produxerunt hactenus, merito inducimur, ut eos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Hinc eſt, quod Nos, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ſingulis Fratribus Ordinis, & Congregationis hujuſmodi in Presbyteratus Ordine conſtitutis, nunc & pro tempore exiſtentibus, quod de licentia tua, aut qui pro tempore extiterit, Generalis Vicarii, vel Prioris, ſeu Pręſidentis domus Ordinis, & Congregationis hujuſmodi, in qua eos pro tempore reſidere contigerit, omnibus, & ſingulis Fratribus & Sororibus Tertii Ordinis, de Pęnitentia B. Dominici nuncupatis, nunc & pro tempore exiſtentibus, quando id petierint, tam in die Paſchę, ſeu feſti Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & infra ejuſdem feſti octavam, quam etiam aliis diebus, etiam in mortis articulo Euchariſtię, ac alia Eccleſiaſtica Sacramenta quęcunque exhibere, & miniſtrare, ipſique Fratres, & Sorores Euchariſtię & alia Sacramenta hujuſmodi ab eiſdem Fratribus Ordinis Prędicatorum, & Congregationis hujuſmodi recipere libere, & licite valeant, cujusvis licentia ſuper hoc minime obtenta, ſeu etiam petita, auctoritate Apoſtolica licentiam concedimus, & facultatem per pręſentes. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Congregationis, & Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXX Septembris MCDLXXXXV, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Sacramenta.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex authentico aſſervato in *Mediolanenſi* Cœnobio *S. Marię Gratiarum.* Legitur apud *Uſuſmarem pag. 169*, & apud *Caſtellanum Parte I pag. 26.* Autographum habes in Cœnobiis *Veronenſi*, & *Cremonenſi.*

Anno 1495 Die 30 Octobris.

Moniales Ordinis, ac Sorores de Pœnitentia fruantur Privilegiis (1) ſibi conceſſis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLVI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus univerſis Monialibus Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum, ac de Tertio Ordine S. Dominici de Pęnitentia nuncupatis Sororibus, ſub habitu Fratrum Prędicatorum degentibus Provincię Teutonicę ſecundum morem dicti Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Supplex petitio.

Conceſſio.

SAcrę Religionis, ſub qua in humilitatis ſpiritu, devotum, & ſedulum exhibere ſtudetis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut ea vobis favorabiliter concedamus, per quę quieti veſtrę opportune conſuli poſſit. Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod dudum diverſa privilegia vobis per Sedem Apoſtolicam conceſſa fuerunt, & quod etiam eiſdem privilegiis, quibus Ordo Fratrum Prędicatorum gaudet, gaudere poſſetis, Apoſtolica vobis extitit auctoritate conceſſum. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis ſuper obſervatione privilegiorum conceſſorum hujuſmodi, ne contingat, vos contra illorum tenorem moleſtari, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut Conſervatores per Sedem prędictam eiſdem Fratribus Provincię Teutonicę ſecundum morem dicti Ordinis deputati quoad obſervationem privilegiorum vobis conceſſorum hujuſmodi, in omnibus, & per omnia, alias juxta literarum prędictarum eis directarum continentiam, & tenorem procedere poſſint perinde, ac ſi dicti conſervatores vobis per Sedem prędictam dati, & deputati fuiſſent, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quę in literis prędictis conceſſum eſt, non obſtare, ceteriſque contrariis, nequaquam obſtantibus, auctoritate pręfata, tenore pręſentium, de ſpecialis dono gratię indulgemus, ac eiſdem Conſervatoribus ſuper hoc, plenam, & liberam harum ſerie concedimus facultatem. Nulli ergo &c. noſtri Indulti, & conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quinto, Tertio Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCVI fol.* 240.

Un-

Undecim Conventus (1) Terræ Laboris committit curæ Vicarii Generalis Congregationis Lombardiæ.

Anno 1496 Die 10 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilectis filiis Pręſidentibus (3), & Prioribus Congregationis Lombardię.

XLVII.

A L E X A N D E R PP. VI.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

DUdum cupientes Congregationem Lombardię Ordinis Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum, ad quam ſpecialem gerimus devotionis affectum, ubique annuente Domino propagari, vobis in virtute Sanctę Obedientię per alias noſtras in forma Brevis literas mandavimus, ut curam undecim Conventuum reformatorum Terrę laboris videlicet Sancti Dominici, Sancti Petri Martyris, & Sancti Spiritus de Neapoli, Conventus Salernitani, Pedemontis, Fundenſis, Cajetani, Sueſſani, Capuani, Averſani, & Arrientii, infra menſem a tempore datę literarum prędictarum computandum, ſuſcipere, & illis de Prioribus, & aliis Officialibus juxta morem dictę Congregationis providere debeatis, prout in dictis literis plenius continetur. Tamen pro eo quia literas prędictas, ut accepimus, infra tempus in eiſdem prępfixum executi non eſtis, a nonnullis hęſitatur an Conventus hujuſmodi acceptare, ſeu retinere poſſitis; ad hujuſmodi ambiguitatis dubium tollendum, declaramus noſtrę mentis incommutabiliter ſemper fuiſſe, & eſſe, quod Conventus prędicti, tam hactenus per vos reformati, quam in poſterum reformandi, ſi qui ex prędictis forſan reformandi ſunt, nondum infra menſem prędictum, ſed quandocunque poteritis illos acceptare, & pro perpetuis veſtris uſu, & habitatione ſemper eſſe, ac juxta regularia Inſtituta veſtra regi, & gubernari debeant, & ita per quoſcunque judicari, interpretari, ſententiari, & declarari, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, interpretandi, ſententiandi, & declarandi facultate, & auctoritate. Nihilominus pro potiori cautela Conventus prędictos ſub cura, regimine, & adminiſtratione, & gubernatione veſtra immediate ſubjicimus, & pro veſtris perpetuo uſu, & habitatione concedimus, & etiam aſſignamus de novo, ac ut vobis illos acceptare, & retinere, quandocunque liceat, concedimus, & indulgemus. Inhibentes, omnibus, & ſingulis quibuſcunque in virtute Sanctę obedientię, & ſub excommunicationis pęna, ne vos, in pręmiſſis, aut aliquo pręmiſſorum impediant, aut vobis contradicant, Non obſtantibus omnibus illis, quę in dictis, literis volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X Februarii MCCCCXCVI Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Mandatum.

1. *Conventus.*) Conſulenda *Conſtitutio XIII data XXI Januarii MCCCCXCIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus autographum aſſervatur in *Neapolitano* Cœnobio *S. Catharinæ de Formello*;
3. *Præſidentibus.*) Hæc inſcriptio deeſt in exemplari, ſed reſtituta fuit ex Conſtitutione mox laudata.

Ne poſſeſſiones Cœnobii Viterbienſis abalienentur (1).

Anno 1496 Die 14 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

A L E X A N D E R PP. VI.

XLVIII.

Dilecti filii (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

MOtu proprio, & ex certa ſcientia, ob nonnullas cauſas animum noſtrum moventes, tenore pręſentium vobis in virtute obedientię, & ſub excommunicationis latę ſententię in ſingulos veſtrum, ac interdicti in Eccleſiam veſtram, pęnis, diſtrictius inhibemus, ne aliquas poſſeſſiones, vel prędia ad domum pręfatam pertinentia, vendere, alienare, vel commutare pręſumatis, abſque noſtra licentia ſpeciali. Volumus autem, quod domos, & vineas in emphytheoſim, ſeu ad livellum (4) concedi conſuetas, cum conſenſu Capituli veſtri locare, vel allivellare, poſſitis, ſicut hactenus conſuevistis. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Pręſentibus perpetuis temporibus duraturis. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XIV Maii MCCCCXCVI, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Abalienentur.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Viterbien.*
3. *Dilecti filii.*) Inſcriptio deeſt, ſic autem reſtitui poteſt: *Dilectis filiis Priori, ac Fratribus Conventus Viterbien. Ordinis Fratrum Prædicatorum.*
4. *Livellum.*) Sic ab Italica voce *Livello* vocatur *canon*, ſeu *penſio* quæ habetur ex locatione. Hinc *allivellare* idem eſt ac *locare* domos vel agros &c. ſub certo canone.

Anno 1496 Die 7 Junii.

Nonnullorum Cœnobiorum, & Monaſteriorum privilegia firmat.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XLIX.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium ab Ordinis laude.

AD uberes fructus, quos ſacer Ordo Fratrum Prędicatorum in agro militantis Eccleſię plantatus, velut arbor bona produxit hactenus &c. (2). Hinc eſt, quod Nos dilectorum filiorum Priorum, & Fratrum Viennen. (3), Zerluen. (4), Cremen. (5), Novę Civitatis (6), ac Lulencen. (7), Grauſtizoen. (8), & Valliſtenarum (9) Domorum, ac dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſę, & Conventus Monaſterii in Munbatio (10) Fratrum Prędicatorum, & ſub eorundem Fratrum, cura, & regimine degentium S. Auguſtini Ordinum Patavien. (11), & Saltseburgen. (12), ac Aglegien. (13) Dięceſ. Bavarię inferioris Provincię Teutonicę, juxta morem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, in hac parte ſupplicationibus

Supplex petitio.

inclinati, omnia, & ſingula privilegia, libertates, immunitates, exemptiones, Indulgentias, favores, gratias, conceſſiones, & indulta, Prioribus, & Fratribus, ac Abbatiſſę, & Conventui, necnon Domibus, & Monaſteriis prędictis, & eorum ſingulis, per quoſcunque Romanos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam, ac ejus Legatos, & Nuncios conceſſa, necnon immunitatem, & exemptionem Secularium, ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus, ac aliis Chriſti fidelibus eis rationabiliter indultas,

Confirmatio.

quatenus ſint in uſu, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, approbamus, & confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus inviolabilis quoque firmitatis robur obtinere, ac perpetuis, futuris temporibus obſervari debere decernimus. Non obſtantibus, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus, & ſingulis, quę dicti Prędeceſſores in eorundem deſuper confectis literis reſpective voluerint non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę approbationis, communitionis, confirmationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Sexto, Septimo Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXVI fol.* 16.
2. *Hactenus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
3. *Viennen.*) Nunc juris eſt *Hungariæ* Provinciæ.
4. *Zerluen.*) Fortaſſis *Zerbuen.*, ſeu *Zeruen.*, vulgo *Zerbſt*, in *Saxonia Superiori*.
5. *Cremen.*) Legerem *Crembſen* aliis *Cremſen.*, & *Cremſſen.* vulgo *Crembs*, & *Krems* in *Auſtria*. Nunc juris eſt Provinciæ *Hungariæ*. Cœnobium vero *Cremenſe* eſt in Provincia *Lombardiæ*.
6. *Nova Civitatis*.) Seu *Neuſtadien.*, vulgo *Neuſtat*, in *Auſtria inferiori*.
7. *Lulencen.*) Forſitan *Lubecen*, vulgo *Lubeck*, in *Saxonia inferiori*.
8. *Grauſtizoen.*) Forte *Graiacen.*, vulgo *Graitz*, rectius *Gratz*, in *Stiria*.
9. *Valliſtenarum*.) Fortaſſis: *Vallenſtain*.
10. *Munbatio*.) Seu *Mintabacen*.
11. *Patavien.*) Vulgo *Paſſavv*, in *Bavaria inferiori*.
12. *Saltzeburgen.*) Seu *Saliſburgen.*, vulgo *Saltzburg*. in *Bavaria*.
13. *Aglegien.*) *Aquileien.* ſcilicet, nonnullis vulgo *Aglar*, & *Aglon*. Urbs eſt *Carnorum*.

Anno 1496 Die 29 Julii.

S. Thomam laudibus ornat (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

L.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a laude S. Thomæ.

ETſi cunctę orbis Eccleſię ſub Sanctorum fundatę vocabulis, ſunt pia fidelium devotione venerandę, illas tamen, quę in honorem S. Thomę de Aquino dedicatę noſcuntur, eo celebriori memoria convenit venerari, quo ipſe, quaſi lucerna pręfulgens in univerſo, chriſtianum orbem illuſtrat, ac, ſicut etiam inter cetera fulget Eccleſia, ita fidelium mentes, quos in cęleſti patria cupimus collocari, ejuſdem Sancti apud Altiſſimum adjutę ſuffragiis, ac interceſſione illuminatę, a terrenis tenebris ſubleventur, & a peccatorum noxiis liberatę, pręmia felicitatis ęternę conſequi mereantur. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius Petrus de Caſtilla, Civitatis Toletan. Gubernator, ob ſingularem devotionis affectum, quem ad prędictum Sanctum gerit, unum Altare, Capella nuncupatum, ſub invocatione ejuſdem S. Thomę in Eccleſia Domus S. Dominici Oppidi de Madrid (3), Toletan. Dięceſis, Ordinis Fratrum Prędicatorum, de facultatibus a Deo ſibi collatis, conſtrui, & ędificari fecerit, & ſufficienter dotaverit, & in eadem Eccleſia, apud dictum Altare, ſuam, & Conjugis ſuę ſepulturam elegerit; Nos cupientes, ut Altare prędictum congruis honoribus frequentetur, & ad illud Chriſti fideles eo libentius devotionis cauſa confluant, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei

Indulgentia.

miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui prędictum Altare in Purificationis, & Annunciationis S. Marię Virginis, & SS. Dominici, & Thomę prędictorum Feſtivitatum diebus, a primis Veſperis, uſque ad ſecundas veſperas incluſive Feſtivitatum earundem devote viſitaverint, & pro anima Fundatoris dicti Altaris, ſemel orationem Dominicam, & Angelicam Salutationem devote dixerint, duodecim annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, preſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod ſi alias dictum Altare viſitantibus, aut alias aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę, nullius ſint roboris, vel momenti. Datum Romę apud Sanctum

Pe-

Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo (4), Quarto Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Ornat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIII fol.* 203.
3. *Madrid.*) *Madriten.* ſcilicet, vulgo *Madrid*, in *Caſtella nova*.
4. *Septimo.*) Sic amanuenſis; legendum *Sexto*, ut ex ſe patet. Vel ſcribendum: *Pontificatus noſtri Anno Quinto*.

In Archivo Ordinis aliæ quædam Conſtitutiones aſſervantur quibus *Alexander VI* Indulgentias conceſſit.

Anno 1496 Die 21 Junii. LI.

PRo Toletano Cœnobio B. Petri Martyris. Conſtitutio ſic incipit: *Alexander &c. Eccleſias, & eccleſiaſtica loca &c. Cupientes igitur, ut Altare B. Mariæ de Populo ſitum in Eccleſia Domus B. Petri Martyris Civitatis Toletan. Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod, ſicut accepimus, dilectus filius Magiſter Didacus Serrano, Clericus Toletan., Scriptor, & familiaris noſter &c. in Purificatione, & Annunciatione B. Mariæ Virginis, ac S. Dominici, & ejuſdem S. Petri Martyris feſtivitatibus a primis veſperis cujuslibet feſtivitatum, & dierum hujuſmodi uſque ad occaſum ſolis diei ſequentis incluſive &c. decem annos, & totidem quadragenas &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Sexto, Undecimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXV fol.* 131.

Anno 1497 Die 15 Julii. LII.

PRo Granatenſi Cœnobio S. Crucis. Conſtitutio ſic incipit: *Alexander &c. Etſi loca ſub Sanctorum fundata vocabulis &c. Cum itaque, ſicut accepimus, cariſſimus in Chriſto filius noſter Ferdinandus Rex, & cariſſima in Chriſto filia noſtra Eliſabeth Regina Caſtellæ, & Legionis illuſtres, poſtquam Regnum Granaten. de manibus Saracenorum Chriſtiani nominis inimicorum manu forti, Deo Omnipotenti adjuvante eripuerunt, quandam Domum Ordinis Fratrum Prædicatorum de obſervantia nuncupatorum ſub invocatione S. Crucis cum Eccleſia, campanili, & aliis officinis, pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis in Civitate Granaten., quam rite conſtrui, & ædificari fecerunt. Nos cupientes, ut Eccleſia prædictæ Domus, ad quam, ſicut etiam accepimus, dilectus filius Gundiſalvus Fernandez eorundem Regis, & Reginæ in Regno Siciliæ Capitaneus Generalis, ſingularem gerit devotionis affectum &c. in Inventionis, & Exaltationis ejuſdem S. Crucis, ac S. Thomæ Apoſtoli, & S. Dominici Feſtivitatum diebus &c. decem annos, & totidem quadragenas &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo, Idibus Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro CXXXVI fol.* 175.

Anno 1503 Die 26 Aprilis. LIII.

VIſitantibus Altare S. Petri Gondiſalvi Ordinis Fratrum Prædicatorum. *Oliverius Sabinen., Georgius Tuſculan., & Hieronymus Præneſtin. Epiſcopi, Ludovicus Johannes tituli SS. quatuor Coronatorum, Johannes Antonius tit. SS. Nerei, & Achilei, Dominicus tituli Sancti Nicolai inter imagines, Guillermus tituli Sanctæ Pudentianæ, Johannes tituli Sanctæ Priſcæ, Franciſcus tituli Sanctæ Ceciliæ, ac Petrus tituli Sancti Ciriaci Presbyteri, Julianus Sanctorum Sergii, & Bachi, necnon Federicus Sancti Theodori Diaconi miſeratione divina S. R. E. Cardinales, univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino ſempiternam. Quanto frequentius fidelium mentes ad opera caritatis inducimus, tanto ſalubrius animarum ſuarum ſaluti conſulimus. Cupientes igitur, ut Altare Sancti Petri Gondiſalvi Fratris Ordinis Sancti Dominici in Monaſterio ejuſdem Sancti Dominici in Villa de Guimaraes Bracharenſis Diœceſis, ad quod Petrus Alvari nobilis vir de Domo Regis Portugalliæ, & Agnes Johannis ejus Uxor, dictæ Bracharenſis Diœceſis, ſingularem gerunt devotionem, congruis frequentetur honoribus, & a Chriſti fidelibus jugiter veneretur, ac in ſuis structuris, & ædificiis debite reparetur, conſervetur, & manuteneatur, necnon libris, calicibus, luminaribus, ornamentis eccleſiaſticis, & rebus aliis pro divino cultu inibi neceſſariis decenter muniatur, utque Chriſti fideles ipſi eo libentius devotionis cauſa confluant ad illud, & ad reparationem, conſervationem, manutentionem, & munitionem hujuſmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cæleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, Nos Cardinales præfati, videlicet, quilibet noſtrum per ſe, ſupplicationibus dictorum Petri Alvari, & Agnetis Johannis ejus Uxoris, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus utriuſque ſexus vere pænitentibus, qui dictum Altare in ſingulis, videlicet, Sancti Dominici, & ſecunda die Nativitatis Domini, ſecunda die Paſchæ, ſecunda die Pentecoſtes, ac Sancti Petri, in qua ipſius Altaris conſecratio celebratur, feſtivitatibus, & diebus a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas incluſive devote viſitaverint annuatim, & ad præmiſſa manus porrexerint adjutrices, pro ſingulis feſtivitatibus, ſive diebus prædictis, quibus id fecerint, centum dies de injunctis eis pænitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum fidem literas noſtras hujuſmodi fieri, noſtrorumque ſigillorum fecimus appenſione communiri. Datum Romæ in Domibus noſtris Anno a Nativitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Tertio, die vero Vigeſima ſexta Menſis Aprilis, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Alexandri divina providentia Papæ Sexti Anno Undecimo.* Ex Archivo Ordinis, in quo Exemplar authenticum, cujus authographum ſervatur in Cœnobio *S. Dominici Guimaranen.*

Anno 1496 Die 7 Novembris.

Congregatio (1) conſtituitur in Romana Provincia.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LIV.

Dilectis filiis Sanctę Marię ſuper Minervam de Urbe, Sanctę Marię ad Gradus Viterbien., S. Marię ad Quercum, extra muros Viterbien., S. Spiritus Senen., S. Catherinę de Piſis, S. Sabinę de Urbe, S. Dominici de S. Geminiano, S. Marci de Florentia, S. Dominici de Feſulis, S. Dominici de Piſtorio, S. Dominici de Prato, S. Romani de Luca, S. Agnetis de Montepolitiano, S. Dominici de Peruſia, S. Dominici de Cortona, S. Marię de Saxo, Ordinis Prędicatorum Prioribus, & Fratribus in illis domibus degentibus.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a laude Ordinis.

REformationi, & augmento veſtrę ſacrę Religionis, prout tenemur, favorabiliter attendentes, quę omnium conditori gratiſſima, & pię devotioni fidelium accepta eſt, & fructuoſa, libenter ad illa intendimus, per quę utiliter, & ſalubriter valeat provideri, quod laudabiles ritus, mores, & obſervantia regularis in omnibus domibus veſtri Ordinis continue vigeant, & proſperum ſuſcipiant, adjuvante Domino, incrementum. Hujuſmodi igitur pio deſiderio inducti, ac ſperantes, quod ſi domus S. Marię de Quercu extra muros Viterbien., S. Spiritus de Senis, S. Catherinę de Piſis, S. Sabinę de Urbe, necnon S. Dominici de S. Geminiano Ordinis veſtri, quę Congregationi Fratrum Lombardię unitę, & incorporatę aliquandiu permanſerunt, a Congregatione prędicta, & illius Vicarii, & Pręlatorum obedientia ſepararentur, ac ſtatueretur, quod tam prędictę, quam etiam alię domus veſtrę videlicet S. Marię ſuper Minervam de Urbe, S. Marię ad Gradus Viterbien. S. Dominici de Peruſia, S. Dominici Cortonen., S. Agnetis Montis Politiani, S. Marci de Florentia, S. Dominici de Feſulis, S. Marię de Saxo, necnon S. Dominici Praten., S. Dominici Piſtorien., & S. Romani de Luca veſtri Ordinis Domus, & vos nunc, & pro tempore degentes in eis, Priores, & Fratres, unam aliam Congregationem invicem Fratrum Romanę, & Tuſcię Provincię ſecundum morem dicti Ordinis nuncupandam, ſub unius proprii Vicarii obedientia degentium conſtitueretis, exinde profecto ſalubris propagatio, ritus, & morum obſervantię regularium inſtitutorum dicti Ordinis domibus, & eorum Fratribus proveniret, pręſertim quia dictę domus invicem in magna exiſtunt propinquitate, & commode a ſuo Vicario viſitari, Fratreſque in ipſis degentes ad eum faciliter ſe conferre, & ſuis opportunitatibus ſubvenire poſſunt juxta veſtrarum ſeriem conſtitutionum. Motu igitur proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera libertate, & ex certa noſtra ſcientia, S. Marię de Quercu, S. Spiritus Senenſis, S. Dominici de S. Geminiano, S. Catherinę de Piſis, & S. Sabinę de Urbe domos, & vos nunc, & pro tempore degentes in eis Priores, & Fratres a Congregatione prędicta Lombardię, & illius Vicarii, & Pręlatorum obedientia ſegregamus, & ſeparamus. Nec volumus per hoc detrimentum aliquod ſive damnum generari, aut quoquo modo provenire pręfatis domibus. Ac etiam Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, tam pręfatę quinque ſic per Nos a dicta Congregatione ſeparatę, quam alię domus prędictę in dicta Romana, & Tuſcię Provincia conſiſtentes, & vos nunc, & pro tempore in eis degentes, Priores, & Fratres inſimul unam novam Congregationem, Fratrum regularis vitę obſervantię Romanę, & Tuſcię Provincię nuncupandam, conſtituatis. Magiſtroque Generali, & unius ejuſdem Congregationis Vicarii obedientię ſubjiciamini, qui hac prima vice per venerabilem Fratrem noſtrum Oliverium Epiſcopum Sabinenſem Cardinalem Neapolitanum, cum conſilio dilecti filii Generalis Magiſtri veſtri Ordinis pro biennio tunc proxime futuro deputetur, & hujuſmodi biennio elapſo, ſtatim ab officio Vicariatus cenſeatur abſolutus, & ſingulis bienniis perpetuis futuris temporibus a Prioribus, & Sociis, ac aliis electoribus, juxta formam conſtitutionum veſtri Ordinis, poſitam in Capitulo de Electione Prioris Provincialis, eligatur; quę electio per Magiſtrum Generalem veſtri Ordinis confirmetur, nec alius Vicarius poſſit inſtitui, niſi qui ſic per Congregationem prima vice, & legitime electus fuerit, ipſeque Vicarius in dictę Congregationis domos, & illarum Priores, & Fratres pari, qua & Prior Provincialis in domos, & illarum Priores, & Fratres ſuę Provincię, ſuperioritate, juriſdictione, & pręeminentia, & poteſtate fungatur, & quolibet anno Priores dictarum domorum cum eorum ſociis ad Congregationem evocare, & dictas domos, & in eis degentes Priores, & Fratres per ſe, vel legitime impeditus per alium, in capitibus, & membris viſitare teneatur, & debeat, nec poſſit in ſui Vicariatus officio finito biennio quoquomodo confirmari, aut de novo in Vicarium eligi infra biennium tunc proxime futurum, nec etiam interim ab officio ſui Vicariatus, niſi per eandem Congregationem abſolvi, aut eidem Congregationi alius, quam per Congregationem ipſam electus in Vicarium; vel Vicevicarium, ſive Locumtenentem ejus, aut ſub quovis alio nomine pręfici. Quod ſi contingat, Ipſum in Vicariatu ſuo ab hac vita migrare, tunc Prior domus S. Marię ſuper Minervam vices ejus in omnibus obtineat, teneaturque infra menſem ſex convocare Priores antiquiorum domorum dictę Congregationis, de quorum conſilio determinabitur, quando pręfata electio fieri debeat, & quouſque alius electus non fuerit, & confirmatus, ejus auctoritate in omnibus fungatur. Ipſe quoque Vicarius tantum Priores abſolvat, & electos confirmet. Mandamus Inſuper, & diſtricte pręcipimus in virtute ſanctę obedientię univerſis, & ſingulis Fratribus, ad dictas domos quoquomodo pertinentibus, & qui de prędicta Provincia ſunt oriundi, ut ad ipſam Congregationem Tuſcię, & Romanę Provincię omni excuſatione poſtpoſita illico revertantur, nec

Diplomatis cauſa.

Inſtitutio.

aliquis

aliquis Frater ipſius Congregationis inde diſcedere poſſit, aut valeat, abſque ipſius Vicarii expreſſa licentia. Concedimus prępterea motu, & ſcientia ſimilibus, Vicario, Domibus, & Fratribus dictę Congregationis Romanę, & Tuſcię Provincię, & qui pro tempore erunt, ut omnibus, & ſingulis pręrogativis, privilegiis, gratiis, immunitatibus, & donis, ac indulgentiis, & indultis ſpiritualibus, & temporalibus, Congregationi prefatę Lombardię, & illius Vicario, domibus, & Fratribus per Nos in genere, & Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet conceſſis, & quibus Congregatio prędicta, & illius Vicarius, Domus, & Fratres in genere utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti in poſterum poterunt, & gaudere, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant proinde, ac ſi principaliter pro ipſa Congregatione Romanę, & Tuſcię Provincię, ac illius domibus Vicario, & Fratribus, ęque principaliter emanaſſent, quibus etiam ſalvis, non intelligatur per ea derogatum debitę ſuperioritati Magiſtri veſtri Ordinis Generalis, & veſtrę in eum ſubjectioni. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictę Congregationi Lombardię, aut alicui ex Prioribus, vel domibus prędictis Romanę, vel Tuſcię Provincię conceſſis literis, etiam in forma Brevis, & privilegiis, quibus illa, etiamſi de eis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum, ſeu quęvis alia expreſſio habenda eſſet, & in eis quęvis clauſulę etiam derogatoriarum derogatoriis fortiores, & inſolitę continerentur, in his pręſentibus pro expreſſis habentes hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad pręmiſſa ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus inſuper, & pręſentium tenore in virtute ſanctę obedientię diſtricte prępipiendo ſub excommunicationis latę ſententię pęna mandamus univerſis, & ſingulis cujuſcunque conditionis, ſtatus, dignitatis, & gradus, quatenus pręſentibus noſtris literis nullo modo per ſe, vel per alium, directe, vel indirecte, ſub quovis titulo, aut quęſito colore contradicere, ſive impedimentum pręſtare audeant, aut pręſumant. Decernentes etiam irritum, & inane, ſi ſecus ſuper pręmiſſis, aut aliquo pręmiſſorum ſcienter, vel ignoranter a quoquam contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VII Novembris MCCCCLXXXXVI, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

L. Podocathareus.

1. *Congregatio.*) Conſulendus *Fontana de Romana Provincia Cap. I Tit. III pag. 22 &c.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Aliud aſſervatur in Archivo *Florentini* Cœnobii *S. Marci*. Exemplar authenticum habes in Archivo Ordinis.

Ne aliquis ex judæis ortus aſcribatur conventui Fratrum Abulenſis (1) Cœnobii.

Anno 1496 Die 12 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Thomę (3) de Turrecremata Priori S. Crucis Ordinis Prędicatorum.

LV.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXponi nobis feciſti, quod tu qui Officium Inquiſitoris Generalis hęreticę pravitatis, & apoſtaſię a fide catholica in Regnis, & dominiis cariſſimorum in Chriſto filiorum Ferdinandi, & Eliſabeth Hiſpaniarum Regis, & Reginę Illuſtrium, per plures annos, ex delegatione, ſeu commiſſione Apoſtolica exercuiſti, eodem officio durante, tam ex dictorum Regum largitione, quam ex nonnullis pęnitentiis arbitrio Inquiſitorum hęreticis redeuntibus ad fidem impoſitis inſigne Monaſterium Ordinis tui Prędicatorum ſub invocatione S. Doctoris Thomę de Aquino in Civitate Abulenſi a primis fundamentis ędificaſti, & erexiſti, illudque utenſilibus, & ornamentis ad cultum divinum, & uſum Religioſorum ibidem commorantium neceſſariis ſufficienter dotaſti, atque muniſti. Sed cum perſona tua, neophitis Chriſtianis deſcendentibus ex genere Judęorum, prętextu dictę Inquiſitionis, plurimum ſit exoſa; veriſimiliter times, ne ſi forte homines illius generis in dicto Monaſterio admitterentur, proceſſu temporis ex ſpeciali tui ac hujuſmodi Inquiſitionis odio in perniciem, & deſtructionem Monaſterii hujuſmodi molirentur. Quare fuit Nobis pro parte tua humiliter ſupplicatum, quatenus dignaremur tibi ſuper hoc de opportuno, & ſalubri remedio providere. Nos igitur, qui te ob immenſos labores pro fidei exaltatione ſuſceptos, in viſceribus gerimus caritatis, juſtis votis, ac ſupplicationibus tuis annuere cupientes, nullum unquam neophitum, ex hujuſmodi Judęorum genere, mediate, vel immediate deſcendentem in Religioſum ejuſdem Monaſterii S. Thomę recipiendum, ſeu admittendum, perpetuis futuris temporibus, ex certa noſtra ſcientia decernimus, atque mandamus. Inhibentes nihilominus Priori, & Conventui, ac ſingularibus perſonis ejuſdem Monaſterii, qui pro tempore erunt, in virtute S. Obedientię, & ſub pęna excommunicationis, quam contravenientes ipſo facto incurrant, ne contra hujuſmodi ſtatutum, & Decretum noſtrum, aliquem de prędicto genere, ad habitum, ſeu profeſſionem dicti Ordinis in eodem Monaſterio ſcienter admittant. In contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XII Novembris MCCCCXCVI Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Nota.

Mandatum.

1. *Abulen.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Abulen.*
3. *Thomæ.*) Viro celeberrimo, de quo ſæpius dictum fuit

Fir-

Anno 1496 Die 12 Novembris.

Firmat donationes a Fratre Thoma de Turrecremata factas Cœnobiis Valliſoletano (1), Segobienſi (2), & Abulenſi (3).

Ex Archivo (4) *Ordinis.*

LVI.

Dilecto filio Thomę de Turrecremata Priori Sanctę Crucis Ordinis Prędicatorum.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

CUm, ſicut accepimus, tu, qui dudum in Monaſterio S. Pauli oppidi Valliſoleti Ordinis Prędicatorum profeſſionem ſolemniter emiſiſti, deinde Monaſterii S. Crucis ejuſdem Ordinis in Civitate Segobienſi Prior effectus, & per felicis recordationis Innocentium Papam VIII, Prędeceſſorem noſtrum, ad cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Ferdinandi, & Eliſabeth Hiſpaniarum Regis, & Reginę illuſtrium ſupplicationem, Generalis Inquiſitor hęreticę pravitatis, & Apoſtaſię a Catholica fide in omnibus Regnis, & Dominiis ſuis fuiſti deputatus, eodem Officio durante, tam ex nonnullis pęnitentiis pecuniariis, quę arbitrio ſuo hęreticis redeuntibus (5) ad fidem, per inquiſitores a te ſubſtitutos fuerunt impoſitę, quam ex eleemoſynis, & largitionibus a prędictis Rege, & Regina, & aliis perſonis ſibi factis, inſigne Monaſterium ejuſdem Ordinis ſub invocatione S. Doctoris Thomę de Aquino in Civitate Abulenſi conſtruxiſti, & tam illi, quam Monaſterio S. Crucis prędicto, cui tanquam Prior pręſidebas, & ejus ędificia ex hujuſmodi pecuniis non modicum reparaſti, multa ornamenta, atque paramenta, & res alias ad augmentum divini cultus, & Religioſorum uſum liberaliter condonaſti. Quę omnia per te donata, & expoſita, cupis apud eadem Monaſteria reſpective in perpetuum fixa permanere, ut inde amoveri non poſſint, ſed dubitas, ne forſan ex eo, quod in dicto Monaſterio Valliſoleti profeſſionis votum emiſiſti, per ejuſdem Priorem, & Conventum, qui erunt pro tempore, prędicta Monaſteria S. Thomę, & S. Crucis ſuper hujuſmodi donationibus per te factis, moleſtentur. Quare de opportuno remedio provideri Nobis humiliter ſupplicari curaſti. Nos igitur, qui perſonam tuam ob immenſos labores, quos pro fidei exaltatione ſuſcepiſti, in viſceribus gerimus caritatis, eamque deſideramus favore proſequi gratioſo, cum non dubitemus omnia, & ſingula per te ſic diſtributa, & prędictis Monaſteriis collata ad augmentum cultus divini, & populi chriſtiani devotionem, atque Religioſorum ſubſidium proculdubio cedere, ſingulas pecuniarum hujuſmodi diſtributiones, & rerum donationes in dictis Monaſteriis, & ad eorum utilitates per te factas ex certa ſcientia, pręſentium tenore, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & approbamus, roburque perpetuę firmitatis habere decernimus; inhibentes ſub excommunicationis pęna, quam ipſo facto contravenientes incurrant, tam Priori, & Conventui, & ſingularibus perſonis dicti Monaſterii S. Pauli pręſentibus, & futuris, quam aliis quibuſvis perſonis cujuſcunque gradus, ſtatus, vel conditionis exiſtant, ne ſuper iis prędicta Monaſteria S. Thomę, & Sanctę Crucis, vel aliquod ipſorum, quacunque occaſionę, ſeu quovis quęſito colore moleſtare pręſumant, pręmiſſis, & aliis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XII Novembris MCCCCXCVI Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Nota. Confirmatio.

1. *Valliſoletano.*) Vulgo *Valladolid:*
2. *Segobien.*) Prior huic Conventui præfuerat annis *XII*. Hinc apud nonnullos *Segobienſis* cognominatur.
3. *Abulenſi.*) Iſtud Cœnobium *Thomas* noſter a fundamentis erexerat.
4. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Abulenſi.*
5. *Redeuntibus.*) Non hæreticos tantum, ſed etiam Judæos innumeros, ac chriſtianos infectus ritibus Judæorum ad ovile Chriſti reduxerat *Thomas*, ut ex Auctoribus, quos laudat *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCCCXCVIII pag. 892* videre eſt.

Anno 1496 Die 6 Decembris.

De Fratribus recipiendis in Congregatione (1) Romanæ Provinciæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LVII.

Dilectis filiis Prioribus ac Fratribus Conventuum Congregationis Provincię Tuſcię, & Romanę Ordinis Prędicatorum.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm nuper pro Dei honore, ac divini cultus augmento, & religionis veſtrę amplificatione inſtitui fecerimus Congregationem Romanę, ac Tuſcię Provincię, ſecundum ritum veſtri Ordinis nuncupatam: Intendentes ad ea, per quę hujuſmodi Congregatio majora quotidie in Domino ſuſcipiat incrementa, & fructus in dies uberiores pariat, vobis, & cuilibet veſtrum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium concedimus, ut religioſos quoslibet, & Fratres veſtri Ordinis, de quacunque alia Congregatione, Conventu, ſeu loco ad vos, & Congregationem veſtram hujuſmodi Romanę, & Tuſcię venire volentes, de Generalis Magiſtri, & Vicarii dictę Congregationis Tuſcię, pro tempore exiſtentium, aut ab eis facultatem habentium, licentia recipere libere, & licite poſſitis, & valeatis: illos ſincera in domino caritate

trac-

tractantes: Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſcunque aliis literis, & indultis ab eadem Sede Apoſtolica, etiam per Nos Ordini veſtro, vel alicui Congregationi, aut Domui ejus, generaliter, aut ſpecialiter, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, etiam motu proprio conceſſis, quibus illa, etiamſi de eis, earumque totis tenoribus de verbo ad verbum, ſeu quęvis alia expreſſio habenda eſſet, & in eis quęvis clauſula, etiam derogatoriarum derogatorię fortiores, & inſolitę continerentur, pręſentibus pro expreſſis habentes, quoad pręmiſſa hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſe derogamus; & in quantum pręſentibus literis, & in illis contentis pręjudicium afferre poſſent, pro infectis, & non conceſſis haberi volumus, & mandamus. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI Decembris MCCCCXCVI Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Congregatione.*) Cui a *S. Marco* nomen eſt. Nunc etiam floret, viris pietate, ac ſcientia claris celeberrima.

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex Autographo *Florentino*.

Curæ Vicarii Generalis Lombardiæ Mediolanenſe Monaſterium Sanctæ Mariæ de Purificatione committit.

Anno 1497 Die 10 Januarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LVIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii B. Marię de Purificatione veteris nuncupati, Ordinis S. Auguſtini, Mediolanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Dudum pro parte veſtra felicis recordationis Innocentio PP. VIII Prędeceſſori noſtro, expoſito, quod cum vos alias, ex conceſſione Apoſtolica curę, & gubernationi Prioris, & Fratrum Domus Sancti Euſtorgii Mediolanen. Ordinis Prędicatorum, Conventualium nuncupatorum, ſubjectę eſſetis, ac cupientes, ob meliorem vitę frugem, ad Regularem dicti Ordinis obſervantiam reduci, & ſub illa perpetuo Altiſſimo famulari, idem Innocentius Prędeceſſor, vos, & Monaſterium veſtrum curę, & viſitationi dilecti filii Vicarii Generalis, de obſervantia nuncupati, conventuum reformatorum dicti Ordinis utriuſque ſexus Lombardię pro tempore exiſtenti, prout alia Monaſteria dicti Ordinis reformata, ſubjecta fuerant, perpetuo ſubjecit, & Vicario pręfato, ut vos, & Monaſterium veſtrum, ſub cura, & viſitatione prędicta, reciperc deberet, ac Fratribus Conventualibus pręfatis, ne de cetero de cura, & viſitatione pręfatis, ſe intromittere pręſumerent, mandavit, prout in dicti Innocentii Prędeceſſoris literis, quę Abbatiſſę ejuſdem Monaſterii directę fuerant, plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, pro eo quod Monaſterii pręfati, non Abbatiſſa, ſed Prioriſſa exiſtit, & in dictis literis, quod ordinario ſuppoſitę, & gubernationi duntaxat in ſpiritualibus dictorum Prioris, & Conventus S. Euſtorgii in pręfata conceſſione ſubiicere ętatis (2), expreſſa mentio facta non fuit, ab aliquibus, hęſitatur, literas pręfatas ſubreptionis vitio notari, voſque propterea moleſtari poſſe tempore procedente, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, vos ſub cura, & viſitatione pręfati Vicarii cum odore bonę famę, & ſub eadem regulari obſervantia viventes, adeo in numero crevistis, quod ultra novitias triginta novem, vel circa, Profeſſę in veſtro Monaſterio pręfato reperiuntur. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in pręmiſſis, ac alias veſtro ſtatui opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur vobis, & animarum veſtrarum ſaluti conſulere cupientes, voſque, & quamlibet veſtrum a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, volumus, quod literę pręfatę, ac inde ſecuta quęcunque a Dat. pręſentium perinde valeant, ac ſi Prioriſſę Monaſterii hujuſmodi directę, & in eis de vera, & limitata ſubjectione, ut prefertur, expreſſio mentio facta fuiſſet, & nihilominus pręfato Vicario Prioriſſam veſtri Monaſterii pro tempore exiſtentem, & alios quoſcunque ejus Officiales, ac dictę electionem confirmandi, & inſtituendi, & deſtituendi, ac abſolvendi, aliaſque omnia, & ſingula juxta ritum aliorum Monaſteriorum reformatorum dicto Vicario ſubjectorum exercendi, exequendi, quę tam, ex conſuetudinibus, & privilegiis, ac gratiis dicto Ordini conceſſis, quam alias quomodolibet in ſpiritualibus, & temporalibus, capitibus, & membris erga Monaſteria ſuę curę commiſſa facere, diſponere, & exequi poteſt, omnimodam facultatem, reſervato tamen conſenſu Archiepiſcopi, vobiſque, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, immunitatibus, favoribus, indultis, tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus aliis Monaſteriis, & Monialibus pręfato Vicario ſubjectis, conceſſis, & in poſterum concedendis, & quibus utuntur, ſeu potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, & indulgemus, ac irritum, & inane decernimus ſi ſecus &c. contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, conceſſionis, indulti, & conſtitutionis, infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Sexto (3), Quarto Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*.
2. *Ætatis*) Mutilus hic locus. Legerem: *ſubjectas tradis.*

3. *Nonageſimo Sexto.*) Stylo Bullarum, æræ vero communis *MCCCCXCVII.*

Anno 1497 Die 13 Februarii.

Arrientii (1) Cœnobii fundationem firmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LIX.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum Congregationis Lombardię.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ALias ad ſupplicationem clarę memorię Ferdinandi Sicilię Regis, Eccleſiam B. Marię ad Vicum Ordinis veſtri Arrientii Agatenſis (3) Diœceſis, vobis per noſtras literas (4) in forma Brevis conceſſimus regendam, & gubernandam, prout in eiſdem literis latius continetur, quarum quidem literarum vigore vos, ut accepimus, per aliquot annos inibi Altiſſimo ſervientes cum commendatione totius populi, pacifice permanſiſtis. Nuper autem intelleximus, quod quidam ejuſdem veſtri Ordinis Fratres Conventuales vos moleſtant, & perturbant; Nos attendentes jus ſuum nemini de facto deberi auferri, maxime quia a fide dignorum teſtimoniis de veſtra approbata vitę obſervantia ſępius accepimus relationes, veſtris, ac cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Johannę Sicilię Reginę Illuſtris ſupplicationibus inclinati, literas noſtras prędictas, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis, quas, ac ſi de verbo ad verbum de eis hic facta foret mentio, pro inſertis haberi volumus, tenore pręſentium confirmamus, inhibentes omnibus, & ſingulis cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, aut dignitatis, exiſtentibus, & pręſertim prefatis Fratribus veſtri Ordinis Conventualibus, ne vos quovis quęſito colore ſuper poſſeſſione dictę Eccleſię B. Marię ad Vicum amplius moleſtare, necnon perturbare pręſumant. Mandantes venerabilibus Fratribus Nolano (5), & Agatenſi Epiſcopis, ac eorum Vicariis in ſpiritualibus Generalibus, quatenus ipſi, vel eorum alter, efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, non permittant vos ſuper dictam Eccleſiam quomodolibet moleſtari, aut perturbari. Contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, & opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, literis Apoſtolicis in favorem dictorum Fratrum hactenus, etiam per Nos forſan deſuper conceſſis, quibus per pręſentes expreſſe derogamus, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII Februarii MCCCCXCVII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Arrientii*.) Seu *Arienzii*, *Arienzo*. Nunc iſtud Cœnobium juris eſt Provinciæ *Sanitatis*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Arianen.*
3. *Agatenſis*.) Seu *Agathen.*, vulgo *S. Agata di Goti*, in Regno *Neapolitano*.
4. *Literas*.) Conſtitutionem ſcilicet datam *XXI* Januarii *MCCCCXCIII*.
5. *Nolano*.) In Regno *Neapolitano*.

Anno 1497 Die 28 Februarii.

Facultas fundandi Cœnobii extra Oppidum Loben. (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LX.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Nurembergen., & dilectis filiis Nurembergen., ac S. Petri in Budiſſen., Miſnen. Diœceſ., Eccleſiarum Decanis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter curas multiplices, quibus undique agitamur, illa maxime cordi noſtro reſidet, ut noſtris potiſſime temporibus ſacrę Religionis ſplendor ubique eniteſcat &c. (3) Sane pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Uladiſlai (4) Ungarię Regis illuſtris, ac dilecti filii nobilis viri, Henrici de Hartenſtein. (5) Comitatus, ac Marchionatus Luſanię (5) Inferioris (6), Miſnen. Diœceſis, pro pręfato Rege Prefecto, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſi amore devotionis incenſi, cupientes tranſitoria, in terrena, & temporalia in cęleſtia, felici commercio commutare, ob ſingularem, quem ad Capellam S. Marię extra Oppidum Loben. dictę Diœceſis, temporalis dominii dicti Regis, cui quędam parva Capella S. Jacobi Apoſtoli eſt annexa, & in qua divina officia per Sacerdotes ex eleemoſynis pro tempore oblatis conductos, celebrantur, & ad quas Chriſti fideles illarum partium, propter crebra miracula, quę meritis, & interceſſione Dei Genitricis Virginis Marię, & ejuſdem S. Jacobi in dies operatur Altiſſimus, libenter confluunt, in numero copioſo, ad Ordinem Fratrum Prędicatorum, & illius perſonas, qui eorum exemplari vita, prędicationibus verbi Dei, aſſidua, & devota divinorum, ac Miſſarum celebratione, audientia confeſſionum, & exhortationibus ad bene, beateque vivendum, non ceſſant animas Deo lucrifacere; gerunt devotionis affectum, cupiunt de bonis a Deo ſibi collatis conſtrui facere, apud prędictam Capellam, unam Domum pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis, ſi eis illam conſtrui faciendi, & dilecto filio Priori Provinciali Provincię Saxonię, ſub cujus Provincia dicta Capella exiſtit, & dictis Fratribus, illam pro eorum uſu, & habitatione hujuſmodi recipiendi per Sedem Apoſtolicam concederetur. Quare pro parte Regis, & Comitis prędictorum, aſſerentium, quod ex hujuſmodi conſtructione Domus apud dictam Capellam, & Fratrum prędictorum inibi inhabitatione incolę dicti Oppidi, & locorum convicinorum, & aliorum ad dictam Capellam confluentium, cum devotionis augmento, plura commoda conſequentur, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis Domum prędictam cum campanili humili in Capella hujuſmodi, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis,

Supplex Regis, aliorumque petitio.

hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, conſtrui, & ędificari faciendi, ac Priori, & Fratribus prędictis, illam, poſtquam ſic conſtructa fuerit, pro eorum perpetuis uſu, & habitatione prędictis recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, ac primo dictam Capellam eiſdem Priori, & Fratribus pro eorum Eccleſia concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui animarum ſalutem procurari, Religionis fervorem propagari, & divinum cultum adaugeri, noſtris potiſſime temporibus, ferventibus deſideriis exoptamus, ac Comitem pręfatum a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi eſt ita, Regi, & Comiti pręfatis, Domum prędictam cum campanili humili, campana in dicta Capella hujuſmodi, ac cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, & hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis prope primo dictam Capellam, pro uſu, & habitatione prędictis, ſine cujuſcunque pręjudicio conſtrui, & ędificari faciendi, necnon Priori Provinciali, & Fratribus prędictis illam, pro illorum perpetuis uſu, & habitatione hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi, ac eleemoſynas in Oppido, & aliis locis circumvicinis hujuſmodi, pro eorum ſuſtentatione libere quęrendi, licentiam, ac primo dictam Capellam hujuſmodi, de illorum, quorum intereſt, expreſſo conſenſu, pro eorum Eccleſia, auctoritate noſtra concedatis, non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne prędicti, & cujuſvis alterius Mendicantium Ordinis profeſſores, ad inhabitandum nova loca recipere &c. & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus &c. quibuſcunque. Nos enim, ſi licentiam, & primo dictam Capellam hujuſmodi concedi, & alia pręmiſſa per vos vigore pręſentium fieri contigerit, ut pręfertur, dictę Domui erigendę, & Priori, ac Fratribus illam pro tempore inhabitantibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, favoribus, & indultis, aliis Domibus dicti Ordinis, & perſonis in eis degentibus in genere conceſſis, & quę in futurum concedi contigerit, uti, potiri, & gaudere, libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, & indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię, infra cujus limites dicta Capella exiſtit, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Volumus autem, quod Prior, & Fratres in Domo conſtruenda hujuſmodi pro tempore degentes in eorum orationibus pro felici ſtatu Regis, & Comitis prędictorum, eorumque uxoribus pręteritis, pręſentibus, & futuris, ac aliis eorum deſcendentibus, necnon Progenitorum eorundem commemorationem ſpecialem facere debeant, & teneantur. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Sexto (7), Pridie Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Facultas.

1. *Loben.*) In *Germania*, ubi cetera Civitates, de quibus hoc in Diplomate.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXIX fol. 130.*
3. *Eniteſcat &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Uladislai.*) Seu *Ladislai*, hujus nominis *VI.*
5. *Luſania.*) Legerem: *Luſatia*, quæ Provincia eſt *Germaniæ*, vulgo *Lauſnitz*. Alias *Bohemiæ* fuit annexa. Hinc Præfectum, qui jus ipſi ſuo nomine diceret, *Ladislaus*, non *Hungariæ* tantum, ſed etiam *Bohemiæ* Rex, delegaverat.
6. *Inferioris.*) Duplex enim *Luſatia*, ſuperior una, inferior altera.
7. *Nonageſimo Sexto.*) Stylo Bullarum, æra communis *MCCCCXCVII.*

Quædam pro Congregatione Lombardiæ ſancita (1) declarat.

Anno 1497 Die 5 Aprilis.

Ex Bullario Caſtellani Parte I pag. 21.

Dilectis filiis Vicario Generali, & Fratribus Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum. LXI.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum felicis recordationis Paulus Papa Secundus, Prędeceſſor noſter, vobis, & Congregationi veſtrę certas literas ſuas conceſſit, quibus inter alia cavetur, quod ſi Vicarium dictę Congregationis, durante ejus officio, ab humanis decedere, ſeu ab illo juxta certum modum amoveri contingat, Prior antiquioris Conventus Reformatorum Conventuum dictę Congregationis, in omnibus, & per omnia ejuſdem Vicarii vices gerat, donec alter Vicarius poſtulatus, & confirmatus extiterit, cum omni ſolita poteſtate, excepta duntaxat auctoritate abſolvendi Conventuum Priores, & in ipſum eventum mortis, videlicet vel amotionis Vicarii prędicti, idem Prior ejus vices gerens infra duos menſes teneatur congregare Capitulum ad poſtulationem Vicarii faciendam, niſi ex cauſa legitima eandem poſtulationem ad aliud tempus prolixius de aliquorum Priorum conſilio duceret differendam: quo caſu una cum diffinitoribus dictę Congregationis Priores abſolvere poſſit. Ejuſdem autem Vicarii Congregationis poſtulatio de biennio in biennium celebretur, neque poſſit ſuperioris biennii Vicarius pro alio biennio immediate ſequenti quomodolibet poſtulari, vel confirmari, ſed finito biennio alius omnino mutetur Vicarius. Cum autem, ſicut Nobis nuper exponi fecistis, ex aliquibus verbis in pręcedentibus poſitis aliqua dubia ſint exorta videlicet: an, ſi contingat aliquem infra ſuum biennium, & in illo non finito decedere, vel a Vicariatu amoveri, immediate pręcedens Vicarius poſſit in Vicarium poſtulari, vel aſſumi: & an ſi contingat, gerentem vices in caſu ſupradicto pro electione facienda, convocare Congregationem, & eam celebrare ipſe vices gerens una cum diffinitoribus, poſſit Priores ab eorum Officiis abſolvere; Nos, ad quos pertinet dubitationes hujuſmodi de medio tollere, & ut vos in pacis, & quietis dulcedine veſtrę Congregationis negotia peragere poſſitis, providere volentes, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium declaramus, quod ſi contingat, aliquem Vicarium infra biennium ſui

ſui Vicariatus, & in illo non finito decedere vel juxta modum ſolitum ab eo amoveri, immediate precedens Vicarius ad hujuſmodi Vicariatum ea vice eligi, vel aſſumi non poſſit, donec poſt finitum tempus ſui Vicariatus biennium integrum ſit elapſum. Quare ſi contingat gerentem vices in caſu ſupradicto pro electione Vicarii facienda Congregationem convocare, & illam celebrare, ut moris eſt, ipſe vices gerens una cum Diffinitoribus predictis poſſit Priores a ſuis Officiis abſolvere, ſicut & reliqua omnia facere, que facere poſſet Vicarius Generalis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis; necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis, & Congregationis predictorum, juramento, confirmatione, Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Rome apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die V Aprilis MCCCCXCVII Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Sancita.*) Conſulenda *Conſtitutio VIII Pauli II.* Legitur *pag.* 443 *III* Tomi.

Anno 1497 Die 6 Aprilis.

Ne Congregationis Lombardiæ Fratres Argentien. (1) Cœnobii curam dimittant.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXII.

Dilectis filiis Vicario, Definitoribus, & Fratribus Congregationis Lombardie de obſervantia Ordinis Predicatorum, & Fratribus Lombardie dicte Congregationis in Domo B. Marie ad Vicum de Argentio, Agaten. Dioceſis commorantibus.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Volentes cariſſimi in Chriſto filii noſtri Frederici Sicilie Regis Illuſtris, qui de veſtra ſanctimonia, & probitate plurimum confidit, deſiderio annuere, vobis omnibus, & ſingulis Fratribus ſupradictis tenore preſentium in virtute Sancte obedientie, & ſub excommunicationis pena, quam ipſo facto, ſi contrafeceritis, incurratis, precipimus, & mandamus, ut Domum Beate Marie ad Vicum de Argentio, Agaten Dioceſis, ſicut ceteras Domos Congregationis veſtre Lombardie teneatis acceptare, regere, & gubernare debeatis. Concedentes vobis, & veſtrum cuilibet, ut omnibus, & ſingulis gratiis, privilegiis, immunitatibus, & exemptionibus, quibus cetere Domus ejuſdem Congregationis gaudent, & potiuntur, uti, & potiri, & gaudere poſſitis; mandantes propterea dilectis filiis Fratri Raphaeli de Soncino (3), Fratri Bartholomeo de Novis, Fratri Mattheo de Bellano, & aliis ſociis Fratribus Lombardis, iſtius Congregationis, in dicta Domo commorantibus, ut ſub dicta pena inde diſcedere non debeant, nec dictam domum relinquere, niſi prius alii Fratres a Congregatione predicta aſſignati illuc venerint, precipientes etiam ſub eadem excommunicationis pena, & aliis cenſuris eccleſiaſticis, omnibus, & ſingulis Prelatis, & Fratribus Ordinis Predicatorum, ac perſonis cujuſcunque conditionis, gradus, ſtatus, & preeminentie exiſtant, ut vos, aut alios Fratres ejuſdem Congregationis in eadem domo commorantes, nullo modo moleſtent, aut perturbent, ſed pacifice, & quiete eam tenere, & regere permittant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis privilegiis, reſcriptis, & exemptionibus dicti Ordinis, quibus pro hac vice tantum derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI Aprilis MCCCCLXXXXVII Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Argentien.*) Seu *Arientii*, vulgo *Arienzo*. Juris eſt Provinciæ *Sanitatis*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato in Neapolitano Cœnobio *S. Catharinæ de Formello*.
3. *Raphaeli de Soncino.*), Cujus meminit *Leander Alberti de Viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum fol.* 150.

Anno 1497. Die 14 Aprilis.

Cœnobii (1) S. Mariæ ſupra Taburnum fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Neapolitan., & Epiſcopo Trianen. (3), ac dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi S. Agathe (4) in ſpiritualibus generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Diſpoſitione divina Romanus Pontifex in ſupreme dignitatis ſpecula conſtitutus, vices temporum, & qualitates, matura deliberatione diſcutiens, interdum ſecularium, & aliarum Eccleſiarum ſtatum, prout cauſe legitime ſuadent, alterat, & mutat, & ad ea, per que in locis quibuslibet, devote ſollicitudinis ſtudio veneretur Altiſſimus, & ſalus animarum, ac regularis obſervantie, divinuſque cultus

Diplomatis cauſa.

ſperatur augmentum, vota fidelium libenter exaudit &c. Cum itaque Eccleſia S. Marie de Taburno, in territorio Terre Ayrole (5), S. Agathe Dioceſis, que de jurepatronatus Domini dicte terre pro tempore exiſtentis, exiſtit, per liberam reſignationem dilecti filii Nicolai Pepe, nuper dicte Eccleſie Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, per dilectum filium Nicolaum Magiſtri Johannis de Cucillo Clericum dicte Dioceſis, Procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, vacaverit, & vacet ad preſens: &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Nobilis viri Caroli Caraffe (6) dicte Terre in temporalibus Domini, & de preſenti, prefate Eccleſie Patroni, ac Nicolai prefati, petitio continebat, quod ad dictam Eccleſiam adeo hominum multitudo con-

confluit, ac ad propagationem, & augmentum, tam dictę Eccleſię, quam Domus ejuſdem ibidem conſtructę, manus adjutrices porrigere, ſolita fuit, quod ipſa Eccleſia in tantum crevit, ut ibidem viri Religioſi, Conventualiter habitare poſſent, quod ſi fieret, profecto magis in dies devotio fidelium inibi creſceret, & hominum horum multitudo, ad illam frequentius confluerer, ipſaque Eccleſia in ſpiritualibus, & temporalibus magnum ſuſciperet incrementum, eſſetque hoc animabus fidelium proficuum, eccleſiæque dictę Terrę, & Regionis, in qua ipſa Eccleſia ſita eſt decori, & ornamento quamplurimum. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, tam Carolus ejuſdem Eccleſię, ut prefertur, Patronus, quam Nicolaus prefati, devotionis cauſa cupiant in dicta Eccleſia Ordinem Fratrum Predicatorum, de obſervantia nuncupatorum, introduci, & plantari, & dictis Fratribus, tam Eccleſiam predictam, quam Domum hujuſmodi, pro eorum perpetuis uſu, & habitatione concedi, & aſſignari. Quare pro parte, tam Caroli, & Nicolai, predictorum, quam dilectorum filiorum Generalis, ac Provincialis Terrę Laboris, dicti Ordinis, aſſerentium dictę Eccleſię fructus, redditus, & proventus, ſex florenorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicta Eccleſia, ordinem eorundem Fratrum Predicatorum, de obſervantia nuncupatorum, introducere, & plantare, & Eccleſiam, ac Domum hujuſmodi eiſdem Fratribus pro eorum perpetuis uſu, & habitatione concedere, & aſſignare, aliaſque in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui divini cultus augmentum, cum animarum ſalute, noſtris maxime temporibus, ubique vigere, intenſis deſideramus affectibus, ipſoſque Carolum, & Nicolaum, ac Generalem, & Provincialem a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & penis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum preſentium, duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, & de premiſſis, certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, de premiſſis omnibus auctoritate noſtra diligenter informetis, &, ſi ita eſſe repereritis, in prefata Eccleſia, dictum Ordinem Fratrum Predicatorum, de obſervantia nuncupatorum, de conſenſu dicti Patroni, & ſine cujuſquam prejudicio introducere, & plantare, ac Eccleſiam, ejuſque Domum hujuſmodi, ipſis Fratribus pro eorum perpetuis uſu, & habitatione, prefata auctoritate noſtra concedere, & aſſignare curetis, jure tamen Parochialis Eccleſię ſemper ſalvo. Nos enim, ſi introductionem, ac plantationem, necnon conceſſionem, & aſſignationem hujuſmodi, per vos fieri contigerit, ut prefertur, Eccleſię, & Domui prefatis, necnon in ea pro tempore degentibus Fratribus predictis, ut omnibus, & ſingulis, Indulgentiis, gratiis, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, & prerogativis, quibus alię dictorum Fratrum Ordinis Predicatorum, de obſervantia nuncupatorum, Eccleſię, & Domus, & in eis degentes Fratres, gaudent, utuntur, & potiuntur, ac uti, frui, & potiri poterunt, quomodolibet in futurum, uti, & gaudere, libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate noſtra predicta, tenore preſentium. de ſpecialis dono gratię indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP VIII Predeceſſoris noſtri, prohibentibus, ne cujuſvis Ordinis Mendicantium profeſſores, in aliqua civitate, caſtro, vel villa, ſeu quovis alio loco, ad habitandum nova loca, recipere preſumant, abſque dictę Sedis ſpeciali licentia, de prohibitione hujuſmodi, ſpecialem, & expreſſam mentionem faciente, & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo, Decimo octavo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Facultas.

1. *Cœnobii.*) Juris eſt Provinciæ *Regni Siciliæ*, quæ Provincia ſita eſt in Regno *Neapolitano*.

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, unum inter monumenta Provinciæ *Calabriæ*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Libro CCXVI fol.47.*

3. *Trianen.*) Hunc Epiſcopatum non reperio, in Eccleſiaſticis tabulis, licet *Trianenſium* Populorum *Piceni* meminerit hiſtoria. Legendum autem videtur: *Tricaricen.* Sedes eſt Epiſcopalis ſub *Acheruntina*, & *Materana* Metropoli, in Regno *Neapolitano*, vel *Arianen.* Urbs eſt Epiſcopalis in eodem Regno, ſub Archiepiſcopo *Beneventano*.

4. *S. Agatha.*) *Agathenſis* ſcilicet, vulgo *S. Agata de Goti*, in Regno *Neapolitano*.

5. *Ayrola.*) *Ariolæ*.

6. *Caraffa.*) Gens eſt nobilitate clara, quæ nunc etiam floret.

Quædam Cœnobia transfert e Provinciis Toloſana, & Provinciæ ad Congregationem (1) Franciæ.

Anno 1497 Die 13 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXIV.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

AD ea, quę circa ſtatum Regularium locorum, ac perſonarum in eis, ſub ſuavi Religionis jugo degentium &c. (3) Sane pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli (4) francorum Regis illuſtris, & dilectorum filiorum Priorum, & Fratrum Domorum Albien. (5), Caſtren. (6), Auxitan. (7); Arelaten. (8), Araſſalien. (9), & Bituricen. (10), necnon Altivillaris (11), & Claromonten. de Lodeva (12), Condomen. (13), ac Lodoven. (14) Diœceſum, Ordinis Fratrum Predicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim dilectus filius Joachinus Turrianus (15) de Venetiis, Generalis Magiſter dicti Ordinis, ad preces prefati Caroli Regis, ac de conſilio, & auctoritate venerabilis Fratris noſtri Oliverii (16) Epiſcopi Sabinen. ejuſdem Ordinis Protectoris, eoſdem Priores, Fratres, domos, & qui, Deo cooperante, ad regularis obſervantię normam reducti fuerunt, ut inibi perpetuo vigeret regularis obſervantia, a cura, ſubjectione, ſuperioritate, & dominio Provinciarum Toloſan., & Provincię, ſub quibus hactenus Domus ipſę fuerunt, & eorum Provincialibus Miniſtris pro tem-

Diplomatis cauſa.

tempore exiſtentibns, correctoribus, & viſitatoribus, ſuctoritate ſui Generalatus officii exemit, liberavit, & abſolvit, ipſoſque Priores, & Domos, & de cetero eorum Congregationi uniendas, eidem Generali, & ſucceſſoribus ſuis, ac eorum Vicario pro tempore exiſtentibus, ſubjecit, & ſub ſua, & Vicarii prędicti cura poſuit, & deputavit, ac decrevit, & ſtatuit eoſdem Priores, & Domos, Miniſtris Provincialibus dictarum Provinciarnm minime ſubiici, eorumque ſtatutis, & ordinationibus, non obligari, dummodo ipſis debitas contributiones perſolverent, & ipſos in eorum tranſitu reciperent, juxta conſtitutiones dicti Ordinis, ac voluit, & ordinavit, quod dicti Provinciales Miniſtri, & ipſarum Provinciarum viſitatores, correctores, & reformatores, in eoſdem Priores, & Domos, nullam penitus juriſdictionem, ſuperioritatem, & . . . . . exercere, nec cenſuras promulgare poſſent, ac de dictis Domibns, & Conventibus illarum, & aliis reformatis, & reformandis, eorum Congregationi uniendis, unam Congregationem in forma, reformatam nuncupatam, ad inſtar, & ſecundum ritus, & mores Congregationis dicti Ordinis Lombardię, & Bononię regendam erexit, ita quod Fratres hujuſmodi Congregationis eiſdem Generali, & ſucceſſoribus ſuis ſecundum conſtitutiones dicti Ordinis ſubiicerentur, & quod ubi Vicarius hujuſmodi Congregationis Bononię, & Lombardię de biennio in biennium eligeretur Vicarius hujuſmodi Congregationis Francię ſic per eum erectę de triennio in triennium eligeretur, ſeu poſtularetur, & per Generalem, ſeu ejus Commiſſarium, confirmaretur, ſubjectione prędicta ipſis Generali, & ſucceſſoribus eorum ſemper ſalva, ac eiſdem Prioribus, Conventibus, & Domibus conceſſit, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, & libertatibus, quibus Congregatio Lombardię, & Bononię hujuſmodi gaudet, & utitur, ac uti & gaudere conſuevit, gauderent, & uterentur, illis tamen exceptis, quibus antedicti Generalis juriſdictioni derogaretur, ac hujuſmodi Congregationi dilectum filium Jacobum Deſiderii dicti Ordinis profeſſorem in Vicarium dictę Congregationis de Francia pro primo triennio conſtituit, & deputavit, cum ampla facultate pro eo, & Vicariis, qui pro tempore eſſent, ad hujuſmodi Congregationem de Francia regendam, ac prohibuit, ne aliquis Provincialis, viſitator, aut reformator, ſeu quicunque Vicarius Generalis pro tempore exiſtentes, ubicunque exiſterent, darent licentias, literas, aut alia privilegia, gratias, exemptiones, & libertates eiſdem Fratribus pro tempore exiſtentibus, ipſique Fratres hujuſmodi Congregationis Francię ad Capitula Provincialium Miniſtrorum venire, aut mittere minime tenerentur, ac decrevit irritum quicquid contra ſuam confirmationem fieri contingeret, & mandavit ſub certis pęnis, tunc expreſſis, quibuſcunque Miniſtris Provincialibus, ne Priores, Conventus, & Domos hujuſmodi in pręmiſſis impedirent, & Fratribus in illis degentibus, ne ipſis contra ſuam conceſſionem, etiam pretextu quarumcunque literarum, ab eo forſan conceſſarum, vel in poſterum concedendarum, obedirent, & ipſos excommunicari, aut aliis pęnis mulctari non poſſe decrevit, aliaque fecit, & conceſſit, prout in quibuſdam literis autbenticis pręfati Generalis, ejus ſigillo munitis, plenius continetur. Quare pro parte, tam Regis, quam Priorum, & Fratrum prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut exemptioni, & liberationi, abſolutioni, erectioni, deputationi, decreto, voluntati, mandato, & ordinationi hujuſmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, Religionis propagationem, & animarum ſalutem, noſtris potiſſime temporibus, ſupremis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, exemptionem, liberationem, abſolutionem, ſubjectionem, erectionem, deputationem, decretum, voluntatem, mandatum, & ordinationem hujuſmodi, ac, prout illa concernunt, omnia, & ſingula in dictis literis contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, approbamus, & confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus, potiori pro cautela, omnia, & ſingula pręmiſſa, etiam ad hoc, ut Fratres Congregationis Francię hujuſmodi privilegiis, immunitatibus, indultis, gratiis, Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, Congregationi Lombardię, & Bononię hujuſmodi, in genere quomodocunque per Nos, & Prędeceſſores noſtros, Romanos Pontifices, conceſſis, & concedendis in poſterum, uti, potiri, & gaudere poſſint, auctoritate Apoſtolica pręfata, facimus, ſtatuimus, & ordinamus, & concedimus, non-obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis &c. quibuſcunque. Verum quia difficile foret, pręſentes, & literas Generalis hujuſmodi, ac Privilegiorum dictę Congregationis Lombardię, & Bononię, ad ſingula quęque loca, in quibus expediens foret deferre, volumus, & pręfata auctoritate Apoſtolica decernimus, quod illarum tranſumptis manu alicujus Notarii publici inde rogati ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prelati in dignitate eccleſiaſtica conſtituti munitis, ea prorſus fides indubia, adhibeatur, quę pręſentibus, & literis Generalis, & Privilegiorum hujuſmodi adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo &c. noſtrę approbationis, confirmationis, communitionis, ſuppletionis &c. infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo, Tertio Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Congregationem*.) Deſtinguenda hæc Congregatio ab alia, quæ *Gallicana* nuncupata fuit, ut poſtea dicetur.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXIX fol.* 47.
3. *Degentium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Caroli*.) Hujus nominis *VIII*.
5. *Albien.*) Vulgo *Albi*, in *Gallia Narbonenſi*. Nunc juris eſt *Toloſana* Provinciæ.
6. *Caſtren.*) Vulgo *Caſtres*, in *Occitania*. Juris eſt Provinciæ *Toloſana*.
7. *Auxitan.*) Seu *Auſcitanus*, vulgo *Auſch*, & *Aux*, in *Aquitania*. Juris eſt *Occitana* Provinciæ.
8. *Arelaten.*) *Arles*, in *Gallo-Provincia*. Juris eſt Provinciæ *Provincia*.
9. *Araſſalien.*) Fortaſſis *Arauſien.*, *Auraſicen.*, vel *Arauſican.*, vulgo *Orange*, in *Gallo-Provincia*. Juris eſt Provinciæ *Provincia*.
10. *Bituricen.*) Vulgo *Bourges*, in *Gallia Celtica*. Juris eſt Provinciæ *Francia*.
11. *Altivillaris*.) Vulgo *Auvilar*. Juris eſt *Occitaniæ* Provinciæ.
12. *Claromonten. de Lodeva*.) Vulgo *Clermont de Lodeve*, in *Occitania*. Juris eſt Provinciæ *Toloſana*.
13. *Condomen.*) *Condom*, in *Vaſconia*.
14. *Lodoven.*) In *Occitania*, uti mox dictum fuit.
15. *Joachinus Turrianus*) De quo ſæpius mentio facta eſt.
16. *Oliverii*.) E nobiliſſima Gente *Carafa*. Adeas *Ciaconium Vit. Pontif.*, & *Cardinal. in Paulo II*.

Or-

Ordinis juriſdictioni reſtituit Monaſterium in Studentz (1).

Anno 1497 Die 20 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXV.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii in Studentz, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Aquilegien. (3) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę religionis, ſub qua, mundanis abjectis illecebris, in humilitatis ſpiritu, devotum, & ſedulum exhibetis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut votis veſtris &c. (4). Sane pro parte veſtra, Nobis exhibita, petitio continebat, quod olim, dum tunc Prioriſſa, & Moniales veſtri Monaſterii ſecundum regularia Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum de Obſervantia vixerunt, & ſub cura Prioris Domus Peronicen. dicti Ordinis, tanquam Generalis Magiſtri pro tempore exiſtentis ejuſdem Ordinis locum tenentis, extiterunt, numero ſatis copioſo, viginti videlicet, fuerunt, veſtrumque Monaſterium in ſpiritualibus, & temporalibus abundanter, ac illius fundatores, aliique Chriſti fideles ad illud libenter acceſſerunt, eleemoſynaſque, & alias oblationes, ac eorum filias, ibidem prompte, & pie obtulerunt, omniaque eis proſpere ſucceſſerunt, quam primum vero vitam laxiorem ducere cęperunt, ſeque a Fratrum prędictorum cura, & viſitatione exemptas, & liberatas, ac Curę Patriarchę Aquilegien. pro tempore exiſtentis ſubjectas, eſſe voluerint, omnia declinare, & in perditionem tendere, ipſumque Monaſterium in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus, plurimis diſpendiis affici cęperunt, ac earundem Monialium tunc exiſtentium numerus ad quinque, vel ſex redactus exiſtit, fideliumque prędictorum devotio, & eleemoſynę pariter refrigeſcere cęperunt, illique eorum filias in ipſo veſtro Monaſterio profiteri non permiſerunt, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, vos id judicio Dei factum eſſe credentes, cupitis a Cura pręfati Patriarchę eximi, & liberari, ac ſub eorundem Fratrum cura redire, ab eiſque juxta regularia Inſtituta Ordinis hujuſmodi reformari. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Monaſterium, & Religioſorum locorum omnium, ſemper in melius dirigi noſtris potiſſime temporibus ſupremis deſideramus affectibus, vos, & Conventum veſtrum, ac veſtrarum quamlibet a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vos, & veſtrum quamlibet, ac Monaſterium veſtrum, illiuſque Prioriſſam, & Moniales prędictas, pręfatis Magiſtro Generali dicti Ordinis, ac Priori dictę Domus, tanquam ejus locum tenenti, eorumque curę, & viſitationi in perpetuum ſubjicimus, ita quod pręfatus Patriarcha, nullam de cetero in vos, ac Monaſterium veſtrum prędictum, juriſdictionem, & viſitationem quoquomodo exercere poſſit, ac eiſdem Generali, & Priori ipſius Generalis locum tenenti hujuſmodi, ut curam, & viſitationem prędictas, omni exceptione remota, ſuſcipiant, ac Monaſterium veſtrum juxta regularia inſtituta hujuſmodi, prout ſecundum Deum expedire viderint, reforment, ſub excommunicationis pęna dicta auctoritate pręcipimus, & mandamus; decernentes ex nunc omnes, & ſingulos proceſſus, ac excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti pęnas, quos, & quas contra vos, & Monaſterium veſtrum prędictum, per eundem Patriarcham haberi, & promulgari, necnon quicquid ſecus a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irrita, & inania, nulliuſque exiſtere roboris, vel momenti, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, exemptionis, liberationis, ſubjectionis, pręcepti, mandati, & decreti infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo, Tertio decimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Diplomatis cauſa.

Nota.

Mandatum.

1. *Studentz.*) In *Aquilejenſi* ditione.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* *Lib.CXXXIII fol.*104.
3. *Aquilegen.*) Seu *Aquilejen.*, Italis vulgo *Aquileja*, Germanis *Aglon*, & *Aglar*.
4. *Veſtris &c.*) Ut in ejuſdem tenoris ſuperdiis.

De reformando Trecenſi (1) Cœnobio.

Anno 1497 Die 30 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXVI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Johanni Clerec (3), & Nicolao Gonoz, ac Mauritio Verdeleti, Magiſtris in Theologia, necnon Petro Andion, & Stephano Magiſtris Johannis ordinis (4), Ordinis Fratrum Prędicatorum, Congregationis Hollandię profeſſoribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

REligionis honeſtatem, cum omni puritate ubilibet vigere, ſinceris deſideramus affectibus &c. (5). Sane pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli (6) Regis, ac cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Annę (7) Reginę Francorum, Illuſtrium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ſi domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Trecen. reformaretur, & Congregationi Hollandię Fratrum Reformatorum pręfatę Congregationis aggregaretur, ex hoc mirum in modum votis Regis, & Reginę prędictorum, multorumque Fratrum illarum partium, & fere totius populi Civitatis Trecen., & ſibi adjacentium finium (8), uberesque fructus in domo Domini, cum ſuavitatis bonę famę odore, Chriſti fidelium devotionis augmento, & ſalute provenirent. Quare pro parte Regis, & Reginę prędictorum, Nobis fuit hu-

Diplomatis cauſa.

humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere, paterna diligentia curaremus. Nos igitur, qui Religionis honeſtatem, & animarum ſalutem, quantum cum Deo poſſumus, ſupremis deſideriis exoptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, in virtute S. Obedientię, ac ſub aliis eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis infraſcriptis, committimus, quatenus vos, vel tres, aut duo, ſeu unus veſtrum, quantocius id fieri poterit, ad Domum Trecen. hujuſmodi perſonaliter accedentes, & ſolum Deum prę oculis habentes, Domum ipſam, illiuſque Fratres, & Religioſos, tam in capite, quam in membris, auctoritate noſtra reformetis, & ad vitam, ſeu obſervantiam regularem reducatis, Prioremque, & alios Officiales ejuſdem a ſuis officiis, & cura abſolvatis, necnon electum, & poſtulatum pro tempore in Priorem dictę Domus, etiamſi unus ex vobis fuerit, confirmetis, electumque, vel poſtulatum hujuſmodi, ad acceptandum Prioratum prędictum cogatis, & compellatis, & alios officiales de more ordinari ſolitos, ordinetis, & inſtituatis, necnon Fratres quoſcunque idoneos de aliis Domibus reformatis, omni recuſatione, vel contradictione ceſſante, aſſumatis, & illos inibi aſſignetis, incorporetiſque, & non voluntarios rejiciatis, & ad alias domos Provincię Francię tranſmittatis, ipſam quoque Domum Trecen., cum, ut prefertur, reformata fuerit, ab omni cura, juriſdictione, & poteſtate Prioris Provincialis pro tempore exiſtentis dictę Provincię eadem auctoritate eximatis, & penitus liberetis, ac Vicario Generali Congregationis ejuſdem pro tempore exiſtenti, ac ipſi Congregationi ſubjiciatis, aggregetis, & incorporetis, ac omnia, & ſingula alia, quę pro reformatione hujuſmodi, bona fama, & honore prędicti Ordinis facienda, & exequenda videbuntur faciatis, & exequamini, diſtrictius inhibentes Provinciali Provincię Francię hujuſmodi, necnon quibuſcunque aliis Prioribus, etiam Generali, & Fratribus ejuſdem Ordinis ſub pęna excommunicationis, quam ſi contrafacerent, eo ipſo incurrerent, ne reformatio, ſubjectio, & alia premiſſa, vel aliquod pręmiſſorum, in genere, vel in ſpecie per ſe, vel alium, ſeu alios, quovis quęſito colore, impediatur, aut eis aliquo modo contraveniatur, mandantes, nihilominus etiam ſub ſimili pęna Vicario Generali ejuſdem Congregationis, ut Conventum Trecen. hujuſmodi ſub ejus cura, & ſubjectione, etiam alia juſſione non expectata, recipiat, & ſi reformationem, reductionem, exemptionem, & alia pręmiſſa, per vos fieri contingat, quod nullus in Priorem ipſius Conventus Trecen. eligi, vel inſtitui valeat, niſi religioſus ejuſdem Congregationis exiſtat, dicta auctoritate ſtatuatis, & ordinetis, necnon Priori pro tempore exiſtenti ejuſdem Domus Trecen., ut habito conſenſu totius Capituli, ſive majoris partis eorundem, quoſcunque Fratres ipſius Ordinis, id fieri poſtulantes, demptis Italicis, in filios ipſius Domus Trecen. recipere, eiſdemque Priori, & Fratribus ex tunc deinceps omnibus, ut ſingulis privilegiis, libertatibus, & indultis Congregationi, & Ordini prędictis, ſub quacunque forma, & expreſſione verborum, a Sede Apoſtolica, & alias quovis modo in genere hactenus conceſſis, aut in futurum forſan concedendis, uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant, dicta auctoritate concedatis, licentia alicujus alterius ſuper hoc minime requiſita; contradictores &c. invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii Secularis, ſuper quibus omnibus, & eorum ſingulis, vobis, & unicuique veſtrum, plenam, & liberam concedimus tenore pręſentium facultatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac literis Apoſtolicis, quibus forſan reformatio, exemptio, & ſubjectio, aliaque pręmiſſa fieri prohibentur, aut retardari poſſent, quorum omnium tenores pręſentibus haberi volumus, pro expreſſis, & quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de eis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, & de verbo, ad verbum mentio, ſeu alia expreſſio, facienda foret, & eis nullatenus derogari poſſe videretur, propter clauſulas derogatoriarum derogatorias in illis contentas, hac vice duntaxat &c. harum ſerie expreſſe derogamus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis, & Congregationis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo, Quarto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Trecenſi.*) Vulgo *Troyes*, in *Campania* Provincia Galliarum Regni.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXIX fol. 62.*
3. *Johanni Cleree.*) Viro nominatiſſimo, de quo ſæpius poſtea dicetur. Conſulendus *Echard Tomo II Scriptor. Ord. ad an. MDVII pag. 11.*
4. *Johannis Ordinis.*) Legerem: *Artium.*
5. *Affectibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
6. *Caroli.*) Hujus nominis *VIII.*
7. *Anna.*) *Britannica* nuncupata.
8. *Finium.*) Adderem: *Reſponderetur.*

Anno 1497 Die 20 Junii.

Vicarius Generalis (1), & Fratres ab ipſo delegati, curam gerant Bononienſis Monaſterii S. Petri Martyris.

LXVII.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

ANnuere conſuevit Sedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis prudentum Virginum precibus, quę illecebris mundanis, & mortalis viri toro propulſis &c. (3) Sane exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Benedictę de Bariciis modernę Prioriſſę, & Monialium Monaſterii S. Petri Martyris, per Prioriſſam gubernari ſoliti, Bononien., Ordinis Fratrum Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum, petitio continebat, quod olim pro parte earum felicis recordationis Innocentio PP. IV (4) Predeceſſori noſtro, expoſito, quod cum ipſę, a certis tunc annis elapſis citra, facta ipſius Monaſterii reformatione, & inibi ad regularem obſervantiam dicti Ordinis indutę, in eo virtutum Domino famulando perſeverarunt, dignaretur eis aliquos probos Confeſſores in dicto Ordine qui ipſarum curam gererent conſtituere, & deputare, idem Innocentius Prędeceſſor, prędictarum Prioriſſę, & Monialium ſupplicationibus inclinatus, ipſarum bonum animum, & zelum in Domino approbans, tunc Vicarium Ge-

Generalem dicti Ordinis in ipſarum Confeſſorem, cum poteſtate ſecum aſſumendi, unum, vel plures ſufficienter inſtructos dicti Ordinis Religioſos, qui ipſas, & earum quamlibet in Confeſſionibus audire, eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, & alia circa pręmiſſa neceſſaria facere poſſent, loci ordinarii accedente conſenſu, ſub cujus poteſtate, & juriſdictione, Prioriſſa, & Moniales pręfatę ſubeſſe dignoſcebantur, dedit, & conceſſit, prout in quibuſdam literis pręfati Innocentii Prędeceſſoris in forma Brevis, deſuper confectis, plenius dicitur contineri, &, ſicut eadem petitio continebat, licet Prioriſſa, & Moniales per eundem Vicarium, & deputatos ab eo, laudabiliter in verbo Dei, & aliis earum piis operibus inſtructę, & monitę fuerint, & cum odore bonę famę ſemper vixerint, & vivunt de pręſenti, nihilominus pro eo, quia ipſum Vicarium a Civitate Bononien. contingit quandoque abeſſe, pro ipſarum quiete, & pace, ipſis in perpetuum, tam pręfatum Generalem Vicarium, quam etiam Priorem Domus S. Dominici Bononien., & Ordinis hujuſmodi pro tempore exiſtentes, & deputandos ab eis, dicti tamen Ordinis Religioſos, in Confeſſores, qui ipſarum, & earum quarumlibet Confeſſiones audire, & eccleſiaſtica Sacramenta ipſis miniſtrare poſſent, & valerent, dari, & deputari deſiderant. Quare pro parte Prioriſſę, & Monialium prędictarum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis, tam Generalem Vicarium, quam etiam Priorem Domus, & Ordinis prędictorum pro tempore, & deputandos ab eis, ejuſdem tamen Ordinis Religioſos, in verbo Dei inſtructos, in Confeſſores, qui eas, & ipſarum quamlibet in Confeſſionibus audire, & eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, & alia circa hęc neceſſaria gerere, & facere valerent, concedere, ac quod Prioriſſa, & Moniales modernę, & pro tempore in dicto Monaſterio exiſtentes Prioriſſa, & Moniales, de cetero perpetuis futuris temporibus ſub cura, viſitatione, protectione, & correctione Vicarii Generalis, & Prioris prędictorum, ſtare debeant, ſtatuere, & ordinare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui religioſarum perſonarum, pręſertim feminei ſexus, qui mundanis abjectis illecebris, devotum, & ſedulum virtutum Domino in humilitatis ſpiritu exhibent famulatum, pacem, & quietem, & earum animarum ſalutem, intenſis deſideramus affectibus, ipſas Prioriſſam, & Moniales a quibuſcunque excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Generalem Vicarium, & Priorem modernos prędictos, & pro tempore exiſtentes Ordinis, & Domus prędictorum, & deputandos ab eis, ejuſdem tamen Ordinis Religioſos, in verbo Dei inſtructos, in dictarum Prioriſſę, & Monialium modernarum, & pro tempore exiſtentium Confeſſores, qui eas, & earum quamlibet in Confeſſionibus audire, & eis eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, & alia circa hęc neceſſaria facere, & gerere poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, in perpetuum damus, & concedimus, quodque etiam Prioriſſa, & Moniales modernę, & pro tempore exiſtentes dicti Monaſterii de cetero perpetuis futuris temporibus, ſub cura, & viſitatione, protectione, ac correctione Vicarii Generalis, & Prioris prędictorum pro tempore exiſtentium, perpetuo ſtare debeant, eiſdem auctoritate, & tenore ſtatuimus, & ordinamus. Et nihilominus eidem Generali Vicario, & Priori modernis, & pro tempore exiſtentibus, ſub virtute ſanctę obedientię, ut Prioriſſam, & Moniales hujuſmodi ſub earum cura, viſitatione, protectione, & correctione, dicti loci ordinarii, & cujuſvis alterius licentia minime requiſita, ſuſcipiant, eaſque in ſpiritualibus, & temporalibus, regant, & gubernent, pręfata auctoritate concedimus, & mandamus per pręſentes, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinis prędictorum &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, conceſſionis, ſtatuti, ordinationis, commiſſionis, & mandati infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo, Duodecimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Mandatum.

1. *Vicarius Generalis.*) Non totius Ordinis, ſed Congregationis *Lombardiæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXXII fol.* 19.

3. *Propulſis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis,

4. *Innocentio Papa IV.*) Legerem *VIII*.

De rebus ſacris in Eccleſia Villadenſis (1) Cœnobii peragendis.

Anno 1497 Die 20 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus B. Marię de Pietate Ordinis Prędicatorum obſervantię regularis Oppidi de Villada.

LXVIII.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem,

Cum, ſicut dilectus filius nobilis vir Henricus Henriquez, Dominus de Villada, Nobis nuper fecit exponi, ad Domum veſtram de Pietate, per eum de novo de propriis bonis ſuis fundatam, Chriſti fideles ſingularem gerant devotionis affectum, Nos volentes animarum eorundem Chriſti fidelium ſaluti paterna caritate conſulere, pręfati Henrici in hoc ſupplicationibus inclinati, fidelibus ipſis, ut in Eccleſia dictę Domus ſingulis diebus, etiam Dominicis & Feſtivis, Miſſas, & alia divina officia audire, ac inibi pro eorum devotione ſuas eleemoſynas exhibere, voſque illas recipere, libere, & licite poſſint, & poſitis, Dięceſanorum locorum, & Rectorum Parochialium Eccleſiarum, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis, nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium de ſpecialis dono gratię indulgemus.

Da-

Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX Julii MCCCCXCVII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Villaden.*) Juris eſt Provincialis *Hiſpaniæ*. 2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Villadenſi*.

Anno 1497 Die 9 Septembris.

Vemurienſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXIX.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Theſaurario Eccleſię Palentin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PIis fidelium votis, illis pręſertim, quę Religionis propagationem, & divini cultus augmentum, ac animarum ſalutem reſpiciunt &c, (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte venerabilis Fratris Supplex fundatoris petitio. noſtri Paſquaſii (4) Epiſcopi Burgen., petitio continebat, quod ipſe, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum, cujus profeſſor eſt, gerit devotionis affectum, ſummopere deſiderat, in aliquo convenienti, & honeſto loco, prope Oppidum de Vemuria, Palentin. Dięceſis, unde idem Paſquaſius Epiſcopus, originem trahit (5), unam Domum pro uſu, & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum dicti Ordinis, de obſervantia reformatorum nuncupatorum, conſtrui, & ędificari facere, ſi ad id ei Apoſtolicę Sedis licentia ſuffragetur. Quare pro parte dicti Paſquaſii Epiſcopi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi Domum prędictam cum Eccleſia, humili campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione perpetuis aliquorum Fratrum, de obſervantia reformatorum nuncupatorum, dicti Ordinis conſtrui, & ędificari faciendi, ac in ea Fratres dicti Ordinis profeſſores, uſque ad competentem numerum ponendi, & collocandi, ipſiſque Fratribus Domum prędictam, poſtquam conſtructa fuerit, recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, & alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica Facultas. dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & divini cultus augmentum, ac animarum ſalutem, ſinceris deſideriis exoptamus, pium, & laudabile propoſitum dicti Paſquaſii Epiſcopi plurimum in Domino commendantes, ipſumque Paſquaſium Epiſcopum a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eidem Paſquaſio Epiſcopo, in aliquo honeſto, & convenienti loco, prope dictum Oppidum, ubi ei viſum fuerit, Domum prędictam cum Eccleſia, humili campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu, & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum de obſervantia reformatorum nuncupatorum, dicti Ordinis, ſine alicujus pręjudicio, conſtrui, & ędificari faciendi, & in ea Fratres Ordinis, & obſervantię prędictorum, reformatos nuncupatos, uſque ad competentem numerum ponendi, & collocandi, ipſiſque Fratribus dictam Domum recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam auctoritate noſtra concedas. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi, vigore pręſentium conceſſeris, dictę Domui, ac Fratribus in ea pro tempore commorantibus, ut omnibus, & ſingulis gratiis, privilegiis, pręrogativis, & immunitatibus, quibus Fratres aliarum Domorum, & ipſę domus Ordinis, & obſervantię prędictorum, in genere utuntur, potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, concedimus per preſentes, jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius, in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua prohibetur, ne quivis Ordinum Mendicantium Fratres loca ad inhabitandum, de novo recipere &c. abſque dictę Sedis licentia ſpeciali, & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo, Quinto Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Vemurien.*) Vide Notam V.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXVI fol.* 419.
3. *Reſpiciunt &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Paſquaſii.*) Seu *Paſchalis*, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
5. *Originem trahit.*) Hoc ergo Cœnobium poſitum fuit in *Paſchalis* patria. *Paſchalis* autem ab Auctoribus paſſim *de Ampudias* vocatur ex patria. Adeas *Echard Tomo II Scriptorum Ord. ad an. MDXII pag.* 25, & *Cavalerium Tomo I pag.* 322 *num. CCCLXV*.

Anno 1497 Die 26 Octobris.

Cœnobii (1) B. Mariæ de Martyribus fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Venerabilibus Fratribus Arcbiepiſcopo Neapolitano, & Epiſcopo Montis Piloſi.

LXX.

ALEXANDER PP. VI.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum, cum felicis recordationis Innocentius Papa Octavus, Predeceſſor noſter, Monaſterium Diplomatis cauſa. Monialſum B. Marię Magdalenę prope Caſtrum Capuanum Neapolitan., Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Minorum degentium, ſuppreſſis in eo dignitate Abbatiſſali, & prędicto Ordine, clarę memorię Alfonſo (3) Sicilię Regi, tunc Duci Calabrię, ut in loco dicti Monaſterii unum Palatium pro ſua habitatione conſtrui, & ędificari faceret, per quaſdam concedi mandaſſet, pro parte ipſius Alfonſi,

tunc

tunc Ducis, eidem Prędeceſſori expoſito, quod ipſe Eccleſiam dicti Monaſterii ornare, & decorare, ac libris, calicibus, paramentis, & aliis ad divinum cultum neceſſariis munire, & ibi nonnullos Presbyteros & Clericos, qui inibi divina officia celebrarent, inſtituere, ac pro eorum ſuſtentatione congruos redditus aſſignare, proponebat; deſiderabatque, ut ex tunc deinceps pręfata Eccleſia non B. Marię Magdalenę, ſed B. Marię de Martyribus appellaretur, quodque certa pars oſſium Chriſti fidelium qui apud Hydruntum (4) per perfidos Turcos pro Chriſtianę fidei defenſione interfecti fuerant (5), & quę ipſe pro ſua devotione recolligi, & honorifice recondi fecerat, ad dictam Eccleſiam de Martyribus transferretur, idem Prędeceſſor per alias ſuas literas inter alia eidem Alfonſo, tunc Duei Calabrię, partem oſſium bujuſmodi ad dictam Eccleſiam transferri, & ibi honorifice recondi faciendi, ac in ipſa Eccleſia, poſtquam illam ſufficienter dotaſſet, certos Presbyteros, & Clericos, qui inſimul Collegium facerent, introducendi, plenam & liberam licentiam conceſſit, prout in ſingulis literis prędictis plenius continetur. Cum autem, ſicut pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Federici (6) Sicilię Regis Illuſtris fuit Nobis nuper expoſitum, Presbyteri, & Clerici prędicti in dicta Eccleſia nunquam fuerint inſtituti, licet per aliquos Presbyteros conductitios divina ibidem officia celebrentur, & Moniales dicti olim Monaſterii, quę ad alia loca translatę fuerant, quamvis ſuper hoc requiſitę, ad illud redire non curent; Ipſeque Federicus Rex ſingulari devotione ductus cupiat nonnullos Fratres alicujus ex Ordinibus Mendicantium in dicto olim Monaſterio introduci; illudque ipſis pro eorum perpetuo uſu, & habitatione concedi, pro parte ipſius Federici Regis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ejus piis votis in hac parte innuere dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut vos, vel alter veſtrum, ſi eſt ita, aliquos Fratres ab aliquo ex Ordinibus Mendicantium, de quo eidem Regi viſum fuerit, & prout ejus devotio dictaverit, in pręfato Monaſterio auctoritate noſtra introducatis, ipſiſque illud pro eorum perpetuis uſu, & habitatione concedatis, necnon eiſdem Fratribus Monaſterium ipſum recipiendi, & illud perpetuo habitandi, licentiam eadem auctoritate elargiri curetis. Nos enim quamcunque obligationem per pręfatum Alfonſum Regem de dotando ipſam Eccleſiam de Martyribus, forſan factam, penitus caſſamus, & annullamus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, qua prohibetur, ne quivis Ordinum Mendicantium Fratres loca ad habitandum de novo recipere pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de bujuſmodi prohibitione mentionem, & quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinum quorumcunque juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXVI Menſis Octobris MCCCCXCVII Pontificatus noſtri Anno Sexto. Facultas.

Jo. Mutinen.

1. *Cœnobii.*) In Regno *Neapolitano*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum.
3. *Alfonſo.*) Hujus nominis *II.*
4. *Hydruntum.*) In Regno *Neapolitano*.
5. *Interfecti fuerant.*) Anno circiter *MCCCCLXXX.* Conſulendus *Antonius de Ferrariis* in Hiſtoria *Hydruntinæ expugnationis &c.*
6. *Federici.*) Fratris *Alfonſi*.

Unit hoſpitale S. Henrici Viguerien. (1) Cœnobio.

Anno 1497 Die 25 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono Majoris, & Prępoſito B. Marię de Canalibus, ac Manfredo de Caſteno Canonico ejuſdem Majoris Terdonen. (3), Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

GErentes in deſideriis cordis noſtri, ut Hoſpitalia, & alia pia loca, ſub bono, & felici regimine gubernentur, & talibus perſonis committantur, per quas eorum res, & bona ſalubriter valeant gubernari, necnon perſonis eccleſiaſticis, pręſertim Religionis voto aſtrictis, in earum neceſſitatibus valeat commode ſubveniri. Exordium. Cum itaque Hoſpitale pauperum S. Henrici loci Viguerię, Terdonen. Diœceſis, quod de jure patronatus laicorum, videlicet Univerſitatis hominum dicti loci fore dignoſcitur, ex eo quod dilectus filius Gabriel Cartaſola Clericus Mediolanenſis, nuper dicti Hoſpitalis Rector, qui, ut a nonnullis aſſeritur, venerabilis Fratris noſtri Oliverii (4), Epiſcopi Sabinen., familiaris continuus commenſalis exiſtit, regimini, & adminiſtrationi dicti Hoſpitalis, quod alias tunc certo modo Rectore carens canonice ſibi commiſſum fuerat, & ſuper quo in Romana Curia coram certo cauſarum Palatii Apoſtolici Auditore contra quendam ejus adverſarium litigando definitivam pro ſe, & contra dictum adverſarium ſententiam reportavit, quę nulla provocatione ſuſpenſa in rem tranſivit judicatam, literis executorialibus deſuper in forma ſolita decretis, illius poſſeſſione per eum non habita, in manibus noſtris ſponte, & libere ceſſit, Noſque ceſſionem ipſam duximus admittendam, Rectore caruerit, & careat ad pręſens. Diplomatis causa. Et, ſicut exhibita Nobis petitio nuper pro parte dilectorum filiorum Univerſorum Fratrum Ordinis Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, Congregationis Lombardię, continebat, ſi prędictum Hoſpitale cuidam Domui ſitę in eodem loco, & dicto Hoſpitali ſatis propinquę, nuper per eoſdem Fratres ſub invocatione B. Marię Pietatis ſumptuoſo ędificio conſtrui, & ędificari inceptę & quo Hoſpitali Domus ipſa pro ejus decentia, & inibi Fratrum pro tempore degentium, commoda habitatione, plurimum indigere dignoſcitur, in perpetuum uniretur, annecteretur, & incorporaretur, profecto eorundem Fratrum commoditati plurimum conſuleretur. Quare pro parte tam dilecti filii Nobilis viri Ludovici Ducis Mediolanenſis, quam Fratrum prędictorum, aſſerentium, quod Domus nullę ſunt, Hoſpitalis vero quinquaginta florenorum auri de Camera, fructus, redditus & proventus ſecundum communem

ęſtimationem, valorem annnum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Hoſpitale prędictum eidem Domui perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, dictoſque Fratres, & eorum quemlibet a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jnre, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, bujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per
Mandatum. Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam vocatis, quorum intereſt, de pręmiſſis Nobis expoſitis, vobis legitime conſtiterit, Hoſpitale prędictum, ſive ut pręmittitur, ſive alias quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem ceſſionem dicti Gabrielis, vel alterius de illo extra dictam Curiam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam vacet, etiamſi diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervatum exiſtat, & ſuper eo inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo dictorum patronorum ad id expreſſus accedat aſſenſus, & tempore dat. pręſentium non ſit alicui canonice commiſſum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Domui, auctoritate noſtra, perpetuo unire, annectere, & incorporare euretis; ita quod liceat eiſdem Fratribus per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem Hoſpitalis, jurinmque & pertinentiarum prędictarum propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus, in ſuos, quos loco pauperum ſuccedere volumus, & domus bujuſmodi, uſus, & ntilitatem convertere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus pię memorię Boniſatii VIII, & in Concilio Viennenſi edita, Clementis V, Romanorum Pontificum, etiam Prędeceſſorum noſtrorum, & aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper Commiſſionibus ſibi faciendis, de bujuſmodi, vel aliis Hoſpitalibus in illis partibus, ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſecuta quęcunque, ad dictum Hoſpitale volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Hoſpitalium aliorum pręjudieium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat, quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, ſi illas vigore pręſentium fieri contingat, hoſpitale prędictum debitis non fraudetur obſequiis, ſed ejus congrue ſupportentnr onera conſueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo, Octavo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Viguerien.*) Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*, vulgo *Voghera*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Viguerien*.
3. *Terdonen.*) Aliis *Dertonen.*, vulgo *Tortona*. Urbs eſt Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo *Mediolanenſi*.
4. *Oliverii.*) E nobiliſſima Gente *Caraffa*. Adeas *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II in Paulo II*, & *Ughellum Tomo I Italiæ Sacræ in Epiſcop. Sabinen. pag.* 185 *Edit. Veneta*.

Anno 1498 Die 3 Januarii.

Ne Domus (1) Auxitan., Albien., & loci Altivillaris diſtrahantur a Provincia Toloſana.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXII.

Alexander Epiſcopus, Servns Servornm Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Caſtren., & dilectis filiis Toloſan., ac Cadurcen. officialibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HUmilibus &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Syndici dilectorum filiorum uuiverſorum Priorum, & Fratrum domorum Ordinis Prędicatorum Provincię Toloſan., tam non
Diplomatis cauſa. reformatorum, quam reformatorum, ſecundum morem dicti Ordinis, in bac parte litis conſortum, petitio continebat, quod licet Priores, & Fratres prędicti ſecnndum regularia inſtituta dicti Ordinis in domibus prędictis reſpective ſub regulari habitu Altiſſimo hactenns deſervierint, nec ipſi, nec aliquis eorum exceſſus, & crimina commiſerint, propter quę a ſuis domibus, quavis auctoritate, expelli potuerint, aut debuerint, ſaltem de jure, vixerintque hactenus ſub obedientia Provincialis ejuſdem Provincię adeo honeſte, qnod ab aliquo hactenus nequierint reprebendi, ſuorumque exceſſuum, criminumquo inquiſitio, correctio, & punitio ad Provincialem prędictum, ac correctores, & viſitatores, pro tempore in dicta Provincia deputatos, duntaxat pertineant, tamen venerabilis Frater noſter Lndovicus (4) Epiſcopus (5) Albien., aſſerens, ſe ad hoc per literas Apoſtolicę Sedis ſufficientem habere poteſtatem, illius prętextu Provinciali, & Prioribus, ac Fratribus prędictis, & aliis, de quorum intereſſe agebatur, non vocatis, neque citatis, ſaltem legitime, ſed abſentibus, non per contumaciam dilectos filios Priores, & Fratres domorum Auxitan., Albien., & loci Altivillaris dicti Ordinis Condomen. Dięceſis ab obedientia, & ſubjectione Provincialis, & viſitatorum, ac correctorum eorundem abſolvit, eiſque, & aliis Prioribus, & Fratribus Ordinis, & Provincię eorundem, ne ſuis obedirent ſuperioribns, ſub certis cenſuris eccleſiaſticis inhibuit, ac tam per ſe, quam per ſubdelegatos ſuos ipſius litis conſortibus multiplices injurias irrogavit, unde dictus ſyndicus, ſentiens litis conſortes prędictos exinde inter alia in-

indebite gravari, ad Sedem prędictam appellavit, & deinde Nobis humiliter ſupplicarunt, ut appellationis hujuſmodi, ac poſt, & contra eam forſan attentatorum, & innovatorum quorumcunque, ac nullitatis, ſubreptionis, & obreptionis literarum prędictarum, necnon proceſſuum per prędictos Epiſcopum, & ſubdelegatos prętextu literarum earundem contra dictos litis conſortes habitorum, totiuſque negotii principalis cauſas aliquibus probis viris in partibus illis committere, aliaſque ſibi ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, vocatis dicto Epiſcopo, & aliis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, etiam de negotio principali hujuſmodi cognoſcentes legitime, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes &c. non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua inter alia cavetur, ne quis extra Civitatem, vel Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus &c. ſeu ne Judices a Sede prędicta &c. indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium trahi, vel evocari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo (6), Tertio Non. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Mandatum.

2. *Domus.*) *Albienſis* eſt in *Toloſana*, cęteræ ſunt in *Occitana* Provincia.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXVIII fol.* 178.

3. *Humilibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

4. *Ludovicus.*) Conſulendi *Sammarthani* in *Epiſcopis Albien.*

5. *Epiſcopus.*) Nunc Archiepiſcopalis eſt Sedes *Albienſis*.

6. *Nonageſimo Septimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXCVIII*.

Monaſterium Virginum Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis Mediolanen. committit curæ, & regimini Vicarii Generalis Lombardiæ.

Anno 1498 Die 13 Januarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXXIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Penſaurien. (2), & dilectis filiis Andreę de Fagnano, ac Johanni Ambroſio de Vicecomitibus, Canonicis Eccleſię Mediolanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD ea ex injuncto Nobis deſuper, meritis quanquam inſufficientibus, Apoſtolicę ſervitutis officio vigilantię noſtrę curas libenter convertimus, per quę in ſingulis Monaſteriis, & aliis regularibus locis, pręſertim perſonarum fęminei ſexus &c. (3) Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum vicarię, & Monialium Monaſterii Virginum nuncupati Annunciationis B. M. Virginis, prope, & extra muros Mediolanen., Ordinis S. Auguſtini, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſę, quę ſub Regula, ſeu inſtitutis regularibus Ordinis Fratrum Prędicatorum degunt, provide attendentes, quod a pluribus annis retroactis in ipſo Monaſterio, quod per Prioriſſam, qua de pręſenti caret, gubernari conſuevit, quędam laxior vita, & regula obſervata extitit, & ne in futurum ſucceſſu temporis obſervetur, formidari poteſt, propter ſuppreſſionem inſtitutionum regularium in eodem Monaſterio, ac volentes animarum ſuarum ſaluti, & religionis incremento in ipſo Monaſterio provideri, cupiunt de cętero ſub perpetua clauſura, & regulari obſervantia Altiſſimo famulari. Quare pro parte vicarię, & Monialium prędictarum, aſſerentium, votum earum hujuſmodi firmius obſervari poſſe, ſi Monaſterium, & illius Moniales, curę, & viſitationi Vicarii Generalis Monaſteriorum reformatorum Provincię Lombardię dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum ſubiiciantur, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictum Monaſterium, & illius Moniales, curę, viſitationi, correctioni, & ſuperioritati dicti Vicarii Generalis, perpetuo ſubiicere, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, Monaſterium prędictum, ac illius Prioriſſam, & Moniales, nunc & pro tempore exiſtentes, curę, viſitationi, correctioni, & ſuperioritati Vicarii Generalis nunc, & pro tempore exiſtentis dictę Provincię, dummodo ordinarii loci ad hoc expreſſus accedat aſſenſus, & abſque pręjudicio cenſus annui eidem ordinario debiti, auctoritate noſtra ſubiiciatis, & ſubmittatis, dicto Vicario ſub excommunicationis latę ſententię pena, ut Monaſterium prędictum, ac illius Prioriſſam, & Moniales nunc, & pro tempore exiſtentes, ſub ejus cura, viſitatione, correctione, & ſuperioritate ſuſcipiat, illaſque viſitet, corrigat, & tam in capite, quam in membris reformet, & caſtiget, ac illarum Confeſſiones per ſe, vel alium, ſeu alios idoneos audiat, illaſque, & quamlibet earum ab exceſſibus, peccatis, & delictis, ac cenſuris eccleſiaſticis abſolvat, & pro commiſſis, pęnitentiam ſalutarem injungat, necnon Sacramenta eccleſiaſtica miniſtret, eadem auctoritate pręcipiatis, & mandetis, Nos enim ſi ſubjectionem, ſubmiſſionem, pręceptum, & mandatum hujuſmodi per vos vigore pręſentium fieri contingat, Vicario pro tempore exiſtenti prędicto, Prioriſſam, & alios officiales dicti Monaſterii pro tempore exiſtentes, per ſe, vel alium, ſeu alios inſtituendi, & abſolvendi, earumque electiones confirmandi, ac omnia, & ſingula, quę in aliis Monaſteriis ſibi ſubjectis, de jure, vel conſuetudine facere conſuevit, & poteſt, faciendi, & exequendi, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus facultatem, & inſuper eiſdem Monaſterio, Prioriſſę, & Monialibus, ut deinceps omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, conceſſionibus, & indultis, quibus alia Monaſteria Monialium, & illius Moniales ſub cura, & viſitatione dicti Vicarii Generalis degentes de jure, vel conſuetudine, ſeu juxta tenorem dictorum privilegiorum utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere, libere, & licite poſſint, auctoritate Apoſtolica, & te-

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

tenore preſentium concedimus, & indulgemus, decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his &c. contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, & indultis, Congregationi, & Ordini Fratrum Predicatorum, & Vicario hujuſmodi per Sedem Apoſtolicam conceſſis, illis preſertim, quibus inter alia cavetur expreſſe, quod dictus Vicarius ad receptionem aliquorum Monaſteriorum, ſeu Monialium ſub ejus cura compelli non poſſit, niſi duplex mandatum (4) Apoſtolicum ſuper hoc emanaverit, quibus hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo (5), Idibus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CL. fol.* 83.
2. *Penſaurien.*) *Piſaurien.*, vulgo *Peſaro*, in *Urbinaten.* Ducatu *Italia*.
3. *Sexus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Duplex mandatum.*) Hinc liquet quam repugnanter curam Monaſteriorum Fratres acceperint.
5. *Nonageſimo Septimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXCVIII.*

Anno 1498 Die 18 Januarii.

Luciam (1) de Narnia (2) Romam accerſit (3).

Ex Archivo (4) *Ordinis.*

LXXIV.

Dilectis filiis Gubernatori Provincię Noſtre Patrimonii, ac Prioribus, & Communi Civitatis Noſtrę Viterbii.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DEſideramus videre, & alloqui dilectam in Chriſto filiam Luciam de Narnia, Monialem Tertii Ordinis S. Dominici, iſthic in Monaſterio Sancti Thome ejuſdem Ordinis commorantem: Cujus exemplaris vitę famę gratus odor ad Nos pervenit. Echapropter vobis ſub indignationis Noſtrę, ac excommunicationis latę ſententię pena, diſtricte precipiendo mandamus, ut, acceptis preſentibus, ſine ulla mora, & exceptione, eam illico ad Nos duci, & venire faciatis (5) ſuper quo etiam Priori (6) ipſius Ordinis ſcribimus. Datum Romę ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Januarii MCCCCXCVIII Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Luciam.*) Beatam, cujus feſtum celebratur die *XVI* Novembris.
2. *De Narnia.*) Sic ex patria nuncupatur, orta eſt enim *B. Lucia* ex *Broccolellorum* familia. Adeas *Fontanam de Romana Provincia Cap. IV pag.* 290.
3. *Accerſit.*) Cauſam hujus Diplomatis diſces a viro clariſſimo P. Magiſtro *Ponzi* Reverendiſſimi P. Generalis Socio *Italo* in *Vita B. Lucia Narnienſis* italice conſcripta.
4. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Viterbii* aſſervato in Archivo Civitatis.
5. *Venire faciatis.*) *Viterbium* miſſa fuerat *B. Lia* pro Monialibus obſervantiæ regulari reſtituendis. Conſulenda *Fontana* loco laudato, *pag.* 103.
6. *Priori.*) Diploma deeſt.

Anno 1498 Die 1 Februarii.

Cœnobii (1) B. Mariæ de Martyribus fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXV.

Dilectis filiis Preſidentibus, & Fratribus Congregationis Lombardię Ordinis Fratrum Predicatorum.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

DUdum pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Federici Sicilię Regis Illuſtris, inter alia Nobis expoſito, quod ipſe Rex ſingulari devotione ductus, cupiebat in loco olim Monaſterii Monialium B. Marię Magdalenę prope Caſtrum Capuan. Neapolitan., Ordinis S. Auguſtini, nunc vero B. Marię de Martyribus nuncupato, nonnullos Fratres alicujus ex Ordinibus Mendicantium introduci, ipſumque locum eiſdem Fratribus pro eorum uſu, & habitatione perpetuis concedi, Nos per alias noſtras literas in forma Brevis Archiepiſcopo Neapolitano, & Epiſcopo Montis Piloſi, dedimus in mandatis, ut ipſi, vel alter eorum, ſi eſſet ita, aliquos Fratres, de aliquo ex Ordinibus Mendicantium, de quo eidem Regi viſum foret, & prout ejus devotio dictaret in prefato olim Monaſterio Apoſtolica auctoritate introducerent, ipſique illud pro eorum perpetuis uſu, & habitatione concederent, necnon eiſdem Fratribus dictum olim Monaſterium recipiendi, & illud perpetuo habitandi, licentiam largirentur, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut idem Rex Nobis exponi fecit, ipſe Rex, ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem, & Congregationem veſtros, illiuſque Fratres gerere dignoſcitur, ſummopere deſideret, aliquos Fratres Ordinis, & Congregationis eorundem ſub regulari obſervantia degentes, in dicto olim Monaſterio introduci, illudque deinceps perpetuo per eoſdem Fratres, juxta ritus, & mores dictę Congregationis, regi, & gubernari, pro parte ipſius Regis Nobis fuit humiliter ſup-

ſupplicatum, ut aliquos Fratres Ordinis, & Congregationis prędictorum ibidem introduci mandare, ac alias ſuper hoc opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę, in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis latę ſententię pęna, diſtricte pręcipiendo, mandamus, quatenus aliquos Fratres, Ordinis, & Congregationis prędictorum, ſub dicta obſervantia degentes, in dicto olim Monaſterio introducatis, qui illud juxta ritus, & mores Ordinis, & Congregationis eorundem regere, & gubernare debeant, & teneantur. Nos enim vobis locum ipſum pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum hujuſmodi recipiendi, ac eiſdem Fratribus illum inhabitandi, licentiam concedimus par pręſentes, & inſuper eidem loco, ac Fratribus in illo pro tempore commorantibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, pręrogativis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, & indultis, aliis locis, & Fratribus dictorum Ordinis, & Congregationis per Sedem Apoſtolicam, ſeu alias quomodolibet in genere conceſſis, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium indulgemus. Non obſtante felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne quivis Ordinum Mendicantium Fratres loca ad habitandum de novo recipere pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de hujuſmodi prohibitione mentionem, & quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus, Ordinis, & Congregationis eorundem, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die Prima Februarii MCCCCXCVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

L. Podocatharus.

5. *Cœnobii.*) Conſulenda Conſtitutio *LXX pag.* 136. 2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

Ratiſponenſe (1) Monaſterium S. Crucis committit curæ Vicarii a Generale Magiſtro confirmandi, & a Monialibus eligendi.

Anno 1498 Die 20 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. LXXVI.

REgimini univerſalis Eccleſię, meritis licet inſufficientibus, diſponente Domino, pręſidentes, curis perangimur aſſiduis &c Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Monialium Monaſterii, per Prioriſſam ſoliti gubernari, S. Crucis Ratiſponen. ſub cura Ordinis Fratrum Prędicatorum degentium, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſę, quę hactenus ſub cura Miniſtri Provincialis Teutonię dicti Ordinis extiterint, prout exiſtunt de pręſenti, experientia, quę rerum omnium magiſtra dicitur, didicerunt, quod..... (3) ipſius Provincialis, qui in loco ab earum Monaſterio, fere per trecenta milliaria diſtante, moram trahit, propter hujuſmodi diſtantiam, non parva incommoda paſſę fuerunt, & propterea hujuſmodi incommoditatibus provideri cupientes, ſummopere deſiderant, ſe, una cum earum Monaſterio a pręfati Provincialis cura eximi, & liberari, ac curę, & viſitationi Magiſtri Generalis dicti Ordinis pro tempore exiſtentis ad inſtar Monaſterii Corporis Chriſti Venetiarum dicti Ordinis, & Monialium ejuſdem ſubjici, quodque ipſę, vel major pars ipſarum, aliquem, dictum ordinem, in loco viciniori, expreſſe profeſſum, de obſervantia, in eorum Vicarium per pręfatum Generalem confirmandum, qui earum Monaſterium, & illius perſonas, bona, cauſas, negotia privilegia, & indulta, ac omnia ipſis per Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, alias quomodolibet conceſſa defendere, ipſeque Vicarius ſic electus, & confirmatus per pręfatum Generalem duntaxat revocari, & amoveri poſſit, ac ſimiliter aliquem eundem ordinem profeſſum exemplaris vitę in earum Confeſſorem ſibi eligere, illumque una cum uno ſocio ipſum Ordinem profeſſo in Domo cujuſdam, Monaſterio contigua, commoda, & ad id apta, ſibi per eas aſſignanda, habere, & tenere poſſent, concedi, qui earum Confeſſionibus diligenter auditis, eas abſolvere, & ſalutarem pęnitentiam injungere valeat, ac pro arctioris vitę, & diſciplinę obſervantia, quod nullus tam dicti, quam alterius Ordinis profeſſor, ſeu ſecularis perſona cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtat, ad rotam, ſeu cratem ejuſdem Monaſterii S. Crucis gratia viſitandi, ſeu cum ipſis Monialibus loquendi, ſine Prioriſſę, & Confeſſoris hujuſmodi expreſſa licentia accedere poſſit, ſub excommunicationis pęna pręcipi, & mandari. Quare pro parte Prioriſſę, & Monialium prędictarum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eas, una cum dicto earum Monaſterio a pręfati Provincialis cura eximere, & liberare, ac curę, & viſitationi dicti Generalis, ad inſtar dicti Monaſterii Corporis Chriſti, ut pręfertur, ſubiicere; Quodque ipſę, vel major pars earum aliquem, dictum Ordinem expreſſe profeſſum, in earum Vicarium, per pręfatum Generalem confirmandum, qui dictum Monaſterium S. Crucis, illiuſque perſonas, & ipſarum bona, cauſas, negotia, privilegia, & indulta, ac omnia ipſis per Romanos Pontifices, & alios quomodolibet conceſſa, defendat, ipſeque Vicarius ſic electus, & confirmatus, per pręfatum Generalem duntaxat revocari, & amoveri poſſit, ac ſimiliter aliquem pręfatum Ordinem profeſſum exemplaris vitę in earum Confeſſorem ſibi eligere, illumque una cum uno ſocio pręfatum ordinem etiam profeſſo in Domo eidem Monaſterio contigua, commoda, & ad id apta, ſibi per eas aſſignanda, habere, & tenere poſſint, qui, earum Confeſſionibus prius diligenter auditis, eas abſolvere, ac ſalutarem pęnitentiam eis injungere valeat, concedere, ac quod nullus, tam dicti, quam alterius ordinis profeſſor, ſeu Secularis perſona cujuſcunque ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtat, ad rotam, ſeu cratem ejuſdem Monaſterii S. Crucis gratia viſitandi, ſeu etiam ipſis Monialibus loquendi, ſine Prioriſſę, & Confeſſoris

ejuſ-

ejuſdem expreſſa licentia accedere poſſit, ſub excommunicationis pęna pręcipere, & mandare, aliaſque Mandatum. in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui commoda, & animarum ſalutem procurare, illarumque quieti, & commoditatibus providere ſupernis deſideramus affectibus, Prioriſſam, & Moniales prędictas, ac earum ſingulas a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Monaſterium S. Crucis, ac illius Prioriſſam, & Moniales prędictas, pro tempore exiſtentes hujuſmodi, a cura, & viſitatione pręfati Provincialis, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, eximimus, & liberamus, ipſumque Monaſterium, ac Prioriſſam, & Moniales hujuſmodi pręfato Generali, illiuſque curę, & viſitationi, ita quod dictus Provincialis, nullam de cetero in eas, & earum Monaſterium hujuſmodi juriſdictionem, & viſitationem quoquomodo exercere poſſit, ſubjicimus, ac pręfato Generali, ut curam, regimen, & adminiſtrationem prędictas ſuſcipiat, ſub excommunicationis pęna dictis auctoritate, & tenore pręcipimus, & mandamus, eiſdemque Prioriſſę, & Monialibus, aliquem dictum Ordinem expreſſe profeſſum in earundem Vicarium, per pręfatum Generalem confirmandum, & per ipſum Generalem duntaxat revocandum, & amovendum, qui ipſum Monaſterium, illiuſque perſonas, & bona, cauſas, negotia, privilegia, & indulta, ac omnia alia ipſis per Romanos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, & alias eis conceſſa, defendat, necnon etiam aliquem dictum Ordinem, ſimiliter profeſſum, in earum Confeſſorem, qui earum confeſſionibus auditis, eas abſolvere, illiſque ſalutarem pęnitentiam injungere valeat, eligendi, ipſumque Confeſſorem cum uno Socio, etiam ipſum Ordinem profeſſo, in aliqua Domo dicto Monaſterio contigua, & commoda, eis per pręfatas Prioriſſam, & Moniales aſſignanda, tenendi, eiſdem auctoritate, & tenore licentiam concedimus pariter, & facultatem; quodque nullus ad rotam, ſeu cratem dicti Monaſterii cum illius Monialibus loquendi gratia, ſeu alias, niſi a Prioriſſa, & Confeſſore hujuſmodi petita, & obtenta, licentia, accedere, ac laicis, & quibuſcunque aliis perſonis, ne de bonis mobilibus, & immobilibus dicti Monaſterii S. Crucis, ſe quomodolibet intromittere valeant, abſque Prioriſſę, & Monialium prędictarum licentia ſpeciali, pręter eum, quem ipſę elegerint in Monaſterii, & earum Syndicum, & Procuratorem, dictis auctoritate, & tenore pręcipimus, & mandamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinis prędictorum &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, exemptionis, liberationis, ſubjectionis, pręcepti, mandati, & conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo (4), Tertio Decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Ratiſponenſe.*) Seu *Ratisbonenſe*. Juris eſt Provincialis *Saxonia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.CLVI fol.*147.
3. *Quod...*) Nonnulla deſunt.
4. *Nonageſimo Septimo.*) Stylo Bullarum, ęrę communis *MCCCCXCVIII.*

Anno 1498 Die 12 Junii.

De Beneficio eccleſiaſtico uniendo Toletano (1) Cœnobio S. Petri Martyris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXVII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

INjunctum Nobis deſuper, meritis licet inſufficientibus, Apoſtolicę ſervitutis officium, mentem noſtram excitat, & inducit, ut ad ea favorabiliter intendamus, per quę perſonarum quarunlibet, pręſertim ſub ſuavi religionis jugo Altiſſimo famulantium, & literarum ſtudio, operam dantium &c. (3) Diplomatis cauſa. Cum itaque perpetua quędam Capellania in Parochiali Eccleſia S. Juliani Oppidi de Sancto Lalla (4), Toletan. Diœceſis, per quondam Fernandum Lopez de Pina, & Fernandum Martini, laicos, dicti Oppidi, ſeu alterius eorum fundatam, & dotatam, & quę de jure patronatus laicorum exiſtit, per liberam reſignationem dilecti filii Georgii Maldonado, nuper in dicta Eccleſia perpetui Capellani, de illa, quam tunc obtinebat per dilectum filium Alfonſum de Troya Portionario Eccleſię Toletan. procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam vacaverit, & vacet ad pręſens, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus S. Petri Martyris Toletan. Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, fructus, redditus, & proventus, tam prędictę, quam etiam alterius Domus dicti Ordinis ſub invocatione B. Marię de Nivibus extra muros Toletan. noviter conſtructę, quę per dictos Priorem, & Fratres gubernatur, & in qua Collegium pro Fratribus dicti Ordinis literarum ſtudio operam dare volentibus inſtitutum exiſtit, adeo tenues, & exiles exiſtant, quod ad perferenda onera eis ratione dicti Collegii incumbentia non ſuppetant, verum ſi Capellania prędicta dictę Domui B. Marię, ſeu illius Sacriſtię uniretur, annecteretur, & incorporaretur, profecto ex hoc eidem Collegio in hujuſmodi oneribus ſupportandis plurimum ſubveniretur, ipſique Prior, & Fratres, onera eis propterea incumbentia, facilius perferre valerent, ac ultra Miſſas, & alia officia, quę juxta ipſius Capellanię inſtitutionem celebrari debent, officia defunctorum, & aliquas commemorationes in eorum orationibus pro animabus dictorum defunctorum celebrarent, pro parte, tam dictorum Prioris, & Fratrum, quam dilecti filii nobilis viri Garſię de Laſſo de la Vega cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Regis, & cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Eliſabeth Reginę Caſtellę, & Legionis Regnorum illuſtrium, Capitanei, & Oratoris ad Nos deſtinati, qui, ut aſſeritur, ad Domum S. Petri hujuſmodi, ſingularem gerit devotionis affectum, aſſerentium fructus, redditus, & proventus dictę Capellanię Mandatum. vigintiquatuor librarum Turon. parvorum, ſecundum extimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictam Capellaniam Sacriſtię prędictę perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igi-

igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, exprimere tenerentur, verum annuum valorem, ſecundum extimationem prędictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet; ipſoſque Garziam, Priorem, & Fratres a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, necnon Sacriſtię prędictę fructus, redditus, & proventus, verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Capellaniam prędictam, quę ſine cura eſt, ſive, ut pręmittitur, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem dicti Georgii, vel alicujus alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ipſaque Capellania diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore datę pręſentium non ſit in ea alicui ſpecialiter jus quęſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Sacriſtię dilectorum filiorum Roderici, & Gundiſalvi de Bazan, ac Toribii de Cuzinas mariti dilectę in Chriſto filię Marię, etiam de Bazan. dictorum Roderici, & Gundiſalvi Fratrum Sororis laicorum dictę Capellanię patronorum per eundem procuratorem ad hoc etiam ab eis ſpecialiter conſtitutum, ad hoc expreſſo accedente conſenſu, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, unimus, annectimus, & incorporamus, ita, quod liceat ex nunc eiſdem Priori, & Fratribus per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem Capellanię, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in Sacriſtię, ac Collegii prędictorum uſus, & utilitatem convertere, ac eidem Capellanię per ſufficientem, ac idoneum Capellanum, qui de conſilio prędictorum, ac aliorum dictę Capellanię patronorum pro tempore exiſtentium, poni, & amoveri, ipſique Capellano per Priorem, & Fratres prędictos ſufficiens ſalarium juxta illarum partium conſuetudinem ſolvi, & ſi Capellę prędictę per dicti Ordinis profeſſores deſerviri contigerit, Miſſę, & divina officia in dicta Parochiali Eccleſia celebrari debeant, ac ultra onera in ipſius Capellanię fundatione contenta, Prior, & Fratres pręfati, in eorum orationibus aliquas commemorationes pro animabus fundatorum hujuſmodi perpetuo facere, & officia defunctorum celebrare teneantur, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus voluntate noſtra prędicta, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis, de hujuſmodi &c. literas impetrarint &c. Quas quidem literas &c., ad dictam Capellaniam, volumus non extendi &c. & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis &c. & de quibus &c. habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, dicta Capellania, debitis non fraudetur obſequiis &c. Et inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, & decreti infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo, Pridie Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Toletano.*) In *Hiſpania.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLIX fol.* 116.
3. *Dantium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Sancto Lalla.*) Scribendum *Solalla.*

Ut præcedens Diploma executioni mandetur.

Anno 1498
Die 12 Junii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXXVIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Zamorren., & dilectis filiis Gundiſalvo de Lerma Canonico Eccleſię Burgen., ac officiali Toletan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie quandam perpetuam Capellaniam in Parochiali Eccleſia Sancti Juliani Oppidi de Sancto Lalla, Toletan. Dięceſis, quę de jure patronatus laicorum exiſtit, per quondam Fernandum Lopez de Pina, & Fernandum Martini laicos dicti Oppidi, ſeu alterius eorum inſtitutam, & dotatam, per liberam reſignationem dilecti filii Georgii Maldonado, nuper in dicta Eccleſia perpetui Capellani, de illa, quam tunc obtinebat per certum procuratorem ſuum, ad id ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, vacantem, cum omnibus juribus, & pertinentiis Sacriſtię domus Beatę Marię de Nivibus extra muros Toletan., Ordinis Fratrum Prędicatorum, noviter conſtructę, quę regitur, & gubernatur per dilectos filios Priorem, & Fratres domus Sancti Petri Martyris Toletan. Dięceſis, auctoritate Apoſtolica per alias noſtras literas perpetuo univimus, annexuimus, & incorporavimus, ita quod liceret ex tunc pręfatis Priori, & Fratribus, ac dilecto filio Sacriſtę dictę Sacriſtię, juriumque, & pertinentiarum prędictorum poſſeſſionem propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in Sacriſtię, & Collegii in dicta domo Beatę Marię inſtituti, uſus, & utilitatem convertere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, prout in illis plenius continetur. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę literę vobis pręſentatę fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios faciatis auctoritate noſtra, dictos Priorem, & Fratres, conceſſa eis per eaſdem literas facultate apprehendendi poſſeſſionem prędictam pacifice potiri, & gaudere, non permittentes eos ſuper hoc per quoſcunque, quavis auctoritate, contra earundem literarum tenorem quomodolibet impediri. Contradictores auctoritate noſtra &c. non obſtantibus omnibus, quę in dictis literis

vo-

voluimus non obſtare, ſeu ſi venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Toletan., vel quibuſvis aliis &c. ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi &c. non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes &c. de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo, Pridie Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo*,) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLIX fol.* 118.

Anno 1498 Die 21 Junii.

Cordubenſis (1) Monaſterii S. Mariæ de Gratia fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXIX.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii SS. A...., & Victorię Martyris Corduben., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Religionis incrementum ſinceris deſiderantes affectibus &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectę in Chriſto filię Elvirę de Cardenas, Mulieris Corduben. petitio continebat, quod alias quondam Petrus, etiam de Cardenas, tunc in humanis agens, Prętor, ſeu Rector Civitatis Corduben., de propria ſalute recogitans, ac cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio commutare, & condens de bonis ſuis in ejus ultima voluntate teſtamentum, inter alia voluit, ut in quadam Domo, ad eum legitime ſpectante, & pertinente, & in dicta civitate conſiſtente, erigeretur unum Monaſterium Monialium, in quo perpetuo morarentur duodecim Moniales honeſtę, & Religioſę vitę, & quarum una Abbatiſſa, ſeu Mater exiſteret, ac pro ſuſtentatione dictarum Monialium, certos redditus, & proventus annuales reliquit, ac etiam voluit, quod ſi inter dictas Moniales duodecim, reperiretur aliqua de genere ipſius Petri, ipſa eſſet Abbatiſſa, & non alia, ipſeque Moniales pro anima ipſius teſtatoris orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam certis vicibus, tunc expreſſis, qualibet die dicere, & quod dictum Monaſterium intrantes, ut inibi Moniales eſſent, in manibus dictę Abbatiſſę juramentum pręſtare deberent, & tenerentur prout in quodam Inſtrumento deſuper confecto, plenius dicitur contineri. Et deinde poſt obitum dicti teſtatoris, pręfata Elvira, dictam Domum cum aliis honeſtis mulieribus inhabitavit, & gubernavit bona prędicta, prout de pręſenti inhabitat, & gubernat, nullum tamen ex Ordinibus approbatis adhuc profitendo. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, aliquod Monaſterium in dicta Domo nondum erectum fuerit, &, ſi inibi unum Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini, ſub invocatione S. Marię de Gratia, cum clauſtro, & aliis officinis neceſſariis pro una Abbatiſſa, & Monialibus, quę inibi ſub regulari obſervantia, & ſecundum regularia Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum Altiſſimo famularentur, & per Epiſcopum Corduben. pro tempore, ſeu ejus Officialem, vel Vicarium in Spiritualibus Generalem, non autem per dictos Fratres viſitarentur, alias juxta voluntatem dicti teſtatoris erigeretur, ſuccederet inibi divini cultus augmentum, & etiam voluntas dicti teſtatoris adimpleretur. Quare pro parte dictę Elvirę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicta Domo, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini, & ſecundum inſtituta Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum inibi viventium ſub dicta invocatione S. Marię de Gratia, cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, horto, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis erigere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Facultas.

Nos igitur, qui Religionis augmentum ſinceris deſideramus affectibus, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, ipſamque Elviram, quę, ut aſſerit, dicti teſtatoris, dum viveret, neptis erat, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutam fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, in dicta Domo, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini, ſub dicta invocatione S. Marię de Gratia cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro una Abbatiſſa, & duodecim, ſeu etiam ſi facultates dicti Monaſterii ſuppetant, pluribus Monialibus, quę inibi ſub cura, viſitatione, & correctione Epiſcopi Corduben. nunc, & pro tempore exiſtentis, ſeu ejus officialis, aut Vicarii in ſpiritualibus Generalis, & ſecundum regularia Inſtituta Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum, ſub regulari obſervantia, & alias juxta voluntatem dicti teſtatoris Altiſſimo famulentur, & quę tam Abbatiſſa, quam Moniales, ſi reperirentur de genere de Cardenas, cum facultatibus, quas dare voluerint, aſſumantur, & recipiantur, auctoritate noſtra, ſine alicujus prędjudicio, alias juxta voluntatem dicti teſtatoris erigendi &c. Nos enim, ſi erectionem hujuſmodi per te vigore pręſentium fieri contigerit, eidem Elvirę, ſi in Abbatiſſam ejuſdem Monaſterii pręficiatur, & dicti Monaſterii pro tempore exiſtenti Abbatiſſę, ac volentibus dictum Monaſterium ingredi, profeſſionem, necnon ex aliis Monaſteriis dicti Ordinis S. Auguſtini, alias Moniales, quas ad hoc voluntarias invenerint, de licentia ſuperiorum earundem in dicto Monaſterio erigendo, poſtquam erectum fuerit, ut alias inibi Moniales inſtruant, ac a dictis Monialibus dicti Monaſterii erigendi, juramentum prędictum, juxta ordinationem dicti teſtatoris faciendi, licentiam, & facultatem concedimus. Nos enim eidem Monaſterio erigendo, poſtquam erectum fuerit, ac Elvirę, ſi de ejus perſona dicto Monaſterio alias canonice providebitur, & pro tempore exiſtenti dicti Monaſterii Abbatiſſę, & Monialibus, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, favoribus, Indulgentiis, gratiis, & indultis, quibus alia Monaſteria, & Abbatiſſę, ac Moniales dicti Ordinis S. Auguſtini ſecundum regularia Inſtituta Fratrum Prędicatorum Regularis obſervantię viventes, de jure, vel conſuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię ſal-

ſalvo &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. Quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo, Undecimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Corduben.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro* CXCIX *fol.* 26.
3. *Affectibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Bononienſe (1) Monaſterium S. Petri Martyris committit curæ Vicarii Generalis Congregationis Lombardiæ, & Prioris Cœnobii S. Dominici.

Anno 1498 Die 22 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXX.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

ANnuere conſuevit Sedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis prudentum Virginum precibus, quę illecebris mundanis, & mortalis viri toro propulſis, uni Chriſto Jeſu, qui ſpecioſus eſt prę filiis hominum, beneplacitis ſub regulari obſervantia ſe dedicarunt, prętertim illis, per quę conſcientię pax, & animarum ſalus provenire ſperantur. Sane exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Benedictę de Banciis modernę Prioriſſę, & Monialium Monaſterii S. Petri Martyris de Bononia, per Prioriſſam gubernari ſoliti, Ordinis Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum, petitio continebat, quod olim pro earum parte felicis recordationis Innocentio Papę VIII, Prędeceſſori noſtro, expoſito, quod cum ipſę a certis annis tunc elapſis citra, facta ipſarum Monaſterii reformatione, & illo ad regularem obſervantiam dicti Ordinis reducto, bene viverent, ut in eo laudabiliter Domino famulando perſeverarent, dignaretur eis aliquos probos Confeſſores ex dicto Ordine, qui ipſarum curam gererent, conſtituere, & deputare. Idem Innocentius Prędeceſſor, tunc prędictarum Prioriſſę, & Monialium in ea parte ſupplicationibus inclinatus, ipſarum bonum animum, & zelum in Domino approbans, tunc (3) Vicarium Generalem prętati Ordinis in earum Confeſſorem etiam cum poteſtate ſecum aſſumendi unum, vel plures ſufficientes, & inſtructos dicti Ordinis Religioſos, qui ipſas, & earum quamlibet in Confeſſionibus audire, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, & alia circa prętmiſſa neceſſaria facere poſſent, loci ordinarii accedente conſenſu, ſub cujus poteſtate, & juriſdictione Prioriſſa, & Moniales prętatę ſubeſſe dignoſcebantur, dedit, conceſſit, prout in quibuſdam prętati Innocentii Prędeceſſoris in forma Brevis deſuper confectis literis plenius dicitur contineri, &, ut eadem petitio ſubjungebat, licet Prioriſſa, & Moniales prętatę per eundem Vicarium, & deputatum ab eo laudabiliter in verbo Dei, & aliis earum piis operibus inſtructę, & monitę fuerint, & odore bonę famę ſemper vixerint, & vivant de prętenti, nihilominus pro eo, quia ipſum Vicarium a Civitate Bononien. contigit quandoque abeſſe, cuperent pro ipſarum quiete, & pace ipſis in perpetuum, tam prętatum Generalem Vicarium, quam etiam Priorem Domus S. Dominici Bonon., etiam Ordinis hujuſmodi pro tempore exiſtentes, & deputandos ab eis, dicti tamen Ordinis Religioſos, in Confeſſores, qui ipſarum, & earum quarumlibet Confeſſiones audire, & eccleſiaſtica Sacramenta ipſis miniſtrare poſſint, & habeant, dari, & deputari. Quare pro parte Prioriſſę, & Monialium prędictarum Nobis fuit ſupplicatum, ut eis tam Generalem Vicarium, quam etiam Priorem Domus, & Ordinis Prędicatorum pro tempore exiſtentes, & deputandos ab eis, ejuſdem tamen Ordinis Religioſos, in verbo Dei inſtructos, in Confeſſores, qui eas, & ipſarum quamlibet in Confeſſionibus audiant, & eis eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, & alia circa hęc neceſſaria gerere, & facere valeant, concedere, ac quod Benedicta Prioriſſa, & Moniales modernę, & pro tempore in dicto Monaſterio exiſtentes, Prioriſſę, & Moniales de cetero perpetuis futuris temporibus etiam ſub cura, viſitatione, protectione, & correctione Vicarii Generalis, & Prioris prędictorum eſſe debeant, ſtatuere, & ordinare, aliaſque in prętmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui Religioſarum perſonarum, prętertim feminei ſexus, quę mundanis abdicatis illecebris devotum, & ſedulum virtutum Domino in humilitate ſpiritus exhibent famulatum, pacem, & quietem, cum earum animarum ſalute, intenſis deſideramus affectibus, ipſas Prioriſſam, & Moniales a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtant, ad effectum prętentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Generalem Vicarium, & Priorem modernos prędictos, & pro tempore exiſtentes, Ordinis, & Domus prędictorum, & deputandos ab eis, ejuſdem tamen Ordinis, Religioſos, in verbo Dei inſtructos, in dictarum Prioriſſę, & Monialium modernarum, & pro tempore exiſtentium Confeſſores, qui eas, & earum quamlibet in Confeſſionibus audire, & eis eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, & alia circa hęc neceſſaria facere, & gerere poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore prętentium in perpetuum damus, & concedimus, quodque etiam, ut Prioriſſa, & Moniales modernę, & pro tempore exiſtentes dicti Monaſterii de cetero perpetuis futuris temporibus ſub cura, viſitatione, protectione, & correctione Vicarii Generalis, Prioris prędictorum pro tempore exiſtentium, in perpetuum eſſe debeant, eiſdem tenore, & auctoritate ſtatuimus, & ordinamus, & nihilominus eiſdem Generali Vicario, & Priori modernis, & pro tempore exiſtentibus, ſub virtute ſanctę obedientię, ut Prioriſſam, & Moniales hujuſmodi ſub eorum cura, viſitatione, protectione, & correctione, dicti loci ordinarii, & cujuſvis alterius licentia minime requiſita, ſuſcipiant, eaſque in ſpiritualibus, & temporalibus regant, & gubernent, prętata auctoritate committimus, & mandamus per prętentes, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo, Decimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Bononienſe.*) Juris eſt Provinciæ *utriuſque Lombardiæ.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in Bullario *Bononien. pag.* 54.

3. *Tunc.*) Adderem: *Congregationis Lombardiæ.*

Anno 1498 Die 23 Junii.

F. Johannes Preſini fit Pœnitentiarius Avenionen.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXXXI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Avinionen., & Carpentoraten. officialibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

RElígionis zelus &c. ſuper quibus dilectus filius Johannes Preſini Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor apud Nos fide digno commendatur teſtimonio &c. Cum itaque, ſicut accepimus, officium, ſeu locus unius ex minoribus pęnitentiariis in Eccleſia Domus S. Dominici Avenionen. dicti Ordinis per unum ex Fratribus Domus, & Ordinis prędictorum, teneri ſolitum, ſeu ſolitus, & quod, ſeu quem, quondam Bartholomęus de Regnatis in dicta Eccleſia minor Pęnitentiarius dum viveret obtinebat, per obitum ejuſdem Bartholomęi, qui extra Romanam Curiam &c. vacaverit, ſeu vacet, ad pręſens, Nos de perſona dicti Johannis, qui, ut aſſerit, ex Fratribus dictę domus exiſtit, prémiſſorum obtentu plenam in Domino fiduciam obtinentes, prędictum Johannem a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis &c. abſolutum fore cenſentes, diſcretioni veſtrę &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut alter veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, officium, ſive locum, hujuſmodi ſic vacans, ſive vacantem, cum omnibus illius honoribus, oneribus, & emolumentis conſuetis prędicto Johanni, ſine alicujus prejudicio, concedatis, & aſſignetis, ipſumque in minorem Pęnitentiarum in dicta Eccleſia, prout in ipſa officium minores Pęnitentiarii hujuſmodi &c. exercere conſueverint, diligenter, & fideliter exequatur, confirmamus, & deputamus, auctoritate noſtra, contrariis non obſtantibus &c. ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica &c. quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo, Nono Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.CXV fol.* 268.

Anno 1498 Die 3 Julii.

De reformando Trecenſi (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXXII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono Vaſtieren., Senonen., & Nicolao Aquevillę Canonico Pariſien. Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

HUmilibus &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Johannis Clerec (4) Prioris, & Nicolai Conor, ac Mauritii Verdolcti, Magiſtrorum in Theologia, ac aliorum Fratrum Domus Trecen., Ordinis Prędicatorum, reformatorum nuncupatorum, in hac parte litis conſortum, petitio continebat, quod olim poſtquam Johanni, Nicolao, & Mauritio prędictis, ac dilectis filiis Petro Andion, & Stephano, Magiſtris Theologię, & dicti Ordinis profeſſoribus, Congregationis Hollandię, ſecundum morem dicti Ordinis, per literas Apoſtolicę Sedis commiſſum fuerat, ut ipſi, vel tres, aut duo, ſeu unus eorum accedentes ad Domum ipſam, in qua Priorem, & Fratres inibi commorantes, tam in capite, quam in membris viſitarent, & reformarent, & ad vitam regularem reducerent, ipſumque Priorem, & alios officiales dictę Domus, a ſuis officiis, & cura abſolverent, necnon electum, vel poſtulatum pro tempore, in Priorem dictę Domus, etiamſi unus ex ipſis, Johanne, Nicolao, Mauritio, Petro, & Stephano, foret confirmarent, electum, vel poſtulatum hujuſmodi ad acceptandum Prioratum dictę Domus, cogerent, & compellerent, ac alios officiales, de more Ordinis, ſolitos, ordinarent, & inſtituerent, necnon quoſcunque Fratres dicti Ordinis de aliis Domibus reformatis, omni recuſatione, vel contradictione ceſſante, inibi introducerent, ineptoſque, & non voluntarios exinde reiicerent, & ad alias domos Provincię Francię ejuſdem Ordinis, ubi benevolos repererint receptores, tranſmitterent, ipſamque Domum Trecen., eum, ut pręfertur, reformata foret, ab omni cura, ſolicitudine, juriſdictione, & poteſtate Prioris Provincialis pro tempore exiſtentis dictę Provincię eadem auctoritate eximerent, & penitus liberarent, & dilecto filio Vicario ejuſdem Congregationis pro tempore exiſtenti, ac ipſi Congregationi ſubjicerent, & incorporarent, Johanne, Nicolao, Mauritio, & ſuis conſortibus prędictis ſecundum commiſſionem, & tenorem literarum earundem circa reformationem hujuſmodi alias tunc rite procedentibus, Prior, ac Fratres, qui in eadem Domo commorabantur, reformationem hujuſmodi ęgre ferentes, ſeque ex illa gravatos eſſe falſo referentes, ad Sedem prędictam appellarunt, & ſuper appellatione hujuſmodi Apoſtolicas, ad dilectum Jacobum Tonſtain., Canonicum Eccleſię, & certos ſuos in ea parte collegas literas impetrarunt, ex qua dictus Jacobus, inter alias pręfatum Johannem, Nicolaum, & Mauritium in remotis agentes, ad comparendum coram eo, &

exhi-

Digitized by Google

exhibendum omnia, & ſingula acta, & actitata, literas, ſcripturas, inſtrumenta, proceſſus, privilegia, jura, & monumenta, quibus ſe in hujuſmodi cauſa jurare intendebatur, infra certum tunc expreſſum terminum nimis brevem, ad inſtantiam dictorum Prioris, & Fratrum appellantium, citabat, pro parte dictorum litis conſortium, ſentientium exinde inter alia indebite ſe gravari, ad Sedem fuit eandem appellatum, & deinde Nobis humiliter ſupplicatum, ut poſterioris appellationis hujuſmodi, ac poſt, & extra eam forſan attentatorum, & innovatorum quorumcunque, ac nullitatis proceſſus dicti Jacobi Canonici, negotiique principalis cauſam aliquibus probis viris in partibus illis committere, aliaſque ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut alter veſtrum, vocatis dictis Priore, & Fratribus appellantibus, & aliis, qui fuerint evocandi, auditiſque hinc inde propoſitis, & de negotio principali hujuſmodi cognoſcentes legitime, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis, per cenſuram eccleſiaſticam &c. Teſtes &c. non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Diœceſim, ſeu ne judices a Sede prędicta deputati &c. & aliis conſtitutionibus &c. quibuſcunque, aut ſi dicto Ordini a Sede prędicta indultum exiſtat, quod illius perſonę ad judicium trahi, ſuſpendi &c. & qualibet alia dictę Sedis Indulgentia &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo, Quinto Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Trecenſi.*) Vulgo *Troyes* in *Campania Gallica*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXV fol. 36.*
3. *Humilibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Johannis Clerce.*) Viri celeberrimi, de quo conſulendus *Echard Tomo II Scriptorum Ord. ad an. MDVII pag.* 11.

De Capitulo Generaliſſimo Romæ celebrando (1).

Anno 1498
Die 8 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXXIII.

ALEXANDER PP. VI.

Dilectis filiis (3) univerſis, Generali, Provincialibus, Vicariis, Prioribus, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, ubilibet conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXponi Nobis nuper curavit dilectus filius Antonius Penneti (4) Ordinis veſtri, & Theologię profeſſor, ac Provincię Francię juxta ritus ejuſdem Ordinis Provincialis (5), ac pro parte veſtri Generalis Capituli, nuper Ferrarię celebrati (6), Nuncius (7), & Orator ad Nos deſtinatus, quod diſcuſſis illic prudenter, ac mature conſideratis, neceſſitatibus Ordinis veſtri, qui longi temporis incuria in multis collapſus, reparationem deſiderat, ut pro reformatione, unione, & pace, ac ſalubriori dicti veſtri Ordinis directione, & variis, ac urgentibus cauſis, & negotiis illius terminandis, Capitulum veſtrum, quod Generaliſſimum nuncupatur, in Eccleſia & Conventu Beatę Marię ſuper Minervam de Urbe ejuſdem veſtri Ordinis in feſto Pentecoſtes anni Jubilei, proxime futuri celebrare affectatis, idque a Nobis veſtri Capituli Generalis nomine benedici, ordinari, ac ſtatui, pręſentibus dilectis filiis noſtris Bernardino (8) tituli S. Crucis in Hieruſalem Presbytero Cardinali, ejuſdem Ordinis vice Protectore, & Franciſco de Florentia, Generali ipſius Ordinis in Romana curia Procuratore, hoc ipſum inſtanter petentibus, ſupplicavit. Nos igitur qui Religionis directionem, & perſonarum in melius reformationem, ac animarum ſalutem deſideranter appetimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut Capitulum veſtrum Generaliſſimum in domo, & Conventu S. Marię ſuper Minervam dicti Ordinis anno proximi Jubilei, & feſto Pentecoſtes, ut pręfertur, celebrare poſſitis, & valeatis, de Apoſtolicę benignitatis ſpeciali munere, pręſentium tenore, concedimus vobis, & veſtrum ſingulis, pręſertim quos de corpore Generaliſſimi Capituli veſtrę Conſtitutiones declarant, in virtute S. Obedientię diſtricte pręcipiendo mandamus, ut in feſto Pentecoſtes anni Jubilei proximi hujuſmodi in Eccleſia, & Conventu prędictis pro veſtro Generaliſſimo Capitulo, juxta ritus, & Conſtitutionem, ac mores ejuſdem veſtri Ordinis celebrando, & ſingulis, quę pro reformatione, unione, & pace, ac ſalubriori directione veſtris indigere cognoveritis, pertractandis comparere ſtudeatis. Volentes, & auctoritate Apoſtolica ſtatuentes, quoniam dictum Capitulum Generaliſſimum ad pacem, & reformationem veſtri Ordinis ordinatum exiſtit, ut poſt dat. pręſentium omnes, & ſinguli Conventus, & Fratres veſtri, ſub eis, quibus nunc permanent, juriſdictione, & Prędatorum obedientia abſque aliqua penitus immutatione, ſeu innovatione, uſque ad dictum Capitulum Generaliſſimum pacifice, & laudabiliter vivant, & permaneant, omnes, & ſingulas lites, quęſtiones, cauſas, & controverſias ſuper juriſdictionibus, & ſubjectionibus, ac obedientiis hujuſmodi, quarum ſtatus, ac nomina, & cognomina judicum, & collitigantium pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, interim ſuſpendendo, & nihilominus illas ad Nos harum ſerie advocando, cum illarum omnium & ſingularum incidentiis, dependentiis, annexis, & connexis, tam conjunctim, quam diviſim, in eiſdem ſtatu, & terminis, quibus de pręſenti indeciſe permanent, dicto Generaliſſimo Capitulo, & illius Diffinitoribus ulterius audiendas, & fine debito terminandas, ex nunc, prout ex tunc, & e converſo committimus, & commiſſas eſſe volumus; vobis, & veſtrum cuilibet ſub excommunicationis ſententia, & anathematis pęna, quas (9) ſi contrafeceritis, vos & veſtrum quemlibet reſpective eo ipſo decernimus ſubjacere, diſtrictius inhibentes, ne poſt dat. pręſentium per vos, vel alium, ſeu alios pretextu quarumcunque literarum, etiam Apoſtolicarum, ſeu alias quomodocunque, directe, vel indirecte, quovis quęſito colore, vel ingenio, contra tenorem voluntatis, & ſtatuti, noſtrorum prędictorum, quidquam attemptare pręſumatis, ac decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attemptari. Volumus inſuper de ſpeciali gratia, ut ſinguli Vicarii Con-

Mandatum.

Nota.

Congregationum dicti veſtri Ordinis cum uno Socio Diffinitore eandem diffiniendi habeant facultatem in dicto Generaliſſimo Capitulo, quam ex tenore veſtrarum Conſtitutionum Provinciales cum ſuis ſociis, Diffinitoribus habere conſueverunt, & in poſterum ſunt habituri. Non obſtantibus pręmiſſis & quibuſcunque privilegiis, mandatis, & literis quibuſcunque, gratiam vel juſtitiam concernentibus, quibuſvis perſonis, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, ſub quacunque forma & expreſſione verborum in contrarium conceſſis, & editis, aut in poſterum forſan concedendis & edendis. Quibus omnibus & eorum ſingulis, etiamſi de eis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, etiam idem importantes, mentio habenda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent pręſentibus, haberi volumus pro expreſſis, harum ſerie expreſſe derogamus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Sic igitur interim de bono in melius Conventus veſtros ordinare curetis, ut exinde ſpes certa ſit juxta bonam eorum diſpoſitionem per Capitulum hujuſmodi futurum uberrimos, & optatos fructus provenire debere. In quo pręter ęternę retributionis pręmium a Nobis, & Sede Apoſtolica digna operum veſtrorum proveniet commendatio. Ut igitur tenor pręſentium ad veſtrum cujuslibet citius, & facilius deducatur notitiam, auctoritate Apoſtolica decernimus, ut copia pręſentium manu unius, vel duorum publicorum Notariorum ſubſcripta, & ſigillo alicujus Pręlati veſtri Ordinis munita, cui fidem haberi volumus, pro originali habeatur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die VIII Julii MCCCCLXXXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

L. Podocatharus.

1. *Celebrando.*) Audiendus hac de re *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. XI pag. 199*, ubi hæc habet: *Anno MD celebrandum erat generaliſſimum Ordinis Capitulum Romæ ex Alexandri Pontificis decreto, quod in feliciora tempora dilatum eſt, vigentibus in Italia, Gallia, ac alibi bellis. Petierant illud Provinciales pro ſuarum Provinciarum quiete, ut Conventus in quibus ſecundum exactam conſtitutionum normam viverent Patres, qui dicebantur de vita regulari, determinarentur, ex quibus erecta jam fuerant in cunctis Provinciis peculiares Congregationes, & ex eis aſſumpti fuerant Ordinis Magiſtri Bartholomæus de Comatiis, Barnabas Saxonus, necnon & Joachinus Turrianus, idemque in ſequentibus obſervatum eſt, ut ſublata clauſtralitate (nam Fratres clauſtrales dicebantur alii) commodius, atque efficacius paulatim priſtinus obſervantiæ nitor, ac decor in Provinciis, ac Conventibus cunctis reſtitueretur, prout temporis beneficio concluſum eſt.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum.

3. *Dilecto filio.*) Sic in Autographo legitur poſt hæc verba: *Alexander VI.*

4. *Antonius Venneti.*) Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad an. MDXIV pag. 18.*

5. *Provincialis.*) Electus fuerat anno *MCCCCXCIII.* Eidem Provinciæ præfuit per decennium.

6. *Celebrati.*) Hoc Anno *MCCCCXCVIII.*

7. *Nuncius.*) Eruditione ſiquidem clarebat, & verbo potens erat *ancennis*.

8. *Bernardino.*) Cognomento *Caravagial*, natione Hiſpano. Conſulendi Scriptores laudati apud *Ciaconium Vit. Pontif., & Cardinal. Tomo III ad ann. MCCCCXCII pag. 170.*

9. *Quas.*) *Quibus.*

Anno 1498 Die 23 Julii.

Firmat Conventus Briatici (1) fundationem.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Vicario venerabilis Fratris Epiſcopi Militen. (3) in ſpiritualibus generali.

LXXXIV.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Hieronymus de Riſis, Ordinis Fratrum Pędicatorum profeſſor, quod alias poſtquam dilectus filius Joachinus (4) Turrianus dicti Ordinis Magiſter Generalis ſuper hoc auctoritate Apoſtolica fulfultus, ſibi, ut in quocunque loco Nationis Calabrię, Provincię Regni Sicilię citra Pharum, & a quibuſvis perſonis unum locum pro conſtructione, & ędificatione unius Domus dicti Ordinis recipere, & domum ipſam conſtructam, cum ſex ejuſdem Ordinis profeſſoribus, per eum pro tempore eligendis, inhabitare poſſet, licentiam conceſſerat, dilecti filii Antonius Baronus, & Jacobus Gravati, laici, & Syndici Univerſitatis oppidi Briatici. Militenſis Dięceſis, fervore devotionis accenſi, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum de obſervantia nuncupatorum, dicti Ordinis, propter eorum exemplarem vitam, prędicationem Verbi Dei aſſiduam, & devotam divinorum celebrationem, & audientiam confeſſionum, ac exhortationes ad bene beateque vivendum, gerunt devotionis affectum; cupientes unam domum pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum de obſervantia hujuſmodi in dicto Oppido conſtrui, & ędificari; quandam Eccleſiam Sancti Dominici, quę de jurepatronatus dilectorum filiorum Confraternitatis dictę Univerſitatis exiſtit, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, reſervatis tamen eiſdem Confratribus in recompenſam juriſpatronatus hujuſmodi quadam perpetua Capellania a dextris Altaris Majoris dictę Eccleſię exiſtente, cum Altari, & duabus ſepulturis pro ſepeliendis ibidem Confratribus, pro tempore decedentibus, & facultate inibi celebrandi eorum officia, prout antea facere conſueverunt, ac tot fructibus, ex quibus collationem (5), in Cęna Domini per eos fieri conſuetam, facere, & Candelas in feſto Purificationis Beatę Marię inter eos deſtribui ſolitas annis ſingulis, emere valerent, quodque Fratres ibidem pro tempore degentes qualibet hebdomada Miſſam unam pro animabus Confratrum defunctorum celebrare tenerentur, & deberent, de licentia venerabilis Fratris Epiſcopi Militenſis, in genere dicto Ordini, & Vicario Generali dicti Regni, & pręſertim Priori, & Fratribus Domus S. Petri Martyris Neapolitan. ita quod per Priorem, & Fratres dictę Domus S. Petri eidem Domui conſtruendę de Fratribus provideri deberet, donarunt, & conceſſerunt: ac eidem Hieronymo dictę Eccleſię

cor-

corporalem poſſeſſionem pro Priore, & Fratribus dictę Domus Sancti Petri recipienti tradiderunt, prout in Inſtrumento publico, deſuper confecto, plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem ſubjungebat expoſitio, pręfati Prior, & Fratres Domus S. Petri conceſſionem loci hujuſmodi per Syndicos Univerſitatis prędictę, eis factam, propter incommoditatem providendi de Fratribus domui conſtruendę hujuſmodi acceptare recuſarunt; cupiantque Hieronymus, & Univerſitas pręfati donationem, & conceſſionem dicti Ordinis, ſaltem in genere factam, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolicę Sedis munimine roborari: Et propterea Nobis humiliter ſupplicari fecerint, ut dignaremur hujuſmodi viri deſiderio in his annuere, aliaſque ſibi in pręmiſſis de benignitate Apoſtolica opportune conſulere. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi pręſentium tenore committimus, & mandamus, ut, ſi, & poſtquam tibi de pręmiſſis legitime conſtiterit, donationem, & conceſſionem prędictas, ac prout illas concernunt, omnia, & ſingula, in dicto Inſtrumento contenta, auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, eiſque, ut apud dictam Eccleſiam unam domum, cum clauſtro, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ac campanili, & humili campana, quatenus in dicta Eccleſia non eſſet, pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum de obſervantia dicti Ordinis, ſine tamen alicujus prejudicio, ac jure parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, conſtrui, & ędificari facere, ac eidem Hieronymo, ut illam, nomine dicti Ordinis recipere, & cum Fratribus Ordinis, & obſervantię prędictorum, inhabitare, juxta licentiam ſibi a dicto Generali alias conceſſam, poſſint, eadem auctoritate licentiam concedas. Nos igitur domum prędictam, poſtquam, ut pręmittitur, conſtructa fuerit, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus B. Marię de Minerva de Urbe dicti ordinis perpetuo, ita quod ipſi Prior, & Fratres domus de Urbe hujuſmodi dictę Domui conſtruendę de Fratribus providere teneantur, ſubjicimus; necnon dictę domui conſtruendę, ac Priori, & Fratribus in illa pro tempore degentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, indulgentiis, conceſſionibus, & indultis, quibus alię domus dicti Ordinis, & illarum Priores, & Fratres in eis pro tempore degentes, utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, de ſpecialis dono gratię indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne prędicti, vel alterius Ordinis Mendicantium Fratres, ad habitandum nova loca recipere, ſeu jam recepta mutare pręſumant, ſine Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali de prohibitione hujuſmodi ſpecialem & expreſſam faciente mentionem, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Julii MCCCCXCVIII Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Briatici*.) Vulgo *Briatico*, in *Calabria*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Briatienſi*.
3. *Militen.*) *Mileten.*, vulgo *Mileto* in *Calabria*.
4. *Joachinus*.) De quo ſæpius dictum fuit.
5. *Collationem*.) Parvam ſcilicet cœnulam, vulgo *Collazione*.

De conſtituendo Neapolitano Conventu (1) S. Catharinæ de Formello.

Anno 1498
Die 26 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo (3) Neapolitan., & Epiſcopo Montis Piloſi, Regio Capellano majori, vel eorum alteri.

LXXXV.

ALEXANDER PP. VI.

Venerabiles Fratres, Salutem, Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut cariſſimus in Chriſto filius noſter, Federicus Sicilię Rex illuſtris Nobis nuper fecit exponi, licet alias Apoſtolica fuerit auctoritate conceſſum, quod in olim Monaſterio Monialium Beatę Marię Magdalenę prope Caſtrum Capuanum Neapolit., Ordinis Sancti Auguſtini, tunc ſub cura Fratrum Minorum degentium, Ordo, & dignitas Abbatiſſalis ſupprimerentur, quodque Eccleſia dicti Monaſterii ex tunc de cetero Eccleſia Beatę Marię de Martyribus nuncuparetur, ac inibi unum Collegium Presbyterorum ſecularium conſtitueretur; & deinde ex certis cauſis tunc expreſſis fuerit ordinatum, ut aliqui ex Fratribus Congregationis Lombardię Ordinis Fratrum Prędicatorum introducerentur, tamen Rex ipſe ex certis rationabilibus cauſis deſiderat dictum Monaſterium in priſtinum ſtatum reſtitui, ac Monaſterium Sanctę Catharinę de Formello etiam Neapolitan. olim Ordinis Sancti Petri Cęleſtini dictis Monialibus conceſſum, eiſdem Fratribus dictę Congregationis concedi, & aſſignari. Nos igitur, pręfati Regis in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis per pręſentes committimus, & mandamus, ut dictum Monaſterium Beatę Marię in ſuum priſtinum, & eum, in quo antequam pręmiſſa fierent, quomodolibet exiſtebat, ſtatum, auctoritate noſtra reſtituatis, reponatis, & plenarie redintegretis, dictaſque Moniales in illud introducatis, ac ipſum Monaſterium Sanctę Catharinę dictis Sancti Auguſtini, ſive Sancti Petri Ordinibus inibi ſupreſſis, & extinctis, Fratribus Ordinis Prędicatorum, & Congregationis hujuſmodi, pro eorum Domo, ac perpetuis uſu, & habitatione concedatis, ita quod illud recipere, & reſtituere, libere, & licite poſſint; alias in omnibus, & per omnia prout dictum Monaſterium Beate Marię Magdalenę poterant, literęque noſtrę ad id eis conceſſę eis ſuffragentur, quemadmodum ad dictum Monaſterium Sanctę Marię Magdalenę ſuffragabantur, non obſtantibus prędictis, ac Conſtitutionibus, &

Or-

Ordinationibus Apoſtolicis, nec non omnibus illis, quę in literis prędictis volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcnnque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXVI Julii MCCCCXCVIII Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Jo: Mutinen.

1. *Conventu.*) Juris eſt Provincialis *Lombardię*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar cuius autographum eſt in Archivo Cœnobii *Neapolitan. S. Catharinę de Formello*.
3. *Archiepiſcopo.*) Conſulendę *Conſtitutiones LXX*, & *LXXV* ejuſdem *Alexandri VI*.

Anno 1498 Die 18 Auguſti.

De votis ſolemnibus nuncupandis a Placentinis (1) Fratribus de Pœnitentia.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXVI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

AC hoc pręcipue cordis noſtri meditatio dirigitur, ut per noſtrę proviſionis auxilium, Domus, in quibus ſacra Religio vigeat, & incrementum continue ſuſcipiat, propagentur, & ut in illis divinę laudes Altiſſimo perſolvantur, fideles quoslibet, nt pro illarum conſervatione, & manutentione opportuna prębeant ſuffragia, ſpiritualibns muneribus, indulgentiis videlicet, & remiſſionibus invitamus, ut per temporalia, quę illis exhibuerint, auxilia, pręmia conſequi mereantur felicitatis ęternę. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Beatę Catharinę de Senis Ordinis Fratrum Prędicatorum S. Dominici de Pęnitentia, Placentinę Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſi in dicta Domo, in qua ſub forma Monaſterii, & in communi vitam, de ordinarii licentia, hactenus duxerunt, de cetero etiam eodem modo ibidem vitam ducere, ac Profeſſionem ſolemnem, cum tribus ſubſtantialibns Religionis votis, emittere poſſe, cupiunt, ſi eis deſuper Apoſtolicę Sedis ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in dicta Domo, in quodam nemore conſiſtente, & ab habitationibus ſatis diſtante, ſub forma Monaſterii, & communi vita degendi, ac profeſſionem ſolemnem, cum tribus ſubſtantialibus votis emittendi, necnon habitum, per Vicarium pro tempore exiſtentem Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Caſtellę (3), ſub cujus obedientia ipſi Fratres de Pęnitentia exiſtunt, ab habitu (4) tamen eorundem Fratrum Prędicatorum notabiliter diſtinctum, deferendi licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ad ea, ex quibus Religionis propagatio provenire ſperatur, libenter intendimus, eoſdem Priorem, & Fratres de Pęnitentia, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis, ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus qnomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod Fratres in dicta Domo ſub forma Monaſterii in communi vitam ducere, ac profeſſionem ſolemnem cum tribus ſubſtantialibus votis Religionis emittere, ac omnibus, & ſingulis exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, indulgentiis, gratiis, ac indultis per felicis recordationis Sixtum Papam IV, Prędeceſſorem noſtrum, Domibns, & Fratribus, vitam in communi, in Domibus ſub forma Monaſterii hujuſmodi ducentibus, in genere conceſſis, uti, potiri, & gaudere, necnon Habitum conformem majori Regulę, ab habitu tamen dictorum Fratrum Prędicatorum notabiliter diſtinctum, per pręfatum Vicarium ſub cujus obedientia exiſtunt, ordinandum, deferre teneantur, ipſeque Vicarius unum dicti Ordinis Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cum uno, vel duobus ſociis, Priori, & Fratribus Domus hujuſmodi poſſit deputare, qui de pręfati Vicarii licentia Fratribus dictę Domus, eorumque familiaribus, & ſervitoribus, pro tempore exiſtentibus, Sacramenta eccleſiaſtica miniſtrare, ipſeque Pręſidens de conſenſu Prioris, & Fratrum dictę Domus eiſdem Fratribus, unum Patrem, ſeu Rectorem nuncupatum, ex numero Fratrum dictę Domus deputare, qui rerum domeſticarum, & infirmorum curam gerere debeat, ipſique Fratres Domus hujuſmodi, eorumque familiares, qui coram Euchariſtię Sacramento, in Eccleſia, ſeu Oratorio dictę Domus, aliquam orationem, juxta Pręſidentis pro tempore exiſtentis ordinationem, devote recitaverint, ſingnlis quintis feriis, quibus id fecerint, centum dierum, ceteri vero utriuſqne ſexus Chriſti fideles, qui Domum ipſam in pręfati S. Dominici, ac ejuſdem S. Catharinę de Senis, necnon S. Catharinę Virginis, & Martyris, Feſtivitatum diebus, cum eorum octavis, a primis veſperis, uſque ad ſecundas veſperas octavarum prędictarum, devote viſitaverint annuatim, & ad Eccleſię Domus hujuſmodi reparationem, & conſervationem, manus porrexerint adjutrices, pro ſingulis diebus Feſtivitatum, & octavarum prędictarum, omnes, & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones, Domos dicti Ordinis in Feſto S. Dominici viſitantibus, per Sedem Apoſtolicam conceſſas, conſequantur, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, ſtatuimus, & ordinamus. Ipſique Vicario, quęcunque alia ſtatuta, & ordinationes, honeſta, & ſacris canonibus non contraria, ac communi vitę Fratrum de Pęnitentia hujuſmodi congruentia, ſuper concernentibus dictam Domum, & illius Priorem, & Fratres, necnon vivendi modum de Pręſidentis, & Fratrum Domus hujuſmodi conſenſu, quę perpetuę firmitatis robur habere decernimus, condendi, licentiam, & facultatem pręfata Apoſtolica auctoritate concedimus. Volumus autem, quod ſi alias dictam Domum viſitantibus, & ad pręmiſſa, manns adjutrices porrigentibus, aliqua Indulgentia in perpetuum, vel ad tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes quoad hoc nullius exiſtant roboris, vel momenti, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, ſtatuti, ordinationis, decreti, conceſſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB.

Diplomatis cauſa.

Nota.

Facultas.

Indulgentię conceſſę.

Pe-

Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo (5), Quinto decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Placentinis.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar, unum ex Autographo *Placentin.*, alíud ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXI fol.* 20.
3. *Caſtella.*) Seu *Hiſpania*.
4. *Habitu.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. XIV.*
5. *Nonageſimo Octavo.*) Hinc liquet quod a coronationis, non ab electionis die Pontificatus annos numerabat *Alexander VI.*

Cœnobii B. Mariæ de Jeruſalem in Hiſpania fundandi facultas.

Anno 1499 Die 9 Martii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXXXVII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Burgen., & dilectis filiis Hiſpalen., & Corduben. Eccleſiarum Scholaſticis (2), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex fundatoris petitio.

VEnuſtatem domus Dei, & Religionis propagationem, ac animarum ſalutem, divinique cultus augmentum, intenſis deſideriis affectantes &c. (3) Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Ferdinandi de Medina (4), Domicelli Hiſpalen. Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſe cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, zeloque devotionis, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, gerit, accenſus, deſideraverat pro Religionis propagatione, & divini cultus augmento, ac animarum ſalute in Hiſpalen., vel aliqua alia Civitate, ſeu Diœceſi Regni Caſtellę in loco ad id idoneo, ſibi de collatis, & per alios Chriſti fideles ad id pie concedendis bonis, una cum dilecto filio Cypriano de Sancta Cruce dicti Ordinis profeſſore, qui etiam de dicta progenie originem trahit, unam domum ſub invocatione B. Marię de Jeruſalem cum Eccleſia, campanili humili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuo uſu, & habitatione ſua, ſi Deus ad ingreſſum Religionis, eum inſpiraverit, & dicti Cypriani, & aliquorum aliorum Fratrum dicti Ordinis, necnon duodecim Eremitoria ad inſtar duodecim Eremitoriorum prope Sepulcrum Domini Jeroſolymitan. conſiſtentium, cum Capellis, & Altaribus opportunis circum circa eandem Domum conſtruere, & ędificare, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, ſi ſibi ad hoc Apoſtolicę Sedis auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte Ferdinandi, & Cypriani prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis de bonis hujuſmodi in Hiſpalen., vel aliqua alia Civitate, ſeu Diœceſi Regni hujuſmodi, in aliquo loco ad id commodo, & idoneo, unam Domum ſub prędicta invocatione cum Eccleſia, campanili humili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro dicti Cypriani, & aliquorum aliorum Fratrum Ordinis uſu, & habitatione, quę, & Fratres in ea pro tempore degentes, Vicario Generali illius Provincię, dicti Ordinis, etiam de obſervantia nuncupati, pro tempore exiſtenti, ſubeſſe, & ab eo viſitari debeant, necnon circum circa eandem Domum duodecim Eremitoria ad inſtar duodecim Eremitoriorum prope Sepulcrum conſiſtentium hujuſmodi, cum Capellis, & Altaribus opportunis conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & edificari faciendi, necnon Cypriano, etiam abſque alicujus ſuperioris licentia, & aliis Fratribus prędictis, Domum ipſam recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, & alias in prę miſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Ordinem, & Fratres prędictos ſingulari dilectione proſequimur, & Religionis propagationem, ac divini cultus hujuſmodi augmentum ſinceris affectibus exoptamus, ipſorum Ferdinandi, & Cypriani propoſitum in hac parte plurimum in Domino commendantes, Ferdinandum, & Cyprianum prędictos, & eorum quemlibet a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum Ferdinando, & Cypriano prędictis in Hiſpalen., vel aliqua alia Civitate, vel Diœceſi Regni hujuſmodi, in aliquo loco ad id condecenti, & idoneo, unam Domum ſub invocatione B. Marię de Jeruſalem cum Eccleſia, campanili humili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro Cypriani, & aliquorum Ordinis prędictorum uſu, & habitatione perpetuis, quę, & Fratres in ea pro tempore degentes, Vicario Generali Ordinis, & Provincię eorundem pro tempore exiſtenti ſubeſſe, & ab eo, prout alię Domus dicti Ordinis, viſitari debeant, interdicta tamen ſibi, & cuicunque alteri dicti Ordinis ſuperiori poteſtate, & auctoritate, Fratres dictę conſtruendę Domus pro tempore exiſtentes, ſeu eorum aliquem ab eadem conſtruenda Domo amovendi, ſeu mutandi, & alios Fratres in ea de novo introducendi, ſeu ejuſdem conſtruendę Domus Priores, etiam pro tempore amovendi, niſi ad id omnium, & ſingulorum in ea pro tempore degentium expreſſus accedat aſſenſus, necnon circum circa eandem Domum duodecim Eremitoria ad inſtar Eremitoriorum circa Sepulcrum conſiſtentium hujuſmodi cum Capellis, & Altaribus prędictis, ſine alicujus pręjudicio conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, Cypriano vero etiam abſque alicujus ſuperioris licentia, cum aliis Fratribus prędictis eandem Domum, poſtquam conſtructa, & edificata fuerit, recipiendi, & perpetuo inhabitandi, ipſique Cypriano illam gubernandi, ac ſex dicti Ordinis Fratres Ordinem ipſum profeſſos, quos ad id voluntarios invenerit, pro ejuſdem conſtruendę Domus primęva inſtitutione, in ea recipiendi, ac ſex ad id collectis Fratribus hujuſmodi, ad illam ſe transferendi, plenam, & liberam auctoritate noſtra, licentiam largiamini. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore prę ſentium concedi contingat, Domui, & Eremitoriis, ac Fratribus in eadem Domu pro tempore degentibus hujuſmodi, etiamſi duodecim Fratrum numerus in ea completus non ſit, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, indultis, favoribus, gratiis, & indulgentiis, aliis Domibus Ordinis obſervantię nuncupati hujuſmodi, & illorum Fratribus in genere conceſſis, & quibus illi utun-

Facultas.

utuntur, potiüntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere, libere, & licite poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali dono gratię indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius, in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus pręmiſſis, ac felicis recordationis Boniſatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, probibente, ne Fratres aliquorum Ordinum Mendieantium, nova loca ad inhabitandum recipere, aut antiqua mutare pręſumant abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali &c. & quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo (5), Septimo Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXIV fol.* 210.
2. *Scholaſticis.*) Seu Theologis Profeſſoribus.
3. *Affectantes &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *De Medina.*) Gens eſt nobiliſſima, quæ nunc etiam floret in *Hiſpania*.
5. *Nonageſimo Octavo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MCCCCXCIX.*

Anno 1499 Die 9 Aprilis.

Quæ pro Colonien. (1) Cœnobio S. Crucis ſtatuta ſunt firmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXVIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

INjuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio, mentem noſtram excitat, & inducit, ut ad ea, per quę Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorum, pręſertim ſacrę Theologię ſtudio Chriſtianę Reipublicę permaxime utili, & neceſſario, vacare volentium, commodo, & utilitati conſulitur &c. (3). Sane pro parte dilectorum filiorum moderni Prioris, & Conventus Domus S. Crucis Colonien. dicti Ordinis Provincię Teutonicę juxta morem dicti Ordinis, nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias dilectus filius Joachinus ejuſdem ordinis Generalis Magiſter, ac Theologię profeſſor, ex certis eauſis, ad id animum ſuum moventibus, omnia, & ſingula privilegia, gratias, libertates, ordinationes, & declarationes Conventui dictę Domus, & illius Studio, a dicti Ordinis Magiſtris Generalibus, qui eatenus fuerant conceſſa approbavit, & confirmavit, atque de novo conceſſit, & illis addendo inter alia ſtatuit, & ordinavit, quod ſi quis ſe vitę regularis, aut ſtudii hujuſmodi turbatorem exhiberet, per aliquam rebellionem, ſeu inſolitam converſationem, talis de conſenſu majoris partis Patrum de conſilio per Priorem dicti Conventus poſſit a ſtudio, & etiam a Conventu removeri, & ad ſuum remitti conventum, ſeu Priorem Provincialem, ut eum ad alium Conventum remittat, quodque ſi quis Fratrum de cetero, ad quemcunque gradum, pręcipue Magiſterii, ſine Patrum ſui Conventus licentia, ac expreſſo conſenſu, promoveretur pro non promoto ſimpliciter tandiu haberetur quouſque major pars Patrum Conventus in ejus promotionem conſentiret, ac taliter promotus, prout alias per quondam Salvum (4), dicti Ordinis Magiſtrum Generalem ordinatum ſuit, ipſo facto filiatione dicti Conventus privatus exiſtat, nec ad illam de novo, niſi de pleno omnium filiorum ejuſdem Conventus conſenſu, recipi poſſit, &, ſi ſecus factum foret, irritum eſſet, & inane, quodque nullus extraneorum ad Magiſterium proceſſurus in aula ſua Doctorali amicos Conventus invitandi, niſi de licentia, & conſenſu Prioris, & Patrum de Conſilio, facultatem haberet, necnon quandam conventionem in ſavorem ſtudii hujuſmodi inter Colonien. & Lubicen. (5) conventus dictę Teutonicę, & Saxonię Provinciarum juxta morem hujuſmodi de Studentibus, & Fratribus ibidem ſingulis annis tenendis, factam, etiam approbavit, & confirmavit, ac ſucceſſive nonnullos articulos Privilegiorum ſtudii Conventus Colonien. hujuſmodi, declarare volens, voluit, quod calcei, qui neceſſarii eſſent ſtudentibus, eis etiam darentur, ſicut ipſius Conventus Colonien. Conventualibus dari conſuevit, & ſi Civitatem Colonien. exire vellent, tunc Patres Conventus Colonien. hujuſmodi calceos, eo eaſu eis utiles dare, obligati non eſſent, ac etiam declaravit, quod celebrantes quatuor primas Miſſas, Miſſę Conventuali, prout antiquitus obſervatum ſuerat, tam Feſtis duplicibus, & totis duplicibus, ſive celebribus ſive non celebribus, & ſimiliter in Feſtis ſimplicibus in Eccleſia Colonien. celebribus Matutinis, & aliis horis diurnis a primis veſperis incluſive intereſſe deberent, quodque Dominica dies cadens ſub feſto, quo Chorum viſitare tenerentur, & Salve ſub Completorio includeretur, quotidie intereſſe tenerentur, ac Studentes pręſati Proceſſionibus per Civitatem, tam pro funeribus efficiendis, quam alias quando Conventus Colonien. hujuſmodi rogatur, quam etiam commendationibus, in Eccleſia Conventus Colonien. hujuſmodi, aut etiam Choro, coram univerſitate pro tempore ſaciendis, intereſſe tenerentur, quodque quicunque ex Studentibus pręfatis, qui ex vindicta, vel mala radice, ad ordinationem Patrum celebrare recuſaret, prout in Privilegiis eis conceſſis ſacere exhortantur, talis tanquam pacis turbator eiici poſſit, prout in ipſius Joachini Generalis diverſis literis ſuo ſigillo munitis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioris, & Conventus Colonien. prędictorum, aſſerentium omnia prędicta, maturo conſilio, ac deliberatione pręfati Joachini Generalis, qualitatem Conventus Colonien. hujuſmodi, & illius perſonarum, uti eorum capitis agnoſcentis, proceſſiſſe, Nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut approbationibus, confirmationibus, roborationibus, adiitionibus, ſtatutis, voluntatibus, & ordinationibus prędictis, ac omnibus in ſingulis literis contentis, illa concernentibus, pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Confirmatio.

Nos igitur Priorem, & Conventum Colonien. hujuſmodi, ac eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, approbationes, roborationes, confirmationes, adiitiones, ſtatuta, voluntates, ordinationes, & declarationes prędicta, ac prout illa concernunt, omnia, & ſingula in literis Joachini Generalis pręſati contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, eaque perpetuo inviolabiliter obſervari debere decernimus; ſupplentes omnes,

omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus pro potiori cautela omnia, & ſingula per prefatum Joachinum, & ejus Predeceſſores dicti Ordinis Generales quę hactenus fuerunt conceſſa, ſtatuta, & ordinata, prefata Apoſtolica auctoritate, de novo concedimus, ſtatuimus, & ordinamus, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, conſtitutionis, ſuppletionis, conceſſionis, ſtatuti, & ordinationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Nono, Quinto Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Colonien.*) In *Germania*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXV fol.* 75.
3. *Conſulitur &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Salvum &c.*) De quo ſæpius dictum fuit.
5. *Lubicen.*) *Lubecen.*, vulgo *Lubeck*, in *Germania*.

De Abbatiali dignitate conſtituenda in Prioratu Monaſterii de Vega (1), Ordinis S. Benedicti, ſub juriſdictione Vicarii Provincialis Provinciæ Caſtellæ (2) Ordinis Prædicatorum.

Anno 1499 Die 17 Maii.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Decano Eccleſię Legionen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LXXXIX.

SEdis Apoſtolicę gratioſa benignitas ad ea libenter intendit, per quę Monaſteriorum, & Religioſorum locorum omnium &c. (4). Sane pro parte dilectę in Chriſto filię Catherinę Suffrę Prioriſſę Monaſterii de Vega per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Benedicti, Legionen. Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum dictum Monaſterium, in quo quadraginta Moniales, vel circa, vitę ſanctimonia laudabiles, ac plures ex eis generis nobilitate prędite exiſtunt, non minus notabile, & inſigne ſit, quam nonnulla alia dicti Ordinis Monaſterii, in partibus illis conſiſtentia, quę per Abbatiſſas gubernari conſueverunt, illiuſque fructus, redditus, & proventus, pro ejus oneribus perferendis ſufficiant, cupit eadem Catherina illius Prioriſſatum, in Abbatialem dignitatem erigi, quod profecto in ejuſdem Monaſterii B. Marię decorem, & amplitudinem cederet. Quare pro parte, tam Catherinę Prioriſſę, & dilectorum in Chriſto filiorum Conventus ejuſdem Monaſterii B. Marię, quam dilecti filii Ludovici de Fauro Vicarii Provincialis Provincię Caſtellę, Ordinis Fratrum Prędicatorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſub cujus juriſdictione, & viſitatione, dictum Monaſterium B. Marię, ut aſſeritur, exiſtit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Prioriſſatum hujuſmodi, in Abbatiſſatus dignitatem erigere, & inſtituere, & quod de cetero perpetuis futuris temporibus dictum Monaſterium B. Marię per Abbatiſſam regi, & gubernari debeat, ſtatuere, & ordinare, aliaſque in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Monaſteriorum, & Religioſorum locorum omnium decorem, & venuſtatem, noſtris potiſſime temporibus ſinceris affectibus exoptamus, cupientes eidem Monaſterio B. Marię, ne longę vacationis exponatur incommodis de perſona, ſecundum cor noſtrum utili, & idonea, per quam circumſpecte regi, & ſalubriter dirigi valeat, providere, de meritis, & idoneitate ipſius Catherinę apud Nos, de Religionis zelo, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis multipliciter commendata, certam notitiam non habentes, necnon Catherinam, & Conventum, ac Vicarium prędictos, & ipſarum Conventus ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Prioriſſatum prędictum in Abbatiſſatus dignitatem erigere, & Inſtituere, & quod de cetero perpetuis futuris temporibus dictum Monaſterium B. Marię per Abbatiſſam regi, & gubernari debeat, ſtatuere, & ordinare auctoritate noſtra procures. Et nihilominus, ſi erectionem, inſtitutionem, ſtatutum, & ordinationem hujuſmodi per te vigore preſentium fieri contigerit, ut prefertur, de meritis, & idoneitate ipſius Catherinę, eadem auctoritate te diligenter informes, &, ſi, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, per informationem hujuſmodi, eandem Catherinam ad regimen, & adminiſtrationem ipſius Monaſterii B. Marię utilem, & idoneam eſſe repereris, de perſona prefatę Catherinę dicto Monaſterio, ab ejus primęva erectione hujuſmodi vacanti, eadem auctoritate provideas, ipſamque illi preficias in Abbatiſſam, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Monaſterii ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, ac faciendo ei a Conventu prefatis obedientiam, & reverentiam congruentes, necnon a dilectis filiis vaſſallis, & aliis ſubditis dicti Monaſterii conſueta ſervitia, & jura ſibi ab eis debita, integre exhiberi. Contradictores &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque, aut ſi Conventui, vaſſallis, & ſubditis prefatis &c. a prędicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi &c. non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes &c. de indulto hujuſmodi mentionem, Nos enim eidem Catherinę, ſi de perſona ſua, per te, earundem vigore preſentium, provideri, ipſamque illi in Abbatiſſam prefici contigerit, ut prefertur, quod a quocunque maluerit Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicę habente, munus benedictionis ſuſcipere, ac eidem Antiſtiti, ut munus prędictum impendere, licite ſibi poſſit, concedimus per preſentes. Volumus autem, quod idem Antiſtes, qui prefatę Catherinę munus prędictum impendet, poſtquam illud ſibi impenderit, ab ea, noſtro, & Romanę Eccleſię nomine fidelitatis debitę ſolitum recipiat juramentum juxta formam, quam ſub Bulla noſtra mittimus introcluſam, ac formam juramenti, quod ipſa Catherina preſtabit Nobis de verbo ad verbum per ejus patentes Literas ſuo ſigillo ſignatas per proprium Nun-

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Legionen., cui dictum Monaſterium B. Mariç Ordinario jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum prçjudicium generetur, Datum Romç apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicç Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Nono, Sexto decimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *De Vega.*) In *Hiſpania*.
2. *Caſtella.*) Seu *Hiſpania*.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXXIV fol.218.*
4. *Omnium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Anno 1499
Die 8 Junii.

XC.

Belmontenſis (1) Monaſterii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori ſecularis, & Collegiatç Eccleſiç S. Bartholomçi Oppidi de Belmonte, Conchen. Diçceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INjunctum Nobis deſuper Apoſtolicç ſervitutis officium, Nos admonet, & inducit, ut votis illis, per quç prudentes virgines integritatem ſuam Altiſſimo reddere &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſç, & Conventus Monaſterii Monialium S. Ildefonſi, loci de Abuerea, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prçdicatorum degentium, Conchen. Diçceſis, per Prioriſſam ſoliti gubernari, petitio continebat, quod cum ipſum Monaſterium adeo pauperrimum exiſtat, quod niſi eleemoſynis Chriſti fidelium pro earum ſuſtentatione ſubveniretur, illius Prioriſſa, & Moniales, ſe ſuſtentare non poſſent, & etiam, cum ipſum Monaſterium in loco anguſto, & quaſi in deſerto conſiſtat, Prioriſſa, & Moniales predictç ab incolis dicti loci eleemoſynas pro earum ſuſtentatione neceſſarias recipere non poſſint, niſi dictum Monaſterium, exierint, & ad loca vicina ubi ſit populi multitudo acceſſerint, verum cum hoc eis juxta regularia dicti Ordinis inſtituta, non permittatur, ſi in Oppido de Belmonte dictç Diçceſis, unum Monaſterium dicti Ordinis ſub invocatione S. Catherinç de Senis, cum Eccleſia, campanili, campanis, & aliis officinis neceſſariis erigeretur, & çdificaretur, & ipſç Prioriſſa, & Moniales ad illud, cum omnibus ſuis bonis mobilibus, & immobilibus ſe transferrent, ac corpora defunctorum in priori Monaſterio predicto ſepulta ad dictum erigendum Monaſterium, poſtquam erectum, & conſtructum fuerit, deferrentur, Prioriſſa, & Moniales prçfatç inibi pro earum neceſſitatibus uberiores eleemoſynas, & ſubventiones ſuſcipere poſſent. Quare pro parte dictç Prioriſſç, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicto Oppido de Belmonte unum Monaſterium dicti Ordinis ſub invocatione prçdicta erigere, aliaſque in premiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de premiſſis, certam notitiam non habentes, ipſaſque Prioriſſam, & Conventum, a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, ac interdicti &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuç per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, in dicto Oppido de Belmonte, unum Monaſterium dicti Ordinis ſub dicta invocatione S. Catherinç cum Eccleſia, campanili, campanis, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ſine alicujus prçjudicio, auctoritate noſtra erigas, & eiſdem Prioriſſç, & Monialibus ad illud, poſtquam ſic erectum, & çdificatum fuerit, cum omnibus ſuis bonis mobilibus, & immobilibus, ad ipſum Monaſterium S. Ildefonſi pertinentibus, ſe transferendi, ac corpora defunctorum in dicto Monaſterio S. Ildefonſi ſepulta, ad Eccleſiam, & cçmeterium dicti erigendi Monaſterii, poſtquam ſic erectum fuerit, ut prçfertur, deferendi, ſeu deferri faciendi, licentiam, & facultatem eadem auctoritate noſtra concedas, necnon omnia bona mobilia, & immobilia, quç ad dictum Monaſterium S. Ildefonſi pertinent eidem erigendo Monaſterio perpetuo applices, & appropries; Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac S. Ildefonſi, ac Ordinis prçdictorum juramento, confirmatione Apoſtolica &c. quibuſcunque. Volumus autem, quod dictum Monaſterium S. Ildefonſi, & ejus Eccleſia, ad profanos uſus non dedicantur, ſed in illis in ejuſdem S. Ildefonſi principalibus Feſtis, de quibus Prioriſſç, & Conventui prçfatis, videbitur, Miſſç, & alia divina officia pro animabus dictorum defunctorum celebrentur. Datum Romç apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicç Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Nono, Sexto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Diplomatis cauſa.

Facultas.

1. *Belmontenſis.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCXIII fol.* 219.
3. *Reddere &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Doviziacenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1499 Die 13 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XCI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Sancii, Bituricen. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAcræ Religionis, ſub qua dilecti filii Fratres Ordinis Prædicatorum, devotum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas &c. (3) Sane pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Franciſcæ de Albato (4) Brabantiæ Duciſſæ Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſa zelo devotionis accenſa, cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ob ſingularem devotionem, quam ad Ordinem ipſum gerit, unam Domum pro uſu, & habitatione nonnullorum ipſius Ordinis Fratrum, de bonis ſibi a Deo collatis, conſtruere, & ædificare, ſeu conſtrui, & ædificari facere ſummopere deſiderat, dum ad id Sedis Apoſtolicæ licentia ſibi ſuffragetur. Quare pro parte, tam dictæ Franciſcæ Duciſſæ, quæ etiam, ut aſſerit, Comitiſſa Dotaria (5) Comitatus Nivernen. exiſtit, necnon dilecti filii Simeonis (6) Berterii ejuſdem Ordinis, ac Theologiæ profeſſoris, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eidem Franciſcæ Domum hujuſmodi in Oppido Doviziaci, Antixiodoren. (7) Diœceſis, ſeu illius ſuburbiis in loco, ad hoc congruo, & honeſto, Congregationis Franciæ, cum Eccleſia, humili campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione perpetuis dicti Simeonis, & nonnullorum aliorum Fratrum ejuſdem Ordinis, conſtrui, & ædificari faciendi, licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem, & cultum hujuſmodi, noſtris potiſſime temporibus augeri, & vigere, intenſis deſideramus affectibus, præfatam Franciſcam a quibuſcunque excommunicationis &c. abſolutam fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, præfatæ Franciſcæ, unam Domum in eodem loco cum Eccleſia, humili campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis ſupradictis, pro uſu, & habitatione dictorum Simeonis, & nonnullorum aliorum Fratrum ejuſdem Ordinis, abſque alicujus præjudicio, conſtrui, & ædificari faciendi, ipſiſque Simeoni, & aliis Fratribus Domum prædictam, nomine ipſius Ordinis recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam auctoritate noſtra largiaris. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi conceſſeris, ut præfertur, Simeoni, & aliis Fratribus prædictis in eadem Domo pro tempore degentibus, ut omnibus, & ſingulis, privilegiis, prærogativis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, favoribus, indultis, & indulgentiis Bononien., & Hiſpaniæ, ac aliis Congregationibus, Domibus, & Fratribus dicti Ordinis per Sedem Apoſtolicam, aut Legatos ejuſdem, aut alias quovis modo in genere, ſub quacunque forma, & expreſſione verborum conceſſis, hactenus, & in poſterum forſan concedendis, uti, potiri, & gaudere, libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quivis Ordinum Mendicantium Fratres, Domus, ſeu loca in aliqua Civitate &c. ad inhabitandum de novo recipere &c. ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Nono, Idibus Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Facultas.

1. *Doviziacen.*) Seu *Donziacen.*, vulgo *Donzy*, in *Nivernenſi* Comitatu.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXCVIII fol.* 186.
3. *Honeſtas &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Albato.*) Scribendum *Albreto*. Gens eſt nobiliſſima. Ceterum *Franciſca de Albreto* nupſerat *Johanni Burgundiæ*, Brabantiæ Duci, Comiti *Nivernenſi* &c. Hinc Duciſſa *Brabantiæ* dicitur.
5. *Dotaria.*) Vidua ſcilicet, *Johannes* enim *Burgundiæ* obierat anno *MCCCCXCI*.
6. *Simeonis.*) *Simon* vocatur ab *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCLXII pag.* 209.
7. *Antixiodoren.*) *Antiſſiodoren.*, & *Altiſſiodoren.*, vulgo *Auxerre*, in *Burgundia*.

De Beneficio eccleſiaſtico fundando in Cordubenſi (1) Monaſterio S. Marthæ.

Anno 1499 Die 28 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XCII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono de Pedroche, & Scholaſtico, ac Petro Ponze de Leon. Canonico Eccleſiæ Corduben., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DEbitum Paſtoralis officii, meritis licet inſufficientibus, Nobis ex alto commiſſi &c. (3) Sane pro parte dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Franciſcæ Carillo Domicellæ (4) Corduben. Diœceſis Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſa zelo devotionis accenſa, ac cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, deſiderat ad Altare Sanctæ Mariæ de la Quintanguſtia, ſitum in Capella majori Monaſterii Monialium per Prioriſſam ſoliti gubernari Sanctæ Marthæ Ordinis Sancti Auguſtini Corduben., ſub cura Fratrum Prædicatorum viventium, unam perpetuam Capellaniam pro uno perpetuo Capellano idoneo, qui inibi ſingulis diebus unam Miſſam celebrare teneretur, erigi facere, eidemque Capellaniæ ſic erigendæ pro ejus dote, & ipſius Capellani ſuſtentatione tot bona immobilia ſibi a Deo collata, quorum fructus, redditus, & proventus ad valorem annuum viginti quatuor ducatorum auri de Camera ſecundum communem extimationem non excedant, concedere, & aſſig-

Diplomatis cauſa.

aſſignare, dummodo juſpatronatus, & pręſentandi perſonam idoneam ad dictam Capellaniam pro hac prima vice, & ſucceſſive quoties illam vacare contigerit, pręfatę Franciſcę quoad vixerit, & poſt ejus obitum dilecto filio nobili viro Didaco Fernandi de Corduba, Comiti de Cabra, Caſtellę, & Legionis Regnorum Viceregenti moderno, & ſucceſſoribus ſuis Comitibus de Cabra, ac Prioriſſę Monaſterii pręfati pro tempore exiſtentibus conjunctim, inſimul, ita quod inſtitutio pręfata ad Decanum, & Capitulum Eccleſię Corduben. pertineat reſervare. Quare pro parte dictę Franciſcę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Capellaniam hujuſmodi ad dictum Altare pro uno perpetuo Capellano idoneo cum onere miſſas prędictas inibi celebrandi, erigere, ac bona hujuſmodi pro ejus dote, & ipſius Capellani ſuſtentatione perpetuo applicare, & appropriare, necnon juſpatronatus, & pręſentandi perſonam idoneam ad eandem Capellaniam, ut pręfertur, hujuſmodi prima vice, & quoties illam vacare contigerit, ſibi quoad vixerit, & poſt ejus obitum Didaco, & Prioriſſę, ac ſucceſſoribus pręfatis, ita quod inſtitutio perſonę prędictę, Comite, & Prioriſſa prędictis, in pręſentatione hujuſmodi, dum pro tempore vacabit, infra novem dies, poſtquam vacatio illius eis innotuerit, negligentibus, collatio, & proviſio dictę Capellanię Decano, & Capitulo Eccleſię Corduben. hujuſmodi pro ea vice duntaxat pertineat, reſervare, ac eidem Franciſcę circa hęc ſtatuta, & ordinationes faciendi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum ubique vigere

Mandatum.

cultum noſtris pręſertim temporibus, ſinceris deſideramus affectibus, ipſam Franciſcam in hujuſmodi laudabili propoſito confoventes, & a quibuſcunque excommunicationis &c. abſolutam fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum perpetuam Capellaniam ad dictum Altare pro uno perpetuo Capellano idoneo qui inibi ſingulis diebus unam Miſſam celebrare debeat, auctoritate noſtra, abſque alicujus prejudicio, & cujuslibet jure ſemper ſalvo, erigatis, & inſtituatis, ac bona prędicta eidem Capellanię, ſic erectę, pro ejus dote, & ipſius Capellani ſuſtentatione, applicetis, & approprietis, & nihilominus poſtquam dicta Franciſca Capellaniam hujuſmodi ſufficienter dotaverit, ſibi quoad vixerit, & poſt ejus obitum Didaco, ac Prioriſſę, & ſucceſſoribus pręfatis, ita quod inſtitutionem perſonę prędictę, Didaco, ac Prioriſſa, & ſucceſſoribus pręfatis infra novem dies in pręſentatione hujuſmodi negligentibus, ut pręfertur, eo caſu collatio, & proviſio ejuſdem Capellanię pro illa vice duntaxat ad Decanum, & Capitulum pręfatos pertineat, juſpatronatum, & facultatem pręſentandi perſonam idoneam ad dictam Capellaniam ſic erectam tam hujuſmodi prima via, quam quoties illam ex tunc de cetero vacare contigerit, ut pręfertur, dicta auctoritate reſervetis, ac dictę Franciſcę circa hęc ſtatuta, & ordinationes, alias tamen licita, & honeſta, ac per loci ordinarium confirmanda, faciendi licentiam, & facultatem, eadem auctoritate concedatis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Nono, Quarto Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Cordubenſi*.) In *Hiſpania*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXXVII fol.* 285.
3. *Commiſſi &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Domicella*.) Id eſt: *Nobilis*.

Anno 1499 Die 23 Decembris.

De Cœnobio Burgundienſi (1) conſtituendo.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii A . . ., Lugdunen. Dięceſis, & Lugdunen., ac Grationopolitan. (3) Officialibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium ab Ordinis laude.

Diplomatis cauſa.

AD fructus uberes, quos Ordinis Fratrum Prędicatorum Sacra Religio, virtutum fęcunditate referta per multiplicia virtutum inſignia profert in univerſali eccleſia paternę conſiderationis dirigentes intuitum, digne ducimur &c. (4). Sane pro parte dilectorum filiorum Vicarii, & Fratrum Domus Malibecci (5) Ordinis Fratrum Prędicatorum, Hermen. (6) Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum dicta Domus, a viginti quatuor annis, vel circa, in rure, & loco a Villis, & oppidis remoto fundata fuerit, & pro eorum ſuſtentatione, dictę Domus, & illius Eccleſię reparatione & conſervatione, eis non ſuppetant facultates, ipſi gravibus neceſſitatibus, & incommodis perſępe afficiuntur. Verum ſi eis in oppido Burgundii, Hermen. Dięceſis, a dicto loco Malibecci per dimidiam leucam, vel circa, aut ultra diſtante, ſeu in illius ſuburbiis, vel aliquo loco ad id accommodo, unam Domum, pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis, ita quod illa, & dicta Domus Malibecci, una Domus, & Fratres unius, & alterius Domorum earundem Fratres eſſent, ac omnes, & ſinguli, fructus, redditus, & proventus, ac alia bona quęcunque cujuslibet ipſarum Domorum legitime acquiſita, & acquirenda in poſterum utrique ex eiſdem Domibus communia haberentur, & cenſerentur, cum campanili humili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruendi, & ędificandi, ipſiſque Fratribus illam recipiendi, & perpetuo habitandi licentia concederetur, profecto Vicarius, & Fratres Domus Malibecci hujuſmodi, ex hoc ſe commodius ſuſtentare, & divinis beneplacitis quietius, & melius inſiſtere poſſent, divinuſque cultus non modicum ſuſciperet incrementum. Quare pro parte Vicarii, & Fratrum Domus Malibecci hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in oppido Burgundii, ſeu illius ſuburbiis hujuſmodi in aliquo loco ad id accommodo, & idoneo Domum prędictam conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, eiſque illam recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſ-

Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis ſtatum propagari, & divinum cultum adaugeri, noſtris potiſſime temporibus meritis deſideramus affectibus, Vicarium, & Fratres Domus Malibecci hujuſmodi, & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Vicario, & Fratribus Domus Malibecci hujuſmodi in Oppido Burgundii, aut illius ſuburbiis prędictis in aliquo loco ad id accommodo, & idoneo unam Domum cum Eccleſia, campanili humili, campana, refectorio dormitorio, cęmeterio hortis, hortalitiis, & aliis officinis prędictis pro perpetuis uſu, & habitatione dictorum Fratrum, ita quod illa, & dicta Domus Malibecci una, & eadem Domus, & Fratres in earum qualibet pro tempore degentes, utriuſque earum Fratres, & profeſſi exiſtant, ac fructus, redditus, & proventus, ac omnia, & ſingula alia, res, & bona legitime acquiſita, & acquirenda cujuslibet ex eiſdem Domibus, ubique exiſtentia, communia perpetuo cenſeantur, & habeantur, ita quod conſtruendę domus, & illius Fratres pro tempore exiſtentes Magiſtro Generali dicti Ordinis pro tempore exiſtenti immediate ſubjecti exiſtant, ſine alicujus prejudicio, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, eiſque, & aliis Fratribus dicti Ordinis illam recipiendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam largiamini. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te vigore prędentium concedi contigerit, ut prefertur, dictę tunc conſtructę Domui, & illius pro tempore Priori, & Fratribus hujuſmodi, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, favoribus, indulgentiis, gratiis, conceſſionibus, & indultis, quibus alię Domus, & Fratres hujuſmodi in genere utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere, libere, & licite poſſint, & debeant, Apoſtolica auctoritate, prędentium tenore, de ſpecialis dono gratię indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię &c. in omnibus ſemper ſalvo, non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, probibente, ne prędicti, & cujuſvis alterius Ordinis Mendicantium Fratres ad inhabitandum nova loca recipere, & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. Quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Nono, Decimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Burgundienſi.*) Vulgo *Bourgoin*, in *Delphinatu*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* *Lib.CCXVII fol.184.*
3. *Gratianopolitan.*) *Gratianopolitan.*, vulgo *Grenoble*.
4. *Ducimur &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Malibecci.*) Vulgo *Maubec*, in *Delphinatu*.
6. *Hermen.*) Corrupta vox, ſcribendum. *Viennen.*, vulgo *Vienne*, in *Delphinatu*.

De uniendis Urbevetanis (1) Cœnobiis S. Pauli & S. Pancratii.

Anno 1500 Die 28 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCIV.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Ex injuncto nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio, ad ea libenter intendimus, per quę Monaſteriorum, & aliorum Religioſorum locorum omnium, ac perſonarum in eis ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium, prępertim fęminei ſexus, quę mundanis abjectis illecebris, ac mortalis viri toro propulſo, in illo, qui ſpecioſus eſt prę filiis hominum, confiſę ſub regulari caſtimonia converſantur, neceſſitatibus, & commoditatibus valeat ſalubriter provideri. Exordium. Dudum ſiquidem proviſiones Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantium, & in antea vacaturorum, ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quocunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Diplomatis cauſa. Cum itaque poſtmodum Monaſterium Monialium S. Pancratii Urbevetan. Ordinis S. Benedicti ex eo quod dilecta in Chriſto filia Pancratia, nuper ipſius Monaſterii Abbatiſſa, regimini, & adminiſtrationi illius, cui tunc pręerat, per dilectum filium Alexandrum Lucam Laicum Urbevetanum, Procuratorem ſuum ad hęc ab ea ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte, & libere ceſſit, Noſque ceſſionem ipſam duximus admittendam, apud Sedem prędictam vacaverit, & ad prędens vacet, nulluſque de illius proviſione pręter Nos hac vice ſe intromittere potuerit, reſervatione, & decreto obſtantibus ſupradictis, & ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſę, & Conventus Monaſterii S. Pauli etiam Urbevetan. Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum, degentium, petitio continebat, fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii S. Pauli adeo tenues, & exiles exiſtunt, quod ex illis Abbatiſſa, & conventus prędati ſe ſuſtentare commode non poſſunt; verum ſi dictum Monaſterium S. Pancratii, in quo ab aliquo tempore citra pręter dictam Pancratiam una, vel duę Moniales permanſerunt, eidem Monaſterio S. Pauli, in quo regularis viget obſervantia, perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, profecto ejuſdem Monaſterii S. Pauli neceſſitatibus opportune conſuleretur, dictumque Monaſterium S. Pancratii laudabilius, & honeſtius regeretur, & gubernaretur, idque dilectis filiis Conſervatoribus pacis, & conſilio, ac communitati Civitatis noſtrę Urbevetanę, qui ex prędmiſſis, & nonnullis aliis cauſis, animos eorum moventibus, id ſummopere deſiderant, admodum gratum, & acceptum foret. Quare tam pro parte Conſervatorum, conſilii, & communitatis, quam Abbatiſſę, & Conventus prędictorum, aſſerentium S. Pancratii viginti quatuor, & S. Pauli Monaſteriorum prędictorum quadraginta ducatorum auri de Camera, fructus, redditus, & proventus ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictum Monaſterium S. Pancratii eidem Monaſterio S. Pauli perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac alias in prędmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Mandatum. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus quod ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, conſilium, conſervatores, Communitatem, Abbatiſſam, & Conventum prędictos, ac illorum ſingulares perſonas a quibuſvis ex-

excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pręfatum Monaſterium S. Pancratii, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona vacet, & ex quavis cauſa illius proviſio ad Sedem eandem ſpecialiter, vel generaliter, pertineat, dummodo tempore dat. pręſentium non ſit eidem Monaſterio S. Pancratii de Abbatiſſa canonice proviſum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem Monaſterio S. Pauli auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita, quod liceat Abbatiſſę & Conventui pręfatis corporalem Monaſterii S. Pancratii, juriumque, & pertinentiarum pręedictorum, poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios, propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac illius fructus, redditus, & proventus, reſervata congrua portione, pro dictis duabus Monialibus, quandiu vitam duxerint in humanis, in ſuos, ac dictorum Monaſteriorum uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus voluntate noſtra pręedicta, ac Monaſterii S. Pancratii, & Ordinis S. Benedicti, pręedictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indulgentiis, ac literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi in dicto Monaſterio S. Pancratii divinus cultus nullatenus negligatur, ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta. Nos enim ex tunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Dei Omnipotentis, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Nono (3), Quinto Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

L. de Sinibaldis. D. Gallettus.

1. *Urbevetanis.*) In *Hetruria* ditionis Pontificię.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo Urbevetano.
3. *Nonageſimo Nono.*) Stylo Bullarum ęrę communis *MD.*

Anno 1500 Die 18 Februarii.

Magiſter Generalis Inquiſitores (1) Congregationis Lombardiæ renunciet Fratres ab ejuſdem congregationis Vicario Generali deſignandos.

Ex Bullario Caſtellani Parte I pag. 25.

XCV.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Fratrum Pręedicatorum pro tempore exiſtenti.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Dudum per alias noſtras in forma Brevis literas, ſtatuimus, & ordinavimus, quod Generalis Magiſter Ordinis Fratrum Pręedicatorum pro tempore exiſtens, non poſſit aliquem Inquiſitorem hęreticę pravitatis in Domibus Congregationis Lombardię dicti Ordinis, in quibus Inquiſitores deputari conſueverunt, inſtituere, aut deputare, ſeu alias electum confirmare, niſi quem Prior dictę Domus de conſilio, & aſſenſu Patrum diſcretorum, ſeu eorum majoris partis, elegerit, ſeu poſtulaverit, ac etiam ſic deputatum, & inſtitutum, ſeu confirmatum abſque eorum conſenſu ſeu majoris partis amovere, ſeu ab Officio Inquiſitionis abſolvere, prout in illis plenius continetur. Cum autem, ſicut tu nuper Nobis exponi feciſti, contingere poſſet, quod Prior, & Patres pręedicti eligerent ad dictum Inquiſitionis officium Fratres tibi ad alia officia magis neceſſarios, & forte ad illud minus idoneos, non ſine ipſius Congregationis dedecore, & detrimento, pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, & aliis dictę Congregationis pro tempore exiſtentibus Vicariis Generalibus, quod Generalis Magiſter totius Ordinis pręedicti pro tempore exiſtens, non poſſit aliquem Inquiſitorem hęreticę pravitatis in domibus pręfatę Congregationis deputare, aut inſtituere, ſeu alias electum confirmare, niſi quem tu, ſeu alii Vicarii Generales ejuſdem Congregationis pro tempore exiſtentes, de conſilio, & conſenſu aliquorum Patrum diſcretorum duxeritis eligendum, ſeu poſtulandum, neque ſic deputatum, & inſtitutum abſque tuo, & aliorum Vicariorum pro tempore exiſtentium conſenſu amovere, aut ab Officio Inquiſitionis hujuſmodi ſibi commiſſo abſolvere, tenore preſentium concedimus pariter, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac literis pręedictis, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XVIII Februarii MD Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Facultas.

1. *Inquiſitores.*) Conſulenda *Diſſertatio I.*

Cau-

Caucenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1500 Die 2 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XCVI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Cantori, & Scholaſtico, ac Theſaurario Eccleſię B. Marię Valliſoleti, Palentin. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Piis ſupplicum votis, illis pręſertim, quę divini cultus augmentum, & Religionis propagationem, animarumque ſalutem reſpiciunt, libenter annuimus &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Alfonſi de Ponſeca (4), Domini de Coca, & de Alahejos Oppidorum Segobien., & Salamantin. (5) Diœceſum, petitio continebat, quod olim bonę memorię Alfonſus Archiepiſcopus Hiſpalen., tunc in humanis agens, & cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio commutare, condens de bonis ſuis in ejus ultima voluntate teſtamentum, inter alia voluit, & ordinavit, quod ejus corpus, poſtquam ab hac luce deceſſiſſet, apud Altare, Capellam nuncupatum, ſitum in Eccleſia Domus S. Ildefonſi de Toro (6), Ordinis Fratrum Prędicatorum, Zamoren. Diœceſis, quod ſumptuoſo, & magnifico opere, de propriis bonis, conſtrui fecit, ſepeliretur, & quod in eodem Altari perpetuis, futuris temporibus, deputarentur duodecim Capellani ſeculares ad nutum Domini dictorum Oppidorum, pro tempore exiſtentis, ponendi, & amovendi, quorum unus Capellanus Major nuncuparetur, & aliis pręeſſet, alius vero Sacriſta eſſet, qui duos ſervitores ad officii Sacriſtię hujuſmodi neceſſaria habere deberet, necnon unum luminare, ſeu lampas, ipſique Capellani pro dicti Archiepiſcopi, & parentum, & aliorum conſanguineorum ſuorum animarum ſalute, ſingulis diebus, duas Miſſas cum cantu, & certo reſponſorio, & aliis divinis officiis ſub certis modo, & forma, tunc expreſſis, celebrare tenerentur, emerenturque pro eorum, & ſervitorum, ac luminaris ſuſtentatione, necnon Altaris hujuſmodi manutentione, & aliis inibi neceſſariis ex pecuniis per eum relictis annui redditus, octuaginta quinque millium Morapetinorum (7), certo etiam tunc expreſſo modo diſtribuendorum, quodque donec redditus haberentur hujuſmodi, tenerentur ejus hęres, & Dominus dictorum locorum ſummam dictorum octuaginta quinque millium Morapetinorum annis ſingulis, ad pręmiſſa perſolvere, prout in quodam publico inſtrumento deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, corpus Archiepiſcopi hujuſmodi, non ante dictum Altare, ſed in quadam Eccleſia dicti Oppidi de Coca, a tempore obitus ejuſdem Archiepiſcopi poſt viginti, & ſex annos, vel circa ſepultum ſit, & prędicti Capellani nondum deputati fuerint, ac Prior, & Fratres dictę Domus, in qua regularis obſervantia viget, aſſerentes ſtatuta regularia ejuſdem Ordinis, non permittere, ut clerici ſeculares in Eccleſiis Domorum ejuſdem Ordinis, aliquas Capellanias obtineant, ſeu illis deſerviant, quodque Miſſę, & alia divina officia hujuſmodi in eodem Altari propter ejus cum Altari Majori eorum Eccleſię propinquitatem, abſque magno divinorum officiorum, quę per eoſdem Fratres, ad dictum Altare Majus celebrantur, impedimento, celebrari non poſſent, Capellanos prędictos inibi deputari voluerunt, cupiatque dictus Alfonſus pro conſcientię ſuę ſecuritate, & ejuſdem Alfonſi Archiepiſcopi animę ſalute, religioniſque propagatione, ac divini cultus augmento, in dicto Oppido de Coca, ubi nullum Monaſterium exiſtit, unam Domum prędicti Ordinis conſtrui, & ſi eidem Alfonſo Domum hujuſmodi conſtrui, & ędificari faciendi, licentia concederetur, ſtatueretur que, quod in ea per illius Fratres, Miſſę, & alia divina officia hujuſmodi, alias juxta dicti Archiepiſcopi voluntatem, & ordinationem celebrarentur, profecto ipſe Alfonſus id, quod hactenus in Miſſarum, & divinorum officiorum hujuſmodi celebratione exponendum fuiſſet, & longe ultra in conſtructione, & ędificiis hujuſmodi exponeret, ac redditus eidem Domui conſtructę aſſignaret, ex hoc quoque dilectorum filiorum univerſorum incolarum dicti Oppidi de Coca, ac eorum, & Archiepiſcopi, & parentum, ac conſanguineorum prefatorum animarum ſaluti, diviniſque cultus augmento, plurimum conſuleretur. Quare pro parte dicti Alfonſi, aſſerentis, ſe de magno nobilium genere procreatum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi apud Eccleſiam S. Salvatoris extra muros dicti Oppidi de Coca, quę a longo tempore citra deſtructa exiſtit, & ſolum aliquos parietes habet, & Sepulcri Dominici Jeroſolymitan., ejuſdem Ordinis S. Auguſtini, eſſe aſſeritur, vel in aliquo alio ad id condecenti loco, intra, vel extra, dictos muros, unam Domum Ordinis Prędicatorum hujuſmodi cum Eccleſia, humili campanili, campana, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis edificandi, & conſtruendi, ejuſque Sacriſtię pro luminaribus, paramentis, & aliis ornamentis eccleſiaſticis ad divinum cultum neceſſariis, annuos redditus prędictos perpetuo applicandi, & appropriandi, Fratribuſque dicti Ordinis Prędicatorum hujuſmodi, illam recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, & quod in Eccleſia Domus conſtruendę hujuſmodi, per illius Fratres Miſſę, & alia divina officia hujuſmodi, alias juxta dictam diſpoſitionem, perpetuis futuris temporibus celebrari debeant, ſtatuere, & ordinare, ac piam Alfonſi Archiepiſcopi voluntatem hujuſmodi, quoad hoc commutare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de prędictis certam notitiam non habemus, ipſum Alfonſum a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, vocatis Fratribus Domus S. Ildefonſi hujuſmodi, & aliis, qui fuerint evocandi, prefato Alfonſo, apud dictam Eccleſiam S. Salvatoris, ita quod illius ſolum ſub ędificio hujuſmodi comprehendi debeat, vel aliquo alio ad id accommodo loco, intra, vel extra, dictos muros, unam Domum Ordinis Prędicatorum hujuſmodi cum campanili humili, campana, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ſine alicujus prejudicio conſtruendi, & ędificandi, ejuſque Sacriſtię pro luminaribus, para-

Nota.

Facultas.

paramentis, & aliis ornamentis neceſſariis eccleſiaſticis ad Divinum cultum, annuos redditus prędictos, ut pręfertur, perpetuo applicandi, & appropriandi, ac Fratribus Ordinis Prędicatorum hujuſmodi, illam recipiendi, & perpetuo inhabitandi, liberam, & omnimodam licentiam concedere, & quod in Eccleſia Domus ędificandę hujuſmodi, per illius Fratres Miſſę, & alia divina officia hujuſmodi, alias juxta dictam diſpoſitionem, perpetuis futuris temporibus celebrari debeant, ſtatuere, & ordinare, ac voluntatem hujuſmodi in hoc commutare auctoritate noſtra curetis. Nos enim, ſi pręmiſſa per vos fieri contigerit, ut pręfertur, Domui conſtruendę hujuſmodi, poſtquam conſtructa fuerit, ac Fratribus in illa pro tempore degentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus &c. quibus alię Domus dicti Ordinis Prędicatorum, & Fratres &c. utuntur, potiuntur, & gaudent &c. uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, de ſpecialis dono gratię indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię &c. ſalvo, non obſtantibus voluntate, & ordinatione prędictis, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne quivis Ordinum Mendicantium Fratres, ad inhabitandum nova loca recipere &c., ac alia, qua inter alia cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, & Diœceſim &c. ſeu ne judices ab eadem Sede deputati &c. & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo, Sexto Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Caucenſis.*) Vulgo *Coca*, in *Caſtella Veteri*, Hiſpaniarum Regno.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCXVII fol.323.*
3. *Annuimus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Fonſeca.*) Gens eſt antiqua, quæ nunc etiam floret.
5. *Salamantin.*) Seu *Salmanticen.*, in *Hiſpania*, ubi cetera Civitates, de quibus hoc in Diplomate.
6. *De Toro.*) *Taurenſis* ſcilicet.
7. *Morapetinorum.*) *Marabotinorum*, *Morbotinorum*, *Marabotinorum &c.* Monetæ ſpecies eſt apud *Hiſpanos*, ut alibi notatum fuit.

Anno 1500 Die 27 Junii.

Indulgentia pro Vaſuarien. (1) Cœnobio in quo ſervatur Hoſtia ſanguine miraculoſe aſperſa.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCVII. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus prę ſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. ECcleſiarum quarumlibet, prę ſertim perfidorum Turcarum, Chriſti nominis inimicorum, incurſionibus aggreſſarum, fabricis manus porrigere dignum, & meritorium opus apud Deum extimantes, fideles quoslibet ad exhibendum pro illarum reſtauratione, & manutentione opportuna ſuffragia quibuſdam allectantibus muneribus, Indulgentiis videlicet, & remiſſionibus invitamus, ut per temporalia, quę ad hoc prę ſtiterint auxilia, prę mia conſequantur ęterna. Cum itaque, ut accepimus, Eccleſia Domus S. Crucis, tunc Vaſuarien. Ordinis Fratrum Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum, Jaurien. (3) Diœceſis, quę in Regno Hungarię inter Alemanos, & perfidos Turcas conſtituta exiſtit, & in qua una Hoſtia Sanguine miraculoſe aſperſa, honorifice conſervatur, & in dies evidentiſſima miracula

Nota. fiunt, propter quę populi multitudo devotionis cauſa, ad eandem in dies confluit, prędictorum Turcarum guerris, & incurſionibus ſępe numero affligatur, ac dilecti filii, Prior, & Fratres dictę Domus, adeo pauperes exiſtant, ut Eccleſiam, & Domum hujuſmodi, illarumque ſtructuras, & ędificia, quę non mediocri reparatione indigent, reſtaurare non poſſint, & propterea Chriſti fidelium ſuffragia ad hoc fore noſcantur plurimum opportuna, Nos, cupientes, ut Eccleſia ipſa debitis frequentetur honori-

Indulgentia. bus, ac illa, & eadem Domus debite reparentur, inſtaurentur, & manuteneantur, & calicibus, libris, luminariis, & aliis ornamentis eccleſiaſticis muniantur, & decorentur, quodque fideles ipſi eo libentius devotionis cauſa confluant ad eandem Eccleſiam, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam prędictam in Corporis Chriſti, & S. Dominici, ac Exaltationis S. Crucis prędictę Feſtivitatibus, necnon celebritatis omnium Sanctorum diebus, a primis veſperis, uſque ad ſecundas veſperas incluſive, devote viſitaverint, & ad reparationem, & reſtaurationem, & manutentionem, Eccleſię, & Domus hujuſmodi, ac alia prę miſſa, manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet Feſtivitatum, & celebritatis earundem, quibus id fecerint, quindecim annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus, prę ſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus Eccleſiam prędictam, & ad prę miſſa manus porrigentibus adjutrices, aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, prę ſentes literę nullius ſint roboris, vel momenti. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo, Quinto Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Vaſuarien.*) Seu *Caſtri ferrei*. Juris eſt Provincialis *Hungariæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.CCXIV fol.287.*
3. *Jaurien.*) *Jaurinen.*, in *Hungaria*.

Vianenſis (1) Monaſterii fundandi facultas.

Anno 1500 Die 27 Junii.

***Ex Archivo* (2) *Ordinis*.**

XCVIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Decano Majoris, & ejuſdem Majoris, ac S. Johannis Trajecten. (3) Prępoſiti Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ADmonet Nos ſuſcepti cura regiminis, & auctoritas Pontificalis Nos inducit &c. (4). Nuper exhibita pro parte dilecti filii Nobilis Viri Walrami de Brekewedei (5), & Vyamam (6), oppidorum Trajecten. Dięceſis domini, ac dilectę in Chriſto filię nobilis mulieris Margaritę, ejus uxoris, petitio continebat, quod ipſi devotionis fervore accenſi, pro eorum, ſuorumque anteceſſorum, & ſucceſſorum animarum ſalute, ad Dei, ejuſque Genitricis glorioſę Virginis Marię laudem, & honorem, necnon religionis augmentum, in dicto oppido de Vyanen., in loco ad id decenti, & honeſto, unum Monaſterium Monialium, per Prioriſſam gubernandum, Ordinis S. Auguſtini regularis obſervantię pro una Prioriſſa, & aliis Monialibus dicti Ordinis, ſub cura Fratrum Pręedicatorum, & perpetua clauſura degentibus, quę habeant unum dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem in earum Confeſſorem, ſeu ſuperintendentem, cum duobus aliis Fratribus ejuſdem Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoribus ad prędicandum verbum Dei in Eccleſia dicti erigendi Monaſterii diebus ſolemnibus coram populo, qui docti, & alias idonei exiſtere debeant, erigi, & conſtrui cupiunt, illudque pro ſuſtentatione unius Prioriſſę, & aliarum Monialium in numero ſufficienti congruis redditibus dotare proponant, ſi eis ad hoc Sedis Apoſtolicę auctoritas deſuper ſuffragetur, ad quod erigendum Monaſterium, & alia premiſſa faciendum Ordinarii loci conſenſum jam obtinuerunt. Quare pro parte eorundem Walrami, & Margaritę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis unum Monaſterium Monialium pro una Prioriſſa, & aliis Monialibus dicti Ordinis S. Auguſtini regularis obſervantię ſub cura dictorum Fratrum Prędicatorum, ac perpetua clauſura, degentibus, quę dictum Confeſſorem, ſive ſuperintendentem, cum duobus aliis Fratribus dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum habere debeant, cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, & aliis neceſſariis officinis in dicto oppido de Vyanen., erigi, & inſtrui faciendi, ac eiſdam Walramo, & Margaritę ad dictum erigendum Monaſterium, poſtquam illud rędificaverint, alias Moniales de aliis Monaſteriis dicti Ordinis, & regularis obſervantię, ad id voluntarias, de licentia ſuorum ſuperiorum in numero ſufficienti transferendi, necnon dilecto filio Magiſtro Generali dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum pro Monaſterii erigendi, & Prioriſſę, ac Monialium in eo pro tempore degentium prędictorum felici ſtatu, directione, & honeſtate faciendi, & ordinandi, libere, & licite valeant, licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, & religionis propagationem, noſtris maxime temporibus ubique vigere, ſupremis deſideramus affectibus, ac pium, & laudabile Walrami, & Margaritę prędictorum propoſitum in Domino plurimum commendantes, ipſoſque Walramum, & Margaritam, a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni veſtrę, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, Monaſterium ipſum in dicto oppido de Vyanen. in loco ad id decenti, & honeſto, cum Eccleſia, campanili, humili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, & aliis neceſſariis officinis pro una Prioriſſa, & Monialibus prędicti Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum hujuſmodi, & perpetua clauſura, degentibus, in quo Altiſſimo perpetuo etiam famulari debeant, ſine cujuſcunque prejudicio, auctoritate noſtra, perpetuo erigatis, ac ad dictum Monaſterium erigendum, poſtquam illud erectum fuerit, ut prefertur, alias Moniales, de aliis Monaſteriis dicti Ordinis regularis obſervantię, ad id voluntarias, de expreſſa ſuorum Superiorum licentia, in numero ſufficienti, transferatis, & ipſę Prioriſſę, tres Fratres dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſores, quorum unus Confeſſor, ſive ſuperintendens, & doctus, & ad predicandum, & alias expertus exiſtat, ut prefertur, de licentia etiam ſuorum Superiorum, ſibi eligendi, & aſſumendi, necnon Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum ſtatuta rationabilia, & honeſta, ut prefertur, condendi, & ordinandi, auctoritate prefata licentiam largiamini. Et nihilominus, ſi licentiam hujuſmodi per vos, vigore pręſentium, concedi, ac erectionem, & conſtructionem, fieri contigerit, ut prefertur, Monaſterio, & in illo pro tempore exiſtentibus Prioriſſę, & Monialibus, quod omnibus, & ſingulis privilegiis immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, gratiis, indulgentiis, conceſſionibus, indultis, etiam quoad eligendam, & confirmandam pro tempore Prioriſſam dicti Monaſterii, per Sedem Apoſtolicam; & alias in genere conceſſis, & quibus alia Monaſteria dicti Ordinis, & regularis obſervantię ſub cura Fratrum Prędicatorum exiſtentia, & illorum Moniales, de jure, vel conſuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, uti potiri, & gaudere, libere, & licite valeant, jure tamen Parochialis Eccleſię &c. ſemper ſalvo, auctoritate prefata concedimus, & etiam indulgemus, non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo, Quinto Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Supplex fundatorum petitio.

Facultas.

1. *Vianen.*) In *Hollandia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCIII fol.* 193.
3. *Trajecten.*) Vulgo *Utrecht*.
4. *Inducit &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *De Brekewerdei*,) Legendum fortaſſis *de Breke*, *Woerden*, ſeu *Voerda*, oppidum eſt *Hollandiæ*. Hæc autem vox *de Breke* cognomen videtur *Walrami*.
6. *Vyamam.*) Corrupta vox. Scribendum: *Vianen.*, ut in ipſo Diplomate poſtea legitur.

Anno 1500 Die 30 Junii.

Toletanum (1) Cœnobium S. Petri Martyris Eccleſiaſtico Beneficio donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCIX.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

PAſtoralis officii debitum Nos excitat, & inducit, ut ſingularum Eccleſiarum &c. (3). Cum itaque perpetua Capellania in Parochiali Eccleſia S. Juliani Oppidi de Sancto Lalla (4), Toletan. Diœceſis, quæ de jure Patronatus Laicorum exiſtit, Sacriſtiæ Domus B. Mariæ de Nivibus Ordinis Fratrum Prædicatorum de obſervantia nuncupatorum, extra muros Toletan., perpetuo unita, annexa, & incorporata, ex eo quod Nos unionem, annexionem, & incorporationem prædictas dilectorum filiorum Prioris, &

Diplomatis cauſa.

Fratrum Domus S. Petri Martyris Toletan. dicti Ordinis, per quos Capellania ipſa B. Mariæ regitur, & gubernatur, ad hoc per dilectum filium Petrum de Burgos Canonicum Palentin. Procuratorem eorum, ad hoc ab eis ſpecialiter conſtitutum, expreſſo aſſenſu accedente, harum ſerie diſſolvimus, & in priſtinum, ac eum ſtatum, in quo ante unionem hujuſmodi erat, reponimus, per diſſolutionem hujuſmodi vacaverit, & vacet ad preſens. Et, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Prioris, & Fratrum prædictorum, petitio continebat, ſi dicta Capellania, Sacriſtiæ Domus S. Petri hujuſmodi, cum oneribus celebrandi, ſeu celebrari faciendi Miſſas, & alia Divina Officia in priori unione adjectis, perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto eorundem Prioris, & Fratrum commoditatibus non parum conſuleretur, pro parte Prioris, & Fratrum, aſſerentium, quod fructus, redditus, & proventus dictæ Capellaniæ, viginti quatuor librarum Turonen. parvorum, ſecundum extimationem valorem, annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Capellaniam prædictam Sacriſtiæ Domus S. Petri hujuſmodi perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum extimationem prædictam dicti beneficii, cui aliud uniri petitur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, ipſoſque Priorem, & Fratres, ac eorum quemlibet a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes, necnon Sacriſtiæ Domus S. Petri hujuſmodi, fructus, redditus, & proventus, & eorum verum annuum valorem præſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Capellaniam prædictam, quæ ſine cura eſt, ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per liberam reſignationem cujuſvis de illa, in Romana curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam le-

Collatio.

gitime devoluta, ipſaque Capellania diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper ea, inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo dat. præſentium tempore, non ſit in ea alicui ſpecialiter jus quæſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis Sacriſtiæ Domus S. Petri hujuſmodi, cum onere celebrandi, ſeu celebrari faciendi Miſſas, & alia Divina Officia in priori unione, hujuſmodi, de conſenſu dictorum patronorum, de quo quidem conſenſu Nobis per publica documenta extitit legitime facta fides, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita, quod liceat eidem Priori, & Fratribus corporalem Capellaniæ, juriumque, & pertinentiarum prædictorum poſſeſſionem, per ſe, vel alium, ſeu alios propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in luminaribus, & ornamentis Eccleſiaſticis, & aliis neceſſitatibus Prioris, & Fratrum, ac Sacriſtiæ Domus S. Petri hujuſmodi convertere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, non obſtantibus voluntate noſtra prædicta, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prædeceſſoris noſtri &c. quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi &c. literas impetrarunt &c. ad dictam Capellaniam, volumus non extendi &c. & quibuſvis aliis Privilegiis &c. & de quibus &c. habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prædictas, Capellania debitis non fraudetur obſequiis &c. Nos enim ex nunc irritum, decernimus, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo, Pridie Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Toletanum.*) In *Hiſpania.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. CX *fol.* 110.
3. *Eccleſiarum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Sancto Lalla.*) Vulgo *Solalla.*

Domum B. Mariæ de Nivibus ſeparat a Toletano (1) Conventu S. Petri Martyris.

Anno 1500
Die 30 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

C.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

APoſtolicę ſolicitudinis ſtudium, ſuperna Nobis diſpoſitione commiſſum, hanc inter curas multiplices vigilantiam noſtris oculis anteponit, ut circa ea, quę pro divini cultus augmento &c. (3) Cum itaque perpetua Capellania in Parochiali Eccleſia S. Petri Oppidi de S. Lalla (4) Toletan. Diœceſis, quę de jurepatronatus laicorum exiſtit, Sacriſtię Domus B. Marię de Nivibus Ordinis Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, dictę Diœceſis, perpetuo unita, annexa, & incorporata, ex eo quod Nos unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus S. Petri Martyris Toletan. dicti Ordinis, per quos Domus ipſa B. Marię regitur, & gubernatur, ad hoc per dilectum filium Petrum de Burgos Canonicum Palentin., procuratorem eorum, ad hoc ab eis ſpecialiter deputatum, expreſſo accedente conſenſu, harum ſerie diſſolvimus, & in priſtinum, ac eundem ſtatum, in quo ante unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, erat, reponimus, per diſſolutionem nimirum hujuſmodi vacaverit, & vacet ad pręſens, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Prioris, & Fratrum eorundem, petitio continebat, alias poſtquam dilectus filius Petrus de Ribadeneyra, Portionarius Eccleſię Toletan., poſſeſſionem, ſeu hęreditatem de Abbuhera nuncupata, in territorio Civitatis Toletan. conſiſtentem, ad eum ratione ſuę legitimę pertinentem, cum nonnullis pratis, olivetis, vineis, & paſcuis per eum acquiſitis, exiſtentem Priori, & Fratribus, ea conditione, donavit, quod Prior, & Fratres ipſi ibidem unam Domum ſub invocatione B. Marię de Nivibus in dicti Petri de Ribadeneyra ... conſtrui facere, & in ea octo Fratres, & unum Vicarium adjunctum Prioris Domus S. Petri hujuſmodi amovibilem tenere, ibidem divina officia pro parentum ſuorum animarum ſalute, celebrare tenerentur, ac bona per Petrum donata, per Priorem, & Fratres Domus S. Petri hujuſmodi adminiſtrari deberent, & in eventum, quod Prior, & Fratres dictę Domus S. Petri, pręmiſſa non adimplerent, dilecti filii Decanus, & Capitulum dictę Eccleſię Toletan., dictam Domum B. Marię aliis Religioſis concedere, & aſſignare, ſeu de ea pro libito voluntatis diſponere, poſſint, donaverat, ac per quendam Priori, & Fratribus Domus S. Petri hujuſmodi, unam Domum ſub invocatione B. Marię de Nivibus in poſſeſſione hujuſmodi conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & edificari faciendi, licentiam concedi mandaveramus, ac in eventum conceſſionis, licentię, & conſtructionis Domus B. Marię hujuſmodi, de novo conſtructam, & S. Petri Domos hujuſmodi invicem unitas cenſeri, & unum Conventum facere, & per unum Priorem regi, & gubernari debere, ſtatueramus, & ordinaveramus, ipſique Prior, & Fratres Domus S. Petri, licentia eis conceſſa, hujuſmodi Domum ſub invocatione prędicta in dicto loco de Abbuhera ipſius Petri de Ribadeneyra, conſtrui, & ędificari fecerant, ac prędicta, & una in Parochiali Eccleſia S. Juliani Oppidi, & Diœceſis prędictorum perpetuę Capellanię, tunc certo modo vacantes Sacriſtię dictę Domus de novo conſtructę per alias noſtras literas perpetuo unitę, annexę, & incorporatę fuerant. Cum interea inter Petrum de Ribadeneyra, ac Priorem, & Fratres Domus S. Petri hujuſmodi ſuper dictę Domus de novo conſtructę ędificiorum terminatione & conditionis in donatione adjectę hujuſmodi non obſervatione, & adimpletione, & ex aliis cauſis, tunc expreſſis, orta controverſia fuiſſet, Prior, & Fratres Domus S. Petri, ac Petrus de Ribadeneyra hujuſmodi ſuper his in eoſdem Decanum, & Capitulum compromiſerunt, ipſique Decanus, & Capitulum compromiſſo hujuſmodi ſponte ſuſcepto, certum inter partes ipſas tulerunt arbitrium, per quod donationem bonorum per Petrum de Ribadeneyra Priori, & Fratribus factam hujuſmodi, pro non facta haberi voluerunt, ipſumque Petrum de Ribadeneyra in eum ſtatum, in quo ante donationem eandem erat, repoſuerunt, ac nonnulla ex novis per Petrum de Ribadeneyra donatis hujuſmodi aliis bonis dictę Domus S. Petri contiguis, eidem Domui S. Petri ſub certis modo, & forma conceſſerunt, cui quidem arbitrio, ſeu laudo, Prior, & Fratres, ac Petrus de Ribadeneyra pręfati ſponte acquieverunt, illudque emologarunt, & approbarunt, prout in literis prędictis, ac inſtrumentis deſuper confectis, dicitur plenius contineri, &, ut eadem petitio ſubjungebat, ſi domus prędictę ad invicem ſepararentur, ita quod dicta Domus B. Marię per Priorem, & Fratres prędictos, amplius non regeretur, & gubernaretur, ac Capellania in Eccleſia S. Petri hujuſmodi, cum oneribus celebrandi, ſeu celebrari faciendi, Miſſas, & alis divina officia in priori unione adjectis, perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto eorundem Prioris, & Fratrum commoditati, ac animi quieti, & ſpirituali conſolationi, plurimum conſuleretur, pro parte, tam Prioris, & Fratrum, quam Petri prędictorum, aſſerentium fructus, redditus, & proventus Capellanię in Eccleſia S. Petri hujuſmodi, viginti quatuor librarum Turonen. parvorum ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Capellaniam in Eccleſia S. Petri hujuſmodi perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac Domos prędictas ab invicem ſeparare, necnon arbitrio, ſive laudo, eorumque emologationi, & approbationi prędictis pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum extimationem prędictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio, non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, ipſos Priorem, & Fratres, & eorum quemlibet a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutos fore cenſentes, necnon Sacriſtię Domus S. Petri hujuſmodi fructuum, redditu um, & proventuum verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Capellaniam in Eccleſia S. Petri hujuſmodi, quę ſine cura eſt, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per Mandatum.

liberam reſignationem cujuſvis de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus factam, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranen. ſtatuta Concilii, ad Sedem prędictam legitime devoluta, ipſaque Capellania diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper ea, inter aliquos lis, cujus ſtatum prędentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore dat. pręſentium non ſit in ea alicui ſpecialiter jus quęſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis Sacriſtię Domus S. Petri hujuſmodi cum oneribus celebrandi, ſeu celebrari faciendi Miſſas, & alia divina officia in priori unione adjectis hujuſmodi, de conſenſu dictorum patronorum, de quo quidem conſenſu, Nobis per publica documenta exitit legitime facta fides, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat eidem Priori, & Fratribus corporalem Capellanię in Eccleſia S. Petri, juriumque, & pertinentiarum prędictarum, poſſeſſionem, per ſe, vel alium, ſeu alios, propria auctoritate, libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in luminaribus, & ornamentis eccleſiaſticis, & aliis neceſſitatibus Prioris, & Fratrum, ac Sacriſtię Domus S. Petri hujuſmodi convertere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia, ſuper hoc minime requiſita, ac ſtatuimus, & ordinamus, quod Domus ipſę, de cetero invicem unitę minime cenſeantur, quodque dicta Domus B. Marię per eoſdem Priorem, & Fratres, amplius non regatur, necnon laudum, ſeu arbitramentum, & illius emologationem, & approbationem, ac donationem, & partis bonorum Domus S. Petri conceſſionem hujuſmodi, tenore, & auctoritate pręmiſſis, approbamus, & confirmamus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus voluntate noſtra prędicta, ac felicis recordationia Boniſatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi &c. literas impetrarunt &c. quas quidem literas &c. ad dictam Capellaniam, volumus non extendi &c. & quibuslibet aliis privilegiis &c. Proviſo, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, dicta Capellania in Eccleſia S. Petri, debitis non fraudetur obſequiis &c. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane ſi ſecus &c. contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, ſtatuti, ordinationis, approbationis, confirmationis, ſuppletionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo, Pridie Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Toletano.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar eſt *Archivo Apoſtolico Lib. CCX fol.222.*
3. *Augmento &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *De S. Lalla.*) Conſulendum præcedens Diploma.

Anno 1500 Die 3 Augusti.

F. Franciſcus de Florentia (1) fit Vicarius Generalis Ordinis Prædicatorum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CI.

Dilecto filio Fratri Franciſco de Florentia, S. Theologię profeſſori, Ordinis Fratrum Prędicatorum Vicario Generali.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

VAcante nuper, ſicut venerabilis Frater noſter Ol. (3) Epiſcopus Sabinen., Cardinalis Neapolitanus, veſtri Ordinis Protector, Nobis expoſuit, Generalatu ipſius Ordinis, per obitum quondam Joachini ejuſdem Ordinis Magiſtri Generalis apud Sedem Apoſtolicam defuncti (4), Nos ſolliciti de ſalubri, & bono regimine dicti Ordinis, ne interim, uſque ad Capitulum (5) veſtrum Generale, in quo de Magiſtri Generalis electione agendum erit, ipſe Ordo, Capite, & Rectore carens, ullum detrimentum patiatur, conſideratione pręfati Cardinalis Protectoris, ita Nobis ſupplicantis, ad te potiſſimum animum vertimus, qui Procurator Generalis dicti Ordinis apud Nos aliquandiu laudabiliter fuiſti, de cujus Religione, doctrina, moribus, ac rerum uſu, & in Sedem Apoſtolicam fide, plurimum in Domino confidentes, te in Vicarium Generalem dicti Ordinis, uſque ad Generalis Capituli, juxta conſtitutiones veſtras, ut pręfertur, celebrationem faciendam, incluſive, pręſentium tenore, & Apoſtolica auctoritate conſtituimus, deputamus, & creamus, cum auctoritate, & facultate, providendi, ordinandi, & mandandi, ac omnia, & ſingula gerendi, & exercendi, quę Generales Vicarii, uſque ad tempus prędictum, circa Religionem, ac dictum Ordinem regendum, & gubernandum facere, & diſponere, exequi, & exercere conſueverunt, ac debuerunt, mandantes in vim ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis pena, omnibus, & ſingulis Fratribus dicti Ordinis, ut in pręmiſſis, & omnibus, prędictum officium Vicariatus Generalis dicti Ordinis pertinentibus tibi cum effectu pareant, & intendant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus, ac privilegiis dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, quibus, quatenus opus ſit, hac vice expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, hortantes te in Domino, ut hanc Vicariatus curam, & onus prompte ſuſcipias, & ita juxta dicti Ordinis ſalubria, & regularia inſtituta, quieto, & tranquillo regimini incumbas, ut, auctore Domino, apud Nos, & hanc Sanctam Sedem commendari merearis. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Auguſti MCCCCC, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Vicarius Generalis conſtitutus.

L. Podocatharus.

2. De

1. *De Florentia.*) Sic a patris nuncupatur *Franciſcus* noſter.
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Ol.*) *Oliverius* e gente *Carafa*. Adeas *Ughellum* in *Epiſcop. Sabinen. Tomo I Italia Sacra*.
4. *Defuncti.*) Obierat *Joachinus* hoc eodem anno Kalendis Auguſti.
5. *Uſque ad Capitulum.*) *Romæ* coactum anno *MDI*. Notandum tamen quod hujus Capituli tempore Vices Magiſtri Generalis agebat vir celeberrimus *Vincentius Bandellus*, qui Generalis renunciatus eſt. Conſulendi *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. XII ad an. MDI pag. 401*, & *Echard Tomo II Scriptorum Ord. ad an. MDI pag. 1*. Legendum ſequens Diploma.

F. Vincentius de Caſtronovo (1) Vicarius Generalis Ordinis renunciatus.

Anno 1500 Die 29 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Vincentio de Caſtronovo, Sacrę Theologię Profeſſori, Ordinis Fratrum Prędicatorum Vicario Generali.

CII.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

VAcante pridem, ſicut venerabilis Frater Ol. (3) Epiſcopus Sabinen., Cardinalis Neapolitanus, veſtri Ordinis Protector, Nobis expoſuit, Generalatu ipſius Ordinis per obitum quondam Joachini ejuſdem Ordinis Magiſtri Generalis apud Sedem Apoſtolicam defuncti, Nos, tunc ſolliciti de ſalubri, & bono regimine dicti Ordinis, ne interim, uſque ad Capitulum veſtrum Generale, in quo de Magiſtri Generalis electione agendum erat, ipſe Ordo capite, & Rectore carens, ullum detrimentum pateretur, conſideratione pręfati Cardinalis Protectoris, ita Nobis ſupplicantis, ad quondam Franciſcum de Florentia animum vertentes, Vicarium Generalem conſtituimus (4). Nunc cum intelligamus, dictum Franciſcum apud Sedem prędictam, diem clauſiſſe extremum, pari cura ſolliciti, de ſalubri & bono regimine dicti Ordinis, inducti Religione, doctrina, moribus, ac rerum uſu, & tua in Sedem Apoſtolicam fide, & devotione, accedentibus etiam ſupplicationibus dicti Cardinalis Protectoris, id inſtanter petentis, te in Vicarium Generalem dicti Ordinis uſque ad Generalis Capituli, juxta conſtitutiones veſtras, ut prefertur, celebrationem feciendam incluſive, prędentium tenore, & Apoſtolica auctoritate, conſtituimus, & deputamus, ac creamus, cum auctoritate, & facultate providendi, ordinandi, & mandandi, ac omnia, & ſingula gerendi, & exercendi, quę hujuſmodi Generales Vicarii, uſque ad tempus prędictum circa Religionem, ac dictum Ordinem regendum, & gubernandum, facere, & diſponere, exequi, & exercere conſueverunt, ac debuerunt. Mandantes in vim S. Obedientię, & ſub excommunicationis pęna, omnibus, & ſingulis Fratribus prędicti Ordinis, ut in premiſſis, & omnibus, quę ad dictum effectum Vicariatus Generalis dicti Ordinis pertinent, tibi cum effectu pareant, & intendant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus, ac privilegiis dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis. Quibus, quatenus opus ſit, hac vice expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Hortantes te in Domino, ut hanc Vicariatus curam, & onus, prompte ſuſcipias, & ita juxta dicti Ordinis ſalubria, & regularia inſtituta, quieto, & tranquillo regimini incumbas, ut, auctore Domino, apud Nos, & hanc Sanctam Sedem commendari merearis. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIIII Novembris MCCCCC, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Vicarius Generalis conſtitutus.

Hadrianus.

1. *Vincentius de Caſtronovo.*) *Vincentius* nempe *Bandellus*, qui *de Caſtronovo* cognominatur ex patria. Eſt autem *Caſtrumnovum*, vulgo *Caſtelnuovo* Diœceſis *Dertonenſis* Oppidum ſub Metropoli *Mediolanenſi*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Ol.*) *Oliverius*.
4. *Conſtituimus.*) Precedenti Diplomate.

Wiſemburgen. (1) Monaſterium juris ſit Provincialis Teutoniæ.

Anno 1501. Die 19 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri moderno Epiſcopo Spiren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

HUmilibus &c. (3) Exbibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Jacobi de Flechtenſten. (4) Militis Argentinen. Dięceſis, petitio continebat, quod licet a clara memoria Frederici II Romani Imperatoris in Capella B. Marię de Mercuburu dictę Dięceſis in feudo, quod quondam Henricus miles etiam de Flechtenſten, ab Imperiali Majeſtate tenebat Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini, ordinaria auctoritate erectum fuerit, ac felicis recordationis Innocentius PP. IV Predeceſſor noſter, erectionem hujuſmodi per ſuas literas de Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium conſilio approbaverit, & confirmaverit, ac tunc Prioriſſę, & Monialibus, ſive Sororibus dicti Monaſterii per ejus literas conceſſerit, ut liceret eis liberas, & abſolutas, a ſeculo fugientes, ad converſionem recipere, ac Monaſterium prędictum cum illius Prioriſſa, & Monialibus ad Oppidum Wiſemburgen., tuę Spiren. Dięceſis, eadem auctoritate ordinaria translatum fuerit, illiuſque Prioriſſa, & Moniales pro tempore exiſtentes ſub cura, & viſitatione Magiſtri Provincialis Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Teu-

Digitized by Google

Teutonicę ſecundum morem dicti Ordinis, & ſecundum inſtituta regularia dictorum Fratrum perpetuo Altiſſimo famulari conſueverint, & dilectę in Chriſto filię moderna ejuſdem Monaſterii Prioriſſa, & illius Moniales divinis officiis vacando, & vota ſua Altiſſimo perſolvendo, famulentur, nihilominus dilecti filii Prior, & Fratres Domus Wiſemburgen. dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum ejuſdem tuę Diœceſis, neſcitur quo ſpiritu deducti, prętextu quarundam literarum Apoſtolicarum ſibi ſuper hoc, ut aſſerunt, conceſſarum intendunt, ut nulla deinceps Monialis ibidem ad profeſſionem recipi debeat, quinimmo bona, & redditus dicti Monaſterii, ſibi appropriare velle, ſe jactitant, ita quod poſt mortem Monialium, quę nunc in eodem Monaſterio degunt, & morantur, ſatagunt, Monaſterium ipſum uſurpare, ac nomen, & Ordinem Monaſterii Monialium hujuſmodi ſupprimere in diminutionem divini cultus, ac divinę Majeſtatis offenſam, & etiam pręter voluntatem Fundatoris ejuſdem Monaſterii, ac ſcandalum plurimorum. Quare pro parte ejuſdem Jacobi, aſſerentis, quod ejus Progenitores dictę Capellę Fundatores extiterint, quodque in Oppido Hagenoa (5), dictę Argentinen. Diœceſis, Pręfectus Imperialis exiſtit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Monaſterium ipſum, ac illius Prioriſſam, & Moniales pro tempore exiſtentes, ab omni juriſdictione, viſitatione, correctione, dominio, & poteſtate moderni, & pro tempore exiſtentis Prioris, & Fratrum Domus Wiſemburgen., penitus eximere, & perpetuo liberare, illaſque Provinciali Provincię Teutonicę Ordinis Fratrum Prędicatorum hujuſmodi immediate ſubiicere, ita quod exinde deinceps Prior, & Fratres dictę Domus, nullam penitus juriſdictionem, viſitationem, correctionem, dominationem, & poteſtatem in Monaſterium, Prioriſſam, ac Moniales hujuſmodi, valeant exercere, ſed teneatur Provincialis hujuſmodi, de viſitatore, Confeſſore, & aliis opportunis, alias juxta regularia inſtituta dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, providere, ac dictum Monaſterium in priſtinum ſtatum reſtituere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, ac pręfatum Jacobum a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis &c, abſolutum fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis Priore, & Fratribus prędictis, & aliis qui fuerint evocandi, cauſam hujuſmodi per te audias, & quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, firmiter obſervari. Teſtes &c. non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum &c. necnon quibuſvis aliis literis, & privilegiis Apoſtolicis &c. quibus &c. derogamus, contrariis quibuſcunque, aut ſi Priori, & Fratribus, vel quibuſvis aliis &c. ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi &c. non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes &c. de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo (6), Quarto decimo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Mandatum.

1. *Wiſemburgen.*) Seu *Wiſſemburgen.*, vulgo *Weiſſembourg*, in *Alſatia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCLVI fol.* 352.
3. *Humilibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Flechtenſten.*) *Fleckenſtein.* Comitatus ejuſdem nominis eſt in *Alſatia*.
5. *Hagenoa.*) Vulgo *Haguenavv*, in *Alſatia*.
6. *Quingenteſimo.*) Stylo Bullarum, ærę communis *MDI*.

Anno 1501 Die 5 Februarii.

CIV.

Fratres Prædicatores & Minores gaudent omnibus privilegiis (1), ceteris Mendicantibus conceſſis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Fratribus Ordinum Prędicatorum & Minorum.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAcrę Religionis, ſub qua devotum, & ſedulum exhibere ſtudetis Majeſtati divinę famulatum, promeretur honeſtas, ut vos ſpiritualibus favoribus proſequamur, Hinc eſt, quod Nos, volentes quieti, & commoditati veſtrę pro benemeritis veſtris paterna caritate conſulere, vobis, ut de cetero omnibus, & ſingulis gratiis, & privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & indultis ſpiritualibus, & temporalibus tam Fratrum Prędicatorum, quam Minorum Eremitarum S. Auguſtini, & B. Marię de Monte Carmelo, omnibuſque aliis Ordinibus Mendicantibus per Sedem Apoſtolicam, vel Legatos ejuſdem in genere, vel per literas Apoſtolicas Mare magnum nuncupatas, & quoad exemptionem a ſolutione quartę locorum Ordinariis, ac Parochialium Eccleſiarum Rectoribus debitę, a qua vos potiori pro cautela de novo eximimus, hactenus conceſſis, quorum tenores ac ſi de verbo ad verbum pręſentibus inſerti eſſent haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, uti, potiri, & gaudere libere, ac licite poſſitis, & debeatis in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi vobis conceſſa fuiſſent, Conſtitutionibus, & Ordinationibus illis, quę in prędictis literis conceſſum eſt non obſtare, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, ſpeciali dono gratię indulgemus, illaque vobis de novo concedimus. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die V Februarii MDI Pontificatus noſtri Anno Nono.

Hadrianus.

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar.

De

De reficiendis ſacris ædibus ac Cœnobio Viterbien. (1).

Anno 1501 Die 25 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Priori Provinciali (3) Provincię Tuſcię Ordinis Fratrum Prędicatorum. CV.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

MIttimus tibi ſupplicationem (4) pręſentibus incluſam, manu noſtra ſignatam, volumuſque, & tibi committimus, ac mandamus, ut, vocatis vocandis, ad illius executionem procedas juxta Signaturam noſtram, tuam nihilominus conſcientiam deſuper onerantes. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXV Februarii MDI Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Viterbien.*) Juris eſt *Romanæ* Provinciæ.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Viterbienſi.*
3. *Provinciali.*) Is erat frater *Ludovicus de Viterbio.*
4. *Supplicationem.*) Hujus tenoris eſt.

Beatiſſime Pater.

DUdum S. V. devotis illius oratoribus Priori, & Fratribus Domus S. Mariæ ad Gradus de Viterbio, Ordinis Prædicatorum Motu proprio, & ex certa ſcientia inhibuit per Literas Apoſtolicas in forma Brevis ſub pœnis, & cenſuris eccleſiaſticis, ac in illorum Eccleſiam interdicti, ne aliquas poſſeſſiones, ſeu prædia, aut domos, ad dictam Eccleſiam ſpectantes, vendere, vel alienare, ſeu commutare, præſumerent, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. Cum autem P. S., totus fere Conventus prædictus, & præſertim tecta, tam ipſius Eccleſiæ, quam Dormitorii ipſorum Fratrum, ac principalia clauſtra prædicti Conventus, minentur magnam ruinam, illorumque Infirmaria, ac Hoſpitale quoddam prædictæ Eccleſiæ membrum, & eidem conjunctum neceſſariis ſuppellectilibus indigeant, & careant, & ſi eiſdem oratoribus, nonnullas petias terræ, ſive Domos ad prædictum Conventum, & Fratres pertinentes, illas maxime, quæ poſt prædictam veſtram inhibitionem, pie eiſdem oratoribus relictæ, minuſque utiles eſſent, vendendi, & ſeu in melius commutandi, licentia concederetur, præmiſſis defectibus commodius occurrere poſſent; ſed quia, Pater Beatiſſime, difficillimum foret, & quaſi impoſſibile reperiri teſtes, qui deponerent, quod agentes pro dicta Eccleſia, & Domo. non habeant aliunde facultatem reparandi ſupradicta, niſi ex venditione hujuſmodi; cum nemo extra Conventum, ſcire punctualiter poſſit, quæ, qualia, & quanti momenti ſint bona ad dictum Conventum pertinentia, & niſi quanto citius dicta Eccleſia, Conventus, & Hoſpitale, reparentur, graviſſima jactura ipſi Conventui, & Fratribus foret; Ideo ſupplicant humiliter S. V. oratores præfati, quatenus in præmiſſis, opportune providentes, eiſque ſpecialem gratiam facientes, ac ſuper prædictis Literis S. V. cum eis, pro hac vice, & ad prædictorum reparationem, duntaxat diſpenſantes, earumque tenorem, & petiarum terræ, ſeu Domorum prædictarum quantitates, ſituationem, & confines, pro expreſſis habentes, eorum Priori Provinciali per unum Breve S. V., illius conſcientiam gravando, committere, & mandare dignemini de gratia ſpeciali, quod ſi non habeant aliunde, unde prædicta commodius reparari poſſint, & ex venditione hujuſmodi pro reparatione prædicta, juxta præfati Prioris Provincialis conſcientiam, evidens utilitas dictæ Eccleſiæ Conventui, & Hoſpitali prædictis ſequi debeat, hujuſmodi bona quibuſvis perſonis, etiam Laicis, cum quibus eorum conditionem facere poterunt meliorem, pro juſto pretio emere volentibus, abſque alio proceſſu, & teſtium examinatione auctoritate Sedis Apoſtolicæ vendant, ac pretium exinde proveniens, ad prædicta reparanda convertant, præmiſſis Literis S. V., & aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis &c. roboratis, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque cum clauſulis opportunis, & conſuetis. Fiat, ut petitur, ſi in evidentem &c. Datum Romæ apud S. Petrum Tertio Kal. Februarii Anno Nono 1502.

Indulgentia pro Capitulo (1) Generali.

Anno 1501 Die 15 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

ALEXANDER PP. VI. CVI.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

A Supremo patrefamilias, meritis licet inſufficientibus, in domo Domini diſpenſatores effecti, theſaurum dominicum, divinitus Nobis commiſſum, ſic diſpenſare Nos convenit, ut illius erogatione populum chriſtianum domino acceptabilem, & bonorum operum, ac Religionis pręſertim Ordinis Fratrum Prędicatorum ſectatorem reddere valeamus, & Fratres prędictos pro rebus fidei Ortodoxę in unum convenientes, & alios Chriſti fideles ad complacendum Deo quaſi quibuſdam allectivis muneribus, Indulgentiis videlicet, & remiſſionibus invitemus, ut exinde reddantur divinę gratię aptiores, & fides ipſa felicia exinde ſuſcipiat incrementa. Exordium. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti filii prędicti Ordinis Prędicatorum profeſſores, pro electione futuri Generalis, & laudabili reformatione cunctarum perſonarum ſub regulari habitu dicti Ordinis Altiſſimo dedicatarum, eorum Capitulum Generale in alma Urbe in feſto Indulgentia. Pen-

Pentecoſtes proxime futuro celebrare intendant: ad cujus celebrationem viri utique zelo religionis, & literarum ſcientia, ac morum probitate prędìti ipſius Ordinis profeſſores, Altiſſimo favente, ſint acceſſuri, ad quorum ſuſtentationem domus B. Marię ſuper Minervam dicti Ordinis in eadem Urbe, quę in ſuis ſtructuris imperfecta exiſtit, nullo modo ſuppetunt facultates: quin immo pro eorum ſuſtentatione, ac incumbentium onerum ſupportatione, & ipſius domus ſtructurarum perfectione Chriſti fidelium largitiones plurimum opportunę fore noſcantur, Nos, ut Fratres dicti Ordinis ad Capitulum hujuſmodi celebrandum, & alii Chriſti fideles devotionis cauſa ad Eccleſiam prędictam, in qua divinum officium celebratur ſolemniter, eo tempore liberius confluant, & manus promptius pro dictorum profeſſorum, & onerum ſupportatione, ac ejuſdem domus ſtructurarum fabrica, porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię nberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, undecunque fuerint, vel ubicunque moram traxerint, qui proximo feſto Pentecoſtes ab ipſius primis Veſperis uſque ad ſecundas veſperas ferię tertię immediate ſequentis incluſive, Eccleſiam dictę Domus devote viſitaverint, & ad hujus ſuſtentationem, ſupportationem, & fabricam manus porrexerint adjutrices, plenam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & Indulgentiam, tenore pręſentium concedimus, & elargimur. Necnon illis, qui ex nunc, vel dicto Capitulo durante, pro Fratrum convenientium, ac Capituli prędictorum ſuſtentatione, & ipſorum refectione, ac ędificiorum fabrica domus prędictę, manus porrexerint adjutrices, eandem plenam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & Indulgentiam pariter concedimus, & elargimur. Et inſuper ut fideles Chriſti ad eandem Eccleſiam prędicto tempore confluentes, & contribuentes, conſcientię pacem, & animarum ſalutem, Deo propitio, conſequantur, ac Indulgentię & Remiſſionis hujuſmodi participes facilius effici poſſint, dilectis filiis Vincentio (3) Bandello de Caſtro novo, Vicario Generali dicti Ordinis, ac Ludovico de Viterbio Priori Provincię Romanę, quibus ſecundum morem dicti Ordinis onus, & cura incumbit prędicto Capitulo providendi, nonnullos, prout eis videbitur, ipſius Ordinis profeſſores idoneos in Confeſſores eligendi, & deputandi, ipſiſque ſic electis, & deputatis Confeſſiones prędictorum Chriſti fidelium viſitautium & porrigentium prętato tempore in dicta Eccleſia, ſeu in ejus ambitu, licite audiendi, & pro commiſſis, dummodo talia non fuerint propter quę Sedes Apoſtolica merito eſſet conſulenda, debitam abſolutionem auctoritate Apoſtolica impertiendi, & pęnitentiam ſalutarem injungendi: Vota vero peregrinationis, & abſtinentię, quę dicti viſitantes & porrigentes commode ſervare non poterunt, peregrinationis Romanę, ultramarinę, & S. Jacobi in Compoſtella, necnon Religionis, & caſtitatis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutandi, plenam, & liberam concedimus facultatem. Pręterea volumus & etiam decernimus quod pręſens remiſſio, & Indulgentia quacunque ſuſpenſione conſimilium indulgentiarum per Nos, ſeu Prędeceſſores noſtros Romanos Pontifices, quocunque reſpectu facta, vel forſan facienda non obſtante, plenum, & omnimodum effectum habere debeant. Quodque Dięceſani & Ordinarii locorum, necnon & parochialium Eccleſiarum Rectores, & quorumcunque Mendicantium Ordinum Fratres ubilibet conſtituti, pręſentium literarum publicationem, inſinuationem, & notificationem in ſermonibus, & aliis divinis officiis, quę in ipſorum Eccleſiis fieri contigerit, libere & abſque alicujus rei exactione facere teneantur, & quoties ſuper his requiſiti fuerint, fieri permittant, ſub ſuſpenſionis a divinis in Epiſcopos, & ſuperiores, ac excommunicationis in alios ab eis, pęnis, quas, ſi ſecus fecerint, ipſos & eorum quemlibet volumus incurrere ipſo facto: Quodque earum pręſentium tranſumptis per duos notarios publicos, & ſigillo alicujus Eccleſiaſticę Curię, ſeu dicti Ordinis communitis ubicunque exhibita fuerint vel oſtenſa, ſtetur, illiſque plena fides adhibeatur in omnibus prout ipſis pręſentibus ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XV Martii MDI Pontificatus noſtri Anno Nono.

Hadrianus.

1. *Capitulo*.) Hoc anno *Romæ* celebrato.
2. *Archivo*.) In quo Autographum.
3. *Vincentio*.) Qui Generalis Magiſter ab eodem Capitulo renunciatus fuit.

Anno 1501 Die 28 Aprilis.

CVII.

Vicarius (1) Generalis primum locum teneat in Capitulo, & ſuffragium ferat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Prioribus Provincialibus & Electoribus futuri Generalis Ordinis Prędicatorum.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

CUm ex Conſtitutionibus veſtri Ordinis, ut accepimus, mortuo, vel amoto veſtro Generali Magiſtro, Prior Provincialis illius Provincię, in qua Capitulum Generale pro electione dicti Magiſtri facienda, eſt celebrandum, vices Magiſtri in omnibus, & ejus locum ubique tenere, ac in prędicta electione, vocem habere debeat; & contingat quandoque, ſicut nunc accidit, per Sedem Apoſtolicam, aliquem Fratrem non Priorem Provincialem, in Generalem Vicarium dicti Ordinis inſtitui, qui forte, ſecundum inſtitutiones veſtras in dicta electione vocem non habet, & cum non videatur decens, juſtum, nec rationabile, quod is, qui vices Generalis in omnibus gerit, & primum locum, inter omnes Fratres, & Prę-

Mandatum.

latos veſtri Ordinis ubique tenet, debeat in electione pręfati Generalis Magiſtri voce eligendi, & debito honore carere, volumus, & auctoritate Apoſtolica per pręſentes perpetuis temporibus ſtatuimus, & or-

ordinamus, quod modernus (3) Vicarius veſtri Ordinis, per Nos inſtitutus, & quilibet alius in ſimili caſu, futuris temporibus, per Sedem Apoſtolicam inſtituendus, ſicut vices Generalis in omnibus, & primum locum ubique tenet, ita & in electione ipſius Generalis Magiſtri, primam vocem habeat, & cum duobus ex Provincialibus in dicto Capitulo exiſtentibus, qui poſt expreſſam profeſſionem, diutius habitum veſtri Ordinis portaverunt ad inquirendum, & ad ſcribendum vota electorum ad banchum ſcrutinii electionis prędictę ſedere debeat, & hoc idem in quolibet Vicario Generali veſtri Ordinis, quem futuris temporibus continget, ſecundum conſtitutiones veſtras inſtitui, volumus, & ordinamus, debere obſervari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis dicti Ordinis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis auctoritate alia roboratis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Aprilis MCCCCCI Pontificatus noſtri Anno Nono.

Hadrianus.

1. *Vicarius.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Legitur apud *Albertum Caſtellanum Parte II pag.128.*
3. *Modernus.*) Frater nempe *Vincentius Bandellus*.

De firmandis nonnullis ſtatutis Valliſoletani (1) Collegii.

Anno 1501 Die 5 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CVIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati S. Benedicti, & Priori, per Priorem ſoliti gubernari S. Auguſtini, Monaſteriorum, ac Scholaſtico Eccleſię B. Marię Oppidi de Valleoleti, Palentin. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Apoſtolicam.

Diplomatis cauſa.

HOneſtis ſupplicum votis libenter annuimus &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Rectoris, & ſcholarum Collegii Scholarium Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorum prope Domum S. Pauli, Oppidi de Valleoleti, dicti Ordinis, Palentin. Dięceſis, petitio continebat, quod olim bonę memorię Alfonſus Epiſcopus Palentin., cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio commutare, in quodam ſolo, prope Domum prędictam conſiſtente, & ſibi per tunc Priorem, & Fratres dictę Domus, quibus ex privilegio Apoſtolico eis conceſſo, licet habere bona in communi, & ad quos ipſum ſolum pertinebat, conceſſo, Collegium prędictum pro ſcholaribus dicti Ordinis Prędicatorum, cujus ipſe Epiſcopus profeſſor erat, profeſſoribus, qui inibi literarum ſtudio, operam darent, de licentia Sedis Apoſtolicę inſtituit, & inibi quandam Capellam, pro Capellanis, qui inibi Miſſas, & alia divina officia celebrarent, de ſimili licentia ſuis propriis ſumptibus, & expenſis, conſtrui, & ędificari fecit, & quia dicta Domus, eidem Collegio contigua erat, & per certam portam ejuſdem Capellę ad Eccleſiam dictę Domus patebat acceſſus, idem Epiſcopus, ne Rectori, & Scholaribus dicti Collegii, & Capellanis Capellę, ac Fratribus Domus hujuſmodi materia vagandi, de uno loco ad alium tranſeundi, occaſio pręberetur, quandam aliam portam muro claudi fecit, ac habens facultatem per literas Apoſtolicas ſtatuta juri non contraria condendi, & faciendi, quę eo ipſo confirmata cenſerentur, ſtatuit, voluit, & in ejus teſtamento, ſeu ultima voluntate mandavit, ut inter Domum, & Collegium hujuſmodi, nulla porta, ſeu tranſitus aperiretur, pręter portam dictę Capellę, qua ad Eccleſiam dictę Domus intraretur. Quare pro parte Rectoris, & Scholarium Collegialium prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ne tempore procedente, aliqua porta, ſeu tranſitus inter Domum, & Collegium prędictos, contra pręfati Epiſcopi voluntatem aperiatur, ſtatuto, voluntati, ſeu mandato hujuſmodi, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur, Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſtatutum, voluntatem, ſeu mandatum Epiſcopi hujuſmodi approbare, & confirmare, ac omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplere, & nihilominus Rectorem, Collegiales Collegii, ac Fratres Domus, & omnes alios quoſcunque, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, & pręeminentię exiſtant, ad obſervationem ſtatuti, voluntatis, & mandati dicti Epiſcopi, per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, cogere, & compellere, & inſuper legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos quos cenſuras, & pęnas per vos latas incurriſſe conſtiterit, quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggravare, auctoritate noſtra curetis, prout de jure fuerit faciendum, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Primo, Tertio Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Mandatum.

1. *Valliſoletani.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCLV fol.* 153.
3. *Annuimus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Digitized by Google

Anno 1501
Die 31 Maii.

Firmat Collationem cujuſdam Beneficii factam Varadienſi (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CIX.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

APoſtolicę Nobis deſuper, meritis licet inſufficientibus, injuncto ſervitutis officio &c. (3) Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus in vico Venere, Varadien., Ordinis Fratrum Prędicatorum Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias bonę memorię Valentinus Epiſcopus Varadien., ad dictum Ordinem debitum reſpectum habens, ac conſiderans, quod ex dictorum Fratrum Prędicatorum verbi Dei prędicatione Chriſti fideles bonis documentis ad animarum ſuarum ſalutem inſtruantur, ac hęreſis, & aliarum malarum cogitationum commotiones, ſeu voluntates, ob eorum meritorum excellentiam (4), quodque Civitas Varadien., etiam propter loca finitima hujuſmodi Prędicatoribus verbi Dei indigeat, idem Valentinus Epiſcopus, ſeu ejus in ſpiritualibus Vicarius Generalis, habens ad hoc, ut aſſerebat, ab eodem Epiſcopo ſpecialem per illius literas poteſtatem, ſeu de ejus ſpeciali conceſſione, & mandato, Parochialem Eccleſiam omnium Sanctorum in dicto vico Venere, & infra limites Eccleſię Varadien. fundatam, & cum cura ad dictum Valentinum. & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Varadien., ſeu ab eo pro tempore deputatum, & qui ab ipſo Epiſcopo, ad ejus nutum, amovebatur, pertinebat, Fratribus dicti Ordinis cum omnibus bonis, juribus, & pertinentiis ſuis, per eos tenendam, & poſſidendam, ordinaria auctoritate conceſſit, & aſſignavit, & dilectus filius Paulus Jannen. (5), tunc Prior Provincialis Provincię Regni Hungarię dicti Ordinis, ſecundum morem dicti Ordinis, eandem Eccleſiam pro dicto Ordine recepit, prout in quodam Inſtrumento publico deſuper confecto, dicitur plenius contineri; ac poſtmodum dictus Paulus, apud dictam Eccleſiam, dictam Domum pro uſu, & habitatione perpetuis futuris temporibus dicti Ordinis, prout alias juxta privilegia dicto Ordini conceſſa poterat, conſtrui, & ędificari fecit, & procuravit, ac Prior, & Fratres Domus hujuſmodi, eandem Eccleſiam, conceſſionis hujuſmodi vigore, ex tunc tenuerunt, & poſſederunt, prout tenent, & poſſident de pręſenti, in eadem Domo ſub regulari obſervantia Domino famulantes. Quare pro parte Prioris Provincialis, & domus hujuſmodi Prioris, & Fratrum prędictorum, aſſerentium, fructus, redditus, & proventus dictę Eccleſię, quadraginta florenos auri de Camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, & aſſignationi prędictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac pro potiori cautela Eccleſiam prędictam Sacriſtię dictę Domus, perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Confirmatio.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes, beneficia eccleſiaſtica, aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum extimationem prędictam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, Paulum Provincialem, & Domus hujuſmodi Priores, ac Fratres prędictos, eorumque ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, ac fructuum, redditTuum, & proventuum dictę Sacriſtię, necnon verum, & ultimum dictę Parochialis Eccleſię vacationis modum, etiamſi ex illo, quęvis generalis reſervatio reſultet, pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conceſſionem, & aſſignationem prędictas, ac prout illas concernunt, omnia, & ſingula in dicto Inſtrumento contenta auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, approbamus, & confirmamus, ſupplenteſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus pro potiori cautela, eandem Parochialem Eccleſiam quovis modo, & ex cujuſcunque perſona, ſeu per liberam reſignationem de illa extra Romanam Curiam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, ſeu per conſtitutionem felicis recordationis Johannis PP. XXII, Prędeceſſoris noſtri &c. vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, Juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ipſaque Parochialis Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper eo inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore dat. pręſentium non ſit in ea alicui ſpecialiter jus quęſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Sacriſtię dicta auctoritate Apoſtolica, earundem pręſentium tenore, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat eidem Priori, & Fratribus Domus hujuſmodi per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem Parochialis Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum prędictarum propria auctoritate continuare, ſeu de novo libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in ſuos, & Eccleſię, & Sacriſtię prędictarum uſus, & utilitatem, ac in ſuſtentationem Prioris, & Fratrum dictę Domus pro tempore exiſtentium convertere, necnon eidem Eccleſię per aliquem Presbyterum ſecularem, vel regularem, alias idoneum, in divinis deſervire facere, & curam animarum Parochianorum exercere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, non obſtantibus voluntate noſtra prędicta, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis, de hujuſmodi, vel aliis &c. literas impetrarunt &c. quas quidem literas, & proceſſus &c. ad dictam Eccleſiam, volumus non extendi &c. & quibuslibet aliis privilegiis &c. & de quibus &c. habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas dicta Eccleſia, debitis non fraudetur obſequiis &c. Et inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, ſuppletionis &c. infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Primo, Pridie Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Va-*

Digitized by Google

1. *Varadien.*) Seu *Varadinen.*, vulgo *Varadin.*, in Hungaria.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro* CCLIX *fol.* 181.
3. *Officio &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordio.
4. *Excellentiam.*) Nonnihil deeſt.
5. *Jannen.*) In ſequenti Conſtitutione legitur: *Jaurien.*

Ut executioni mandetur præcedens Conſtitutio.

Anno 1501 Die 31 Maii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CX.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Aſculan., & dilectis filiis Prępoſito majori, ac Archidiacono Eccleſię Varadien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie cum alias bonę memorię Valentinus Epiſcopus Varadien., ſeu ejus in ſpiritualibus Vicarius Generalis, habens ad id, ut aſſerebat, ab eodem Epiſcopo, ſpecialem per illius literas poteſtatem, ſeu de ejus conceſſione ex cer.is cauſis tunc expreſſis Parochialem Eccleſiam omnium Sanctorum in vico Venere, infra limites Eccleſię Varadien. fundatam, Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis per eos tenendam, & poſſidendam, ordinaria auctoritate conceſſiſſet, & aſſignaſſet, & dilectus filius Paulus Jaurien., Prior Provincialis Regni Hungarię dicti Ordinis, ſecundum morem ejuſdem Ordinis, eandem Eccleſiam pro dicto Ordine recepiſſet, ac poſtmodum prout, juxta privilegia dicto Ordini conceſſa, dotarat apud dictam Eccleſiam, unam Domum pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis conſtrui, & ędificari feciſſet, & per dilectos filios Priorem, & Fratres ejuſdem Domus, ex tunc tenta, & poſſeſſa extitiſſet, prout tenent, & poſſident; Nos conceſſionem, & aſſignationem prędictas, ac prout illas concernunt, omnia, & ſingula in Inſtrumento publico, deſuper confecto, contenta, Apoſtolica auctoritate, approbavimus, & confirmavimus, ſupplenteſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem, ac pro potiori cautela eandem Eccleſiam, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis Sacriſtię dictę Domus, perpetuo univimus, annexuimus, & incorporavimus, itaut liceret eiſdem Priori, & Fratribus dictę Domus per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem dictę Eccleſię Parochialis continuare, ſeu de novo apprehendere, ac illius fructus, redditus, & proventus, in ſuos, & Eccleſię, ac Sacriſtię prędictarum uſus, & utilitatem, ac ſuſtentationem Prioris, & Fratrum dictę Domus pro tempore exiſtentium convertere, & eidem Eccleſię per aliquem Presbyterum ſecularem, vel dicti Ordinis regularem, alias idoneum, deſerviri facere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, prout in inde confectis literis noſtris plenius continetur &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę literę vobis pręſentatę fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios, Priori, & Fratribus Domus hujuſmodi in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra, eoſdem Priorem, & Fratres Domus hujuſmodi, pacifica poſſeſſione, vel quaſi conceſſionis, aſſignationis, confirmationis, unionis, & annexionis, ac incorporationis prędictarum, & aliorum pręmiſſorum gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſvis quomodolibet moleſtari. Contradictores &c. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua inter alia cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, & Dięceſim, ſeu ne judices &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon omnibus illis, quę in dictis literis, volumus non obſtare, aut ſi aliquibus &c. ab Apoſtolica Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi &c. non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam &c. mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Primo, Pridie Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Mandatum.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro* CCLIX *fol.* 183.

Vilnenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1501 Die 23 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię Vilnen. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXimię devotionis affectus quem dilectus filius nobilis vir Alexander (3), magnus Dux Lituanię (4) ad Nos, & Romanam gerit eccleſiam, promeretur, ut petitionibus ſuis, illis pręſertim, per quas hereſes extirpari, ac divinus cultus augmentum, & Religio propagationem ſuſcipere poſſint, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus, ac eas favoribus proſequamur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dicti Alexandri Magni ducis, petitio continebat, quod ſi in civitate Vilnenſi, quę temporalis dominii ipſius Ducis exiſtit, una domus pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum Ordinis Prędicatorum conſtrueretur, & ędificaretur, & illi ſic conſtructę, ſeu illius Sacriſtię Parochialis Eccleſia Prępoſitura nuncupata, S. Spiritus, Vilnenſis dięceſis, quę de jure patronatus Ipſius Alexandri Magni Ducis exiſtit, pro ſuſtentatione Fratrum ibidem introducendorum perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, profecto & exemplari vita Fratrum inibi Introducendorum, ac eorum prędicatione Verbi Dei populis, illarum partium plures hereſes, quę in partibus illis vigent, extirparentur, ac populi earundem partium, qui diverſarum ſectarum a fide Catholica deviantium exiſtunt, ad fidem catholicam reducerentur, & poſtea in illa conſervarentur, ac inibi divinus cultus aug-

Exordium.

Diplomatis cauſa.

augmentum, & religio propagationem, cum animarum Chriſti fidelium ſalute ſuſciperent, & Fratres dictę domus pro tempore exiſtentes ex fructibus dictę Parochialis Eccleſię pro eorum ſuſtentatione aliquod ſubventionis auxilium ſuſciperent. Quare pro parte ejuſdem Alexandri magni Ducis aſſerentis fructus, redditus, & proventus dictę Parochialis Eccleſię viginti quatuor florenorum auri de camera ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi unam domum pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis in eadem civitate in aliquo loco ad id convenienti, & honeſto, conſtrui, & ędificari faciendi, & in illa, poſtquam ędificata fuerit, aliquos Fratres dicti Ordinis, qui inibi juxta illorum ritus, mores, & ejuſdem Ordinis regularia inſtituta Altiſſimo famulentur, introducendi, licentiam concedere, eidemque domui, poſtquam, ut pręfertur, conſtructa & ędificata fuerit, ſeu illius Sacriſtię Eccleſiam prędictam cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui religionem & cultum hujuſmodi temporibus potiſſime noſtris vigere, & augeri ubique intenſis deſideriis affectamus, quique dudum inter alia voluimus, quod ſemper in unionibus vocarentur quorum intereſſet, pręfatum Alexandrum Magnum Ducem, a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Alexandro Magno Duci unam domum pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis in dicta civitate in loco ad id convenienti, & honeſto, abſque alicujus prejudicio conſtrui, & ędificari faciendi, & in illa, poſtquam conſtructa fuerit, aliquos Fratres dicti Ordinis, qui
Facultas, inibi juxta illorum ritus, & mores; ac ejuſdem Ordinis regularia inſtituta Altiſſimo famulentur, introducendi, licentiam concedere, ac eidem domui, poſtquam, ut pręfertur, conſtructa fuerit, ſeu illius Sacriſtię Eccleſiam predictam cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, ſi ad hoc pręfati Alexandri magni Ducis, & dilecti filii Rectoris moderni Prępoſiti nuncupati, ejuſdem Eccleſię expreſſus acceſſerit aſſenſus, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis perpetuo unire, annectere, & incorporare, auctoritate noſtra procures, ita quod, cedente, vel decedente, dictę Eccleſię moderno Rectore pręfato, ſeu alias eandem Eccleſiam quomodolibet dimittente, liceat Priori, & Fratribus dictę domus per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem Eccleſię, juriumque & pertinentiarum prędictorum propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in ſuis, ac dictę eorum domus, & Sacriſtię uſus, & utilitatem, ac ſubventionem, convertere, necnon eidem Parochiali Eccleſię per unum ex Fratribus dictę domus, aut alium presbyterum idoneum ſecularem, vel cujuſvis Ordinis Religioſum ad eorum nutum amovibilem, deſerviri, illiuſque curam animarum exerceri facere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Nos enim, ſi vigore pręſentium domum hujuſmodi conſtrui, & ędificari, ac in illam Fratres prędictos introduci continget, ut pręfertur, domui, ac Priori, & Fratribus prędictis, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, prętogativis,
Nota. Immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus, indulgentiis, gratiis, favoribus, & indultis, aliis domibus, & illarum Fratribus ejuſdem Ordinis per Sedem Apoſtolicam, aut alia quacunque auctoritate, ſub quacunque forma, & expreſſione verborum, in genere conceſſis hactenus, & in futurum forſan concedendis, & quibus domus, & Fratres hujuſmodi hactenus uſi ſunt, & gaudebunt, quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, dicta auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali gratia indulgemus; jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus voluntate noſtra predicta, ac felicis recordationis Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, in qua inter alia prohibetur, ne Ordinum Mendicantium profeſſores in aliqua civitate, vel villa, aut loco alio, nova loca ad inhabitandum recipere prę ſumant abſque Sedis ejuſdem licentia ſpeciali, faciente de hujuſmodi prohibitione mentionem, & aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, ſi vigore pręſentium fiant, dicta Eccleſia debitis non fraudetur obſequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, ſed illius congrue ſupportentur onera conſueta. Nos enim quoad unionem hujuſmodi ex nunc irritum decernimus, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Primo, Nono Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Adrianus.

Regiſtr. apud me Adrianum.

2. *Vilnen.*) Juris eſt Provinciæ *Lituaniæ*.
3. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Vilnenſi*.
3. *Alexander.*) *Caſimiri* filius.
4. *Magnus Dux Lituaniæ.*) Hoc eodem anno Rex *Poloniæ* renunciatus fuit.

Fra-

Fratres redeant in poſſeſſionem Cœnobii Palmenſis (1).

Anno 1501 Die 2 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Tiberiadis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CXII.

Diplomatis cauſa.

PIis fidelium votis, illis pręſertim, quę Religionis propagationem, & divini cultus augmentum, ac animarum ſalutem reſpiciunt &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Ludovici Puorto Carrero (4), Pręceptoris Domus de Azuaga Militię S. Jacobi de la Spata, ac Domini in temporalibus Oppidi de Parma, Corduben. Diœceſis, petitio continebat, quod cum olim in ſuburbiis dicti Oppidi fuiſſet quędam Domus ſub invocatione S. Dominici, Ordinis Fratrum Prędicatorum cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, cęmeterio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis, in qua Fratres dicti Ordinis permanebant, & propter nonnullas cauſas tunc expreſſas, felicis recordationis Martinus Papa V, Prędeceſſor noſter, per quaſdam ſuas literas, Domum prędictam ſuppreſſiſſet, & extinxiſſet, & ne de cetero Fratres dicti Ordinis, illam incolerent, ſeu quomodolibet retinerent, decreviſſet; ac ſucceſſu temporis Domus, & Eccleſia hujuſmodi prophanatę, ſeu ad prophanos uſus redactę fuiſſent, itaut homines earum ſtructuris, & ędificiis pro ſtabulis, & aliis inhoneſtis uſibus abuterentur, fructus quoque, & proventus ejuſdem Domus damnabiliter uſurparentur, bonę memorię Nicolaus (5) Epiſcopus Tarviſin., tunc electus Parentin., in partibus illis, cum poteſtate legati de laterę, Apoſtolicę Sedis Nuncius, provide attendens, quod dictus Ludovicus, & quondam Franciſca Manriquez (6), tunc uxor, Domum, & Eccleſiam prędictas, renovare, reſtaurare, & in priſtinum ſtatum reducere, ac ſufficienter dotare, necnon Moniales, ſive Sorores ſub regulari obſervantia dicti Ordinis viventes ex aliquo, ſeu aliquibus Monaſteriis ejuſdem Ordinis, ad illam transferre, ſeu transferri, & in illo includi, aliaſque neceſſaria, & ad id opportuna facere intendebant, ſi eis ſuper hoc licentia concederetur, Corduben., ac Malaginen. (7), ac Ebronen. Epiſcopis, eorum propriis nominibus non expreſſis, per ſuas literas, dedit in mandatis, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, vocatis, qui forent evocandi, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, ſe diligenter informarent, &, ſi per informationem eandem, pręmiſſa vera eſſe reperirent, ac Clericorum perpetuorum Beneficiatorum in Parochiali Eccleſia B. Marię, necnon conſilii officialium; & incolarum dicti Oppidi accederet aſſenſus, eiſdem Ludovico, & Franciſco, Domum cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, dormitorio, clauſtro, refectorio, & aliis neceſſariis officinis reſtituendi, renovandi, ac reſtaurandi, & in priſtinum ſtatum reducendi, ac pro ſuſtentatione Monialium ibidem pro tempore degentium dotandi, ac tot Moniales bonę vitę, & laudabilis converſationis, quot eis expedire viſum foret, ex quibuſvis Monaſteriis ipſius Ordinis, de licentia eorum ſuperiorum, & Abbatiſſarum, ad illam transferendi, & bona Domus hujuſmodi, tam mobilia, quam immobilia retroactis temporibus alienata, & occupata recuperandi, ac in judicio, ſeu quavis alia via petendi, & eidem Domui reſtituendi, ac nonnulla alia faciendi, ordinandi, & diſponendi, ac providendi, licentiam concederent, & deinde bonę memorię Alvares, tunc Epiſcopus Ebronen, ad inſtantiam Ludovici, & Franciſcę prędictorum, ad earundem literarum executionem, illarum forma ſervata, procedens, conſtito ſibi de pręmiſſis, ac Clericorum, conſilii officialium, & incolarum prędictorum, ad id accedente conſenſu, dictam Domum cum Eccleſia, & aliis prędictis refici, renovari, ac in ſtatum priſtinum reſtitui, ac Moniales Ordinis, & obſervantię hujuſmodi inibi, poni, & includi, ac bona hujuſmodi mobilia, & immobilia, ſeu ſe moventia Domus ejuſdem reſtitui, aliaque fieri voluit, & mandavit, ac nonnullas Moniales, ſive Sorores Ordinis, & obſervantię prędictorum in dicta Domo poſuit, & introduxit, Eccleſiam prędictam benedixit, ſive reconciliavit, Monialeſque, ſive Sorores in poſſeſſionem Domus, & Eccleſię hujuſmodi induxit, ac nonnulla etiam per ſuas patentes literas fecit, ac fieri voluit, & declaravit, prout in ſingulis literis, & proceſſibus deſuper editis, dicitur plenius contineri. Et ſucceſſive illius Moniales, poſtquam in dicta Domo aliquandiu remanſerunt, illam reliquerunt, & ad proprias Domus reverſę fuerunt, ac dictus Ludovicus de licentia, & conſenſu, tunc Vicarii Generalis Ordinis, & obſervantię prędictorum in Hiſpania, duos Fratres Ordinis, & obſervantię hujuſmodi, ad dictam Domum S. Dominici revocari, ac reparationem, & reędificationem Domus cum Eccleſia, & aliis pręmiſſis continuari, fecit, dictis duobus Fratribus in ea permanentibus. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, populus dicti Oppidi, benedicente Domino, adeo excreverit, quod in eo pluſquam mille incolę, nec alia Parochialis Eccleſia, quam prędictę B. Marię conſiſtant, itaut in diebus Dominicis, ſive feſtivis, Chriſti fideles in ea conſiſtere poſſint, eſſetque conveniens, ut in dicta Domo, aliqui Religioſi Ordinis, & obſervantię hujuſmodi, qui inibi verbum Dei populo prędicare, ac Miſſas, & alia divina officia celebrare, poſſent, permanerent, cupiatque idem Ludovicus, eandem Domum cum Eccleſia, & aliis pręmiſſis pro perpetuis uſu, & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis, & obſervantię prędictorum, reficere, & dotare, dubitet tamen, abſque dictę Sedis licentia id licite facere poſſe, pro parte Ludovici, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Domum S. Dominici prędictam cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, dormitorio, clauſtro, refectorio, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu, & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis, & obſervantię prędictorum perficiendi, & dotandi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, quodque de cetero perpetuis futuris temporibus in dicta Domo, non Moniales, ſeu Sorores, ſed Fratres Ordinis, & obſervantię hujuſmodi, habitare debeant, ſtatuere, & ordinare, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & divini cultus augmentum, ac animarum ſalutem noſtris potiſſime temporibus, ſinceris deſideriis exoptamus eundem Lu-

Mandatum.

Ludovicum, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eidem Ludovico, Domum prędictam cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu, & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis, & obſervantię hujuſmodi, ſine alicujus prejudicio perficiendi, ſeu reędificandi, aut perfici, vel reędificari faciendi, & dotandi, ipſiſque Fratribus dictam Domum recipiendi, & perpetuo inhabitandi licentiam concedere, quodque de cetero perpetuis futuris temporibus in dicta Domo, non Moniales, ſeu Sorores, ſed Fratres Ordinis, & obſervantię hujuſmodi, inhabitare debeant, ſtatuere, & decernere, auctoritate noſtra procures. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi vigore pręſentium conceſſeris dictę Domui, & Fratribus in illa pro tempore commorantibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, libertatibus, peccatorum remiſſionibus, & aliis indulgentiis, & facultatibus, quibus Fratres Ordinis, & obſervantię in Hiſpania hujuſmodi utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere, ac bona quęcunque tam mobilia, quam immobilia, necnon fructus, redditus, & proventus ad dictam Domum quomodolibet, tam ante ſuppreſſionem prędictam, quam poſtmodum etiam per Chriſti fideles, pro ejus reparatione, ſeu Fratrum pro tempore in ea degentium ſuſtentatione, legata, & conceſſa, ac alias legitime ſpectantia, petere, recuperare, & exigere, aliaque deſuper neceſſaria, & opportuna facere, & exequi, libere, & licite poſſint, & valeant concedimus per pręſentes, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, non obſtantibus pręmiſſis, ac bonę memorię Bonifatii PP. VIII, etiam Prędeceſſoris noſtri, qua prohibetur, ne quivis Ordinis Mendicantium Fratres, nova loca, ad habitandum recipere, ſeu recepta mutare pręſumant, abſque dictę Sedis licentia ſpeciali &c. aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac literis prędictis &c. quibnſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Primo, Quarto Nonas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Palmenſis.*) In *Hiſpania Bætica*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* *Lib. CCLX fol.* 119.
3. *Reſpiciunt &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Puerto carrero.*) Gens eſt illuſtris.
5. *Nicolaus.*) Conſulendus *Ughellus* in *Epiſcop. Tarviſin.*
6. *Manriquez.*) Ex ejuſdem nominis nobili familia.
7. *Malaginen.*) *Malacenſis* ſcilicet, vulgo *Malaga*, in *Hiſpania Bætica*.

Anno 1501 Die 21 Auguſti.

De Prioribus eligendis (1) quolibet triennio, & Magiſtris (2) in theologia creandis, poſtulante capitulo Congregationis Terræ Laboris.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CXIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

SUb Religionis jugo Domino famulantes, libenter proſequimur favore gratię ſpecialis, ac ad ea, per quę eorum quieti conſulitur, & ambitioni via pręcluditur, diligenter intendimus &c. (4). Sane pro parte dilectorum filiorum Vicarii, & Fratrum Congregationis Terrę Laboris Ordinis Fratrum Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum perpetuitas in officiis dicti Ordinis, & etiam promotio Magiſtrorum ad gradum Theologię, niſi cum debito examine fiat, multa detrimenta, ac etiam contentiones, inter ipſos ſępius afferant, pro parte venerabilis fratris noſtri Oliverii Epiſcopi Sabinen. dicti Ordinis Protectoris, ac Vicarii, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quod Vicarius Generalis, & Prior Conventualis cujuſcunque Domus ejuſdem Congregationis ultra triennium in ſuo Officio perſeverare non poſſint, ſed ſtatim completo triennio ſint ipſo facto abſoluti, abſque alia abſolutione, ab eorum officiis Vicariatus, & Prioratus, quodque in dicta Congregatione, nullus de cetero Magiſter in Theologia admitti poſſit, niſi de conſenſu Capituli ejuſdem Congregationis ad Magiſterii Gradum hujuſmodi promotus fuerit, perpetuo ſtatuere, & ordinare, aliaſque in pręmiſſis, & infraſcriptis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingulorum, pręſertim Religioſorum quieti, & paci, quantum cum Deo poſſumus, libenter conſulimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſtatuimus, & ordinamus, quod Vicarins Generalis pręfatę Congregationis, & Prior Conventualis cujuſcunque Domus ejuſdem Congregationis ultra triennium in ſuo officio perſeverare non poſſit, ſed ſtatim completo triennio, abſque alia abſolutione ab officiis Vicariatus, & Prioratus, ſint ipſo facto abſoluti, ſic quod infra triennium immediate ſequens, ille, qui Vicarius, ejuſdem Congregationis Vicarius Generalis, & qui Prior exiſtebat, ejuſdem Domus Prior, eſſe non poſſit, & quod ſi contigerit triennium pręfati Vicarii poſt feſtum Natalis Domini, compleri, hujuſmodi triennium uſque ad immediate ſequens ejuſdem Congregationis Capitulum incluſive, ſi infra tempus Paſchale ejuſdem anni celebrandum erit, extendatur, & illuc uſque, cujuſque Priorum prędictorum triennium extenſum intelligatur, ſi poſt Septuageſimam triennium alicujus eorum compleri contigerit, & ſi Capitulum pręfatum infra Paſchale tempus illius anni celebrandum non eſſet, eo caſu dictum triennium prędictorum Priorum, uſque ad Octavam Dominicę Reſurrectionis incluſive ejuſdem anni intelligatur extenſum, quoad pręſentes vero Priores qui triennium non tranſierint, aut triennio contigui, Prioratus omnium intelligantur perfici in fine Capituli immediate ſequentis ejuſdem Congregationis, quod infra Tempus Paſchale anni Domini Milleſimi Quingenteſimi Secundi celebrabitur, alioquin poſt Octavam Reſurrectionis Dominicę ejuſdem anni immediate ipſo facto ab eorum officiis ſint abſoluti, & quod in dicta Congregatione nullus de cetero Magiſter in Theologia admitti poſſit, niſi de conſenſu Capituli ejuſdem Congregationis promotus fuerit ad tale

Mandatum.

Ma-

Magiſterium, aut tantę doctrinę extiterit, quod per prędictę Congregationis Capitulum libere acceptetur; Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtri ſtatuti, & Ordinationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Primo (5), Duodecimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Eligendis.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*
2. *Magiſtris.*) Ibidem *Tit. VI.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CCLXXI fol. 93.*
4. *Intendimus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Quingenteſimo Primo.*) Hinc etiam liquet *Alexandrum VI* annos Pontificatus non ab electionis ſed a coronationis die numeraſſe.

Firmat Confraternitatem B. Mariæ Rupis Franciæ (1).

Anno 1501 Die 4 Septembris.

CXIV.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

INjunctum Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officium Nos admonet, & inducit, ut ea quę pro divini cultus augmento, & religionis propagatione, ac ſingularum perſonarum ſub Religionis jugo, & perpetua mendicitate Domino in illius beneplacito famulantium; necnon peregrinorum, & aliorum pauperum pia ſubventione, & provida ordinatione facta dicuntur, ut firma & illibata permaneant, cum a Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboremus, & alias in his ejuſdem officii partes favorabiliter impendamus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum, Prioris, & Fratrum Domus B. Marię de la Peña di Francia, Ordinis Fratrum Prędicatorum de Obſervantia nuncupatorum, Provincię Hiſpanię juxta morem dicti Ordinis, nullius Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim clarę memorię Johannes (3) Caſtellę, & Legionis Rex, provide attendens, quod magna populi multitudo ad quandam Imaginem ejuſdem B. Marię Virginis in ſummitate rupis altiſſimi ejuſdem Regis temporibus miraculoſe ibidem repertam, ob quam plurima miracula, quę inibi meritis, & precibus ejuſdem B. M. Virginis intercedentibus in dies operabatur Altiſſimus, ſingularis devotionis cauſa confluebat, pro augenda Chriſti fidelium devotione hujuſmodi in loco, in quo dicta Imago inventa fuit, unam Eccleſiam ſub invocatione ejuſdem B. Marię eleemoſynis, quas ibidem Chriſti fideles faciebant, alias canonice conſtrui, & ędificari mandaverant, & quia ędificia in loco tam ſterili, & inhabitabili propter ventos, nives, glacies, pluresque nebulas, & alias temporum, & loci incommoditates, & propter altitudinem montis, & itinerum aſperitatem, non ſolum fiebant magnis expenſis, verum etiam continua, & aſſidua reparatione indigebant, prefatus Rex eleemoſynas pro dicta Eccleſia conſtruenda, & manutentione in Eccleſiis, & populis totius regni, fecit colligi, & collectores ad illas colligendas, & in opus hujuſmodi convertendas, deputari voluit, & permiſit, & poſtquam dicta Domus pro Fratribus dicti Ordinis ibidem etiam canonice conſtructa, & ędificata, ac Fratribus dicti Ordinis pro eorum perpetuis uſu, & habitatione conceſſa fuit, Prior, & Fratres dictę Domus cum eleemoſynis hujuſmodi, dictam Domum ędificatam reparare, ac ſe ipſos, & pauperes peregrinos ad dictam Domum declinantes ſuſtentare, & alios Chriſti fideles, maxime nivium & imbrium temporibus a prędicta Domo aliquando deſcendere non valentes, ibidem recipere, & retinere, & eis neceſſaria miniſtrare non poſſent, quandam Confraternitatem in dicta Domo inſtituerunt, & ordinaverunt, itaut recipiendi ab eiſdem Priore, & Fratribus in Confratres dictę Confraternitatis certam partem pecuniarum, ſive aliarum rerum, ſecundum patrię, & locorum qualitates, ſeu diverſitates annuatim perſolvere habeant, tam pro ędificatione, & reparatione, ac manutentione dictę Domus, necnon ſuſtentatione tam Fratrum dictę Domus, quam pauperum peregrinorum ad eandem Domum etiam devotionis cauſa viſitandam accedentium, ipſique Prior, & Fratres in Confratres dictę Confraternitatis receptos, conſortes, & participes omnium bonorum Spiritualium, quę per eoſdem Priorem, & Fratres dictę Domus fiebant, & in futurum fierent, eſſe voluerunt, ipſaque Confraternitas modo prémiſſo ab inde citra obſervata extitit, quia aliter dicta Domus manuteneri, & illius Prior, & Fratres, & pauperes peregrini prędicti ſuſtentari non poſſent. Poſtquam vero Domus prefata fuit reformata, & ad regularem obſervantiam reducta Prior, & Fratres dictę Domus ex prędictis eleemoſynis, quoddam Hoſpitale pro peregrinis recipiendis ibi prope Domum conſtrui, & ędificari fecerunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ad hujuſmodi expenſas, facultates Domus prędictę non ſuppetant, & ſinguli Ordinarii locorum, & Eccleſię Cathedrales ex eleemoſynis prędictis, magnam partem ratione quartę partis eis, ut aſſerunt, debitę, licet eleemoſynę prędictę, non dentur ratione funerum, & pro licentiis quas pro dictis eleemoſynis procurandis, & colligendis concedunt, ab eiſdem Priore, & Fratribus, eorumque procuratoribus exigant, adeo quod deductis expenſis, quę fiunt in prędictis eleemoſynis procurandis, modicum utilitatis dictę Domui, & Fratribus ejuſdem acquiritur, nec poſſint ſe, & pauperes peregrinos prędictos ſuſtentare, & ędificia, quandoque ex prędictis cauſis corruentia, & collabentia, reparare, & conſervare, pro parte tam venerabilis Fratris noſtri Oliverii Epiſcopi Sabinen., dicti Ordinis Protectoris, quam eorundem Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ne ad prędictam Domum populi devotio diminuatur, & Prior, & Fratres, necnon pauperes, & peregrini prędicti hujuſmodi neceſſarię ſubventionis auxilio penitus deſtituantur, inſtitutioni, & ordinationi dictę Confraternitatis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ſeu novam Confraternitatem inſtituendi, licentiam concedere, ac alias in premiſſis, opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ex commiſſo Nobis Paſtorali Confirmatio.

Offi-

Officio ſingulos Chriſti fideles ad devotionem excitamus, & pauperibus de ſubventionis opportunę anxilio provideri ſinceris deſideramus affectibus, Priorem, & Fratres prędictos, ac eorum ſingulos a quibuſcunque excommunicationis &c., abſolutos ſore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Confraternitatem prędictam ut prefertur, inſtitutam, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ac eiſdem Priori, & Fratribus, ſi eis pro devotionis majori conſervatione, & augmentatione, & Domus, & Hoſpitalis hujuſmodi reparatione, & manutentione, melius expedire viſum fuerit, aliam Confraternitatem, quę canonicis non obſtet inſtitutis, inſtituere, & ordinare, ac eleemoſynas dictę Confraternitatis, & quaſcunque alias ad dictam Domum quoquomodo pertinentes, & quas Chriſti fideles etiam non intuitu dictę Confraternitatis, facere, ſeu erogare voluerint per ſe, vel alias perſonas idoneas, & honeſtas, ac bonę, & timoratę conſcientię, procurare, colligere, & recipere, ac in Eccleſias dictorum regnorum Procuratores eorundem, qui eas in dictis Eccleſiis procurent, & petant, ponere, ſeu deputare, illaſque in reparationem, & ędificiorum Domus, & Hoſpitalis hujuſmodi conſervationem, ac illius Prioris, & Fratrum, necnon peregrinorum prędictorum ſuſtentationem, convertere, libere, & licite valeant, & teneantur, omni fraude, ac dolo ceſſantibus, licentiam, & facultatem auctoritate, & tenore prędictis concedimus; Mandantes eiſdem ordinariis locorum, aliiſque eccleſiarum prędictarum, etiam exemptis, & Eccleſiarum Decanis, & Cantori, ac Rectoribus, Presbyteris, Curatis, & non Curatis dicti Regni, ut eoſdem Priorem, & Fratres, & eorum nuncios, & procuratores, in Eccleſiis, & locis eorum benigne recipiant, & ab eorum ſubditis eleemoſynas hujuſmodi petere, & recipere, libere permittant, ſalvo eorum jure, in quo exigendo, moderate ſe debeant habere, attenta maxima paupertate Domus prędictę, & frequenti concurſu pauperum ad illam, manutentione, & aſſidua reparatione in eiſdem, propter loci aſperitatem, & ſitum. Nos enim Confratribus dictę Confraternitatis receptis, & pro tempore recipiendis, quod omnibus, & ſingulis orationibus, & ſuffragiis Fratrum dicti Ordinis, & gratiis, non tamen Plenariis Indulgentiis dicto Ordini conceſſis, uti, potiri, & gaudere poſſint, ac debeant, eiſdem auctoritate & tenore, de ſpeciali gratia Indulgemus, non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis ac dicti ordinis &c. ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, approbationis, conſtitutionis, conceſſionis, mandati, & indulti infringere &c. Si quis autem &c. Datum (4) Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Primo, Pridie Nonas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Rupis Franciæ.*) Seu *Lancia oppidana*, vulgo *Peña de Francia*. Locus eſt celebris propter devotionem erga Deiparam. Situs eſt intra montes, in *Hiſpania*.

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar unum ex *Archivo Apoſtolico Libro CCXLXVI fol.* 302, aliud inter monumenta Cœnobii *Rupis Franciæ*.

3. *Johannes.*) Hujus nominis *II.*

4. *Datum.*) Huc ſpectant etiam Diplomata quæ ſequuntur.

Bernardinus Miſeratione Divina Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Tituli S. Crucis in Jeruſalem Presbyter Cardinalis, & Epiſcopus Seguntinus dilectis Nobis in Chriſto Priori, & Fratribus Conventus S. Mariæ de la Peña de Francia Ordinis Fratrum Prædicatorum reformatorum Provinciæ Hiſpaniæ, ſalutem in Domino ſempiternam.

VOlentes, ut ad Nos pertinet, veritati teſtimonium perbibere, notum vobis facimus, & atteſtamur per præſentes, quod nuper Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Alexander PP. VI, votis veſtris favorabiliter annuens, & ſupplicationibus noſtris pro parte veſtra ſibi oblatis, inclinatus vivæ vocis oraculo conceſſit. Quod poſtquam alias Apoſtolicas conceſſiones vobis factas Monaſterium aliquod juxta pedem dictæ rupis de Francia ædificaveritis, poſt erectionem, ſeu ædificationem dicti Monaſterii Domus ſuperior prædicta S. Mariæ, non Eremitorium, ſed unica duntaxat Domus cum inferiori Monaſterio ædificando cenſeatur, ſintque ambæ Domus unicum Monaſterium, & unus Conventus reputetur, & Fratres in qualibet duarum Domorum pro tempore habitantes, pro præſentibus habeantur in Conventu ad omnia, quæ erunt tractanda. Et quod viſitantes alteram dictarum Domorum, idem conſequantur, quod generaliter conſequuntur viſitantes quamlibet Domum dicti Ordinis Prædicatorum; Et quod propter multitudinem Chriſti fidelium, ad Domum ipſam devotionis cauſa recurrentium, & etiam in illa confiteri volentium, ubi alias per literas felicis recordationis Sixti PP. IV in ea ſunt in qualibet alia Domo Fratrum reformatorum Ordinis Prædicatorum dictæ Provinciæ, de Quatuor duntaxat Confeſſoribus deputandis, data erat facultas abſolvendi certo modo, ad eam declinantes de omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ non reſervatis, & certo modo Sacramentum Euchariſtiæ ad eam declinantium, miniſtrandi, ut de cetero in Domo ipſa, propter maximam devotionem populi ad eam concurrentis octo Confeſſores deputari. Et cum ad ipſorum deputationem juxta dictas literas Sixti requiratur præſentia dicti Vicarii Generalis cum Priore, ſeu Præſidente dicti Conventus, & non poſſit ſemper haberi, & Fratres ſæpius mutentur, & alii de novo eidem Conventui aſſignentur, quod dictus Vicarius Generalis pro tempore exiſtens, alicui, ſeu aliquibus ex Fratribus dicti Conventus, vices ſuas committere poſſit, qui in ipſius abſentiæ, una cum Priore, ſeu Præſidente dicti Conventus, poſſit dictos Confeſſores pro tempore deputare; Quodque ne in Domo ſuperiori moram trahendo, confiteri volentes, cum non ſit ibidem populus, Conventum ipſum expenſis gravent dictus Vicarius Generalis, & in ipſius abſentia, præfatus Prior, ſive Præſidens dicti Conventus, & octo Confeſſores prædicti, ſicut præfertur deputati, ſeu deputandi, eandem auctoritatem habeant, eamque exercere valeant in Domo inferiori, etiam quam modo inhabitant, vel deinceps inhabitabunt; Et quod in utraque domo ſuperiori, ſcilicet, & inferiori, quam nunc inhabitant, vel deinceps inhabitabunt, infirmis contingentibus per Priorem, ſeu Præſidentem dicti Conventus, vel illum, ſeu illos, cui, vel quibus ipſi commiſerint, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis Sacramenta miniſtrari; Necnon dictus Prior pro tempore exiſtens, vel ejus Vicarius Viceſgerens, cum actu perſonaliter viſitantibus dictam Domum qualitatibus, & conditionibus votorum dictæ Domui ab eiſdem emiſſorum, ut de modo ve-

veniendi, vel per dies aliquos demorandi, vel pro tempore, ſeu ad vitam ſerviendi, & aliis ſimilibus qualitatibus, & conditionibus, dummodo actualiter illam viſitent, diſpenſare, & in elargitione eleemoſynarum pro prædicta Domo, eaſdem qualitates, & conditiones dictorum votorum, prout eis videbitur convenire &c. Quodque ſi dictam Eccleſiam forſitan quoquomodo contigerit violari, ſeu pollui, nec determinatum hactenus ſit, in qua Diœceſi ſita exiſtat, quicunque Antiſtes Catholicus vicinus, per vos ad id eligendus, per ſe, vel alium, illam reconciliare. Et inſuper, quod Priori, & Fratribus dicti Conventus, nunc, & pro tempore exiſtentibus inter, & extra, veſci liceat carnibus quemadmodum eiſdem per primum reformatorem, & Vicarios Generales, ſuoſque viſitatores, propter labores Domus, & ipſius paupertatem, & patriæ ſterilitatem, hactenus a principio reformationis dicti Conventus, toleratum extitit. Non obſtantibus conſtitutionibus dicti Ordinis hujuſmodi cibos prohibentibus, licite poſſint, & valeant, ſimili vivæ vocis oraculo Nobis deſuper facto, de ſpecialis dono gratiæ, liberaliter, & gratioſe conceſſit. In quorum, omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum, præſentes literas fieri fecimus, & propria manu ſubcripſimus, noſtrique ſigilli juſſimus appenſione muniri. Datum Romæ in Domibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ ſub Anno a Nativitate Domini 1498 die 12 Menſis Octobris, Pontificatus prædicti Sanctiſſimi in Chriſto P., & D. N. D. Alexandri PP. VI Anno Septimo. Ita eſt. Bernardinus Cardinalis S. Crucis manu propria. *Aliud hujus tenoris eſt.* Univerſis, & ſingulis Reverendiſſimis, & Reverendis in Chriſto Patribus, & Dominis, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia præſentibus, & futuris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac ven., & circumſpectis viris, tam Metropolitanarum, quam aliarum Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Locatenentibus eorundem, curatis, & non curatis, & aliis quorumcunque locorum ordinariis, omnibus aliis, & ſingulis, quorum intereſt, vel intererit, aut intereſſe, quouſque infraſcriptum tangit negotium, ſeu tangere poterit, quomodolibet in futurum, communiter, vel diviſim, quibuſcunque nominibus cenſeantur, aut quacunque præfulgeant dignitate. Matthæus eadem gratia Epiſcopus Nucerin., Judex, & executor ad infraſcripta, una cum quibuſdam aliis infraſcriptis noſtris in hac parte collegis, cum illa clauſula, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios &c. a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatus, ſalutem in Domino, & noſtris hujuſmodi, immo verius Apoſtolicis firmiter obedire mandatis. Literas Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Alexandri divina providentia PP. VI cum cordula canapis cum Bulla Plumbea ipſius D. N. PP. more Romanæ Curiæ inpenden. Bullatas, ſanas ſiquidem, & integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes, ut in eis prima facie apparebat, Nobis pro parte ven. Religioſorum Prioris, & Fratrum Domus B. Mariæ della Peña de Francia Ordinis Fratrum Prædicatorum de obſervantia nuncupatorum Provinciæ Hiſpaniæ principalium, eiſdem literis Apoſtolicis, principaliter nominatorum, coram Notario publico, & teſtibus infraſcriptis præſentatas, nos cum ea, qua decuit, reverentia noveritis recepiſſe, quarum quidem literarum tenor de verbo, ad verbum ſequitur, & eſt talis: Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Nucerin., & dilectis filiis Abbati S. Benedicti Oppidi de Valle Olleti Palentin. Diœceſis, ac Priori S. Vincentii per Priorem ſoliti gubernari Salamantin. Monaſteriorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Hodie a Nobis emanarunt literæ tenoris ſubſequentis. Alexander &c. Injunctum Nobis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1501, Pridie Nonas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo. Quo circa diſcretioni veſtræ &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno, Die, Menſe, Pontificatu quibus ſupra &c. Poſt quarum quidem literarum Apoſtolicarum præſentationem, & receptionem Nobis, & per Nos, ut præmittitur factas, fuimus pro parte præfatorum Prioris, & Fratrum Principalium, debita cum inſtantia requiſiti, quatenus ad executionem dictarum literarum Apoſtolicarum, & contentorum in eiſdem procedere dignaremur, juxta traditam, ſeu directam per eas a Sede Apoſtolica Nobis formam. Nos igitur Matthæus Epiſcopus Judex, & executor præfatus, attendentes requiſitionem hujuſmodi fore juſtam, & rationi conſonam, volenteſque mandatum Apoſtolicum ſupradictum Nobis in hac parte directum, reverenter exequi, ut tenemur; idcirco auctoritate Apoſtolica Nobis commiſſa, & qua fungimur in hac parte, præfatas literas Apoſtolicas, huncque noſtrum proceſſum, ac omnia, & ſingula in eis contenta vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, communiter, vel diviſim intimamus, inſinuamus, & notificamus, ac ad veſtram, & cujuslibet veſtrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes, voſque Dominos Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, capitula, alioſque locorum ordinarios, omneſque, & alios, & ſingulos ſupradictos, quibus præſens noſter proceſſus dirigitur, tenore præſentium requirimus, & monemus primo, ſecundo, tertio, ac peremptorie, ac vobis, & cuilibet veſtrum in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis infraſcriptis diſtricte præcipientes mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam pro parte dictorum Prioris, & Fratrum fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus, Priorem, & Fratres principales prædictos, eorumque procuratores, & collectores, omnes, & ſingulas eleemoſynas, de quibus in præmiſſis literis Apoſtolicis, fit mentio, ſine difficultate, rebellione, & oppoſitione quibuſcunque alias juxta tenorem præinſertarum literarum Apoſtolicarum in omnibus locis, & Eccleſiis procuratores, & collectores earundem ponere, & deputare, necnon hujuſmodi eleemoſynas integre, & plenarie percipere, & levare, & illis libere uti, frui, potiri, & gaudere permittatis, neque ipſos Priorem, & Fratres, eorumque procuratores, & collectores, de & ſuper hujuſmodi eleemoſynis, ac illarum occaſione quoquomodo de cetero moleſtetis, vexetis, perturbetis, & impediatis, neque aliquis veſtrum, prout quemquam reſpective concernit, illos moleſtare, vexare, perturbare, & impedire præſumat per ſe, vel alium, ſeu alios, publice, vel occulte, directe, vel indirecte, quovis quæſito colore, vel ingenio, ac quod illa omnia, & ſingula alia in eiſdem præinſertis literis, narrata, & contenta, ſuum debitum conſequantur effectum, & in omnibus plene obſerventur, auxilium, conſilium, favorem præſtetis,

& quilibet veſtrum præſtet realiter, & cum effectu, alioquin ſi præmiſſa omnia, & ſingula, non adimpleveritis, mandatiſque, monitionibus, & inhibitionibus noſtris hujuſmodi, immo verius Apoſtolicis, non parueritis cum effectu, Nos in vos omnes, & ſingulos, qui culpabiles fueritis in præmiſſis, ac impedientes ipſos Dominos Priorem, & Fratres principales, vel eorum procuratores, & collectores ſuper præmiſſis in aliquo, ipſoſque impedientibus, dantes auxilium, conſilium, vel favorem, publice, vel occulte, per vos, vel alium, vel alios, ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc ſingulariter in ſingulos, canonicis monitionibus præmiſſis excommunicationis, in capitula vero, Collegia, & Conventus quæcunque in his delinquentia, ſuſpenſionis a Divinis, & in ipſorum delinquentium, & rebellium, Eccleſias, Monaſteria, & Capellas interdicti eccleſiaſtici ſententias ferimus in his ſcriptis, & etiam promulgamus, Vobis vero Reverendiſſimis, & RR.PP.DD. Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis præfatis duntaxat exceptis, quibus ob reverentiam veſtrarum Pontificalium dignitatum, deferimus in hac parte, ſi contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum per vos, vel ſubmiſſas perſonas feceritis, per ſex dies, canonica monitione præmiſſa, ingreſſum Eccleſiarum interdicimus in his ſcriptis. Si vero hujuſmodi interdictum, per alios ſex dies immediate ſequentes ſuſtinueritis, vos in his ſcriptis eadem canonica monitione præmiſſa ſuſpendimus a Divinis, verum ſi præfatas interdicti, & ſuſpenſionis ſententias per alios ſex dies duodecim immediate ſequentes animis, quod abſit, ſuſtinueritis induratis, vos, & quemlibet veſtrum in his ſcriptis, canonica monitione præmiſſa, ex nunc, prout ex tunc excommunicationis ſententia innodamus. Ceterum cum ad executionem præmiſſorum ulterius faciendam nequeamus quoad præſens aliis arduis in Romana Curia præpediti negotiis perſonaliter intereſſe, univerſis, & ſingulis DD. Abbatibus, Prioribus perpetuis, Decanis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, tam Cathedralium, quam Collegiatarum Canonicis, Parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Locatenentibus eorundem Plebanis, Viceplebanis, Capellanis, Curatis, & non Curatis, ceteriſque Presbyteris, Clericis, Notariis, Tabellionibus publicis quibuſcunque per Provincias, Civitates, & Diœceſes dictorum DD. Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum prædictos, ac alias ubilibet conſtitutis, & eorum cuilibet in ſolidum ſuper ulteriori executione dictæ Nobis ultimæ factæ, & præſentatæ commiſſionis facienda auctoritate prædicta tenore præſentium committimus plenarie vices noſtras, donec eas ad Nos duxerimus revocandas, quos, & eorum quamlibet in ſolidum eiſdem auctoritate, & tenore, requirimus, & monemus primo, ſecundo, tertio, & peremptorie, ipſis, & cuilibet eorum in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam in eos, & eorum quemlibet canonica monitione præmiſſa ferimus in his ſcriptis, niſi fecerint, quæ mandamus, diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus infra tres dies poſt requiſitionem ipſis, ſeu alteri ipſorum pro parte dictorum DD. Prioris, & Fratrum Principalium, aut eorum procuratorum, & collectorum vigore præſentium deſuper factam, immediate ſequen., quos dies ipſis, & eorum cuilibet pro omni dilatione, terminoque peremptorio, ac monitione canonica aſſignamus, ita tamen, quod in his exequendis, unus eorum, alterum non expectet, nec alter pro alio ſe excuſet, ac vos omnes, & ſingulos ſupradictos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & ordinarios, quibus præſens noſter proceſſus dirigitur, perſonaſque, & loca alia, de quibus ubi, quando, & quoties expediens fuerit, perſonaliter accedant, ſeu alter eorum accedat, & hujuſmodi noſtros proceſſus, ac quæcunque in eis contenta, vobis communiter, vel diviſim, legant, intiment, inſinuent, & fideliter publicare procurent, necnon Priorem, & Fratres, ac Procuratores, & Collectores prædictos in dictarum eleemoſynarum, prout in præinſertis Apoſtolicis literis continetur, petitione, procuratione, poſſeſſione, & illarum integra perceptione, defendant, & tueantur, & ne a vobis, aut aliquo veſtrum, ſeu quocunque alio, ſuper illis, ſeu illarum occaſione, quoquomodo moleſtentur, & impediant, faciant, & procurent infra terminum ſuperius annotatum. Et generaliter omnia alia, & ſingula Nobis in hac parte commiſſa, plenarie exequantur juxta prædictarum literarum Apoſtolicarum, & præſentis noſtri Proceſſus vim, formam, continentiam, & tenorem, ita tamen quod dicti ſubdelegati noſtri, vel quicunque alius, ſeu alii, nihil in præjudicium dictorum Prioris, & Fratrum, valeant attentare quomodolibet in præmiſſis, neque in proceſſibus per nos habitis, aut ſententiis per Nos latis, abſolvendo, vel ſuſpendendo, aliquid immutare, in ceteris autem, quæ eiſdem Priori, & Fratribus, vel eorum procuratoribus, & collectoribus prædictis, in præmiſſis nocere poſſent, vel quomodolibet obeſſe, præfatis ſubdelegatis noſtris, & quibuſcunque aliis, poteſtatem denegamus. Et ſi contingat Nos, ſuper præmiſſis in aliquo procedere, de quo Nobis poteſtatem omnimodam reſervamus, non intendimus propterea commiſſionem noſtram hujuſmodi, in aliquo revocare, niſi de revocatione ipſa, ſpecialem, & expreſſam in noſtris literis fecerimus mentionem. Per proceſſum autem hujuſmodi noſtrum, nolumus, nec intendimus noſtris in aliquo præjudicare collegis, quo minus ipſi, vel eorum alter, ſervato tamen hoc noſtro proceſſu in hujuſmodi negotio procedere valeant, prout eis, vel eorum alteri viſum fuerit expedire. Præfatas quoque literas Apoſtolicas, & hunc noſtrum Proceſſum, ac omnia, & ſingula hujuſmodi negotium tangentia, volumus penes dictos Priorem, & Fratres principales, vel procuratores, & collectores eorum remanere, non per vos, vel aliquem veſtrum, ſeu quemcunque alium, ipſis invitis, & contra eorum voluntatem quomodolibet detineri, Contrarium vero facientes, præfatis noſtris ſententiis, prout in his ſcriptis, per Nos latæ ſunt, dicta canonica monitione præmiſſa, ipſo facto volumus ſubjacere, mandamus tamen copiam fieri de præmiſſis eam petentibus, & habere debentibus petentium quidem ſumptibus, & expenſis. Abſolutionem vero omnium, & ſingulorum, qui præfatas noſtras ſententias, aut eorum aliquam incurrerint, ſeu incurrerit quoquomodo, Nobis, vel ſuperiori noſtro tantummodo reſervamus. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum præſentes literas, ſive præſens publicum Inſtrumentum, Proceſſum hujuſmodi noſtrum, in ſe continentes, ſive continens exinde fieri, & per Notarium publicum infraſcriptum

ſub-

ſubſcribi, & publicari mandavimus, noſtrique ſigilli juſſimus, & fecimus appenſione communiri. Datum, & actum Romæ iu Domo habitationis noſtræ ſub Anno a Nativitate Domini 1501. Indictione Quarta, die vero Lunæ Vigeſima nona Menſis Novembris, Pontificatus ejuſdem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Alexandri divina providentia PP. VI Anno X. Præſentibus ibidem honorabilibus viris DD. Tbidemannos Hiſpano, & Petro Probin Clericis Uladiſlavien., & Herpibolen. Diœc., Teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atque rogatis &c.

Conſervatores creat qui præcedentem Conſtitutionem ſervandam curent.

Anno 1501 Die 4 Septembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CXV.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Nucerin., & dilectis filiis Abbati S. Benedicti oppidi de Valleoleti (2) Palentin. Diœceſis, ac Priori S. Vincentii, per Priorem ſoliti gubernari, Salamantin. (3) Monaſteriorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Injunctum Nobis deſuper &c. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, pręmiſſas literas, & in eis contenta quęcunque, ubicunque, & quotieſcunque opus fuerit, publicantes, eiſdem Priori, & Fratribus in pręmiſſis efficacis defenſionis, pręſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra prędictas literas, & in illis contenta quęcunque, juxta earundem literarum tenorem firmiter obſervari, non permittentes Priorem, & Fratres prędictos per Ordinarios, & alios pręfatos ſuper iis quomodolibet moleſtari. Coutradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, non obſtantibus omnibus ſupradictis, aut ſi ordinariis, & aliis pręfatis, vel quibusvis aliis, commuuiter, vel diviſim, a Sede prędicta indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo, ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Primo, Pridie Nonas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Archivo*.) In quo duplex Exemplar unum inter monumenta Cœnobii *Rupis Franciæ*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Libro CCLXVI fol.* 304.
2. *Valleoleti*.) *Pintienſis* ſcilicet, vulgo *Valladolid*, in *Hiſpania*.
3. *Salamantin.*) Seu *Salmanticenſi*, vulgo *Salamanca*.
4. *Deſuper &c.*) Ut in præcedenti Conſtitutione ad finem uſque.

De Eccleſia S. Luciæ unienda Piſano Monaſterio (1) S. Pauli.

Anno 1501 Die 11 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXVI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

VOtis fidelium omnium, pręſertim ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium &c. (3). Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Monialium S. Pauli ad hortum Piſan., per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii adeo tenues, & exiles exiſtant, quod ex illis ipſę Prioriſſa, & Moniales, ſe ſuſtentare, & onera dicti Monaſterii perferre commode non poſſunt. Verum ſi Parochialis Eccleſia S. Lucię de Capellariis Piſan., quę dum pro tempore vacat, ad collationem, ſeu proviſionem Prioriſſę pro tempore exiſtentis, & Conventus hujuſmodi, de antiqua, & approbata, hactenus pacifice obſervata conſuetudine, pertinet, eidem Monaſterio perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto Prioriſſa, & Moniales prędictę, quę quadraginta numero exiſtunt, pro earum ſuſtentatione, & onerum hujuſmodi ſuſtentatione, & ſupportatione, aliquod ſuſciperent relevamen, poſſentque in dicto Monaſterio quietius Domino famulari. Quare pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictarum, aſſerentium fructus, redditus, & proventus dictę Eccleſię duodecim librarum Monetę Piſan. tres Ducatos non conſtituentium, ſecundum extimationem, valorem annuum non excedere, ſeque propter temporum conditiones eleemoſynas pro earum victu neceſſarias abſque magna difficultate reperire non poſſe, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictam Eccleſiam eidem Monaſterio perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac alias in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum, inter alia voluimus quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum prędictam extimationem, etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, Prioriſſam, & Moniales prędictas a quibuſcunque excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, ac fructuum, redditum, & proventuum dicti Monaſterii, verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Eccleſiam prędictam cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod cedente, vel decedente dilecto filio moderno ejuſdem Rectore, ſeu illam alias quomodolibet dimittente, liceat Prioriſſę, & Conventui pręfatis corporalem Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum prędictorum poſſeſſionem, per ſe, vel alium, ſeu alios, propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac illius fructus, redditus, & proventus, in ſuos, ac Eccleſię, & Monaſterii prędictorum uſus,

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, & cujusvis alterius, licentia ſuper hoc minime requiſita; Non obſtantibus voluntate noſtra prędicta, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus &c. quibuſcunque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi &c. literas impetrarunt &c. quas quidem literas &c. ad dictam Eccleſiam volumus non extendi, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis &c. & de quibus &c. habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis; proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas debitis non fraudetur obſequiis, ex nunc enim irritum, & inane decernimus &c. ſi ſecus &c. contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, & Decreti infringere &c Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Primo, Tertio Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Monaſterio.*) Conſulendus *Fontana de Romana Provincia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCLXXII fol.* 273.
3. *Famulantium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Anno 1501 Die 5 Octobris.

De duobus ſtudentibus ad Salmanticenſe Collegium mittendis a Conventu (1) B. Mariæ de Rupe Franciæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXVII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

INjunctum Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officium mentem noſtram excitat, & inducit, ut ad ea favorabiliter intendamus &c. (3). Dudum ſiquidem pro parte tunc Prioris, & Fratrum, Domus Beatę Marię de Rupe Banrię (4), Ordinis Fratrum Prędicatorum, nullius Diœceſis, Provincię Hiſpanię, ſecundum morem dicti Ordinis Regni Caſtellę, inter alia Nobis expoſito, quod ex certis cauſis, tunc expreſſis, Fratres dictę Domus, ut potuerant, in eadem Domo B. Marię literarum ſtudio, & ſcientiis intendunt, ac propterea dilectus filius Jo. de S. Maria, Frater dictę Domus, providere cupiens, ut locus ipſe viris literatis deſtinatus renominaretur (5) ſummam viginti millium Marapettinorum (6) monetę illarum partium annui redditus ex bonis a parentibus, ſive ſuę voluntati, diſtribuendis dimiſſis, & alias ex eleemoſynis requiſitis, provenientium, duobus ex Fratribus dictę Domus in univerſitate ſtudii Generalis Salamantin. aſſignare diſpoſuerat, ſi ſibi Sedis Apoſtolicę auctoritas ſuper hoc ſuffragaretur, Nos, tunc Prioris, & Fratrum prędictorum in ea parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, per alias noſtras literas ſtatuimus, & ordinavimus, quod poſtquam dictus Jo. ſummam viginti millium Marapettinorum dictę monetę annui redditus eidem Domui B. Marię legitime aſſignaſſet, ac dicti redditus, tales forent, quod dicti Prior, & Fratres, fructus, & redditus primi anni terrarum aſſignandarum hujuſmodi percepiſſent, exinde deinceps perpetuis futuris temporibus, Prior, & Fratres prędicti, nunc, & pro tempore in eadem Domo exiſtentes, duos ex Fratribus ſuis, ad hoc idoneos, & eruditos, qui in eadem Domo Beatę Marię, profeſſionem emiſiſſent, ſi qui in eadem Domo reperirentur, certo modo, tunc expreſſo, eligendos, ad Univerſitatem Studii Generalis Salamantin. & illorum ibidem expenſis, per ſeptennium, de neceſſariis circa hujuſmodi ſtudium, mittere, & eis providere, & elapſo dicto ſeptennio, ſubſequenter, de ſeptennio, in ſeptennium manutenere, etiam haberent, & ad hoc ſub excommunicationis latę ſententię pęna, quam contrafaciendo, eo ipſo incurrerent, tenerentur, prout in eiſdem literis deſuper confectis, plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris moderni, & tunc exiſtentium Fratrum dictę Domus, petitio continebat, dictus Jo., poſtmodum ſummam dictorum viginti millium Marapettinorum dictę monetę annui redditus aſſignaverit, & Prior, & Fratres prędicti eoſdem redditus perceperunt, & percipiunt, taleſque ſint, quod dictorum moderni Prioris, & Fratrum judicio, nunquam diminui poſſint, niſi propter notabilem negligentiam Prioris & Fratrum in eadem Domo pro tempore exiſtentium, timeantque modernus Prior, & Fratres, nunc in dicta Domo degentes prędicti, quod ſi ſucceſſu temporis, ob dictam cauſam, dictos redditus diminui, contingat, Prior, & Fratres pro tempore in eadem Domo degentes, ea occaſione, dictos Fratres, ad ſtudium non mittant, & conſequenter dicta Domus viris literatis paulatim deſtituta inveniretur, pro parte ipſorum moderni Prioris, & Fratrum, nunc in dicta Domo exiſtentium, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur modernum Priorem, & Fratres prędictos, ac eorum ſingulos, a quibuſcunque excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate apoſtolica ſupradicta, tenore prędentium, decernimus, quod etiam ſi contingat prędicta, vel quacunque alia cauſa, dictos redditus diminui, nihilominus, ex quo bona prędicta, ad effectum pręmiſſum, aſſignata fuerunt, ipſi Prior, & Fratres prędictę Domus, nunc, & pro tempore exiſtentes, ad manutenendos duos ex Fratribus dictę Domus, in dicta Univerſitate ſtudii Salamantin., alias juxta tenorem literarum noſtrarum prędictarum, teneantur, & obligati exiſtant non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, & Decreti infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Primo, Tertio Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Mandatum.

1. *Conventu.*) Conſulenda præcedentia Diplomata.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CCLXXIII fol.* 183.
3. *Intendamus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Banria.*) Sic amanuenſis. Legendum: *Franciæ*.
5. *Renominaretur.*) Id eſt celebris eſſet.
6. *Marapettinorum.*) Monetæ ſpecies eſt, de qua ſæpius dictum fuit.

De

De contributionibus (1) ſolvendis Provinciali Teutoniæ.

Anno 1501 Die 26 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXVIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

Nota.

PAſtoralis officii cura, quam, diſponente Domino, meritis licet inſufficientibus, gerimus, Nos admonet &c. (3). Dudum ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum, de vita communi nuncupatorum, Provincię Teutonię, juxta morem dicti ordinis, Nobis expoſito, quod olim dum ſuper electionem Provincialis dictę Provincię in Domo Eslinglen. (4) dicti Ordinis, Conſtantien. Diœceſis, Provincię Maguntin., Capitulum juxta morem prędictum celebraretur, & ſuper eadem electione in dicto Capitulo inter Fratres ejuſdem Ordinis, quorum aliqui, de dicta communi vita, alii vero de obſervantia nuncupabantur, diſcordia, ſive controverſia orta fuiſſet, & utraque pars pro ſe Provincialem habere contenderet, quondam Leonardus de Manſuetis, tunc Generalis Magiſter totius Ordinis prędicti, controverſiam, ſeu quęſtionem hujuſmodi decidendo, determinaverat, & ordinaverat, quod tunc electus in Provincialem per Fratres de Obſervantia nuncupatos, haberet Provincialatum, & eſſet Provincialis, ac electionem de eo factam confirmaverat, pro Religioſis vero utriuſque ſexus de vita communi nuncupatis, vicarium creaverat, & inſtituerat, ac vicarium hujuſmodi, & omnes ſibi commiſſos a viſitatione prędicti, & pro tempore exiſtentis, Provincialis exemerat, & deinde fel. recordationis Sixtus PP. IV Prędeceſſor noſter inſtitutionem dicti Vicarii per ſuas literas (5) in forma Brevis confirmaverat, & approbaverat, Nos tunc ipſorum Fratrum de vita communi nuncupatorum, in ea parte ſupplicationibus inclinati, determinationem, creationem, & ordinationem, inſtitutionem, confirmationem, & exemptionem, ac alia pręmiſſa, & prout ea concernebant, omnia, & ſingula, in ſingulis literis, deſuper confectis, contenta, Apoſtolica auctoritate approbavimus, & confirmavimus, ſupplevimuſque omnes, & ſingulos defectus, ſi forſan interveniſſent in eiſdem, & nihilominus pro potiori cautela Vicarium prędictum de novo inſtituimus, ac Vicarium pro tempore exiſtentem, ipſius Vicariatus, & ſingulos utriuſque ſexus ſibi commiſſos, a Juriſdictione Provincialis, & illius Capituli perpetuo exemimus, & totaliter liberavimus, ac ſoli Generali pro tempore exiſtenti, & ſuo Capitulo eadem auctoritate ſubjecimus, ſtatuimus, & ordinavimus, quod occurrente quotieſcunque vacatione dicti Vicariatus, Fratres de ipſo Vicariatu exiſtentes Vicarium libere eligere poſſent, & ipſius electionis confirmatio, ad Capitulum, aut pro tempore exiſtentem Magiſtrum Generalem dicti Ordinis pertineret, quodque Vicarius pro tempore exiſtens prędictus, conventiones, & Capitula ſibi commiſſorum celebrare, juxta formam, & ordinationes traditas a tunc Generali per ejus literas, omniaque, & ſingula alia, quę alii Vicarii ejuſdem Ordinis Hollandię & Lombardię Provinciarum, ſeu Provinciales in ſuis Provinciis, in ſuis ſubditis, & quę ipſi, de jure, & conſuetudine celebrabant, & exercebant, dictus Vicarius pro tempore celebrare, & exercere valeret, dummodo jura, & contributiones ſecundum ratam Domorum ſuarum debitas Generali, & Procuratori totius Ordinis legitime perſolverent, prout in eiſdem noſtris deſuper confectis literis plenius continetur, & poſtmodum, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris Provincialis, & Fratrum Provincię Teutonię, & Ordinis de Obſervantia nuncupatorum prędictorum, ſecundum morem ejuſdem ordinis, petitio continebat, cum Priores Domorum, ſive Conventuum Fratrum vitę communis, ſive Conventualium nuncupatorum, Provincię Teutonię, & Ordinis prędictorum, pretenderent, ſub dictę exemptionis pretextu, ſe exemptos fore a ſolutione contributionum, quas Priori Provinciali dictę Provincię Teutonię pro rata Domorum ſuarum juxta antiquam conſuetudinem perſolvere conſueverant, & dilecti filii Priores, Provinciales Provinciarum Lombardię, Bohemię, & Saxonię a Definitoribus tunc Capituli Generalis dicti Ordinis celebrati, deſuper electi, prævia examinatione, & diſcuſſione deſuper habita, etiam preſente tunc Vicario Fratrum Communis vitę dictę Provincię Teutonię, comperiſſent, omnes Priores dictarum Domorum dictę Provincię Teutonicę propter non ſolutionem dictarum Contributionum juxta ratam Domorum ſuarum, excommunicationis, & ſuorum officiorum, & omnium gratiarum, & privilegiorum dicti Ordinis, & tranſgreſſionis mandatorum pœnam incurriſſe, non obſervata exemptione prędicta, cum in Literis deſuper confectis, de exemptione hujuſmodi contribuentium quoad ipſum Provincialem nulla mentio fiat, & quia ex hujuſmodi contributione facienda pluribus perſonis, ac etiam dicto Ordini ſubvenitur, dilectus filius Vincentius Bandellus de Caſtronovo dicti Ordinis Magiſter Generalis (6) ex premiſſis, & aliis cauſis, cupiens Fratres dicti Ordinis, tam communis vitę, quam regularis obſervantię nuncupatos, pacifice, & quiete vivere, & volens dictis differentiis finem imponere, auctoritate officii ſui Generalatus, omnibus, & ſingulis Superioribus, ac preſentibus & futuris Conventuum, ſeu Domorum Fratrum Conventualium, ſeu communis vitę prędictę Provincię Teutonię per ſuas literas in virtute S. Obedientię pręcepit ſub excommunicationis ſententię latę pœna, quam ex tunc in eos promulgavit, ac ſub pœna abſolutionis ab Officiis eorum, & privationis omnium gratiarum, & privilegiorum dicti ordinis, ac tranſgreſſionis Mandati, per ſuas literas mandavit ex tunc, ut de cetero a notitia literarum ſuarum ſolverent integras Contributiones ex antiqua conſuetudine juxta ratam Domorum ſuarum debitas Provinciali dictę Provincię Teutonię pro tempore exiſtenti, ſicut ante dictam exemptionem perſolvere conſueverunt, ſub eiſdem cenſuris, etiam mandando prefato, & pro tempore exiſtenti Vicario dictę Provincię Teutonię vitę Conventualis, ſub abſolutionis ſeu privationis pœna a ſuo officio Vicariatus eo ipſo incurrenda, ne Priores Conventuales prędictos ſibi ſubjectos a ſolutione prędictarum contributionum quoquomodo retraheret, prout in literis ejuſdem Generalis, deſuper confectis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioris Provincialis, & Fratrum de Obſervantia dictarum Provinciarum (7) factis pro illo-

illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in prӕmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur controverſiis, & contentionibus, quę propter prӕmiſſa de novo evenire poſſent, quantum cum Deo poſſumus, occurrere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prӕceptum, & Mandatum Magiſtri Generalis hujuſmodi, ac ejus deſuper confectas literas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis, auctoritate Apoſtolica, tenore prę-
Confirmatio. ſentium, approbamus, & confirmamus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ac literas ipſas, & in ea contenta, tanquam legitime facta per dilectos filios modernos, & pro tempore exiſten. Priores dictarum Domorum, ſive dictorum Conventuum Fratrum Communis vitę, & Provincię Teutonię prӕdictorum perpetuo obſervari debere auctoritate, & tenore prӕdictis decernimus non obſtantibus prӕmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis &c. ceteriſque &c. Nulli ergo &c. noſtrę approbationis, confirmationis, ſuppletionis, & decreti infringere &c. Si quis &c. Datum Neptunę (8) Albanen. Dięceſis, Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Primo, Septimo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Contributionibus*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCLXVI fol.* 170.
3. *Admonet &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Eslinglen.*) *Eslingen.*, vulgo *Esling*, in *Germania*.
5. *Literas*.) Quӕ deſiderantur.
6. *Generalis*.) Creatus hoc anno *MDI.*
7. *Dictarum Provinciarum.*) Nonnihil deeſt, adderem: *Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prӕcepto ac mandato per eundem Magiſtrum Generalem.*
8. *Neptunę*.) *Neptunii*, vulgo *Nettuno*, in *Latio*.

Anno 1501 Die 30 Octobris.

De Miſſa Venetiis a Fratribus Cœnobii SS. Johannis, & Pauli celebranda in crepuſculo noctis Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CXIX.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus SS. Johannis, & Pauli Venetiarum Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXpoſcit veſtrę devotionis ſinceritas, & Religionis promeretur honeſtas, ut votis veſtris, illis prӕſertim, quę ex devotionis fervore prodire conſpicimus, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod Nos, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis ut de cetero perpetuis futuris temporibus in vigilia Nativitatis D. N. J. C. Miſſam, quę in nocte Nativitatis ejuſdem D. N. J. C. celebrari conſuevit, & ad quam, ut aſſeritis, plures Chriſti fideles devotionis cauſa, & libentius in crepuſculo noctis hujuſmodi, prout in aliquibus Eccleſiis, ad audiendam accedunt, Civitatis Venetiarum, ex indulto Apoſtolico, eis, & prӕfatis (2) Fratribus Domus, & Vineę Ordinis Fratrum Minorum, & Eccleſię S. Johannis de Rivo alto, quę Venetiarum, ut aſſeritis, etiam per Nos conceſſo, celebrentur, celebrare libere, & licite valeatis, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque gratiis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore prӕſentium concedimus, & indulgemus. Nulli ergo omnino liceat contra hanc conceſſionem, & indultum venire, vel eam infringere. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Primo, Tertio Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCLXXI fol.* 256.
2. *Prӕfatis*.) Hinc aliquid deeſſe liquet. Et ſane quӕ ſequuntur, mutila videntur. Sic fortaſſis legendum: *Plures Chriſti fideles, devotionis cauſa, & libentius in crepuſculo noctis hujuſmodi audiendam accedunt, prout in aliquibus Eccleſiis Civitatis Venetiarum ex indulto Apoſtolico eis, nec ſecus, ac Fratribus Domus etiam Venetiarum Ordinis Fratrum Minorum, & Eccleſia S. Johannis de Rivo alto prӕfata Civitatis Venetiarum, ut aſſeritis, etiam per Nos conceſſo, celebratur, celebrare libere, ac licite valeatis.*

Anno 1502 Die 4 Januarii.

Corregienſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXX.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Regien., & dilectis filiis Archidiacono, & Gaſparino de Lanceis Canonico Eccleſię Regien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUm ad fructus uberes, quos Ordo Fratrum Prędicatorum in Domo Domini produxit &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Nicolai, Borſii, &
Diplomatis cauſa. Giliberti de Corrigia, Terrę Corrigię (4) Regien. Dięceſis, in temporalibus Dominorum (5), petitio continebat, quod ipſi, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum regularis obſervantię Congregationis Lombardię gerunt devotionis affectum, unam Domum in loco in Campo nuncupato territorii ejuſdem terrę dictę Dięceſis, loco utique ad hoc apto, & idoneo, pro perpetuis uſu, & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis, obſervantię, & Congregationis prędictorum, conſtrui, & ędificari facere ſummopere cupiunt, & ſi S. Petri, & S. Bartholomęi Eccleſię territorii, & Dięceſis prędictorum, quę de jurepatronatus ipſorum Nicolai, Borſii, & Giliberti, & pro tempore exiſtentium dictę terrę in temporalibus Dominorum, exiſtunt, Sacriſtię Eccleſię ejuſdem Domus pro illius Eccleſię, &

Do-

Domus bujuſmodi luminaribus, ac pro Prioris pro tempore exiſtentis, & Fratrum dictę Domus ſuſtentatione, perpetuo unirentur, annecterentur, & incorporarentur, ex hoc profecto in dicta Domo Religio propagaretur, & in illius Eccleſia hujuſmodi divinus cultus augmentaretur, ac Chriſti fideles terrę, & territorii prędictorum ex dictorum Fratrum exemplari vita, & ſalubribus documentis pro animarum ſuarum ſalute ſalubria monita reciperent. Quare pro parte Nicolai, Borſii, & Giliberti prędictorum, aſſerentium S. Petri, & S. Bartholomęi Eccleſiarum, quinquaginta florenorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedere, ac Sacriſtię prędictarum, fructus, redditus, & proventus, pręter iſtos, tempore unionis hujuſmodi, nullos futuros eſſe, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Nicolao, Borſio, & Gilberto in dicto loco, nnam Domum, cum Eccleſia, campanili bumili, campana, cęmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu, & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis, Obſervantię, & Congregationis prędictorum, qui ſub cura, & gubernatione, correctione, & ſuperioritate, Vicarii Generalis pro tempore exiſtentis Domorum, ſeu Conventuum reformatorum utriuſque Lombardię dicti Ordinis exiſtant, conſtrui, & ędificari faciendi, ac dictis Fratribus, illam pro eorum uſu, & habitatione hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, ac S. Petri, & S. Bartholomęi Eccleſias prędictas eidem Sacriſtię perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod ſemper in unionibus vocarentur, quorum intereſſet, eoſdem Nicolaum, Borſium, & Gilibertum a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi ita eſt, eidem Nicolao, Borſio, & Giliberto, in dicto loco, unam Domum cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu, & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis, Obſervantię, & Congregationis prędictorum, qui ſub cura, gubernatione, correctione, & ſuperioritate dicti Vicarli pro tempore exiſtentis, exiſtant, ſine alicujus prejudicio conſtrui, & ędificari faciendi, ac Fratribus prędictis illam pro eorum uſu, & habitatione hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, ac, quę ſine cura ſint, S. Petri, & S. Bartholomęi Eccleſias prędictas cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, dummodo Nicolai, Borſii, & Giliberti prędictorum, ad hoc expreſſus accedat aſſenſus, eidem Sacriſtię perpetuo unire, annectere, & incorporare auctoritate noſtra curetis, ita quod cedentibus, vel decedentibus ſimul, vel ſucceſſive, dictorum S. Petri, & S. Bartholomęi Rectoribus, ſeu illas alias quomodolibet dimittentibus, liceat Priori, & Fratribus pro tempore exiſtentibus dictę Domus per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem S. Petri, & S. Bartholomęi Eccleſiarum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, poſſeſſionem propria auctoritate, libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac illarum fructus, redditus, & proventus pro luminaribus Sacriſtię, & Domus, ac Prioris, & Fratrum prędictorum ſuſtentatione duntaxat convertere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore pręſentium concedi, contigerit, dictę Domui, ac Priori, & Fratribus in ea pro tempore commorantibus, quod omnibus, & ſingulis privilegiis &c. quibus alię Domus, & illarum Fratres Ordinis, obſervantię, & Congregationis prędictorum, in genere utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum uti, potiri, & gaudere, libere, & licite valeant, concedimus per pręſentes, jure tamen Parochialis Eccleſię, ſemper ſalvo, non obſtantibus voluntate noſtra prędicta, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, qua prohibetur, ne quivis Ordinum Mendicantium Fratres, nova loca &c. & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi &c. literas impetrarunt &c. ad dictas S. Petri, & S. Bartholomęi Eccleſias, volumus non extendi &c. & quibuslibet aliis privilegiis &c. & de quibus &c. habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Proviſo quod dictę S. Petri, & S. Bartholomęi Eccleſię propter unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi, debitis non fraudentur obſequiis &c. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Primo (6), Pridie Nonas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Facultas.

1. *Corregien.*) Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*.
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, authenticum unum ex Autographo *Corrigien.*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Libro CCXXX fol.* 269.
3. *Produxit &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Corrigia.*) *Corregii*, vulgo *Corregio*, in *Longobardia*.
5. *Dominorum.*) Nunc juris eſt Ducis *Mutinen.*
6. *Quingenteſimo Primo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDII*.

Anno 1502 Die 19 Martii.

Quædam in gratiam Valliſoletani (1) Collegii ſancita firmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, per Priorem ſoliti gubernari, Monaſterii Sancti Auguſtini, & Scholaſtico Eccleſię Beatę Marię de Valleoleti, Palentin. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

AD ea, per quę Eccleſiarum, & Monaſteriorum, ac Religioſorum locorum omnium &c. (3) Dudum ſiquidem a felicis recordationis Paulo PP. II Prędeceſſore noſtro emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Paulus &c. & deinde exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Rectoris, & Scholarium Collegii Sancti Gregorii Oppidi Valleoleti, Palentin. Diœceſis, ac majoris, & aliorum Capellanorum Capellę dicti Collegii, petitio continebat, quod alias dilecti filii Prior, & Fratres Domus Sancti Pauli dicti Oppidi Ordinis Fratrum Prędicatorum reformatorum, de licentia tunc Vicarii Generalis Provincię Caſtellę dicti Ordinis, ſecundum morem ipſius Ordinis, ſervatis juris ſolemnitatibus bonę memorię Alfonſo (4) Epiſcopo Palentin., qui in reparatione dictę domus, cujus magna pars ſtructurarum, & ędificiorum labefacta ruinam minabatur, valorem, ſeu ſummam triginta millium ducatorum de ſuis redditibus expoſuerat, multa ędificia in dicta domo ſolemniter conſtruxerat, quod dictum Altare, Capellam Crucifixi nuncupatum, in Eccleſia dictę domus fundatum pro ipſius Alfonſi Epiſcopi cum ab hac luce migrare contingeret ſepultura reficiendam, rędificandam, conſtruendam, & depingendam, ac tumulo eminenti, & rebus aliis neceſſariis, ut pręfati Capellani, & Scholares divinum officium, & Miſſas in ea ſolemniter celebrare poſſent, fabricandam, & ornandam, ac certum ſolum prope dictam Capellaniam, & domum hujuſmodi conſiſtens, & ad dictam domum legitime pertinens, pro conſtructione, & ędificatione dicti Collegii, quod idem Alfonſus Epiſcopus pro viginti Fratribus dicti Ordinis, qui inibi literis continue vacarent, magnis ſumptibus, & expenſis tunc conſtruere, & ędificare intendebat, libere, & irrevocabiliter conceſſerunt, & deinde quondam Johannes Currias (5), qui tunc erat, & dilectus filius Vincentius de Caſtronovo modernus dicti Ordinis Generales Magiſtri, conceſſionem hujuſmodi approbarunt, & confirmarunt, prout in Inſtrumentis publicis, ſeu ſcripturis authenticis, deſuper confectis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Rectoris, & Scholarium, ac Capellanorum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni hujuſmodi pro illius ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam ſervata forma literarum Pauli Prędeceſſoris hujuſmodi, ſpecificatoque prius coram vobis dicto ſolo, ac vocatis Priore, & Fratribus prędictis, ac aliis vocandis, de conceſſione hujuſmodi, &, ſi illa in evidentem dictę domus ceſſerit, & cedat utilitatem, vobis conjunctim procedentibus, legitime conſtiterit, conceſſionem eandem, & prout illam concernunt omnia, & ſingula in Inſtrumentis, & ſcripturis hujuſmodi contenta, auctoritate noſtra approbetis, & confirmetis, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Primo (6), Quarto decimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Mandatum.

1. *Valliſoletani.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCLXXVII fol.* 167.
3. *Omnium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Alfonſo.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Sixti IV.*
5. *Johannes Currias.*) Sic amanuenſis: legendum: *Joachinus Turrianus* Magiſter Generalis, cui ſucceſſit *Vincentius Bandellus*, ex patria *de Caſtronovo* nuncupatus.
6. *Quingenteſimo Primo.*) Stylo Bullarum, ęra communis *MDII.*

Anno 1502 Die 24 Maii.

Sanſeverinen. (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Theſaurario, & Cantori Cuſentin. ac Franciſco Arcerſii Canonico Catanzanen., Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

IN Apoſtolicę dignitatis ſpecula, divina diſpoſitione conſtituti, ad ea, quę pro ſtatu proſpero &c. (3). Sane pro parte dilectorum filiorum moderni Pręſidentis, & Fratrum Domus Annunciatę S. Severinę, Ordinis Fratrum Prędicatorum, de Obſervantia nuncupatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum alias venerabilis Frater noſter Alexander (4) Archiepiſcopus S. Severinę quandam Eccleſiam ſub invocatione Annunciatę, ſitam in Civitate ejuſdem S. Severinę, in loco, qui dicitur Porta nova, & dilecti filii pręfatę civitatis Communitas, nonnullas Domos, & terrenum eidem Eccleſię contigua Pręſidenti, & Fratribus prędictis pro conſtructione unius Domus pro nonnullorum dicti Ordinis Fratrum perpetuis uſu, & habitatione donaſſent, & conceſſiſſent, ac Pręſidentes, & Fratres Domus Annunciatę prędictę donationis hujuſmodi vigore, prout juxta eorum privilegia, pręfato Ordini a Sede Apoſtolica conceſſa, poterant, terrenum, & Domos donata acceptaſſent, & ibidem pro pręmiſſis eorum uſu, & habitatione unam domum cum dormitorio, & nonnullis aliis officinis, ſatis ſumptuoſo ędificio conſ-

conſtruî cepiſſent, pro parte Preſidentis, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationi, & conceſſioni prędictis, pro illarum majoris roboris ſubſiſtentia, Apoſtolicę confirmationis robur adiicere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui inter ceteros Ordines in agro Domini plantatos, dictum Ordinem Fratrum Prędicatorum de obſervantia, claris ſuis exigentibus meritis, continuis miniſteriis caritatis, ac ipſius propagationem, & divini cultus augmentum, noſtris maxime temporibus ubique vigere, ſinceris deſideriis exoptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam de pręmiſſis vobis legitime conſtiterit, donationem, & conceſſionem prędictas, auctoritate noſtra confirmetis, & approbetis, & nihilominus eiſdem Pręſidenti, & Fratribus, ut inceptam Domum per eos prędictam ad debitum finem reducere libere, & licite valeant, licentiam, & facultatem eadem auctoritate elargiamini, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, & ſine cujuſpiam prę judicio, non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne cujuſvis Mendicantium Ordinis profeſſores, in aliqua civitate, vel villa &c. & aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Secundo, Nono Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Facultas.

Fratrum commendatio.

1. *Sanſeverinen.*) In *Calabria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib.CCLXXVII *fol.*303.
3. *Proſpero &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Alexander.*) Conſulendus *Ughellus in Archiepiſcopis S. Severinæ*.

Caucenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1502 Die 5 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXXIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii Sancti Saturnini extra, & Priori, ac Cantori Secularis, & Collegiatę Eccleſię Sancti Antonii intra muros oppidi de Medina del Campo, Salamantin. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

A Supremo Patre familias in domo Domini, meritis quanquam inſufficientibus, diſpenſatores effecti, nunquam pias teſtantium voluntates &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Alfonſi de Fonſeca, Domini de Coca, & Alvejos, oppidorum Segobien., & Salamantin., Dięceſum, petitio continebat, quod olim bonę memorię Alfonſus Archiepiſcopus Hiſpalen., dum in humanis ageret, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, inter alias in ejus ultima voluntate diſpoſuit, & ordinavit, ut corpus ſuum, poſtquam ab hac luce deceſſiſſet, in quadam Capella per eum ordinata in Eccleſia domus Sancti Elefonſi (4) oppidi de Toro (5) Ordinis Fratrum Prędicatorum, Zamoren. Dięceſis, quę poſtea juxta ordinationem hujuſmodi ſumptuoſo, & magnifico ędificio, conſtructa fuit, ſepeliretur, & in medio dictę Capellę poneretur ejus imago ex alabaſtro, & quod in eadem Capella perpetuis futuris temporibus deputarentur duodecim Capellani Seculares ad nutum Domini dictorum oppidorum, pro tempore exiſtentis, ponendi, & amovendi, quorum unus Capellanus major nuncuparetur, & aliis prę eſſet, alius vero Sacriſta eſſet, ipſeque Sacriſta duos ſervitores ad officia Sacriſtię hujuſmodi neceſſaria exercenda ſecum habere deberet, necnon una miniſtra pro miniſterio luminarium ad Altare dictę Capellę, ipſique Capellani pro ſe & defunctorum ſuorum animarum ſalute ſingulis diebus duas Miſſas cum cantu, & certo reſponſorio, ac aliis divinis officiis ſub certis modo & forma, tunc expreſſis, celebrare tenerentur, emerenturque pro eorum, ac ſervitorum & miniſtrę ſuſtentatione, necnon Capellę hujuſmodi manutentione, & aliis inibi neceſſariis ex pecuniis per eum relictis, annui redditus octuaginta quinque millium morapetinorum, certo etiam tunc expreſſo modo diſtribuendorum, quodque interea donec annui redditus hujuſmodi emerentur, tenerentur ejus hęres, & Dominus dictorum locorum, ſummam octuaginta quinque millium morapetinorum hujuſmodi annis ſingulis ad pręmiſſa perſolvere, & poſt obitum ejuſdem Archiepiſcopi certę naves, & quędam Sacriſtia, necnon Bibliotheca, in domo prędicta conſtruerentur, & in dicta Bibliotheca ponerentur omnes libri pręter libros Capellę ſuę, quos idem Alfonſus Archiepiſcopus habebat, & quod die, qua ejus corpus ſepeliretur, & per novem ac triginta dies, & in fine anni, fierent exequię conſuetę juxta conſuetudinem dicti oppidi de Toro, prout videretur executoribus ſuis convenire ſtatui ſuo, ac Miſſalia, & Breviaria, & alios omnes libros Capellę ſuę dictę Capellę conſtruendę reliquit, quodque ex omnibus ornamentis dictę ſuę Capellę executores ſui pręfati caperent omnia ornamenta, ac cruces, & calices dictę Capellę conſtruendę neceſſaria, & illa eidem Capellę aſſignarentur, ac quod fieret offertorium biennale panis, vini, & cerę in forma & quantitate per ejus hęredes ordinandis, ac darentur duo millia morapetinorum perſonę quę deferret dictum offertorium biennale, & quod omnes Religioſi quorumcunque Ordinum dicti oppidi diebus obitus ſui, & aliarum exequiarum hujuſmodi, dicerent Miſſas & vigilias cum Reſponſoriis, & eis conſuetum ſalarium daretur. Et inſuper mendavit, dotari duas Capellanias, quod in una quatuor, & alia hebdomada tres Miſſas per quatuor Capellanos in Parochiali Eccleſia de Coca in Eccleſia hujuſmodi celebrarent, & cuilibet ex dictis quatuor Capellanis mille morapetinos reliquit, prout in quodam publico Inſtrumento deſuper confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat corpus hujuſmodi non in dicta Capella Sancti Elefonſi de Toro ſed in dicta Eccleſia de Coca, ubi dictus Archiepiſcopus obiit a tempore obitus ejuſdem Archiepiſcopi, videlicet viginti octo annorum, vel circa, & de pręſenti ſepultus exiſtit, ac dilecti filii Prior, & Fratres dictę domus, quę ſub regulari obſervantia exiſtit, aſſerentes ſtatuta, regularia dicti Ordinis non permittere, ut Clerici ſeculares in Eccleſiis ſuis, aut domorum ejuſdem Ordinis aliquas Capellanias obtineant, ſeu de-

Diplomatis cauſa.

Nota.

deſerviant, quodque Miſſę & alia divina officia hujuſmodi in eadem Capella propter ejus cum Altari majore Eccleſię domus hujuſmodi contiguitatem abſque magno divinorum per eoſdem Fratres, qui ad obſervantiam regularem reformati fuerunt, ad dictum Altare celebrandorum, impedimento, celebrari non poſſent, Capellanos prędictos inibi deputari non permiſerint, & licet Capella prędicta in Eccleſia domus hujuſmodi opere ſumptuoſo Alfonſi Archiepiſcopi, & Alfonſi de Fonſeca prędictorum, naves vero prędictę non Archiepiſcopi, nec Alfonſi de Fonſeca, ſed alterius perſonę ſumptibus, & expenſis coſtructę fuerunt, tamen adhuc voluntas dicti Teſtatoris quoad conſtructionem Sacriſtię & Bibliothecę prędictarum & deputationem Capellanorum, ſervitorum, & miniſtrę, ac aſſignationem octuaginta quinque millium morapetinorum, & delationem offertorii, ac aſſignationem librorum crucium, & calicum, & ornamentorum hujuſmodi, ac quoad exequias prędictas minime adimpleta fuerint, ac etiam non reperiantur quatuor Capellani, volentea celebrare dictas Miſſas in pręfata Eccleſia Beatę Marię de Coca pro dictis quatuor millibus morapetinis, & idem Alfonſus de Fonſeca, deſiderans quod voluntas dicti Teſtatoris adimpleatur, a duobus annis citra numerum dictorum duodecim Capellanorum ad celebrandas Miſſas, & alia divina officia hujuſmodi per dictum Archiepiſcopum ordinata, in pręfata Eccleſia B. Marię de Coca, ubi dictum corpus ſepultum exiſtit, ut prefertur, deputaverit, cupiatque pro conſcientię ſuę ſecuritate, ac ejuſdem Archiepiſcopi animę ſalute, Religioniſque propagatione, ac divini cultus augmento in dicto oppido de Coca, ubi nullum Monaſterium exiſtit, unam domum cum Eccleſia & aliis officinis neceſſariis prędicti, aut alterius Ordinis pro duodecim Fratribus ad minus, aut unam Eccleſiam ſecularem pro duodecim Capellanis, qui miſſas, & alia divina officia, alias juxta voluntatem dicti Teſtatoris celebrare tenerentur, conſtrui, & ędificari, ſeu erigi, aut jam erectam ampliari, aut reędificari facere, & ſi eidem Alfonſo de Fonſeca domum, aut Eccleſiam ſecularem hujuſmodi conſtruendi, ędificandi, & erigendi, aut illam ampliandi & reędificandi, licentia concederetur, & fructus octuaginta quinque millium morapetinorum per dictum exponentem, dicti Teſtatoris hęredem, a tempore obitus pręfati Teſtatoris hactenus percepti, & debiti, ea quę ſuperſunt, ac pecunię expoſitę in Capella, & exponenda in navium, Sacriſtię, & Bibliothecę prędictarum conſtructione, ac exequiis, & offertorio, necnon pretium librorum Bibliothecę, & Capellę ac ornamentorum crucium, & calicum, Capellę dicti Teſtatoris in fabricam alterius domus, ſeu Eccleſię ſecularis hujuſmodi converterentur, & compenſarentur, & alii cenſus, ſive redditus annuales dictorum octuaginta quinque millium morapetinorum emendi, & aſſignandi domui, aut Eccleſię Seculari hujuſmodi conſtruendę pro inſtitutione Capellanorum, & aliis oneribus prędictis ſupportandis, perpetuo applicarentur, & appropriarentur, profecto dictus Alfonſus de Fonſeca id quod hactenus in Miſſarum, & divinorum celebratione, & ędificiorum prędictorum conſtructione exponendum fuiſſet, & longe ultra, in conſtructione & ędificiis per eum faciendis hujuſmodi exponeret, & redditus prędictos eidem domui aut Eccleſię ſeculari aſſignaret, ex quo divini cultus augmento, & religionis propagationi, ac univerſorum habitatorum dicti oppidi de Coca conſolationi, ac eorum & Archiepiſcopi, & Alfonſi, de Fonſeca prędictorum animarum ſaluti conſuleretur, ac voluntas teſtatoris quoad celebrationem miſſarum, & aliorum divinorum officiorum hujuſmodi adimpleretur. Pro parte dicti Alfonſi de Fonſeca Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut totum id, quod ad miſſarum, etiam quas quatuor Capellani in dicta Eccleſia de Coca dicere tenebantur, ſi aliquę omiſſę fuerint, ac exequiarum, & aliorum divinorum officiorum celebrationem, necnon in offertorio hujuſmodi exponendum erat, ac annuos redditus dictorum octuaginta quinque millium morapetinorum a tempore obitus dicti Teſtatoris per eundem Alfonſum exponentem perceptorum debitorum pro inſtitutione duodecim Capellanorum, ſervitorum, & Miniſtrę prędictorum per dictum Teſtatorem relictorum, ac quicquid erat exponendum in navium, Sacriſtię, & Bibliothecę hujuſmodi, & quod fuit expoſitum in Capella prędictorum conſtructione, ac Offertorio, ac pretium librorum bibliothecę & Capellę Teſtatoris hujuſmodi, ac ornamentorum, & crucium hujuſmodi, cum expenſis in conſtructione, ſeu ampliatione, aut reędificatione domus, vel Eccleſię ſecularis conſtruendę hujuſmodi faciendis, quę, ut prefertur, majores erunt, compenſare, ac ſibi aliam domum pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum prędicti, vel alterius Ordinis regularis obſervantię, inter quos ad minus duodecim Presbyteri exiſtant, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, ac aliis officinis neceſſariis, ſeu unam Eccleſiam ſecularem pro duodecim presbyteris, & duobus ſervitoribus, ac una miniſtra, qui alias juxta voluntatem dicti Teſtatoria Miſſas & alia divina officia celebrent, & decantent, ac deſerviant, & eidem Capellano majori in his, quę celebrationem, & decantationem hujuſmodi, & gubernationem dictę Eccleſię concernunt, juxta voluntatem dicti Teſtatoris, obediant, conſtrui, & ędificari faciendi, aut aliquam Eccleſiam conſtructam, etiam Parochialem Eccleſiam ampliandi, ſeu reędificandi, illique annuos redditus prędictos perpetuo applicandi, & appropriandi, Religioſiſque cujuſlibet Ordinis, pro quo domus hujuſmodi conſtructa fuerit, recipiendi, & perpetuo inhabitandi, ac dictas Miſſas in pręfata Eccleſia B. Marię per quatuor Capellanos celebrandas per unum Capellanum duntaxat, qui dicta quatuor millia morapetinorum percipiat, celebrari faciendi, facultatem concedere, ac voluntatem dicti Teſtatoris etiam quoad hoc commutare, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, dictum Alfonſum de Fonſeca a quibuſcunque excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam vocatis dictis Priore, & Fratribus domus, necnon dilecto filio moderno Rectore Eccleſię de Coca hujuſmodi, & aliis, qui fuerint evocandi, de premiſſis Nobis expoſitis, vobis legitime conſtiterit, totum id, quod in miſſarum, etiam quas quatuor Capellani in dicta Eccleſia de Coca dicere tenebantur, ſi aliquę omiſſę fuerint, & aliorum divinorum officiorum celebratione, ac annuos redditus dictorum octuaginta quinque millium morapetinorum a tempore obitus dicti Teſtatoris per eundem Alfonſum de Fonſeca perceptorum, & debitorum pro inſtitutione duodecim Capellanorum, ſervitorum, & miniſtre prędictorum per dictum Teſtatorem relictorum, ac quicquid erat expenendum, in navium, Sacriſtię, & Bibliothecę hujuſmodi, & quod fuit expoſitum in Capellę prędictorum conſtructione, ac offertorio, necnon pretium librorum Bibliothecę, & Capellę,

Facultas.

ac

ac ornamentorum, crucium, & Capellę Teſtatoris hujuſmodi, cum expenſis in conſtructione, ſeu ampliatione, aut reędificatione domus, vel Eccleſię ſecularis conſtruendę hujuſmodi faciendis compenſandi, & ſibi aliam domum pro uſu & babitatione perpetuis Fratrum prędicti, vel alterius Ordinis regularis obſervantię, inter quos ad minus duodecim presbyteri exiſtant, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, & hortalitiis, ac aliis officinis neceſſariis, ſeu unam Eccleſiam ſecularem pro duodecim presbyteris, & duobus ſervitoribus, ac una miniſtra, qui alias juxta voluntatem dicti Teſtatoris Miſſas, & alia divina officia celebrent, & decantent, ac deſerviant, & eidem Capellano majori in bis, quę ad celebrationem, & decantationem bujuſmodi, & gubernationem dictę Eccleſię concernunt, juxta voluntatem dicti Teſtatoris obediant, ſine alicujus prędjudicio conſtrui, & ędificari faciendi, aut aliquam Eccleſiam conſtructam, etiam Parochialem Eccleſiam ampliandi, ſeu reędificandi, illique annuos redditus prędictorum perpetuo applicandi, & appropriandi, religioſiſque cujuslibet Ordinis, pro quo domus hujuſmodi conſtructa fuerit, illam recipiendi, & perpetuo inhabitandi, ac dictas Miſſas in prętata Eccleſia B. Marię per quatuor Capellanos celebrandas per unum Capellanum duntaxat, qui dictę Domus, ſeu Eccleſię conſtruendę bujuſmodi, cum officinis, & babitationibus neceſſariis pro Fratribus, ſeu Capellanis, ac ſervitoribus, & aliis miniſtris, ita brevi tempore perfici non poterit, eidem Alfonſo de Fonſeca tempus octo annorum ad domum ſeu Eccleſiam hujuſmodi perficiendum & alia pręmiſſa exequenda, etiam concedere, & dicti Teſtatoris voluntatem quoad pręmiſſa commutare, auctoritate noſtra curetis. Et nihilominus eidem Alfonſo de Fonſeca in pręmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, faciatis eum licentia, & facultate hujuſmodi pacifice gaudere, non permittatis eum per quoſcunque deſuper indebite moleſtari. Contradictores &c. non obſtantibus pręmiſſis ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, inter alia prohibente, ne quivis Ordinis Mendicantium Fratres in aliqua Civitate &c. nova loca ad inhabitandum recipere pręſumant &c. & alia, qua cavetur, ne quis extra ſuam civitatem, vel Dięceſim &c. ſeu ne judices &c. & quibuſvis aliis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nos enim, ſi licentiam domum conſtruendi per vos concedi contingat, domui ſie conſtructę, ac Priori, & aliis ejus Fratribus in ea pro tempore degentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus &c. aliis domibus Ordinis &c. conceſſis, & concedendis, uti, potiri, & gaudere poſſint auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus, & indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię &c. ſalvo. Aut ſi Priori, & Fratribus primo dictę domus &c. ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici &c. non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes &c. de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Secundo, Nonis Novembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

s. *Caucenſis.*) Vulgo *Coca*, in *Caſtella veteri*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. CCCV fol. 112.
3. *Voluntates &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Eleſonſi.*) Seu *Idelſonſi*, aliis *Ildeſonſi*.
5. *Toro.*) Seu *Tauren*.

De novo Monaſterio Papienſi (1) fundando.

Anno 1502 Die 20 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXIV.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prępoſito Papien., & Archipresbytero S. Petri Claſtigii Placentin. Eccleſiarum, in Civitate Papien. commoranti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem,

IN Apoſtolicę dignitatis ſpecula, divina diſponente clementia conſtituti, ad ea, quę pro ſtatu proſpero Monaſteriorum &c. (3) Sane exbibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum, Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Hieronymi, loci Balaii, Ordinis S. Auguſtini, ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum ſub regulari obſervantia viventium, Papien. Dięceſis, petitio continebat, quod ipſę cupientes babere unum locum in Civitate Papien. pro inſtitutione unius alterius Monaſterii ſub ſimili regulari obſervantia viventium, ut inibi Domino famulari poſſent, & a pluribus perſonis, ad dictum Ordinem ſpecialem devotionis affectum gerentibus, ſuper hoc requiſitę fuiſſent eum dilecto filio Antonio de Ratis, Canonico Eccleſię S. Johannis in burgo Papien., qui Parochialem Eccleſiam S. Marci Papien. Canonicatui, & Prębendę ejuſdem Eccleſię S. Marci, quos ipſe tunc obtinebat perpetuo unitam, ſeu pro Prębenda dicti Canonicatus aſſignatam, poſſidet, etiam de conſenſu dilectorum filiorum moderni Prępoſiti, & trium aliorum Canonicorum ex octo Canonicis dictę Eccleſię Sancti Johannis, ſalvo Sedis Apoſtolicę beneplacito, convenerunt, & concordarunt, quod ſi ipſa Priorisſa, & Conventus prętato Antonio, aliam Domum, ſeu alias Domos ęquivalentes pro Domo, ſeu Domibus ad dictam Eccleſiam S. Marci, ſeu Canonicatum, & Prębendam prędictos, & in quibus ipſe Antonius inhabitat, eidem Antonio aſſignarent, prętatus Antonius Domus hujuſmodi, ad Eccleſiam S. Marci pertinentes, eiſdem Priorisſę, & Conventui pro conſtructione unius alterius Monaſterii, Ordinis, & obſervantię prędictorum, ac Capellam magnam dictę Eccleſię S. Marci pro divinis officiis diurnis pariter, & nocturnis per Priorisſam, & Moniales dicti Monaſterii erigendi pro tempore exiſtentes, celebrandis, & decantandis, concedere teneretur, & quod in eadem Capella corpora Priorisſę, & Monialium pro tempore decedentium duntaxat, & non aliorum abſque conſenſu dicti Antonii, & pro tempore exiſtentis Canonici ejuſdem Eccleſię S. Johannis, dictam Eccleſiam S. Marci pro tempore obtinentium, ſepeliri, & etiam in aliqua parte muri, ſeu parietis dictę Eccleſię S. Marci, unam feneſtram ad rotam muratam, ut exinde petentibus reſponderent, fieri facere, ac vineas dictę Eccleſię S. Marci, domos, & ſedimina pro habitatione Priorisſę, & Monialium prędictarum, ſeu etiam pro hujuſmodi jam de novo conſtruendo, ſeu erigendo Monaſterio, neceſſarias, & opportunas, quocunque tempore, etiamſi Domus ipſę emphyteuſę, vel

Diplomatis cauſa.

vel Cenſuales dictę Eccleſię S. Marci fuerint, ſeu alias ad illam, vel dictam Eccleſiam S. Johannis pertineant, emere, ac domos, & ſedimina a ſolutione canonis hujuſmodi, dando alia bona immobilia ęquivalentia, ſeu cenſus annuos, etiam ęquivalentes, ita quod poſtmodum ad dictum erigendum Monaſterium, pleno jure pertinerent, liberare poſſent, ita tamen quod Prioriſſa, & Moniales pręfatę teneantur ſingulis annis in Feſto S. Marci dare eiſdem Prępoſito, & Capitulo dictę Eccleſię S. Johannis duas libras cerę, & unam libram thuris, & duodecim ſolidos imperiales, videlicet unum Prępoſito, & alios octo aliis ſingulis octo Canonicis, & alium Sacriſtę dicti S. Johannis, & duos ſolidos illi qui cantabit Miſſam magnam in dicta Eccleſia, & in Feſto ejuſdem S. Marci, quodque ad pręfatam Eccleſiam S. Marci perſonaliter accedere, ibique primas, & ſecundas veſperas dicti Feſti S. Marci, ac Miſſam ſolemnem cantare tenerentur, & quod Prioriſſa, & Moniales prędictę in eadem Capella non poſſent celebrari facere exequias, ſine licentia, & participatione Prępoſiti pro tempore exiſtentis, & Canonicorum dictę Eccleſię S. Johannis, neque etiam habere aliquem alium Capellanum, qui eis Miſſas, & alia divina officia celebraret, niſi Rectorem dictę Eccleſię S. Marci, ſeu Canonicum dictę Eccleſię S. Johannis, qui ratione ſua prędicta ipſam Eccleſiam S. Marci pro tempore obtineret, quodque legata, quę pro tempore fierent eidem Eccleſię S. Marci, eſſent Rectoris dictę Eccleſię S. Marci pro tempore exiſtentis, & quod ſi Prioriſſa, & Moniales aliquo tempore procurarent aliquas conceſſiones, ſeu diſpenſationes, aut gratias, vel indulta quęcunque contra formam, & tenorem pręmiſſarum conventionum, ex tunc privatę eſſent omnibus juribus, quę vigore hujuſmodi conventionum habere contingeret, quodque pręmiſſorum omnium confirmatio, & approbatio, expenſis dictarum Monialium a Sede Apoſtolica obtinerentur, & impetrarentur, prout in quodam Inſtrumento publico, ſeu aliis ſcripturis deſuper confectis, plenius dicitur contineri. Et, ut eadem petitio ſubjungebat, cum Prioriſſa, & Moniales pręfatę, Monaſterium, quod inhabitant de pręſenti, cum ſit extra muros Papien., cuperent pro majori earum decentia, & commoditate, illud, de novo in Civitate Papien. erigendo, Monaſterio perpetuo uniri, annecti, & incorporari, pro parte Prioriſſę, & Conventus, ac Hilarii, de Guidebonis moderni Prępoſiti, ac trium aliorum Canonicorum prędictorum, aſſerentium majorem partem Capituli dictę Eccleſię fore, & prędicta ad dictorum utilitatem cedere, ut conventioni prędictę, ac prout illam concernunt, omnibus, & ſingulis in dicto Inſtrumento, ſeu ſcripturis publicis contentis, pro illarum majori roboris ſubſiſtentia, Apoſtolicę confirmationis robur adiicere, Prioriſſę vero, & Conventus hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Monaſterium S. Hieronymi erigendo prędicto perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui divini cultus augmentum ubique vigere noſtris maxime temporibus, intenſis deſideramus affectibus, quique dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur, exprimere verum annuum valorem, ſecundum communem extimationem, tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri peteretur, & ſemper in unionibus fieret commiſſio ad partes, vocatis quorum intereſſet, ipſoſque Hilarium Prępoſitum, & tres Canonicos, necnon Prioriſſam, & Conventum prefatos, ac illius ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, ac tam S. Hieronymi, quam erigendi Monaſterii prędictorum fructuum, reddituum, & proventuum, veros valores annuos pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati &c. mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, vocatis aliis pręfatę Eccleſię S. Johannis Canonicis, qui dictę concordię non conſenſerunt, & aliis, qui etiam fuerint evocandi,

Facultas. de pręmiſſis omnibus auctoritate noſtra vos diligenter informetis, & , ſi per informationem eandem, ita eſſe repereritis, concordiam prędictam, ac prout illam concernunt, omnia, & ſingula in inſtrumento, ſeu publicis, aut privatis ſcripturis prędictis contenta, quatenus ſint licita, & honeſta, & Sacris Canonibus non contraria, dummodo ad hoc dicti Ordinis Protectoris expreſſus accedat aſſenſus, eadem auctoritate noſtra confirmare, & approbare, ſupplereque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus, ſi confirmationem, approbationem, & ſuppletionem hujuſmodi, per vos fieri contigerit, ut pręfertur, Monaſterium S. Hieronymi prędictum eidem erigendo Monaſterio perpetuo unire, annectere, & incorporare dicta auctoritate noſtra curetis, ita quod liceat Prioriſſę, & Monialibus pręfatis, per ſe, vel earum alteram, aut earum legitimum procuratorem dicti Monaſterii S. Hieronymi, illiuſque regiminis, & adminiſtrationis, corporalem poſſeſſionem propria auctoritate apprehendere, vel illam ut prius continuare, ac ut unitum perpetuo dicto erigendo Monaſterio retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus, in ſuos, & Monaſterii hujuſmodi uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Contradictores &c. Non obſtantibus voluntate noſtra prędicta, & conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, & Ordinis prędictorum &c. necnon privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, Monaſterium S. Hieronymi ad prophanos uſus nullatenus convertatur, ſed illius Eccleſię, Prioriſſę, & Moniales pręfatę, Miſſas, & alia divina officia interdum faciant celebrari, quodque ſi Prioriſſam, & Moniales prędictas, dicto Monaſterio noviter erigendo, prętextu non obſervantię concordię hujuſmodi, aut alias quovis modo privari contingeret, eo caſu liceat eis ad poſſeſſionem regiminis dicti Monaſterii S. Hieronymi, illiuſque bonorum, prout tempore factę unionis exiſtebant, redire, & illas continuare, in omnibus, & per omnia perinde ac ſi unio hujuſmodi minime facta fuiſſet, concedimus, & indulgemus, & inſuper &c. quoad unionem hujuſmodi, irritum decernimus, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Secundo, Tertio decimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Papienſi.*) In *Longobardia.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCCV fol.* 180.
3. *Monaſteriorum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

De

De componenda lite Mutinenſium Fratrum.

Anno 1503 Die 23 Februarii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CXXV.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Donato de Aretio Canonico Ferrarien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CONqueſti ſunt Nobis Prior, & Fratres Domus Sancti Dominici Mutinen. Ordinis Fratrum Prędicatorum, quę juxta privilegia Apoſtolica bona habere poteſt, quod Jacobus de Corteſiis Canonicus Mutinen., & Johannes de Ragonibus (2), & quidam alii clerici, & laici Civitatis, & Diœceſis Mutinen. ſuper ſumma quindecim ducatorum auri per eoſdem conquerentes eidem Canonico in depoſitum aſſignata, ac rebus aliis injuriantur eiſdem. Cum autem iidem conquerentes, ſicut aſſerunt, eorundem injuriantium potentiam merito perhorreſcentes, eos infra Civitatem, ſeu Diœceſim prędictas nequeant convenire ſecure, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Secundo (3), Septimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Jo. de Pereriis.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex autographo *Mutinenſi*.
2. *Ragonibus*.) Gens eſt nobilitate clara, quæ nunc etiam floret.
3. *Quingenteſimo Secundo*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MDIII*.

De ſepultura (1) cujuſdam mulieris.

Anno 1503 Die 29 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXVI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Oliverio Ferre, & Petro Ameti Canonicis Eccleſię Redonen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HUmilibus &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Sancti Dominici Nanneten. Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod licet alias quondam Stephaneta Perſenault, dum viveret, relicta quondam Johannis Conrauld laici, vidua, Nanneten., condens in ejus ultima voluntate teſtamentum, ipſius ſepulturam in Eccleſia dictę domus elegiſſet, quia tamen eadem Stephaneta, voluntate predicta non mutata, poſtmodum vita functa dilectus filius Guillelmus Graſſelen., qui pro tempore pro Rectore Parochialis Eccleſię Sancti Laurentii etiam Nanneten. ſe gerit, premiſſorum non ignarus corpus ejuſdem Stephanetę rapiens, illud per vias obliquas ad dictam Eccleſiam S. Laurentii, non ſine plurimorum ſcandalo, deferre, ac inibi humari fecerat, & ſuper hoc alias graves injurias, & jacturas eiſdem Priori, & Fratribus de facto intulerat, prędicti Prior, & Fratres eundem Guillelmum ſuper hoc, inter alia petendo corpus ejuſdem Stephanetę exhumari, ipſiſque reſtitui, & in eorum Eccleſia juxta electionem ſuam hujuſmodi tumulari, ac de injuriis, & jacturis hujuſmodi per dictum Guillelmum ſatisfieri eiſdem coram tunc Vicario venerabilis Fratris noſtri moderni Epiſcopi Nanneten, in ſpiritualibus generali, non ex delegatione Apoſtolica, traxerunt in cauſam. Idemque Vicarius in cauſa ipſa ad certos paucos actus judiciales inter eaſdem partes proceſſit. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, prędictus Guillelmus Curię Epiſcopalis Nanneten. Advocatus exiſtat, & inibi multos extorqueat favores, & propterea dicti Prior, & Fratres non ſperent, in dicta Curia conſequi poſſe juſtitię complementum, pro parte ipſorum Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cauſam ipſam ab eodem Vicario ad Nos advocare, illamque in ſtatu debito reſtituendam ulterius, & quas dicti Prior, & Fratres contra eundem Guillelmum ſuper damnis, quę propter prędicta perpeſſi ſunt, ac aliis prędictis movere intendunt, cauſas audiendas, cognoſcendas, fineque debito terminandas, cum omnibus, & ſingulis ab eis dependentibus, ac eis connexis, aliquibus probis viris in partibus illis committere, aliaſque in prędictis eis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſtatum pendentis cauſę hujuſmodi prędictis pro ſufficienter expreſſo habentes, illumque harum ſerie ad Nos advocantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, vocatis prędicto Guillelmo, & aliis, qui fuerint evocandi, pendentem illam in ſtatu debito reſtitutam ulterius, ac alias cauſas prędictas, auctoritate noſtra audiatis, &, appellatione remota, fine debito decidatis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes &c. non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua inter alia cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem &c. Seu ne judices &c. ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. quibuſcunque, aut ſi prędicto Guillelmo &c. ab eadem Sede indultum exiſtat quod interdici, ſuſpendi &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Tertio, Tertio Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Sepultura*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolicę Libr. CCXCIII fol.* 262.
3. *Redonen.*) Vulgo *Rennes*, in *Britannia minori*.

Mat-

Anno 1503 Die 16 Maii.

Matthæo, ac Bartholomæo Fratribus, alumnis Domus Alleluya (1) liceat viſitare ſepulcrum Dominicum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXVII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Mattheo, & Bartholomęo Domus Alleluya, Ordinis Fratrum Predicatorum, Provincię Indię (3) profeſſoribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VEſtrę devotionis exigentibus meritis, votis veſtris libenter annuimus, & petitiones veſtras in his, quę honeſte poſtulatis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter exaudimus. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, vos, qui ad pręſens in Romana Curia eſtis, & ab ea recedere, & ad partes Indię redire intendatis zelo devotionis accenſi, in reditu veſtro hujuſmodi Sepulcrum Dominicum, & alia oratoria Terrę Sanctę deſideratis perſonaliter viſitare, ſed id adimplere non valetis, niſi piis fidelium eleemoſynis vobis ſuccurratur. Nos, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, quod Sepulcrum, & alia Oratoria ſupradicta, quibuſcunque prohibitionibus, conſtitutionibus, & proceſſibus Sedis Apoſtolicę habitis, ſeu etiam promulgatis, pęnas, & ſententias ſpirituales, & temporales continentibus, nequaquam obſtantibus, ex cauſa prędicta valeatis viſitare, illaque nibilominus pro bujuſmodi viſitatione deferre, ac etiam exhibere, ſine quibus peregrinationes hujuſmodi adimplere commode non poſſitis, dummodo ad partes illas nulla alia deferatis, nec deferre faciatis, quę in profectum, vel favorem hoſtium Fidei Chriſtianę cedere valeant, vobis, & cuilibet veſtrum auctoritate pręſentium indulgemus, & nihilominus de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui de bonis ſibi a Deo collatis pias eleemoſynas pro viſitatione bujuſmodi erogaverint, quoties id fecerint, mille dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Tertio, Decimo ſeptimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Domus Alleluya.*) Hinc liquet emendandos *Theophilum Raynaudum*, ceteroſque nonnullos, qui *Dominicanos* ſcriptores ex eo deridendos præbent, quod de Fratribus *Æthiopicis*, & eorum Conventu *Alleluya* nuncupato, locuti ſint. Fratres Prædicatores in *Æthiopia* Cœnobia poſuiſſe negat *Theophilus*, & ipſius aſſeclæ pernegant, quia *Franciſcus Alvares*, qui regiones illas anno circiter *MDXX* peragravit, nec domus illas, nec ibidem Religioſos Ordinis Sancti *Dominici* vidit. Mirum quod *Franciſcus Alvares*, ſex annos in *Æthiopia* commoratus, ejuſdem Ordinis profeſſores ibi non viderit, cum *Raphael Volaterranus* per hæc tempora *Romæ* ſcribens, dicat, ſe vidiſſe quoſdam Dominicanos *Æthiopes*, qui *Romam* venerant religionis ergo. De nonnullis aliis eorundem nationis, & inſtituti Fratribus, qui, ſedente *Leone X*, Romam petierant, loquitur *Seraphinus Razzius*. Referunt antiqua manuſcripta *Valentiæ* ſervata in Archivo Regio, quod anno *MDXV* die X Menſis Aprilis octo Fratres Prædicatores *Æthiopes*, in patriam *Roma* remeantes, *Valentiam* tranſierunt, in Cœnobio *S. Dominici* diverſati ſunt, ibique Dominica die, ſpectante populo, cunctis præ gaudio lacrymantibus, *Æthiopico* ritu, ſacra peregerunt. Alios ejuſdem profeſſionis *Æthiopes* Fratres anno *MDIV* in *Italia* ſe vidiſſe teſtatur *Marcus Antonius Sabellicus*. Eodem ſeculo Fratres *Æthiopes* aſſuerunt ejuſdem Ordinis Capitulo Generali *Barchinonenſi*. Ab antiquioribus, ac junioribus auctoribus hac de re citandis ſuperſedeo. Nec enim *Theophilus*, etiamſi fide careant ipſius germani Fratres *Chriſtoval.*, *Suares*, *Gonzales*, *Roderigues*, & *Rodericus Alvares*, qui, teſte *Baronio* noſtro in *Apolog. Lib. V Sect. IV pag.* 217, jurant ſe vidiſſe Cœnobia noſtra *Æthiopica*, licet, inquam, hæc flocci faceret *Theophilus*, hujuſce tamen Conſtitutionis *Alexandri VI* teſtimonium nullatenus refellere poſſet. Cur autem *Franciſcus Alvares* Fratres noſtros in *Æthiopia* non viderit, pauci dicam: Oratos *Luſitaniæ* Regis *Franciſcus* hoſpitabatur apud *Æthiopiæ* Imperatorem. Principem colebat aſſiduis obſequiis. Fratres Prædicatores in Regia non vidit.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCCVII fol.* 89.

3. *Provincia India.*) Ergo Provincia *India* tunc conſtituta.

Anno . . . Die . . . .

In Magos (1), ac ceteros id genus viros, & mulieres.

Ex Peña (2) ad calcem Directorii Inquiſitorum pag. 109.

CXXVIII.

Dilecto filio Angelo (3) de Verona Ordinis Prędicatorum Sacrę Theologię Profeſſori in Provincia Lombardię, hęreticę pravitatis Inquiſitori, & Succeſſoribus ſuis.

ALEXANDER PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm acceperimus in Provincia Lombardię diverſas uniuſque ſexus perſonas diverſis incantationibus, & diabolicis ſuperſtitionibus operam dare, ſuiſque veneficiis, & vanis obſervationibus, multa nefanda ſcelera procurare, homines, & jumenta, ac campos deſtruere, & diverſos errores inducere, magnaque inde ſcandala exoriri, decrevimus pro Paſtoralis officii Nobis ex alto commiſſi, miniſterio, ſcelera hujuſmodi compeſcere, ac ſcandalis, & erroribus pręmiſſis, quantum cum Deo poſſumus, occurrere. Epropter tam tibi, quam etiam ſucceſſoribus tuis per Lombardiam conſtitutis, de quibus in his, & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, committimus, & mandamus, ut etiam ſoli, honeſto tamen comitatu, per vos eligendo, aſſociati, contra eaſdem utriuſque ſexus perſonas diligenter inquiratis, eaſque juſtitia mediante puniatis, & compeſcatis. Et ut melius commiſſionem hujuſmodi exequi poſſitis, contra illas vobis plenam, & omnimodam, harum ſerie, concedimus facultatem. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon indultis, & conceſſionibus Ordinariis forſan pro tempore factis, ceteriſque contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris. Die &c. (4).

1. Ma-

1. *Magos.*) *Peña* loco laudato notat, quod *ejuſdem argumenti habetur alia* (conſtitutio) *Innocentii VIII. Hadriani VI. & alia Leonis X. Vide Bartholomaum Spineum lib. de Strigibus cap. III.*
2. *Peña.*) Citat *Directorium Sabellanum fol.* 426.

3. *Angelo.*) Cujus meminit *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis Seculo XVI pag.* 332.
4. *Die &c.*) Annus, & dies deſiderantur. *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. XI pag.* 391 hanc Conſtitutionem refert ad annum *MCCCCXCIV.*

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati, Dignitates, Alexandro VI Summo Pontifice, Promotos exhibens.

PATRIARCHA.

F. Thomas Donatus, Venetus, Patriarcha Venetiarum. *Ughellus in Patriar. Venet. Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 1306, *Edit. Venet. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. VII pag.* 49, *ex Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 314 *num. CCCXLI. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad an. MDV pag.* 11. *Johannes Dominicus Armanus* in *Monumentis ſelectis Conventus S. Dominici Venetiarum* (cujus alumnus fuit Donatus) *Cap. IX pag.* 76 *&c.* Ejuſdem *Donati* laudes celebrant plures alii Scriptores, quos iſti laudant, ſed notandum, quod ipſius electionem paſſim reiiciunt ad diem *XIV* Novembris, & in hoc emendandi, die ſiquidem prima Octobris Patriarcha renunciatus eſt, uti liquet variis Conſtitutionibus hac de re datis. Aſſervantur in Archivo Ordinis. Ceteris brevitatis gratia prætermiſſis, iſtas tranſcribendas duxi. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomæ Donato Electo Venetiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Maffeo tituli Sanctorum Sergii & Bachi Presbytero Cardinali regimini Eccleſiæ Venetiarum ex conceſſione, & diſpoſitione Apoſtolica præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret per dictæ Sedis providentiam &c. proviſionem ejuſdem Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam decernentes ex tunc irritum, & inane &c. ſi ſecus &c. contigerit attentari. Poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Maffei Cardinalis, qui extra Romanam Curiam naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponeretur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum de obſervantia nuncupatorum profeſſorem in Presbyteratu &c. conſtitutum, cui apud nos, de religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentium meritorum accepta, eidem eccleſiæ de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Patriarcham, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem dictæ Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. confidentes &c. Jugum igitur Domini &c. prompta devotione ſuſcipiens &c. noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXXV fol.* 324. In alia vero ſic legitur. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus univerſis ſuffraganeis Eccleſiæ Venetiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Hodie Eccleſiæ Venetiarum Paſtoris ſolatio deſtitutæ tunc per obitum bonæ memoriæ Maffei tituli Sanctorum Sergii, & Bachi Presbyteri Cardinalis extra Romanam Curiam defuncti, qui Eccleſiæ prædictæ, conceſſione, & diſpoſitione Apoſtolica præerat, de perſona dilecti filii Thomæ Ordinis Fratrum Prædicatorum de obſervantia nuncupatorum profeſſoris Electi Venetiarum, Nobis, & Fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate providimus, ipſumque illi præficimus in Patriarcham, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem dictæ Eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, quocirca univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente, ac per Apoſtolica ſcripta vobis mandamus, quatenus eidem Electo, tanquam membra capiti obſequentes exhibeatis eidem obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas, ita quod mutuo inter vos, & ipſum &c. devotionem veſtram poſſimus propter hoc non immerito commendare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXXV fol.* 325. Quanti fecerit *Alexander VI* Patriarcham *Donatum*, liquet ex tribus Conſtitutionibus, quas refert *Ughellus* ſupra laudatus.

Anno 1492 Die 1 Octobris.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1494. F. Baptiſta Armenus, Archiepiſcopus Naſcivanen., Naſſivan., in Armenia. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. IX pag. 56, ex Galano. Cavalerius Tomo I pag. 313 num. CCCXXXVI.

Anno 1495 Die 8 Augusti. F. Johannes Poyade, Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, Salonichi, in Macedonia. Omittitur a Fontana, Cavalerio &c. Quod huic Metropoli præfuerit, habetur ex ſequentibus Conſtitutionibus, ex quibus emendandus etiam Fontana Sedem Theſſalonicenſem recenſens inter Epiſcopales. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Poyade electo Theſſalonicen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Sane Eccleſia Theſſalonicen. certo modo Paſtoris ſolatio deſtituta, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ac verum, & ultimum dictæ eccleſiæ vacationis modum, & ſi ex illo, quævis generalis reſervatio, & in corpore juris clauſa reſultet, præſentibus pro expreſſo habentes, necnon ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem, & felicem, ne eccleſia ipſa longioris vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſorem, Ordinem ipſum expreſſe profeſſum, religionis zelo conſpicuum, vitæ, ac morum, honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & temporalibus circumſpectum, ac aliis multiplicium virtutum meritis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi præficimus in Archiepiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æterna &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam accedas &c. ac quod extra tuam Civitatem, & Diœceſim Pontificalia nequeas officia exercere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto, Sexto Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Ex Archivo Apoſtolico Lib. XXXI fol. 325. Epiſcopi Sabinicenſis Vicarius fuit Johannes. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſori electo Theſſalonicen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus &c. hodie ſiquidem eccleſia Theſſalonicen. tunc certo modo Paſtore carente, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus Apoſtolica auctoritate providendum præficiendo te illi in Archiepiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris deſuper confectis literis, in quibus voluimus, quod quam primum literas ipſas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes, & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Pontificalia officia exercere nequires, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad eccleſiam præfatam, quæ in partibus Infidelium conſiſtit commode nequeas te conferre, & apud eandem perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favore proſequi gratioſo, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi quod ad eccleſiam præfatam accedere, ſeu apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, tam in Civitate, vel Diœc. Sibinicen., quam quibuſcunque aliis Civitatibus, & Diœceſibus, dummodo per venerabilem Fratrem noſtrum Franciſcum m...derunum, & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Sibinicen., & alios locorum ordinarios ad id requiſitus fueris de ſpeciali licentia eorum ordinariorum, hujuſmodi Pontificalia officia exercere, libere, & licite valeas, voluntate noſtra prædicta, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto, Sexto Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Ex Archivo Apoſtolico Libro XXXI fol. 326.

Anno 1498. F. Martinus de Lignano, Bononienſis, Archiepiſcopus Sipontinus, in Regno Neapolitano. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XC pag. 100, ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag. 316 num. CCCXLIII, ex Pompejo Sarnellio, & Plodio.

Anno 1499. IDem ex Archiepiſcopo Sipontino Archiepiſcopus Conſentinus, in Calabria. Auctores mox laudati.

Anno 1501. F. Petrus Belloradus, Hiſpanus, Archiepiſcopus Meſſanenſis, Meſſina, in Sicilia. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXI pag. 86. Pirrus in Sicilia Sacra. Cavalerius Tomo I pag. 319 num. CCCLVIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 24 col. I, & in addendis pag. 997.

Anno circiter 1502. F. Benedictus, hujus nominis II, Armenus, Archiepiſcopus Naſcivanenſis, Naſſivan., in Armenia. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. IX pag. 56. Ejuſdem Benedicti meminit Fontana in libro, cui titulus: Conſtitutiones, Declarationes, & Ordinationes Capitulorum Generalium &c. pro Prov. Nexciovanen. in Armenia XXXIV pag. 268. Cavalerius Tomo I pag. 321 num. CCCLXII.

F. Ro-

F. Robertus de Noja, ex Epiſcopo *Acerrano*, ut in hac *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Naxienſis, ſeu Naxenſis, vulgo *Naxin*, & *Nacſia*, in ejuſdem nominis Inſula maris Ægæi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXV pag. 87*, ex *Ughello in Epiſcopis Acerran. Cavalerius Tomo I pag. 327 num. CCCLXXIV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag. 30, & ad annum MDIV pag. 10, ex Altamura, & Vallio.* Nota quod Eccleſia *Parienſis* eſt unita cum *Naxienſi*. Hinc utrique præfuit *Robertus*, uti docent auctores mox laudati. Anno 1503.

EPISCOPI.

F. Alfonſus a S. Cipciano, Hiſpanus, Epiſcopus Libacienſis, ſub Acchiepiſcopo Achelicenſi, in Thracia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit. CCCXXX pag. 214, ex Actis Conſiſtor. Alexandri VI. Cavalerius Tomo I pag. 305 num. CCCXII.* Quod Vicacius fuerit Epiſcopi *Zamorenſis*, habetur ex hoc Diplomate. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Alfonſo Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in Theologia præſentato Electo Libarien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris Eccleſiam non indigne meretur, ut votis tuis quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus, hodie ſiquidem eccleſia Libarien. tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus Apoſtolica auctoriſate providendum præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, in quibus volumus quod quam primum illas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes, & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Pontificalia officia exercere nequires. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad eccleſiam præfatam, quæ in partibus infidelium conſtituta exiſtit, abſque perſonæ tuæ periculo nequeas, te conferre, & apud eandem perſonaliter reſidere, nos volentes te favore proſequi gratioſo, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, quod ad eccleſiam prædictam accedere, & apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis in Civitate, & Diœceſi Zamoren. duntaxat, ſi ad id per venerabilem Fratrem noſtrum Johannem modernum, & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Zamoren. fueris ſuper hoc requiſitus, & de ejus ſpeciali licentia hujuſmodi Pontificalia officia exercere libere, & licite valeas, voluntate noſtra prædicta, ac quibuſcunque &c. nequaquam obſtantibus, eadem auctoritate, tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Tertio Non. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXXV fol. 53.* Succeſſit *Gutterio* noſtro de *Quinnones*, alias *de Leon*, de quo dictum fuit ad annum *MCCCCLXXVII.* Id liquet ex hac alia Conſtitutione. *Alexander Epiſcopus, dilecto filio Alfonſo Electo Libarien Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in Theologia Præſentato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Libarien. tunc per obitum quondam bonæ memoriæ Gutterii Epiſcopi Libarien. Paſtoris regimine deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, nos ad ea, quæ ad ſuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis ſupplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente aſcitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ, ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum, auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium eccleſiarum veſtrarum, ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Prætereà volumus, quod forma hujuſmodi a te tunc præſtiti juramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, forma autem juramenti, quod præſtabis hæc eſt. Ego Alfonſus Electus Libarien. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, & Domino noſtro Domino Alexandro PP. VI &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Pridie Non. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXXV fol. 53.* Anno 1492 Die 3 Decembris.

F. Albertus de Szczecin, Epiſcopus Theodoſienſis, vulgo *Caffa*, in Tartaria Minori. Nunc Sedes eſt Archiepiſcopalis. *Dominicus Frydryebowlez in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag. 213.* Anno 1493.

F. Laurentius Dominicus Epiſcopus Sagonenſis, *Sagona*, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Piſano. *Ughellus in Epiſcopis Sagonen. Tomo III Italiæ Sacræ pag. 517, Edit II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DIII pag. 281, ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 320 num. CCCLX.* Anno 1493.

F. Garcias Vayon, Hiſpanus, *Piſcator animarum* vulgo dictus, Epiſcopus Laudicenſis, ſeu Laodicenſis, vel Laodicienſis, vulgo *Laudicha*, ſub Patriarcha Antiocheno. Nunc Metropolis eſt Laodicienſis Anno 1493.

Eccleſia. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit. CCCXIII pag. 210, ex Actis Conſiſtorialib. Alexandri VI, & ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag. 319 num. XXIX. Quod Garcias noſter cognomento fuerit Vayon, non vero Vaiſon, vel Baiſon, uti docet Cavalerius, probatur hac Conſtitutione. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Garciæ Vayon Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina ſupereminens largitas non nunquam in nonnullis ſic ſua gratiæ dona diffundit quod etiam &c. per ſuarum virtutum merita hujuſmodi defectum ſupplentes mereantur ad dignitatum culmina promoveri. Cum itaque nos hodie eccleſiæ Laudicen. ad præſens certo modo vacanti de perſona tua, auctoritate apoſtolica, providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem, præficere, ac tibi penſionem annuam Ducentorum ducatorum auri de Camera ſuper fructibus, redditibus, & proventibus menſæ Epiſcopalis Placentin. per venerabilem Fratrem noſtrum Rodericum moderaum, & ſucceſſores ſuos Epiſcopos Placentin. pro tempore exiſtentes tibi, quoad vixeris, in certis terminis, annis ſingulis, perſolvendam reſervare, conſtituere, & aſſignare intendamus, &, ut accepimus, tu &c. nos ſperantes quod tu per grandia virtutum merita quibus circumfultus exiſtis, & alia tibi aſſutura ſuffragia eidem eccleſiæ Laudicen. eſſe poteris multipliciter fructuoſus, motu proprio, non ad tuam, vel alterius per te, nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera liberalitate tecum, ut eidem eccleſiæ Laudicen. in Epiſcopum, & Paſtorem præſici, illique præeſſe, ac illius curam, & adminiſtrationem in ſpiritualibus, & temporalibus gerere, & exercere, ac penſionem prædictam, quoad vixeris, percipere libere, & licite valeas defectu prædicto, ac Pictaven concilii &c. ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate apoſtolica, tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus. Nulli ergo &c. noſtræ diſpenſationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo Tertio decimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. XXXI fol. 320. Emendandi quoque Fontana, Cavalerius, aliique Scriptores docentes Garciam ſuffraganeum, ſeu Vicarium fuiſſe Roderici Epiſcopi Palentini. Rodericus enim Placentiæ jus dicebat, non vero Palentiæ, ut ex hoc alio Diplomate videre eſt. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Garciæ Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, electo Laudicen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geris eccleſiam promeretur, ut te &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Laudicen. tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum, accepta de Fratrum eorundem conſilio, duximus Apoſtolica auctoritate providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis, in quibus volumus, quod quam primum illas haberes expeditas, ad præfatam eccleſiam accederes, & perſonaliter reſideres apud eam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Laudicen. Pontificalia officia exercere nequires. plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad eccleſiam, præfatam quæ in partibus infidelium conſiſtit, nequeas abſque perſonæ tuæ periculo accedere, & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati tibi. quod ad eccleſiam Laudicen. prædictam accedere, ſeu apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque, poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, in Civitate, & Diœceſi Placentin. duntaxat, ſi ad id per venerabilem fratrem noſtrum Rodericum modernum, & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Placentin. requiſitus fueris, & de illius ſpeciali licentia pontificalia officia hujuſmodi exercere, libere, & licite valeas, voluntate noſtra prædicta, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. nequaquam obſtantibus eadem auctoritate tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Tertio decimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. XXXI fol. 319. Quod tandem Laodicienſis Eccleſia, cujus hic mentio, Patriarchæ Antiocheno Metropolitico jure tunc ſubeſſet, habetur ex hac Conſtitutione. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Garciæ Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori Electo Laodicen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Laudicen. Paſtoris regimine deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica, duximus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, nos igitur ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis, ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis ſuſcipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito Juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum auctoritate noſtra impendere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus, earundem præſentium tenore, facultatem, volumus, autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto Juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium eccleſiarum veſtrarum, ſuſpenſi ſitis eo ipſo &c. Præterea volumus, quod formam hujuſmodi a te tunc præſtiti Juramenti nobis, de verbo ad verbum, per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocitius deſtinare procures quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Patriarchæ Antiochien. cui præfata eccleſia Metropolitico Jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur, forma autem Juramenti quod præſtabis hæc eſt. Ego Garcias Laudicen. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro Sanctæque Romanæ eccleſiæ. ac Domino noſtro Domino Alexandro PP. VI ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo, Undecimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. XXXI fol. 319.

F. Leonardus, Germanus, Epiſcopus Sodorenſis, ſeu Soderenſis, in Scotiæ Regno, ſub Archiepiſcopo Glaſcovienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLIV pag. 297, ex Regeſtis Magiſtri Ordinis Joachini Turriani fol. 127*, ubi ſic legitur: *Reverendiſſimo D. Leonardo Epiſcopo Sodaren.* (Sodoren.) *ex Ordine noſtro aſſumpto datur facultas retinendi in ſuum ſervitium, & Capellanum Fratrem Marzolphum Stoſſez Conventus Argentinen. Die XX Junii MCCCCXCIII. Cavalerius Tomo I pag. 305 num. CCCXIV.* Anno circiter 1493

F. Conradus Antonii, Epiſcopus Dionyſien., vulgo *Varne*, in Bulgaria. Omittitur a *Fontana, Cavalerio &c.* Succeſſit cuidam *Johanni*, quem crediderim *Johannem de Ilten*, de quo dictum fuit in *Appendice ad Pontificatum Sixti IV ad annum MCCCCLXXVI*, Quod Epiſcopus fuerit liquet ex ſequentibus Conſtitutionibus. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Conrado Antonii electo Dionyſien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Dionyſien. regimini Eccleſiæ Dionyſien. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus &c. & deinde dicta Eccleſia per obitum dicti Johannis, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia præditum, vitæ munditia, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis &c. de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te transferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Dionyſien. Pontificalia nequeas officia exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Tertio*, (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXCIV) *Non. Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXI fol. 290*. Aliud Diploma hujus tenoris eſt. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Conrado Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſori electo Dionyſien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam, non indigne meretur, ut votis tuis quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Hodie ſiquidem eccleſiæ Dionyſien. tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum conſilio eorundem duximus auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis, in quibus voluimus quod quam primum literas ipas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes, & reſideres perſonaliter apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Pontificalia officia exercere non poſſis, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad præfatam eccleſiam, quæ in partibus Infidelium conſiſtit commode nequeas te conferre, & apud eandem perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favore proſequi gratioſo, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, te, quod ad eccleſiam prædictam accedere, nec apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, in Civitate, & Diœc. Verden. dummodo per venerabilem Fratrem noſtrum Bartoldum Epiſcopum Hildeſemen., qui Eccleſiæ Verden. adminiſtrator perpetuus per Sedem Apoſtolicam deputatus exiſtit, ſeu ejuſdem eccleſiæ Verden. adminiſtratores, vel Epiſcopos pro tempore exiſtentes requiſitus fueris, & de eorum ſpeciali licentia hujuſmodi pontificalia exercere, libere, & licite valeas, voluntate prædicta, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Tertio* (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXCIV) *Nono Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. VIII An. II fol. 231*. Anno 1494 Die 24 Januarii,

F. Alfonſus, Epiſcopus Salonenſis, ſub Archiepiſcopo Athenienſi, in Græcia. Hunc non norunt *Fontana, Cavalerius &c.* Epiſcopus certe fuit, ut ex his Diplomatibus habetur. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Alfonſo electo Salonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Salonen. &c. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c reſervandam decernentes ex tunc irritum, & inane ſi ſecus &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ipſius Johannis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne ipſa eccleſia longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem, ac in Sacerdotio conſtitutum, cui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque virtutum donis, prout fide digna teſtimonia perhibentur direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ de dictorum* Anno 1494 Die 19 Martii,

Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem quod quam primum præſentes literas habueris expeditas ad eccleſiam prædictam accedas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Salonen. Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Tertio, (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXCIV) *Quarto decimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXI fol.* 250. Suffraganeus, ſeu Vicarius Archiepiſcopi *Toletani* fuit *Alfonſus*. Hinc ſequens Conſtitutio. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Alfonſo Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, electo Salonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam non indigne meretur, ut votis tuis quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus, bodie ſiquidem eccleſiæ Salonen., tunc certo modo Paſtoris regimine deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum euigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio duximus, auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis, in quibus volumus, quod quamprimum illas baberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes, & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Salonen. Pontificalia officia exercere nequires, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad eccleſiam præfatam, quæ in partibus infidelium conſtituta eſt, abſque perſonæ tuæ periculo nequeas, te conferre, & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes te favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, quod ad eccleſiam prædictam accedere, & apud illam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis in Toletan., & Seguntin. Civitatibus, & Diœceſibus, dum ad id per dilectum filium noſtrum Petrum tituli Sanctæ Crucis in Jeruſalem Presbyterum Cardinalem, qui Toletan., & Seguntin. eccleſiis ex conceſſione, & diſpoſitione Apoſtolica præeſſe dignoſcitur, & Archiepiſcopum Toletan., & Epiſcopum Seguntin. pro tempore exiſtentes, fueris requiſitus, & de illorum ſpeciali licentia hujuſmodi Pontificalia officia exercere libere, & licite valeas, voluntate noſtra prædicta, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis, nequaquam obſtantibus, eadem auctoritate, tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo &c. noſtri indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Tertio*, (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXCIV) *Quartodecimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. III An. II fol.* 87. In tertio tandem Diplomate hac de re dato legitur: *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Alfonſo electo Salonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos nuper eccleſiæ Salonen. Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis, plenius continetur, nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi qui Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſus exiſtis, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum a te noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum, auctoritate noſtra impendere tibi, libere, & licite poſſit, plenam, & liberam concedimus, earundem præſentium tenore, facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus. quod ſi non recepto a te per ipſum Antiſtitem dicto juramento idem Antiſtes munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione, tam ſpiritualium. quam temporalium eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod forma hujuſmodi a te tunc præſtiti juramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Athenien., cui præfata Salonen. Eccleſia Metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur, forma autem juramenti. quod præſtabis hæc eſt. Ego Alfonſus Salonen. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, ac Domino, Domino noſtro Alexandro PP. VI, ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Tertio*, (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXCIV) *Duodecimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXI fol.* 251.

Anno 1494 Die 7 Aprilis.

F. Gabriel Polvar, Epiſcopus Boſnenſis, in ejuſdem nominis Regione, ſub Archiepiſcopo Colocenſi. Iſtius Epiſcopi non meminerunt *Fontana, Cavalerius &c.* Hinc transcribendæ Conſtitutiones hac de re datæ. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gabrieli Polvar Electo Boſnen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem proviſiones eccleſiarum omnium apud Sedem prædictam tunc vacantium ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſeeus &c. contigerit attentari, & deinde Eccleſia Boſnen. ex eo Paſtoris ſolatia deſtituta quod nos nuper venerabilem Fratrem noſtrum Lucam Epiſcopum Canadien. tunc Boſnen. a vinculo quo eidem eccleſiæ cui tunc præerat tenebatur de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes ipſum ad Eccleſiam Canadien. tunc certo modo vacantem duximus auctoritate apoſtolica transferendum præficiendo ipſum eidem Canadien. Eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem, nos ad proviſionem celerem, & felicem ipſius Eccleſiæ Boſnen. de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit &c. ne eccleſia ipſa Boſnen. longa vaca-*

Digitized by Google

vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ Boſnen. perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum dictis Fratribus habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem ordinem ipſum expreſſe profeſſum, cui apud nos de religionis zela, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Boſnen. eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio dicta auctoritate duximus providendum, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ejuſdem Boſnen. eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus tibi plenarie committendo, in illo, qui dat gratias &c. confidentes quod præfata eccleſia Boſnen. ſub tuo felici regimine &c. ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas &c. tuque præter æternæ retributionis præmium &c. noſtram, & dictæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto, Septimo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXI fol.* 98. In alia ſic legitur. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Ladislao Hungariæ Regi illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Gratiæ divinæ &c. hodie eccleſiæ Boſnen. ex eo Paſtoris ſolatio deſtituta quod nos nuper venerabilem Fratrem noſtrum Lucam Epiſcopum Canadien. tunc Boſnen a vinculo, quo eccleſiæ Boſnen., cui tunc præerat, tenebatur, auctoritate Apoſtolica, & dictæ poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Canadien. tunc certo modo vacantem, de Fratrum noſtrorum conſilio, tranſtulimus, ipſumque Lucam eidem Eccleſiæ Canadien. præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, de perſona dilecti filii Gabrielis Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſoris electi Boſnen. providimus, ipſumque Gabrielem eidem eccleſiæ Boſnen præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem dictæ eccleſiæ Boſnen, ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum itaque, fili cariſſime, ſit virtutum opus, Dei Miniſtros favore proſequi, ac eos verbis, & operibus pro Regis æterni gloria venerari, ſerenitatem tuam rogamus, & hortamur attente, quatenus eundem Gabrielem electum, & præfatam Boſnen. eccleſiam ſuæ curæ commiſſam habeas pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia propenſius commendatos ipſoſque ſic benigni favoris auxilio proſequaris quod idem Gabriel electus tuæ celſitudinis fultus præſidio in commiſſo ſibi curæ Paſtoralis officio poſſit Deo propitio proſperare, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto, Septimo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXI fol.* 99. Tertia tandem hujus tenoris eſt. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gabrieli Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori Electo Boſnen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridie eccleſiæ Boſnen. Paſtoris regimine deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati tibi qui Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſor, ordinem ipſum expreſſe profeſſus exiſtis, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut ſuſcepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum auctoritate noſtra impendere, libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione, tam ſpiritualium quam temporalium eccleſiarum veſtrarum. ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus quod formam a te tunc præſtiti Juramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium, quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Colocen cui præfata eccleſia Metropolitico Jure ſubeſſe dignoſcitur nullum in poſterum præjudicium generetur: forma autem Juramenti quod præſtabis hæc eſt. Ego Gabriel Electus Boſnen. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro Sanctæque Romanæ Apoſtolicæ Eccleſiæ, & Domino noſtro Domino Alexandro PP. VI &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto, Quinto Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXI fol.* 99.

F. Didacus Deza, Epiſcopus Zamorenſis, *Zamorra*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCLIII pag.* 328, *ex Fernandez, & Gil*, ſeu Ægidio. *Cavalerius Tomo I pag.* 236 *num. XXIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad an. MDXXIII pag.* 51. Variis aliis Eccleſiis præfuiſſe *Didacum* dicetur in hac, & ſequentibus *Appendicibus*. Quod autem hoc anno jus dixerit *Zamorenſi*, liquet ex hoc Diplomate. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Ferdinando Caſtellæ, & Legionis Regi Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Gratiæ divinæ &c. hodie eccleſiæ Zamoren. pro eo tunc per obitum bonæ memoriæ Johannis Epiſcopi Zamoren. extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona dilecti filii Didaci Deza Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſoris Electi Zamoren. nobis, & Fratribus noſtris, ob ſuorum meritorum exigentiam, accepta de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate providimus, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem dictæ eccleſiæ, ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum itaque, fili Cariſſime, ſit vir-* Anno 1494 Die 14 Aprilis.

Digitized by Google

virtutis opus Dei Miniſtros benigno favore proſequi, ac eos verbis, & operibus pro Regis æterni gloria venerari, Serenitatem tuam rogamus, & hortamur attente quatenus eundem Didacum Electum, & præfatam eccleſiam ſuæ curæ commiſſam habens pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia propenſius commendatos in ampliandis, & conſervandis juribus ſuis, ſic eos benigni favoris auxilio proſequaris, quod idem Didacus Electus tuæ Celſitudinis fultus præſidio in commiſſo ſibi curæ Paſtoralis officio poſſit Deo propitio proſperare, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto, Decimo Octavo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXI fol.* 299. Aliæ duæ Conſtitutiones, hac de re datæ, aſſervantur in Archivo Ordinis ex *Archivo Apoſtolico Libro LXI fol.* 300 & *Libro LXI fol.* 299.

Anno 1494 Die 5 Maii. F. Johannes Pedenhoſer, Epiſcopus Millenen., ſeu Mileven., Milevitanus ſcilicet, vulgo *Mela*, in Africa, ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi. Hujus Epiſcopi meminerunt *Cavalerius Tomo I pag.* 312 *num. CCCXXXI*, & *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MD pag.* 895, ex *Altamura*, & *Coppenſteinio de Fraternitate Roſarii Lib. II Cap. IX pag.* 374. Sed *Cavalerius* ipſum cognomento *Mileuſem* fuiſſe cenſet, & cujus Eccleſiæ fuerit Epiſcopus non prodit. *Echard* vero, quod *Millenſis* Epiſcopus fuerit, docet quidem, ſed de illa Sede multum laborat, quia nec in notitiis occurrit, nec ejus *Fontana* meminit in *Theatro*. Notandum tamen quod *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXXIII pag.* 235 Eccleſiam *Mileneuſem* non diſtinguit a *Milenſi*. Eſt autem *Milenſis* Sedes vulgo *Milo*, in ejuſdem nominis Inſula Maris *Ægæi*: *Johannes* autem non *Milenſi*, ſed *Mileneuſi* præfuit Eccleſiæ. Annus etiam quo *Johannes* noſter renunciatus fuit Epiſcopus Scriptoribus illis ignotus. Hæc omnia poſſunt illuſtrari ſequentibus Diplomatibus. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Pedenhoſer electo Millenen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Nicolao Epiſcopo Millenen. regimini eccleſiæ Millenen. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandum decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus &c. poſtmodum vero dicta eccleſia per obitum dicti Nicolai Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in Theologia Profeſſorem, in Presbyteratus ordine conſtitutum, vitæ, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque virtutum donis prout fide dignorum teſtimoniis accepimus multipliciter inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta præfatæ eccleſiæ de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. confidentes &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Millenen. Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto, Tertio Non. Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXI fol.* 155. Huc etiam ſpectat ſequens conſtitutio. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori Electo Millenen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam non indigne meretur, ut votis tuis quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus, hodie ſiquidem eccleſiæ Millenen., tunc Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio, per alias noſtras literas, Apoſtolica auctoritate duximus providendum præficiendo te eidem eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem, volentes inter cætera, quod quamprimum literas ipſas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam te conferres, & reſideres perſonaliter apud eam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Millenen. Pontificalia officia nequires exercere, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad præfatam eccleſiam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonæ tuæ periculo commode nequeas te conferre, & apud eandem perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi quod ad eccleſiam ipſam accedere, & apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis. quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis in Civitate, & Diœceſi Merſeburgen. de conſenſu venerabilis Fratris noſtri Silonis mod rui, & pro tempore exiſtentis Epiſcopi Merſeburgen., & de ejus ſpeciali licentia, duntaxat Pontificalia officia hujuſmodi exercere libere, & licite valeas, voluntate prædicta, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto, Tertio Non. Maii. Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXI fol.* 156. In tertio tandem ſic legitur. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Pedenhoſer Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis circumſpecta benignitas ad ea libenter intendit, per quæ eccleſiaſticæ perſonæ ad eccleſiarum præſertim Cathedralium regimen per eam aſſumendæ, quas omni macula carere decet, poſſint illis puro corde, & ſincera conſcientia præſidere. Cum itaque nos hodie eccleſiæ Millenen. ad præſens, certo modo Paſtore carenti de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos ne, ſi forſan aliquibus ſententiis & cenſuris* eccle-

Digitized by Google

eccleſiaſticis ligatus exiſtis, proviſia, & præfectio prædictæ poſſint propterea quomodolibet impugnari providere volentes, te a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædictæ, ac ſingulæ literæ Apoſtolicæ deſuper conficiendæ ſuum ſortiantur effectum, harum ſerie abſolvimus, & abſolutum fore nunciamus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dictæ eccleſiæ, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, & nunciationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringenteſimo Nonageſima Quarto, Tertio Non. Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. V An. II fol. 37.

F. Johannes Marques, Epiſcopus Pactenſis, ſub Archiepiſcopo Meſſanenſi, in Regno Siciliæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXLVI pag. 275, ex Pirro in Sicilia Sacra. Cavalerius Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCCCXCIX pag. 893. Diago Hiſtor. Provinciæ Aragon. Lib. II Cap. LXXIII pag. 220. Ejuſdem ſiquidem Provinciæ Johannes noſter erat alumnus, Valentini Cœnobii filius, oriundus e nobiliſſima gente Marques. Nonnulli mendoſe ſcribunt Marquet, ſed in hoc emendandi ex hoc Diplomate. Alexander Epiſcopus, dilecto filio Johanni Marques Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis conſueta clementia, ne diſpoſitiones per eam de Cathedralibus eccleſiaſticis pro tempore factæ valeant quomodolibet impugnari, ſed perſonæ ad eas promotæ illis puro corde, & ſincera conſcientia poſſint præſidere, remedia, prout convenit, adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie eccleſiæ Pacten. ad præſens Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos ne proviſio, & præfectio prædicta ſi forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus ſis, valeant invalidæ reputari, providere volentes, te a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædicta, ac ſingulæ deſuper conficiendæ literæ ſuum ſortiantur effectum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium abſolvimus, & abſolutum fore nunciamus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto, Sexto decimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. LXIV fol. 47. Idem liquet ex iſto, quo Ferdinando Regi commendatur Johannes noſter. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Ferdinando Caſtellæ, & Legionis Regi illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Gratiæ divinæ præmium, & humanæ laudis præconium acquiritur, ſi per ſeculares Principes Prælatis Cathedralium eccleſiarum regimini præſidentibus opportuni favoris præſidium, & honor debitus impendatur, hodie ſiquidem Eccleſiæ Pacten., tunc per obitum bonæ memoriæ Jacobi Epiſcopi Pacten. extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona dilecti filii Johannis Marques Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſoris electi Pacten. nobis, & Fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate, providimus, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem dictæ eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum itaque, fili cariſſime, ſit virtutis opus Dei Miniſtros benigno favore proſequi, ac eos verbis, & operibus pro Regis æterni gloria venerari, ſerenitatem tuam rogamus, & hortamur attente, quatenus eundem electum, & præfatam Pacten. eccleſiam ſuæ curæ commiſſam habens pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia propenſius commendatos in ampliandis, & conſervandis juribus ſuis ſic ipſos benigni favoris auxilio proſequaris, quod idem Johannes electus tuæ celſitudinis fultus præſidio in commiſſo, ſibi curæ Paſtoralis officio poſſit Deo propitio proſperare, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto, Sexto decimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. LXIV fol. 44. Aſſervantur in Archivo Ordinis alia duo Diplomata, eadem de re data, ex Archivo Apoſtolico Lib. LXIV fol. 46.

Anno 1494 Die 16 Junii.

F. Bartholomæus Bartholi de Torellis, Epiſcopus Callienſis, Cagli, in Umbria Superiori, ſub Archiepiſcopo Urbinaten. Hic Epiſcopus noſtris Scriptoribus, vel ignotus, vel ab eiſdem omiſſus, uti notat Echard, qui ejuſdem meminit Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag. 23 col. 1, ex vita B. Columbæ Virginis de Pœnitentia S. Dominici, & ex Actis SS. ad XX Maii num. CXLVI pag. 367. Quod Epiſcopus Callienſis fuerit habetur ex hoc Diplomate. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Bartholomæo Bartholi de Torellis electo Callien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem Bartio Epiſcopo Callien. regimini eccleſiæ Callien. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ejuſdem eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Bartii, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem familiarem noſtrum continuum commenſalem in Presbyteratus Ordine conſtitutum, religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia præditum, vitæ, ac morum, honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, ac aliis multiplicium virtutum donis, quæ in te divina propagavit clementia, prout

Anno 1494 Die 23 Julii.

prout ſide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de Fratrum prædictorum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem dictæ eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æterna &c. noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto, Decimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. VII an. II fol.* 208. Aliud hac de re datum Diploma aſſervatur in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXI fol.* 159. Nota quod *Ughellus* hujus Epiſcopi meminit, ſilet tamen quod Ordinis Prædicatorum fuerit alumnus in *Epiſcopis Callien. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 821, ubi ejus laudes celebrat his verbis: *Probatiſſimis moribus fuit, iiſque pietatis operibus, quæ viris ea laude præclaris æternam memoriam parere ſolent. Haud diu in ea dignitate vixit.*

Anno 1494. F. Robertus de Ferraria, Epiſcopus Guardienſis, *Guardia Alferia*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Ughellus in Epiſcopis Guardien. Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.* 298, *Edit. II, ex Actis Conſiſtorialibus, & ex Libanorio in Ferraria aurea Parte I pag.* 67. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXXVI pag.* 200, *ex Reg. Joachini Turriani Magiſtri Generalis Ord. Prædicatorum. Cavalerius Tomo I pag.* 306 *num. CCCXVII.*

Anno 1495 Die 13 Februarii. F. Judocus de Valle de Methelinia, Epiſcopus Sebaſtenſis, in Cappadocia, ſub Archiepiſcopo Cæſareenſi. Omittitur a *Fontana, Cavalerio &c.* Epiſcopus certe fuit, ut ex his probatur. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. dilecto filio Judoco de Valle de Methelinia Electo Sebaſten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Antonio Epiſcopo Sebaſten. &c. præſidente nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ejuſdem eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam decernentes ex tunc irritum, & inane ſi ſecus &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Antonii qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ejuſdem eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ, perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem in presbyteratus ordine conſtitutum, cui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de dictorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Sebaſten. Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto* (Stylo Bullarum æræ communis MCCCCXCV) *Idibus Februarii Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib LXIV fol.*68. Idem liquet ex ſequenti Diplomate. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Judoco de Valle de Methelinia, ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis conſueta clementia, ne diſpoſitiones per eam de Cathedralibus eccleſiis pro tempore factæ valeant quomodolibet impugnari, ſed perſonæ ad eas promotæ illis puro corde, & ſincera conſcientia præſidere valeant remedia prout convenit adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie Eccleſiæ Sebaſten. ad præſens Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos ne proviſio, & præfectio prædicta ſi forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus ſis, valeant invalidæ reputari providere volentes, te a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædictæ, ac ſingulæ deſuper conficiendæ literæ ſuum conſequantur effectum. auctoritate præfata tenore præſentium abſolvimus, & abſolutum fore nunciamus non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dictæ eccleſiæ, Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, & nunciationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto* (Stylo Bullarum, æræ communis MCCCCXCV) *Idibus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXIV fol.* 70. Suffraganeus ſeu Vicarius fuit Epiſcopi *Narenten.*, ſeu *Naronen.*, corrupte, ut in Diplomate legitur, *Narecten.*, vulgo *Narenza*, in Dalmatia. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Judoco electo Sebaſten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam non indigne meretur, ut votis tuis quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus, hodie ſiquidem eccleſiæ Sebaſten., tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio per alias noſtras literas duximus, auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te eidem eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem, volentes inter cetera, quod quamprimum literas ipſas ha-*

haberes expeditas ad præfatam eccleſiam Sebaſten. accederes, & perſonaliter reſideres apud eam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Sebaſten. Pontificalia officia exercere nequires, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad præfatam eccleſiam, quæ in partibus infidelium eſt conſtituta, abſque perſonali periculo nequeas, te conferre, & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, quod ad eccleſiam prædictam accedere, & apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis in Civitate, & Diœceſi Narecten. dumtaxat de ſpeciali venerabilis Fratris noſtri David moderni, & ſucceſſorum ſuorum Epiſcoporum Narecten. pro tempore exiſtentium licentia Pontificalia officia hujuſmodi exercere libere, & licite valeas, voluntate noſtra prædicta, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis, nequaquam obſtantibus, auctoritate præfata, tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ indulgemus, quodque Ordinem Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſus exiſtis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto (ſtylo Bullarum, æræ communis MCCCCXCV) *Idibus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXIV fol. 69.* Quod autem *Sebaſtenſis* hæc Sedes ſit ejuſdem nominis Eccleſia *Cappadociæ*, ſub Metropoli *Cæſareenſi*, non autem *Sebaſtenſis* Sedes *Palæſtinæ*, ſub *Nazareno*, vel *Sebaſtenſis* in ora *Ciliciæ*, ſub *Tarſenſi*, probatur ex hac Conſtitutione: *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Judoco Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori Electo Sebaſten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Sebaſten. Paſtoris regimine deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur; nos ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam, munus prædictum auctoritate noſtra, tibi libere impendere poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore, facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento idem Epiſcopus illud tibi impendere, & tu illud recipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione, tam ſpiritualium quam temporalium eccleſiarum veſtrarum, ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus quod formam a te tunc præſtiti Juramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium, quantocius deſtinare procures, forma autem Juramenti quod præſtabis hæc eſt. Ego Judocus Electus Sebaſten. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, & Domino noſtro Domino Alexandro PP. VI ſuiſque ſucceſſoribus Canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Cæſarien. cui præfata eccleſia Metropolitico Jure ſubeſſe dignoſcitur nullum in poſterum præjudicium generetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Quarto, Quinto decimo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXIV fol. 69.*

F. Paſqualis, ſive Paſchaſius, de Ampudia, ſeu de Fontepudico, ut ab aliis nuncupatur, vulgo Anno 1496 Die 27 Junii,
Fuencaſta, Epiſcopus Burgenſis, in Hiſpania. Nunc Sedes eſt Archiepiſcopalis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XIX pag. 63, ex Fernandez, inter Epiſcopos Hiſpaniæ, & Scriptores Ordinis, & Gil, ſeu Ægidio in Theatro Eccleſiæ Burgen. Cavalerius Tomo I pag. 322 num. CCCLXV. Echard Tomo II Scriptorum Ord. ad an. MDXII pag. 25, ex Leandro, Luſitano, Marieta, Pio II*, aliiſque variis Scriptoribus, quos laudat. Emendandi tamen *Fontana*, *Cavalerius*, ceterique cenſentes anno duntaxat *MCCCCXCVII* Epiſcopum renunciatum fuiſſe *Paſchaſium*. Epiſcopus certe creatus eſt hoc anno *MCCCCXCVI*. Id probant quatuor Conſtitutiones, eadem die hac de re datæ. Aſſervantur in Archivo Ordinis ex *Archivo Apoſtolico Libro CXIII fol. 172, 173, & 174*. Ceteris, brevitatis gratia, prætermiſſis, unam tranſcribo. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Paſquali de Jempudia* (Ampudia) *electo Burgen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Ludovico Epiſcopo Burgen., regimini eccleſiæ Burgen. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ejuſdem eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ &c. duximus reſervandam decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus &c. poſtmodum vero eccleſia ipſa per obitum ejuſdem Ludovici Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem, in Preſbyteratus ordine conſtitutum, cui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem dictæ eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. cuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Sexto, Quinto Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXIII fol. 172*. Nota quod Eccleſia *Burgenſis* Sedi *Apoſtolicæ* imme-

immediate ſubjecta dicitur in duabus ex Conſtitutionibus prætermiſſis, in alia Paſqualis, ſeu Paſchaſius, vel Paſcalis, Ferdinando, Caſtellæ & Legionis Regi, commendatur.

Anno 1496 Die 15 Julii.

F. Michael Franciſci, Epiſcopus Salubrien., vel Salabrien., Selymbrien., &c. vulgo Selombria, Selivrea, Selibria &c. in Thracia, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. Cavalerius Tomo I pag. 315 num. CCCXLII, Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MDII pag. 7, ex variis monumentis, & Scriptoribus, quos laudat. A confeſſionibus, & conſiliis fuit Philippo Archiduci Auſtriæ, & Duci Burgundiæ, ut ex hoc Diplomate videre eſt. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Michaeli Franciſci electo Salubrien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. dudum ſiquidem bonæ memoriæ Nicolao Epiſcopo Salubrien. regimini Eccleſiæ Salubrien. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ejuſdem eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus &c. poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ejuſdem Nicolai Epiſcopi qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſorem dilecti filii nobilis viri Philippi Archiducis Auſtriæ, & Ducis Burgundiæ Confeſſorem, & Conſiliarium, cui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & Fratribus noſtris, ob dictorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. confidentes &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis præmium &c. noſtram, & dictæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te transferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Salubrien. Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringenteſimo Nonageſimo Sexto, Idibus Julii Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CXIII fol. 262. Idem liquet ex hac alia Conſtitutione. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Michaeli Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori Electo Salubrien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Salubrien. tunc certo modo Paſtore carenti de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus Apoſtolica auctoritate providendum præficiendo te eidem eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis, in quibus voluimus, quod poſtquam literas ipſas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam &c. & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Salubrien. Pontificalia officia exercere nequires, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad præfatam eccleſiam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonæ tuæ periculo commode nequeas te conferre, & apud eandem perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi quod ad dictam eccleſiam accedere, & apud illam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis in quovis loco tibi placuerit etiam in præſentia dilecti filii nobilis viri Philippi Archiducis Auſtriæ, & Ducis Burgundiæ cujus, ut etiam accepimus, Confeſſor, & Conſiliarius exiſtis, dummodo ordinariorum locorum ad id expreſſus accedat aſſenſus, Pontificalia officia exercere libere, & licite valeas, voluntate noſtra prædicta, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ voluntatis, & indulti infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Sexto, Idibus Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico. Quod autem Salubrienſis Eccleſia, nunc Metropolis, tunc Epiſcopalis licet, Metropolitico jure Conſtantinopolitano Patriarchæ ſubeſſet, habetur ex hac altera Conſtitutione. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Michaeli Ordinis Fratrum Prædicatorum electo Salubrien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Salubrien. Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica, duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis, plenius continetur, nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum, auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus, earundem præſentium tenore, facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi, impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione, tam ſpiritualium, quam temporalium eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam a te tunc præſtiti juramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Patriarchæ Conſtantinopolitan., cui præfata Eccleſia Metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur, forma autem juramenti, quod præſtabis hæc eſt. Ego Michael Electus Salubrien. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Romanæ Apoſtolicæ eccleſiæ, ac Domino, Domino noſtro Alexandro PP. VI, ſuiſque

ſuc-

ſucceſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Sexto, Decimo Septimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXIII fol.* 263. Aliud Diploma eadem die datum, quo Summus Pontifex *Alexander VI* poteſtatem facit *Michaeli* Electo *Salubricenſi* conſequendi eccleſiaſtica beneficia, brevitatis ergo prætermitto. Aſſervatur in Archivo Ordinis, ex *Archivo Apoſtolico Libro CXIII fol.* 269. Ex his autem patet erraſſe *Fontanam Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DVIII pag.* 283, ubi docet ex *Fernandez*, quod *Michael* noſter a *Paulo III* renunciatus fuit *Salubricenſis* Epiſcopus circa annum *MDXL.*

F. Raynaldus de Monte Ameo, ſeu Reginaldus de Montoro, ut ipſum vocat *Echard*, vel *Montauro*, ut a *Fontana* cognominatur, Epiſcopus Cephaludenſis, *Ceſalu*, ſub Archiepiſcopo Meſſanenſi, in Sicilia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLIX pag.* 164, *ex Pirro in Sicilia Sacra. Cavalerius Tomo I pag.* 321 *num. CCCLXIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXI pag* 24, *& in Addendis pag.* 997, ex variis Scriptoribus, quos laudat. Ubi notandum, quod *Reginaldus* noſter e ſtirpe paterna *de Montoro*, vel *Montauro*, ex materna vero *de Landolin*. paſſim dicitur. Hinc tinendum ne mendoſe *de Monte Ameo* cognominatus ſit ab amanuenſi Diplomatis, cujus hic tenor. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Raynaldo de Monte Ameo Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis conſueta benignitas de ſtatu perſonarum eccleſiaſticorum ſolicite recogitans ad ea libenter intendit, per quæ perſonæ ipſæ eccleſiis ſibi committendis ſincero corde, & pura conſcientia valeant præſidere. Cum itaque nos hodie de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta eccleſiæ Cephaluden. Ordinis Sancti Auguſtini ad præſens certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ de eorundem Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos ne proviſio, & præfectio prædictæ ſi forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus exiſtis, valeant propterea invalidæ reputari, providere volentes, teque a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel quavis cauſa latis, ſi quibus quomodolibet ligatus exiſtis, ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio hujuſmodi, ac ſinguiæ litera Apoſtolicæ deſuper conficiendæ ſuum conſequantur effectum, auctoritate prædicta, tenore præſentium abſolvimus, & abſolutum fore nunciamus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ eccleſiæ &c. cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, & nunciationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Sexto, Quarto Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXI fol.* 92. Succeſſit *Lazaro*, non vero *Franciſco Vitali*, ut excidit cuidam *Scriptori*. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Ferdinando Caſtellæ, & Legionis Regi illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Gratiæ divinæ præmium &c. hodie Eccleſiæ Cephaluden., tunc per obitum bonæ memoriæ Lazari Epiſcopi Cephaluden. extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona dilecti filii Raynaldi Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſoris electi Cephaluden. nobis, & Fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepta de eorundem Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providimus, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum itaque, fili cariſſime, ſit virtutis opus Dei Miniſtros benigno favore proſequi, ac eos verbis, & operibus pro Regis æterni gloria venerari, ſerenitatem tuam rogamus, & hortamur attente, quatenus eundem Raynaldum electum, & eccleſiam prædictam ſuæ curæ commiſſam habens pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia propenſius commendatos in ampliandis, & conſervandis juribus ſuis ſic ipſos benigni favoris auxilio proſequaris, quod idem electus tuæ celſitudinis fultus præſidio in commiſſo ſibi curæ Paſtoralis officio poſſit Deo propitio proſperare, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Sexto, Quarto Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXI fol.* 92. Anno 1496 Die 12 Octobris.

F. Thomas de Zagrodino, Epiſcopus Moldavienſis, regio eſt Europæ. Is ipſe eſt *Thomas Batka*, cujus meminit *Cavalerius Tomo I pag.* 307 *num. CXIX*, *ex Plodio*, qui laudat Regeſta *Joachini Turriani* Generalis Magiſtri Ordinis. Succeſſit cuidam *Simoni*, ut ex hoc Diplomate conſtat. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomæ de Zagrodino electo Moldavien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Simone Epiſcopo Moldavien. regimini eccleſiæ Moldavien. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum dicti Simonis, qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem &c de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis exponatur &c poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, Profeſſorem, in ſacra pagina peritiſſimum, religionis zelo conſpicuum, vitæ, ac morum honeſtate, decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignis teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta præfatæ Eccleſiæ Moldavien. de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & dictæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde ube-* Anno 1497 Die 20 Septembris.

uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo, Duodecimo Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXI fol. 213.*

Anno 1497 Die 16 Octobris.

F. Matthæus de Lulmo, Epiſcopus Laudicenſis, ſeu Laodicienſis, vulgo *Laudicha*, in Syria, ſub Archiepiſcopo Damaſceno. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXIII pag. 210. Cavalerius Tomo I pag. 324 num. CCCLXVII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXII pag. 25, & in Addendis pag. 997.* Emendandi tamen omnes iſti Scriptores, & alii quos laudant, docent enim *Matthæum a Julio II* Epiſcopum *Laodicienſem* creatum fuiſſe. Epiſcopus certe conſtitutus eſt ab *Alexandro VI. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Matthæo de Lulmo electo Laudicen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Jacobo Epiſcopo Laudicen. regimini Laudicen. eccleſiæ præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum dicti Jacobi qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum & Theologiæ profeſſorem ordinem ipſum expreſſe profeſſum, religionis zelo conſpicuum, vitæ, ac morum, honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum meritis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus inſignitum direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te transferas, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim, Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo, Decimoſeptimo Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXXXIX fol. 189.* Notandum quod *Matthæus* cognomento dicitur *de Lulino*, legendum tamen crediderim de *Lulmo*, ut ab auctoribus paſſim cognominatur. Suffraganeus, ſeu Vicarius Archiepiſcopi *Mediolanenſis* fuit. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. dilecto filio Matthæo Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſori electo Laudicen, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Laudicen. tunc certo modo Paſtore carenti de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis, in quibus voluimus quod quam primum literas ipſas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes, & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Pontificalia officia exercere nequires, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad præfatam eccleſiam, quæ in partibus Infidelium conſiſtit, commode nequeas te conferre, & apud illam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favore proſequi gratioſo, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, quod ad dictam eccleſiam accedere, ſeu apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, in Mediolanen., & Cuman. Civitatibus, & Diœceſibus duntaxat dummodo per venerabiles Fratres noſtros Archiepiſcopum Mediolanen., & Epiſcopum Cuman. ad id requiſitus fueris, & de eorum ſpeciali licentia hujuſmodi pontificalia officia exercere libere, & licite valeas, voluntate prædicta, ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtri indulti infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo Decimoſeptimo Kal. Nov., Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXXXIX fol. 190.* Hinc altera Conſtitutio. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Matthæo Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori Electo Laudicen, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Perſonam tuam nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotam &c. Cum itaque nos hodie eccleſiæ Laudicen. tunc certo modo Paſtore carenti de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duxerimus auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. nos ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, & ut ſtatum tuum juxta Epiſcopalis dignitatis exigentiam, decentius tenere valeas, favorabiliter intendentes, ac te præmiſſorum intuitu gratioſo favore proſequi volentes, & a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutum fore cenſentes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis oblatæ petitionis inſtantiam. ſed de noſtra mera liberalitate, tecum ut unum, duo, aut plura beneficium ſeu beneficia &c. quorum inſimul, & perpetuæ Capellaniæ ad altare Sancti Johannis Evangeliſtæ ſitum in Sacriſtia Eccleſiæ Mediolanen. verſus meridiem qui ſeptuaginta florenorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, & quæ Capellania, & illius fructus hujuſmodi pro ſuſtentatione Epiſcopi Pontificalia officia in Civitate. & Diœceſi Mediolanen. per Archiepiſcopum Mediolanen. pro tempore exiſtentem, pro tempore exercentis deputati exiſtunt ducentorum florenorum auri ſimilium ſecundum eandem extimationem valorem annuum non excedant, ſi tibi alias canonice conferantur, aut præſenteris, vel alias aſſumaris, & in illa inſtituaris recipere, & inſimul quoad vixeris etiam una eccleſia Laudicen. &c. recipere, & in candem commendam quoad vixeris, ut præfertur, retinere, ac debitis. & conſuetis beneficii. ſeu beneficiorum hujuſmodi ſupportatis oneribus de reſiduis illorum fructibus &c. prout illud vel illa pro tempore in titulum obti-*

Digitized by Google

obtinentes, de illis diſponere, & ordinare poterant, ſeu etiam debuerant alienatione tamen &c. tibi penitus interdicta diſponere, & ordinare, libere, & licite valeas generalis Concilii, & quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis, nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus. Proviſo, quod beneficium ſeu beneficia hujuſmodi debitis propterea non fraudentur obſequiis &c. ſed illius vel illorum congrue ſupportentur onera conſueta. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, & diſpenſationis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo, Decimo ſeptimo Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CXXXIX fol. 191.

F. Robertus de Nova, ex Epiſcopo Minervin., ut in præcedenti Appendice dictum fuit, Epiſcopus Anno 1497.
Acerranus, Cerra, ſive Acerra, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Neapolitano. Ughellus in Epiſcopis Minerbin. Tomo VII Italiæ Sacræ pag. 746, & in Epiſcop. Acerran. Tomo VI pag. 220, edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. VI pag. 114. Cavalerius Tomo I pag. 327 num. CCCLXXIV.

F. Didacus Deza, ex Epiſcopo Zamorenſi, ut in hac Appendice dictum fuit, Epiſcopus Salmanticenſis, Anno 1497.
in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DV pag. 282, ex Fernandez, & Ægidio. Cavalerius, aliique ſupra laudati.

IDem ex Epiſcopo Salmanticen., Epiſcopus Giennenſis, Jaen, in Hiſpania Bætica. Fontana Theatro Anno circiter 1498.
Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXIV pag. 197, ex Fernandez. Cavalerius, aliique ſupra citati. Ad Eccleſiam Paduluam translatus fuit, ut mox dicetur.

F. Vincentius de Mazuelo, Epiſcopus Bericenſis, Alep, in Syria, ſub Archiepiſcopo Theſſalonicenſi. Anno 1498 Die 6 Aprilis.
Omittitur a Fontana, Cavalerio &c. Illum crediderim cujus meminit Echard Tomo I Scriptorum Ordinis, in Indice Epiſcoporum pag. 26 col. II, ubi hæc habet: Vincentius Mapcello, vel Maxcello, Teuto, vel Danus, Epiſcopus Berigenſis (forte Berghenſis ſub Nidroſienſi) Anno MCCCCXCVIII in actis Capituli Generalis Ferrariæ habiti ad gratias Ordinis acceptatur. Quod Bericenſis Epiſcopus, & cognomento de Mazuelo fuerit, ex hoc Diplomate liquet. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vincentio de Mazuelo Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Romani Pontificis copioſa benignitas de ſtatu perſonarum quarumlibet præſertim ad Pontificalem dignitatem aſſumendarum, quas oportet omni carere macula, ne tanti culminis cenſeantur inhabiles, ſolicite conſiderans ad ea libenter intendit, per quæ perſonæ aſſumendæ eccleſiis ſibi commiſſis ſana conſcientia, & integra mente valeant ſalubriter præſidere. Cum autem nos hodie eccleſiæ Bericen. certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de dictorum Fratrum conſilio providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos ne proviſio, & præfectio prædictæ, ſi forſan aliquibus cenſuris eccleſiaſticis ligatus exiſtis, valeant propterea invalidæ reputari providere, volentes, te a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædictæ, ac ſingulæ literæ Apoſtolicæ deſuper conficiendæ ſuum conſequantur effectum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium abſolvimus, & abſolutum fore nunciamus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ voluntatis, abſolutionis &c. infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo, Octavo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CXXXIX fol. 209. Suffraganeus, ſeu Vicarius Auxitani Archiepiſcopi fuiſſe videtur ex hac Conſtitutione. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vincentio de Mazuelo Ordinis Fratrum Prædicatorum & Theologiæ Profeſſori, electo Bericen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Bericen, tunc certo modo quem pro expreſſo haberi volumus Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, duximus auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, volentes inter cetera quod quamprimum literas Apoſtolicas ſuper proviſione, & præfectione hujuſmodi haberes expeditas ad dictam Eccleſiam te conferas, & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuam Civitatem, & Diœceſim Bericen. Pontificalia officia exercere nequires, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad præfatam eccleſiam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonali periculo commode nequeas te conferre, & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, quod ad eccleſiam accedere, & apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, in Civitate, & Diœceſi Auxitan. duntaxat, dum per illius Diœceſanum ad id requiſitus fueris, de ſpeciali ipſius licentia pontificalia officia hujuſmodi exercere, libere, & licite valeas, voluntate prædicta, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus de ſpecialis dono gratiæ tibi indulgemus. Nulli ergo &c. noſtri indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo, Octavo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CXXXIX fol. 208. Huc etiam ſpectant ſequentes Conſtitutiones. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vincentio Ordinis Fratrum Prædicatorum Electo Bericen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Perſonam tuam nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotam &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Bericen. certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona tua nobis, &

Fra-

Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu tempore proviſionis, & præfectionis prædictarum Parochialem eccleſiam de L . . . . inferiori Auxitan. Diœceſis, cujus fructus, redditus, & proventus centum librarum Turonen. parvorum, ſecundum communem extimationem annuum valorem non excedunt ex diſpoſitione Apoſtolica obtineres, prout obtines de præſenti, nos tibi, ut ſtatum tuum juxta Epiſcopalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas de alicujus ſubventionis auxilio providere, teque gratioſo favore proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate tecum, ut eccleſiam poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, ac in vim proviſionis, & præfectionis prædictarum pacificam poſſeſſionem, vel quaſi, regiminis, & adminiſtrationis, ac bonorum dictæ eccleſiæ Bericen., ſeu majoris partis eorundem fueris aſſecutus, Parochialem eccleſiam prædictam una cum dicta eccleſia Bericen., quandiu illi præfueris, ut prius retinere libere, & licite valeas, generalis Concilii, & aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate præfata Apoſtolica, tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus, decernentes eandem Parochialem eccleſiam propterea non vacare, ac irritum, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari. Proviſo quod dicta Parochialis eccleſia debitis propterea non fraudetur obſequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, diſpenſationis, & decreti infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo, Octavo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Ex Archivo Apoſtolico Lib.CXXXIX fol.210. In alia ſic legitur. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vincentio Electo Bericen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Sane eccleſia Bericen. certo modo Paſtoris ſolatio deſtituta, nos verum ultimæ dictæ vacationis modum præſentibus pro expreſſo habentes, ac ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne dicta eccleſia longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſum, cum fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem Parochialem eccleſiam de L . . . . . inferiori Auxitan. Diœceſis ex diſpoſitione Apoſtolica obtinentem, ac in Sacerdotio conſtitutum, religionis zelo conſpicuum, vitæ, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, ac aliis multiplicium virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem dictæ eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Bericen. Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo, Octavo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Ex Archivo Apoſtolico Lib.CXXXIX fol.208.

Anno circiter 1498.

F. Petrus Palmar, Epiſcopus Boſnenſis, in ejuſdem nominis regione, ſub Archiepiſcopo Colocenſi. Acta Capituli Generalis Ferrarienſis MCCCCXCVIII. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag. 26 col. 1, ex iiſdem Actis.

Anno 1498.

F. Thomas Malumbra, Epiſcopus Curſitanus, ſeu Corcyræ Nigræ, vulgo Curzola, in ejuſdem nominis Inſula maris Adriatici, ſub Archiepiſcopo Epidaurio. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXIV pag. 184, ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 307 num. CCCXXI. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad ſeculum XVI pag. 337. De anno inter auctores non convenit.

Anno 1499 Die 24 Januarii.

F. Martinus Lulia, Epiſcopus Leodicenſis. Succeſſit cuidam Paulo, ut ex hac Conſtitutione videre eſt. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Martino Lulia electo Leodicen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem, bonæ memoriæ Paulo Epiſcopo Leodicen., regimini eccleſiæ Leodicen. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritam, & inane. Poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum dicti Pauli, qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem &c. de qua nullus præter nos &c. longæ vacationis exponatur &c. Poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum in S. T. peritiſſimum, religionis zelo conſpicuum, vitæ, ac morum honeſtate, decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignis teſtimoniis accepimus, inſignitum, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta præfatæ eccleſiæ Leodicen. de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis, Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Qua-

Digitized by Google

Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo, Non. Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXII fol. 99.

F. Marcotius Ludia de Magna Solec, ut a Frydrychowiez, vel de Vetzizolez, ut a Fontana, & Cavalerio dicitur, Epiſcopus Cardien., ſeu Cardiopolitanus, vulgo Caridia, in Thracia, ſub Archiepiſcopo Heracleenſi. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXXVII pag. 155, ex Actis Conſiſtorialibus Alexandri VI. Dominicus Frydrychowiez in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag. 218, ex iiſdem Actis, Cavalerius Tomo I pag. 309 num. CCCXXV. Suffraganeus, ſeu Vicarius Epiſcopi Cracovienſis fuit Marcotius, vel Macarius, ut etiam vocatur a Cavalerio. Sic ipſum nominat Fontana Monumen. Dominican. Parte II Cap. XI ad an. MCCCCXCIX pag. 398, cujus hæc verba: Aſſumuntur ad Eccleſiarum regimina Prædicatores multi a Pontifice Alexandro, ut oves ſibi creditas per viam ſalutis æternæ dirigerent. Et quidem P. Macarius Ludia de veteri Rolecb, inſignis Theologiæ Doctor promotus eſt ad Eccleſiam Laodicenſem, cum facultate Pontificalia exercendi in Cracovienſi Diœceſi. Hinc dubium ſubnaſci poteſt, utrum ſcilicet iſte diſtinguendus ſit a præcedenti, qui fortaſſis Epiſcopus Laoditenſis dicendus eſt, non Laodicenſis.

Anno 1499 Die 27 Januarii.

F. Paulus Monelia, Epiſcopus Chienſis, Scio, in ejuſdem nominis Inſula, ſub Archiepiſcopo Rhodien. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXVII pag. 167, ex Actis Conſiſtorialib., Plodio, & Abbate Juſtiniano. Cavalerius Tomo I pag. 310 num. CCCXXVI. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDII pag. 3, & in addendis pag. 997. Idem Paulus Legatus fuit, ut in hac Appendice dicetur.

Anno 1499.

F. Petrus de Averſa, Epiſcopus Montis Viridis, Monte Verde, in Regno Neapolitano, tunc ſub Archiepiſcopo Compſano, nunc autem Montis Viridis ſedes unita cum Archiepiſcopo Nazareno. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCIII pag. 241, ex Ughello, Cavalerius Tomo I pag. 413 num. CCCXXXVII.

Anno 1499.

F. Gaſpar Grunwalt, Epiſcopus Scalonenſis, fortaſſis Schalholten., vulgo Schalholt, in Islandia, ſub Archiepiſcopo Nidroſienſi. Licet enim Scalonenſis Sedes ſit in Regno Neapolitano, ibi tamen Gaſparem jus dixiſſe vix crediderim. Nullus ipſi certe locus apud Ughellum. Quod autem Epiſcopus fuerit, liquet ex hac Conſtitutione. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gaſpari Grunwalt electo Scalonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem eccleſiæ Scalonen., tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Scalonen. eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne longioris vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem dictæ eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias &c. confidentes &c. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo (Nono), Septimo Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCCXXIII fol. 243.

Anno 1499 Die 7 Novembris.

F. Auguſtinus de Ortis, Epiſcopus Satrianenſis, Satriano, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Compſano. Ughellus in Epiſcopis Satrianen. Tomo VI Italiæ Sacræ pag. 854 editionis Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXXI pag. 290. Cavalerius Tomo I pag. 335 num. XVIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXXI pag. 47. Aſſervantur in Archivo Ordinis tres Conſtitutiones ex Archivo Apoſtolico Lib. CCCXXIV fol. 227, & 228, quibus Auguſtinus noſter Epiſcopus Satrianenſis renunciatur, & Federico Regi Siciliæ commendatur.

Anno 1500 Die 26 Junii.

F. Franciſcus de Corduba, Epiſcopus Glandelacenſis, fortaſſis Glendelacen., vulgo Glendalagh, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Dublinienſi. Omittitur a Fontana, Cavalerio &c. Epiſcopus certe fuit, ut ex hoc Diplomate liquet. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Franciſco de Corduba electo Glandelacen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Junone Epiſcopo Glandelacen. regimini eccleſiæ Glandelacen. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ &c. ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. Poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum dicti Junonis, qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis exponatur &c. Poſt deli-

Anno 1500 Die 21 Auguſti.

deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in S.T. peritiſſimum, religionis zelo conſpicuum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignis teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta præfatæ eccleſiæ Glandelacen. de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo, Duodecimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXII fol. 64.*

Anno 1500 Die 18 Septembris. F. Garcias de Chirichilla, Epiſcopus Blibienſis, ſeu Biblien., Gybeldenſis nempe, vulgo *Gibel &c.* in Phœnicia, ſub Antiocheno Patriarcha. De hoc Epiſcopo multum laborat *Cavalerius Tomo I pag. 311 num. CCCXXVIII, & CCCXXIX.* Conſulenda ſequens Conſtitutio. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Garciæ de Chirichilla electo Blibien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Franciſco Epiſcopo Blibien. regimini eccleſiæ Blibien. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum dicti Franciſci, qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem &c de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis exponatur &c. Poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem in ſacra pagina peritiſſimum, religionis zelo conſpicuum, vitæ, ac morum honeſtate, decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignis teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ eccleſiæ Blibien. de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo, Quatuor decimo Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Nono.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXII fol. 68.*

Anno 1500 Die 11 Decembris. F. Petrus de Monimo, Epiſcopus Bericenſis, *Alep*, in Syria, ſub Archiepiſcopo Theſſalonicenſi. Omittitur a *Fontana, Cavalerio &c.* Ipſius mentio variis in Conſtitutionibus. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro de Monimo electo Bericen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Vincentio Epiſcopo Bericen. regimini eccleſiæ Berican. ex conceſſione Apoſtolica præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus &c. poſtmodum vero dicta eccleſia per obitum ipſius Vincentii qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſorem, religionis zelo conſpicuum, vitæ, ac morum, honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque virtutum donis, quæ in te divina propagavit clementia, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, multipliciter inſignitum direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de eorundem Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo &c. quo circa diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi a Domino onus &c. ſuſcipiens &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo, Tertio Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXI fol. 157.* In alio Diplomate ſic legitur. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro de Monimo Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis conſueta clementia, ne diſpoſitiones per eam de Cathedralibus eccleſiis pro tempore factæ valeant, quomodolibet impugnari, ſed perſonæ ad eas promotæ illis puro corde, & ſincera conſcientia præſidere valeant, remedia, prout convenit, adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie eccleſiæ Bericen. ad præſens Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos ne proviſio, & præfectio prædictæ, ſi forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus ſis, valeant, propterea invalidæ reputari, providere volentes, teque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad hoc duntaxat, quod proviſio, & præfectio prædictæ, ac ſingulæ deſuper conficiendæ literæ, ſuum conſequantur effectum auctoritate prædicta, tenore præſentium abſolvimus, & abſo-*

abſolutum fore nunclamus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtoliels &c. ceteriſqae contrariis nequaquam obſtantibas. Nalli ergo &c. noſtræ abſolutionis iafringere &c. Si quis &e. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incaraationis Domiaicæ Milleſimo Quiagenteſimo, Tertio Idus Decembris, Pontificatas noſtri Anno Nono. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXI fol.* 159. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Archiepiſcopi *Auxitani. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſori electo Bericen., Salutem, & Apoſtoiicam Benedictionem. Siaceræ devotionis affectas, quem ad aos, & Romanam geris eecleſiam non indigne mereeur, ut votis tuis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamue. Hodie ſiquidem eecleſiæ Bericen. tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio per alias aoſtras literas duximus auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te eidem eccleſiæ ia Epiſcopum, & Paſtorem, volentes inter cetera, quod quam primum prædictas literas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes, & perſonaliter apud illam reſideres, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Bericen. Pontificalia officia aequires exercere, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad præfatam eecleſiam, quæ in partibus Infideiium eſt conſtituta, abſque perſonæ tuæ periculo commode nequeas te conferre, & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes ee præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis; tuis in bac parte ſupplicationibus incliaati, eibi, quod ad eccleſiam prædictam accedere, & apad eam perſonaliter reſidere miaime tenearis, quodqae poſtquam munus conſecrationis ſaſceperis, in Civitate, & Diœceſi Auxitan. dum per loci Diœceſanum ad id requiſitus fueris, & de ipſius ſpeciali licentia pontificalia officia hujaſmodi exercere, libere, & licite valeas, voluntate prædicta &c. ceteriſqae contrariis neqaaquam obſtantibus, auctoritate præfata, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nalli ergo &c. noſtri induiti infringere &c. Si quis &c. Datum Rome apad S. Petrum Anno Incarnationis Domiaicæ Milleſimo Quingenteſimo, Tertio Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXI fol.* 159. Duas alias Conſtitutiones habes in Archivo Ordinis, quarum una *Petro* fit poteſtas eecipiendi munus conſeerationis a quocunque Epiſcopo Catholico, ex *Archivo Apoſtolieo Lib. CCLXI fol.* 158, in alia vero ſie legitur. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Ordinis Fratrum Prædicatorum, Electo Bericen., Saiutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Perſoaam tuam nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotam tuis enigentibue meritis paterna benevolentia proſequentes, illa tibi favorabiliter concedimus quæ tuis commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Hodie ſiquidem eccleſiæ Bericen. tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de eorundem Fratrum conſilio, Apoſtolica auctoritate duximus providendum, præficiendo te illi ia Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde coafectis literis plenius continetur, Cum autem, ſicut accepimus, tu tempore proviſionis, & præfectionis prædictarum Cathedram Theologiæ eccleſiæ Auxitan. Ordinis Sancti Auguſtini, cujus centum ducatorum auri de Camera, ac cajus, & ei annexorum etiam centum librarum veſtra monetæ in Regno Fraaciæ curſum babentis quinquaginta ducatos ſimiles, vel circa conſtitaentium, fructus, redditus, & proventus, ſecundum communem æſtimatioaem valorem annuum, non excedunt, Parochialem eccleſiam de L .... iaferioris, Auxitan. Diœceſis, obtineres, prout obtines, aos ad ea quæ ia tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, teque qui Theologiæ hujuſmodi Profeſſor exiſtis præmiſſorum intuita, gratioſo favore proſequi volentes, ac a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. abſolutum fore cenſentes, motu proprio, non ad enam, vel alterius, pro te nobis ſuper boc oblatæ petitionis, iaſtantiam, ſed de noſtra mera liberaiitate, tecum, ut etiam poſtquam, in vim proviſionis & præfectionis prædictarum, pacificam poſſeſſionem vel quaſi regiminis, & admiaiſtrationis, ac bonoram dictæ eccleſiæ, vel majoris partis eorum aſſecatus fueris, & munus conſecrationis ſaſceperis, Cathedram, & Parochialem eccleſiam, una cum dicta eccleſia Bericen. quandiu illi præfueris, ac privilegiis, diſpenſationibus, & iadaltis quæ alias hactenus obtinuiſti, ut prius retiaere, & Cathedram ipſam regere libere, & licite valeas, generalis Concilii, & quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & ordinationibas Apoſtolicis &c. quodque tu Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſor exiſtis, ceteriſque contrariis, nequaquam obſtantibas, de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus. Decernentes Cathedram, & Parochialem eccleſiam prædictas propterea non vacare, irritum quoqae, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari. Proviſo, quod Parochialis prædicta debitis aon fraudetur obſequiis, & animarum cura in ea, nullatenus aegiigatur. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutioais, & diſpenſationis, indulti, & decreti infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apad S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Qaingenteſimo, Tertio Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.* Ex Aechivo Apoſtolieo *Lib. CCLXI fol.* 160.

F. Didaeus Deza, ex Epiſcopo *Giennenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Palentinus, in Hiſpania, sub Archiepiſcopo Burgenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXLVII pag.* 259, *ea Fernandez. Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Archiepiſcopus *Hiſpalenſis* fuit *Didacus*, ut poſtea dicetur. Anno 1500.

F. Martinus Cabeeadevaca, Epiſcopus Marochitanus, *Maroc*, in Africa. *Cavalerius Tomo I pag.* 312 *num. CCCXXXIII, ex Lopez.* Anno circiter 1500.

F. Thomas Doradero, Hiſpanus, Epiſcopus Dumenſis, fortaſſis Dunenſis, *Downe*, in Hibernia, ſub Armachano. *Cavalerius Tomo I pag.* 312 *num. CCCXXXII, ex Lopez.* Notandum, quod *Dumium pagus erat cum Cœnobio, apud Bracaram urbem Archiep. Hiſpaniæ, cujus Abbas etiam Epiſcopus erat in Regis curia, teſte Morali*, uti docent Philippus Feerarius, & Michael Antonius Baudrand. Anno circiter 1500.

Anno circiter 1500. F. Thomas de Nola, Epiſcopus Civitatenſis, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano: *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CLXXVI pag.170, ex Leandro Alberti auctore coævo, & Vallo. Cavalerius Tomo I pag.312 num.CCXXXIV.*

Anno circiter 1500. F. Johannes Cracovienſis, Epiſcopus Lacedæmonenſis, vulgo *Miſitra*, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Corinthio. Nunc Metropolis eſt. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CCCX pag.209, ex Bzovio. Cavalerius Tomo I pag.312 num.CCCXXX.*

Anno 1501 Die 31 Martii. F. Stephanus Iſchugli, Epiſcopus Bellinen., Cæſareæ ſcilicet Philippi, vulgo *Belina*, ut ex *Guillelmo Tyria*, *Poſtello*, & *Brocardo* videre eſt apud *Baudrand*, in Palæſtina, ſub Archiepiſcopo Tyrio. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio &c.* De ipſo ſequentes Conſtitutiones. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Stephano Jſchugli Electo Bellinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Daniele Epiſcopo Bellinen. regimini ecclesiæ Bellinen. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Danielis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c: nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ejuſdem eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem in presbyteratus ordine conſtitutum, cui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Bellinen. Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Primo, Pridie Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Nono.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.CCLXIII fol.236.* In alia ſic legitur. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Stephano Jſchugli Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, electo Bellinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam non indigne meretur, ut votis tuis quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Hodie ſiquidem eccleſia Bellinen, tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam accepta, de Fratrum eorundem conſilio, per alias noſtras literas duximus auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te eidem eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem, volentes inter cetera quod quamprimum prædictas literas haberes expeditas, ad præfatam eccleſiam accederes, & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Bellinen. Pontificalia officia nequires exercere, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad præfatam eccleſiam, quæ in partibus infidelium eſt conſtituta, abſque perſonæ tuæ periculo commode nequeas te conferre, & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi quod ad eccleſiam prædictam accedere, & apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, in Civitate, & Diœceſi Citrien.* (fortaſſis Ciceſtrien., vel Citizen.), *dum per loci Diœceſanum ad id requiſitus fueris, & de ipſius ſpeciali licentia pontificalia officia exercere, libere, & licite valeas, voluntate prædicta &c. ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus auctoritate præfata, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ tibi indulgemus. Nulli ergo &c. noſtri indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Primo, Pridie Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Nono.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib.CCLXIII fol. 237.*

Anno 1502 Die 4 Aprilis. F. Michael de Alvitez, Epiſcopus Baianenſis, in Africa, ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi. Hunc non norunt *Fontana*, *Cavalerius &c.* Epiſcopus certe fuit, ut ex ſequentibus Diplomatibus videre eſt. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Michaeli de Alvitez electo Baianen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Sane Eccleſia Bajanen. certo modo Paſtoris ſolatia deſtituta, nos verum ultimæ dictæ eccleſiæ vacationis modum, etſi ex eo quævis generalis reſervatio, etiam in corpore Juris clauſa reſultet, præſentibus pro expreſſo habentes, ac ad proviſionem ejuſdem eccleſia celerem, & felicem ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficienda eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia & temporalium circumſpectione, ac aliis multiplicium virtutum donis, fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus; teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſia, tibi in ſpi-*

ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. confidentes &c. Jugum igitur Domini &c. prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas, ad dictam eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Baianen. Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Secundo, Pridie Non. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Decimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXIV fol. 67. Huc etiam ſpectat iſta Conſtitutio. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Michaeli de Alvitez Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis circumſpecta benignitas de ſtatu perſonarum eccleſiaſticarum quarumlibet ſollicite recogitans ad ea libenter intendit, per quæ perſonæ ipſæ eccleſiis ſibi committendis ſincero corde, & pura conſcientia valeant præſidere. Cum itaque nos hodie de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta eccleſiæ Baianen. certo modo Paſtoris regimine deſtitutæ, de Fratrum prædictorum conſilio, providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos ne proviſio, & præfectio prædictæ, ſi forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus exiſtis, valeant propterea invalidæ reputari, providere volentes, te a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet ligatus exiſtis, ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædictæ, ac ſingulæ literæ Apoſtolicæ deſuper conficiendæ ſuum conſequantur effectum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium abſolvimus, & abſolutum fore nunciamus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dictæ eccleſiæ &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, & nunciationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Secundo pridie Non. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Decimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXIV fol. 71. Quod vero Sedes iſta ſit ſub Carthaginenſi Metropoli probatur. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Michaeli Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori Electo Baianen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Baianen. tunc Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis, plenius continetur, nos ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes tuis ſupplicationibus inclinati, tibi ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus, duobus, vel tribus catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus munus conſecrationis, recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum a te noſtro & Romanæ eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ ſolito Juramento, juxta formam præſentibus annotatam, munus prædictum auctoritate noſtra impendere, libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto Juramento, idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud recipere præſumpſeritis dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe quam tu ab adminiſtratione, tam ſpiritualium, quam temporalium eccleſiarum veſtrarum, ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus quod formam hujuſmodi a te tunc præſtiti Juramenti, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium, quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Carthaginen. cui præfata eccleſia Metropolitico Jure ſubeſſe dignoſcitur nullum in poſterum præjudicium generetur, formam autem Juramenti quod præſtabis hæc eſt. Ego Michael Electus Baianen. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, & Domino noſtro Alexandro PP. VI ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Secundo, pridie Non. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Decimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXIV fol. 68. Suffraganeus, ſeu Vicarius Epiſcopi Placentini fuit Michael noſter. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Michaeli Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſori electo Baianen, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam, non indigne meretur, ut votis tuis quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus, hodie ſiquidem eccleſiæ Baianen. tunc certo modo, quem pro expreſſo haberi volumus, Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus, auctoritate Apoſtolica providendum præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, volentes inter cetera, ut quamprimum literas Apoſtolicas ſuper proviſione, & præfectione hujuſmodi haberes expeditas ad dictam eccleſiam te conferres, & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Baianen. pontificalia officia exercere nequires, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad præfatam eccleſiam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonali periculo commode nequeas te conferre, & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favore proſequi gratioſo, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, ut ad dictam eccleſiam accedere, & apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis rite ſuſceperis, in Civitate, & Diœceſi Placentin. Provinciæ Compoſtellan. duntaxat. dum per venerabilem Fratrem noſtrum Gutterum, & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Placentin. ad id requiſitus fueris, ac de ſpeciali ipſius licentia Pontificalia officia hujuſmodi exercere libere, & licite valeas, voluntate prædicta, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus præfata auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ voluntatis, & indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Secundo, Pridie Non. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Decimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXIV fol. 70.

Anno 1502 Die 14 Septembris.

F. Johannes Fanelli, Epiſcopus Nazaren., ſeu Nazaroten., ſub Archiepiſcopo Lariſſano, in Theſſalia. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio &c.* Hinc transferibendæ ſequentes Conſtitutiones. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Fanelli electo Nazaren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia, cujus inſcrutabili providentia &c. Sana eccleſia Nazaren. certo modo Paſtoris ſolatio deſtituta, nos verum ultimæ dictæ eccleſiæ vacationis modum, etſi ex illo quavis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa, reſultet, præſentibus pro expreſſo habentes, ac ad proviſionem dictæ eccleſiæ celerem, & felicem, ne eadem eccleſia longioris vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem, in presbyteratus ordine conſtitutum, de religionis zelo, vitæ, ac morum honeſtate, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis multipliciter commendatum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ejuſdem eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, firma ſpe, fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino &c. Jugum igitur Domini &c. prompta devotione ſuſcipiens curam, & adminiſtrationem prædictas, ſic exercere ſtudeas &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuam Civitatem, & Diœceſim Nazaren. Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Secundo, Quartodecimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXIV fol.* 266. In alia ſic legitur. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Fanelli Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis conſueta clementia, ne diſpoſitiones per eam de Cathedralibus eccleſiis pro tempore factæ valeant quomodolibet impugnari, ſed perſonæ ad eas promotæ illis puro corde, & ſincera conſcientia præſidere valeant, remedia, prout convenit, adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie eccleſiæ Nazaren. ad præſens certo modo Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos ne proviſio, & præfectio prædictæ, ſi forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus ſis, valeant propterea invalidæ reputari, providere volentes, teque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ac nunciantes, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dictæ eccleſiæ, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, & nunciationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Secundo, Quartodecimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. IX An. X fol.* 304. Archiepiſcopi *Biſuntini* Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit. *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Fanelli Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori Electo Nazaren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam non indigne meretur, ut votis tuis quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Hodie ſiquidem eccleſiæ Nazaren. tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio per alias noſtras literas duximus auctoritate Apoſtolica providendum præficiendo te eidem eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem, volentes inter cetera, quod quamprimum literas ipſas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes, & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuam Civitatem, & Diœceſim Nazaren. Pontificalia officia nequires exercere, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, ad præfatam eccleſiam, quæ in partibus infidelium conſtituta exiſtit, abſque perſonæ tuæ periculo commode nequeas te conferre, & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi ut ad præfatam eccleſiam accedere, & apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis in Civitate, & Diœceſi Biſuntin., dum per venerabilem Fratrem noſtrum Franciſcum, & pro tempore exiſtentem Archiepiſcopum Biſuntin. ad id requiſitus fueris, & de ejus conſenſu, Pontificalia officia hujuſmodi exercere libere, & licite valeas, voluntate, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtri indulti infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Secundo, Quartodecimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXIV fol.* 267. Hinc annua penſio *Johanni* conſtituta fuit ex redditibus Eccleſiæ *Biſuntinæ*, ut ex duabus Conſtitutionibus liquet. Aſſervantur in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXIV fol.* 268, & 269.

Anno circiter 1502.

F. Albertus a Secinia, ex Provinciali Poloniæ, & Commiſſario Apoſtolico ab Innocentio VIII delegato, Epiſcopus Theodoſien., vulgo *Caffa*, in Tartaria minori, Nunc Sedes eſt Archiepiſcopalis. *Dominicus Frydrychowicz in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag.*213. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.DLXXXIV pag.*307, *ex Bzovio de rebus geſtis in Polonia Cap.VI, & ejuſdem Theatri Parte II Cap.II Tit.IV pag.*364. *Cavalerius Tomo I pag.*313. *num. CCCXXXVIII.*

F. Jo.

Digitized by Google

Ann. 1502 Die 7 Novembris.

F. Johannes de Meliche, Epiſcopus Oropienſis, in Syria. De hac Eccleſia conſulendus Abbas Blaſius Terzi de Laurea, in Syria Sacra Lib. I Cap. CXXVII pag. 120. Hunc Epiſcopum non norunt Fontana, Cavalerius &c. Ipſius mentio in ſequentibus Diplomatibus. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Meliche electo Oropien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Sane eccleſia Oropien. certo modo Paſtoris ſolatio deſtituta, nos verum, & ultimum ipſius eccleſiæ vacationis modum, etiam ſi ex illo quavis generalis reſervatio, etiam in corpore Juris clauſe reſultet, præſentibus pro expreſſo habentes, & ad proviſionem ejuſdem eccleſiæ celerem, & felicem, ne eccleſia ipſa longioris vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ, perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus, diligentem, demum ad te ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, & in Presbyteratus ordine conſtitutum, cui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum exigentiam meritorum accepta, eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & dictæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te transferas, & perſonaliter reſideas apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Secundo, Septimo Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXII fol. 16. Aliud hujus tenoris eſt. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Meliche, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis conſueta clementia, ne diſpoſitiones per eam de Cathedralibus eccleſiis pro tempore factæ valeant, quomodolibet impugnari, ſed perſonæ ad eas promovendæ illis puro corde, & ſincera conſcientia præſidere valeant, remedia, prout convenit, adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie eccleſiæ Oropien. ad præſens certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos ne proviſio, & præfectio prædictæ, ſi forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus ſis, valeant invalidæ reputari, providere volentes, te a quibuſcunque excommunicationis &c. ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædictæ, ac ſingulæ literæ apoſtolicæ deſuper conficiendæ ſuum ſortientur effectum, auctoritate apoſtolica tenore præſentium abſolvimus, & abſolutum fore nunciamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis &c. infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Secundo, Septimo Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. XX fol. 17. Idem liquet ex hac altera Conſtitutione. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Ordinis Fratrum Prædicatorum electo Oropien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Oropien. Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate, duximus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus, duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum, auctoritate noſtra impendere libere, & licite tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus, earundem præſentium tenore, facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ille, quam tu ab adminiſtratione, tam ſpiritualium, quam temporalium eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam hujuſmodi a te tunc præſtiti juramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, forma autem juramenti quod præſtabis hæc eſt. Ego Johannes Electus Oropien. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, & Domino, noſtro Domino Alexandro PP. VI, ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Secundo, Sexta Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. DXIV fol. 12. Suffraganeus, ſeu Vicarius, fuit Archiepiſcopi Strigonienſis, ut ex hac Conſtitutione probatur. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori Electo Oropien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam, non indigne meretur, ut votis tuis quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Hodie ſiquidem Eccleſiæ Oropien. tunc certo modo, quem haberi volumus pro expreſſo, Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio duximus Apoſtolica auctoritate providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis, in quibus voluimus, quod quam primum literas ipſas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes, & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim . . . . . Pontificalia officia exercere nequires, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad eccleſiam prædictam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, commode nequeas, te conferre &c. nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſup-

ſupplicationibus inclinati, tibi, quod ad eccleſiam prædictam accedere, ſeu apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, in Civitate & Diœceſi Strigonien. duntaxat dummodo per dilectum filium noſtrum Thomam S. R. E. Presbyterum Cardinalem, qui eccleſiæ Strigonien. ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica præeſſe dignoſcitur, & pro tempore exiſtentem Archiepiſcopum Strigonien. ad id requiſitus fueris, & de ſpeciali ejus licentia hujuſmodi Pontificalia officia exercere libere, & licite valeas, voluntate prædicta, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. cæteriſque contrariis, nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ voluntatis &c. infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Secundo, Septimo Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno undecimo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. DXIV fol.* 14. Hinc ex redditibus *Strigonienſis* Eccleſiæ annua penſio conſtituta fuit *Johanni*, ut habetur ex aliis duobus Diplomatibus aſſervatis in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXII fol.* 13, & 14.

Anno 1503. **F.** Bartholomæus de Senica, vel Aſſonica, Epiſcopus Juſtinopolitanus, *Capo d' Iſtria*, in Iſtria, ſub Aquilejenſi Patriarcha. *Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag.* 623, *ex Ughello, & ex Regeſtis Inquiſitionis Brixien. Cavalerius Tomo I pag.* 346 *num. XLV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXXIX pag* 340, *& in Addendis pag.* 998 *col.* 1. Notandum quod *Ughellus* ſilet *Bartholomæum* Ordinis Prædicatorum alumnum fuiſſe. Ex hoc autem *Ughelli* ſilentio, & quia *Bartholomæi* non meminerunt *Leander Alberti, Luſitanus, Pius, Fernandez*, eos inter qui noſtris falſo ſunt aſcripti *Bartholomæum* recenſet *Echard*. Verum quam jejunum ſit hoc argumentum probatur ex Regeſtis Inquiſitionis *Brixienſis*, in quibus ſic legitur: *Anno MDXX Reverendiſſimus D. Pater Bartholomæus a Senicia Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Juſtinopolitanus Sanctiſſimi D. N. Referendarius, & Inquiſitor Generalis Brixiæ &c.*

Anno 1503. **F.** Eduardus Nugnez, Luſitanus, Epiſcopus Laodicenus, ſub Patriarcha Antiocheno. In *Indiam* miſſus eſt *Eduardus*, rogatu *Luſitaniæ* Regis, ut ibidem Apoſtolici Vicarii munus obiret. *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. XII ad an. MDIII pag.* 403. *Cavalerius Tomo I pag.* 344 *num. XL, ex Plodio, Lopez, & Souegio.*

Anno circiter 1503. **F.** Marianus, Cracovienſis. Epiſcopus Laodicenſis, in Syria, ſub Archiepiſcopo Damaſceno. *Cavalerius Tomo I pag.* 214 *num. CCCXL. Dominicus Frydrychowicz in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c.* 218. Suffraganeus, ſeu Vicarius, *Cracovienſis* fuit *Marianus*, ut ex *Miechovio Lib. IV Hiſtor. Polon.* apud *Dominicum Frydrychowicz* videre eſt.

Anno 1503. **F.** Ludovicus de Logoria, aliis de Lagora, Lagoria, & Lagacio, Hiſpanus, Epiſcopus Callienſis, *Cagli*, in Umbria Superiori, ſub Urbinatenſi Archiepiſcopo. *Ughellus in Epiſcopis Callien. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 821, *editionis Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXII pag.* 151. *Cavalerius Tomo I pag.* 328 *num. CCCLXXV.* Idem ad Epiſcopatum *Lavellenſem* translatus eſt, ut poſtea dicetur. Nota quod *Ughellus* ſilet *Ludovicum* Ordinis Fratrum Prædicatorum fuiſſe, uti ſæpius eidem Sriptori contigit.

Anno 1503. **F.** Hieronymus Fonſeca, Epiſcopus........ in Regno Neapolitano. *Cavalerius Tomo I pag.* 313 *num. CCCXXXIX, ex Caſtillo, & Plodio*, nec dicunt auctores iſti quænam ſit Eccleſia, cui jus dixit *Hieronymus*.

Anno circiter 1503. **F.** Jacobus de Ridder, Epiſcopus Ebronenſis, in Palæſtina, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. Hujus Epiſcopi meminit *Bernardus de Jonghe* in *Belgio Dominicano*, ubi hæc habet: *Reverendiſſimus P. Jacobus de Ridder Epiſcopus Ebronenſis, S. T. Doctor, Colonienſis ſui Conventus, necnon Leowardienſis, & Ultrajectini quondam Prior, ad infulas Ebronenſes evectus, Suffraganeus fuit DD. Frederici Badenſis, Philippi de Burgundia, & Henrici Bavari Epiſcoporum Ultrajectenſium.* Id probat variis antiquis monumentis.

LEGATUS.

Anno 1499. **F.** Paulus Monelia. Epiſcopus Chienſis, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Legatus in Hungariam miſſus. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag.* 358 *num. XXXIII*, aliique ſupra laudati.

PIUS

PIUS III,

Franciſcus Piccolomineus antea vocatus, patria Senenſis, electus (*a*) eſt die XXII Septembris MDIII. Coronatus (*b*) fuit eodem anno die VIII Octobris. Obiit (*c*) XVIII ejuſdem Menſis. Sedit dies XXVII.

(a) *Ciacconius*, aliique paſſim.
(b) Iidem.
(c) Ex ipſius epitaphio apud *Oldoinum*.

De transferendo (1) Generali Capitulo.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Anno 1503 Die 1 Octobris.

Dilecto filio Vincentio (3) Bandello Magiſtro Generali (4) Ordinis Predicatorum. I.

PIUS PP. III.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXpoſitum Nobis fuit, quod Generale Capitulum Penthecoſtes juxta conſuetudinem, & determinationem factam in ultimo ejuſdem Ordinis Generali Capitulo (5), tum propter bella, tum propter ceptam a te Ordinis viſitationem, minus commode predicto tempore fieri poterit, quodque magis expediens tuo Ordini eſſet, quod in aliud tempus transferretur. Nos igitur multis periculis imminentibus Fratribus tuis concurrentibus ex omnibus Provinciis occurrere volentes, & reformationi Ordinis, quam viſitando propagari percepimus, impedimenta ſubtrahere cupientes, inclinati etiam ſupplicationibus venerabilis Fratris noſtri Ol. (6) Epiſcopi Sabinen. Cardinalis Neapolitan. dicti Ordinis Protectoris, Nobis deſuper porrectis, tenore preſentium differimus, & dilatum declaramus predictum Generale Capitulum in annum alium, hoc eſt in feſtum Penthecoſtes anni Domini Milleſimi Quingenteſimi Quinti (7). In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die Prima Octobris MCCCCCIII, ante noſtram Coronationem (8).

N. Advobarius.

1. *Transferendo*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo*.) In quo Autographum.
3. *Vincentio*.) De quo ſæpius dictum fuit.
4. *Magiſtro Generali*.) Electus fuerat in Comitiis Generalibus Romæ *XXIX* Maii *MDI*.
5. *Capitulo*.) Mox laudato.
6. *Ol.*) *Oliverii*, de quo ſæpius dictum fuit.
7. *Quinti*.) Hoc eodem anno *MDV* celebratum fuit *Mediolani* apud *S. Euſtorgium* die *XI* Maii.
8. *Ante noſtram Coronationem*.) Quæ fuit die *VIII* Octobris *MDIII*.

(a) Julius II, in Bulla Salvator apud *Uldoinum* in *Additionibus ad Ciaconium*.
(b) Ex *Panvinio*, & *Ciaconio*.
(c) *Ciaconius*, aliique paſſim.

J U L I U S II,

Julianus de Rúvere antea dictus, patria Savonenſis, electus (*a*) eſt die I Novembris MDIII. Coronatus fuit die XXVI ejuſdem Menſis. Obiit die XXI Februarii MDXIII. Sedit annos IX, Menſes III, Dies XXI.

Anno 1503 Die 26 Novembris.

F. Johannes Poreti præficitur Eccleſiæ B. Mariæ de Valle Gratiarum, Taurinen. (1) Diœceſis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

I. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Archipresbytero (3) Eccleſię B. Marię de Salutiis, Taurinen. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum ſiquidem cum dilectus filius Johannes Poreti, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, qui Eccleſiam, Prioratum nuncnpatam, Beatę Marię de Valle gratiarum, Taurinen. Dięceſis &c. ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica in commendam obtinebat &c. prout in ſingulis noſtris inde confectis literis &c. plenius continetur. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam dictę poſteriores literę tibi pręſentatę fuerint, per te, vel alium, ſeu alios facias auctoritate noſtra eundem Johannem administratione, & fructuum, reddituum, & proventuum perceptione hujuſmodi, juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis Alexandri Prędeceſſoris hujuſmodi, necnon juxta prędictorum formam eccleſię ipſius poſſeſſione pacifica frui, & gaudere, non permittens ſuper his per dictum Carolum, ſeu quoſvis alios quomodolibet impediri, ſeu etiam moleſtari. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. non obſtantibus omnibus, quę in dictis poſterioribus literis idem Prędeceſſor voluit non obſtare, ſeu ſi dicto Capitulo, vel quibuſvis aliis &c. ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi &c. non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes &c. mentionem. Datum (4) Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Tertio, Sexto Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Taurinen.*) In *Pedemontio*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLVII fol.* 10.
3. *Archipresbytero*.) Aliud eadem de re datum Diploma inſcribitur ipſimet *Johanni Poreti*. Aſſervatur in Archivo Ordinis ex *Archivo Apoſtolico Lib. III fol.* 21.
4. *Datum*.) Quædam aliæ Conſtitutiones habentur in Archivo Ordinis quibus *Julius II* Fratres Ordinis Prædicatorum Beneficiis eccleſiaſticis donat.

Anno 1504 Die 19 Aprilis.

II. FRatri Bernardo Granello, ut eccleſiaſticam dignitatem conſequi poſſit, & fruatur privilegiis Fratrum. Conſtitutio ſic incipit: *Julius &c. Dilecto filio Bernardo Granello Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, familiari noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Grata familiaritatis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quarto, Tertiodecimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. III fol.* 248.

Anno 1509 Die 19 Decembris.

III. FRatrem Triſtanum Dollum conſtituit Abbatem Monaſterii B. Mariæ de Coactiva Lovani. Conſtitutio ſic incipit: *Julius &c. Dilecto filio Triſtano Dollo Abbati Monaſterii Beatæ Mariæ de Coactiva Lovani, Ciſtercien. Ordinis, Coriſopiten. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Summi diſpoſitione &c. Dudum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem, in Provincia Franciæ ejuſdem Ordinis Prædicatorum ſecundum morem ipſius Ordinis Priorem Provincialem, & cariſſimo in Chriſto filio noſtro Ludovico Regi, ac cariſſimæ in Chriſto filiæ Annæ Reginæ Francorum illuſtribus, & Duciſſæ Britanniæ, gratum, & acceptum, & pro qua ipſa Anna Regina, & Duciſſa, in cujus temporali dominio Ducatus Britanniæ Monaſterium ipſum conſiſtit, Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicavit, cuique apud Nos de religionis zelo &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Nono, Quarto decima Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXX fol.* 181. Alias octo Conſtitutiones eadem de re, eademque die, datas habes in Archivo Ordinis ex *Archivo Apoſtolico*.

Anno 1512 Die 5 Martii.

IV. FRatrem Guillermum de Aribaldis creat Gubernatorem hoſpitalis S. Mariæ Gratiarum Caſalen. Ordinis Sancti Auguſtini. Conſtitutio ſic incipit: *Julius &c. Dilecto filio venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Caſalen. in ſpiritualibus Vicario Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Manſuetudinis exemplo movemur &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Undecimo*, (Stylo Bullarum, æræ communis MDXII) *Tertio Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Nono*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CIII fol.* 81.

In.

Inquiſitorem Tullenſem (1) creat.

Anno 1503 Die 18 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

V.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Lyetardi (3), Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CONſiderantes tuę circumſpectionis induſtriam in multis, & arduis, ſępius approbatam, ac alia grandia virtutum inſignia, quibus perſonam tuam bonorum dator Altiſſimus decoravit, ea, quę gravis ſunt ponderis tibi fiducialiter committimus, ſperantes firmiter, quin potius pro certo tenentes, quod ad illa efficaciter exequenda, ferventer intendas, intentum animi dirigas, & operoſę ſolicitudinis ſtudio proſequaris. Hinc eſt, quod Nos, qui deſideramus, & in votis gerimus, ut Fides Catholica, noſtris proſperetur temporibus, & pravitas perverſorum hominum, erroreſque eorundem, de finibus fidelium extirpentur, circa extirpationem eandem, ſalubriter, & utiliter providere intendentes, te in Civitate, & Diœceſi Tullen., cum omnibus, & ſingulis immunitatibus, privilegiis, gratiis, & libertatibus, Inquiſitoribus dictę pravitatis a jure, vel conſuetudine, hactenus conceſſis, in cauſis hęreſum, Inquiſitorem facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, dantes, & concedentes tibi contra omnes dictam pravitatem credentes, receptatores, fautores, & defenſores eorum, tam eccleſiaſticas, quam ſeculares utriuſque ſexus perſonas exemptas, & non exemptas, cujuſcunque etiam dignitatis, ſtatus, gradus, Ordinis, vel conditionis exiſtant, necnon infamatos, vel ſuſpectos de hęreſi procedendi, ac officium Inquiſitoris tibi commiſſum exequendi, juxta canonicas ſanctiones, necnon alia faciendi, quę de jure, vel conſuetudine Inquiſitores pravitatis prędictę, quomodolibet facere conſueverunt, ſeu etiam potuerunt, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus facultatem. Per conceſſionem autem hujuſmodi, non intendimus poteſtati, ac juriſdictioni aliorum Inquiſitorum a Nobis, vel aliis, ad hoc auctoritatem habentibus, in aliquo derogare. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Tertio, Quinto decimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Tullenſem.*) In *Lotharingia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCLXII fol.* 157.
3. *Petro Lyetardi.*) Hunc non novit *Fontana* Inquiſitores recenſens in *Theatro Dominicano*. Ibidem alium prætermittit cujus meminit ſequens Diploma.

F. Ægidius de Hollandia fit Inquiſitor Leodienſis, Conſtitutio ſic incipit: *Conſiderantes &c. Te in partibus Catholicis Leodien. &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quarto* (Stylo Bullarum, æræ communis MDLV) *Sexto Idus Februarii*, *Pontificatus noſtri Anno Secundo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXIII fol.* 213.

Anno 1505 Die 8 Februarii. VI.

De reformandis Hiberniæ (1) Cœnobiis, & ibidem Vicario Generali conſtituendo.

Anno 1504 Die 23 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

VII.

Diplomatis cauſa.

PAſtoralis officii cura, quam diſponente Domino, meritis licet inſufficientibus, gerimus, Nos admonet &c. (3) Sane pro parte dilecti filii Johannis Baufruentes (4) Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Theologię profeſſoris, & Vicarii (5) Generalis Congregationis Hollandię dicti Ordinis Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod nonnulli Fratres certarum Domorum dicti Ordinis, Conventualium nuncupatarum, Inſulę Hibernię, pręſertim Corkagen. (6), & Liniciorum (7) Civitatum, & Villę, ſeu Oppidi Jochalię Clonen. (8) Diœceſis, ut animarum ſuarum ſalutem magis proſequi poſſint, & regularis obſervantia dicti Ordinis propagationem ſuſcipiat, cupiunt hujuſmodi regulari obſervantię ſe ſubiicere, & hoc etiam ſumme deſiderant, cariſſimus in Chriſto filius noſter Henricus (9) Rex Anglię, & Hibernię Dux (10), & nunc Archiepiſcopus Caſſellen. (11) in dicta Inſula Hibernię pręfati Ordinis Conſervator Generalis, ac etiam dilecti filii Communitates Civitatum, & univerſitates Villę, ſeu Oppidi prędictorum, dilectus filius Vincentius (12) Bandellus de Caſtronovo, pręfati Ordinis Magiſter Generalis, qui tam auctoritate Apoſtolica ſibi deſuper conceſſa, quam ex officio ſui Generalatus, ad reformationem dicti Ordinis, quantum poteſt, intentus exiſtit, & propterea ad plures, & diverſas Provincias, ſe perſonaliter contulit, non valens perſonaliter ad dictam Inſulam ſe transferre, & cupiens, quantum poteſt, ſalutem animarum Fratrum dictę Inſulę, ac Religionis, & Obſervantię hujuſmodi augmento providere, pręfatum Johannem, ejuſdem Vincentii Generalis in pręfata Inſula Vicarium inſtituit, ſeu deputavit, ſuper Fratribus, & Domibus, ſeu Conventibus dicti Ordinis reformatis, & reformandis in dicta Inſula, cum auctoritate viſitandi Domos, & illarum Fratres dicti Ordinis pręfatę Inſulę, ac eos, per ſe, vel alios, corrigendi, puniendi, eos ligandi, & ſolvendi, incarcerandi, pęnitentias eis injungendi, omnes Fratres ad dictam Inſulam mittendi, & revocandi, quoties opus fuerit, in ſuis Domibus, vel dictę Congregationis aſſignandi, Priores, & alios officiales inſtituendi, & deſtituendi, ac omnia alia faciendi, erga Domos, & illarum Fratres pręfatos, quę ipſe Johannes in ſuis Conventibus, ſeu ſua Congregatione facere poterat, pręſertim mittendi unum Vicarium ex Fratribus ſuis, & quem tunc ſibi videbitur nominandi, dictaſque Domos, & illarum Fratres prędictos, per ſe, vel alium, ſeu

Digitized by Google

alios reformandi, quando Fratres ipſarum Domorum, ſeu Communitates petierint, prǫſertim Corkagen., & Luniriçen. (13) Civitatum, ac Oppidi, ſeu Villę Jochalię prędictorum, & alias ſub certo numero, & forma, prout in literis dicti Magiſtri Generalis, deſuper confectis, exprimitur, & continetur, ipſoſque Fratres dictarum Domorum reformatos, & reformandos in pręfata Inſula, exemit a juriſdictione cujuſcunque alterius Provincialis, Vicarii, aut cujuſcunque alterius Prelati, prout in dictis literis ipſius Magiſtri ſigillo munitis, dicitur plenius contineri. Quarę pro parte dicti Johannis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut inſtitutioni, & deputationi prędictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem &c. pręfatum Johannem a quibuſvis excommunicationis &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conſtitutionem, & deputationem pręfatas per pręfatum Vincentium Magiſtrum Generalem, ut pręfertur, factas cum omnibus, & ſingulis pręmiſſis, & aliis facultatibus, & auctoritatibus circa pręmiſſa ſibi datis, & conceſſis auctoritate Apoſtolica tenore prǫſentium approbamus, & confirmamus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, approbationis &c. infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Tertio (14), Decimo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Hibernia.*) De *Hibernia* Provincia jam dictum fuit;
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. L fol.* 201.
3. *Admonet &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Bauſrventes.*) *De Bauffremez*, uti nuncupatur apud *Echard Tomo II Scriptorum Ord. ad an. MDV pag.* 10.
5. *Vicarii.*) *Metis* electus erat anno *MDII*.
6. *Corkagen.*) Vulgo *Corck* in *Momonia* regione *Hiberniæ*, in qua *Jochalien.*, ſeu *Toghalien.* Villa.
7. *Liniciorum.*) Corrupta vox. Scribendum; *Limericen.*, vulgo *Limerick*, in eadem regione.
8. *Clonen.*) Vulgo *Cloney*, ſub Archiepiſcopo *Caſſilien.*
9. *Henricus.*) Hujus nominis *VII*.
10. *Dux.*) Tunc Ducatus erat *Hibernia*, nunc Regnum.
11. *Caſſellen.*) Seu *Caſſilien.*
12. *Vincentius.*) De quo ſæpius dictum fuit.
13. *Luniricen.*) *Limericen.*, ut in *Nota VII*.
14. *Quingenteſimo Tertio.*) Stylo Bullarum, æræ communi *MDIV*.

Anno 1504 Die 23 Januarii.

Congregationi Lombardiæ conceſſa privilegia firmat.

Ex Archivo (1) Ordinis.

VIII.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

IN Apoſtolicę dignitatis ſpecula, Divina diſponente clementia, conſtituti, his, quę pro ſtatu proſpero piorum locorum, & in illis, pręſertim ſub regularis obſervantię diſciplina, mundanis abjectis illecebris, ſtudio pię vitę jam vacantium perſonarum, & pro divini cultus perſeverantia, provide conceſſa ſunt, ut perpetuo firma, & illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, noſtrę approbationis robur adjicimus. Sane exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii moderni Vicarii Generalis Ordinis Prędicatorum Fratrum, de obſervantia nuncupatorum Congregationis Lombardię petitio continebat, quod licet per varios Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros hujuſmodi Congregationi, & illius Fratribus, quam plura conceſſa fuerint privilegia, nihilominus idem Vicarius Generalis cupit hujuſmodi per Nos approbari. Quare pro parte dicti Generalis Vicarii Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem privilegiis noſtrę approbationis robur adjicere, aliaſque in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Generalem Vicarium a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis cenſuris, ſententiis, & pęnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtat, ad effectum prǫſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula eidem Congregationi, & illius Fratribus, per eoſdem Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros quomodolibet conceſſa privilegia, quatenus illa ſunt in uſu, approbamus, ac perpetuę firmitatis robur obtinere decernimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Congregationis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, approbationis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prǫſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Tertio (2) Decimo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar. Legitur apud *Caſtellanum Parte I pag.* 16, & *Alexandrum Polizonum*.
2. *Tertio.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDIV*.

Ne Fratres Congregationis Lombardiæ curam dimittant Cumani (1) Monaſterii Ordinis S. Benedicti.

Anno 1504 Die 13 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

IX.

J U L I U S PP. I I.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRo parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſę, & Monialium Monaſterii reformati Sanctę Marię fęminilis nuncupati extra muros Cuman. Ordinis Sancti Benedicti, ſub regulari obſervantia degentium, nobis nuper expoſitum fuit, quod cum alias felicis recordationis Sixtus PP. IV Prędeceſſor noſter vobis (3), ſeu Priori, & Fratribus iſtius Domus tunc exiſtentibus, per ſuas in forma brevis literas in virtute Sanctę obedientię mandaſſet, ut Abbatiſſę, & Monialium dicti Monaſterii tunc & pro tempore exiſtentium in ſpiritualibus curam ſuſciperetis, eiſque ſub regulari obſervantia viventibus, & accedente Ordinarii loci aſſenſu, eccleſiaſtica Sacramenta miniſtraretis, & earum Confeſſiones audiretis: prout in dictis literis plenius dicitur contineri, vos, ſeu Prior, & Fratres prędicti, habito dicti ordinaris concenſu dictam curam juxta tenorem dictarum literarum ſuſcepiſtis, ac per decem, & ſeptem annos, vel circa, geſſiſtis, quodque nuper ex inhibitione, ut creditur, Vicarii Generalis, ſeu Provincialis veſtri, quem Abbatiſſa, & Moniales, eas viſitare volentem, in dictum Monaſterium admittere noluerunt, hujuſmodi curam gerere, & proſequi, in animarum ſuarum periculum, & mandatorum Apoſtolicorum prędictorum contemptum, recuſatis, & negligitis. Quapropter Nos, qui eunctorum fidelium, pręſertim Religioſarum perſonarum, animarum ſalutem intenſis deſideramus affectibus, Abbatiſſę, & Monialium earundem ſupplicationibus inclinati, vobis, & pro tempore exiſtentibus Priori, & Fratribus iſtius Domus in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis pęna mandamus, ut Abbatiſſę, & Monialium prędictarum nunc, & pro tempore in dicto Monaſterio exiſtentium, curam ſuſcipiatis, & geratis alias juxta literarum pręfati Prędeceſſoris ſeriem, & tenorem. Non obſtantibus pręmiſſis, & Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII Februarii MDIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Cumani*.) Conſulenda *Conſtitutio CLV Sixti IV.* Legitur *Tomo III pag.* 605.
2. *Archivo*.) In quo exemplar authenticum, ex autographo *Cumano*.
3. *Vobis*.) Hinc liquet quod utrumque Diploma, iſtud ſcilicet, & aliud *Sixti IV*, Fratribus Ordinis Prædicatorum fuit inſcriptum, & ad Monialium curam ſuſcipiendam vi fuerunt adducti.

Congregationis Lombardiæ Vicarius Generalis reformet Viterbienſe (1) Cœnobium S. Mariæ ad Gradus.

Anno 1504 Die 4 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

X.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum.

J U L I U S PP. I I.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DE reformatione, & augmento Sacrę Religionis Ordinis Prędicatorum, prout tenemur, paterne ſolliciti, libenter ad illa intendimus, per quę utiliter, & ſalubriter valeat provideri, quo laudabiles ritus, mores, & obſervantia regularis in omnibus ejuſdem Ordinis domibus continue vigeant, & proſperum ſuſcipiant, dante Domino, incrementum. (Exordium.) Cum igitur, exponente Nobis venerabili Fratre noſtro Oliverio Epiſcopo Hoſtienſi, ipſius Ordinis Protectore, acceperimus, Domum S. Marię ad Gradus Viterbien. a regularibus inſtitutis, morumque obſervantia valde defeciſſe, optareque Communitatem Civitatis noſtrę Viterbien. de opportuno remedio provideri, hujuſmodi pio deſiderio annuentes, & pręfati venerabilis Fratris noſtri ſupplicationibus inclinati, ſperantes, quod ſi domus prędicta Congregationi Lombardię aggregetur, ſalubris inde propagatio ritus, morum, ſacri ſtudii, exemplariſque vitę dictę domui proveniret, (Mandatum.) tenore pręſentium auctoritate Apoſtolica domum pręfatam cum omnibus bonis ad eam expectantibus, tam ſpiritualibus, quam temporalibus Congregationi Lombardię unimus, & incorporamus, ſubiicientes illam, & Fratres ejus tam in capitibus, quam in membris Vicario Generali Congregationis Lombardię pro tempore, ſicut ſunt alię domus ei ſubditę: cum omnibus gratiis, & privilegiis, quę habent alię domus ejuſdem Congregationis; mandantes tibi in virtute S. Obedientię, & ſub pęna excommunicationis latę ſententię, quatenus poſt Octavas feſtivitatis Dominicę Reſurrectionis proxime futurę ad reformationem ejuſdem domus Fratres deſtines opportunos. Non obſtantibus Conſtitutionibus, Ordinationibuſque Apoſtolicis quibuſcunque, illo pręſertim indulto, quo conceſſum dicitur, quod Vicarius pręfatę Congregationis non teneatur ad primum Breve Apoſtolicum reformare domum aliquam, cæteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die IV Martii MDIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Sigiſmundus.

1. *Viterbien.*) Nunc juris eſt Provinciæ *Romanæ*.
2. *Archivo*.) In quo Autographum.

Anno 1504 Dię 16 Martii.

Carbonerenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XI.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Decano, & Archidiacono Eccleſię Conchen., ac Officiali Conchen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

INter euras multiplices, quibus undique agitamur &c. (3). Sane pro parte dilecti filii Johannis Petri de Cabreras Archidiaconi Eccleſię Toletan. Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſe fervore devotionis accenſus, cupiens tranſitoria in ęterna, & temporalia in cęleſtia, felici commercio commutare, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, & illius perſonas, propter eorum exemplarem vitam, prędicationem Verbi Dei aſſiduam, & devotam divinorum celebrationem, & audientiam Confeſſionum, ac exhortationes ad bene, beateque vivendum, quibus perſonę ipſę animas Deo lucrifacere, non ceſſant, gerit devotionis affectum, cupiat de bonis, ſibi a Deo collatis conſtrui facere in quodam oppido nobilium &c. Marchionis, & Marchioniſſę de Moya, Carboncros, vulgariter nuncupato, Conchen. Diœceſis, unam Domum pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis, ſi ſibi illam conſtrui faciendi, ac Fratribus prędictis illam pro eorum uſu, & habitatione hujuſmodi recipiendi, per Sedem Apoſtolicam, licentia concederetur. Quare pro parte dicti Johannis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Domum prędictam ſub invocatione S. Crucis, vel alia, de qua ſibi videbitur, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, clauſtro, armariolo, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui, & ędificari faciendi, ac Fratribus prędictis illam, poſtquam conſtructa fuerit, pro eorum uſu, & habitatione prędictis recipiendi, eamque perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, aliaſque in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui religionis propagationem, ac divini cultus augmentum, noſtris potiſſime temporibus ferventibus deſideriis exoptamus, prefatum Johannem a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi eſt ita, eidem Johanni, Domum prędictam ſub invocatione prędicta, aut alia, de qua ei videbitur, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, clauſtro, armariolo, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum prędictorum in dicto oppido, ſine alicujus prejudicio fundandi, ac conſtrui, & ędificari faciendi, necnon Fratribus prędictis, illam, poſtquam ſic conſtructa, & ędificata fuerit, pro eorum perpetuis uſu, & habitatione hujuſmodi recipiendi, & inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam concedatis, non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne prędicti, vel alicujus alterius Ordinis Mendicantium profeſſores ad inhabitandum certa loca recipere &c., & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus &c. contrariis quibuſcunque. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi concedi, & alia premiſſa, per vos, vel alterum veſtrum, vigore pręſentium fieri contigerit, ut prefertur, dictę Domui, & illius pro tempore Priori, & Fratribus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, & immunitatibus, exemptionibus, favoribus &c., quibus alię Domus &c. utuntur, potiuntur, & gaudent &c., uti, potiri, & gaudere, libere, & licite poſſint, & debeant, auctoritate Apoſtolica earundem tenore pręſentium concedimus, & indulgemus; jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Tertio (4), Decimo Septimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Facultas.

1. *Carboneren.*) Juris eſt Provincialis *Hiſpaniæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLVIII fol. 75.*
3. *Agitamur &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Quingenteſimo Tertio.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDIV.*

Anno 1504 Die 16 Aprilis.

De Conventu Sarzanenſi (1) e Provincia Tuſciæ (2) ad Provinciam Lombardiæ Superioris transferendo.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Dilecto filio Generali Magiſtro Ordinis Prędicatorum.

XII.

JULIUS PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut a fide dignis accepimus, non parum Reipublicę Genuenſi interſit in Conventu S. Dominici Sarzanen. eſſe Religioſos, & Fratres Ordinis tui, ipſi Reipublicę non ſuſpectos: ac propterea Officiales Sancti Georgii Genuen. Nobis humiliter ſupplicarunt: ut dictum Conventum de Provincia Tuſcię ad Provinciam Longobardię Superioris, non tamen ſub regulari obſervantia transferre vellemus. Nos igitur, premiſſa paterno affectu conſiderantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, devotioni tuę per pręſentes in virtute S. Obedientię mandamus, ut Conventum Sarzanen. prędictum ad Provinciam Longobardię ſuperioris, ut prefertur, transferas; inque eo deinceps per Fratres Riparię Genuen. Ordinis antedicti facias Altiſſimo deſerviri, ſtatutis, & privilegiis ejuſdem ordinis, confirmatione Apoſ-

Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XVI Aprilis MDIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Sigiſmundus.

1. *Sarzanen.*) In limite *Liguriæ*. Hactenus ad Provinciam Lombardiæ ſpectavit.

2. *Tuſcia.*) Seu *Romana*.

3. *Archivo.*) In quo Autographum.

Vicarius Congregationis Lombardiæ reformet Fulginatenſe (1) Cœnobium.

Anno 1504 Die 23 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum.

JULIUS PP. II. XIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PIis, & devotis dilectorum filiorum Priorum populi, & Communis Civitatis noſtrę Fulginei ſupplicationibus inclinati, devotionem tuam hortamur in Domino, in virtute Sanctę Obedientię eidem Apoſtolica auctoritate mandantes, ut Conventum Sancti Dominici ejuſdem Civitatis ſub tua cura recipias, & in eo per Fratres Congregationis Lombardię tibi ſubjectos reformatos Altiſſimo facias deſervire; qui per bona opera, & rectę famę odorem, ſpirituali conſolationi ejuſdem populi conſulant, ſuper quo plenam tibi concedimus facultatem, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis dictorum Ordinis, & loci, ſtatutis, ac privilegiis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XXIII Junii MDIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Fulginaten.*) Vulgo *Foligno*, in *Umbria*. Juris eſt *Provincia Romana*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononien.* pag. 56, ex Autographo *Bononien.*

Definit tempus (1) Officii Priorum Provincialis, Conventualis, Priориſſæ &c.

Anno 1504 Die 27 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. XIV.

SUb religionis jugo Domino famulantes libenter proſequimur favore gratię ſpecialis; & ad ea, per quę eorum quieti conſulitur, & ambitioni via pręcluditur, diligenter intendimus, & in his noſtri Paſtoralis officii partes favorabiliter impartimur, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sane exponente Nobis venerabili Fratre noſtro Oliverio, Epiſcopo Hoſtienſi, ac Protectore Ordinis Prędicatorum, percepimus, quod perpetuitas, ſeu diuturnitas in officiis dicti Ordinis, multa detrimenta, ac etiam contentiones inter ipſius profeſſores ſępius afferre conſuevit, ac per eundem Oliverium Epiſcopum Nobis humiliter ſupplicato, quod tam Priores Provinciales, & Conventuales ejuſdem Ordinis, quam Prioriſſę Monialium Ordinis Sancti Auguſtini ſub cura pręfati Ordinis ultra certum tempus in ſuis perſeverare officiis non poſſint, perpetuo ſtatuere, & ordinare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingulorum pręſertim Religioſorum quieti, & paci, quantum cum Deo poſſumus, libenter conſulimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, quod in prędicto Ordine Priores Provinciales, ultra quadriennium, Conventuales vero, & pręfatę Prioriſſę ultra biennium, in hujuſmodi non poſſint perſeverare officiis, ſed bis elapſis temporibus ipſo facto abſque alia abſolutione, ſint a pręfatis officiis abſoluti. Nec qui Prior Provincialis fuit, poſſit infra octo annos ejus abſolutionem immediate ſequentes, ejuſdem Provincię eſſe Prior Provincialis, nec qui Prior Conventualis fuit, poſſit infra quadriennium immediate ſequens, ejuſdem Conventus eſſe Prior Conventualis. Et ſimiliter quę Prioriſſa fuit, infra etiam quadriennium immediate ſequens, non poſſit ejuſdem Monaſterii eſſe Prioriſſa, niſi in Monaſteriis novis, aut noviter reformatis, ad quorum regimen aliunde Moniales advocatę, adductęque fuerint. In his enim poſt annos viginti poſt inſtitutionem, aut reformationem volumus poſſe diutius, Prioriſſas durare, & citius reaſſumi, prout ante pręſentium litterarum emanationem fieri poterat. Verum ne Capitula Generalia, aut Provincialia, opportunis contingat carere ſuffragiis, ſacriſque temporibus Fratres ipſius Ordinis diſcurrere; eadem auctoritate volumus, & declaramus, quod ſi quadriennium alicujus Prioris Provincialis finiri contingat, Ordine non habente Magiſtrum Generalem, aut inchoato anno celebrandi Capitulum Generale, in quo ſecundum pręfati Ordinis Conſtitutiones Priores Provinciales debent deffinire, extenſum intelligatur in utroque caſu illius quadriennium uſque ad Capitulum Generale completum, in quo Generalis Magiſter electus erit, vel in quo deffinire debent. Similiter in alicujus Prioris Conventualis biennium contigerit compleri, Provincia carente Priore Provinciali, aut infra Septuageſimam, & Paſca, biennium illius in primo caſu uſque ad electionem Provincialis, ſeu Capitulum Provinciale completum, in quo Provincialis electus fuerit, in ſecundo vero caſu uſque ad completum Provinciale Capitulum, ſi infra tempus Paſcale illius anni celebrandum fuerit, alioquin uſque ad Reſurrectionis Dominicę octavas incluſive intelligatur extenſum. Ad pręſentes vero Priores Pro-

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Digitized by Google

Provinciales, qui quadriennium in Provincialatus officio peregerunt, aut ante proximum celebrandum Capitulum Generale, ſed interim eos diſpoſitioni Superiorum ſuorum, ac ſi præſentes literę non emanaſſent, relinquentes, volumus ſtatim completo pręfato Generali Capitulo proxime celebrando, prędictos omnes abſolutos ipſo facto abſque alia abſolutione a prędictis officiis eſſe, & ita tenore pręſentium declaramus ex nunc, prout ex tunc eos abſolutos. Priores vero Conventuales pręſentes, qui biennium in Prioratus officio peregerunt, aut ante celebrandum Provinciale Capitulum ſuę Provincię peregerint, uſque ad Provinciale Capitulum completum proxime celebrandum in illa Provincia perdurare poſſint, ſed ſtatim pręfato Capitulo completo eos a ſuis officiis abſolvimus, & abſolutos declaramus. Prioriſſę autem pręſentes Monaſteriorum non noviter conſtructorum, aut reformatorum, quę per biennium in ſuo officio tranſierunt, aut ante feſtum Penthecoſtes proxime futurum biennium peregerint, uſque ad primam viſitationem ſolemnem ejuſdem Monaſterii durare poſſint, ſi infra annum a feſto Penthecoſtes proxime futuro inchoandum viſitatio ſupradicta fiet, alioquin immediate poſt octavas feſtivitatis Reſurrectionis Dominicę anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Quinto, eas a ſuis officiis abſolvimus, & abſolutas declaramus. Volumus quoque, & eadem auctoritate perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, quod Vicarii Generales Congregationum exemptarum a Prioribus Provincialibus, ſive vitę communis, ſive vitę regularis, non poſſint ultra triennium in Vicariatus officio perdurare, ſed ut triennio completo, ipſo facto ſint abſoluti abſque alia abſolutione, & declaratione. Nec poſſit, qui Vicarius fuit, ejuſdem Congregationis Vicarius eſſe infra ſex annos immediate ſequentes. Nec intendimus propterea conſuetudines, ſtatuta, aut privilegia quarundam Congregationum infringere, diſponentia, quod Vicarius Generalis biennio tantum duret, ſed tenore pręſentium concedimus pręfatis Congregationibus, ut poſſint in primo Capitulo eorum, ſi voluerint, etiam ipſi tempus Vicariatus Generalis in tertium annum perpetuo prorogare. In omnibus tamen Congregationibus ſervari volumus, quod ſi Vicarius Generalis biennio tantum durare poteſt, infra quadriennium immediate ſequens, ſi vero per triennium infra ſex annos immediate ſequentes, ejuſdem Congregationis non poſſit eſſe Vicarius Generalis. Per hoc autem non intendimus poteſtatem adimere Superioribus ipſius Ordinis Prelatis, quin poſſint infra pręfata tempora Priores Provinciales, & Conventuales, ac Prioriſſas, Vicarioſque Generales, abſolvere ab hujuſmodi officiis, ſed liberam eandem, quam hactenus habuerunt, auctoritatem ſuper abſolutione pręfatorum eis relinquentes, ſuper confirmatione, manutentione, & inſtitutione eorundem reſtringimus juxta prędicta. Quęcunque vero ordinavimus de Prioribus Conventualibus vacante Provincialatu a tempore Septuageſimę ineunte, intelligendum eſſe volumus, etiam de Prioribus Conventualibus ſubditis Vicariis Congregationum, vacante Vicariatu, aut tempore Septuageſimę jam ingreſſo. Et ſi contra pręmiſſa, aut pręmiſſorum aliquid factum fuerit ſcienter, vel ignoranter, poſt pręſentium promulgationem, totum, irritum, & inane illud eſſe decernimus, & declaramus, quacunque id auctoritate factum fuerit, etiam literarum Apoſtolicarum, niſi in illis plena, & expreſſa mentio de pręſenti ſtatuto, & dicto Ordine fiat, & alias id honeſtati Ordinis, & paci, ac quieti Fratrum expediens fuerit. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordini pręfato, aut alicui Provincię, domui, Monaſterio, aut Magiſtro Generali, vel alicui Priori Provinciali, vel Conventuali, aut Prioriſſę, aut etiam alicui Congregationi, vel Vicario Generali, conceſſis, literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, & privilegiis, ac conſtitutionibus ipſius Ordinis, quibus, illa, etiam ſi de eis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda eſſet, & in eis quęvis clauſulę etiam derogatoriarum derogatorię, fortiores, & inſolitę continerentur, pręſentibus pro expreſſis habentes, hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad pręmiſſa, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Ceterum quia difficile foret pręſentes literas ad ſingula quęque loca, in quibus expediens fuerit, originales deferri, volumus, ac dicta auctoritate decernimus, quod earundem pręſentium literarum tranſumpto manu publici Notarii ſubſcripto, ac ſigillo Prelati Eccleſiaſtici, aut illius curię, aut demum pręfati Ordinis Generalis magiſtri, ſigillo munito, ubique ſtetur, & eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra, ac ubi illud fuerit exhibitum, vel oſtenſum, in omnibus, & per omnia, prout eiſdem pręſentibus ſtaretur, & adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo omnino liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ordinationis, declarationis, abſolutionis, conceſſionis, reſtitutionis, derogationis, & decreti infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quarto, Sexto Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Ponzianus.

A. de Oreſtis.

F. de Turre.

A. de Comitibus.

M. Cavinus.
Ja. Queſtenberg,

A tergo legitur.

Regiſtrata in Secretaria Apoſtolica.

1, *Tempus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2, *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Legitur apud *Uſuſmarem pag.* 170, & *Caſtellanum Parte II pag.* 128. Exemplar Authenticum habet *Lib. B. fol.* 713 ex alio *Barchinonenſi*,

De

Anno 1504 Die 3 Augusti.

De non extrahendis Monialibus e Valliſoletano (1) Monaſterio, & exteris non introducendis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XV.

Julius Epiſcopns, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ADmonet Nos ſuſcepti cura regiminis, ut ſingularum perſonarum, pręſertim fęminei ſexus &c. (3) Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Priorissę, & Conventus Monaſterii Monialium, per Priorissam ſoliti gubernari, S. Catharinę de Senis, oppidi Valiſoleti Ordinis S. Auguſtini, ſecundum Inſtituta Fratrum Prędicatorum degentium, Palentin. Diœceſis, Nobis exhibita petitio continebat, quod ſi eiſdem, Priorissę, & Conventui concederetur, quod de dicto Monaſterio nulla Monialis per Vicarium Generalem dicti Ordinis, ſeu quamcunque aliam perſonam, quavis dignitate fulgentem, extrahi poſſit, niſi de conſenſu Priorissę, & majoris partis Conventus prędictarum, ac quod Priorissa, & Conventus prędictę, non poſſent compelli, etiam per Vicarium, & perſonam prędictos, ad recipiendum Moniales aliorum Monaſteriorum, profecto ex hoc Priorissę, & prędictarum, ac aliarum Monialium dicti Monaſterii pro tempore animarum ſaluti, & quieti, non parum conſuleretur. Quare pro parte Priorissę, & Conventus prędictarum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui animarum ſaluti, & quieti ſingularum perſonarum, pręſertim ſub religionis jugo Domino famulantium, libenter conſulimus Priorissam, & Conventum prędictas, ac ipſius Conventus ſingulares perſonas, a quibusvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Priorissę, nunc, & pro tempore exiſtenti, & Conventui pręfatis, ut ejuſdem Monaſterii Moniales, nunc, & pro tempore exiſtentes, per Vicarium prędictum, ſeu aliam quamcunque perſonam de dicto Monaſterio, niſi de conſenſu modernę, & pro tempore exiſtentis Priorissę, ac majoris partis Conventus prędictarum, extrahi non poſſint, & quod Priorissa, ac nunc, & pro tempore exiſtentes Moniales dicti Monaſterii per dictum Vicarium, ſeu aliam quamcunque perſonam quacunque Dignitate pręfulgentem ad recipiendum Moniales aliorum Monaſteriorum, etiam per Cenſuras Eccleſiaſticas cogi, aut compelli nequeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali gratia concedimus, ac pariter indulgemus. Decernentes irritum, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus &c. ac privilegiis, & indultis eidem Ordini &c. Quibus hac vice duntaxat &c. derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, conceſſionis &c. infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quarto, Tertio Nonas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Supplex petitio.

Mandatum.

1. *Valliſoletano.*) In *Hiſpania.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* *Lib.XLVII fol.*111.
3. *Sexus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Anno 1504 Die 22 Octobris.

Bononienſe (1) Monaſterium S. Mariæ Magdalenæ juriſdictioni Generalis Magiſtri Ordinis FF. Prædicatorum ſubiicit.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XVI.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX Apoſtolicę ſolicitudinis Nobis, licet immeritis, ex alto injuncto officio &c. (3). Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Priorissę, & Conventus Monaſterii Monialium, per Priorissam gubernari ſoliti, S. Marię Magdalenę de Valle-Parda extra muros Bononien. Ordinis S. Auguſtini Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet Monaſterium prędictum, & illius Moniales Epiſcopo Bononien. pro tempore exiſtenti pleno jure ſubjectę exiſtant, & venerabilis Frater noſter modernus Epiſcopus Bononien. provide attendens, prout certa experientia, omnium rerum magiſtra, notum faciebat conventum eſſet periculoſum(4).& ad ruinam ſtatus mulieris proclive, & pręſertim illarum, quę ſub perpetua clauſura, & regulari obſervantia vota ſua virtutum Domino perpetuo dedicarunt, niſi patres, & paſtores animarum ſuarum virum Religioſum, natura prudentem, doctrina pręclarum, ac morum honeſtate pręditum, ac conſcientię ſinceritate fulgentem, & Deum timentem, habeant, qui velit, & valeat ipſas regere, & inſtruere, ac propterea idem modernus Epiſcopus pręmiſſorum occaſione, cupiens Monaſterium, illiuſque Moniales, Vicarii Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, ac Prioris Domus Sancti Dominici Bononien. ejuſdem Ordinis nunc, & pro tempore exiſtentis, viſitationi, correctioni, juriſdictioni, ac regimini in ſpiritualibus, & temporalibus uſquequo ipſi placuerit, ſubiici, illud ordinaria auctoritate ſubjecit, prout in ipſius Epiſcopi Literis, deſuper confectis, plenius continetur. Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ut quietius valeant Altiſſimo famulari, ac ſuavia, ac ſalubria documenta, pro animarum ſuarum ſalute, recipere poſſint, ſub hujuſmodi regulari obſervantia viſitationi, ac juriſdictioni, & ſuperioritati Generalis prędicti, prout hactenus ſubjectę fuerunt, de cetero perpetuo ſubeſſe cupiunt. Quare pro parte dictarum Priorissę, & Monialium Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Monaſterium prędictum, illiuſque Moniales, nunc, & pro tempore exiſtentes, ab omni juriſdictione, ſuperioritate, correctione, & viſitatione quorumcunque Ordinariorum locorum, & illorum officialium, nunc, & pro tempore exiſtentium, penitus eximere, & liberare, ac viſitationi, & ſuperioritati

Diplomatis cauſa.

dicti

dicti Vicarii nunc, & pro tempore exiſtentis, perpetuo ſubiicere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui pia deſideria perſonarum, pręſertim ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium, quantum cum Deo poſſumus, favore benevolo proſequimur, Prioriſſam, & Moniales, ac ſingulares perſonas Conventus a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Monaſterium, Prioriſſam, ac Moniales pro tempore exiſtentes hujuſmodi ab omni juriſdictione, ſuperioritate, correctione, & viſitatione quorumcunque Ordinariorum locorum, & illorum officialium, nunc, & pro tempore exiſtentium prędictorum, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, eximimus, & liberamus, ac curę, viſitationi, & ſuperioritati dicti Vicarii perpetuo ſubiicimus, ita, quod prędictus Vicarius, per ſe, vel alium, ſeu alios dicti Ordinis profeſſores Monaſterium prędictum, illiuſque Prioriſſam, & Moniales pro tempore exiſtentes hujuſmodi, viſitare, & corrigere, eiſque de Profeſſore, ſeu Confeſſore idoneo, qui eis eccleſiaſtica Sacramenta miniſtret, providere habeat, perpetuo ſubjicimus, ac eidem Vicario, ut Monaſterium, illiuſque Prioriſſam, & Moniales hujuſmodi ſub ſua cura, viſitatione, & correctione, ut pręfertur, recipiat, ac viſitet, & corrigat, aliaque faciat, quę pro pręfatarum Prioriſſę, & Monialium felici directione opportuna, & quę in aliis Monaſteriis dicti Ordinis, ſibi ſubjectis, juxta illarum regularia inſtituta facere conſuevit, in virtute S. Obedientię, & ſub excommunicationis ſententia, quam ſi contra fecerit ipſo facto incurrat, pręcipimus, & mandamus, dummodo venerabilis Fratris noſtri moderni Epiſcopi Bononien. ad pręmiſſa, expreſſus accedat aſſenſus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę abſolutionis, exemptionis, liberationis &c. Infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quarto, Undecimo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Bononien.*) In *Italia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLI fol.49.*
3. *Officio &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Conventum eſſet periculoſum*.) Fortaſſis: *Satis eſſet periculoſum*.

Anno 1505 Die 11 Februarii.

XVII.

Fundationem factam in Cœnobio Cheſinenſi (1) confirmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Lectori Eccleſię Cheſinen., Zagrabien. (3) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

* Diplomatis cauſa.

HIs, quę ad Dei laudem, & divini cultus augmentum &c. (4) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte venerabilis Fratris noſtri Lucę Epiſcopi Zagrabien., petitio continebat, quod nuper ipſe ad divini cultus augmentum, ac pro conſecutione cęleſtis patrię, & ob ſingularem devotionis affectum, quem, ad B. Mariam Virginem, & B. Mariam Magdalenam gerit, prędium Lochama penes fluvium G . . . . . Provincię ſeu territorii Cheſinen., Zagrabien. Dięceſis, quod idem Lucas Epiſcopus a certis perſonis pro pretio centum ducatorum Hungaralium ſub certis conditionibus, & clauſulis, in literis ipſius Epiſcopi ſuper dicti predii emptione confectis, contentis, emerat cum omnibus terris arrabilibus (5), cultis, & incultis, ſilvis, montibus, fluminibus, aquarum decurſionibus, & aliis juribus, & partinentiis ſuis Domui ejuſdem B. Marię Magdalenę Ordinis Fratrum Prędicatorum Oppidi Cheſinen. dictę Dięceſis, & illius Priori, & Fratribus, tunc pręſentibus, & futuris, quibus ex indulto Apoſtolico, eis deſuper conceſſo, licet bona in communi poſſidere, per eos tenendum, poſſidendum, & uſufructuandum de conſenſu dilectorum filiorum Capituli Eccleſię Zagrabien. perpetuo, & irrevocabiliter dedit, donavit, atque conceſſit, ita tamen, quod pręfati Fratres ex nunc de cetero perpetuis, futuris temporibus ſingulis diebus ad Altare B. Marię Virginis ſitum in clauſtro, ſive Eccleſia dictę Domus, Miſſam de Aſſumptione ejuſdem B. Marię Virginis, cum tribus collectis ſolemniter decantare debeant, & teneantur, ita quod prima collecta ſit illius Miſſę, ſecunda de eadem B. Maria Magdalena, & tertia pro ipſo Luca, & ſucceſſoribus ſuis Epiſcopis Zagrabien. pro tempore exiſtentibus, videlicet, Deus, qui vivorum dominaris, & mortuorum &c. & quia tempore Adventus Domini, Fratres dictę Domus, habent decantare Miſſam Rorate Cęli deſuper, & tempore vindemiarum, ſolent accedere ad mendicandum, liceat tunc ipſis Fratribus prędictam Miſſam de B. Maria Virgine, non cantando, ſed legendo dicere, ac ipſos Fratres, eorum conſcientiam ſuper hujuſmodi Miſſę celebratione aggravavit, prout in quibuſdam literis ipſius Epiſcopi, deſuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte dicti Lucę Epiſcopi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro divini cultus augmento, & ipſius Lucę, ſucceſſorumque eorum Epiſcoporum Zagrabien. animarum, ſalute, &, ut precibus earundem B. Marię Virginis, & B. Marię Magdalenę ſemper pręſerventur a noxiis, & ad ſalubria, & pro felici gubernatione Eccleſię Zagrabrien. prędictę dirigantur actus, & greſſus ſui, conceſſioni, aſſignationi, & donationi prędii, necnon Miſſę ordinationi, ac obligationi Miſſę celebrationis Prioris, & Fratrum hujuſmodi, pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui in ſingulis locis Deum venerari, & illius laudem, ac animarum ſalutem ſingulorum Chriſti fidelium, ſinceris deſideramus affectibus, pręfatum Lucam Epiſcopum a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, ac dicti prędii veriores ſitus, & confines, necnon valorem, ac inſtrumenti donationis, & inſtitutionis, necnon literarum Epiſcopi prędictorum tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocato Capitulo, ac Priore, & Fratribus prędictis, & aliis, qui fuerint evocandi, conceſſionem, aſſignationem, & donationem prędii, necnon Miſſę hujuſmodi ordinationem, ac obligationem prędictas, ſi, & poſtquam de illis, tibi legitime conſtiterit, ac, prout illas concernunt, omnia, & ſingula in literis prędictis contenta, & inde ſecuta quęcunque, itaut etiam Prior, & Fratres prę-

Confirmatio.

Digitized by Google

prędicti ſuper dicto prędio, & illius juribus, & pertinentiis, eis, ut prefertur, per dictum Lucam Epiſcopum conceſſis, & aſſignatis per prefatum Lucam, & ſucceſſores ſuos Epiſcopos Zagrabien. pro tempore exiſtentes quomodolibet impediri, vel moleſtari nequeant, auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quarto (6), Tertio Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Cheſinen.*) Aliis *Chaſmen.*, *Chamen.*, & *Caſſimen.*, ut videre eſt apud *Ferrarium de Rebus Hungar. Provincia Parte IV Lib. Unico Cap. II pag.* 514.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXII fol.* 312.
3. *Zagrabien.*) Seu *Zagabrien.*, in *Pannonia*.
4. *Augmentum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Arrabilibus.*) *Arabilibus*.
6. *Quingenteſimo Quarto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDV*.

De Fratribus ad Magiſterii Gradum promovendis (1) a Generali Magiſtro.

Anno 1505 Die 8 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Vincentio (3) Bandello, Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum.

JULIUS PP. II.

XVIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum in Generalibus Capitulis Ordinis tui per Generales Magiſtros pro tempore exiſtentes, aliqui viri Religioſi, ad illud convenientes, moribus, & doctrina idonei, ad Magiſterii gradum, ſoliti ſint, ut accepimus, promoveri, Nos tuam quoque dilectionem in hoc honorare volentes, accedentibus prefertim precibus venerabilis Fratris noſtri Oliverii (4) Epiſcopi Hoſtienſis, ejuſdem Ordinis protectoris, tibi, ut adhibitis tecum aliquibus in Theologia Magiſtris, & rigoroſo pręmiſſo examine, duodecim Ordinis tui Fratribus, quos ad id idoneos eſſe repereris, Gradum, & inſignia Magiſterii in Theologia conferre, & exhibere poſſis, licentiam, & facultatem per pręſentes concedimus. Decernentes quod dicti duodecim Fratres, poſtquam gradum, & inſignia hujuſmodi, a te fuerint conſecuti, omnibus, & ſingulis gratiis, pręeminentiis, privilegiis, & indultis frui poſſint, & valeant, quibus alii Theologię Magiſtri, in quali-bet privilegiata Univerſitate cum rigore examinis & requiſitis ſolemnitatibus promoti potiuntur, gaudent, & fruuntur, ac uti, potiri, gaudere, & frui poterunt quomodolibet in futurum, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VIII Martii MDV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Sigiſmundus.

1. *Promovendis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Vincentio.*) De quo ſæpius dictum fuit.
4. *Oliverii.*) E gente *Carafa*.

Ne Conventus reformati defugiant juriſdictionem (1) Provincialis.

Anno 1505 Die 18 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Generali Magiſtro Fratrum Ordinis Prędicatorum.

JULIUS PP. II.

XIX.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

A Fide dignis nuper accepimus, quod multi tui Ordinis Fratres reformationem per te ſalubriter inſtitutam libentius, avidiuſque amplecterentur, ni dubitarent a Conventibus ſuis poſt hujuſmodi reformationem expelli. Quapropter Nos pro Dei laude, & Religionis honore, reformatorum numerum hujuſmodi augeri deſiderantes, omnemque dubitationem Fratribus illam ſubire volentibus adimere cupientes, univerſis, & ſingulis antedicti Ordinis Fratribus de obſervantia nuncupatis, ſub excommunicationis latę ſententię pęna diſtrictius inhibemus, ne Conventus per te reformatos, & reformandos directe, vel indirecte a regimine Priorum Provincialium, quibus juxta Conſtitutiones dicti Ordinis ſubiici debent, diſtrahere, aut eximere curent, ſine tua ſpeciali licentia, decernentes nihilominus quaſcunque literas ſuper exemptione regiminis antedicti in poſterum etiam per Sedem Apoſtolicam faciendas, nullius roboris, vel momenti fore, niſi in illis de tua licentia ſpecialis fiat mentio, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XVIII Martii MDV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Sigiſmundus.

1. *Juriſdictionem.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar inter Monumenta Provinciæ *Toloſanæ*. Legitur apud *Albertum Caſtellanum Parte II pag. 131.*

Anno 1505 Dic 18 Martii.

Ut quæ Vincentius (1) Bandellus vitæ regularis gratia ſanxit, ſerventur.

Ex Bullario Caſtellani Parte II pag. 130.

XX.

Univerſis, & ſingulis Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

JULIUS PP. II.

PAcem, & honeſtatem, & Incrementum Ordinis veſtri, quem in viſceribus gerimus caritatis, deſiderantes, devotionem veſtram, & veſtrum ſingulos, in Domino exhortamur, in virtute Sanctę obedientię vobis auctoritate Apoſtolica mandantes, ut ordinationes regulares a dilecto filio Vincentio Bandello Ordinis veſtri Generali Magiſtro, factas, & literas (a) noſtras de temporalitate Priorum Provincialium ac Conventualium, Vicariorum, Prioriſſarumque editas, quos ex vita regulari, aut regularis obſervantię zelatoribus eligi volumus, inviolabiliter obſervare debeatis. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XVIII Martii MDV Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Sigiſmundus.

1. *Vincentius.*) De quo ſæpius dictum fuit.
a. *Literas.*) *Conſtitutionem* ſcilicet *XIV.*

Anno 1505 Die 15 Maii.

Corregienſe (1) Monaſterium Corporis Chriſti curæ Fratrum Prædicatorum committit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Fratrum Prędicatorum Regularis obſervantię pro tempore exiſtenti.

XXI.

JULIUS PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nobis fecerunt dilectę in Chriſto filię Prioriſſa, & Moniales Monaſterii Corporis Chriſti terrę Corrigię (3) Ordinis Sancti Auguſtini, Regien. Diœceſis, quod ipſę alias deſiderantes habitum Ordinis Sanctę Clarę Regularis obſervantię aſſumere, & ſub cura Ordinis Fratrum Minorum Regularis obſervantię altiſſimo famulari, quaſdam literas a Sede Apoſtolica ad Generalem, & Provincialem dicti Ordinis Fratrum Minorum regularis Obſervantię Vicarios, etiam ſub excommunicationis latę ſententię pęna, ut eas ſub eorum cura reciperent, obtinuerunt, qui ex eo pręſertim quod nullam in dicta terra, vel extra eam Domum haberent eas ſub eorum cura recipere recuſarunt, & recuſant de pręſenti. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Prioriſſa, & Moniales pręfatę, ac dilectus filius Nicolaus de Corrigia Vicecomes, dictę terrę Condominus, deſideret, quod dictum Monaſterium ſub cura veſtra, & directione gubernetur, Nos, earum pium, honeſtumque deſiderium Apoſtolico favore dignum cenſentes, eorumque in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi in virtute Sanctę obedientię committimus, ut Monaſterium prędictum, ac Prioriſſam, & Moniales pręfatas pręſentes, & futuras ſub tua cura, protectione, & viſitatione ſuſcipias, & de eis curam habeas prout de aliis Monaſteriis Monialium, ſeu Sororum ſub tua cura exiſtentibus, & perſonis earundem habes, eiſque de Confeſſore idoneo dicti Ordinis Fratrum Predicatorum regularis obſervantię, qui earum confeſſiones audiat, & eis eccleſiaſtica Sacramenta miniſtret, provideas, & quatenus Prioriſſa, & Moniales pręfatę habitum Sanctę Clarę Ordinis, quem ſub ſpe protectionis Fratrum prędictorum viventes geſtari ſolitum, ſeu forſan quem prius geſtabant, ſuſcipere vellent, illum eis exhibeas. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii Ordinum, & Congregationis prędictorum, juramento etiam roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis eiſdem ordinibus ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis conceſſis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XV Maii MDV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Corregienſe.*) In *Longobardia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi pag 56.* ex autographo *Bononienſi*.
3. *Corrigia.*) *Corregii*, vulgo *Corregio*: Modo eſt Principatus ad ducem *Mutinen.* pertinens.

Cor-

Corregienſis (1) Monaſterii Moniales habitum induant quem Sorores Ordinis Prædicatorum geſtant.

Anno 1505 Die 15 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Monialibus Monaſterii Corporis Chriſti Terrę Corrigię Ordinis Sancti Auguſtini, Regien. Diœceſis.

J U L I U S PP. II. XXII.

Dilectę in Chriſto filię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nobis feciſtis quod vos, alias deſiderantes habitum Ordinis Sanctę Clarę regularis obſervantię aſſumere, & ſub cura Fratrum Ordinis Minorum de obſervantia nuncupatorum Altiſſimo famulari, quaſdam literas a Sede Apoſtolica ad Generalem, & Provincialem dicti Ordinis Minorum Vicarios, etiam ſub excommunicationis latę ſententię pęna, ut vos ſub eorum cura reciperent, dari obtinuiſtis, qui ex eo pręſertim, quod nullam in terra Corrigię, Regien. Diœceſis, ubi Monaſterium veſtrum ſitum eſt, vel extra eam Domum habebant, vos ſub eorum cura recipere recuſarunt, prout etiam recuſant de pręſenti. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, vos ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum Congregationis Lombardię regularis obſervantię geritis, deſideretis ſub cura Vicarii Generalis ejuſdem Congregationis Altiſſimo famulari, & habitum per Moniales, ſeu Sorores dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum geſtari ſolitum, priore dimiſſo, aſſumere: pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum: ut huic pio honeſtoque deſiderio veſtro paterna caritate annuere, aliaſque vobis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut ſub cura ejuſdem Vicarii Generalis Congregationis Lombardię Altiſſimo perpetuo famulari, & habitum dicti Ordinis Sanctę Clarę, quem ſub ſpe Protectionis Fratrum Minorum ſuſceperatis, dimittere, ac habitum per Moniales, ſeu Sorores dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſub cura Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum viventes geſtari ſolitum: ſeu forſan, quem prius gerebatis, dummodo ſub pari, vel ſtrictiori obſervantia vivatis, aſſumere libere, & licite valeatis, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, Ordinum, & Congregationis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis eiſdem Ordinibus ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis conceſſis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Maii, MDV Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Corregienſis.*) Conſulendum precedens Diploma.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi pag.56*, ex autographo *Bononien.*

Specialis Indulgentia conceſſa Lugdunenſi (1) Cœnobio.

Anno 1505 Die 1 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXIII.

PAſtoris ęterni, qui non vult mortem, ſed converſionem peccatoris vices, meritis licet inſufficientibus, gerentes in terris &c. (3) Cupientes igitur, ut Domus B. Marię de Confort. Lugdunen., Ordinis Fratrum Prędicatorum, quam nos alias in minoribus conſtituti, dum Cardinalatus honore, ac Apoſtolicę Sedis in illis partibus legationis officio fungebamur, dictique Ordinis Protector eramus, viſitavimus (4), & quamplurimas illi vigore dictę legationis Indulgentias conceſſimus, & ad quam, ſicut accepimus, Charneti Arpenninus Clericus Lugdunen. familiaris continuus, & commenſalis, ac cubicularius noſter ſecretus, & Johannes Pariſetus ejuſdem Ordinis, ac Theologię profeſſor, ſingularem gerunt devotionis affectum, congruis frequentetur honoribus, ac in ſuis ſtructuris, & ędificiis, quę olim ſumptuoſo opere conſtructa, tum vetuſtate, tum etiam malitia temporum deteriorata exiſtunt, juxta eorum indigentiam reparentur, & manuteneantur, ac dilectorum illius Conventus neceſſitatibus ſubveniant Chriſti fideles, & eo libentius ad ipſam Eccleſiam confluant, & ad reparationem, & manutentionem hujuſmodi, manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię, uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, vere pęnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam, in Annunciationis ejuſdem B. Marię feſto proxime futuro, a primis veſperis, uſque ad ſecundas veſperas incluſive ejuſdem Feſti, devote viſitaverint, & ad pręmiſſa manus porrexerint adjutrices, plenam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem hac vice duntaxat, miſericorditer in Domino relaxamus, & nihilominus dilecto filio moderno Priori dictę Domus, & Conventui pręfatis, ut aliquos Presbyteros idoneos ſeculares, ſeu prędicti, vel quorumvis aliorum Ordinum regulares, in fidelium ipſorum Confeſſores, deputare poſſint, qui in dicto Feſto, & etiam per ſex dies ante illud, in

dicta Eccleſia, ac ejus ambitu, & infra ſepta dictę Domus eorundem fidelium Confeſſiones audire, eiſque diligenter auditis, eos, & eorum quemlibet, ab omnibus, & ſingulis peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis ſuis, etiamſi talia forent, propter quę Sedes Apoſtolica, merito eſſet conſulenda, exceptis contentis in Bulla, quę legi conſuevit in Cęna Domini, abſolvere, eiſque pęnitentiam ſalutarem injungere, necnon vota quęcunque, per eos pro tempore emiſſa, ultramarinis, viſitationis Liminum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & S. Jacobi in Compoſtella, necnon religionis, & caſtitatis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, libere, & licite valeant, concedimus per pręſentes, diſtrictius inhibentes ſub excommunicationis pęna late ſententię univerſis, & ſingulis Prȩlatis, ac quibuſvis aliis perſonis eccleſiaſticis ſecularibus, cujuſcunque Ordinis, etiam regularibus, ne dicta die, & hujuſmodi indulgentia durante, in ipſa Civitate Lugdunen. alibi, quam in dicta Eccleſia verbum Dei prędicare, & Fratres dictę Domus ſuper pręmiſſis directe, vel Indirecte, quovis quęſito colore, turbare, inquietare, moleſtare, ſeu quomodolibet impedire pręſumant. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quinto, Kalendis Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo,

1. *Lugdunen.*) In Gallia.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXV fol.* 130.
3. *Terris &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Viſitavimus.*) Hinc quod ante Pontificatum Legatus in Galliis, & Ordinis Fratrum Prædicatorum Protector fuerit *Julius II*, diſcimus.

Ceterum varias alias Indulgentias conceſſit *Julius II.*

Anno 1505 Die 29 Aprilis. XXIV, PRo Panormitano Cœnobio S. Zitæ. Conſtitutio ſic incipit: *Julius &c. Præclara meritorum inſignia &c. Cupientes igitur, ut Altare S. Mariæ de Pietate ſitum in eccleſia Domus S. Zitæ, Panormitan. Ordinis Prædicatorum, quod per progenitores dilecti filii Magiſtri Johannis Sanchez, Prioris ſecularis, & Collegiatæ eccleſiæ S. Petri de Fraga, Ilerden. Diœceſis, utriuſque juris Doctoris, Scriptoris, & familiaris noſtri, fundatum fuit &c. in Annunciationis ejuſdem Virginis Mariæ, & S. Hieronymi, & S. Vincentii Confeſſoris, & ejuſdem S. Zitæ, ac S. Catharinæ de Senis feſtivitatibus &c. Septem annos, & totidem quadragenas &c. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quinto, Tertio Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXIX fol.* 292.

Anno 1506 Die 29 Januarii. XXV, PRo Piſtorienſi Oratorio S. Mariæ Gratiarum. Conſtitutio ſic incipit: *Julius &c. Dum præclara meritorum inſignia &c. Cum autem, ſicut accepimus, Oratorium B. Mariæ Gratiarum Piſtorien. per Fratres Congregationis Tuſciæ Ordinis Fratrum Prædicatorum de Obſervantia nuncupatorum, teneri ſolitum &c. ad quod, ſicut accepimus, dilectus filius noſter Galeatius, Tituli S. Petri ad vincula Presbyter Cardinalis, S. R. E. Vice Cancellarius, ſpecialem gerit devotionis affectum &c. in feſto Nativitatis B. Mariæ, ac Novembris, Martii, Maii, ac Julii Menſium ſingulorum prima Dominicæ dierum hujuſmodi &c. Quinque annos, & totidem quadragenas &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quinto,* (ſtylo Bullarum, æræ communis MDVI) *Quarto Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXIX fol.* 103.

Anno 1506 Die ..... Auguſti. XXVI, PRo Pampilonenſi Cœnobio. Conſtitutio ſic incipit: *Julius &c. Eccleſiarum fabricas &c. Cum itaque, ſicut accepimus, domus S. Jacobi Pampilonen Ordinis Fratrum Prædicatorum cauſantibus guerrarum turbinibus &c. Nos cupientes, ne domus ipſa, ad quem cariſſimus in Chriſto filius noſter Rex, & cariſſima in Chriſto filia noſtra Catharina Regina, Navarræ illuſtres, ſingularem gerunt devotionis affectum &c. In feſto Beati Jacobi Apoſtoli de Menſe Julii &c. & ad reparationem, conſervationem, & manutentionem prædictas, decem, & octo denarios monetæ in Regno Aragoniæ currentis, unum Carlenum Romanum, vel circa conſtituentem &c. Plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem miſericorditer in Domino elargimur, ac eadem auctoritate volumus, & concedimus, quod defunctis, qui in caritate deceſſerint, & pro quibus duodecim denarii ſimilis monetæ adminus eidem eccleſiæ, ſeu domui, pro præmiſſis erogati fuerint, hujuſmodi remiſſio per* Nota, *modum ſuffragii ſuffragetur &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Sexto, Quinto .... Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro LXXXV fol.* 313.

Anno 1508 Die 26 Junii. XXVII, PRo Cœnobio Civitatis Caſtelli. Conſtitutio ſic incipit: *Julius &c. Licet is &c. Sane accepimus, quod licet alias quondam Baldus Vincentii de Magallottis civis civitatis Caſtelli, tunc in humanis agens, cupiens terrena &c. morte tamen præventus id ad optatum finem perducere nequivit, eo vita functo, Conſtantia, Magdalena, Hieronyma, & Bernardina dicti Baldi ſuperſtites filiæ ſimiliter morte præventæ opus prædictum etiam perficere non potuerunt, & propterea dilectus filius Magiſter Johannes Baptiſta Lilius utriuſque juris Doctor, ac literarum Apoſtolicarum Scriptor familiaris noſter, ejuſdem Magdalenæ filius, & ipſius Baldi nepos, cupit ex bonis ſibi a Deo collatis, pro ſuæ, & dicti avi, ac patris, & matris, aliorumque ſuorum parentum defunctorum animarum ſalute, & peccatorum eorundem remiſſione, dictum Altare ad complementum ædificationis, & conſtructionis perducere, ac ſub invocatione S. Johannis Baptiſtæ denominari facere &c. dictus Johannes Baptiſta, qui etiam Lateranen. Aulæ Comes exiſtit &c. in S. Johannis Baptiſtæ nativitate, ac S. Dominici prædictorum, & S. Vincentii feſtivitatibus, necnon in Kalendis Maii &c. Septem annos, & totidem quadragenas &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Sexto Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLXXVI fol.* 310.

Pro

Anno 1510 Die 16 Aprilis. XXVIII.

PRo Gebennenſi Cœnobio. Conſtitutio ſic incipit: *Julius &c. Licet is &c. Cupientes igitur, ut capella Sanctorum Timothei, & Simphoriani, ac Sanctæ Catharinæ de Senis in Eccleſia domus Palatii nuncupati, prope, & extra muros Gebennen. Ordinis Fratrum Prædicatorum, ad quam, & Sanctam Catharinam hujuſmodi, ſicut accepimus, dilectus filius Magiſter Gennefius de Prato, literarum Apoſtolicarum Scriptor, & familiaris noſter, ſingularem gerit devotionis affectum &c. in S. Trinitatis, ac Nativitatis, & Reſurrectionis D. N. Jeſu Chriſti, necnon Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, & prædictæ S. Catharinæ de Senis feſtivitatibus &c. devote viſitaverint, & orationem Dominicam, cum Salutatione Angelica pro ipſius Gennefii, & dilectorum filiorum Petri, & Johannis Gail Fratrum Clericorum Gebennen., ſuorumque Prædeceſſorum, & parentum in dicta Capella ſepultorum animarum ſalute dixerint, & recitaverint &c. Decem annos, & totidem quadragenas &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Decimo, Sexto decimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCXX fol.* 159.

Anno 1510 Die 26 Decembris. XXIX.

PRo Piſtorienſi Cœnobio. Conſtitutio ſic incipit: *Julius &c. Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Confraternitas ſub invocatione B. Mariæ Magdalenæ in Domo S. Dominici Piſtorien. Ordinis Fratrum Prædicatorum inſtituta &c. ut eadem Confraternitas, quam, ut etiam accepimus, dilectus filius Magiſter Laurentius Puccius, Clericus, Florentin. Notarius, literarum Apoſtolicarum Abbreviator, familiaris noſter, ac in illarum expeditione dilecto filio noſtro Sixto Tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali, S. R. E. Vice Cancellario aſſiſtens exiſtit, ſingularem gerit devotionis affectum &c. in feſto ejuſdem S. Mariæ Magdalenæ &c. & ſingulis ſextis menſis Martii, necnon quinta, & ſexta feriis majoris hebdomadæ &c. Quindecim annos, & totidem quadragenas &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Decimo, Septimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCXV fol.* 261.

Fratres Prædicatores ſuſcipiant curam Mediolanenſis Monaſterii S. Bernardi de Viglentino, Ordinis S. Benedicti.

Anno 1505 Die 17 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXX.

Dilectis filiis Marco de Peregrinis Veronen., Vicario Generali, ac Preſidenti Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Priori, & Fratribus Domus B. Marię Gratiarum Mediolanen. Ordinis, & Congregationis prędictorum pręſentibus, & pro tempore exiſtentibus,

JULIUS PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

CUm, ſicut accepimus, dilectę in Chriſto filię Abbatiſſa, & Moniales Monaſterii Sancti Bernardi de Viglentino extra muros Mediolanen. Ordinis Sancti Benedicti, ſub regulari obſervantia degentes, pro animarum ſuarum ſalute, & conſcientię pace, deſiderent ſub veſtra cura, & gubernatione Altiſſimo famulari, ſperantes Monaſterium ipſum ſub veſtro regimine feliciora in dies in ſpiritualibus, & temporalibus, auctore Domino incrementa ſuſcipere, & ſe animarum ſuarum ſalutem facilius conſequi poſſe. Nos igitur, qui religioſarum perſonarum piis, & honeſtis votis, ut eo ferventius Altiſſimo famulari valeant, quantum in Domino poſſumus, libenter annuimus, earum in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis in virtute Sanctę Obedientię, & ſub excommunicationis pęna latę ſententię, per vos eo ipſo, ſi contrafeceritis, incurrenda, a qua pręterquam a nobis, & Romano Pontifice, niſi in mortis articulo conſtituti abſolvi non poſſitis, harum ſerie expreſſe pręcipiendo, mandamus, ut Monaſterium, Abbatiſſam, & Moniales pręfatas ſub veſtra cura, regimine, & gubernatione, omni excuſatione poſtpoſita, & alia juſſione non expectata, recipere debeatis, eiſque providere de Confeſſore idoneo, & provectę ętatis, qui illarum Confeſſiones audiat, eaſque abſolvat, eis pęnitentiam ſalutarem injungat, ac Sacramenta eccleſiaſtica miniſtret, dantes vobis plenariam, & liberam facultatem, Monaſterium prędictum intrandi, & viſitandi, ac illius perſonas corrigendi, Capitulum convocandi, & tenendi, ac omnia alia, & ſingula faciendi quę pro earundem Monialium directione, & ſanctiori vita neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna: Et quę alias Gubernatores ſimilium Monaſteriorum de jure, vel conſuetudine facere poſſint. Hortamur igitur vos in Domino, ut circa curam, & gubernationem dicti Monaſterii, & illius Monialium, ita vos geratis, ut apud Deum pręmium, & nos commendationem conſequi mereamini. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, Domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel firmitate alia quavis roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon felicis recordationis Innocentii Papę IV Prędeceſſoris noſtri: quę incipit: Inſpirationis Divinę, aliiſque privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis dictę Domui, & vobis ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, & inſolitis, irritantibuſque decretis, conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus, etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus pro illorum ſufficienti derogatione ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, non autem per generales clauſulas id importantes mentio habenda foret, tenores hujuſmodi pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, pro hac vice duntaxat ſpecialiter derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII Junii MDV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Mandatum.

(2) *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi pag.* 57.

Li-

Anno 1505 Die 22 Auguſti.

Literas (1) quibus Priorum tempus definierat, in ultramontanis Provinciis ſuſpenſas declarat: & ratum habet quicquid hac de re ſancitum fuerit a Capitulo Generali.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXI.

Univerſis, & ſingulis Religioſis Fratribus Ordinis Prędicatorum pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Declaratio.

APoſtolica Sedes divinam imitata providentiam, omnia ſuaviter diſponentem, diverſis temporibus, locis, & nationibus, prout rerum ac negotiorum ratio exigit, circunſpecte providet, & moderationis ſuę remedium exhibet. Sane Nobis nuper Venerabilis Frater noſter Oliverius (3) Epiſcopus Oſtienſis, Cardinalis Neapolitanus, ejuſdem Ordinis veſtri Protector expoſuit, quod nuper in Generali Capitulo eorundem Fratrum Mediolani celebrato (4) exorta eſt inter eos diſcordia occaſione quarundam literarum noſtrarum ſtatuentium certum tempus Prioribus Provincialibus, & Conventualibus, & Prioriſſis dictis in eorum officiis gerendis, prout latius in eiſdem literis continetur. Nam plerique ultramontanarum Provinciarum Definitores ſimiliter cum Nunciis congregationis Hollandię juxta dicti Ordinis ritum literas eaſdem, ut accepimus, acceptare recuſarunt, dicentes, reformationi, regimini, moribuſque religioſorum nationum illarum omnino adverſari crebram ſuperiorum ſuorum immutationem. Deinde quod quidam ex illis Patribus, nomine omnium non acceptantium pręfatum ſtatutum ad ſe venerunt, humiliter poſtulantes, ut quod refręnandę ambitionis, ac reprimendarum litium gratia ſtatutum eſſe videbantur, provideret, ne regularis vitę, ac reformationis incremento in nationibus illis contrarium foret, & quod auditis eorum rationibus, ac multis ſecularium Principum, & Pręlatorum Eccleſiaſticorum teſtimoniis re in ambiguum redacta pręfatus Cardinalis, qui ſecundum Deum Ordinem protegit, ejuſque reformationi cum Domino ſtudere cupiens hanc rem cum pace, ac quiete omnium peragi, ac boni ductoris more, Religioſos ipſos ad bonam frugem reducere, ſatius putat, literas noſtras ipſas ad aliquod tempus ſuſpendi, & proinde, Nobis humiliter ſupplicavit, ut his paterna Apoſtolica benignitate providere dignaremur. Nos igitur, pacem, & augmentum dictę Religionis quę in agro Domini uberius fructus aſſidue profert, pręſertim temporibus noſtris, ejuſdem Cardinalis ſupplicationibus inclinati, & rationibus antedictis moti, tenore pręſentium prędictas literas noſtras quoad Provincias Toloſę, Francię, Narbonę, Teutonię, Anglię, Saxonię, Dacię, & alias extra Italiam quas idem Cardinalis Protector, ſi res exigit, nominaverit, auctoritate Apoſtolica ſuſpendimus uſque ad immediate futurum ejuſdem Ordinis Generale Capitulum, quod hinc ad biennium fore, ſi eidem Cardinali expedire videbitur, ex nunc decernimus, volentes quod interim in ſingulis prędictis Provincialia Capitula juxta eorum Conſtitutiones celebrentur, vota convenientium, & ſpectantium ad ipſa Capitula ſcrutentur circa prędictum ſtatutum, ac deinde in ſcriptis fideliter redacta, obſignataque ad prędictum Capitulum Generale deferantur, & nihilominus Magiſtro Generali, Definitoribuſque ejuſdem Generalis Capituli harum ſerie committimus, & mandamus, ut ſuper hujuſmodi ſtatuto noſtro vota Religioſorum cognoſcant, & ſecundum Deum determinent, ut videbitur, auctoritate etiam noſtra perpetuo ſtatuant, quod honori divino, Religionis conſervationi, ac ſui Ordinis augmento pertineat. Nos enim quicquid pie, ac religioſe per eoſdem ſuper hoc ſtatutum fuerit, ex nunc ratificamus, approbamus, & in poſterum in pręfatis ultramontanis Provinciis id ſervari omnino mandamus, non obſtantibus prędictis noſtris literis, ac dicti Ordinis Conſtitutionibus, & aliis in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII Auguſti MDV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Sigiſmundus.

1. *Literas.*) Conſtitutionem ſcilicet *XIV.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum. Legitur etiam *Libro B. fol.*504. Typis R. Cameræ Apoſtolicæ fuit impreſſum anno *MDCLXXVII.*
3. *Oliverius.*) Ex illuſtriſſima gente *Carafa*, de qua ſæpe numero dictum.
4. *Celebrato.*) Hoc anno *MDV.*

Anno 1505 Die 8 Novembris.

Carmonenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXII.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio officiali Hiſpalen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

DUm ad fructus uberes, quod ſacer Ordo Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, in Domo Domini producit, & producere non deſinit, diligenter attendimus &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Johannis Matthęi Caſtano Laira, & dilectę in Chriſto filię ejus impręſentiarum uxoris conjunctim habitatorum Oppidi de Carmona, Hiſpalen. (4) Diœceſis, petitio continebat, quod ipſi fervore devotionis accenſi, cupientes terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, deſiderant in quodam oratorio per eos ex ſimili devotione fundato, unam Domum ſub invocatione S. Annę pro perpetuis uſu, & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, conſtruere, & ędificare, ſeu conſtrui, & ędificari facere, ſi

ad

ad hoc eis Apoſtolicę Sedis licentia ſuffragetur. Quare pro parte Johannis, & uxoris prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in dicto Oratorio, aut alio loco decenti, unam Domum cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu, & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis, & obſervantię prędictorum, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, ac dilecto filio moderno Priori Provinciali Caſtellę Ordinis, & obſervantię hujuſmodi, ſecundum morem dicti Ordinis, illam pro Fratrum Prędicatorum perpetuis uſu, & habitatione recipiendi, & eiſdem Fratribus, eam perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui religionis propagationem, divini cultus augmentum, & animarum ſalutem, noſtris potiſſime temporibus, ſinceris deſideriis affectamus, Johannem, & uxorem prędictos a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eidem Johanni, & uxori in dicto Oratorio, aut alio honeſto loco, unam Domum, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu, & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis, & obſervantię prędictorum, ſine alicujus prejudicio, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, & Priori illam, pro Fratrum Prędicatorum perpetuis uſu, & habitatione recipiendi, ac Fratribus prefatis, eam perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, quodque ad Altare majus Eccleſię dictę Domus, poſtquam conſtructa fuerit, imago ejuſdem S. Annę tanquam Patronę dictę Domus perpetuo eſſe, & ab eo ratione ędificii, vel ſimilis cauſę per quoſcunque amoveri nequeat, ipſorumque Johannis, & uxoris corpora, ſeu cadavera, ut illius fundatorum in Capella majori Eccleſię dictę domus ſepelire, libere, & licite valeant, nec a quoquam impediri poſſint, ſtatuere, & ordinare, auctoritate noſtra procures. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi, vigore preſentium conceſſeris, ut prefertur, eidem Domui, & Fratribus in ea pro tempore degentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus &c. in genere conceſſis, & quibus alię Domus hujuſmodi, & illarum Fratres, utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, concedimus per preſentes, jure tamen Parochialis Eccleſię &c. ſalvo, non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus &c. contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quinto (5), Sexto Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Facultas.

1. *Carmonenſis.*) Juris eſt Provinciæ *Batica.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXV fol.* 344.
3. *Attendimus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Hiſpalen.*) Vulgo *Sevilla*, in *Hiſpania Batica*.
5. *Quinto.*) Hinc liquet quod a die Coronationis annos Pontificatus numerabat *Julius II*, ut attentum lectorem non fugiet. Et ex hoc ſolvitur dubium quod movet *Papebrochius* in *Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Parte II pag.* 149. *col.* 1.

Anno 1505 Die 16 Decembris.

De Converſis Monialibus Florentini Monaſterii (1) S. Jacobi de Ripolis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXIII.

Dilecto filio Priori Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum.

JULIUS PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectę in Chriſto filię Prioriſſa, & Moniales Monaſterii, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Sancti Jacobi de Ripolis Florentin., Ordinis S. Dominici, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, quod licet in dicto Monaſterio pręter illius Moniales profeſſas ſint etiam nonnullę alię mulieres converſę nuncupatę ex humilioribus locis inibi ad earum ſervitium recepte, quę nunquam profitentur, nec numero aliarum Monialium profeſſarum, & ex nobiliori loco receptarum, admitti conſueverunt, nihilominus a certo tempore citra, nonnullę ex dictis Converſis, ambitioſe cupientes in Moniales una cum aliis prędictis admitti, eaſdem Moniales ſuper hoc moleſtare non deſinunt, contra laudabiles mores, & regularia inſtituta, ac ſtatuta, & conſuetudines earum, & forſan etiam privilegia, & indulta Apoſtolica eis deſuper conceſſa. Quare dictę Prioriſſa, & Moniales Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eiſdem Prioriſſę, & Monialibus, ne pretextu etiam cujuſvis mandati, ſeu reſcripti Apoſtolici, ex dictis Converſis preſentibus, & futuris, in Moniales recipere, aut alias contra privilegia, indulta, ſtatuta, ordinationes, mores, & conſuetudines hujuſmodi per quoſcunque, quavis auctoritate, deſuper moleſtari, cogi, aut compelli poſſint, concedere, & indulgere, ac ſtatuere, & ordinare, necnon moleſtatores per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas compelli, & contra eos procedi, illaſque aggravari, & reaggravari, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, mandare, aliaſque in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui perſonarum, prefertim ſub regulari caſtimonia Domino militantium quieti libenter conſulimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per preſentes committimus, & mandamus, quatenus per te ipſum provideas in premiſſis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XVI Decembris MDV, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

F. Caſtilioneus.

1. Mo-

1. *Monaſterii.*) Conſulendus *Fontana de Romana Provincia*. 2. *Archivo.*) In quo Autographum.

Anno 1506 Die 10 Januarii.

Varia Privilegia concedit Fratribus Provinciæ Bohemiæ.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XXXIV.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Provinciali, & aliis univerſis Prioribus, ceteriſque Fratribus Conventuum, ſeu Domorum Ordinis Prędicatorum Provincię Bohemię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SEdis Apoſtolicę copioſa benignitas recurrentium ad eam fidelium, qui hęreticorum converſatione inficiuntur, libenter conſulere, illoſque ſpecialibus favoribus proſequi conſuevit, quos ad id Religionis zelus, & alia propria virtutum merita laudabiliter recommendant. Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet vos juxta morem Ordinis veſtri Prędicatorum Provincię Bohemię, ut Catholicos Chriſti fideles, & Religioſos decet, ab hęreticorum converſatione, & illorum participatione abſtinere volueritis, tamen tantus eſt in pręfata Provincia utriuſque ſexus dictorum hęreticorum numerus, quod aliter facere non poteſtis, propter quod dubitatis aliquam excommunicationis ſententiam, ac irregularitatis, ſeu inhabilitatis maculam contraxiſſe, ſeu incurriſſe. Quare pro parte veſtra, & cujuslibet veſtrum, aſſerentium, quod niſi cum ipſis hęreticis etiam in divinis participaretis, & eos ad Eccleſiaſticam ſepulturam reciperetis, Conventus, ſeu Domos Ordinis veſtri pręfati in eadem Provincia conſiſtentes, omnino deſerere cogeremini: Quodve plures ex ipſis hęreticis ex converſatione vobiſcum habita ad veri cognitionem, & S. Romanę Eccleſię gremium converſi in eorum priſtina fallacia permanerent, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vos ab excommunicationis ſententia, propterea etiam juxta veſtri Ordinis regularia inſtituta, quomodolibet incurſa abſolvere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vos, & veſtrum quemlibet a quibuſcunque excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto, ac aliis Eccleſiaſticę ſententię cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine, pręmiſſorum occaſione, vel etiam quomodolibet latis, ſi quibus quomodolibet ligati, ac irretiti eſtis, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, auctoritate Apoſtolica harum ſerie abſolvimus, & abſolutos fore denunciamus. Necnon vobiſcum ſuper irregularitate, ſi quam pręmiſſorum occaſione contraxiſtis, diſpenſamus, abolemuſque omnem inhabilitatis, & infamię maculam, ſive notam per vos, & veſtrum quemlibet dicta occaſione quomodolibet incurſam. Et nihilominus vobis omnibus, ut cum ipſis hęreticis, etiam in divinis, converſari, ac tibi moderno, & pro tempore exiſtenti Patri Provinciali dictę Provincię, ac illis, quibus vices tuas commiſeris, ut ipſos hęreticos ad cor, & dictam Eccleſiam Romanam redeuntes, a quibuſcunque hęreſum criminibus auctoritate noſtra in forma Eccleſię conſueta abſolvere, quodque Priores domorum, & Conventuum prędicti Ordinis pro tempore exiſtentes in pręfata Provincia, in qua tantum unus Catholicus Epiſcopus exiſtit, Pallas, Corporalia, Cruces, & alia paramenta Eccleſiaſtica ad Altaris miniſterium, divinumque Officium, & cultum neceſſaria benedicere, omnibuſque Fratribus Conventuum, & Domorum reformatorum, ac dilectis in Chriſto filiabus, ſororibus ſub veſtrorum Regula degentibus Ordinis, & Provincię prędictorum ob piſcium penuriam, quę in illis partibus viget, & veſtri paupertatem, ut tribus diebus ſingularum hebdomadarum carnibus veſci, abſque aliquarum eccleſiaſticarum cenſurarum incurſu, & conſcientiarum ſcrupulo, ſicut ſemper conſueverunt, libere, & licite valeant, diſpenſare, & licentiam eis concedere poſſitis, Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, ſeu ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac ſtatutis, & conſuetudinibus domorum, ſeu locorum, Conventuum, & Ordinis Prędicatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate pręfata, tenore pręſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, nunciationis, diſpenſationis, abolitionis, & indulti infringere, vel ei &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Sexto (2), Quarto Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Diplomatis cauſa.

Privilegia.

Nota.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo aſſervatur in Archivo Provinciæ *Bohemiæ*.

2. *Sexto.*) Scribendum *Quinto* Stylo Bullarum, æra communis *MDVI*.

Co-

Colimbrienſis (1) Conventus alio transferendi facultas.

Anno 1506 Die 17 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Colimbrien., & Cepten. Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXV.

Diplomatis cauſa.

CUm inter noſtrę mentis arcana &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte cariſſimi in Chriſto filii Emmanuelis (4) Regis Portugallię, & Algarbiorum Illuſtris, petitio continebat, quod duę domus, una videlicet Fratrum Minorum, & alia Prędicatorum Ordinum, adeo propinquę flumini de Mondego, per pontem, ſeu prope Civitatem Colimbrien. affluenti exiſtunt, quod ſępe ſępius Priores, & Fratres dictarum Domorum excreſcentibus inundationibus aquarum fluminis, coguntur domos ipſas relinquere, & ad alia loca ſe transferre, ac inibi non ſine magno eorum incommodo, & divini cultus diminutione permanere, donec inundatio aquarum ceſſaverit. Verum ſi dictę domus penitus, & omnino demolirentur, ac alię eorum loco aliis locis ejuſdem Civitatis hujuſmodi inundationi non ſubjectis, pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum dictorum Ordinum conſtruerentur, & ędificarentur, lapideſque, ac lignamina, & cęmenta earundem domorum demolirentur, & ad alias domos conſtruendas, & ędificandas, pro illarum conſtructione, & ędificatione deportarentur, prędictęque Domus ſic demolitę, & illarum Eccleſię ad profanos uſus deducerentur, profecto ex hoc ſecuritati dictorum Priorum, & Fratrum conſuleretur, & periculo inundationis aquarum hujuſmodi obviaretur, ac divinus cultus in dictis aliis domibus, & illorum Eccleſiis ſuſciperet incrementum. Quare pro parte dicti Regis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prędictas Domos prope flumen exiſtentes demoliri, ac duas alias loco earum aliis locis hujuſmodi inundationi non ſubjectis conſtrui, & ędificari mandare, aliaſque in pręmiſſis de benignitate Apoſtolica providere dignaremur. Nos igitur &c. hujuſmodi &c. Fraternitati veſtrę &c. mandamus quatenus vos, vel alter veſtrum per vos, ſeu alium, vel alios, ſi eſt ita, pręfato Emmanueli Regi domos prope flumen exiſtentes hujuſmodi de dilectorum filiorum illarum Priorum, & Fratrum conſenſu, penitus, & omnino demoliendi, ac illarum lapides, lignamina, & cęmenta ad conſtruendas alias duas domos loci inundationi hujuſmodi non ſubjectas, pro illarum fabrica apportandi, ſeu apportari faciendi, & ad inſtar demoliendarum domorum conſtrui, & ędificari faciendi, ipſaſque Domos demoliendas, & illarum Eccleſias, remanente tamen in unaquaque una Capella, quę ad profanos uſus non convertatur, ac in qua Fratres domorum tunc conſtructarum hujuſmodi pro tempore exiſtentes, unam Miſſam ſingula hebdomada, in memoriam antiquarum domorum inibi exiſtentium, celebrare teneantur, ad profanos uſus reducendi, ac Prioribus, & Fratribus demoliendarum domorum alias conſtructas domos hujuſmodi, pro ipſorum, & aliorum Fratrum dictorum Ordinum reſpective uſu, & habitatione perpetuo recipiendi, & inhabitandi, licentiam, & facultatem auctoritate noſtra concedatis. Nos enim ſi licentiam, & facultatem hujuſmodi &c. vigore pręſentium concedi contingat, ut pręfertur, eiſdem domibus de novo conſtruendis, ac Prioribus, ſeu Guardianis, ut ſingulis privilegiis &c. ac aliis domibus dictorum Ordinum conceſſis, & in poſterum concedendis &c. uti &c. valeant auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus, jure tamen &c., & ut domus conſtruendę hujuſmodi facilius conſtruantur, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus undecunque exiſtentibus, qui ad fabricam, & conſtructionem Domorum conſtruendarum hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, quadraginta annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, ac eiſdem Prioribus Indulgentiam ipſam prędicandi pręfata Apoſtolica auctoritate licentiam concedimus, pręſentibus quoad Indulgentiam hujuſmodi poſt fabricam, & conſtructionem domorum minime duraturis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII &c. & aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcunque, Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quinto (5), Sexto decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Facultas.

1. *Colimbrien.*) In *Portugallia* Regno.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XC fol.* 30,
3. *Arcana &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Emmanuelis.*) De quo conſulendus *Hieronymus Oſorio* in ejuſdem *Emmanuelis* vita.
5. *Quingenteſimo Quinto.*) Stylo Bullarum, ęrę communis *MDVI.*

Fratres Domus (1) S. Catharinæ Senenſis transfert e Tertio ad Primum Ordinem.

Anno 1506 Die 24 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Ad Futuram Rei Memoriam. XXXVI.

Exordium.

AD circumſpectam Romani Pontificis providentiam pertinere dignoſcitur, penſare temporum vices, & qualitates locorum metiri, ut ad ſingula dirigens debitę conſiderationis intuitum, plantata ſupprimat, ac transferat, foveatque translata, necnon in unum plura conjungendo debilia, decorem in Eccleſia Dei afferat ampliorem, & Miniſtrorum illius commoda & profectus adaugeat. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus B. Catharinę de Senis Ordinis Fratrum Prędicatorum S. Dominici, de Pęnitentia nuncupati, Placentinę (3) Diœceſis, nuper exhibita, petitio continebat, quod olim pro parte ipſius Prioris, & Fratrum felicis recordationis Alexandro Papę VI, Prędeceſſori noſtro, expoſito, quod ipſi in dicta Domo, in qua ſub forma Monaſterii, & in communi vitam, de ordinarii loci licentia, duxerant, & ex tunc in antea eo modo auctoritate Apoſtolica ibidem vitam ducere,

Diplomatis cauſa.

ac profeſſionem ſolemnem cum tribus ſubſtantialibus votis Religionis emittere poſſe deſiderabant, idem Alexander, Prędeceſſor, ſtatuerat, & ordinaverat, quod Fratres in dicta Domo ſub forma Monaſterii in communi vitam ducere, ac profeſſionem ſolemnem cum tribus ſubſtantialibus votis Religionis emittere, ac omnibus, & ſingulis exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, ac indultis per pię memorię Sixtum Papam IV, etiam Prędeceſſorem noſtrum, Domibus, & Fratribus, vitam in communibus domibus ſub forma Monaſterii hujuſmodi ducentibus, in genere conceſſis, uti, potiri, & gaudere, necnon habitum conformem majori Regulę ab habitu tamen dictorum Fratrum Prędicatorum notabiliter diſtinctum, per Vicarium Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Caſtellę ordinandum, deferre tenerentur, ipſeque Vicarius, unum dicti Ordinis Prędicatorum profeſſorem in Sacerdotio conſtitutum, cum uno, vel duobus ſociis Priori, & Fratribus Domus hujuſmodi Prędidentem deputare, qui de prętati Vicarii licentia, Fratribus prędicti Ordinis Prędicatorum, & ſervitoribus pro tempore exiſtentibus, Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, ipſeque Prędidens de conſenſu Prioris, & Fratrum dictę Domus, eiſdem Fratribus, unum Patrem, ſeu Rectorem nuncupatum, ex numero Fratrum dictę Domus deputare, qui rerum domeſticarum, & infirmorum curam gerere deberent, & tenerentur, prout in literis ipſius Alexandri Prędeceſſoris plenius continetur. Ipſi Prior, & Fratres, provide conſiderantes, quod in Regnis, & dominiis Caſtellę, & Legionis alię Domus Fratrum dicti Ordinis, de Pęnitentia nuncupatorum, ad quas Fratres in dicta Domo S. Catharinę pro tempore exiſtentes, dum neceſſitas, & inquietudo eorundem Fratrum exigit, transferri, & mutari poſſint, minime reperiuntur, ut quietius, & perfectius Altiſſimo famulari poſſint, cupiunt in dicta Domo Ordinem Fratrum Prędicatorum de Pęnitentia nuncupatorum hujuſmodi ſupprimi, & extingui, & inibi majorem Ordinem Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum erigi, & inſtitui. Quare pro parte Prioris, & Fratrum Prędicatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in Domo prędicta, Ordinem Fratrum Prędicatorum de Pęnitentia hujuſmodi ſupprimere, & extinguere, & inibi majorem Ordinem Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, erigere, & inſtituere, dictamque Domum aliis Domibus Fratrum Prędicatorum reformatorum, de obſervantia nuncupatorum, Provincię Caſtellę aggregare, & incorporare, aliaſque in prę̨miſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, & Religionis hujuſmodi propagationem in his potiſſime temporibus intenſis

Translatio.

deſideriis affectamus, eoſdem Priorem, & Fratres, ac eorum ſingulos, a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum prętentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Ordinem prędictum in dicta Domo Fratrum Prędicatorum de Pęnitentia penitus, & omnino ſupprimimus, & extinguimus, ac in Ordinem majorem Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, erigimus, & inſtituimus, dictamque Domum aliis Domibus Fratrum Prędicatorum reformatorum, de obſervantia nuncupatorum, Provincię Caſtellę aggregamus, & incorporamus, ac Priori, & Fratribus prędictis, ut de Ordine, de Pęnitentia nuncupato, prędicto ad majorem Ordinem Fratrum Prędicatorum hujuſmodi ſe transferre, & habitum per eos hactenus geſtari ſolitum dimittere, ac habitum dicti Ordinis majoris Fratrum Prędicatorum recipere, quodque de cetero ipſi, & pro tempore exiſtentes Priores, & Fratres dictę Domus, ut ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, exemptionibus, favoribus, & indultis, quibus alii Fratres dictę Domus majoris Ordinis hujuſmodi in genere, utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore prętentium, concedimus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, ſuppreſſionis, extinctionis, ejectionis, inſtitutionis, aggregationis, conceſſionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prętumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quinto (4), Nono Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Domus.*) *De Vera* nuncupatæ a *Plodio de Progenie S. Dominici Lib. I Cap. XLVIII pag.* 159.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar inter Monumenta ejuſdem Cœnobii.

3. *Placentin.*) In *Hiſpania.*

4. *Quinto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDVI.*

Mo-

Monaſterium (1) S. Sixti de Urbe committit curæ Vicarii Generalis Congregationis Lombardiæ.

Anno 1506 Die 15 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum. XXXVII.

JULIUS PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut exponente Nobis venerabili Fratri Noſtro Oliverio Epiſcopo Oſtien. Cardinali Neapolitano, Protectore Ordinis veſtri, accepimus, Prioriſſa, & Moniales S. Sixti in Urbe ſub cura, & habitu ejuſdem Ordinis, pro earum pace, & ſalute, ſine prejudicio juriſdictionis Generalis Magiſtri dicti Ordinis, per Fratres tuę Congregationis, quoad Confeſſiones, & alia Sacramenta gubernari, & a cura & juriſdictione cujuſque alterius eximi deſiderent, Nos paci, & animarum earundem ſaluti conſulere cupientes, tibi Vicario moderno, & cuilibet alteri pro tempore exiſtenti, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium committimus, & in virtute S. Obedientię mandamus, ut ſine prejudicio juriſdictionis pręfati Generalis Magiſtri, Prioriſſę, & Monialibus prędictis, perpetuis futuris temporibus provideas de Confeſſore idoneo tuę Congregationis, ętatis provectę, & bonę famę, & reputationis, toties, quoties opus fuerit. Qui eorum Confeſſiones audiat, & alia Sacramenta eis valeat miniſtrare, & ab illis caſibus, & Cenſuris abſolvere, a quibus alię Moniales curę, & regimini prędictę Congregationis ſubjectę poſſunt abſolvi, eximentes ipſas a cura, & juriſdictione Provincialis Romanę Provincię, ſecundum morem prędicti Ordinis pro tempore exiſtentis, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Maii MDVI Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Sigiſmundus.

1. *Monaſterium.*) Vide Notas *ad Conſtitutionem XI Honorii III.* Legitur *Tomo I pag.* 8.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Bononienſi*.

Cumani (1) Monaſterii Ordinis S. Benedicti curam gerant Fratres Prædicatores.

Anno 1506 Die 16 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

JULIUS PP. II. XXXVIII.

Dilecte fili (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nobis fecerunt dilectę in Chriſto filię Abbatiſſę, & Conventus Monaſterii reformati Sanctę Marię Veteris feminilis nuncupati extra muros Cuman., Ordinis Sancti Benedicti regularis obſervantię, quod licet alias felicis recordationis Sixtus PP. IV Prędeceſſor noſter tunc Priori, & Fratribus Domus Sancti Johannis extra, & prope dictos muros Ordinis Fratrum Prędicatorum, per ſuas literas in forma Brevis in virtute Sanctę obedientię mandaverit, ut Abbatiſſę, & Conventus dicti Monaſterii tunc & pro tempore exiſtentium curam ſuſciperent, eiſque ſub regulari obſervantia viventibus, accedente ordinarii loci conſenſu, eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrarent, & earum Confeſſiones audirent, ipſique Prior, & Fratres, mandatis Apoſtolicis obſequi cupientes, dicti Ordinarii habito conſenſu, curam earundem ſuſceperint, & per XVII annos, vel circa laudabiliter geſſerint, tamen, quia poſtmodum Vicarius Generalis, ſeu Provincialis Provincię Mediolanen. juxta morem dicti Ordinis Fratribus dictę Domus, ne curam earundem Abbatiſſę, & Conventus gererent, & proſequerentur inhibuit, illam amplius gerere recuſarunt. Nos deinde, earundem Abbatiſſę, & Conventus nobis porrectis ſupplicationibus inclinati, per alias noſtras in forma Brevis literas eiſdem Priori, & Fratribus, in virtute Sanctę obedientię, & ſub excommunicationis pęna mandavimus, ut ipſarum Abbatiſſę, & Conventus curam ſuſciperent, & gererent, quod propter inhibitionem hujuſmodi facere recuſarunt, & recuſant. Quare pro parte Abbatiſſę, & Conventus Prędicatorum, aſſerentium ſe propterea maximum animarum detrimentum ſuſtinere, Nobis fuit nuper humiliter ſupplicatum, ut eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ęgre ferentes mandata Apoſtolica in contemptum deduci, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę tenore pręſentium committimus, & mandamus, quatenus, Priori, & Fratribus prędictis, ut Abbatiſſę, & Conventus prędictarum curam continuent, & proſequantur, ac eis eccleſiaſtica Sacramenta hujuſmodi miniſtrent, earumque confeſſiones audiant, ac omnia alia faciant prout per dicti Sixti, ac noſtras literas eis mandatum fuit, necnon Vicario Generali, & Provinciali, ac aliis Patribus dictę Congregationis, ut prohibitionem, & inhibitionem eiſdem Priori, & Fratribus per ipſos, & quemlibet eorum reſpective factas prędictas revocent, ipſoſque Priorem, & Fratres dictę Domus, curam earundem Abbatiſſę, & Conventus gerere, & exercere permittant, ſub excommunicationis latę ſententię pęna, auctoritate noſtra, pręcipias, & mandes, & nihilominus Abbatiſſę, & Conventui pręfatis in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtens, facias eas omnibus, & ſingulis pręmiſſis pacifice frui, & gaudere, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia opportuna juris remedia auctoritate noſtra,

appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſcunque privilegiis, & indultis dictis Vicario Generali, & Provinciali, ac aliis Patribus prędictis, ſub quibuſvis formis, & verborum expreſſionibus, conceſſis, quibus, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda foret, tenores hujuſmodi pręſentibus pro expreſſis habentes, illis aliis in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVI Junii MDVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Cumani*,) Conſulenda *Conſtitutio IX.*
2. *Archivo*,) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Cumano*,
3. *Dilecte fili*.) Inſcriptionem Diplomatis prætermiſit amanuenſis,

Anno 1506 Die 28 Julii.

De legatis Valliſoletano (1) Collegio.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXXIX.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

HIs, quę pro perſonarum eccleſiaſticarum &c. (3) Sane pro parte dilectorum filiorum, Rectoris, & Fratrum Collegialium Collegii S. Gregorii Ordinis Fratrum Prędicatorum Oppidi Valiſoleti, Palentin. Dięceſis Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim bonę memorię Alfonſus (4) Palentin., tunc Corduben. Epiſcopus, qui antequam de ejus perſona Eccleſię Corduben. provideretur, dictum Ordinem in Domo S. Pauli extra muros Burgen. ejuſdem Ordinis expreſſe profeſſus fuerat, poſtquam de bonis, tam ex Capellania majoris Capellę clarę memorię Eliſabeth Reginę Caſtellę, & Legionis, quam tunc obtinebat, quam alias per eum acquiſitos certos annuos redditus, jura regalia nuncupatos, in Civitate Burgen. conſiſtentes, emerat, ſibique per felicis recordationis Sixtum PP. IV Prędeceſſorem noſtrum de omnibus, & ſingulis mobilibus, & immobilibus, quę ad eum, tam ratione Corduben. aut tunc, cui pręerat, quam aliarum quarumcunque Cathedralium, & Metropolitan., ac Parochialium, ad quas eum forſan transferri, & quibus eum pręeſſe contingeret, Eccleſiarum, ac quorumcunque Monaſteriorum, aliorumque Beneficiorum eccleſiaſticorum ſecularium, & quorumvis Ordinum regularium, quę eatenus in commendam obtinebat, & in poſterum obtineret, quam ex donationibus, vel legationibus quorumcunque Principum, Ducum, Comitum, & Baronum, aliarumque perſonarum eccleſiaſticarum, & ſecularium, ſeu alias quomodolibet pertinebant, & expectabant, ac ſpectarent, & pertinerent in futurum, necnon de omnibus, & ſingulis bonis, etiam ex Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum fructibus, redditibus, proventibus emptis, & emendis, vel aliorum occaſione habitis, & habendis, cujuſcunque quantitatis, & qualitatis, ac valoris exiſterent, inter ſervitores, conſanguineos, affines, amicos, & nepotes, ac alias quaſcunque perſonas, vel pia loca, de quibus eidem Alfonſo Epiſcopo videretur, ſeu in illorum uſus teſtandi, codicillandi, dandi, donandi, diſponendi, & ordinandi, licentiam, & facultatem concedi obtinuerat, de eadem Corduben., ad Conchen., & de Conchen. Eccleſiis, ad Palentin. Eccleſiam auctoritate Apoſtolica ſucceſſive translatus exſtiterat, de propria ſalute recogitans, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, de bonis ſibi a Deo collatis in dicto Oppido de Valiſoleto dictum Collegium ſub invocatione S. Gregorii pro uno Rectore, & viginti Fratribus dicti Ordinis, illum expreſſe profeſſis, & ſub regulari obſervantia viventibus, qui literarum ſtudio in Theologia operam dare deberent, conſtrui fecerat, ac prope dictum Collegium quandam magnam Capellam, & in eadem Capella certas perpetuas Capellanias pro certis perpetuis Capellanis, qui illis deſervirent, auctoritate Apoſtolica erexit, & pro illarum dote dictos redditus, jura regalia nuncupatos, cum certis aliis bonis mobilibus, immobilibus, tunc expreſſis, Capellę, & Capellanis prędictis, perpetuo donavit, applicavit, & appropriavit, & tunc perpetui Capellani in Capella pręfati Oppidi, tam vivente dicto Alfonſo Epiſcopo, quam poſt ejus obitum dictos redditus, per plures annos pacifice poſſederunt, & deinde pręfato Alfonſo Epiſcopo ab hac luce ſubtracto, venerabilis Frater noſter Didacus Archiepiſcopus Hiſpalen., tunc Epiſcopus Palentin., ſufficienti, ut aſſerebat, ad hoc ab Apoſtolica Sede per ejus literas facultate ſuffultus, illius vigore, dictos Capellanos Capellaniis prędictis privavit, ac fructus, redditus, & proventus, ac bona quęcunque ad Capellam, & Capellanias prędictas quomodolibet ſpectantia dicto Collegio perpetuo applicavit, & appropriavit, ſtatuitque, & ordinavit, quod ex tunc alii decem Fratres in dicto Collegio, recipi deberent. Succeſſive vero Nos tunc Rectoris, & Fratrum Collegialium, in ea parte ſupplicationibus inclinati, Capellanias prędictas, tanquam per liberas reſignationes a tunc illam obtinentibus in manibus noſtris ſponte factas, & per Nos admiſſas, vacantes perpetuo de novo extinximus, & ſuppreſſimus, ac redditus, & bona prędicta eidem Collegio, Rectori, & Fratribus Collegialibus applicavimus, & appropriavimus, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, poſtea dilecti filii Prior, & Conventus dictę Domus S. Pauli aſſerentes, redditus, & alia bona per dictum Alfonſum Epiſcopum, antequam de ejus perſona dictę Eccleſię Corduben. provideretur acquiſita, ſeu ad eum quomodolibet ſpectantia, pro eo quod ipſe Alfonſus Epiſcopus in dicta Domo S. Pauli, habitum per Fratres ejuſdem Domus geſtari ſolitum ſuſceperat, & profeſſionem regularem, ut pręfertur, emiſerat, ad Domum S. Pauli pertinere, dictoſque Rectorem, & Fratres Collegiales ſuper dictis redditibus, & bonis aliis in curia regia Caſtellę, & Legionis Regnorum moleſtare cępiſſent, per tunc Priorem Provincialem Provincię Regnorum, & Ordinis prędictorum, ne de his pro tunc ſe intromitterent, inhibitum eis fuit, poſtremoque dilectus filius modernus Generalis Magiſter dicti Ordinis de pręmiſſis omnibus, & ſingulis ſufficienter inſtructus, & illis per ipſum eum juris peritorum conſilio mature, & diligenter diſcuſſis,

& exa-

& examinatis, redditus, & alia mobilia, & immobilia hujuſmodi, non ad S. Pauli, ſed ad S. Gregorii Domos prędictas, de jure ſpectare, & pertinere, ſua ordinaria auctoritate declaravit, ac potiori pro cautela omnia, & ſingula redditus, & bona hujuſmodi Capellę, & Capellanis prędictis, illarumque perſonis quomodolibet, ſive ex donatione inter vivos, ſive cauſa mortis, vel alias quomodolibet per dictum Alfonſum Epiſcopum conceſſa, donata, & appropriata, quatenus illa ad Domum S. Pauli prędictam, vel ad eum, vel pro tempore exiſtentem Generalem dicti Ordinis, ratione ſui Generalatus officii, vel alias quomodolibet pertinerent, vel pertinere poſſent, eiſdem Collegio, ac Rectori, & Fratribus Collegialibus de novo in perpetuum conceſſit, & donavit, ac Priori, & Fratribus tam dicti S. Pauli, quam quarumcunque aliarum Domorum dicti Ordinis ubilibet conſiſtentium ſub cenſuris, & pęnis, tunc expreſſis, quas eorum quilibet contrafaciendo, eo ipſo incurreret, pręcepit, & mandavit, ne de cetero, perpetuis futuris temporibus, Rectores, & Fratres Collegiales dicti Collegii tunc, & pro tempore exiſtentes ſuper redditibus, & aliis bonis prędictis directe, vel indirecte quovis quęſito colore moleſtare, & perturbare pręſumerent, prout in ipſius Magiſtri Generalis, deſuper confectis literis, ſeu inſtrumentis publicis, plenius dicitur contineri. Quare pro parte eorundem Rectoris, & Fratrum Collegialium Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut declarationi, conceſſioni, donationi, pręcepto, & mandato Magiſtri Generalis hujuſmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Rectorem, & Fratres Collegiales pręfatos a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati declarationem, conceſſionem, donationem, pręceptum, & mandatum Generalis Magiſtri hujuſmodi, ac prout illa concernunt, omnia, & ſingula alia in ipſius Magiſtri Generalis literis prędictis, ſeu publicis inſtrumentis contenta, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus potiori pro cautela, omnia, & ſingula per pręfatum Magiſtrum Generalem, ut pręfertur, ordinata, & declarata, de novo perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, ipſaque bona, & redditus, eiſdem Collegio, & illius Fratribus applicamus, & appropriamus, non obſtantibus &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Sexto, Quinto Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Mandatum.

1. *Valliſoletano.*) In *Hiſpania.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCIII fol.* 163.
3. *Eccleſiaſticarum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Alfonſus.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Sixti IV.*

Florentini (1) Monaſterii S. Petri Martyris Prioriſſa munus illud obeat toto tempore vitæ ſuæ.

Anno 1506 Die 8 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XL.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono, & Archipresbytero Eccleſię Florentin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

DIgna reddimur attentione ſoliciti &c. (3). Sane exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum Domus S. Petri Martyris Florentin., Ordinis Prędicatorum, petitio continebat, quod licet, juxta antiquas, & laudabiles pręfatę domus conſuetudines, occurrente dictę Domus vacatione, Prioriſſa in dicta Domo per illius Sorores, ad vitam eligi (4) conſueverit, nihilominus ab aliquibus annis citra ejuſdem domus Sorores, Prioriſſam ad annum duntaxat elegerunt, & in eligenda annali Prioriſſa contingere poſſet, quod aliqua ex dictę Domus junioribus Sororibus eligeretur, quę forſan in regularibus inſtitutis Domus, & Ordinis prędictorum, bene inſignita non foret, id profecto in magnum domus, & Sororum hujuſmodi cederet damnum, & pręjudicium, & propterea moderna Prioriſſa, & duę partes ex Sororibus, necnon earum Generalis Vicarius, provide conſiderantes, quod commoditatibus dictę Domui potius conſuleretur, per perpetuam, quam temporalem Prioriſſam, cum in hujuſmodi perpetuis electionibus ſemper magis antiqua in inſtitutis regularibus erudita, & pręceteris junioribus decorata eligi ſolita ſit, modernaque Prioriſſa, & duę partes Sororum pręfatarum etiam per quas moderna Prioriſſa electa exiſtit, ad ejus vitam prorogari, & quod de cetero perpetuis futuris temporibus dictę Domus Prioriſſa ſit perpetua, ſtatui, & ordinari deſiderent. Quare pro parte Prioriſſę, & duarum partium Sororum prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tempus, ad quod dicta moderna Prioriſſa electa exiſtit, ad ejus vitam prorogare, & quod de cetero perpetuis futuris temporibus, Prioriſſa in dicta Domo eligenda, ad vitam eligi debeat, ſtatuere, & ordinare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui religionis proſperum ſtatum intenſis deſideramus affectibus, Prioriſſam, & Sorores pręfatas a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, ac de pręmiſſis, certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni &c. quatenus vos, vel alter veſtrum de pręmiſſis omnibus, & ſingulis diligenter informetis, &, ſi per informationem eandem, ita eſſe repereritis, tempus ad quod pręfata Prioriſſa electa exiſtit, ad vitam ſuam prorogetis, ſeu alter veſtrum proroget, & ſtatuatis, & ordinetis, ſeu alter veſtrum ſtatuat, & ordinet, quod de cetero perpetuis, futuris temporibus, Prioriſſa in dicta Domo pro tempore eligenda, ad vitam eligi debeat; non obſtantibus Capitulis Generalibus Fratrum Ordinis Prędicatorum, ſub quorum cura, & viſitatione dictę Sorores fore noſcuntur, & aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c. illis pręſertim per quę ſtatuimus, & ordinavimus, quod Prioriſſa in dicta Domo pro tempore electa, ultra biennium in hujuſmodi Prioratus officio preſeverare non poſſit &c. illis &c., hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud

Mandatum.

apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Sexto, Sexto Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Florentini.*) In *Hetruria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLII fol. 304.*
3. *Soliciti &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Eligi.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

Anno 1506 Die 27 Novembris.

Bononienſis (1) Monaſterii S. Mathiæ Moniales committit curæ Fratrum Prædicatorum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis in Chriſto filiabus Monialibus Domus Sancti Mathię Bononien. Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum degentibus.

XLI. JULIUS PP. II.

Dilectę in Chriſto filię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. EXponi nobis nuper feciſtis quod vos a multis annis citra Sedi Apoſtolicę immediate ſubjectę fuiſtis, & Confeſſorem in Domo Sancti Dominici Bononien. Ordinis Fratrum Prędicatorum regularis obſervantię Congregationis Lombardię, qui obtenta licentia a locum tenente Legati Bononien. pro tempore exiſtente, confeſſiones veſtras audivit, & Eccleſiaſtica Sacramenta vobis miniſtravit, & Domum veſtram in melius reformavit, habuiſtis, quodque ſub ejus cura non mediocriter profeciſtis, ac auctore Domino in melius proficere ſperatis. Et, ne aliquando Confeſſore idoneo deſtituamini, optatis perpetuę curę, & adminiſtrationi Vicarii pro tempore exiſtentis Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Congregationis prędictorum penitus ſubiici. Nos igitur, qui quarumcunque religioſarum perſonarum, pręſertim fęminei ſexus ſub ſuavi religionis jugo Altiſſimo famulantium votis, quantum cum Deo poſſumus, libenter annuimus, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vos, & pro tempore exiſtentes dictę Domus veſtrę Moniales, Domumque ipſam perpetuę curę, & adminiſtrationi dicti Vicarii pro tempore exiſtentis; qui vos viſitet, corrigat, & in melius reformet, nullius alterius requiſita licentia, ac Eccleſiaſtica Sacramenta vobis miniſtret, voſque, & dictam Domum veſtram, prout moniales, Domus, & loca alia, ſuę, & dictę Congregationis juriſdictioni ſubjecta tam in temporalibus, quam ſpiritualibus dirigat, & gubernet, Mandatum. auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium penitus perpetuo ſubiicimus, ac eidem Vicario pro tempore exiſtenti, unum, vel plures idoneos Confeſſores, qui confeſſiones veſtras audiant, & eccleſiaſtica Sacramenta vobis miniſtrent, deputandi facultatem concedimus, vobiſque, & eidem Domui veſtrę, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, gratiis, & indultis, aliis Domibus, & locis, ac Monialibus Ordinis, & Congregationis prędictorum pręfato Vicario ſubjectis in genere conceſſis, & quibus alię Domus, & loca, ac Moniales eorundem Ordinis, & Congregationis de jure, vel conſuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſitis, & debeatis; Itaquod nullus alius pręterquam dictus Vicarius, aut illi, quibus duxerit committendum, de vobis, & Domo veſtra omnino ſe intromittere quoquomodo poſſit, de ſpeciali gratia indulgemus. Mandantes dilecto filio Vicario dictę Congregationis in virtute Sanctę Obedientię, & ſub excommunicationis pena, ut vos, & Domum veſtram prędictam ſub ſua cura ſine mora ſuſcipiat, & alia in pręmiſſis neceſſaria faciat, & exequatur; non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis; necnon Domus, Ordinum, & Congregationis, prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Bononię ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Novembris MDVI Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Bononien.*) In *Italia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo aſſervato in Monaſterio *S. Mathiæ*. Legitur in *Bullario Bononien. pag. 58.*

Anno 1506 Die 6 Decembris.

Literas in Mendicantes Fratres datas reſcindit (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

Venerabili Fratri Epiſcopo Nanetenſi (3).

XLII. JULIUS PP. II.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. DUdum ad ſupplicationem dilectorum filiorum univerſorum, & ſingulorum Rectorum Parochialium Eccleſiarum tuarum Civitatis, & Diœceſis aliis noſtris in forma Brevis litteris dedimus, in mandatis, ut per te, vel Vicarium tuum Fratribus Conventuum ſingulorum Ordinum Mendicantium Ducatus Britannię, tam generaliter, quam, ſi opus foret, ſingulariter, & diviſim, ne de cetero Parochianorum dictarum Eccleſiarum abſque ſuorum Rectorum expreſſa licentia confeſſiones audire, aut eis abſolutionem impendere, vel Sacramentum Euchariſtię miniſtrare prędumerent, ſub excommunicationis latę ſen-

ſententię, ac aliis ſententiis, cenſuris, & pęnis eccleſiaſticis inhiberes: & inhibitioni hujuſmodi contrafacientes ſententias, cenſuras, & pęnas prędictas incurriſſe declarares, prout de jure foret faciendum, ac iteratis vicibus aggravares, invocato etiam ad hoc, ſi opus foret, auxilio brachii ſecularis, necnon cauſam, & cauſas ſuper pręmiſſis cum omnibus, & ſingulis ſuis incidentibus, emergentibus, & annexis, ac connexis, etiam ſummarie audires, cognoſceres, & fine debito terminares, tibique eoſdem Fratres ad pręmiſſa coram vobis citandi, facultatem conceſſimus, prout in illis, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum pręſentibus insererentur, heberi volumus pro ſufficienter expreſſis, plenius continetur. Cum autem noſtrę non fuerit intentionis, nec ſit, ſuper pręmiſſis contra pręfatos Mendicantes, quibus tam notorie conſtat, ea tam per felicis recordationis Clementem PP. V Prędeceſſorem noſtrum in Concilio Viennen. quam per privilegia Apoſtolica fore conceſſa, eas literas dare voluiſſe; Nos igitur volentes eiſdem ſuper iis opportune providere, literas prędictas, ac omnia, & ſingula in eis contenta, cum omnibus inde ſecutis, revocamus, caſſamus, & annullamus, ac tibi in virtute Sanctę obedientię, & ſub interdicti ingreſſus Eccleſię, Vicario vero tuo pręfato ſub excommunicationis latę ſententię pęnis, quas, ſi contra feceritis, eo ipſo incurratis, diſtricte pręcipiendo, mandamus, ne prętextu literarum prędictarum, ac quarumcunque aliarum forſan in poſterum ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis, & derogatoriarum derogatoriis concedendarum, contra pręfatos Fratres procedere, & innovare quoquo modo, directe, vel indirecte, pręſumas, & innovata ſi quę ſunt ſine mora in priſtinum, & eum ſtatum, in quo erant reintegres, reſtituas, & reponas, ac reintegrari, reſtitui, & reponi facias, prout etiam Nos per pręſentes reintegramus, reponimus, & reſtituimus. Nihilominus tibi mandantes, ut hujuſmodi revocationem, ac reſtitutionem, etiam in domorum Fratrum hujuſmodi Eccleſiis, dum Populus ad divina convenerit, & pro parte dictorum Fratrum requiſitus fueris, publices, ſeu publicari facias. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Bononię ſub Annulo Piſcatoris, die VI Decembris MDVI, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Abrogatio.

Sigiſmundus.

1. *Reſcindit.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Naneten.*) *Nanneten.*, vulgo *Nantes*, in *Britannia minori*.

In eos qui ſine licentia Magiſtri Generalis ad Doctoratus gradum promoti ſunt (2).

Anno 1506 Die 8 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Procuratori Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum.

J U L I U S PP. II.

XLIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nobis nuper fecit venerabilis Frater noſter Oliverius (3), Epiſcopus Oſtien, Ordinis Fratrum Prędicatorum Protector, quod nonnulli ex Fratribus dicti Ordinis ad Magiſterii, ſeu licentię, & alios gradus in Theologia, non ſervatis inſtitutionibus regularibus dicti Ordinis, aſpirantes, ad hujuſmodi Gradus abſque licentia Protectoris pręfati, ſeu Generalis dicti Ordinis pro tempore exiſtentis, aut tua, pręſertim poſt noſtrum ab Urbe diſceſſum, prętextu licentię quam ſe a Nobis, vel Sede Apoſtolica impetraſſe aſſerunt, ſunt promoti, quamvis forſan minus idonei exiſtant, in grave pręjudicium aliorum Fratrum dicti Ordinis, qui peractis actibus sd hujuſmodi gradus ſuſcipiendos neceſſariis promoveri deberent, necnon ſcandalum plurimorum. Quare dictus Oliverius Cardinalis Epiſcopus, & Protector Nobis humiliter ſupplicavit, quod providere in pręmiſſis paterna diligentia curaremus. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quaſcunque promotiones, ſeu licentię gradus in eadem Theologia quorumcunque Fratrum dicti Ordinis abſque licentia dicti Protectoris, ſeu Magiſtri Generalis, aut tua, pręſertim poſt noſtrum ab eadem Urbe diſceſſum hujuſmodi, etiam prętextu quarumcunque literarum Apoſtolicarum factas, revocantes, & annullantes penitus, tibi per pręſentes committimus, & mandamus quatenus omnes, & ſingulos, qui ſic promoti fuerunt, niſi eis iterum per te, adjunctis tecum aliquibus in eadem Theologia Magiſtris, in numero, de quo tibi videbitur, rigoroſo examine examinatis, ſufficientes, & idonei reperti fuerint, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus, non permittas, privilegiis, & indultis, Magiſtris, ſeu licentiatis in Theologia conceſſis, gaudere, aut aliquam pręeminentiam, ut Magiſtros, vel Licentiatos in eadem Theologia habere, eiſque ne hujuſmodi privilegiis utantur inhibeas. Contradictores cenſuris eccleſiaſticis appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ac quibuſvis derogationibus, & indultis in Literis in forma Brevis, vel aliter eiſdem promotis conceſſis, quomodolibet appoſitis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Bononię ſub Annulo Piſcatoris die VIII Decembris MDVI Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Sigiſmundus.

1. *Promoti ſunt.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Oliverius.*) E gente *Caraſa*.

In

Anno 1506 Die 12 Decembris.

In Brixienſes de Sepultura (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLIV.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus modernis Archiepiſcopo Neopotenſi (3), & Epiſcopo Forenſi in Civitate Brixię commorantibus, ac dilecto filio Abbati Sanctę Euphemię Brixien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum moderni Prioris, & Fratrum Domus S. Dominici Brixienſis, Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod licet laicis in clericos, ſeu perſonas eccleſiaſticas, ſuper diſpoſitionem rerum eccleſiaſticarum nulla ſit attributa poteſtas, tamen dilecti filii communitas, & conſilium Civitatis Brixienſis ipſis Priore, & Fratribus, ſeu aliis Presbyteris, & Clericis, ac perſonis eccleſiaſticis, & Religioſis dictę Civitatis in hęc non conſentientibus, quamvis de facto, ordinarunt, & ſtatuerunt, quod nullus ad exequias mortuorum ultra viginti ſex Religioſos, vel alios clericos, ſeu Presbyteros ſeculares invitet, & duo tantum ſolidi monetę, in partibus illis uſum habentes, ſingulis ex Presbyteris, ſeu Clericis, aut Religioſis prędictis, & certa cerę quantitas daretur, in animarum ſuarum periculum, & dictorum Prioris, & Fratrum, aliorumque Religioſorum, ac univerſorum Parochialium Eccleſiarum dictę Civitatis Rectorum prejudicium non modicum, & gravamen, eccleſiaſticęque libertatis depreſſionem, necnon priorum eleemoſynarum, & ſuffragiorum pro animabus defunctorum erogandarum diminutionem. Quare pro parte dictorum Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi ſtatutum nullum decerni, mandare, ac omnes, & ſingulos, quos ipſi Prior, & Fratres contra dictos communitatem, conſilium, ſeu eorum ſyndicum, & omnes alios quoſcunque communiter, vel diviſim ſuper prę miſſis movere intendunt cauſas, aliquibus probis viris in partibus illis committere, aliaſque in prę miſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, vocatis dictis communitate, conſilio pręfatis, & aliis, qui fuerint evocandi, cauſas hujuſmodi audiatis, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel amore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellatis, veritati teſtimonium perhibere. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, qua inter alia cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Diœceſim niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices, a Sede prędicta deputati, extra Civitatem, & Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ſeu alii, vel aliis vices ſuas committere prę ſumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate prę ſentium non trahatur, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcunque, ſive ſi etiam univerſitati, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu extra, vel ultra certa loca ad judicium trahi non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Sexto, Pridie Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

P. Millinus
A. Vives.

Johannes Cammillottus pro
F. Carieo.

Jo: Corbinus.

1. *Sepultura.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo,*) In quo Exemplar authenticum in *Bullario Brixien. pag.* 39, ex authographo *Brixien.*
3. *Neopaten.*) *Neopaſten.*, ſeu *Naupaſten.*, vulgo *Lepanto*, in *Ætolia.*

Anno 1507 Die 11 Januarii.

Societatem (1) Cruceſignatorum privilegiis ornat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLV.

Dilecto filio Georgio (3) de Caſali Ordinis Fratrum Prędicatorum Congregationis Lombardię de Obſervantia nuncupatorum in Sacra Theologia profeſſori, hęreticę pravitatis Inquiſitori.

JULIUS PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis feciſti, quod tu qui in Civitate, & Diœceſi Cremonen. hęreticę pravitatis Inquiſitor exiſtis, contra eandem hęreticam pravitatem quandam utriuſque ſexus perſonarum ſocietatem, Cruceſignatorum nuncupatam, in dicta Civitate, Apoſtolica auctoritate inſtituiſti, a quibus eo majorem contra hęreticos favorem ſperas, quo prę fatę perſonę amplioribus gratiis, & privilegiis ſe refectos noverint, quemadmodum aliis ſic Cruceſignatis in quibuſdam locis a Sede Apoſtolica conceſſum fuit.

Proin-

Proinde pro parte tua Nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut pium inſtitutum hujuſmodi Apoſtolico favore proſeqni dignaremur. Nos hujuſmodi ſupplicatinnibus inclinati omnibus utriuſque ſexus perſonis contra hęreticos Cruce ſignatis in Civitate, & Dięceſi Cremnnen. prędictis, nunc & pro tempore degentibus, ab Inquiſitore hęreticę pravitatis pro tempore exiſtente, vel ab iis, quibus idem Inquiſitor id commiſerit, quotiens ipſorum Cruce ſignatorum devotioni videbitur, pręterquam in die Paſchę, & ſine eorum Rectoris prejudicio, Euchariſtię Sacramentum in Eccleſiis Fratrum Ordinis Prędicatorum recipere libere, & licite valeant, necnon viſitando tria Altaria in eiſdem, vel aliis Eccleſiis, & ante quodlibet ipſnrum Altarium dicendo quinquies Orationem Dominicam, & totiens ſalntationem Angelicam, his diebus, quibus ſtationes in alma Urbe celebrantur, eaſdem Indulgentias conſequantur, quas conſequerentur, ſi eiſdem diebus Eccleſias Urbis Rnmę viſitarent, Apoſtnlica auctoritate, tenore pręſentium, de ſpeciali gratia indulgemus, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcnnque. Datum Bononię ſub Annulo Piſcatoris Die XI Januarii MDVII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Societatem.*) De qua in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex authentico aſſervato in Archivo *Mutinenſis* Cœnobii.
3. *Georgio.*) Hunc non novit Fontana *Cremonenſes* Inquiſitores recenſent *Theatro Dominicano Parte III de Miniſtris S. Inquiſition. Cap. III Tit. XXXIII pag. 566.*

Anno 1507 Die 19 Februarii.

De Sacramentis miniſtrandis (1) a Fratribus Mendicantibus.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLVI.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

ADmonet Nos ſuſcepti cura regiminis, ut ea quę pro ſingulorum Chriſti fidelium animarum ſalnte, multa cum deliberatione, & diſcuſſinne a Sede Apoſtolica emanaſſe comperiuntur, ne in recidivę contentionis ſcrupulum relabantur, etiam noſtrę protectionis munimine roboremus, ut eo firmius perſiſtant, quo Sedis ejuſdem fuerint auctoritate ſępius ſtabilita, ac exinde omnis inter Religioſos quoslibet diſſenſinnis, & contentinnis ſomes, & occaſio de medio ſubmoveatur.

Diplomatis cauſa.

Sane licet per felicis recordationis Jnhannem PP. XXII. Prędeceſſorem noſtrum, opinio illorum qui aſſerebant eos, qui Fratribus Ordinum Prędicatnrum, vel aliorum Mendicantium juxta juris diſpoſitionem deputatis pro tempore ſua peccata confitebantur, teneri de novo confiteri hujuſmodi ſua peccata ſuo Parochiali Rectori, reprobata fuerit, & pię memorię Eugenius PP. IV, etiam Prędeceſſor noſter, per ſuas literas mandaverit Ordinariis locorum, ut contra talia aſſerentes providerent. Et poſtmodum pręmiſſa per recolendę memorię Nicolaum PP. V, ſimiliter Prędeceſſorem noſtrum, approbata, & confirmata fuerint, ac ſanctę memorię Sixtus PP. IV, etiam Prędeceſſnr noſter, hujnſmodi commiſſionem, ſeu mandatum ad Inquiſitores hęreticę pravitatis extenderit, ac Fratribus dicti Ordinis conceſſerit, ut perſonis eis confeſſis, quibus Rectores Parochialium Eccleſiarum ſine rationabili cauſa denegarent, ſive malitioſe differrent Euchariſtię, ſeu Extremę Unctionis Sacramenta, miniſtrare, ſuper quo eorundem confeſſorum aſſertioni ſtari deberet, illa petentibus poſſent impune exhibere. Tamen nonnulli opinionem pręfatam, & conceſſionem hujuſmodi in dubium de nnvo vertere nituntur in prejudicium Apoſtolicę auctoritatis, & privilegiorum, ac Ordinis prędictorum.

Mandatum.

Nos igitur, qui Chriſti fidelium animarum ſaluti, & Religioſorum quorunlibet paci, & tranquillitati, ut paſſint quietius, & devotius Domino ſamulari, libenter, quantum cum Deo poſſumus, conſuli ſinceris deſideramus aſſectibus, motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc Nobis oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa ſcientia, pręmiſſa omnia per Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros pręfatos, ſtatuta, ordinata, & conceſſa, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, approbamus, & confirmamus, & perpetuę firmitatis robur obtinere debere decernimus. Et nihilominus pro potiori cautela eadem auctoritate, etiam pręſentium tenore, ſtatuimus, & ordinamus, ac decernimus, & declaramus, quod Chriſti fideles confeſſi a Mendicantibus rite pręſentatis ſecundum formam conſtitutionis recolendę memorię Clementis PP. V, etiam Prędeceſſoris noſtri ſuper hoc in Concilio Viennen. editę, quę incipit: Dudum: & ab eiſdem abſoluti, de quo aſſertioni ipſius confeſſi ſtetur, etiam in die Paſchę non teneantur iterum confiteri, de eiſdemmet peccatis ſuo Rectori Parochiali, ſeu Curato, ſed quod ſint ęque vere confeſſi, & abſoluti, ac ſi propriis Curatis Parochialibus confeſſi, & ab eis abſoluti ſuiſſent. Quodque ſi Curatus Parochialis ob hanc cauſam, quia Parochianus ſuus confeſſus eſt eiſdem Fratribus, & non vnlt iterum ſua peccata eidem Rectnri confiteri, denegaverit ſibi exhibere Euchariſtię Sacramentum, etiam in die Paſchę, aut Extremam Unctionem, ſeu Viaticum, in tali caſu liceat Fratribus ipſis, qni talium confeſſiones audiverint, hujuſmodi Sacramenta denegata, videlicet Euchariſtiam, etiam in dicta die Paſchę, & Viaticum, ac etiam Extremam Unctionem tali confeſſo exhibere, & prębere juxta tenorem prędictarum literarum Sixti Prędeceſſnris pręfati, ita quod nec miniſtrans hujuſmodi Sacramenta, nec illa ſuſcipiens, in hoc aliquam cenſuram eccleſiaſticam incurrat, diſtrictius inhibentes quibuſcunque Curatis, ſen Rectoribus Parochialibus, & ſpecialiter dilectis filiis univerſitati ſtudii Generalis Pariſien., Magiſtris, Doctoribus, & Baccalaureis, ne pręmiſſa contra tenorem privilegiorum prędictorum affirmare, aſſerere, ant de eis diſputare, niſi gratia exercitii quoquomodo pręſumant, ſub excommunicatinnis latę ſententię, & privationis beneficiorum, Magiſterii, & licentię docendi, & prędicandi, necnon inhabilitatis ad illa, pęnis, quas contrafacientes eo ipſo incurrant. Quocirca venerabilibus Fratribus noſtris, univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac aliis locorum ordinariis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unns eorum, per ſe, vel per alium, ſeu alios pręſentes literas, & in illis contenta quęcunque, ubi, qnando, & quoties opus fuerit, ac pro parte dictorum Fratrum, ſeu alicujus eorum deſuper requiſiti ſuerint, publicantes,

ac eis in premiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant, eos auctoritate noſtra pacifica poſſeſſione, vel quaſi, approbationis, confirmationis, decreti, ſtatuti, ordinationis, declarationis, & inhibitionis prędictorum, ac aliorum premiſſorum gaudere, non permittentes eos per Rectores Parochialium Eccleſiarum, ſeu quoſcunque alios, contra earundem pręſentium, & aliarum literarum tenorem, quomodolibet indebite moleſtari, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus ejuſdem Clementis, quę incipit: Religioſi: ac etiam felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, ſimiliter Prędeceſſoris noſtri, qua inter alia cavetur, ne aliquis extra ſuam Civitatem, vel Diœceſim niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede Apoſtolica deputati extra Civitatem, vel Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere pręſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, ac aliis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus contrariis quibuſcunque, aut ſi eiſdem Rectoribus Parochialium Eccleſiarum, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Ceterum quia difficile foret preſentes literas ad quęque loca, ubi opus fuerit, deferre, volumus, & eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, quod tranſumpto pręſentium literarum, ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munito, & manu alicujus Notarii publici ſubſcripto, eadem fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quę eiſdem literis adhiberetur, ſi forent exhibitę vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę approbationis, confirmationis, decreti, ſtatuti, ordinationis, declarationis, inhibitionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis &c. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Sexto (3), Undecimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Miniſtrandis.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo lit. VII.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar.

3. *Sexto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDVII.*

Anno 1507 Die 13 Aprilis.

S. Catharinæ Monaſterii extra muros Abulen. (1) conſtituendi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLVII.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

INjunctum Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officium Nos excitat, & inducit &c. (3). Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Agnetis de Peñafiel, & aliarum Sororum Domus S. Catharinę extra muros Abulen. Tertii Ordinis Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias quondam Catharina Jerra, relicta quondam Fernandi de Belmonte, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio, commutare, condens, in ejus ultima voluntate teſtamentum, certam Domum ſuę habitationis cum certis annuis redditibus, & aliarum rerum, tunc expreſſarum, pro ſalute animę ſuę, & ejus viri, pie reliquerat, ac voluerat, & ordinaverat, quod in ea mulieres Religioſę cum odore bonę famę venirent, & habitarent, ſub cura, & viſitatione, ac correctione Decani Eccleſię Abulen. pro tempore exiſtentis, qui Sorores inibi commorantes, examinare, &, ſi idoneas arbitraretur, ibidem recipi facere, ac male viventes, ab eadem Domo amovere, & alias ſurrogare, & bonorum relictorum etiam (4) habere deberet, ac in dicta domo, Eccleſia ſub invocatione S. Catharinę de Epiſcopi Abulen. licentia conſtructa, & ędificata, & in ea Sorores dicti Tertii Ordinis receptę fuerant, ac inibi ſub cura Fratrum dicti Ordinis a viginti annis, vel circa, laudabiliter vixerant, ac dilectus filius Petrus de Calatajud, modernus Decanus dictę Eccleſię Abulen., provide conſiderans, quod nonnulli ex prędeceſſoribus ſuis, a die ordinationis dictę Catharinę, de Domo, ac Sororibus pręfatis ſe intromiſerant, ſed illas curę dictorum Fratrum, relinqueret (5), curę dictarum Sororum, ſponte, & libere renunciaſſet, ſervando tamen illi, & ſucceſſoribus ſuis facultatem, adminiſtrandi bona per dictam Catharinam eidem Domui relicta, & eatenus per dictas Sorores acquiſita, ita, quod illa abſque ſuo, & ſucceſſorum ſuorum expreſſo conſenſu per dictas Sorores alienari non poſſent, prout in inſtrumentis, deſuper confectis, dicitur plenius contineri, ipſę Agnes, & Sorores, quę Domino concedente deſiderant inibi de cetero ſub regulari obſervantia vivere, ſummopere cupiant, Domum ipſam in Monaſterium dicti Tertii Ordinis erigi, & inſtitui. Quare pro parte earundem Agnetis, & Sororum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ordinationi per Petrum Decanum factę hujuſmodi, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac pręfatam Domum in Monaſterium Ordinis ejuſdem erigere, aliaſque in prēmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, Agnetis, & Sororum prędictarum pium propoſitum plurimum in Domino commendantes, ipſaſque Agnetem, & Sorores a quibuſvis Excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, renunciationem, per Petrum Decanum factam hujuſmodi, ac prout illam concernunt, omnia, & ſingula, in illius Inſtrumento contenta, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, approbamus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eadem, & nihilominus Domum prędictam in Monaſterium ejuſdem Ordinis cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, eadem auctoritate, ſine alicujus prejudicio erigimus, & inſtituimus, ac eiſdem Agneti, & Sororibus, quod omnia, & ſingula bona eiſdem Sororibus relicta, & quę nunc poſſident, retinere perinde, ac ſi eis, & Monialibus dicti Monaſterii relicta fuiſſent, quodque Abbatiſſa ejuſdem Monaſterii pro tempore exiſtens, & illius Moniales a viſitatione dicti, & pro tempore exiſtentis Decani Abulen. penitus

andatum.

ſint

ſint exemptę, ac curę, viſitationi, & correctioni Vicarii Generalis pro tempore exiſtentis Congregationis obſervantię dicti Ordinis ſubjectę exiſtant, quodque omnibus, & ſingulis privilegiis favoribus, gratiis, indultis, & indulgentiis quibus alia Monaſteria, dicti Ordinis, & illorum perſonę in genere, vel in ſpecie utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant, jure parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius ſalvo, ac Prioriſſa, per Moniales ejuſdem Monaſterii eligenda, ac Vicarium Generalem dictę Congregationis, ſeu habentem poteſtatem ab eo, confirmanda, ad certum tempus, pro exercitio, ſeu officio, ad ejuſdem Vicarii nutum amovibilis exiſtat, ac eandem poteſtatem, & auctoritatem in Monialibus habeat, quam habent, & habere conſueverunt alię Prioriſſę aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis aliarum partium, ac illius Moniales Profeſſionem emittere, & tria vota ſubſtantialia promittere, teneantur, & quęcunque vota in Domo prędicta, de licentia dicti Vicarii Generalis emiſerint, inde invitę abſque Romani Pontificis expreſſa licentia extrahi non poſſint, eiſdem auctoritate, & tenore ſtatuimus, & ordinamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, ſuppletionis, erectionis, inſtitutionis, ſtatuti, & Ordinationis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Septimo, Idibus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Abulen.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXXVIII fol.* 162.
3. *Inducit &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Etiam.*) Curam.
5. *Relinqueret.*) Reliquerant.

Bevalacen. (1) Cœnobii extra muros Guadalaxaren. fundandi facultas.

Anno 1507 Die 3 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

LXVIII.

Diplomatis cauſa.

Super familiam Domus Dei, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione conſtituti &c. (3). Dudum ſiquidem felicis recordationis Alexandro PP. VI Prędeceſſori noſtro, pro Hinitadi (4) de Mendoza (5) Adelantado de Corcorla Laici Toletan. Dięceſ., tunc in humanis agentis, & dilectę in Chriſto filię Johannę de Valentia, ejus uxoris, expoſito, quod ipſi fervore devotionis accenſi, cupientes tranſitoria in ęterna, & temporalia in cęleſtia, felici commercio commutare, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum, ac illius perſonas, propter eorum exemplarem vitam, prędicationem verbi Dei aſſiduam, & devotam divinorum celebrationem, & audientiam Confeſſionum, ac exhortationem ad bene, beateque vivendum, quibus perſonę ipſę, animas Deo lucrifacere, non ceſſabant, gerebant gratum devotionis affectum, cupiebant de bonis ſuis a Deo ſibi collatis conſtrui facere in quadam Domo, ſeu grangia, de Bevalac nuncupata, extra muros oppidi de Guadalaxara dictę Dięceſis, quam poſſidebant, unam Domum pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis, ſi ſibi illam conſtrui faciendi, ac Fratribus prędictis illam pro eorum uſu, & habitatione hujuſmodi recipiendi, per Sedem Apoſtolicam, licentia concederetur; Idem Alexander Prędeceſſor venerabili Fratri noſtro, tunc ſuo, Archiepiſcopo Toletan., & dilectis filiis Decano Toletan., ac Abbati Secularis, & Collegiatę Sanctorum Juſti, & Paſtoris de Alcala de Henares, ejuſdem Toletan. Dięceſis, Eccleſiarum, ſuis dedit literis in mandatis, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, ſi eſſet ita, eidem Hinitado, & Johannę, Domum prędictam ſub invocatione S. Dominici, ſeu alia, de qua eis videretur, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, clauſtro, armariolo, refectorio, dormitorio, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum prędictorum in Domo, ſive grangia de Bevalac extra muros oppidi hujuſmodi, ſine pręjudicio cujuſvis fundandi, ac conſtrui, & ędificari faciendi, necnon Fratribus prędictis illam, poſtquam ſic constructa, & edificata foret, pro eorum uſu, & habitatione perpetuis hujuſmodi recipiendi, & inhabitandi, licentia concederetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dictę Johannę, petitio continebat, poſtquam dictus Hinitadus condens in ejus ultima voluntate teſtamentum, in eo voluerat, & ordinaverat, quod ejus corpus in Eccleſia dictę Domus conſtruendę poſtquam conſtructa, & ędificata foret, ſepeliretur, & interim in Eccleſia Domus S. Franciſci Ordinis Fratrum Minorum extra muros oppidi, & Dięceſis prędictorum, deponeretur, certis executoribus deſuper deputatis, ipſiuſque corpus, eo jam vita functo, juxta ordinationem prędictam, depoſitum fuerat in Eccleſia ſecundo dictę Domus, pro parte Johannę, & executorum prędictorum literis prędictis dilecto filio moderno Abbati dictę Eccleſię de Alcala pręſentatis, ipſe modernus Abbas ad ipſarum literarum, forma, ut ſupra continetur, ſervata, procedens, Johannę, & executoribus &c. ut in Inſtrumento publico confectis dicitur plenius contineri, ipſique Johanna, & executores licentię hujuſmodi vigore, Domum conſtruendam cum Eccleſia in grangia hujuſmodi conſtrui, & ędificari facere cęperunt, illamque pro ſuſtentatione aliquorum Fratrum inibi pro tempore degentium dotaverunt, & Fratribus Prędicatorum Provincię Hiſpanię juxta morem dicti Ordinis Prędicatorum, libere donaverunt, ipſique Fratres, Domum cum Eccleſia cęptam hujuſmodi ad inhabitandum receperunt, in eaque ex tunc inhabitaverunt, prout inhabitant de pręſenti, & pro eo quod tempore Dat. dictarum Literarum in dicta grangia, quędam Domus magna ędificata, & quędam Eccleſia eidem Domui contigua ędificari incepta fuerant, in eadem Domo loca congruentia pro dormitorio, & refectorio, ac aliis neceſſariis conſiſtebant, ipſaque grangia a dicto oppido per unam leucam Hiſpanicam, tria Milliaria Italica, vel circa conſtituentem diſtaret, ipſeque Abbas ad executionem Literarum hujuſmodi, Prędeceſſore, & Hinitado prędicto vita functis, proceſſit, ac Fratres ipſi, Domum ipſam, ante illius integralem perfectionem receperunt; Jo-

Johanna, & executores pręſati, dubitant, ne tam Johanna, & executores, quam Fratres pręſati literarum illarum vigore, licentię, conceſſionis, & Domus receptionis hujuſmodi, fruſtrentur effectu, quodque prędicti judices ad dictarum literarum executionem ad unius ex Hinitado, & Johanna pręſatis, etiam altero eorum vita functo, inſtantiam procedere poſſent, pro parte eorundem Johannę executorum, necnon dilecti filii Didaci Magdaleno Prioris Provincialis dicti Ordinis in Hiſpania, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręmiſſis robur Apoſtolicę confirmationis adjicere, ac literas prędictas, & in his contenta perinde valere, ac ſi in illis, quod in dicta grangia quędam Domus magna ędificata, & quędam Eccleſia eidem Domui contigua ędificari incepta fuerant, & in eadem Domo loca congruentia pro dormitorio, & refectorio, ac aliis neceſſariis officinis conſiſterent, quodque grangia per unam leucam Hiſpanicam a dicto oppido, tria Milliaria Italica, vel circa conſtituentem, diſtabat, ipſique Archiepiſcopus, Decanus, & Abbas, ad dictarum Literarum executionem ad unius ex Hinitado, & Johanna pręſatis, altero eorum vita functo, & executorum ipſius vita functi inſtantiam procedere poſſent, expreſſum fuiſſet, ac Fratres Ordinis Minorum, ad reſtituendum depoſitum cadaver dicti Hinitadi, ut in Eccleſia novę Domus juxta illius ordinationem ſepeliri poſſit, cogi, & compelli poſſe concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ne Johanna, & executores, & Didacus prędicti Literarum prędictarum fruſtrentur effectu, providere volentes, ipſoſque Johannem, executores, & Didacum a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pręmiſſa, ac Literas prędictas, & in eis contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ipſaſque literas valere decernimus in omnibus, & per omnia perinde ac ſi in illis, quod tunc in dicta grangia, quędam Domus magna ędificata, & quędam Eccleſia eidem Domui contigua ędificari cępta fuerant, & in eadem Domo ędificata loca congruentia pro dormitorio, & refectorio, & aliis neceſſariis officinis conſiſterent, quodque grangia per unam leucam Hiſpanicam a dicto oppido diſtabat, ipſique Archiepiſcopus, Decanus, & Abbas ad dictarum literarum executionem ad unius ex Hinitado, & Johanna pręſatis, etiam altero eorum vita functo, & executorum ipſius vita functi, inſtantiam procedere poſſent, expreſſum fuiſſet, & inſuper eoſdem Fratres Ordinis Minorum ad reſtituendum depoſitum cadaveris Hinitadi hujuſmodi ad hoc, ut in dicta Eccleſia novę Domus ſepeliri poſſit, ſine tamen eorum pręjudicio, compelli poſſe, etiam decernimus, eiſque ſub excommunicationis latę ſententię pęna, quam niſi ea fecerint, ipſo facto incurrere volumus, ut cadaver, hujuſmodi Fratribus primo dictę Domus, ut in ejus Eccleſia jam conſtructa ſepeliatur, auctoritate, & tenore pręmiſſis pręcipimus &c. non obſtantibus. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis &c. infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Septimo, Quinto Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Bevalacen.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXII fol.* 127.
3. *Conſtituti &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Hinitadi.*) *Didaci*, ut apud *Plodium de Progenie S. Dominici Lib. I Cap. XLVIII pag.* 159.
5. *Mendoza.*) Gens eſt nobilis apud *Hiſpanos*.

Anno 1507 Die 18 Junii.

Monaſterii (1) Aſſumptionis B. Mariæ Virginis fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLIX.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Pacen., & dilectis filiis Toletan., ac de V . . . . . Burgen. Eccleſiarum Archidiaconis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Fundatoris ſupplex petitio.

INter cetera divinę majeſtati beneplacita opera &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Stephani de Guſman (4) laici Toletan., petitio continebat, quod ipſe zelo devotionis accenſus, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio commutare, cupit ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum, regularis obſervantię gerit devotionis affectum, ac pro ſua, ſucceſſorumque ſuorum ſalute, divinique cultus augmento, & Religionis propagatione, de bonis ſibi a Deo collatis in villa de Sandalla (5) Toletan. Diœceſis, unum Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini ſub invocatione Aſſumptionis B. Marię Virginis, quę in illo ſub regulari obſervantia, ac ſub cura Prioris Provincialis Provincię Hiſpanię, ſecundum morem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſeu ab eodem Provinciali deputandorum Fratrum ejuſdem Ordinis Prędicatorum, Altiſſimo famulentur, conſtrui, & ędificari facere, illudque pro una Prioriſſa, & triginta Monialibus ſufficienter dotare, ac in Eccleſia dicti Monaſterii unam Capellam, pro uno Capellano, qui Miſſam quotidie cum reſponſorio pro animabus dicti fundatoris, & uxoris, ac ſuorum defunctorum in ſingulis feſtivitatibus SS. Marię, & Michaelis, ac Dominici decantando, cum Reſponſorio in primis, & ſecundis veſperis in Eccleſia prędicta, prout per Stephanum, & Priorem pręſatos, laudabiliter ordinatum fuerit, celebrare teneatur. Ita quod dicta Capellania in perpetuum beneficium eccleſiaſticum erigi non poſſit, ſed ad hujuſmodi Miſſas, & alia divina officia celebranda Capellanus per eundem Stephanum, ſeu ex ejuſdem ſucceſſoribus majorem natum, & quoties videbitur expedire, amovendus, deputari debeat, fundare, ac illis ſufficientes redditus pro dicto Capellano deputare, ſi ad id Apoſtolicę Sedis licentia ſuffragetur. Quare pro parte dicti Stephani Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi Monaſterium ſub invocatione hujuſmodi in dicta villa apud Eccleſiam ejuſdem S. Michaelis Parochiali Eccleſię S. Petri ejuſdem villę annexam, in qua nulli ſepeliuntur, & divina officio raro, videlicet, ter, aut quater quolibet anno celebrantur, vel alio loco per eoſdem Stephanum, & Provincialem eligendo, cum refectorio, dormitorio, clauſtro, &

aliis

aliis officinis neceſſariis de conſenſu Rectoris dictę Eccleſię S. Petri, & ſine ejus prędjudicio, pro una Priorissa, & triginta Monialibus, quę inibi ſub regulari obſervantia, & perpetua clauſura, ac ſub cura dicti Prioris Provincialis, nunc, & pro tempore exiſten., & Commiſſariorum ab eo deputandorum, pro tempore, degant, ac in eodem Monaſterio, unam perpetuam Capellaniam, pro uno Capellano, qui in ea Miſſas, & alia divina officia juxta laudabilem ordinationem Prioris, & Stephani, prędictorum, celebrare teneatur, fundandi, conſtruendi, & dotandi licentiam concedere, illud in Monaſterium Monialium erigere, ac alias in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Ordinis S. Auguſtini prędicti, propter fructiferos fructus inde provenientes, ampliationem, ſinceris deſideriis affectamus, pium, & laudabile propoſitum ipſius Stephani plurimum in Domino commendantes, ipſumque Stephanum a quibuſvis excommunicationis &c. fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi eſt ita, eidem Stephano, dictum Monaſterium in villa, ac prope Eccleſiam S. Michaelis hujuſmodi, vel alio loco per Stephanum, & Provincialem hujuſmodi eligendo cum refectorio, dormitorio, clauſtro, & aliis neceſſariis officinis, de conſenſu Rectoris Eccleſię S. Petri hujuſmodi, conſtrui, & ędificari faciendi, licentiam concedere, & illud, poſtquam conſtructum fuerit, in Monaſterium Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini, ſub dicta invocatione pro una Prioriſſa, & triginta Monialibus, quę inibi ſub regulari obſervantia, ac perpetua clauſura, & ſub cura Prioris Provincialis hujuſmodi, ac Commiſſariorum ab eo pro tempore deputandorum degant, in eoque unam perpetuam Capellaniam pro uno Capellano, qui inibi Miſſas, & alia divina officia juxta Prioris, & Stephani prędictorum, laudabilem ordinationem, celebrare teneatur, ſine alicujus prędjudicio, erigere, & inſtituere, ac bona pro Capellani ſuſtentatione, & divinorum officiorum celebratione eidem Capellanię perpetuo applicare, dictamque Eccleſiam S. Michaelis, pro Eccleſia dicti Monaſterii aſſignare, quodque dicta Capellania in titulum perpetui Beneficii eccleſiaſtici minime concedi, nec ordinaria, ſeu Apoſtolica auctoritate in perpetuum beneficium eccleſiaſticum erigi, ſeu inſtitui poſſit, ipſeque Stephanus, ejuſque hęredes, & ſucceſſores, ſeu major natus ex eis, Capellanum ad eorum nutum amovibilem, ad celebrationem Miſſarum, & aliorum divinorum officiorum, deputare poſſint, &, ſi contingeret, Capellaniam ipſam in perpetuum beneficium eccleſiaſticum contra voluntatem Stephani, aut ſucceſſorum prędictorum erigi, ex tunc liceret Stephano, & ſucceſſoribus pręfatis, bona, & illorum fructus pro onerum Miſſarum, & aliorum divinorum officiorum hujuſmodi ſupportatione per Stephanum aſſignata, &, ut pręfertur, applicata, abſque alicujus ſuperioris licentia repetere, & propria auctoritate apprehendere, & de illis, ut de propriis, ac ſi ad hoc deputata non fuiſſent, diſponere, ipſeque Prior extra Domos dicti Monaſterii, in illius tamen ędificiis adjacen., & a converſatione Monialium prędictarum, penitus, & omnino ſeparatis, & diviſis, aliquos dicti Ordinis Fratrum prędictorum, & regularis obſervantię profeſſores, pro quorum ſuſtentatione, aliqua bona per dictum Stephanum aſſignari debeant, deputare, ipſique profeſſores, pro tempore inibi deputati, Prioriſſę, & Monialium Monaſterii hujuſmodi, confeſſiones audire, illiſque diligenter auditis, Euchariſtię, & alia eccleſiaſtica Sacramenta eis miniſtrare, ac Miſſam celebrare, ac poſt illius celebrationem, quotidie pro defunctorum prędictorum fundatoris, & ejuſdem fundatoris, cum ab hac luce migraverit, animarum ſalute, Reſponſorium dicere teneantur, ipſaque Prioriſſa, & Moniales, donec Monaſterium prędictum completum fuerit, in aliqua domo, inibi vicina, ſub clauſura tamen, habitare, ipſeque Prior, aliquas alias Moniales dicti Ordinis S. Auguſtini ex eorum Monaſteriis ad dictum Monaſterium erigendum pro regulari obſervantia, & aliis inſtitutis regularibus inibi introductis, de licentia tamen Prioriſſarum Monaſterii, ac Sororum, & conſilio fundatoris hujuſmodi, transferre, ipſęque Moniales ad Monaſterium erigendum hujuſmodi translatę, inibi donec regularis obſervantia in eodem tunc erecto Monaſterio firmata fuerit, ſeu quoad vixerint, ut eis placuerit, remanere poſſint, & quamprimum Monaſterium erigendum hujuſmodi, tam ex bonorum aſſignatione per ipſum Stephanum facienda, quam alias quomodolibet in dicta villa, ſeu illius diſtrictu, & juriſdictione, vel alibi trecentas hanegas tritici (6) & centum millia Morapetinorum monetę illarum partium acquiſiverit, ſi pręfatus Provincialis judicaverit, premiſſa pro Prioriſſę, & Monialium, ac Religioſorum prędictorum ſuſtentatione ſufficere, quod ex tunc Prioriſſa, & Moniales pręfatę, ultra bona hujuſmodi, in villa, vel ejus diſtrictu hujuſmodi alia bona, ſive redditus annuos acquirere nequeant, in aliis vero bonis extra villam, & diſtrictum, ſeu juriſdictionem hujuſmodi quęcunque alia bona, alias licite acquirere, cumque puellę quę etiam Religionem non eligerent, ſi cum perſonis honeſtis converſationem habeant, honeſtiores mores induunt, Stephanus, & ſucceſſores ſui pręfati, & alii eorundem Stephani, & deſcendentium conſanguinei, uſque ad tertium gradum, eorum filias, ſeu nepotes, uſque ad numerum decem, Ita tamen, ut loco deſcendentium, alias aliis ſurrogare valeant, computatis etiam mulieribus pro earum ſervitio deputandis in ipſo Monaſterio, deputare, ut inibi exiſtentes, tamen Stephani, & ſucceſſorum ſuorum, ac aliorum conſanguineorum, & affinium reſpective nutriantur expenſis, donec ad ętatem legitimam nubendi pervenerint, & ſi in ipſo Monaſterio profeſſionem emittere voluerint, puellę pręfatę, ad libitum genitorum ſuorum, vel eorum, qui inibi eis deputaſſent, exiſten. ad ſeculum redire poſſent, & donec in ipſo Monaſterio fuerint veſtibus albis, & nigris honeſte, ut per prędictum Provincialem ordinatum fuerit, uti, & ſub obedientia Prioriſſę dicti erigendi Monaſterii hujuſmodi, ac ejus modo manendi permanere, ipſumque Monaſterium ſine illius Prioriſſę licentia, minime exire debeant, & exeuntes, ultra terminum eis per dictam Prioriſſam prędfigendum, ſeu ſtatuendum, ſtare non valeant, ac Moniales quę ex filiabus, & affinibus dicti fundatoris, & ſucceſſorum ſuorum, ad quartum gradum fuerint, non poſſint transferri ad alia Monaſteria, poſtquam in eo profeſſionem emiſerint, ſine cauſa valde juſta, & neceſſaria, & tunc conſenſus Domini dictę villę, tunc exiſten., requiratur, quodque prędfatus Stephanus, una cum dicto Provinciali, ſtatuta rationabilia, & honeſta, tam circa numerum, & qualitatem Monialium in dicto Monaſterio erigendo recipiendarum, quam circa celebrationem, divinorum per ipſum Priorem, & Moniales, ac Capellanum, ſive Capellanos, ad celebrationem divinorum per ipſum Prio-

Priorem, & Moniales, ac Capellanum, ſive Capellanos, ad celebrationem divinorum officiorum hujuſmodi deputan., & alias, prout pro pręmiſſorum obſervatione viderint expedire, ſtatuta, & ordinationes facere, & per eos ſtatuta, & ordinationes, ſacris tamen canonibus non contraria, Apoſtolica auctoritate approbatę, & confirmatę ſint, & eſſe cenſeantur, & juxta illorum tenorem perpetuo obſervari, ipſique Stephani, & ſucceſſores, eorumque, ac ejuſdem Stephani uxores omnibus gratiis, & donis ſpiritualibus, quę in dicto Monaſterio pro tempore fieri contigerit, & quibus Prioriſſa, & Moniales, juxta regularia inſtituta dicti Ordinis S. Auguſtini, & illi conceſſa privilegia potiuntur, participes eſſe debeant, dummodo de pręmiſſis dilecti filii moderni Generalis dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum expreſſus accedat aſſenſus, ſtatuere, & ordinare, auctoritate noſtra curetis. Nos enim ſi conceſſionem, erectionem, inſtitutionem, ſtatutum, & ordinationem hujuſmodi per vos fieri contigerit, ut pręfertur, Prioriſſę, & Monialibus prędictis, ac aliis perſonis in erigendo Monaſterio, & ante illius erectionem in Domo hujuſmodi, ſub clauſura tamen pro tempore commorantibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, conceſſionibus, indulgentiis, remiſſionibus, indultis, aliis Monaſteriis Monialium S. Auguſtini regularis obſervantię hujuſmodi, & ſub cura dictorum Fratrum degentium in genere, aut jure, vel conſuetudine pro tempore conceſſis, uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium de ſpecialis dono gratię indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, non obſtantibus conſtitutionibus &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Septimo, Quartodecimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Monaſterii.*) In *Hiſpania*, ubi Civitates, de quibus hoc in Diplomate.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLI fol.* 120.
3. *Opera &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Guſman.*) Gens eſt nobiliſſima, e qua S. P. *Dominicus* ortus eſt.
5. *Sandalia.*) Fortaſſis *Solalia*.
6. *Hanegas tritici.*) Modios nempe.

Anno 1507 Die 23 Junii.

S. Silveſtri de Urbe Cœnobii (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

L.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium a laude Fratrum.

DUm fructus uberes, quos ſacri Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſores circa propagationem Religionis, & fidei in agro militantis Eccleſię, quę incremento temporum, magnis laboribus, crebris vigiliis, indefeſſo animo produxerunt &c. (3). Cum nuper Parochialis Eccleſia S. Silveſtri de Archionibus in exquiliis de Urbe regionis Columnę, quam dilectus filius noſter Galeotus (4) S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis, ejuſdem S. R. E. Vicecancellarius, ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica, in

Diplomatis cauſa.

commendam, nuper obtinebat, commenda hujuſmodi ex eo quod ipſe Galeotus Cardinalis illi hodie in manibus noſtris ſponte, & libere ceſſit, & Nos ceſſionem ipſam duximus admittendam, ceſſante, ſicut ante Commendam eandem vacabat, modo vacare noſcatur, & ſicut pręfatus Galeotus Cardinalis, tam ſuo, quam dilecti filii Matthęi Marię Vicarii Generalis Congregationis S. Marci de Florentia dicti Ordinis de Obſervantia nuncupati Provincię Tuſcię juxta morem dicti Ordinis, nominibus Nobis nuper expoſuit, ipſe Galeotus Cardinalis, ob ſingularem, quam ad dictam Congregationem, illiuſque Fratres, propter eorum exemplarem vitam, & uberes fructus, quos quotidie, animas Chriſti fidelium Deo lucrifaciendo, in Eccleſia Dei afferunt, gerit devotionis affectum, cupit dictam Parochialem Eccleſiam eidem Congregationi perpetuo concedi, ad effectum, ut Fratres dictę Congregationis, in ea perpetuo habitent, & Divina officia diu, noctuque celebrent, ac eoſdem fructus, quos in aliis Domibus dictę Congregationis cum Chriſti fidelium conſolatione produxerunt, in dicta Parochiali Eccleſia, & Domo inibi conſtruenda, cum circumvicinarum, & aliarum dictę Urbis perſonarum ſpirituali conſolatione producere valeant. Quare pręfatus Galeotus Cardinalis, nominibus prędictis Nobis humiliter ſupplicavit, ut dictam Parochialem Eccleſiam eidem Congregationi pro illius Fratribus per eos juxta conſuetudines, & regularia inſtituta ejuſdem Congregationis tenendam, concedere ac eis inibi, ſi videbitur, unam Domum pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum Ordinis, & Congregationis prędictorum, cum clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, ac Fratribus prędictis, illam, poſtquam conſtructa fuerit, pro eorum propriis uſu, & habitatione prędictis, recipiendi, eamque perpetuo inhabitandi, licentiam etiam concedere, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui animarum ſalutem procurari, religionis ſtatum propagari, & divinum cultum adaugeri, noſtris potiſſime temporibus, ferventibus deſideriis exoptamus, ac verum, & ultimum dictę Parochialis Eccleſię vacationis modum, etiamſi ex eo quęvis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa, reſultet, pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Parochialem Eccleſiam prędictam, cujus fructus, redditus, & proventus viginti quatuor Ducatorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem valorem annuum, ut dictus Galeotus Cardinalis aſſerit, non excedunt, quovis modo, ſeu ex cujuſcunque perſona, ſeu per liberam reſignationem cujuſvis, de illa, extra Romanam Curiam, etiam coram Notario publico, & teſtibus, ſponte factam, aut conſtitutionem felicis recordat. Johannis PP. XXII Prędeceſſoris noſtri, quę incipit: Extravagantis (5): vel aſſecutionem alterius Beneficii eccleſiaſtici ordinaria auctoritate collati, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam ſit legitime devoluta, ipſaque Parochialis Eccleſia diſpoſitioni noſtrę expreſſe, & realiter reſervata exiſtat, & ſuper ea, inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore Dat. pręſentium, non ſit in ea alieni jus ſpe-

ſpecialiter quęſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Congregationi pro illius Fratribus per eos juxta mores, conſuetudines, & regularia Inſtituta dictę Congregationis, tenendam, regendam, & gubernandam, ipſiuſque Fratribus, ſi ipſis videbitur, inibi unam Domum cum clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ad inſtar aliarum Domorum dictę Congregationis conſtrui, & ędificari faciendi, ipſamque Parochialem Eccleſiam, & illius Domum reparandi, necnon Fratribus prędictis, Domum ipſam, poſtquam constructa fuerit, & Parochialem Eccleſiam ipſam cum campanili, pro eorum perpetuis uſu, & habitatione recipiendi, retinendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium licentiam concedimus: quodque Domus ipſa conſtruenda, ſeu Parochialis Eccleſia, antequam Domus ipſa conſtruenda conſtruatur, regatur per unum ex Fratribus in ea degentibus, qui Pręſidens, Vicarius, aut Prior nuncupetur, & a Vicario Generali pro tempore exiſtenti dictę Congregationis, confirmetur, ipſeque Pręſidens, ſeu Vicarius, aut Prior, pro tempore exiſtens dictę Domus conſtruendę, etiam ante conſtructionem illius, in Fratres inibi pro tempore inhabitantes, eandem poteſtatem habeat, quam habent alii Pręlati in Fratres domorum Congregationis hujuſmodi, quodque Vicarius Congregationis hujuſmodi Fratribus Domus conſtruendę hujuſmodi extraordinaria onera imponere non poſſit, ac Fratres in Domo conſtruenda hujuſmodi pro tempore degentes, quorumcunque Chriſti fidelium, tam mercatorum, quam curialium, & aliorum in dicta urbe commorantium, & illius Civium, & incolarum, Confeſſiones audire, & eos ab omnibus caſibus, preterquam dictę Sedi reſervatis, abſolvere, & Euchariſtię Sacramentum preterquam in Feſto Reſurrectionis D. N. J C. eis miniſtrare, ac verbum Dei populo, ubique prędicare, necnon eleemoſynas, tam in dicta Urbe, quam extra eam ſub nomine Congregationis, & Domus S. Silveſtri hujuſmodi, quęrere, & recipere, ac in ſuos, & dictę Domus conſtruendę uſus, & utilitatem convertere, quodque dilectus filius Marianus Converſus dictę Congregationis cui alias, ut aſſeritur, ut de licentia ſui ſuperioris, & ea durante extra Domus dictę Congregationis in aliqua Parochiali Eccleſia de conſenſu illam obtinentis, retento habitu dicti Ordinis, cum duobus, aut tribus Fratribus dictę Congregationis, quos de licentia dicti Superioris duxerit eligendos, commorari, & inibi Divina officia facere celebrare, & curam animarum exercere, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, necnon eleemoſynas a Chriſti fidelibus pręfatis pia largitione pro tempore factas, recipere, & in eorum victum convertere valeret, pręfata Apoſtolica fuit auctoritate conceſſum, quique in dicta Eccleſia Sancti Silveſtri, de licentia Galeoti Cardinalis, & ſuperioris Ordinis hujuſmodi cum duobus, ſeu tribus, Fratribus dictę Congregationis, ad pręſens commoratur, a dicta Domo conſtruenda, poſtquam conſtructa fuerit, quoad vixerit, per Superiorem dictę Congregationis, abſque pręfati Galeoti Cardinalis, Eccleſiam S. Silveſtri hujuſmodi Congregationi propterea dimittentis, ſpeciali licentia amoveri nequeat, ipſeque Marianus Fratres dictę Congregationis, quot neceſſarios pro Domo conſtruenda hujuſmodi eſſe cognoverit, ut ad dictam Domum conſtruendam ſe conferant, nominare poſſit, ac Superior Congregationis hujuſmodi Fratribus per Marianum nominatis poſt nominationem hujuſmodi ad urbem, & Eccleſiam S. Silveſtri prędictas, ſe conferant, licentiam dare teneatur, & in Domo conſtruenda, & Eccleſia S. Silveſtri hujuſmodi, & illarum ędificiis pręter arma pręfati Galeoti Cardinalis per aliquem cujuſcunque dignitatis, ſeu abſque ipſius Galeoti Cardinalis ſpeciali licentia apponi nullatenus poſſint, ipſeque Galeotus Cardinalis quoad vixerit, ejuſdem Domus conſtruendę Protector exiſtat, pręfata auctoritate earundem pręſentium tenore ſtatuimus, & ordinamus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne prędicti, vel cujuſvis alterius Ordinis mendicantium profeſſores, ad inhabitandum nova loca, recipere &c. & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus &c. contrariis quibuſcunque. Nos enim dictę Domui, ſi illam vigore pręſentium conſtrui, & ędificari contigerit, ut pręfertur, & illius pro tempore Pręſidenti, ſeu Vicario, vel Priori, & Fratribus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, ac Indulgentiis, & indultis, quibus alię Domus dictę Congregationis, & illorum pro tempore Vicarii, ſeu Priores, & Fratres, ac etiam alię ordinum Mendicantium quorumcunque, in genere cis, & in dicto ordine, per Sedem prędictam, vel alias conceſſis, utuntur, potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant auctoritate, & tenore pręſentium, concedimus pariter, & indulgemus, jure tamen cujuslibet in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, ſtatuti, ordinationis, & indulti, infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Septimo, Nono Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Cœnobii.*) Nunc Vicariatum habent apud Sacras Ædes S. Quirici.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXL fol.* 135.

3. *Produxerunt &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

4. *Galeotus.*) *Franciottus de Ruvere*, de quo *Ciaconius in Julio II.*

5. *Extravagantis.*) Sic amanuenſis. Scribendum: *Execrabilis*. Legitur *Extravagantium Communium Libro III Tit.II de Praben. & Dignitatib. Cap.IV.*

Ter-

Anno 1507
Die 4 Julii.

Terrarum Pedacii Cœnobii (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LI.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus loci Serrępidagii (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum, Cuſentin. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

DEvotionis veſtrę ſinceritas, & Religionis promeretur honeſtas &c. Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias eum in loco Serrępidagii Cuſentin. Diœceſis, eſſet quędam Eccleſia ſatis magno ędificio per quendam Eremitam cępta, & idem Eremita, ſuis demeritis exigentibus, inde ejectus, & expulſus fuiſſet, Et dilecti filii univerſitas dicti loci, qui ad vos propter veſtram exemplarem vitam, & aſſiduam divinorum officiorum celebrationem, ac propter fructus uberes, quos ex prędicatione verbi Dei afferre ſoletis incolis locorum, in quibus degitis, ſingularem gerunt devotionis affectum, dictam Eccleſiam cum domo illi contigua pro veſtris uſibus, & habitatione, quantum in eis erat, conceſſiſſent, & donaſſent, ordinarius loci conceſſionem, & donationem hujuſmodi ordinaria auctoritate confirmavit, & approbavit, voſque illam, prout juxta privilegia Apoſtolica, prędicto Ordini conceſſa, poteratis, pro veſtris uſu, & habitatione perpetuis recepiſtis, & illam rędificari feciſtis, ac eam ab inde inhabitaſtis, prout inhabitatis de pręſenti. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationi, & conceſſioni prędictis pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & divini cultus augmentum, ac animarum ſalutem, noſtris potiſſime temporibus, ſinceris deſideriis affectamus, vos, & ſingulos ex vobis a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conceſſionem, & donationem prędictas auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſine alicujus pręjudicio approbamus, & confirmamus, ſupplentes, omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ac vobis, ut dictam domum perpetuo inhabitare, quodque vos, & Prior, ac Fratres, qui pro tempore eam inhabitabunt, omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, indulgentiis, immunitatibus, exemptionibus, & libertatibus, quibus alię domus dicti Ordinis de jure, vel conſuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeatis, auctoritate prędicta, de ſpeciali gratia concedimus; pariter, & indulgemus, jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Boniſatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne cujuſvis Ordinis Mendicantium Fratres, loca ad inhabitandum, de novo recipere pręſumant &c. & quibuslibet aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, ſuppletionis, conceſſionis &c. & indulti infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Septimo, Quarto Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Cœnobii.*) Juris eſt Provinciæ *Calabriæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* *Lib.CCXXXVIII fol.*168.
3. *Serrępidagii.*) *Serrarum Pedacii*, Italice *Serra di Pedace*.

Anno 1507
Die 20 Augusti.

F. Thomas (1) de Vio Cajetanus fit Vicarius Generalis totius Ordinis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LII.

Dilecto filio Thomę de Vio Cayetan. (3) Vicario Generali Ordinis Prędicatorum,

J U L I U S PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm quondam Frater Johannes (4) Clerce Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, nuper, ut Deo placuit, ab hac luce migravit, Nos proinde providere volentes, ne Ordo ipſe, & in eo Altiſſimo famulantes, viri Religioſi, ante creationem novi Generalis Magiſtri detrimentum aliquod patiantur, te, qui de vitę munditia, prudentia, & rerum experientia, multorum fide dignorum, ac gravium virorum apud Nos teſtimonio commendaris, Vicarium Generalem Ordinis antedicti, uſque ad celebrationem futuri Generalis Capituli incluſive, cum honoribus, prerogativis, ac facultatibus, quę alii pro tempore ejuſdem Ordinis Vicarii Generales conſueverunt, aut quomodolibet potuerunt habere, tenore pręſentium, auctoritate Apoſtolica facimus, conſtituimus, & deputamus, mandantes univerſis, & ſingulis Ordinis antedicti Fratribus, ut tibi in omnibus, quę ad Vicarii Generalis officium ſpectant, pareant, & intendant, obedientiamque, & reverentiam exhibeant conſuetas. Non obſtantibus ſtatutis, & ordinationibus ejuſdem Ordinis, etiamſi illorum vigore aliquis Vicariatum hujuſmodi ſuſcepiſſet, & illum exercere incepiſſet, quibus, illis, alias, in ſuo robore permanſuris, quoad hoc, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX Auguſti MDVII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Sigiſmundus.

1. *Tho-*

1. *Thomas.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Leonis X.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Caietan.*) Seu *Cajetan.*, ſic ex patria nuncupatur.
4. *Johannes.*) Diem ſupremum obierat hoc anno.

Compoſitionem Fratres Prædicatores inter & Eremitas S. P. Auguſtini Cæſenaten. factam confirmat.

Anno 1507 Die 22 Auguſti.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LIII.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

PIis ſingularum perſonarum, pręſertim Religionis jugo aſtrictarum votis &c. (2) Sane pro parte dilectorum filiorum S. Auguſtini, & S. Dominici Cęſenaten. Domorum Eremitarum S. Auguſtini, & S. Dominici Ordinum, Priorum, & Fratrum Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias inter eoſdem Priores, & Fratres litis conteſtationes ſuper Eccleſia, Eremitorio nuncupata, ſine cura, S. Antonii de Pranello Cęſenaten. Dięceſis, quam quilibet ipſorum Priorum, & Fratrum eorum Domui unitam, ſeu alias ad eorum Domum pertinentem, aſſerebant, lites, & conteſtationes exortę fuerunt, & diutius durarunt, ac exoriri formidabantur. Cum autem Prior, & Fratres dictę Domus S. Dominici, ad obviandum hujuſmodi ſcandalis, ac pro bono pacis, & concordię inter dictos Priorem, & Fratres dictę Domus S. Auguſtini conſervandę, ac pro implemento certę honeſtę concordię inter eoſdem Priores, & Fratres, intervenientibus nonnullis probis viris, eorum vocis communibus initę, diſſolutionem dictę unionis &c. quamvis Eccleſia prędicta Domui S. Dominici hujuſmodi unita eſſet, ac omni juri quod ſibi in eadem Eccleſia, vel ad illam quomodolibet competeret, per dilectum filium Chriſtophorum Panſium clericum Suanen. Dięceſis, Procuratorem ſuum ad hoc ab eis ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris libere, & ſponte ceſſerint, Noſque ceſſionem ipſam admittentes, quatenus eidem Domui S. Dominici unita foret, ipſorum Prioris, & Fratrum dictę Domus S. Dominici per primo dictum Procuratorem, etiam ad hoc ab eis ſpecialiter conſtitutum, expreſſo accedente conſenſu harum ſerie duximus diſſolvendam. Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi dicta Eccleſia Sacriſtię dictę Domus S. Auguſtini, de novo perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc litibus, & conteſtationibus finis imponeretur, ac Priores, & Fratres Domus S. Auguſtini prędicti pro oneribus eorum Domus, & Sacriſtię prędictę, aliquod ſubventionis auxilium ſuſciperent, pro parte Prioris, & Fratrum S. Auguſtini prędictorum aſſerentium, fructus, redditus, & proventus dictę Eccleſię, quindecim florenorum auri de camera, ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam prędictam eidem Sacriſtię dictę Domus S. Auguſtini, perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum, inter alia voluimus, quod petentes beneficia &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Eccleſiam prędictam, quovis modo &c. vacet &c. auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat eiſdem Priori, & Fratribus dictę Domus S. Auguſtini poſſeſſionem Eccleſię S. Antonii &c. propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere &c. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, unionis, annexionis &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Septimo, Undecimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXL fol.* 191.
2. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

De Beneficiis (1) ſecularibus non erigendis in ædibus ſacris Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Anno 1507 Die 9 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LIV.

Dilecto filio moderno Vicario (3) Ordinis Prędicatorum.

JULIUS PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ETſi ab Apoſtolica Sede nonnulla interdum ex aliquibus cauſis per minus veram Informationem, quę in alterius prejudicium tendant, & detrimentum, conceduntur, non debet tamen reprehenſibile videri, ſi Romanus Pontifex illa aliquibus rationabilibus cauſis maturius, & attentius, revocat, & annullat, & alias deſuper, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire providet. *Exordium.* Sane exponi Nobis feciſti, quod alias quondam Chriſtophorus de Ragonibus nobilis eques, & utriuſque juris Doctor Mutinen, per ſuum ultimum teſtamentum corpus ſuum ſepeliri voluit in Eccleſia Domus tui Ordinis Mutinen. in loco ubi multipliciter idem diſponens fecerat ſermonem cum Prioribus, & Fratribus dictę Eccleſię, & Domus, & quod in eodem loco fieret una Capella, & dotaretur de nonnullis bonis per eum in teſtamento ſpecificatis, cujus tenorem hic pro expreſſo haberi volumus, & dilecti filii Prior, & Fratres dictę Eccleſię, & domus poſt mortem prefati Chriſtophori bona pro dote Capellę relicta per nonnullos annos poſſe- *Diplomatis cauſa.*

poſſederunt, & pro ipſius Chriſtophori anima celebrarunt. Vigore tamen quarundam ſententiarum bona prędicta reſtituerunt, animo tamen illa recuperandi prout de jure, & poſtmodum per Nos cum idem Prior, & Fratres obtinuiſſent committi cauſam contra detentores, & occupatores prędictorum bonorum, ac ſuper reſtitutione, & conſtructione dictę Capellę hujuſmodi lite pendente in Auditorio Rotę, ad ſupplicationem dilecti filii Petri Gecii de Aretio familiaris noſtri, ut unam perpetuam Capellaniam in dicta Eccleſia pro uno clerico ſeculari, qui ſemel in hebdomada Miſſam pro ſalute animę dicti Chriſtophori in dicta Eccleſia celebrare teneretur, & alias juxta voluntatem, & ordinationem dicti teſtatoris perpetuo erigere, & inſtituere, ac illi ſic erectę pro ejus dote bona prędicta perpetuo applicare, & aſſignare, ac detentores bonorum prędictorum ab illis amovere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos qui de pręmiſſis certam notitiam non habebamus quibuſdam judicibus in partibus illis dedimus in mandatis, ut vocatis Priore, & Conventu dictę domus, ac detentoribus prędictis, & aliis, qui eſſent vocandi, ſi de narratis per pręfatum Petrum legitime conſtiterit, Capellaniam prędictam in dicta Eccleſia pro uno clerico ſeculari, qui inibi qualibet hebdomada Miſſam pro anima dicti Chriſtophori celebrare teneretur, & alias juxta teſtatoris ordinationem, ſine tamen alterius pręjudicio, auctoritate noſtra erigerent, & inſtituerent, ac illi ſic erectę bona pro dote aſſignata applicarent, & appropriarent, & ſi forſan erectionem, & applicationem hujuſmodi fieri per illos contingeret, Capellaniam prędictam, quę ſine cura erat a primęva erectione, ſic vacantem cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Petro Gecii conferre, & aſſignare auctoritate noſtra curarent, prout alias in eiſdem literis ſub Dat. Romę apud Sanctum Petrum Tertio Nonas Decembris MDV, Pontificatus noſtri Anno Tertio, ac aliis perinde valere ſub Dat. Tertio Nonas Junii MDVII, Pontificatus noſtri Anno Quarto, plenius continetur, quarum tenores hic de verbo ad verbum pro expreſſis haberi volumus. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, erectio, inſtitutio, bonorum applicatio, proviſio, & literę prędictę in grave damnum, & pręjudicium dicti Ordinis tendant, & illius deſtructio ſequi poſſet, ſi Capellę per Chriſti fideles tam relictę, & conſtructę, quam etiam in futurum conſtruendę in Eccleſiis tui Ordinis in Beneficia ſecularia erigerentur, & inſtituerentur, pro parte tua fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut Eccleſię, & Conventui tuo in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nota. Nos igitur, attendentes, quod Ordo prędictus a primęvo ſuę inſtitutionis pro Eccleſia, & ſtatu Sedis Apoſtolicę

Ordinis commendatio. laboraverit in divini verbi in toto Orbe propalatione, ac ſacrarum literarum, & virorum eruditione, fructuſque ſalubres produxerit, & de continuo producere non ceſſat, merito inducimur, ut ad illum ſpecialem affectionem geramus, & in his, quę ſtatum, & conſervationem illius concernunt, benigne ſuccurramus.

Decretum. Motu igitur proprio, & non ad tuam, vel alterius ſuper hoc Nobis oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, ac de poteſtatis plenitudine, erectionem, inſtitutionem, bonorum applicationem, proviſionem, ac literas prędictas, quod ſuum complementum, & exequutionem non habuerunt per minus veram informationem extortas, & noſtrę intentionis eidem Petro concedere nullatenus fuiſſe atteſtamur, & quatenus opus ſit, illas revocamus, caſſamus, & annullamus, nulliuſque roboris, & momenti eſſe, & per illas nullum jus eidem Petro quęſitum fuiſſe, decernimus, & declaramus, litemque ipſam deſuper hujuſmodi literis pendentem, cujus litis ſtatum hic pro expreſſo haberi volumus, & ad Nos advocamus, & penitus extinguimus, & ſuper illis eidem Petro perpetuum ſilentium imponimus, declarantes Capellam in dicta Eccleſia erigendam, & conſtruendam, ac bona pro dote aſſignata, ad Fratres, & Conventum prędictum, ſi alias legatum de jure valet, deberi, & pertinere juxta conſuetudinem aliarum Capellarum in Eccleſiis tui Ordinis, ac etiam motu ſimili mendantes quibuſcunque judicibus tam Romanę Eccleſię, etiam Sacri Palatii cauſarum Auditoribus, quam aliis ubique exiſtentibus, ut declarationem, revocationem, & annullationem, caſſationem, & litis extinctionem, perpetui ſilentii impoſitionem obſervent, & declarent, ſublata eis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac per alios per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, obſervari mandent, quotiens opus fuerit. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, liteve deſuper introducta, ac quibuſcunque regulis; etiam de non tollendo jua quęſitum per quamcunque ſignaturam, ſeu conceſſionem, quę pro commiſſionibus, ſeu mandatis, aut declarationibus, etiam motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia emanaverint, quam in his terminis eſſe omnino impertinentem volumus, & nullatenus conſiderandam tanquam per hanc noſtram atteſtationem, & diſpoſitionem jus aliquod non tollatur, ſed verius nullum quęſitum declaretur, & nihilominua alias eidem omnino derogamus, & derogatum eſſe volumus, in contrarium facientibus non obſtantibus dictę Regulę, & aliorum omnium hic exprimendorum tenoribua, quos pro ſufficienter expreſſos habemus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Decernentes irritum, & inane quicquid in contrarium per quemcunque attentatum fuerit. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die VIIII Octobris MDVII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Sigiſmundus.

1. *Beneficiis.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Mutinenſi*.

3. *Vicario.*) Fratri ſcilicet *Thoma de Vio Cajetano*.

Or.

Anno 1507 Die 7 Decembris.

Ordinis Prædicatorum Vicariis facultates (1) conceſſas firmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Thomę (3) de Vio Cajetano Vicario Generali (4) Ordinis Prędicatorum,

LV.

JULIUS PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis fecisti, quod ambiguitates quędam circa Vicariorum facultates in tuo Ordine exortę videntur, quę ſi incertę manerent, grave eſſet pręſidentibus in eodem, occurrentibus ſubvenire neceſſitatibus. Quare Nobis humiliter ſupplicaſti, ut ſuper pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tenore pręſentium Vicariis pro tempore pręfati Ordinis, provinciarum, conventuumque eorum, mortuis vel amotis Magiſtro, Prioribus Provincialibus, & Conventualibus, omnem poteſtatem, & facultatem, tam auctoritate Apoſtolica, quam quomodolibet aliter conceſſam, & in poſterum concedendam Magiſtro, Provincialibus, vel Conventualibus Prioribus pręfati Ordinis, exceptis illis, quę in Conſtitutionibus dicti Ordinis ſpecialiter illis inhibentur, Apoſtolica auctoritate reſpective concedimus de gratia ſpeciali, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VII Decembris MDVII Pontificatus noſtri Anno Quarto (5).

Sigiſmundus.

1. *Facultates.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *Thomæ.*) Viro celeberrimo, cujus laudes celebrant auctores quos laudat *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDVIII pag. 14. &c.*
4. *Vicario Generali.*) Hoc anno *MDVII* mortuo *Johanne Caree* Vicarius Generali Conſtitutus erat *Thomas de Vio*, ex *Conſtitutione* LII.
5. *Quarto.*) Scribendum *Quinto*, ut ex ſe patet: *Julius* enim *II* anno *MDIII* Summus Pontifex renunciatus fuit menſe Novembri.

Anno 1508 Die 7 Februarii.

De pluribus campanis (1) habendis in campanili Cœnobii S. Severi (2).

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus S. Severi Ordinis Fratrum Prędicatorum, Aduren. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LVI.

EXpoſcit veſtrę devotionis ſinceritas &c. (4). Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, ad Eccleſiam Domus veſtrę, quę ſatis inſignis reputatur, pro Divinis Officiis audiendis, magna populi confluat multitudo, Nos, vos, & quemlibet veſtrum a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, & pro tempore exiſtentibus dictę Domus Priori, & Fratribus, ut duas, tres, vel quatuor campanas in campanili Eccleſię ipſius Domus, ſeu in ipſa Eccleſia, habere, & tenere, ac illas, quoties opportunum fuerit, prout in aliis Eccleſiis convicinis, fieri conſuevit, pulſare libere, & licite valeatis felicis recordationis Johannis XXII Prędeceſſoris noſtri, quę incipit: Quia cunctis: & quibuſvis aliis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus, Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon ordinis veſtri &c. ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, de ſpeciali dono gratię indulgemus. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, & indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Septimo (5) Septimo Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Campanis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *S. Severi.*) Juris eſt *Occitanæ* Provinciæ.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CCXXXVII fol. 237.*
4. *Sinceritas &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Septimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDVIII.*

Anno 1508 Die 10 Martii.

De Patavino (1) Cœnobio S. Mariæ Gratiarum perficiendo.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LVII.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus S. Msrię Gratiarum extra muros Paduan., Ordinis Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatę Congregationis Lombardię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem,

Diplomatis cauſa.

PEtitiones illas exaudire curamus &c. (3) Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet alias quondam Johannes de Renaldis Civis Paduan., tunc in humanis agens, condens in ejus ultima voluntate teſtamentum, inter cetera pis legata, per eum in dicto teſtamento facta, voluerit, & ordinaverit, quod proventus ſuorum poſſeſſionum viginti annorum a die obitus ſui computandorum, per dilectos filios executores dicti teſtamenti, & Commiſſarios, ad id per eundem Johannem in dicto teſtamento deputatos, converti deberent in conſtructionem unius Domus Ordinis Fratrum Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum, Congregationis Lombardię, in quadam ipſius teſtatoris poſſeſſione in diſtrictu villę vallisdalidę ab oppido diſtanti per ſex milliaria, la Roſtrella nuncupata conſiſten., & ad dictum teſtatorem legitime pertinen. conſtruendę, quia tamen locus pro conſtructione dictę Domus per eundem teſtatorem deſignatus in quodam monte ſatis ſilveſtro conſiſtit, & a Chriſti fidelium habitationibus valde remotus exiſtit, & quod commoditatibus, quibus indigent Fratres, qui inibi pro tempore habitare deberent, ac proventus viginti annorum hujuſmodi, deductis oneribus, ad ſummam ſeptingentorum Ducatorum non aſcendunt, ex quibus vix fundamenta Domus cum aliis officinis neceſſariis pro Fratribus prędictis jaci poſſent, & ſi etiam ad illius conſtructionem ſufficerent, nihilominus Ftatres inibi, propter ſitus incommoditatem, & loci aſperitatem, ac ſolitudinem habitare, & vivere non poſſent, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi vobis cum executoribus, & commiſſariis, ac heredibus dicti teſtatoris ſuper fructibus viginti annorum hujuſmodi componendi, ac recepta convenienti pecuniarum quantitate, eoſdem Commiſſarios, & hęredes, de fructibus viginti annorum hujuſmodi penitus liberandi, ac pęcuniarum ſummam ab hęredibus hujuſmodi receptam in Fabrica Domus veſtrę S. Marię Gratiarum extra Muros Paduan. Ordinis, & Congregationis prędictorum, quę, & illius Eccleſia adhuc conſtruuntur, & ędificantur, & pro quarum perfectione non parva pecuniarum ſumma eſt neceſſaria, convertendi, licentia concederetur, ex hoc profecto plures Fratres in dicta Domo S. Marię habitarent, & ſacrarum literarum ſtudio, operam darent, cum prope męnia Civitatis Paduan., in qua viget ſtudium Generale, conſiſtat, ac in Prędicatores eruditos evadere, & Verbum Dei populo prędicare, ac Chriſti fidelium animas ſuis prędicationibus, & ſermonibus, Deo lucrifacere poſſent, pro parte veſtra, necnon commiſſariorum, executorum, ac hęredum predictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque vos, & commiſſarios, executores, & hęredes prefatos a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis cum prefatis commiſſariis, executoribus, & hęredibus ſuper relicto fructuum, poſſeſſionum teſtatoris viginti annorum pro conſtructione Domus Fratrum hujuſmodi, recepta convenienti pecuniarum quantitate, componendi, & tranſigendi, ipſoſque hęredes, & commiſſarios, ſeu executores, de fructibus viginti annorum hujuſmodi penitus liberandi, & abſolvendi ac pecuniam recipiendam hujuſmodi, in fabricam Domus S. Marię Gratiarum, & illius Eccleſię hujuſmodi convertendi, auctoritate Apoſtolica, tenore prefentium, licentiam, & facultatem concedimus. Non obſtantibus premiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Septimo (4), Sexto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

[illegible] (margin note beside "bitarent")

1. *Patavino.*) Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLIX fol.* 104.
3. *Curamus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Septimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDVIII*.

Anno 1508 Die 17 Maji.

De promovendis ad Magiſterii (1) Gradum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Ordinis Prędicatorum futuro (3) Generali.

LVIII.

J U L I U S PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX conſuetudine Ordinis tui eſſe dicitur, ut Generalis pro tempore creatus in ſua nova creatione poſſit duodecim religioſos ad Gradus Magiſterii promovere, ea ratione moti, ſimul inducti paterna dilectione noſtra erga te, tibi tenore prefentium facultatem, & poteſtatem concedimus, duodecim Ordinis ipſius tui Fratribus, & Religioſis, ſive actus debitos pro Magiſterio in aliqua univerſitate egerint, ſive non, dummodo premiſſo rigoroſo examine, adhibitis aliquibus in facultate Magiſtris, idonei reperti

ſue-

fuerint, ſuper quo tuam, & ipſorum Magiſtrorum conſcientiam oneramus, Gradum, & inſignia Magiſterii in theologia conferendi, & exhibendi, cum omnibus, & ſingulis gratiis, preeminentiis, privilegiis, & indultis, quibus alii Theologię Magiſtri in qualibet privilegiata Univerſitate cum rigore examinis, & requiſitis ſolemnitatibus promoti gaudent, & utuntur, ſeu gaudere, & uti poterunt in futurum. Non obſtantibus pręmiſſis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſius Ordinis, necnon juramento a quovis eorum cuicunque Univerſitati pręſtito, de non ſuſcipiendo hujuſmodi Magiſterium extra illam, cęteriſque in contrarium facientibus, quibus pro hac vice quoad hoc derogamus, etiam ſi ſpecialis mentio, & expreſſa de eis, ac de verbo ad verbum habenda foret, alias in ſuo robore permanſuris. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, Die XVII Maii MDVIII. Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Sigiſmundus.

1. *Magiſterii.*) *Conſulendus Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum.

3. *Futuro.*) F. *Thomas de Vio Cajetanus* fuit electus.

Magiſtrum Ordinis Privilegiis ornat (1).

Anno 1508 Die 3 Auguſti.

Ex Bullario Uſuſmaris pag. 172.

Dilecto filio Thomę de Vio Cajetano Generali Magiſtro Ordinis Prędicatorum.

J U L I U S PP. II. LIX.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXpoſuiſti Nobis, quod cum in Generali Capitulo tui Ordinis Romę nuperrime celebrato, in quo unanimiter electus fuiſti in Magiſtrum Generalem dicti Ordinis Prędicatorum, inter cetera quędam fuerunt tractata, quę ſi Magiſtro dicti Ordinis ab Apoſtolica Sede concederentur, eorundem Fratrum conſcientias plurimum ſolarentur. Cumque ad exhibendum Nobis debitam obedientiam veniſſes, cum humili reverentia propoſuiſti, quod dicti Ordinis profeſſoribus grave eſt, non poſſe confiteri peccata ſua Sacerdotibus extraneis, non poſſeque ſuſcipere Magiſterium (a) in Theologia, niſi quadriennio peracto in aliqua Univerſitate, Monialeſque non poſſe etiam de conſilio Medici ad balnea ire in caſu ęgritudinis, Fratres quoque aliquarum Congregationum forte nec a Magiſtro Ordinis accipi poſſe, & poſtmodum, quod graviſſimum eſt, tot pręceptis ſubiici extra regulam, & Conſtitutiones quas ſunt profeſſi, utque providere dignaremur de benignitate Apoſtolica, humiliter ſupplicaſti. Nos igitur, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tenore pręſentium, quod tu, tuique ſucceſſores pro tempore omnes utriuſque ſexus ad pręfatum Ordinem quomodolibet ſpectantes licentiare ad confitendum peccata ſua Sacerdotibus aliis, deficiente idoneo dicti Ordinis Confeſſore: Fratres voluntarios ex quacunque Congregatione dicti Ordinis accipere; Ad Magiſterium in Theologia etiam non peracto quadriennio in aliqua Univerſitate, ſervata tamen conſuetudine dicti Ordinis, licentiam dare: Moniales infirmas ad balnea de conſilio Medici cum honeſta ſocietate Sororum, ita tamen quod nulla ſit omnino ſuſpicio inhoneſtatis, vagationis, aut luxus, mittere: Ordinationeſque factas a quondam dicti Ordinis Generali Magiſtro Vincentio Bandello, quamvis Apoſtolico pręcepto firmatas, ſicut aliorum Prędeceſſorum tuorum mutare, ac removere poſſis, Apoſtolica auctoritate concedimus de ſpeciali gratia. Pręmiſſis non obſtantibus ordinationibus, ſtatutis Apoſtolicis, dicti Ordinis, vel Monialium, privilegiis quoque conceſſis dicto Ordini, cuicunque Congregationi, aut aliis quomodolibet, quibuſvis inhibitionibus, cenſuris, aut pęnis, clauſuliſque derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus, & inſolitis, etiamſi de verbo ad verbum habenda eſſet mentio ſpecialis, & non per clauſulas id ſignificantes, quibus pro expreſſis, & inſertis hic habentes quoad hęc, alias in ſuo robore permanſuris, derogamus, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die III Auguſti MDVIII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Diplomatis cauſa.

Facultates conceſſæ.

1. *Ornat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Magiſterium.*) In eodem *Tractatu Tit. VI.*

Ne

Anno 1508 Die 8 Auguſti.

Ne Fratres commorentur (1) extra Cœnobia.

Ex Roderico in Nova Collectione Privilegiorum Apoſtol. Tomo I pag. 223.

LX.

JULIUS PP. II.

Univerſis, & ſingulis pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. IN ſupremę dignitatis ſpecula, meritis licet inſufficientibus, conſtituti, inter curas multiplices, quibus rerum, negotiorumque varietatibus obruimur, illa potiſſimum Nos ſollicitant, per quę ſuave regularis mendicitatis jugum, ſub quo dilecti filii Fratres Prędicatorum, & Minorum Ordinum degunt, in dies magis proſpere, de bono, in melius dirigantur, ac ut regularis vitę, & eccleſiaſticę diſciplinę norma, ſublatis quibuſvis obſtaculis, pręfulgeat, id ſalubriter ſtatuimus, & ordinamus, prout in Domino conſpicimus rationabiliter expedire. Diplomatis cauſa. Sane pro parte dilectorum filiorum modernorum Magiſtri, ſive Prioris Generalis, ac Priorum, & Vicariorum Provincialium Ordinis Prędicatorum, necnon Miniſtrorum, & Vicariorum tam Generalium, quam Provincialium Ordinis Fratrum Minorum juxta morem dictorum Ordinum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet tam ſecundum canonicam, quam etiam dictorum Ordinum regularia inſtituta, Fratres eorundem Ordinum, quacunque cauſa, etiam ſtudii, ſeu alia occaſione, vel recedere abſque licentia ſuperiorum ſuorum, vel poſt ejuſdem licentię revocationem extra domos dictorum Ordinum morari non poſſint, nihilominus nonnulli ex Fratribus dictorum Ordinum occaſione, & prętextu ſtudii, ad Studiorum, pręſertim Salmantin. univerſitates, obedientię regularis laxatis habenis, abſque licentia ſuperiorum hujuſmodi, ſeu eadem licentia revocata, accedere, & inibi morari pręſumunt, ac, quod deterius eſt, privilegiis, univerſitatibus hujuſmodi, illarumque ſcholaribus, conceſſis, ut liberius in ſua damnata pręſumptione permanere poſſint, ſe tueri nituntur, excommunicationis, & alias ſententias, cenſuras, & pęnas juxta canonicas ſanctiones, ac regularia inſtituta contra inhobedientes hujuſmodi promulgatas, damnabiliter incurrendo. Quare pro parte Magiſtri, ac Priorum, Miniſtrorum, & Vicariorum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut de cetero, perpetuis futuris temporibus, ne Fratres eorundem Ordinum, extra domos hujuſmodi quacunque cauſa, vel occaſione, aut reſpectu, etiam ſtudii hujuſmodi in Salmanticen., vel quacunque ex dictis univerſitatibus abſque licentia ſuperiorum hujuſmodi, & illa durante, etiam de licentia Sedis Apoſtolicę, & prętextu quarumcunque facultatum, indultorum, aliarumque literarum Apoſtolicarum, eiſdem Salmantin., & aliis univerſitatibus pro tempore conceſſorum, commorari poſſint, ſtatuere, & ordinare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Inhibitio. Nos igitur, attendentes, quam gratus Deo ſit, & acceptus obedientię fructus, quodque inter alia religionis merita, abnegatio propriarum voluntatum, pręcipuum eſt, ac quod Prelati ipſi, optime ſcire pręſumuntur, qui Fratres literarum ſtudio, & quanto tempore, & qui aliis Religionis occupationibus, vacare debent, omniumque pręſertim religioſarum perſonarum tranquillitatem, ac illis evagandi materiam, occaſionemque pręcludi, eorumque exceſſibus obviari, ſupremis exoptantes affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod cetero, perpetuis futuris temporibus, Fratres prędicti, extra dictas domos, cujuſcunque cauſa, occaſione, vel reſpectu, etiam ſtudii, ſive in Salmantin., ſive in aliis Civitatibus, & locis, in quibus literarum ſtudia vigeant, pręter, & abſque licentia Provincialium Priorum, ac Miniſtrorum, vel eorum Vicariorum reſpective, & illa durante, etiam de licentia Sedis Apoſtolicę prędictę, etiam prętextu quarumcunque facultatum, indultorum, ac aliarum literarum Apoſtolicarum, Salmantin., & aliis univerſitatibus prędictis pro tempore conceſſorum, prędictis Prelatis invitis commorari non poſſint. Quodque ſuperiores prędicti, dum, & quoties opus fuerit, Fratres extra domos modo prędicto commorantes, ut ad eorum domos hujuſmodi redire debeant, compellere valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium ſtatuimus, & ordinamus. Pręterea Rectoribus, & Scholaribus dictarum univerſitatum, ne prętextu facultatum, & indultorum, ac aliarum literarum Apoſtolicarum eis conceſſarum, ſuperioribus, ſeu Prelatis Ordinis hujuſmodi, quo minus Fratres prędictos illis reſpective ſubjectos, aut ſub eorum obedientia profeſſos, extra dictas domos commorantes, ad domos hujuſmodi vacare, & reducere, ac prout ſecundum Deum, & eorum conſcientias expedire viderint, mutare, & convocare poſſint, prohibere, nec eiſdem Fratribus ad habitandum, ſeu commorandum in eiſdem univerſitatibus contra voluntatem ſuperiorum hujuſmodi, auxilium, conſilium, vel favorem directe, vel indirecte quovis quęſito colore pręſtare pręſumant, ſub excommunicationis pęna ipſo facto incurrenda, eiſdem auctoritate, & tenore diſtrictius inhibemus. Et nihilominus venerabilibus Fratribus Salmantin., & Zamoren. Epiſcopis, ac dilecto filio Priori Monaſterii S. Vincentii, per Priorem ſoliti gubernari Salmantin. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, ubi, quando, & quoties opus fuerit, ac pro parte Magiſtri, Priorum, Miniſtrorum, & Vicariorum prędictorum, vel eorum quemlibet deſuper requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, ac eis in premiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant, eos auctoritate Apoſtolica pręfata pacifica poſſeſſione, vel quaſi, ſtatuti, ordinationis, & inhibitionis, ac literarum hujuſmodi, gaudere, non permittentes eos, per Fratres extra Domos commorantes, ac Rectores, & ſcholares prędictos, ſeu quoſcunque alios, contra literarum hujuſmodi tenorem, quomodolibet moleſtari, aut impediri. Contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Pape VIII, Prędeceſſoris noſtri, de una, & in Concilio Generali edita, de duabus dietis, necnon de perſonis ultra certum numerum, ad judicium

non

non evocandis, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus univerſitatum bujuſmodi, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, & indultis, ac literis Apoſtolicis illis conceſſis, quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi ad illorum ſufficientem derogationem, & de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales id importantes, mentio, ſeu quevis alia expreſſio habenda foret, illorum omnium tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die VIII Auguſti MDVIII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Commoretur.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

De uniendis Bononien. (1) Monaſteriis S. Margaritæ, & S. Petri Martyris.

Anno 1508 Die 23 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

LXI.

INjunctum Nobis deſuper, meritis licet inſufficientibus, Apoſtolicę ſervitutis officium &c. (3) Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Monialium per Prioriſſam ſoliti gubernari Sancti Petri Martyris Bononien. Ordinis Fratrum Pręđicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias pro parte dilecti filii Johannis Stephani (4) Tituli SS. Sergii, & Bachi Presbyteri Cardinalis, qui Eccleſię Bononien. ex conceſſione, & diſpenſatione etiam tunc pręerat Nobis expoſito, quod, cum ad ejus aures perveniſſet, fama publica referente, Moniales Monaſterii S. Margaritę, etiam Bononien., Ordinis S. Benedicti, ejus juriſdictioni immediate ſubjectas, abjecto boneſtatis, & religionis propoſito incontinenter &c. vivere, ipſeque Cardinalis pro officio ſuo, & Dei honore, ac honeſtatis, & religionis pręđictę, dictum Monaſterium S. Margaritę in capite, & in membris reformare ſalubriter decreverat, ac Abbatialem dignitatem, & titulum in eodem Monaſterio S. Margaritę, ex eo quod dilecta in Chriſto filia Dionea ipſius Monaſterii S. Margaritę, cui tunc pręerat, in noſtris manibus ſponte, & libere ceſſerat, Noſque ceſſionem ipſam Apoſtolica auctoritate admiſeramus, ſupprimi, & extingui, ipſumque Monaſterium S. Margaritę dicto Monaſterio S. Petri, perpetuo uniri, annecti, & incorporari deſiderabat. Nos ejuſdem Cardinalis in ea parte ſupplicationibus inclinati, Abbatialem dignitatem, & titulum in eodem Monaſterio S. Margaritę cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis dicto Monaſterio S. Petri, perpetuo univimus, annexuimus, & incorporavimus, & eidem pleno jure ſubjecimus, ita quod liceret Prioriſſę, & Monialibus dicti Monaſterii S. Petri corporalem Monaſterii S. Margaritę, juriumque, & pertinentiarum pręđictorum poſſeſſionem, propria auctoritate libere apprehendere, voluimuſque, quod dictum Monaſterium S. Margaritę, & Moniales in ipſo, pro tempore exiſtentes, omnibus, & ſingulis gratiis, exemptionibus, privilegiis, & indultis, quibus Prioriſſa, & Moniales Monaſterii S. Petri hujuſmodi, tam in genere, quam in ſpecie utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſent, quodque Cardinalis Moniales dicti Monaſterii S. Petri, quę in eodem Monaſterio S. Margaritę, regularem obſervantiam dicti Ordinis Fratrum Pręđicatorum inſtituerent, introducerent, & plantarent, etiam illis Monialibus Monaſterii reformandi, quę in reformatione, & ſub obſervatione, & habitu dicti Ordinis Pręđicatorum, vivere vellent pro hujuſmodi reformatione facienda, per ſe, vel alium introducere, alias vero, quę in reformatione, & ſub obſervantia, & habitu pręđictis, vivere recuſarent ab eodem Monaſterio S. Margaritę ejicere, & ad alia Monaſteria, & loca honeſta, aſſignatis prius eiſdem redditibus pro eorum vita neceſſariis, prout ei videretur, transferre poſſet, contradictores per cenſuras eccleſiaſticas &c. compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, prout in noſtris in forma brevis literis inde confectis, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, idem Cardinalis, dictarum literarum vigore nonnullas Moniales dicti Monaſterii S. Petri, in eodem Monaſterio S. Margaritę, ut inibi regularem obſervantiam Ordinis Pręđicatorum hujuſmodi plantarent, inſtituerent, & introducerent, jam introduxerit, & ſi dictum Monaſterium S. Margaritę ejuſque Moniales pro tempore exiſtentes, curę, regimini, viſitationi, directioni, & correctioni Vicarii Generalis pro tempore exiſtentis Congregationis dicti Ordinis Fratrum Pręđicatorum, cui ipſum Monaſterium S. Petri, & ejus Moniales ſubiicerentur, & per ipſum Vicarium, ſeu ejus Commiſſarium duntaxat, viſitarentur, dirigerentur, & corrigerentur, ex hoc profecto Prioriſſę, & Monaſterii S. Petri, ac in Monaſterio S. Margaritę introductarum Monialium hujuſmodi conſcientię, quieti, & tranquillitati nimium conſuleretur, pro parte Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Petri pręđictorum, aſſerentium dictum Cardinalem, unioni, annexioni, & introductioni pręđictis conſenſiſſe, illaſque ad ejus ſupplicationem factas fuiſſe, ut pręfertur, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut de novo in eodem Monaſterio S. Margaritę, Abbatiſſalem dignitatem, & titulum ſupprimi, & extingui, ipſumque Monaſterium S. Margaritę eidem Monaſterio S. Petri, unire, annectere, & incorporare, dictumque Monaſterium S. Margaritę, ejuſque Moniales pro tempore exiſtentes, curę, regimini, viſitationi, directioni, & correctioni dicti Vicarii Generalis pro tempore exiſtentis, ſubiicere, & ſubmittere, ac alias in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur, Nos, qui dudum inter alia voluimus, quod ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, Prioriſſam, & Conventum pręđictos, & illorum ſingulas a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de novo in eodem Monaſterio S. Margaritę Abbatialem dignitatem, & titulum

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

auctoritate Apoſtolica ſupprimimus, extinguimus, ipſumque Monaſterium S. Margaritę ſic vacans, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis, eidem Monaſterio S. Petri, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat ex nunc eiſdem Prioriſſę, & Conventui Monaſterii S. Petri, per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem, vel quaſi regiminis, & adminiſtrationis, ac bonorum Monaſterii S. Margaritę, juriumque, & pertinentiarum prędictorum propria auctoritate libere, apprehendere, & perpetuo retinere, ac illius fructus, redditus, & proventus in ſuos, & dictorum Monaſteriorum uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, ac Monaſterium S. Margaritę, ejuſque Moniales, nunc, & pro tempore exiſtentes, hujuſmodi curę, regimini, viſitationi, directioni, & correctioni Vicarii Generalis pro tempore exiſtentis, itaut per prędictum Vicarium Generalem, & ejus Commiſſarium, & nonnullum alium viſitari, dirigi, gubernari, ac corrigi valeant, ſubiicimus, ſubmittimus, volumuſque, quod dictus Cardinalis eaſdem jam introductas, ſeu alias dicti Monaſterii S. Petri, Moniales, quę in eodem Monaſterio S. Margaritę regularem obſervantiam Ordinis Fratrum Prędicatorum hujuſmodi introducant, plantent, & inſtruant, retentis illis Monialibus Monaſterii reformandi, quę ſub reformatione, & obſervantia, ac habitu Ordinis Fratrum Prędicatorum hujuſmodi vivere voluerint pro dicta reformatione facienda, per ſe, vel alium introducere, alias vero Moniales, quę ſub reformatione, & obſervantia, ac habitu prędictis, vivere recuſaverint, ab earum Monaſterio S. Margaritę eiicere, & ad alia Monaſteria, ac loca honeſta, aſſignatis prius eis redditibus pro earum vita neceſſariis, prout ei videbitur, transferre poſſit, eoſdem contradictores per ſimilem cenſuram eccleſiaſticam &c. compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, dicto auxilio brachii ſecularis, ac Monaſterio S. Margaritę, ejuſque Monialibus pro tempore exiſtentibus prędictis, ut omnibus, & ſingulis exemptionibus, privilegiis, immunitatibus, conceſſionibus, prerogativis, favoribus, indultis in genere, quibus Monaſterium S. Petri, & ejus Moniales hujuſmodi, tam de jure, uſu, more, & conſuetudine, quam per indulta Apoſtolica eis conceſſa, & concedenda, & alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt in futurum, pariformiter, & abſque ulla differentia uti, potiri, & gaudere, ipſiſque Monialibus dictorum Monaſteriorum prout juxta qualitates temporum, locorum, & perſonarum, viſum fuerit, illarum Prioriſſę, ſeu ſuperiori, & de illius licentia, ac illa durante, permanere, & de uno, ad aliud tranſire, libere, & licite valeant, pręfata auctoritate Apoſtolica, earundem pręſentium tenore, indulgemus. Non obſtantibus voluntate noſtra prędicta, & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis &c. & de quibus &c. habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, proviſo, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi in dicto Monaſterio S. Margaritę divinus cultus, & ſolitus Monialium, & Miniſtrorum numerus nullatenus minuatur, ſed ejus, ac dilectarum in Chriſto filiarum Conventus ejuſdem, congrue ſupportentur onera conſueta. Nos enim ex nunc, irritum decernimus, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, ſuppreſſionis, extinctionis &c. infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Qningenteſimo Octavo, Decimo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Bononien.*) Monaſterium *S. Petri Martyris* juris eſt modo Provinciæ *Lombardiæ*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro* CLXXI *fol.* 10.
3. *Officium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Johannis Stephani*.) *Ferrerii*, ſanctitate, doctrinaque inſignis, de quo conſulendus *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III in Alexandro VI pag.* 201.

Anno 1508 Die 23 Octobris.

De præcedentibus literis executioni mandandis.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

LXII.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono Majoris, & Decano S. Petronii Bononien. Eccleſiarum, ac Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Bononien. in Spiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis: Julius &c. Ad perpetuam Rei Memoriam. Injunctum Nobis deſuper, meritis licet imparibus &c. (2). Quo circa diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, prędicta, quando, & quoties expedire cognoveritis, fueritiſque deſuper pro parte Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Petri Martyris Bononien. Ordinis Fratrum Predicatorum legitime requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in prędictis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatiſque auctoritate noſtra poſteriores literas noſtras prędictas, ac omnia, & ſingula in eis contenta, perpetuis futuris temporibus, inviolabiliter obſervari, non permittentes deſuper per quoſcunque indebite moleſtari, turbari, vel inquietari. Contradictores &c. Invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus omnibus ſupradictis, ſeu ſi aliquibus &c., ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam &c. mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Decimo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro* CLXXVI *fol.* 13.
2. *Imparibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Vt

Ut literæ (1), quas Innocentius VIII in gratiam Conventus Villæmencienſis dedit, executioni mandentur.

Anno 1508 Die 27 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilectis filiis Conſervatoribus Domus Beatę Marię de Conſolatione loci de Doña Mencia, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Corduben. Dięceſis, per Sedem Apoſtolicam deputatis.

JULIUS PP. II.

LXIII.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii modernus Prior, & Fratres Domus B. Marię de Conſolatione, loci de Doña Mencia, Ordinis Prędicatorum, Corduben. Dięceſis, quod dudum a felicis recordationis Innocentio PP. VIII Prędeceſſore noſtro, emanaverunt literę tenoris ſubſequentis. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Corduben., Salutem &c. Sedis Apoſtolicę &c. (3). Et, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, licet bonę memorię Eneccus Manrique Epiſcopus Corduben. tunc in humanis agens, cui dictę literę pręſentatę fuerunt, ad abſolutionem, diſpenſationem, abolitionem, & conceſſionem prędictas, proceſſerit, tamen in aliquibus, ſuo, & ſucceſſorum ſuorum commodo, cum Domus, & Prioris, ac Fratrum in illa pro tempore reſidentium pręjudicio, intendens, earundem literarum tenorem, & contenti in illis mandati fines exceſſit. Quare pro parte dictorum moderni Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur, atque paterna diligentia curaremus. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per pręſentes mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę originales literę, de pręinſertis hujuſmodi fidem facientes, coram vobis exhibitę fuerint, vocatis venerabile Fratre moderno Epiſcopo Corduben., & aliis qui fuerint evocandi, quę pręter tenorem, & ultra fines mandati hujuſmodi per dictum Eneeum Manrique Epiſcopum geſta ſunt, ſi, & prout de jure eſt, noſtra auctoritate reiiciatis. In aliis vero literas ipſas, & proceſſus hujuſmodi per eaſdem per vos, vel alium, ſeu alios, ubi, & quoties pro parte dictorum moderni, & pro tempore exiſtentis Prioris, ſeu Pręſidentis dictę Domus, & Fratrum requiſiti fueritis, ſolemniter publicantes, eiſque deſuper efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis eos auctoritate noſtra prefata, illis, & aliis quibuſvis privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis per quoſcunque alios Romanos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, dicto ordini quomodolibet conceſſis, pacifice frui, & gaudere. Non permittentes, eoſdem modernum, & pro tempore exiſtentem Priorem, ſeu Pręſidentem, & Fratres deſuper indebite moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles, etiamſi Pontificali dignitate fulgeant, ſub interdicti ingreſſus Eccleſię, ac aliis cenſuris, & pęnis eccleſiaſticis, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus omnibus ſupradictis ac pię memorię Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, quod nullus extra ſuam Civitatem, & Dięceſim, ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede Apoſtolica deputati, extra ſuam civitatem, & dięceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis, vices ſuas committere pręſumant, aut de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodo aliquis vigore pręſentium, ultra tres dietas, extra fines ſuę Dięceſis ad judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon omnibus illis, quę dictus Innocentius Prędeceſſor noſter in ſuis Literis hujuſmodi voluit non obſtare, contrariis quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus, communiter, vel diviſim a pręfata ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Novembris MDVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

P. Blondus.

1. *Literæ.*) Datæ die *XXVI* Aprilis *MCCCCLXXXVII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Villamencien.*
3. *Apoſtolicæ &c.*) Ut in *Conſtitutione XL Innocentii VIII* ad finem uſque. Legitur *pag.* 24 *hujus IV Tomi.*

F. Johannem Baptiſtam Plumbum, ſine conſenſu Magiſtri Generalis Doctorem creatum, hujuſmodi gradu privandum declarat (1).

Anno 1509 Die 6 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Thomę (3) de Vio Cajetano, Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum.

JULIUS PP. II.

LXIV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis feciſti, quod licet felicis recordationis Bonifatius Nonus, Prędeceſſor noſter, perpetua & irrefragabili Conſtitutione ſanxerit, quod nullus ex Fratribus Ordinis Prędicatorum, etiam per literas Apoſtolicas abſque licentia Capituli Generalis, ſecundum morem dicti Ordinis, ad honorem Magiſterii in Theologia promoveri, nec gradu hujuſmodi magiſterii fungi poſſit, aut debeat, & quod con-

Diplomatis cauſa.

contrarium faciens eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrat, quodque ſi per Capitulum prędictum reprobatus extiterit, pro non Magiſtro habeatur, nihilominus quidam Frater Johannes Baptiſta Plumbus Conventus Veneti dicti Ordinis, Superiorum ſuorum timore poſtpoſito, olim fecit ſe ad magiſterium in theologia promoveri, abſque tam Generalis Capituli, Magiſtrique dicti Ordinis conſenſu, quam opportuna doctrina, obtentis a felicis recordationis Innocentio PP. VIII Prędeceſſore noſtro literis Apoſtolicis in forma Brevis, falſe ſuggerendo, quod eſſet ad Magiſterii Gradum idoneus: & tamen ſtatim fere idem Innocentius ad ſupplicationem Magiſtri Generalis tunc dicti Ordinis propter pręfati Johannis Baptiſtę inſufficientiam commiſit privationem ejuſdem ab hujuſmodi Magiſterii in theologia gradu Provinciali Provincię S. Dominici (4), ac Ludovico (5) de Ferraria dicti Ordinis, per literas in forma Brevis ſupplicatione incluſa: & poſtea non ſolum propter pręfatam commiſſionem, ſed etiam quia a Generali Capitulo dicti Ordinis celebrato Genomanis (6) Anno Domini MCCCCXCI fuit reprobatus jam per annos fere decem ſeptem pro non Magiſtro in ſępe dicto Ordine eſt habitus, & nuperrime cum a te ad Generalatum aſſumpto peteret reſtitui, & fuiſſet ſibi oblatum examen, ut diſcuteretur ſufficientia ſua, ipſe ignorantię proprię conſcius illud recuſavit, & a Nobis quaſdam literas in forma Brevis approbatorias ſui Magiſterii datas XXVI Junii anni pręteriti, tacitis pręmiſſis, extorſit in pręjudicium privilegiorum, & auctoritatis Superiorum dicti Ordinis, ac in malum exemplum aliorum dicti Ordinis profeſſorum. Quare nobis, ut pręmiſſis providere dignaremur de benignitate Apoſtolica, humiliter ſupplicaſti. Nos igitur, attendentes, quod, ſi hęc Nobis expoſita fuiſſent, approbationem prędictam non extorſiſſet, tenore pręſentium tibi, ut pręfatum Johannem Baptiſtam ad dictum Magiſterium inſufficientem, quacunque auctoritate promotum pro non Magiſtro haberi in dicto Ordine ordinare, declarareque valeas, Apoſtolica auctoritate concedimus. Pręmiſſis non obſtantibus literis noſtris prędictis, ordinationibus, ſtatutis, literiſque Apoſtolicis conceſſis, & in poſterum concedendis, quibus, etiam ſi ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de nominibus, cognominibus, aut de data, & de verbo ad verbum, & non per clauſulas id ſignificantes cum clauſulis derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, & inſolitis, mentio habenda foret, pro expreſſis, & inſertis habentes quoad hęc, alias in ſuo robore permanſuris, derogamus, cęteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die VI Januarii MDIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Mandatum.

Sigiſmundus.

1. *Declarat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*
2. *Archivo.*) In quo autographum.
3. *Thoma.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Leonis X.*
4. *Provincia S. Dominici.*) Seu *Lombardia inferioris.*
5. *Ludovico.*) De quo ſæpius dictum fuit.
6. *Genomanis.*) In *Gallia.*

Anno 1509 Die 1 Junii.

Declarat quomodo Privilegiorum communicatio (1) inter Prædicatorum, & Minorum Ordines univerſaliter facta, ſit intelligenda.

Ex Confettio pag. 105.

Venerabilibus Fratribus Salamantin., Pacen., & Corduben. Epiſcopis, & eorum cuilibet.

LXV.

J U L I U S PP. II.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Alias ad ſupplicationem cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Regis &c. (2). Quodque in prędicta privilegiorum, gratiarum, & indultorum pręfatorum communicatione, tam univerſaliter per Prędeceſſores noſtros toti Ordini Minorum, quam etiam per Nos particulariter prędictorum Regnorum Fratribus facta, ea quę quoad abſolutionem, diſpenſationem, vel alias ad Priorem Generalem, ſeu Magiſtrum Ordinis Prędicatorum ſpectant, ad Miniſtrum, vel Vicarium Generalem Fratrum Minorum pertineant, & ea quę ad Priores Conventuales, id eſt Pręlatos ſingularum Domorum Ordinis Prędicatorum, & eorum Vicarios ſimiliter ſpectant, ad Guardianos, & eorum Vicarios Ordinis Minorum, & ea quę ad Priores, ſeu Vicarios, ad Subpriores, Provinciales, ideſt Pręlatos, qui medii ſunt, quocunque nomine cenſeantur, & vocentur, inter dictum Generalem, ſeu Magiſtrum Ordinis, & Priores Conventuales, eorumque Vicarios, ſimili modo ſpectant, ad Miniſtros, & Vicarios Provinciales, ac Cuſtodes, qui etiam medii ſunt inter Miniſtrum, & Vicarium generalem, & Guardianos, eorumque Vicarios, ſimiliter pertineant; Et ſicut de poteſtate Pręlatorum, ſcilicet de Pręlatis, ad Pręlatos dictum eſt, ita de Congregationibus unius ad Congregationes alterius Ordinis, & de Fratribus privatis, id eſt ſine prędatura, ad Fratres privatos, & de feſtivitatibus ad feſtivitates in his caſibus, in quibus Congregationibus, vel Fratribus privatis, aut feſtivitatibus unius Ordinis aliquid conceditur, Congregationibus, Fratribus privatis, ac feſtivitatibus alterius Ordinis, nunc, & pro tempore reſpective conceſſum intelligatur. Ita quod ea, quę in honorem Sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomę de Aquino (3) Catharinę de Senis, Fratribus, vel locis Prędicatorum ſunt conceſſa, omnia illa Fratribus Minoribus pręfatis, eorumque locis, in Feſtivitatibus Sanctorum Franciſci, Antonii, Ludovici, Bernardini, Bonaventurę, quinque Martyrum dicti Ordinis, qui apud Marrochium Martyrii coronam adepti ſunt, & Sanctę Clarę, & in aliis Feſtivitatibus dicti Ordinis Minorum, licet ſint in minori (4) numero, quam Feſta ipſorum Fratrum Prędicatorum ſint, intelligantur conceſſa, ad tollendum quamcunque hęſitationem, & inde forte ortum ſcrupulum auctoritate, & tenore pręfatis declaramus. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die I Junii MDIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Com-*

1. *Communicatio*. De qua in *Tractatu de Conſenſu Bullarum To..o ultimo Tit.I.*
2. *Regis &c.*) Quędam deſunt.
3. *Thomę de Aquino*.) Adde: *Vincentii Ferrerii*.
4. *Minori*.) *Majori*.

Grottulenſem (1) Eccleſiam B. Mariæ Majoris Parochialem facit, & Ordini concedit.

Anno 1509 Die 29 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. LVI.

Exordium. Piis ſupplicum votis, per quę Eccleſiarum quarumlibet, & divini cultus conſervationi cum animarum ſalute valeat ſalubriter provideri, libenter annuimus, ac ea favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Honorati Principis Altamurę, Ducis Trajecti, necnon univerſorum Parochianorum, ſeu vicinorum Eccleſię B. Marię Majoris intra muros Terrę Grottulę, in loco Terra Vecchia nuncupato, Acheruntin., & Matheran. Dięceſis, ac Vincentii Ferrandini, Ordinis Fratrum Predicatorum regularis obſervantię nuncupati, Provincię Apulię, ſecundum morem dicti Ordinis profeſſoris, petitio continebat, quod licet olim tam auctoritate ordinaria, quam forſan alias habitatores dictę Terrę Eccleſiam ſub invocatione Sanctorum Lucę, & Juliani in dicta Terra canonice ędificaſſent, ſeu ędificari feciſſent, & dilecti filii Archipresbyter, Cantor, & Vicarius, ac alii Presbyteri dictę Eccleſię B. Marię, ad eandem Eccleſiam Sanctorum Lucę, & Juliani ſe tranſtuliſſent, eandemque Eccleſiam B. Marię quaſi pro derelicta dimiſiſſent, ac ad eandem conſtructam Eccleſiam quaſi major pars habitatorum, & incolarum eorundem, qui ad eandem Eccleſiam B. Marię, antequam dicta Eccleſia Sanctorum Lucę, & Juliani conſtrueretur, ſe conſerre ſolebant, ad eandem Eccleſiam Sanctorum Lucę, & Juliani ad pręſens ſe conſerant, nihilominus cum alia ejuſdem Terrę habitatorum pars ad dictam Eccleſiam B. Marię, ad quam ſingularem gerunt devotionis affectum, confluere conſueviſſent, & in ea nullos Presbyteros, qui eidem Eccleſię B. Marię, & ad illam confluentibus in divinis, ut moris erat, deſervirent, haberent, inter eoſdem Ducem, & habitatores, ac Presbyteros, qui apud eandem Eccleſiam B. Marię reſidere ſolebant, attentis eorum neceſſitatibus, pro hujuſmodi divinis officiis audiendis, & deſideriis conſolationum ſpiritualium ad certam concordiam pervenerunt, ſeu amicabiliter inter ſe ſtatuerunt, & ordinaverunt, videlicet, quod Vincentius Ferrandinus prędictus, & alii Fratres prędicti eidem Eccleſię B. Marię, ac ad eam confluentibus in divinis deſervirent, & Miſſas celebrarent, ac alia facerent, quę Archipresbyter, Cantor, Vicarius, & alii Presbyteri prędicti facere debebant, ſub certis conditionibus, adjectionibus, & aliis modis, & formis tunc expreſſis, ac quod dicti Presbyteri duas campanas, quas duntaxat dicta Eccleſia B. Marię habebat, ad dictam Eccleſiam Sanctorum Lucę, & Juliani tranſportare poſſent, ac pro qualibet ſepultura cujuslibet cadaveris in dicta Eccleſia B. Marię ſepeliendi duo Carleni (3) quolibet anno eiſdem Presbyteris perſolverentur, ac tribus Capellaniis ad certa Altaria ſita in dicta Eccleſia B. Marię inſtitutis iidem Presbyteri deſervire poſſent, prout in quodam inſtrumento publico, deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ex ſtatuto, & concordia hujuſmodi potius Eccleſię B. Marię prędictę ruina, ac divini cultus in ea diminutio, & teſtatorum, qui eaſdem Capellanias inſtituerunt, onera potius, quam utilitates inde evenire formidentur, & ſi eiſdem Vincentio, & aliis Fratribus prędictis, quod eidem Eccleſię B. Marię in divinis deſervire, ac ad eam confluentibus eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare per ſe, vel alium, ſeu alios, prout eis melius videretur, poſſent, licentia concederetur, profecto ex hoc pręmiſſis ſcandalis plurimum obviaretur, eidemque Eccleſię B. Marię, ne forſan interim ad profanos uſus velut hęreditas deveniret, necnon divini cultus in ea augmento, animarumque Chriſti fidelium, quorum cadavera in eadem Eccleſia B. Marię requieſcunt, ſaluti, non parum conſuleretur, pro parte Honorati Principis, ac Parochianorum, & habitatorum, necnon Vincentii, & aliorum Fratrum prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quod de cetero perpetuis futuris temporibus Fratres prędicti per duos ex eis, ſeu duos Presbyteros ſeculares idoneos, ad eorum nutum amovibiles, eidem Eccleſię B. Marię in divinis deſervire, ac Chriſti fidelibus ad illam pro tempore confluentibus Miſſas, & alia divina officia celebrare, eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, ac dictis Capellaniis deſervire poſſint, & valeant, ac alias pro ſalubri, & felici ſtatu dictę Eccleſię B. Marię in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum ubique augeri, & conſervari, ſinceris deſideramus affectibus, Honoratum Principem, ac Parochianos, & habitatores, necnon Vincentium, & alios Fratres prędictos, & eorum ſingulos a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus Fratres prędicti de conſenſu dilecti filii moderni Prioris Generalis dicti Ordinis per duos ex eis, ſeu duos Presbyteros ſeculares idoneos, ad eorum nutum amovibiles, eidem Eccleſię Beatę Marię in divinis deſervire, ac Chriſti fidelibus ad illam pro tempore confluentibus Miſſas, & alia divina officia celebrare, eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, ac dictis Capellaniis, etiam ex illis nullos fructus percipiendo, ſed ſolum ut bonum pro meliori reddant, & animarum Chriſti fidelium illas inſtituentium, ſaluti conſuli poſſit, deſervire, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, libere, & licite valeant, ac quod campanas prędictas a dicta Eccleſia B. Marię amovere, ac dictos Carlenos pro qualibet ſepultura eiſdem Presbyteris perſolvere non debeant, neque per Archipresbyterum, Cantorem, & Vicarium, alioſque Presbyteros prędictos, aut quoſcunque alios ſuper aliquo ex pręmiſſis moleſtari, perturbari, inquietari, aut quomodolibet impediri poſſint, etiam ſub excommunicationis

Diplomatis cauſa.

Decretum.

[...]ę ſententię pęna, quam, ſi contrafecerint, ipſo facto incurrant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium perpetuo ſtatuimus, & ordinamus pariter, & indulgemus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, & conſuetudinibus, ac illis ſub quibuſcunque tenoribus conceſſis privilegiis, necnon in dicto inſtrumento contentis, quibus, illis alias in ſuo robore permanſuris, quatenus pręſentibus, & in illis contentis in aliquo obſtent, hac vice ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Nono, Septimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Grottulen.*) Vulgo *Grottola*, ubi Conventus Fratrum Provinciæ *Apulæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Grottulen.*
3. *Carleni.*) Sive *Caroleni* Italice *Carlino* nummi ſpecies eſt in Regno *Neapolitano*.

Anno 1509 Die 25 Junii.

Fratres Prædicatores curam gerant Salarum (1) Monaſterii S. Hieronymi.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Vicario Generali Ordinis Prędicatorum Regularis Obſervantię.

LXVII.

JULIUS PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. EXponi Nobis fecerunt dilectę in Chriſto filię Prioriſſa, & Moniales Monaſterii S. Hieronymi Oppidi Salarum, Terdonen. Diœceſis, quod licet ipſę preteritis temporibus ſub protectione, viſitatione, & cuſtodia Fratrum Ordinis Prędicatorum regularis obſervantię conſtitutę fuerint, nihilominus quia a parvo tempore citra nonnullę ipſius Monaſterii Moniales ad quoddam aliud Monaſterium dicti Ordinis in Civitate Papien. conſtructum ſe tranſtulerunt, Fratres ipſi eaſdem Moniales, quę in dicto Monaſterio Sancti Hieronymi remanſerunt, viſitare, earumque confeſſiones, uti prius conſueverunt, audire poſtponunt, in animarum ipſarum non parvum detrimentum. Quare pro parte earundem Monialium Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis, earumque ſtatui, in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi committimus, ac mandamus, ut Moniales in dicto Monaſterio S. Hieronymi remanentes, per dictos Fratres, & Religioſos de obſervantia, uti prius & ante translationem prędictam conſueverant, viſitari, earumque confeſſiones audiri, ac eis Euchariſtię, & alia Sacramenta eccleſiaſtica miniſtrari, ac in Miſſis, & aliis divinis officiis inſtrui
Mandatum. facias, mandes, & procures. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus, conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon privilegiis, indultis, & literis dicto Ordini Fratrum Prędicatorum per Sedem Apoſtolicam conceſſis, quibus inter alia caveri dicitur expreſſe, quod Fratres, & Religioſi prędicti Ordinis Prędicatorum literis Apoſtolicis pa-
Nota. rere non teneantur, nec eorum privilegiis derogatum eſſe cenſeatur, niſi eis per duo reſcripta Apoſtolica mandatum, & privilegiis hujuſmodi derogatum fuerit, quibus omnibus hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XXV Junii MDIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

F. Caſtilioneus.

1. *Salarum.*) Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum.

Anno 1509 Die 5 Julii.

De Florentino (1) Cœnobio S. Marci reſtituendo Congregationi Tuſciæ Romanæ Provinciæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto (3) filio Vicario Generali Congregationis Tuſcię Ordinis Prędicatorum.

LXVIII.

JULIUS PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXpoſuit Nobis venerabilis Frater noſter Oliverius (4) Epiſcopus Oſtien., quod cum notum eſſet dilectis filiis Prioribus libertatis, & vexillifero juſtitię populi Florentini, Fratres Congregationis S. Marci, ſive Tuſcię, Romanę Provincię, Ordinis Prędicatorum, cujus Congregationis impręſentia-
Diplomatis cauſa. rum es Vicarius Generalis, ex eo quod eſſent pro majori parte, & numero, natione Florentini, de domo S. Catharinę in Civitate Piſarum, Ordinis prędicti, populari tumultu ſuperioribus annis expulſos, & illa domo de facto eſſe expoliatos, cupientes ipſi majorem in modum etiam ad preces dilectorum filiorum Ancianorum Civitatis Piſarum, compoſito jam inter eos bello, redeuntibuſque aliis expulſis, predictam domum ad Congregationem illam redire: teque, ac Fratres, necnon Congregationem prędictam in priſtinum jus, & domum illam reſtitui, id nuper per ſuas, etiam repetitas literas magna cum inſtantia, & ardenti ſtudio petierunt, dilectuſque filius Thomas De Vio Cajetanus, modernus Generalis Magiſter Or-

Ordinis prędicti, Deum imprimis, honoremque, & pacem Religionis, necnon juſtas hujuſmodi, & honeſtas petitiones prę oculis habens, cupienſque utriuſque Reipublicę piis deſideriis, ac precibus ſatisfacere, domum illam in qua tempore belli a ſuis prędeceſſoribus nonnulli alii Fratres ejuſdem Ordinis Congregationis Lombardię poſiti dicuntur, Congregationi, & Fratribus S. Marci, ſive Tuſcię prędictorum ſuis patentibus literis reſtituit, dedit, & incorporavit, tibique, aut cui id mandare volueris, commiſit, poſſeſſionem domus illius accipiendi, & in ea diſponendi, quę juxta Religionis morem in hujuſmodi domorum acceptione diſponi, ac fieri conſueverunt, inſuperque omnibus, & ſingulis in eadem domo inventis, aut inveniendis, ejuſdem Ordinis pręſidentibus, Patribus, & Fratribus pręcepit, ut quoad hujuſmodi rei effectum obediant, proinde idem Oliverius Epiſcopus, qui antedicti Ordinis Prędicatorum protector exiſtit, Nobis ſupplicavit, ut reſtitutioni, dationi, incorporationi, commiſſioni, & pręcepto, aliiſque pręmiſſis, Apoſtolicę firmitatis robur adiicere, ac, quatenus opus ſit, alias de novo providere dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, reſtitutionem, dationem, incorporationem, commiſſionem, & pręcepta prędicta, omniaque, & ſingula in hac, & per antedictum Generalem Magiſtrum, aut ipſius nomine geſta, aut gerenda, auctoritate Apoſtolica approbamus, & confirmamus, &, quatenus opus ſit, de novo facimus, & providemus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, aut prędictarum Congregationum, necnon literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis quibus forte ſępe dicta domus Congregationi Lombardię ejuſdem Ordinis conceſſa, aut incorporata fuiſſet, ac quibuſvis aliis privilegiis, & indultis, Congregationibus, aut perſonis hujuſmodi conceſſis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi de eis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum, ſeu quęvis alia expreſſio habenda eſſet, & in eis quęvis clauſula etiam derogatoriarum derogatoriis fortiores, & inſolitę continerentur, in his pręſentibus pro expreſſis habentes, hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad pręmiſſa ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die V Julii MDIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto. *Mandatum.*

Sigiſmundus.

1. *Florentino.*) In *Hetruria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Florentino*.
3. *Dilecto.*) Hæc inſcriptio ſic reſtituenda videtur ex ipſo Diplomate. Deeſt in exemplari.
4. *Oliverius.*) E gente *Carafa*, de qua ſæpenumero.

Conventus prope Placentiam (1) fundandi facultas.

Anno 1509 Die 20 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXIX.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

AD hoc pręcipue cordis noſtri meditatio dirigitur, ut per noſtrę proviſionis auxilium, domus, in quibus ſacra Religio viget, & incrementum continue ſuſcipit, propagentur, & in illis divinę laudes Altiſſimo perſolvantur, fideles quoslibet, ut pro illarum conſervatione, & conſtitutione, opportuna prębeant ſuffragia, ſpiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, & remiſſionibus invitando, ut per temporalia, quę illis exhibuerint auxilia, pręmia conſequi mereantur felicitatis ęternę. Sane venerabilis Frater noſter Bernardinus (3) Epiſcopus Sabinenſis, Nobis nuper expoſuit, quod ipſe fervore devotionis accenſus, cupiens terrena, in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio, commutare, ob ſingularem devotionem, quam ad Ordinem Fratrum Prędicatorum, & illius perſonas, propter eorum exemplarem vitam gerit, cupit de bonis ſibi a Deo collatis in Eremitorio S. Angeli prope Civitatem Placentinam, vel alio loco congruenti, unam domum pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum Prędicatorum conſtruere, ſi eidem Bernardino Epiſcopo illam conſtituendi, ac Fratribus prędictis illam pro eorum perpetuis uſu, & habitatione recipiendi, per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pręfatus Bernardinus Epiſcopus Nobis humiliter ſupplicavit, ut ſibi domum prędictam cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, conſtrui, & ędificari faciendi, ac Fratribus dicti Ordinis, illam recipiendi, & inhabitandi, licentiam concedere, eidemque Domui, poſtquam conſtructa fuerit, Eremitorium campeſtre, ſive rurale S. Pauli, alias Santpolo, Placentinę Diœceſis, quod Rectore caret ad pręſens, perpetuo applicare, & appropriare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui animarum ſalutem, & religionis propagationem, ac divini cultus augmentum, noſtris potiſſime temporibus, ſinceris deſideriis exoptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Bernardino Epiſcopo, domum prędictam, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum Prędicatorum, in Eccleſia, ſive Eremitorio S. Angeli, vel alio loco congruo, & honeſto prędictis, ſine prężudicio cujuſcunque, conſtrui, & ędificari faciendi, necnon Fratribus prędictis, illam, poſtquam ſic conſtructa fuerit, pro eorum perpetuis uſu, & habitatione hujuſmodi recipiendi, auctoritate Apoſtolica, licentiam concedimus, eidemque domui Eremitorium campeſtre, ſive rurale hujuſmodi, cujus fructus, redditus, & proventus, viginti quatuor librarum Turonenſium parvorum, ſecundum exiſtimationem communem, valorem omnium, ut dictus Bernardinus Epiſcopus aſſerit, non excedunt, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, auctoritate, & tenore prędictis, applicamus, & appropriamus. Et nihilominus dictę domui, ac Priori, & Fratribus in ea pro tempore degentibus in perpetuum, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, prędrogativis, exemptionibus, favoribus, indultis, indulgentiis, etiam ſpiritualibus, & peccatorum remiſſionibus, quibus S. Thomę Abulenſis, & de la

Diplomatis cauſa.

Facultas.

Peña

Peña de Francia Salamantinę (4) Dięceſis, & alię domus dicti Ordinis, earumque Fratres, utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſit, & valeat indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Et inſuper cupientes, ut domus prędicta, poſtquam conſtructa, ſeu conſtrui, & ędificari cępta fuerit, congruis frequentetur honoribus, & in ſuis ſtructuris & ędificiis conſervetur, & augeatur, necnon libris, & calicibus, & aliis ornamentis eccleſiaſticis, divino cultui neceſſariis, fulciatur, ac Chriſti fideles, eo libentius devotionis cauſa, ad Eccleſiam domus hujuſmodi confluant, & ad conſervationem, augmentum, & fulcimentum prędicta, manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus pręfatis, vere pęnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam domus conſtruendę hujuſmodi, in Annunciationis Dominicę, & exaltationis S. Crucis, ac S. Michaelis, & S. Andreę Feſtivitatum diebus, a primis veſperis, uſque ad ſecundas veſperas Feſtivitatum earundem, incluſive annuatim, devote viſitaverint, & ad conſtructionem, augmentum, & fulcimentum prędicta, manus porrexerint adjutrices viginti annos, & totidem quadragenas, pro qualibet die Feſtivitatum earundem de injunctis eis pęnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne prędicti, vel cujuſvis alterius Ordinis Mendicantium profeſſores, ad inhabitandum nova loca recipere, ſeu jam recepta mutare pręſumant, ſine dictę Sedis licentia ſpeciali, de prohibitione hujuſmodi, ſpecialem, & expreſſam faciente mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon dicti Ordinis juramento etiam roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod ſi alias Eccleſiam domus conſtruendę hujuſmodi, viſitantibus, & ad prędicta manus porrigentibus adjutrices, ſeu inibi pias eleemoſynas erogantibus, aut alias, aliqua indulgentia in perpetuum, vel ad tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę, quoad indulgentiam hujuſmodi, nullius ſint roboris, vel momenti, & inſuper quoad applicationem, & appropriationem prędictas, ex tunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, applicationis, appropriationis, indulti, relaxationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Nono, Tertio decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Placentiam.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, unum *Lib. B. fol. 505* ex Autographo *Salmanticenſi*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXXIX fol. 262.*
3. *Bernardinus.*) *Caravajal*, aliis *Caravagial*, Hiſpanus, de quo conſulendus *Ciaconius in Alexandro VI Tomo III Vit. Pontif.*, *& Cardinal. pag.* 170.
4. *Salamantin.*) Seu *Salmanticen.*

Anno 1509 Die 14 Decembris.

Generalem Magiſtrum Privilegiis (1) ornat, ac Ordini conceſſa confirmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Thomę De Vio Cajetano Generali Magiſtro Ordinis Prędicatorum.

LXX.

J U L I U S PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Generalis Apoſtolica Privilegia declarare poteſt. Ea omnia confirmat.

De votis a Sororibus Tertii Ordinis nuncupandis. Nota.

Socios ſuos Magiſterii gradu donare poteſt.

Clauſula derogans.

Conſiderantes, quod multa tibi in tanta cura accidere poſſunt, quę Sanctę Sedis auxilium, & benignitatem requirunt, illis duximus de Apoſtolicę Sedis plenitudine ſuccurrendum. Itaque volumus, & tibi concedimus, quod ſi in Conſtitutionibus Ordinis Prędicatorum, aut circa privilegia, indulta, gratiaſque, & exemptiones ab ipſa ſancta Sede, illi conceſſa, aut concedenda, conceſſaſve, aut concedendas, quę etiam, & quas harum tenore, & ejuſdem Sedis auctoritate confirmamus, aliqua ambiguitas emerſerit, tu illam, quoad ſerenitatem illarum conſcientiarum, quę tibi ſubjectę ſunt duntaxat, poſſis auctoritate Apoſtolica declarare. Inſuper, ut ipſius Ordinis Prćſidentes vultum pecoris ſui agnoſcere queant, nolumus perſonas Ordinis ejuſdem confeſſionalibus, vel Indulgentię literis, etiam per Sanctam Sedem emiſſis, vel emittendis, niſi conſenſu tuo accedente, & eo durante, gaudere poſſe. Et inſuper quod mulieres prędicti Ordinis, quę Sorores de Pęnitentia nuncupantur, & collegialiter vivunt, ſi tibi placuerit, & illę hoc cupiant, ex benignitate Apoſtolica tria vota religionis, in manus tuas, aut illorum, quos ad hoc duxeris deputandos, emittere licite valeant. Binos prćterea Fratres tibi de more Socios, quorum unus Provincialis Terrę Sanctę, alter ſcriba eſſe ſolet, & laboribus pro tanta Religione ſuſceptis impediti, ſtudiis, ſtudiorumque exercitiis commode intereſſe non poſſunt, ſi alias ſcientia ſunt idonei, & eos gradus ac honores non habeant, ad Baccalareatus, & Magiſterii Theologię gradus, & honores valeas promovere. Hęc tibi prędictę Sedis auctoritate ſic concedimus, ut etiam eadem ſimili auctoritate tuis Succeſſoribus indulgeamus. Non obſtantibus prćmiſſis conſtitutionibus, & ordinationibus, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, & indultis, ac literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, illi Ordini, aut perſonis ejus, ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, & inſolitis conceſſis, aut concedendis. Quibus, illorum omnium tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat derogamus, cęteriſque in contrarium facientibus qui-

quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XIV Decembris MDIX Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Privilegiis*.) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum *Lib. E. fol. 7.* Legitur apud *Uſuſmarem pag. 172*, *Confeſſium pag. 94*, & *Rodericum in Nova Collectione Privilegiorum Apoſtol. Tomo I pag. 232.* Aſſervatur etiam in Archivo Conventus *Cremonenſis*.

Anno 1510 Die 28 Januarii.

Conventus Briaticen. (1) juris ſit Provinciæ Calabriæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Vicario Generali, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum Provincię Calabrię. LXXI.

JULIUS PP. II.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

CUm, ſicut nobis exponi feciſtis, licet alias apud Eccleſiam S. Dominici oppidi Briatici, Militenſis Dięceſis, una domus pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum Ordinis veſtri Prędicatorum regularis obſervantię auctoritate quarundam literarum felicis recordationis Alexandri Papę VI prędeceſſoris noſtri in forma Brevis confectarum conſtructa, & quondam Hieronymo de Riſis dicti Ordinis profeſſori, tunc in humanis agenti, ut domum ipſam nomine dicti Ordinis recipere, & eum Fratribus eorundem Ordinis, & obſervantię, juxta licentiam ſibi a tunc Generali ipſius Ordinis antea conceſſam, inhabitare poſſet, licentia conceſſa fuerit, ac dictus Prędeceſſor eandem domum, poſtquam conſtructa foret, Priori pro tempore exiſtenti, & Fratribus Domus B. Marię ſuper Minervam de Urbe dicti Ordinis, qui eidem Domui tunc conſtruendę de Fratribus providere teneantur, perpetuo ſubjecerit: Nihilominus poſt obitum dicti Hieronymi, dicta domus conſtructa per vos Fratres Provincię Calabrię juxta morem dictorum Ordinis, & obſervantię, recta, & gubernata extiterit, ac de pręſenti regatur, & gubernetur, nec per Priorem, & Fratres domus de Urbe hujuſmodi de Fratribus illi proviſum fuerit, ſintque ipſi Prior, & Fratres Domus de Urbe parati hujuſmodi ſubjectioni renunciare, & quod de cetero perpetuis futuris temporibus dicta domus conſtructa per vos regatur, & gubernetur conſentire; Nos, qui fidelium quorumlibet, pręſertim ſub regulari obſervantia ſtudio pię vitę vacantium, in quorum utique proſperitate reficimur, quieti jugi ſolicitudinis ſtudio intendimus; conſtructionem Domus hujuſmodi approbantes, & confirmantes, ac veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, domum ipſam conſtructam, & conſtruendam, ſubjectione dictorum Prioris pro tempore exiſtentis, & Fratrum Domus B. Marię ſuper Minervam de Urbe, ſi ad hoc Protectoris, & Generalis Ordinis, ac Prioris & Fratrum Domus B. Marię ſuper Minervam de Urbe prędictorum expreſſus acceſſerit aſſenſus, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, penitus eximimus, & totaliter liberamus, ita quod de cetero Prior, & Fratres domus B. Marię ſuper Minervam de Urbe hujuſmodi illi de Fratribus providere minime teneantur, illamque vobis, & pro tempore exiſtentibus Vicario, & Fratribus dictę Provincię per vos, & eos tenendam, regendam, gubernandam, & inhabitandam perpetuo concedimus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictorum Ordinis, & obſervantię juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ac aliis ſub quibuſcunque tenoribus conceſſis privilegiis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Oſtię ſub annulo Piſcatoris XXVIII Januarii MDX Pontificatus noſtri Anno Septimo. Mandatum.

1. *Briaticen.*) Aliis *Bryſtacien.*, & *Umbriaticen.*, vulgo *Briatico*, & *Umbriatico*, in *Calabria ulteriori*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Briaticen.*

Anno 1510 Die 20 Februarii.

Abrogat quædam privilegia nonnullis conceſſa, & cavet, ne Fratres Bulla, quam Cruciatam (1) vocant, utantur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Priori Provinciali Provincię Hiſpanię Ordinis Prędicatorum. LXXII.

JULIUS PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXponi Nobis nuper feciſti, quod ex Fratribus Ordinis Prędicatorum, cujus tu Prior Provincialis exiſtis, diverſas literas Apoſtolicas ſub plumbo, & in forma Brevis a nobis, & Sede Apoſtolica variis expreſſis cauſis, per quas ſe ab eorum Superioribus, & Ordine hujuſmodi exemptos fecerunt, & faciunt, aliqui licentiam ad Ordinem Canonicorum Regularium transferendi, aut in totum habitum dimittendi, & ut ſeculares incedendi, alii clauſula in literis Cruciatę nuper in partibus illis publicatę, appoſita, ut cujuſcunque Ordinis Fratres ſe ad partes Infidelium ad Sacramenta adminiſtranda, & alia opera pia exercendum, & Verbum Dei prędicandum, libere ſe transferre poſſint, utuntur, alii vero Confeſſorem idoneum Secularem, vel Regularem, etiam abſque licentia ſui Superioris eligere, qui eos a quibuſ-

quibuſcunque caſibus abſolvere poſſit, impetrarunt, & in dies impetrare conantur, & quod deterius eſt, ſe ad Civitates, Oppida, & loca, ubi prius in Domibus dicti Ordinis ſub Regulari habitu degebant, redeunt excuſſo obedientię jugo in opprobrium Religionis, & Ordinis antedicti, & niſi deſuper provideatur, in dies eximentur, & transferentur. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum ut in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dictum Ordinem, & illius ſuperiores, & Fratres ſingulari proſequimur dilectione, pręmiſſis, & aliis ſcandalis, ne eveniant, opportune pro miniſterio paſtoralis officii providere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tenoremque ſingularum literarum, ac omnia, & ſingula alia hic forſan de neceſſitate exprimenda, pręſentibus pro expreſſis habentes, tibi quaſcunque literas, quas per eoſdem Fratres a Nobis, & Sede prędicta, ſuper hujuſmodi exemptionibus, ac habitus mutationibus impetratas repereris, auctoritate noſtra examinandi, & cauſas per eoſdem Fratres in illis allegatas dijudicandi, &, ſi veras non repereris, revocandi, & annullandi, ac eiſdem Fratribus minime ſuffragari debere declarandi, ac prędictis Fratribus ad Ordinem Canonicorum regularium translatis, ſeu ut ſeculares incedentibus, ne in civitatibus, oppidis, vel locis, ubi Domus dicti Ordinis fuerint, permaneant, inhibendi, ac conceſſiones quaſcunque vigore Bul-
Mandatum. lę Cruciatę in partibus illis nuper, ut pręmittitur, publicatę eiſdem Fratribus minime ſuffragari, nec illarum vigore Confeſſores eligere poſſe, nec ad dictos Fratres Ordinis Prędicatorum ſe extendere, declarandi, eiſdem auctoritate, & tenore, facultatem concedimus. Te nihilominus exhortando, ut ſanctiſſimę illi expeditioni de Confeſſoribus idoneis, pro viribus ex tibi ſubjectis Fratribus provideas, requiſitus. Et inſuper venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Hiſpalenſi (3), & Epiſcopo Burgenſi, ac dilecto filio Archidiacono Eccleſię Toletanę, mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios faciant auctoritate noſtra pręmiſſa omnia, & ſingula, quoties pro parte tua fuerint requiſiti, firmiter obſervari, non permittentes te per prędictos Fratres etiam pretextu dictarum literarum, aut illarum proceſſuum, quo minus facultate tibi conceſſa hujuſmodi uti, poſſis, moleſtari, aut quomodolibet impediri, vel perturbari. Contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pręmiſſis, ac felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, qua inter alia cavetur, ne quis extra ſuam civitatem, vel diœceſim ad judicium vocetur, ſeu ne judices a prędicta Sede deputati extra civitatem, vel diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ac alii, vel aliis vices ſuas committere, pręſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate pręſentium non trahatur, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus contrariis, quibuſcunque, necnon prędictis, ſeu quibuſvis aliis literis Apoſtolicis per eoſdem Fratres hactenus impetratis, & in poſterum impetrandis, quibus, etiam ſi pro illarum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales id importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda foret, eorum tenores pro expreſſis habentes, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XX Februarii MDX Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Sigiſmundus.

1. *Cruciatam.*) Sic ſ facro bello quod pro fide ſuſcipitur, vocatur.) De ipſa dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex Autographo *Cordubenſi*. Aliud ejuſdem tenoris exemplar authenticum legitur *lib. B. fol.* 421 ex Autographo *Tauren.*

3. *Hiſpalenſi.*) In *Hiſpania*, ubi cęterę Civitates de quibus loquitur Diploma.

Anno 1510 Die 27 Februarii.

Declarat quod, paucis exceptis, Bulla Cœnæ non obſtat poteſtati abſolvendi Fratribus Ordinis Prædicatorum conceſſæ (1), variiſque privilegiis ornat Sorores de Pœnitentia collegialiter (2) viventes.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Dilecto filio Thomę de Vio Generali Magiſtro Ordinis Prędicatorum.

LXXIII.

JULIUS PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis feciſti, quod licet felicis recordationis Sixtus PP. IV, Prędeceſſor noſter, ſecundum carnem patruus (4), extendendo declaraverit, in quibus caſibus ad Sedem Apoſtolicam recurrendum eſſet, pro abſolutione, & diſpenſatione cenſurarum, & irregularitatum a perſonis Ordinis Prędi-
Diplomatis cauſa. catorum, nihilominus propter clauſulas derogatorias poſitas in Bulla, quę ſingulis annis in Cęna Domini publicatur, dubitas, facultatem illam Ordini prędicto ademptam. Super conceſſione quoque, quam nuper fecimus (5) Sororibus de Pęnitentia Beati Dominici nuncupatis, collegialiter viventibus, quod poſſint tria vota Religionis emittere, nonnulla declarari deſideras. Et proinde ſupplicaſti humiliter, ut
Declaratio. in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religioſorum quieti, quantum cum Deo poſſumus, libenter conſulimus, volentes occaſiones tollere vagandi, attendenteſque, quod multa in prędicta declaratione conceſſa ſunt, quę in Bulla prędicta continentur, ejuſdem ſanctę Sedis auctoritate decernimus, quod illi, quibus in prędicta declaratione conceſſa eſt poteſtas abſolvendi, & diſpenſandi, licite poſſint perpetuis temporibus abſolvere, & diſpenſare ab omnibus, & ſingulis ac ſi prędicta Bulla in Cęna Domini non eſſet facta, nec fieret, pręterquam in conſpiratione In-

Ro-

Romanum Pontificem, & ab illis propter quę prędictus Prędeceſſor noſter, declarando, voluit ad eandem Sedem eſſe reſervandum, Sorores quoque de Pęnitentia Beati Dominici nuncupatę, collegialiter viventes, & volentes vovere tria Religionis vota juxta noſtram conceſſionem, eadem auctoritate volumus, ut profiteantur obedientiam tibi, & pro tempore exiſtenti Magiſtro Generali, vel alteri vices Generalis Magiſtri gerenti uſque ad mortem, ſecundum Regulam Beati Auguſtini, & propter hoc tamen non teneantur ad clauſuram, neque ad officium divinum, magis quam ex ſua regula Tertii habitus tenentur, & quod exemptę tanquam dictę Religionis membra, gaudeant omnibus privilegiis active, & paſſive, quibus Fratres Ordinis ſupradicti gaudent, modo privilegia illa ſexui non repugnent. Non obſtantibus quibuſcunque Apoſtolicis conſtitutionibus, ordinationibus, ſuſpenſionibus, revocationibus, & reſtrictionibus, ac etiam conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon privilegiis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, vel dictarum Sororum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon Curię Vicegerentię Avinionen., & quibuſvis Ordinariis Prelatis, ac perſonis, conceſſis & concedendis literis, privilegiis, & facultatibus, cum quibuſvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, & inſolitis. Quibus omnibus, etiam ſi de eis, & ſupra dictis omnibus, eorumque totis tenoribus, & datis, non per hujuſmodi generales clauſulas, etiam ſpecialem mentionem importantes, ſed ſpecifica & individua, ac de verbo ad verbum, ſeu quęvis alia mentio habenda eſſet, preſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad premiſſa ſpecifice, & nominatim derogamus, & nemini in prejudicium premiſſorum ſuffragari poſſe, aut debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus contigerit attentari, decernimus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Februarii MDX, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Nota 1

1. *Conceſſa.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Collegialiter.*) Conſulendus idem *Tractatus Tit. XIV.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar. Legitur apud *Uſuſmarem pag.* 173, *& Confettium pag.* 101.
4. *Patruus.*) Julius ſiquidem Patrem habuerat *Raphaelem de Ruvere* germanum fratrem *Sixti IV.*
5. *Fecimus.*) Conſtitutione LXXI.

F. Henricus Jacobin. (1) Pœnitentiarius S. Petri de Urbe creatur.

Anno 1510 Die 23 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIV.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Johanni Epiſcopo Iſernien. in Romana Curia reſidenti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hodie dilecto filio Henrico Jacobin. Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Theologię profeſſori in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe Minori Pęnitentiario officium, ſeu locum Minoris Pęnitentiarii in dicta Baſilica pro lingua Gallica, tunc per liberam reſignationem dilecti filii Arnaldi de Boderto, nuper in dicta Baſilica Minoris Pęnitentiarii, de illo quod, ſeu quem tunc obtinebat in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam apud Sedem Apoſtolicam vacans, ſeu vacantem cum ſede infra Baſilicam, ac ſalario, emolumentis, ac honoribus conſuetis, motu proprio, Apoſtolica auctoritate conceſſimus, & aſſignavimus, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Quocirca &c. qui pro dilecto filio Ludovico tituli Sancti Marcelli Presbyteri Cardinali Locumtenens exiſtis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam dictę literę tibi preſentatę fuerint, per te, vel alium, ſeu alios facias auctoritate noſtra, eundem Henricum recepto prius ab eo ſolito juramento juxta formam inferius annotatam, ad officium hujuſmodi, ejuſque liberum exercitium, necnon honores, onera, & emolumenta prędicta in locum dicti Arnaldi juxta decreti noſtri, in eiſdem literis appoſiti, formam, & tenorem, admittas, & facias, ut eſt moris, admitti, ſibique de emolumentis prędictis integre reſponderi contradictores &c. non obſtantibus omnibus, quę in dictis literis voluimus non obſtare, ſeu ſi dilectis filiis minoribus Pęnitentiariis &c. ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici &c. forma autem juramenti ſequitur, & eſt. Ego Henricus &c. Sic me Deus adjuvet, & hęc Sancta Dei Evangelia. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo decimo, Nono Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Henricus Jacobin.*) Gallus Armoricus, de quo conſulendus *Echard Tomo II Scriptorum Ord. ad an. MDXXXII pag.* 339. Ex hoc autem, aliiſque duobus mox laudandis Diplomatibus ſolvitur dubium quod movet *Echard*, utrum ſcilicet *Henricus* iſte Ordinis Prędicatorum ſit alumnus, nec ne? Fuit certe, ut ex hac conſtitutione liquet. Idem conſtat ex iſta: *Julius &c. dilecto filio Henrico Jacobin Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe Minori Pœnitentiario, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Religionis zelus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Decimo, Nono Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCXXI fol.* 361. Ejuſdem mentio in illa qua conſtituitur Capellanus Summi Pontificis: hujus tenoris eſt: *Julius &c. dilecto filio Henrico Jacobin, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Capellano, ac familiari continuo commenſali noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Virtutibus clarens &c. Datum Romæ apud S. Petrum &c. Pontificatus noſtri Anno Octavo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CX fol.* 228.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XIII fol.* 97.

Anno 1510 Die 30 Septembris.

Unit Hoſpitale S. Martini Conventui S. Johannis de Pedemonte extra muros Cuman. (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXV.

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

HOneſtis petentium, pręſertim ſub regulari obſervantia Altiſſimo famulantium, votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Sancti Johannis de Pedemonte extra muros Cuman., Ordinis Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ſi Hoſpitale Pauperum Sancti
Diplomatis cauſa. Martini dictę Dięceſis, quod de Jurepatronatus laicorum, videlicet dilectorum filiorum univerſitatis hominum loci de Viſignola Villarum Bellaſii dictę Dięceſis exiſtit, & per homines per Uuiverſitatem hujuſmodi pro tempore deputatos regitur, & gubernatur, ac ad pręſens per dilectos filios Luchinum de Ovazonis, & Andream de Magatis, ac Gabrielem de Sancto Petro laicos, per Univerſitatem hujuſmodi deputatos, gubernatur, eidem Domui perpetuo applicaretur, ex hoc profecto tam Hoſpitali, quam Domui prędictis plurimum conſuleretur, ac pauperes multo melius ſuſtentarentur, necnon Luchinus, & Andreas, ac Gabriel pręfati, qui applicationi hujuſmodi jam conſenſerunt, quędam Inſtrumenta, & jura ad dictum Hoſpitale quomodolibet pertinentia eiſdem Priori, & Fratribus conſignarent, dummodo ipſi Prior, & Fratręs in dicto Hoſpitali unum Sacerdotem, qui quotidie unam Miſſam celebrare, & homines Univerſitatis hujuſmodi in Confeſſione audire debeat, tenere, ac Conſuli Univerſitatis hujuſmodi pro tempore exiſtenti ſtaria (3) frumenti ſexdecim, & ſicalis pro medietate, ac Condia (5) decem vini in ſuſtentationem pauperum Univerſitatis hujuſmodi convertenda, annis ſingulis in feſto Sancti Martini aſſignanda, perpetuo perſolvere, ac certam pecuniarum ſummam, tunc expreſſam, per eoſdem Univerſitatem certę perſonę, quę illud indebite occupatum detinebat, ac alias perſolutum, ſeu perſolvi debitum, perſolvere deberent, pro parte Prioris, & Fratrum, ac Univerſitatis prędictorum, aſſerentium, dicti Hoſpitalis fructus, redditus, & proventus, quinquaginta ducatorum auri de camera ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Hoſpitale prędictum eidem Domui per Priorem, & Fratres prędictos, modo pręmiſſo, tenenda applicare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, Priorem, & Fratres, ac Univerſitatem, & ſingulares perſonas Univerſitatis hujuſmodi a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſeqnendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati,
Mandatum. Hoſpitale prędictum cum omnibus Juribus, & pertinentiis ſuis eidem Domui dummodo ad hoc Univerſitatis, & Luchini, ac Andreę, & Gabrielis, prędictorum, accedat, ſeu acceſſerit aſſenſus, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium perpetuo applicamus ita quod liceat eidem Priori, & Fratribus per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem dicti Hoſpitalis poſſeſſionem propria auctoritate libere apprehendere, ac perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus, perſolutis, videlicee conſuli Univerſitatis hujuſmodi ſingulis annis dictis ſexdecim ſtariis frumenti, & ſicalis (6), ac condiis decem vini, convertendis, ſeu erogandis pauperibus Univerſitatis hujuſmodi, ac ſalario dicti Sacerdotis per eoſdem Priorem, & Fratres in dicto loco ſingulis diebus Miſſam celebrare habentis, retinendis, in ſuos, ac Domus, & Hoſpitalis hujuſmodi uſus, & utilitatem convertere, dieceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, quodque ſummam per eoſdem univerſitatem dictę perſonę, ac alias perſolutam, ſeu perſolvi debitam reſtituere, cum aliis ſingularibus perſonis univerſitatis hujuſmodi, quę ejuſdem Hoſpitalis debitrices eſſent debita remittere, & alias penitus liberare, ipſique univerſitas quędam inſtrumenta & jura, ad dictum Hoſpitale quomodolibet pertinentia eiſdem Priori, & Fratribus conſignare teneantur, quodque dictum Hoſpitale, omnibus, & ſingnlis privilegiis, immunitatibus, & exemptionibus, quibus Domus prędicta, & alia loca ejuſdem Ordinis utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, & potiri, & gaudere libere, & licite valeat, auctoritate, & tenore pręmiſſis concedimus, pariter, & indulgemus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus, ſeu conceſſionibus ſibi faciendis de Hoſpitali hujuſmodi in illis partibus ſpeciales, vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarunt, etiamſi ſuper eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quos quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſecuta quęcunque, ad dictum Hoſpitale volumus non extendi, ſed nullum per hoc quoad aſſecutionem Hoſpitalium aliorum, alicui pręjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, Indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibns, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non iuſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Proviſo quod dictum Hoſpitale debitis propterea non fraudetur obſequiis, ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, applicationis, conceſſionis, indulti, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo, Pridie Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Cuman.*) Vulgo *San Giovanne in Piè di Monte di Como*. Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Comenſi*.
3. *Staria*.) Seu *Sextaria*. Menſura eſt *Italis*, *Gallis*, aliiſque nationibus nota.
4. *Sicalis*.) Turbatus videtur locus. Notandum tamen quod *Sicla*, ſeu *Siclus*, & *Sicel*, vulgo *Sigla*, menſura eſt liquidorum. Vel legendum *Secalis*. Segetis genus eſt, vulgo *Segala*, *Biada*.
5. *Condia*.) Menſuræ genus, de qua *S. Gregorius Turonenſis in vita S. Caluppani*.
6. *Sicalis*.) Ut in *Nota IV*.

Translatio (1) Capituli Generalis.

Anno 1510 Die 22 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Thomę de Vio Sacrę Theologię Profeſſori Fratrum Ordinis Prędicatorum Generali Magiſtro.

LXXVI.

J U L I U S PP. II.

Dilecte in Chriſto filię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CONſiderantes, quod propter viarum diſcrimina, temporumque varietates Generale Capitulum Ordinis tibi commiſſi in Germania, ubi celebrari debebat, commode celebrari non poterit, motu proprio, non ad tuam, vel alterius cujuſcunque ſuper hoc Nobis pro te oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera voluntate, & certa ſcientia, per pręſentes, in virtute S. obedientię, Apoſtolica auctoritate, tibi mandamus, ut Capitulum antedictum, aut in aliquam Italię civitatem transferas, aut differas in annum proxime futurum; In caſu autem dilationis, ne Provincias pro Diffinitoribus, anno ultimo, quo Capitulum eſt celebrandum juxta ſtatuta Ordinis antedicti eligendis, duplicibus gravari contingat Capitulis, volumus, ut, ſi Priores Provinciales in ſuis Provinciis de conſilio duodecim Patrum, quorum octo ad minus ſint Priores, duxerint, illosmet, qui electi in Diffinitores, & aſſignati in eorum Socios ita ſunt, aut erunt, pro hoc anno mittendos, habeantur, & ſint illimet veri Diffinitores, & Socii, ac ſi in ultimo anno, ſecundum morem ipſius ordinis electi, & aſſignati eſſent, ſtatutis, & ordinationibus dicti ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Bononię ſub Annulo Piſcatoris die XXII Novembris (3) MDX, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Sigiſmundus.

1. *Translatio*.) De qua dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV*.
2. *Archivo*.) In quo Autographum.
3. *XXII Novembris*.) Notetur hæc dies aſcripta. Hinc enim liquet quod in literis, quas *Brevia* vocant, anni Pontificatus ex ipſa Coronationis die nonnunquam numerabantur. Si enim anni *Septimi* Pontificatus *Iulii II* initium peteretur in iſtis literis ex electionis die annus *MDIX* aſcriberetur, ut ex ſe patet.

Firmat ſententiam (1), inſtante F. Dominico de Garignano (2) latam in hæreſim ortam (3) circa locum Conceptionis Chriſti Salvatoris.

Anno 1511 Die 7 Septembris.

Ex Archivo (4) *Ordinis*.

J U L I U S PP. II.

LXXVII.

Univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUperioribus menſibus, cum accepiſſemus graves contentiones ob prędicationem Petri de Luca, Ordinis Canonicorum Regularium, ſub Regula Sancti Auguſtini, Verbum Dei in Civitate Mantuana prędicantis, inter Dominicum de Garignano Ordinis Prędicatorum Sanctę Theologię profeſſorem, ac hęreticę pravitatis ibidem Inquiſitorem, & prędictum Petrum, ſub loco (5) Conceptionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti exortas fuiſſe, non ſine populi Mantuani, & aliorum Chriſti fidelium ſcandalo, eiſdem Dominico, & Petro per literas noſtras mandavimus, ut coram Nobis ſe pręſentare deberent, venerabilique Fratri D. (6) Epiſcopo Portuenſi, & dilecto filio noſtro Antonio (7) tituli Sancti Vitalis Presbytero S. R. E. Cardinalibus, commiſimus, ut auditis Dominico Inquiſitore, & Petro de Luca prędictis, rationibuſque per utrumque eorundem deducendis, & proponendis deſuper definitivam ſententiam ferrent, ſcandalaque hujuſmodi e mentibus fidelium, & prędictorum tollere ſedulo ſtuderent. Cum itaque idem Dominicus, & Antonius Cardinales, ſententiam hujuſmodi ſuam, ſervatis ſervandis, & auditis hinc inde propoſitis, ut pręfertur, tulerint (8), prout in publicis inſtrumentis deſuper habitis plenius dicitur contineri, Nos, ad quos pręcipue ſpectat orthodoxam fidem in illius puritate ſervare, ſervarique facere, erroreſque in ea inſurgentes radicitus extirpare, ſententiam per eoſdem Dominicum, & Antonium Cardinales ſuper loco Conceptionis ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, contentionibus hujuſmodi tanquam rite, & recte, ac ſecundum veritatem latam, & inde ſecuta quęcunque, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur pręſentibus, pro expreſſis habentes, tenore pręſentium, auctoritate Apoſtolica approbamus, & confirmamus, & ab omnibus Chriſti fidelibus obſervari mandamus. Da-

Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die VII Septembris MDXI, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Sententiam.*) Aſſervatur in Archivo Ordinis. Autographum habes in Archivo *Bononienſis* Inquiſitionis.

2. *De Garignano.*) Inquiſitore *Mantuano*, ut ex ipſo Diplomate liquet. Hinc emendandus *Fontana* noſter *Theatro Dominicano Parte III Cap. III Tit. IV pag. 597*, & *Monumen. Dominican. Parte III Cap. XIV ad an. MDXI pag. 423*, ubi docet Inquiſitorem iſtum *Mantuanum* fuiſſe *F. Hieronymum Faventinum*. Fuit quidem *Hieronymus* Procurator Inquiſitoris, ſed ipſe Frater *Dominicus* Inquiſitor erat: Sic enim legitur in *ſententia* mox laudata: *Coram Nobis judicibus, & Commiſſariis comparuit venerabilis, & Religioſus F. Hieronymus Faventinus, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Lector, Procurator, ſeu Nuncius ſubſtitutus, & Vicarius memorati Domini Inquiſitoris pravitatis hæreticæ &c.* Fratris ſcilicet *Dominici de Garignano*.

3. *Hæreſim ortam.*) Hic audiendus oculatus teſtis *Cajetanus* noſter, cujus hæc verba in *Commentariis ad Articulum V Quæſt. XXXI* Tertiæ Partis Summæ S. Thomæ: *Adverto novum errorem diebus noſtris exortum, dicentem Chriſtum conceptum ex ſanguine B. Virginis puriſſimo, non quocunque, ſed in corde exiſtente ita, quod ex tribus guttis ſanguinis circa cor B. Virginis conceptus eſt Chriſtus. Repugnat autem hic error........ Sacra Scriptura ex voce Angeli dicentis: Ecce concipies in utero, non in corde..... Amplius B. Virgo in Evangelio dicitur prægnans, & quod peperit filium, & quod eſt mater, quæ omnia falſa eſſent. Nam habens infantem in corde non eſt prægnans, ſicut, nec ſi haberet infantem in ſtomacho, aut in ventriculo cerebri...... Similiter nec mater, aut pater dici poteſt, ſicut nec Adam fuit pater, aut mater Evæ, licet ex ejus parte una fuerit formata Eva. Tollit ergo veritatem maternitatis B. Virginis reſpectu Chriſti error iſte. Unde & ſtatim damnatus fuit Romæ, me præſente.* Fuit enim *Thomas Caietanus* unus ex Theologis quos hac de re in conſilium adhibuerunt, ut ex ipſa ſententia videre eſt: *Volentes ſine ſtrepitu, & figura judicii procedere, & ſola inſpecta veritate controverſiæ finem imponere quieto ordine, multos venerabiles Religioſos diverſorum Ordinum Sacræ Theologiæ Magiſtros, & Profeſſores viros graves, vitaque & integritate morum probatos convocari fecimus coram Nobis infraſcriptos videlicet: Magiſtrum Thomam de Gajeta Ordinis Prædicatorum Generalem Magiſtrum, Johannem Ferrarienſem ejuſdem Ordinis Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum, Magiſtrum Beraardinum de Isato, ſive de Cherio, Ordinis Minorum Procuratorem apud Sedem Apoſtolicam, Magiſtrum Henricum Jacobi Ordinis Prædicatorum Pœnitentiarium in Eccleſia Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum de Urbe, Magiſtrum Johannem Antonium Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Procuratorem, Magiſtrum Nicolaum Perutinum Ordinis Servorum Procuratorem in Urbe, Magiſtrum Nicoletum Lucanum Ordinis Minorum, Magiſtrum Stephanum de Baſignana Ordinis Carmelitarum, Magiſtrum Hieronymum de Luca Ordinis Servorum, Magiſtrum Guidonem de S. Leone Ordinis Minorum, Magiſtrum Sebaſtianum de Florentia Ordinis Servorum, Magiſtrum Angelum de Aretio Ordinis Servorum Priorem S. Marcelli de Urbe, Fratrem Leonardum de Mediolano Ordinis Prædicatorum Priorem Conventus S. Sabinæ de Urbe. Quibus reſidentibus &c.*

4. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Bononienſi*.

5. *Sub loco.*) Propoſitio erat iſta: *Chriſtum conceptum fuiſſe in pectore B. Mariæ Virginis juxta cor, & ex tribus guttis ſanguinis.* Ex *ſententia* ſæpe laudata.

6. *D.*) *Dominico Grimano*, cujus meminit *Ciaconius* in *Alexandro VI*.

7. *Antonio.*) *Ciocchi*, de quo *Ciaconius* in *Julio II*.

8. *Tulerint.*) His verbis: *Quia omnes, & ſinguli memorati Sacræ Theologiæ Doctores Magiſtri, & Profeſſores concordaverunt in unam eandemque ſententiam, excepto Magiſtro Johanne Antonio Ordinis Eremitarum Procuratore, qui illam novam opinionem dicebat eſſe tantummodo ſcandaloſam, & non erroneam, neque hæreticam, etiam in futurum; Nos Dominicus, & Antonius Cardinales judices, & Commiſſarii præfati veritatem, & ſolum Deum præ oculis habentes, Chriſti nomine invocato, ad ejus gloriam, ipſiuſque Catholicæ fidei, & Chriſtianæ Religionis conſervationem, & augmentum, animarum ſalutem, & conſervationem, declaramus, decernimus, & definimus, ac ſententiamus, auctoritate Sedis Apoſtolicæ Nobis commiſſa, de conſilio, & aſſenſu dictorum Doctorum, Magiſtrorum, & Profeſſorum Sacræ Theologiæ, quod deinceps memorata nova opinio habeatur tanquam erronea, ſcandaloſa, atque hæretica, & ita damnamus eandem in futurum &c.*

Anno 1511 Die 14 Novembris.

Ne Fratres appellent (1) a correctione Superiorum, & ut appellantes ſint eo ipſo ab officiis abſoluti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Thomę (3), de Vio Cajetano Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum.

LXXVIII.

JULIUS PP. II.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. EXpoſuiſti Nobis, quod in Ordine Prędicatorum tuę curę commiſſo, quandoque pax turbatur, & regularis vita impeditur, ob appellationes ab abſolutione ab Officiis, vel exemptiones a juriſdictione Priorum Provincialium, quodque providere dignaremur de benignitate Apoſtolica, humiliter ſupplicaſti. Nos, attendentes quod non ſolum a Religionis jugo, communi ratione, ſed dicti Ordinis perpetuis ſtatutis, appellationes diſſonant, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſtatuimus, ut ſi quis Frater dicti Ordinis, aut Soror ſub cura, & habitu ejuſdem, ob abſolutionem ab Officio Prioratus, Provincialis, vel Conventualis, ſeu Monaſterii, a quocunque Superiore dicti Ordinis, habente poteſtatem, abſolutionem hujuſmodi fadiendi, factam, vel faciendam, appellaverit, etiam prętextu gravaminis, aut appellationi hujuſmodi quocunque nomine interpoſitę inhęſerit, ſit ipſo facto, abſque alia declaratione abſolutus, aut abſoluta, ab hujuſmodi Officio, pro quo appellatum eſt; Et pro augmento vitę regularis, volumus, & declaramus, quod Magiſter Generalis pro tempore, poſſit (4) in favorem regularis vitę eximere, non ſolum Conventus Fratrum a cura, & juriſdictione Priorum Provincialium, ſed etiam Monaſteria Sororum ſub cura, & habitu ejuſdem Ordinis, & Collegia, ac perſonas quaſcunque tertii habitus, quamvis ſecundum Conſtitutiones dicti Ordinis, tam Fratrum, quam Sororum, & Statuta, ac privilegia Apoſtolica, fundationeſque Monaſteriorum nonnullorum, ſpecialiter cautum ſit, ut Provincialibus ſubſint. Statuimus nihilominus, & decernimus, omnes appellationes ab exemptionibus hujuſmodi interponendas, nullius eſſe roboris. In contrarium facientibus, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dicti Ordinis, juramento, vel quavis alia firmitate

Mandatum. Nota.

ro-

roboratis, conſuetudinibus, privilegiis, in genere, vel in ſpecie quibuſvis, quavis auctoritate, conceſſis, vel in poſterum concedendis, cum clauſulis derogatoriis, & derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, & inſolitis, etiamſi de eis, eorumque tenoribus, ſpecialis, individua, & expreſſa de verbo, ad verbum, & non per clauſulas id importantes, eſſet mentio habenda, aliiſque non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIV (5) Novembris MDXI Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Appellent.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum. Legitur apud *Uſuſmarem pag.* 646, apud *Confettium pag.* 102, & apud *Laurentium de Peirinis Tomo I Privilegiorum Ordinis Minimorum pag.* 479.

3. *Thomæ.*) De quo ſæpius dictum fuit.

4. *Poſſit.*) Ut in *Tractatu* ex laudato *Tit. IV.*

5. *Die XIV.*) Nonnulli legunt *XXIV*. Ex utraque vero lectione dicendum, quod nonnunquam in Diplomatibus, quæ *Brevia* vocantur, annos Pontificatus incepit *Julius* a Coronationis die. Vide Notam *III* ad præcedentem Conſtitutionem *LXXVII.*

Capitulum Generale differt ad annum.

Anno 1512
Die 28 Februarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Dilecto filio Thomę de Vio Cajetano Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum.

J U L I U S PP. I I.

LXXIX.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUamvis ſuperiori anno mandaverimus tibi motu proprio, ut Capitulum Generale tui Ordinis, aut in Italia celebrares, aut in annum alium differres, & tu de conſilio diſcretorum in annum pręſentem diſtuleris, celebrandumque ſit in proximo Feſto Pentecoſtes: Nos, attendentes, quod inter tot temporis varietates, difficillimum eſſet unanime, & integrum, ut par eſt, Capitulum congregari, motu ſimili, tenore pręſentium, Capitulum ipſum in ſequentem annum, tempore conſueto, celebrandum differimus: tibi mandamus, ut dilationem hanc univerſis tui Ordinis Provinciis denunciare quanto citius cures, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis prędicti privilegiis, & conſuetudinibus, cęteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Februarii MDXII Pontificatus noſtri Anno Nono.

Bal. Turdus.

1. *Archivo.*) In quo Autographum.

Faventinos (1) Fratres Parochiali Eccleſia Sanctorum Andreæ & Jacobi donat.

Anno 1512
Die 5 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio (3) S. Marię in Dominica Diacono Cardinali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LXXX.

ADmonet Nos ſuſcepti cura regiminis univerſalis Eccleſię, cui auctore Domino pręſidemus &c. (4). Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius Melchior de Canibus, Rector Parochialis Eccleſię SS. Andreę, & Jacobi de P . . . . , Faventin. Dięceſis, ex certis cauſis, animum ſuum moventibus, Eccleſiam prędictam, quam obtinet, ſponte, & libere reſignare proponat, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum moderni Prioris, & Fratrum Domus S. Andreę Faventin. Ordinis Prędicatorum, petitio continebat, cum ipſi Prior, & Fratres, non habeant locum, ad quem ipſi, tempore intemperei aeris, quę in Civitate Faventin. evenit, declinare poſſint, ac propterea Fratres Domus hujuſmodi ſępius infirmentur, & moriantur, ex quo in ipſa domo divinus cultus, potius diminuatur, quam augeatur, & ſi dicta Eccleſia pręfatę Domui, ſeu illius Sacriſtię perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ac cura ejuſdem Parochialis Eccleſię alicui alteri inibi, de conſenſu ejuſdem Rectoris applicaretur, ex hoc profecto, Prior, & Fratres pręfati haberent locum ſalubrem, ad quem tempore hujuſmodi intemperei aeris declinare poſſent, ac ceſſante hujuſmodi diſpoſitione temporis, ad dictam Domum redirent, & divinus cultus in ea conſervaretur, pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Parochialem Eccleſiam prędictam Sacriſtię Domus hujuſmodi perpetuo unire, annectere, & incorporare, necnon ejuſdem Parochialis Eccleſię curam alteri inibi applicare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri tenerentur &c. votis dicti Melchioris in hac parte favorabiliter annuentes, ac ſibi, qui Presbyter eſt, ne propter reſignationem hujuſmodi nimium diſpendium patiatur, de alicujus ſubventionis auxilio providere volentes, ipſoſque Priorem, & Fratres, ac Melchiorem &c, a quibuſvis Excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni veſtrę, quę in Provincia noſtra Romandiolę Legationis noſtrę munere fungitur (5), per Apoſtolica ſcripta, committimus, & mandamus, quatenus ab eodem Melchiore, vel Procuratore ſuo, ad hoc ab eo ſpecialiter mandatum habente, reſignationem hujuſmodi, ſi illam in manibus veſtris ſponte, & libere facere voluerit, ut prefertur, hac vice duntaxat recipere, & admittere, eaque per te recepta, & admiſſa, Parochialem Eccleſiam prędictam, cujus fructus, redditus, & proventus, viginti quatuor du-

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Digitized by Google

ducatorum auri de camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, ſive per reſignationem hujuſmodi, ſive alterius quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona &c. de illa, extra Romanam Curiam &c, aut Conſtitutionem felicis recordationis Johannis PP. XXII Prędeceſſoris noſtri, quę incipit: Execrabilis: vel aſſecutionem alicujus Beneficii Eccleſiaſtici ordinaria auctoritate collati, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit &c, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis prędictę Sacriſtię perpetuo unire, annectere, & incorporare ita quod liceat Priori, & Fratribus prędictis, per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem Parochialis Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, propria auctoritate, libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus, in ſuos, ac Sacriſtię, & Domus, necnon Parochialis Eccleſię prędictę uſus, & utilitatem convertere, Dięceſani loci &c., ſi ad hoc rectoris illius expreſſus acceſſerit aſſenſus, perpetuo applicare, necnon dicto Melchiori, omnes, & ſingulos fructus, redditus, & proventus dictę Parochialis Eccleſię per eum, quoad vixerit, vel alium, ſeu alios ejus nomine propria auctoritate percipiendos, colligendos, & levandos, & in ſuos uſus etiam utilitatem convertendos, loco penſionis annuę, ſi ſimiliter ad hoc ipſorum Prioris, & Fratrum expreſſus acceſſerit aſſenſus, reſervare, concedere, & aſſignare per te ipſum auctoritate noſtra procures; faciens eundem Melchiorem vel Procuratorem ſuum, ejus nomine, pacifica poſſeſſione, vel quaſi, perceptionis fructuum, reddituum, & proventuum prędictorum, juxta reſervationis, conceſſionis, & aſſignationis prędictarum, ſi eas vigore pręſentium feceris, tenorem, gaudere, non permittens, eum per prędictos Priorem, & Fratres &c. quomodolibet moleſtari &c. contradictores &c. non obſtantibus voluntate noſtra priori, ac pię memorię Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus &c. quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis, de hujuſmodi &c. literas impetrarunt &c. quas quidem literas, ad dictam Parochialem Eccleſiam volumus non extendi: ſeu ſi eiſdem Priori, & Fratribus &c. ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici &c. ſeu quibuslibet aliis privilegiis &c. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas dicta Parochialis Eccleſia, debitis non fraudetur obſequiis &c. attente quoque provideas, ne ex reſignatione hujuſmodi &c. aliqua ſimoniaca pravitas &c. interveniat, aut etiam corruptela. Nos enim ex nunc irritum &c. Si ſecus &c. contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Undecimo (6) Tertio Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Faventinos.*) Vulgo *Faenza* in Romandiola, illorumque conventui nomen *a S. Andrea*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCLV fol.* 182.
3. *Filio.*) Is erat *Johannes Medices*, de quo *Ciaconius* in *Innocentio VIII Tomo III Vit. Pontif. & Cardinal. pag.* 140.
4. *Præſidemus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Fungitur.*) De hac legatione legendus auctor mox laudatus *pag.* 14.
6. *Undecimo.*) Stylo Bullarum æræ communis *MDXII*.

Anno 1512 Die 23 Martii.

Ariminenſes Fratres Romam mittant librum Conciliorum Conſtantinopolitanorum.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Dilectis filiis SS, Franciſci, & Dominici Guardiano, & Priori, ac Bibliothecariis, ac Fratribus Civitatis noſtrę Ariminen.

LXXXI.

JULIUS PP. II.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INtelleximus fide digno teſtimonio eſſe in altero Conventuum veſtrorum librum in pergameno ſcriptum, duo olim in Conſtantinopoli celebrata Concilia continentem, quem videre admodum deſideramus. Quocirca vos in Domino hortamur, vobis nihilominus in virtute ſanctę obedientię, ac excommunicationis ſententię pęnis mandantes, ut, viſis pręſentibus, dictum librum, ſine ulla cunctatione, & excuſatione, venerabili Fratri Epiſcopo Veſprimien., noſtro, & Apoſtolicę Sedis Oratori, & Nuncio, ad Nos mittendum conſignare debeatis. Nos enim librum eundem cum ex eo exemplum ſumi fecerimus, ad vos illęſum remittemus. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Martii MDXII Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex Autographo *Ariminen.*

De fundando Soncinenſi (1) Monaſterio.

Anno 1512 Die 20 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectę in Chriſto filię Stephanę de Quinzanis (3) Sorori Tertii Ordinis Sancti Dominici de obſervantia nuncupati Terrę Soncini, Cremonen. Diœceſis.

LXXXII.

J U L I U S PP. I I.

Dilecta in Chriſto filia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, tu, de propria ſalute recogitans, ac cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, ſelici commercio commutare, unam domum in Burgo Terrę Soncini Cremonen. Diœceſis, in loco convenienti per te emendo, ſeu per Communitatem dictę Terrę ad hoc conſignando, & ordinando, ſub invocatione Sancti Panli Apoſtoli, & Sanctę Caterinę de Senis, pro uſu, & habitatione Sororum Tertii Ordinis Sancti Dominici, de obſervantia nuncupati, de propriis bonis tibi a Deo collatis, conſtrui, & ędificari facere intendas, ſi tibi Apoſtolicę Sedis auctoritas ſuffragetur. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & divini cultus augmentum, ac animarum ſalutem noſtris potiſſime temporibus, ſummis deſideramus affectibus, tuum pium, & laudabile propoſitum plurimum in Domino commendantes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi unam domum, ſeu ędificia pro uno Monaſterio Monialium dicti Ordinis ſub dicta invocatione, in dicto Burgo, in loco ad hoc congruo, & convenienti, cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, cęmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu, & habitatione Sororum Tertii Ordinis prędicti, quę ſub cura, regimine, & adminiſtratione tam in ſpiritualibus, quam temporalibus Vicarii (4) Generalis Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, Congregationis Lombardię, qui per ſe, vel alium per eum deputatum viſitatorem, profeſſionem Monialium, & Sororum admittere, & illas viſitare teneatur, perpetuo ſubſint, & obedire teneantur, conſtruendi, & ędificandi, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium licentiam concedimus, ac locum, & ędificia pro Monaſterio per te conſtruendo, poſtquam conſtructa fuerint, in Monaſterium hujuſmodi eadem auctoritate, ſine alicujus prędjudicio erigimus, tibique in domo, ſeu Monaſterio hujuſmodi, vel loco Moniales Sorores dicti Ordinis de obſervantia introducendi, ac tibi, & dictis Monialibus, & Sororibus, illud recipiendi, & inhabitandi, auctoritate, & tenore pręmiſſis, etiam licentiam concedimus. Nos etiam eidem Monaſterio, ſeu domui, poſtquam conſtructum, ędificatum, & erectum fuerit, ut pręfertur, & Monialibus, ſeu Sororibus in eo pro tempore degentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, & indultis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, & indulgentiis aliis Monaſteriis, & domibus dicti Ordinis in genere conceſſis, & quibus alię Moniales ejuſdem Ordinis utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint, & valeant, jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate, & tenore pręmiſſis indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, Ordinis, & Congregationis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis Apoſtolicis eis conceſſis. Quibus illorum omnium tenores pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XX Aprilis MDXII Pontificatus noſtri Anno Nono.

Bal. Tuerdus.

1. *Soncinen.*) Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar.

3. *Stephana de Quinzanis.*) De qua nunc agitur in Sacra Congregatione Rituum, ut ſcilicet in album Beatarum Virginum referatur. Adeas *Antonium Gonzalez de Acaña de Statu Cauſarum Beatorum, & Servorum Dei &c. Ordinis S. Dominici pag.* 199. Conſulendus etiam J*ohannes a S. Maria in Vitis Beatarum Ord. Prædicatorum Parte I ad Literam E.*

4. *Vicarii.*) Huc ſpectat ſequens epiſtola. *Magnifici Domini benefactores noſtri plurimum honorandi ſalutem in Domino, & æternam benedictionem. Ho receputo le lettere humaniſſime voſtre, per le quali ho compreſo quanto ſia la voſtra bona volontà in dotar queſto voſtro nobiliſſimo loco de un Monaſterio de Sore, e perche a queſto fur recerchate la interpoſitione della mia autorità, ſicomo diceſi aver anchor obtenuta quella del preceſſor noſtro Maeſtro Euſtachio Reverendo olim Vicario de queſta noſtra Congregatione, Io vi riſpondo che nullo modo voglio far mancho di quello, che è ſtato fatto dalli noſtri anteceſſori. Par per eſſer molto diſtante dal loco, e da queſta voſtra Terra, e biſognarmi ancor più per cauſa del offitio mio lontanarmi, vi remetto al Reverendo Padre Maeſtro Silveſtro Prior di Cremona, al qual potreſti ſenza diſconzo alcuno ricorrere, & eſſo ancor non eſſendo molto diſtante da queſta voſtra Terra potrà meglio de queſta fatto determinare. Pur quanto a me per el Breve par, qual mi avete mandato, non potete conſtituire per el preſente ſe non un loco da tertie habite, e quando poi averete col tempo compito l'edificio, ſi compirà ancora el voſtro degno, e laudabile deſiderio. Interea bene valete. Bononiæ XI Martii MDXIII.*

E. M. V. Deditiſſ. Fr. Georgius de Caſali Ord. Præd. Sac. Th. Doct., ac Vic. General. Cong. Lombardiæ.

A tergo literarum magnificis, ac generoſis Dominis Communitatis Soncini benefactoribus præcipuis. Soncini.

Anno 1512 Die 30 Auguſti.

De conſtruendo Orioleſi (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXIII.

Dilectis filiis Pręposito Eccleſię Oriolen., & Vicario venerabilis Fratris Epiſcopi Oriolen. in ſpiritualibus Generali, vel eorum alteri,

J U L I U S PP. II.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRo parte dilectorum filiorum juſtitię, & juratorum, ac Civitatis Oriolen., necnon Conventus Domus Beatę Marię de Succurſu ejuſdem Civitatis, Ordinis Prędicatorum, Nobis nuper expoſitum fuit, quod orta dudum inter eos ex una, & quoſdam Cuſtodem cuſtodię de Murcia, Provincię Caſtellę, Ordinis Minorum de obſervantia, ac Abbatiſſam, & Moniales Monaſterii Sancti Johannis Ordinis Sanctę Clarę Oriolen. Diœceſis de & ſuper erectione dictę Domus, partibus, ex altera, materia quęſtionis, tandem partes ipſę, accedente etiam ad hoc mandato Regio, cognitionem controverſię hujuſmodi coram dilecto filio Didaco de Soler, Gubernatore dictę Civitatis Oriolen., introduxerunt, per quem, ſervatis ſervandis, judicatum fuit, ipſis licere dictam Domum ędificare, & complere, non obſtantibus quod adverſarii prętenderent ex quodam privilegio, & indulto eorum intra trecentas cannas prope loca eorum id minime facere eis licere, quod ibidem ob Civitatis prędictę, & loci anguſtiam obſervari poſſe, non videtur. Et licet, ut eadem expoſitio ſubjungebat, ſententia prefati Gubernatoris in rem, ut creditur, tranſiverit judicatam, nihilominus prefati adverſarii ab ea appellarunt, & cauſam appellationis hujuſmodi quibuſdam Petro Perez Decano, & Archidiacono de Lorca Eccleſię Carthaginen, committi obtinuerunt. Et quoniam prefati exponentes coram prefato Petro Decano ab eis ſuſcepto, qui onus hujuſmodi cauſę cognoſcendę ſuſcepiſſe dicitur, coram quo juſtitiam conſequi poſſe non ſperant, prout parati ſunt jurare per eorum Syndicum libenter non litigant, Nobis humiliter ſupplicari curarunt, ut eis ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per pręſentes committimus, & mandamus, ut, vocatis dictis adverſariis, & aliis, qui fuerint evocandi, cauſam hujuſmodi audiatis, decidatis, & fine debito terminetis, ſententiamque prędictam, conſtito vobis de pręmiſſis, debitę executioni demandetis, expenſas taxetis, & moderetis, ac, in eventum non paritionis, eoſdem adverſarios cenſuras & pęnas per vos imponendas incurriſſe declaretis, aggravetis, & reaggravetis, ac, ſi opus fuerit, brachium ſeculare invocetis, cum poteſtate eoſdem adverſarios citandi, ipſiſque, & aliis quibus, & quoties opus fuerit, ſub cenſuris, & penis inhibendi, prout in pręmiſſis de jure fuerit faciendum, prędictorum omnium, & ſingulorum, ac aliorum hic forſan exprimendorum, ſtatumque, & merita cauſę hujuſmodi pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac privilegio prędicto de trecentis cannis, cui alias exiſtit derogatum, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXX Auguſti MDXII, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Nota.

1. *Oriolen.*) In *Hiſpania Tarraconen.* Juris eſt hocce Cœnobium Provinciæ *Aragoniæ*. Conſulendus *Diago Lib. II Hiſtor. Provinciæ Aragon. Cap. XCVII pag. 281 &c.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Oriolen.*

AP.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Dignitates, Julio II Summo Pontifice, Promotos exhibens.

ARCHIEPISCOPI.

F. Didacus Deza, ex Epiſcopo *Palentino*, ut in *Appendice* præcedenti dictum fuit, Archiepiſcopus Hiſpalenſis, *Seviglia*, in Hiſpania. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. L pag. 78, ex Gil, ſeu Ægidio, in Theatro Eccleſiæ Hiſpalen., & Fernandez. Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Archiepiſcopus *Toletanus* fuit *Didacus*, ut poſtea dicetur.

Anno 1504.

F. Johannes, Archiepiſcopus Nazarien., ſeu *Naxen.*, vulgo *Naxia*, & *Nacſia*, in ejuſdem nominis Inſula maris *Ægæi*, vel fortaſſis *Nazarenus*, in Palæſtina. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio &c.* Ipſius mentio in ſequenti Diplomate. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Johanni Archiepiſcopo Nazarien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Perſonam tuam Nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotam &c. hinc eſt, quod nos tibi, qui in Theologia Magiſter, &, ut aſſeris, Ordinis Prædicatorum Profeſſor exiſtis, necnon pro venerabili Fratri moderno Archiepiſcopo Biſuntin. in Civitate, & Diœceſi Biſuntin., Pontificalia exerces officia, ac ex fructibus eccleſiæ tuæ Nazarien., quæ in partibus infidelium conſiſtit, nihil percipis, ut te commodius ſuſtentare valeas, de alicujus ſubventionis auxilio providere, teque præmiſſorum meritorum tuorum intuitu gratioſo favore proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tecum, ut una cum dicta eccleſia Nazarien. duo beneficia eccleſiaſtica, etiamſi ſecularia, perpetuæ Vicariæ, aut Canonicatus, & præbendæ, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis eccleſiis, ſi tibi alias canonice conferantur, aut eligaris vel præſenteris, aut alias aſſumaris ad illa, & inſtituaris in eis, recipere, & in commendam inſimul, quoad vixeris retinere, illaque ſimul, vel ſucceſſive quoties tibi placuerit dimittere, & de illius fructibus, redditibus, & proventibus diſponere &c. Alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium &c. tibi penitus interdicta, Generalis Concilii &c. privilegiis quoque, & indultis &c. cæteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ indulgemus, & diſpenſamus, ac eiſdem privilegiis &c. harum ſerie derogamus. Proviſo, quod beneficia hujuſmodi debitis propterea non fraudentur obſequiis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Sexto Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XVI fol. 34.*

Anno circiter 1508.

F. Gregorius, Armenus, Archiepiſcopus *Naſcivanen.*, vulgo *Naſſivan*, in Armenia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. IX pag. 56, ex Galano, Leandro Alberti, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 358 num 70.* De eodem *Gregorio* loquuntur Acta Conſiſtorialia quibus electio ſucceſſoris *Gregorii* firmatur his verbis: *Sanctitas ſua confirmavit dictam electionem* (Benedicti) *de præfata Eccleſia Naxſciovanen. vacante per obitum Gregorii, filii Azazator, id eſt Deodati, & providit de perſona dicti F. Benedicti.*

Anno 1511.

EPISCOPI.

F. Martinus de Fruſtempaldis, Epiſcopus Aconenſis, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio &c.* Epiſcopus certe fuit, ut ex ſequentibus Conſtitutionibus videre eſt. Ex ipſis etiam liquet quod *Martinus* noſter *Aconenſis* Epiſcopus ab *Alexandro VI* renunciatus fuerat. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Martino Electo Acconen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Equum reputamus, & rationi conſonum, ut proviſiones eccleſiarum quæ ex providentia ejuſdem Pontifici proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu literæ Apoſtolicæ confectæ non fuerint, ſuum conſequantur effectum. Dudum ſiquidem eccleſiæ Acconen. certo modo Paſtoris regimine deſtitutæ felicis recordationis Alexander PP. VI, Prædeceſſor noſter, verum, & ultimum dictæ eccleſiæ vacationis modum pro expreſſo habens, & ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem, & felicem, ne longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendens poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris, de quorum numero licet abſentes tunc eramus, habuerat diligentem, demum, ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem, & in Sacerdotio conſtitutum, religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout idem Prædeceſſor fide dignorum teſtimoniis acceperat, inſignitum dirigens oculos ſuæ mentis, de perſona tua ſibi, & eiſdem Fratribus, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem eccleſiæ ſub data videlicet ſeptimo Idus Junii, Pontificatus ſui Anno Undecimo auctoritate Apoſtolica providit, teque illi præfecit in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpi-*

Anno 1503 Die 26 Novembris.

ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Voluit autem idem Prædeceſſor, quod poſtquam literas ſuper proviſione, & præfectione prædictis haberes expeditas ad præfatam eccleſiam te conferres, & reſideres perſonaliter apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Acconen. Pontificalia officia nequires exercere, & ne de proviſione, præfectione, commiſſione, & voluntate prædictis, pro eo quod ſuper illis ipſius Prædeceſſoris literæ ejus ſuperveniente obitu confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæſitari, tuque illarum fruſtreris effectu, volumus, & præfata auctoritate decernimus, quod proviſio, præfectio, commiſſio, & voluntas prædictæ perinde a data diei ſeptimo Idus Junii ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Prædeceſſoris literæ ſub ejuſdem diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodque præſentes literæ, ad probandum plene proviſionem, præfectionem, commiſſionem, & voluntatem Prædeceſſoris hujuſmodi, ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis præmium noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Tertio, Sexto Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XV fol.* 231. Cognomento fuit de *Fruſtempaldis*. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Martino de Fruſtempaldis Ordinis Prædicatorum, & Theologiæ profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Rationi congruit &c. Dudum cum felicis recordationis Alexander PP. VI Prædeceſſor noſter &c. eccleſiæ Acconen. tunc certo modo Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua eidem Prædeceſſori, & Fratribus ſuis de quorum numero licet abſentes eramus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilia, auctoritate Apoſtolica providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intenderet idem Prædeceſſor ne forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus exiſteres, ne proviſio, & præfectio prædictæ poſſent propterea quomodolibet impugnari, providere volens, te a quibuſcunque excommunicationis &c. ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædictæ, ac ſingulæ literæ Apoſtolicæ deſuper conficiendæ ſuum ſortirentur effectum ſub dicta data diei abſolvit, & abſolutum fore nunciavit, non obſtantibus conſtitutionibus &c. quibuſcunque. Ne autem de abſolutione, & nunciatione prædictis &c. valeat quomodolibet hæſitari &c. volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod abſolutio &c. ſuum ſortiantur effectum &c. prout ſuperius enarratur, quodque præſentes literæ ad probandum plene abſolutionem &c. ubique ſufficiant &c. Nulli ergo &c. noſtræ voluntatis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Tertio, Sexto Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XV fol.* 232. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Epiſcopi Verdenſis. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Martino Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſori electo Acconen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Rationi congruit &c. Dudum ſiquidem felicis recordationis Alexander PP. VI Prædeceſſor noſter &c. eccleſiæ Acconen. tunc certo modo Paſtoris regimine deſtitutæ de perſona tua eidem Prædeceſſori, & Fratribus ſuis de quorum numero, licet abſentes, tunc eramus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de eorundem Fratrum conſilio providit, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præfecit, ac voluit quod quamprimum ſuper proviſione, & præfectione hujuſmodi literas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes, & perſonaliter apud illam reſideres, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Acconen. Pontificalia officia exercere nequires, prout in noſtris inde confectis literis, cum idem Prædeceſſor, antequam ejus literæ deſuper conficerentur, ſicut Domino placuit, rebus humanis fuerit exemptus, plenius continetur, & per eundem Prædeceſſorem accepto, quod tu ad præfatam eccleſiam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonali periculo commode te conferre, & apud illam perſonaliter reſidere non poteras, idem Prædeceſſor volens te præmiſſorum meritorum tuorum intuitu favore proſequi gratioſo, tuis in ea parte ſupplicationibus inclinatus tibi &c. quod ad ipſam eccleſiam accedere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſcepiſſes in Civitate, & Diœceſi Verden. duntaxat dum per venerabilem Fratrem noſtrum tunc modernum, & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Verden. ad id requiſitus fores, & de ſpeciali ipſius licentia, Pontificalia officia hujuſmodi exercere libere, & licite valeres, voluntate priori prædicta, & aliis Apoſtolicis &c. nequaquam obſtantibus præfata Apoſtolica auctoritate de ſpecialis dono gratiæ indulſit. Ne autem de indulto prædicto, pro eo, quod ſuper illo ipſius Prædeceſſoris literæ &c. confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæſitari &c. volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod indultum prædictum &c. ſuum ſortiatur effectum &c. prout ſuperius enarratur, quodque præſentes literæ ad probandum plene indultum hujuſmodi ubique ſufficiant &c. Nulli ergo &c. noſtræ voluntatis &c. infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Tertio, Sexto Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. IV An. I fol.* 47. Hinc ipſi penſio conſtituta. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Martino electo Acconen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Rationi congruit &c. Dudum ſiquidem cum felicis recordationis Alexander PP. VI, Prædeceſſor noſter eccleſiæ Acconen. tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua ſibi, & Fratribus ſuis &c. ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio Apoſtolica auctoritate providiſſet, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem &c. prout in diverſis noſtris literis inde confectis &c. plenius continetur, idem Prædeceſſor volens tibi, ut ſtatum tuum juxta Pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeres, de alicujus ſubventionis auxilio providere, ac tuis exigentibus meritis gratiam facere ſpecialem, teque a quibuſvis &c. excommunicationis &c. abſolutum fore cenſens motu proprio non ad tuam, vel alterius &c. ſed de ſua mera liberalitate &c. tibi penſionem annuam ducentorum florenorum auri Renen., centum, & quinquaginta ducatos auri de Camera, vel circa conſtituentium, ſuper fructibus, redditibus, & proventibus menſæ Capitularis eccleſiæ Verden. tibi quoad viveres, & dictæ eccleſiæ Acconen. præeſſes, ac hujuſmodi Pontificalia officia in Civitate, & Diœceſi prædictis exerceres, vel Procuratori tuo ad hoc a te ſpeciale mandatum habenti per dilectos filios Capitulum ejuſdem eccleſiæ Verden., quorum ad hoc expreſſus acceſſerat aſſenſus, pro una videlicet in B. Johannis Baptiſtæ, & alia medietatibus penſionis ejuſdem in Domini noſtri Jeſu Chriſti Nativitatum feſtivitatibus annis ſingulis integre perſolvendam, & per te quoad viveres, & poſtquam munus prædictum ſuſcepiſſes, una cum dicta eccleſia Acconen. quandiu illi præeſſes percipiendam, exigendam, & levandam auctoritate Apoſtolica prædicta reſervavit, conſtituit, & aſſignavit, decernens eoſdem Capitulum*

ad

ad integram ſolutionem penſionis hujuſmodi tibi faciendam juxta reſervationis &c. tenorem fore efficaciter obligatos, ac volens, & eadem auctoritate ſtatuens, quod ſi Capitulum præfati in eiſdem feſtivitatibus, vel ſaltem infra triginta dies illarum ſingulas immediate ſequentes penſionem hujuſmodi non perſolverent cum effectu, lapſis diebus eiſdem ſingulares perſonæ Capituli hujuſmodi ſententiam excommunicationis incurrerent, a qua donec tibi, vel eidem Procuratori de penſione hujuſmodi tunc debita integre ſatisfactum, aut alias tecum, vel cum dicto Procuratore tuo ſuper hoc amicabiliter concordatum foret, præterquam in mortis articulo conſtituti abſolutionis beneficium obtinere non poſſent, non obſtantibus conſtitutionibus &c. quodque tu Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſor exiſtis, contrariis quibuſcunque. Aut ſi Capitulo præfatis &c. ab Apoſtolica eſſet Sede indultum, quod ad præſtationem, vel ſolutionem penſionis alicujus minime teneretur &c. & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia &c. & de qua &c. habenda eſſet in eiſdem literis mentio ſpecialis. Ne autem de abſolutione, reſervatione, conſtitutione, aſſignatione, decreto, voluntate, & ſtatuto prædictis &c. valeat quomodolibet hæſitari &c. volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod abſolutio, reſervatio &c. ſuum ſortiantur effectum &c. prout ſuperius enarratur, quodque præſentes literæ ad probandum &c. ubique ſufficiant &c. Nulli ergo &c. noſtræ voluntatis, & decreti infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Tertio, Sexto Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo. ExArchivo Apoſtolico *Lib. IV fol.* 6.

F. Johannes Salernitanus, Epiſcopus Montisviridis, *Monteverde*, in Regno Neapolitano, tunc ſub Archiepiſcopo Compſano, nunc unitus Epiſcopatus ille cum Archiepiſcopatu Nazareno. Nec iſtum norunt *Fontana*, *Cavalerius &c.* De ipſo ſequentes Conſtitutiones. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Salernitano Electo Montis viridis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Bartholomæo Electo Montisviridis, regimini Eccleſiæ Montisviridis præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum dicti Bartholomæi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ, perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem in presbyteratus ordine conſtitutum, cui apud nos, de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, ac aliis multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem eccleſiæ de eorundem Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo &c. quocirca diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi onus regiminis, & adminiſtrationis ipſius eccleſiæ ſuſcipiens reverenter &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo tertio, Quinto decimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXII fol.* 291. In alia ſic legitur. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Salernitano Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori Electo Montiſviridi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Montiſviridis tunc certo modo Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica duximus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis, plenius continetur, nos ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus, duobus, vel tribus catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis, recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito Juramento, juxta formam præſentibus annotatam, munus prædictum auctoritate noſtra impendere, libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum prædicto Juramento, idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſumere præſumpſeritis dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe quam tu ab adminiſtratione, tam ſpiritualium, quam temporalium eccleſiarum veſtrarum, ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus quod formam hujuſmodi a te tunc præſtiti Juramenti, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Compſan. cui præfata eccleſia Metropolitico Jure ſubeſſe dignoſcitur nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem Juramenti quod præſtabis hæc eſt. Ego Johannes Electus Montiſviridis &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Tertio, Tertio decimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXII fol.* 292. Archiepiſcopo *Compſano*, Regi *Siciliæ*, Clero, Populoque Civitatis *Montiſviridis* commendavit ipſum Summus Pontifex. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Compſan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Hodie ſiquidem eccleſiæ Montiſviridis, tunc per obitum bonæ memoriæ Bartholomæi Electi Montiſviridis, extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona dilecti filii Johannis Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſoris Electi Montiſviridis nobis, & Fratribus noſtris, ob ſuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio apoſtolica auctoritate providimus, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem, ipſius eccleſiæ, ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius* con-

Anno 1503 Die 23 Decembris.

contiactur. Cum igitur, ut idem Johannes Electus in commiſſa ſibi prædictæ eccleſiæ cura facilius proficere valeat tuus favor noſcatur ſibi fore plurimum opportunus, Fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente per Apoſtolica ſcripta tibi mandantes, quatenus eundem Johannem Electum, & præfatam eccleſiam ſibi commiſſam, ſuffraganeam tuam habens pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia, propenſius commendatos, in ampliandis, & conſervandis Juribus ſuis ſic eos tui favoris auxilio proſequaris. quod ipſe Johannes Electus per tuæ auxilium gratiæ ſe poſſie in commiſſo ſibi ejuſdem eccleſiæ regimine utilius exercere, taque divinam miſericordiam, & noſtram, ac ejuſdem Sedis benevolentiam valeas exinde uberius promereri. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo tertio, Quinto decimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXII fol. 292. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Siciliæ Regi Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Gratiæ divinæ præmium, & humanæ laudis præconium acquiritur &c. Hodie ſiquidem eccleſiæ Montiſviridis, tunc per obitum bonæ memoriæ Bartholomæi Electi Montiſviridis extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona dilecti filii Johannis Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſoris Electi Montiſviridis nobis, & Fratribus noſtris, ob ſuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio apoſtolicæ auctoritate providimus, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum itaque fili cariſſime ſit virtutis opus Dei miniſtros benigno favore proſequi, ac eos verbis, & operibus pro Regis æterni gloria venerari Majeſtatem tuam Regiam rogamus, & hortamur attente quatenus eundem Johannem Electum, & eccleſiam prædictam ſuæ curæ commiſſam habens pro noſtra, & Apoſtolicæ ſedis reverentia propenſius commendatos ipſos benigni favoris auxilio proſequaris, ita quod idem Johannes Electus tuæ celſitudinis fultus præſidio in commiſſo ſibi curæ Paſtoralis officio poſſit Deo propitio proſperari, ac tibi a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Tertio, Quinto decimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXII fol. 292. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Clero Civitatis, & Diœceſis Montiſviridis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Hodie eccleſiæ Montiſviridis, tunc per obitum bonæ memoriæ Bartholomæi Electi Montiſviridis extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona dilecti filii Johannis Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſoris Electi Montiſviridis nobis, & Fratribus noſtris, ob ſuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio, apoſtolica auctoritate providimus, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. quocirca diſcretioni veſtræ &c. mandamus quatenus eidem Johanni Electo, tanquam Patri, & Paſtori animarum veſtrarum humiliter intendentes, ac exhibentes ſibi obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas, ejus ſalubria monita, & mandata ſuſcipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis, alioquin ſententiam quam idem Johannes electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Tertio, Quintodecimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico. *Lib. CCLXII fol. 292.*

Anno 1504 Die 1 Januarii. **F.** Petrus Lyetardi, Epiſcopus Chriſtopolitan., vulgo *Leondari*, & *Leontari*, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Corinthio. Is ipſe videtur *Petrus*, quem *Cavalerius Tomo I pag. 318 num. CCCXLVIII* vocat *Hedardo*, & ab *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 25 Indicis Epiſcoporum* dicitur *Hetarde*. Cognomento certe fuit *Lyecardi*. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Lyetardi electo Chriſtopolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Chriſtopolitan. regimini eccleſiæ Chriſtopolitan præſidente nos cupientes eidem eccleſiæ tum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum vero dicta eccleſia per obitum ejuſdem Johannis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ, perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum & Theologiæ profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, qui alias in Tullen., & aliis Civitatibus, & Diœceſibus officium Inquiſitoris hæreticæ pravitatis laudabiliter exercuiſti, religionis zelo conſpicuum, vitæ, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & temporalibus circumſpectum, aliiſque virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus multipliciter inſignitum direximus oculos noſtræ mentis. quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum exigentiam meritorum accepta, eidem eccleſiæ de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam accedas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Chriſtopolitan. Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Tertio* (Stylo Bullarum, æræ communis MDIV) *Quintodecimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXII fol. 155.* Aliud hujus tenoris eſt. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Lyetardi Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis circumſpecta benignitas ad ea libenter intendit per quæ perſonæ eccleſiaſticæ ad eccleſiarum præſertim Cathedralium regimina per eam aſſumendæ ſublatis impedimentis, quibuslibet poſſint illis puro corde, & ſin-*

Digitized by Google

& ſincera conſcientia præſidere. *Cum itaque nos hodie eccleſiæ Chriſtopolitan. certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio Apoſtolica auctoritate providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos ne ſi forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus exiſtas proviſio, & præfectio prædictæ poſſint propterea quomodolibet impediri, providere volentes, te a quibuſcunque excommunicationis &c. ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædictæ, ac ſingulæ literæ Apoſtolicæ deſuper conficiendæ ſuum ſortiantur effectum, harum ſerie abſolvimus, & abſolutum fore nunciamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, & nunciationis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Tertio* (Stylo Bullarum, æræ communis MDIV) *Kalendis Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXI fol.* 157, Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Epiſcopi Tullenſis. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Lyctardi Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori Electo Chriſtopolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam non indigne meretur, ut votis tuis quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Hodie ſiquidem eccleſiæ Chriſtopolitan. tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio per alias noſtras literas duximus auctoritate Apoſtolica providendum præficiendo te eidem eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem, volentes inter cetera, quod quamprimum literas ipſas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes, & reſideres perſonaliter apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Chriſtopolitan. Pontificalia officia exercere nequires, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, ad dictam eccleſiam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonæ tuæ periculo commode nequeas te conferre, & apud illam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi quod ad eccleſiam prædictam accedere, & apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque, poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, in Civitate, & Diœceſi Tullen. duntaxat dum per venerabilem Fratrem noſtrum Olricum modernum, & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Tullen. ad id requiſitus fueris, & de ejus licentia, Pontificalia officia hujuſmodi exercere libere, & licite valeas, voluntate prædicta, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. nequaquam obſtantibus, præfata auctoritate, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ voluntatis, & indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Tertio, Quintodecimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. IX fol.* 4.

F. Ludovicus de Logoria, ex Epiſcopo *Callienſi*, ut in præcedenti *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Lavellenſis, *Lavello*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXIX pag. 212. Ughellus in Epiſcopis Lavellen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag. 742 editionis II. Cavalerius Tomo I pag. 328 num. CCCLXXV.* Anno 1504.

F. Johannes Lampier, Nivellenſis, Epiſcopus Salubrienſis, in Thracia, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag. 343. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 28 Indicis Epiſcoporum, & pag. 68 col. 1.* Succeſſit *Michaeli* de quo dictum fuit in *Appendice ad Pontificatum Alexandri VI. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Nivella electo Salubrien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Michaele Epiſcopo Salubrien. regimini eccleſiæ Salubrien. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ejuſdem eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ &c. duximus reſervandam &c. poſtmodum verò dicta eccleſia per obitum ejuſdem Michaelis, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ejuſdem eccleſiæ celerem, & felicem &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem in Theologia licentiatum dilecti filii nobilis viri Philippi Archiducis Auſtriæ, & Ducis Burgundiæ Confeſſorem, & Conſiliarium, qui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis; quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam accedere &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Salubrien., Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quarto, Tertio Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXII fol. 203. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio* Johanni *Ordinis Fratrum Prædicatorum, profeſſori in Theologia licentiato electo Salubrien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam, non indigne meretur, ut votis tuis quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus, hodie ſiquidem eccleſiæ Salubrien. tunc certo modo, vacanti de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus, Apoſtolica auctoritate providendum præficiendo te eidem eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis in quibus voluimus, quod poſtquam literas ipſas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes,* Anno 1504 Die 30 Auguſti.

& per-

& perſonaliter apud illam reſideres, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Salubrien. pontificalia officia exercere nequires, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad præfatam eccleſiam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonæ tuæ periculo commode nequeas te conferre, & apud eandem perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, quod ad dictam eccleſiam accedere, & apud illam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis rite ſuſceperis, in quocunque loco, ubi tibi placuerit, etiam in præſentia dilecti filii nobilis viri Philippi Archiducis Auſtriæ, & Ducis Burgundiæ, cujus, ut etiam accepimus, Confeſſor, & Conſiliarius exiſtis, dummodo ordinariorum locorum ad hoc expreſſus accedat aſſenſus Pontificalia officia hujuſmodi exercere libere, & licite valeas, voluntate noſtra prædicta, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. nequaquam obſtantibus, prædicta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ voluntatis, & indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quarto, Tertio Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. V fol.* 8. Quod autem *Salubrienſis* Eccleſia, tunc, Epiſcopalis licet, Metropolitico jure ſubeſſet Patriarchæ *Conſtantinopolitano*, probatur ex hoc Diplomate. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Ordinis Fratrum Prædicatorum in Theologia licentiato electo Salubrien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Salubrien. Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica duximus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus, duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſliti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum, auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus, earundem præſentium tenore, facultatem. Volumus & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione, tam ſpiritualium, quam temporalium ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam juramenti a te tunc præſtiti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Patriarchæ Conſtantinopolitan. cui præfata eccleſia Metropolitico Jure ſubeſſe dignoſcitur nullum inpoſterum præjudicium generetur. Forma autem juramenti, quod præſtabis, hæc eſt. Ego Johannes Electus Salubrien. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, & Domino, noſtro Domino Julio PP. II, ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quarto Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. V fol.* 9.

Anno 1505 Die 6 Octobris,

F. Martinus de Lignano, de Bononia, Epiſcopus Geruntin., ſeu Cerentinen., vulgo *Carenza*, ſub Archiepiſcopo S. Severinæ, in Calabria. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXII pag.* 197, *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 318 *num. CCCXLIX.* In Archivo Ordinis habentur ſeptem Conſtitutiones hac de re datæ, quibus liquet, quod *Martinus* Epiſcopus renunciatus fuit anno *MDV*, non autem *MDVI*, uti docent auctores mox laudati. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Sanctæ Severinæ, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ad cumulum tuæ cedic ſalutis &c. Hodie ſiquidem eccleſiæ Geruntin. per obitum bonæ memoriæ Hieronymi Epiſcopi Geruntin. de cujus perſona olim dicta Eccleſia, tunc per obitum etiam bonæ memoriæ Hieronymi Epiſcopi Geruntin. extra Romanam Curiam defuncti vacanti, Apoſtolica auctoritate proviſum fuit, regiminis, & adminiſtrationis dictæ eccleſiæ poſſeſſione vel quaſi per eum non habita, extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona dilecti filii Martini Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſoris Electi Geruntin. nobis, & Fratribus noſtris, ob ſuorum exigentiam meritorum, accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica providimus, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum igitur, ut idem Electus in commiſſa dictæ eccleſiæ ſibi cura facilius proficere valeat, tuus favor ei noſcatur plurimum opportunus. Fraternitatem tuam rogamus attente, per Apoſtolica ſcripta tibi mandantes, quatenus eundem Electum, & commiſſam ſibi eccleſiam tuam ſuffraganeam habens pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia propenſius commendatos, in ampliandis, & conſervandis juribus ejuſdem eccleſiæ ſic eos tui favoris præſidio proſequaris, quod ipſe Electus per tuæ auxilium gratiæ ſe poſſit in commiſſo ſibi ejuſdem eccleſiæ regimine utilius exercere, tuque divinam miſericordiam, ac noſtram, & ejuſdem ſedis benevolentiam valeas exinde uberius promereri. Datum Corneti Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quinto Pridie Non. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XCIV fol.* 13. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Cariſſimo in Chriſto filio Ferdinando Aragoniæ, & Siciliæ Regi Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Gratia divinæ præmium, & humanæ laudis præconium acquiritur &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Geruntin. per obitum bonæ memoriæ Franciſci Electi Geruntin. de cujus perſona, olim dictæ eccleſiæ tunc per obitum etiam bonæ memoriæ Hieronymi Epiſcopi Geruntin. extra Romanam curiam defuncti vacanti Apoſtolica auctoritate proviſum fuit, regiminis, & adminiſtrationis dictæ eccleſiæ poſſeſſione, vel quaſi per eum non habita, extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris regimine deſtitutæ de perſona dilecti filii Martini Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſoris Electi Geruntin. nobis, & Fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum*

accep-

accepta de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica providimus, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum itaque, fili Cariſſime ſit virtutis opus, Dei Miniſtros benigno favore proſequi, ac eos verbis, & operibus pro Regis æterni gloria venerari, Majeſtatem tuam regiam rogamus, & hortamur attente, quatenus eundem electum, & eccleſiam prædictam ſuæ curæ commiſſam habens pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia propenſius commendatos, ipſos benigni favoris proſequaris auxilio, ita quod idem electus tuæ Celſitudinis fultus præſidio in commiſſo ſibi curæ Paſtoralis officio poſſit Deo propitio proſperari, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Corneti Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quinto pridie Non. Octobris Pontificatus noſtri Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. XCIV fol. 13. Alia quinque Diplomata, brevitatis gratia, prætermittuntur. Ipſis Martinus commendatur Capitulo, Clero, populo, ac Vaſſallis Eccleſiæ Geruntin., & abſolvitur a cenſuris, ut moris eſt. Aſſervantur in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico Lib XCIV fol. 9, 10, 11, & 12, & Lib. CCLXIV fol. 151.

Anno 1505.

F. Johannes Radzieiow, Epiſcopus Theodoſſenſis, vulgo Caffa, in Tartaria Minori. Dominicus Frydrycowicz in S. Hyacintho Poloniæ Patrono pag. 213. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXXIV pag. 307, ex Bzovio. Cavalerius Tomo I pag 317 num. CCCXLV. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Archiepiſcopi Gneſnenſis, ut iidem Scriptores docent. Addit Fontana quod Poloniæ Regi a confeſſionibus erat, ut habetur ex Regeſtis Magiſtri Generalis Thomæ de Vio Cajetani.

Anno 1505 Die 20 Decembris.

F. Johannes Enguerra, Valentinus, Epiſcopus Vicenſis, Vich, in Catalonia, ſub Archiepiſcopo Tarraconen. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit. DCXXXII pag. 322, ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 325 num. CCCLXVIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 26 Indicis Epiſcoporum. Emendandi tamen auctores iſti docentes anno duntaxat MDVI Epiſcopum renunciatum fuiſſe Johannem. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſori electo Vicen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Vicen., Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica duximus providendum præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis ſupplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus Catholicis Antiſtibus ſimilem gratiam, & communionem habentibus munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum, auctoritate noſtra impendere, libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam hujuſmodi a te tunc præſtiti juramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Terraconen., cui præfata eccleſia Metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem juramenti, quod præſtabis, hæc eſt. Ego Johannes electus Vicen. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, & Domino noſtro Domino Julio PP. II, ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quinto, Tertiodecimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXIII fol. 21. Aſſervantur in Archivo Ordinis aliæ quatuor Conſtitutiones hac de re datæ. Ipſis Johannes commendatur Ferdinando Regi Aragonum, Clero, Populo, ac Vaſſallis Eccleſiæ Vicenſis. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXIII fol. 20, & 21, Lib. CCXIII fol. 86, & Lib. III Anni III fol. 55. Addit Fontana, quod Johannes Inquiſitor Generalis fuit Aragoniæ, Navarræ, Valentiæ, ac Cataloniæ, & Ferdinando Regi a confeſſionibus erat. Variis aliis eccleſiis præfuit, ut in hac Appendice dicetur.

Anno 1506 Die 9 Martii.

F. Antonius de Avila, Epiſcopus Mothonen., vulgo Modon, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Corinthienſi. Hujus Epiſcopi mentio variis in Diplomatibus. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio de Avila electo Mothonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Andreæ Falconis Epiſcopi Mothonen. regimini eccleſiæ Mothonen. præſiden. nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ &c. reſervandum &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Andreæ Falconis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit Paſtoris regimine deſtituta, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne dicta eccleſia longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſorem, in Presbyteratus Ordine conſtitutum, cui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, fide digna perhibentur teſtimonia, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita

medi-

meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ eccleſiæ de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas, ad præfatam eccleſiam Mothonen. te transferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quinto (Stylo Bullarum, æræ communis MDVI) Septimo Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXV fol.124. In alia Conſtitutione ſic legitur. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio de Avila Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori Electo Mothonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam non indigne meretur, ut votis tuis quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Hodie ſiquidem eccleſiæ Mothonen. tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus auctoritate Apoſtolica providendum præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis, in quibus volumus, quod poſtquam literas ipſas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes, & reſideres perſonaliter apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Mothonen. Pontificalia officia nequires exercere, plenius continetur. Cum igitur, ſicut accepimus, tu ad præfatam eccleſiam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonali periculo commode nequeas te conferre, & apud eandem perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi quod ad eccleſiam præfatam accedere, & apud illam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque, poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, in Civitate Nicoſien., & illius Diœceſi duntaxat dummodo ad hoc Archiepiſcopi Nicoſien. pro tempore exiſtentis accedat aſſenſus, Pontificalia officia hujuſmodi exercere libere, & licite valeas, voluntate noſtra prædicta, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtri indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quinto (Stylo Bullarum, æræ communis MDVI) Septimo Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXV fol. 125. Sub Archiepiſcopo Corinthienſi, non autem ſub Patracenſi tunc erat Mothonenſis Sedes. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio de Avila Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori electo Mothonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Mothonen. Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Nos igitur ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum, auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam hujuſmodi a te tunc præſtiti juramenti, nobis de verbo ad verbum per tuos patentes literas tuo ſigillo ſignatas, per proprium nuncium quantocius deſtinare procures. quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Corinthien., cui præfata eccleſia metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur, forma autem juramenti, quod præſtabis, hæc eſt. Ego Antonius de Avila electus Mothonen. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, & Domino noſtro Domino Julio PP. II, ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quinto (Stylo Bullarum, æræ communis MDVI) Septimo Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCXV fol. 95. Alia duo Diplomata prætermitto, quibus annua penſio conſtituitur, Antonio noſtro ſolvenda ab Altobrandro, fortaſſis Aldobrando Archiepiſcopo Nicoſienſi. Aſſervantur in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico Lib. CCXV fol. 96, & Lib. CCLXV fol. 126. Ex his autem emendandi Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCIV pag 242, ubi ex Sampajo, Fernandez, & Luſitano docet anno duntaxat MDXX Epiſcopum renunciatum fuiſſe Antonium. Idem cenſet Cavalerius Tomo I pag. 362 num. LXXXI, ex Sonegio, Lopez, & Plodio. Alio errore laborant Lopez, Sampajus, & Plodius, quibus, uti notat Cavalerius, Eccleſia Mothonenſis Metropolis eſt.

Anno 1506 Die 24 Aprilis. F. Johannes Corona, Epiſcopus Arbunen., fortaſſis Arben., in ejuſdem nominis Inſula Dalmatiæ, ſub Archiepiſcopo Jadrenſi. Omittitur a Fontana, Cavalerio &c. Epiſcopus certe fuit, ut ex his Conſtitutionibus videre eſt. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſori electo Arbunen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis conſueta clementia, ne proviſiones, & aliæ diſpoſitiones per eam de Cathedralibus eccleſiis pro tempore factæ valeant quomodolibet impugnari, ſed perſonæ ad eas promotæ illis puro corde, & ſincera conſcientia præſidere poſſint

reme-

remedia, prout convenit, adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie eccleſiæ Arbunen. ad præſens Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos ne proviſio, & præfectio prædictæ, ſi forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus ſis valeant invalidæ reputari, providere volentes, te a quibuſvis excommunicationis &c. ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædictæ, ac ſingulæ literæ Apoſtolicæ ſuum ſortiantur effectum deſuper conficiendæ, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium abſolvimus, & abſolutum fore nunciamus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Sexto, Octavo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. I. I An. III fol.*349. In alio ſic legitur. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Corona electo Arbunen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Poſtmodum vero eccleſia Arbunen., ex eo quod dilectus filius Paulus electus Arbunen., poſtquam de perſona ſua præfatæ eccleſiæ per obitum bonæ memoriæ Angeli Epiſcopi Arbunen. apud Sedem prædictam defuncti Paſtoris ſolatio deſtitutæ, Apoſtolica auctoritate proviſum, ipſeque Paulus illi in Epiſcopum præfectus fuerit, literæ Apoſtolicæ ſuper proviſione, & præfectione hujuſmodi minime confectæ, regimini, & adminiſtrationi ejuſdem eccleſiæ in manibus noſtris libere ceſſit, noſque ceſſionem hujuſmodi admittentes &c. Paſtoris regimine deſtitutæ, nos cupientes ipſi eccleſiæ celerem. & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum in Sacerdotio conſtitutum, de religionis zelo, vitæ munditia, & morum honeſtate decorum, literarum ſcientia præditum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, multipliciter inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio eidem eccleſiæ. Apoſtolica auctoritate, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. cuque præter æterna &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas, ad præfatam eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Arbunen., Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Sexto, Octavo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXV fol.* 115.

F. Antonius de Furno, Gallice *du Four*, Aurelianenſis, Epiſcopus Maſſilienſis, *Marſeille*, in Gallo Provincia, ſub Archiepiſcopo Arelatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXII pag.* 230, *ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 320 *num. CCCLIX. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad an. MDVII pag.* 21. Emendandi tamen Scriptores iſti docentes anno duntaxat *MDVII* Epiſcopum renunciatum fuiſſe *Antonium*. Id anno *MDVI* contigit certe. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio de Furno Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſori electo Maſſilien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Maſſilien. Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus, duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum, auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus, earundem præſentium tenore, facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud recipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione, tam ſpiritualium, quam temporalium ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam juramenti, quod præſtabis nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo ſigillo ſignatas, per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Arelaten., cui præfata eccleſia Metropolitico Jure ſubeſſe dignoſcitur nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem juramenti, quod præſtabis, hæc eſt. Ego Antonius Electus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Sexto, Undecimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XIV fol.* 21. Idem liquet aliis Septem Conſtitutionibus, quarum una *Antonius* abſolvitur cenſuris eccleſiaſticis, uti moris eſt, ceteris commendatur Ludovico Galliarum Regi, Archiepiſcopo *Arelatenſi*, Clero, Populo, Vaſſallis, & Capitulo *Maſſilienſis* Eccleſiæ. Aſſervantur in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico *Lib. XIV fol.* 22, 23, & 24, ac *Lib. CCLXV fol.* 16.

Anno 1506 Die 22 Auguſti.

F. Albertus de Sochnezano, Epiſcopus Enenſis, ſeu Ænenſis, vulgo *Eno*, in Thracia, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. Is ipſe eſt quem *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXXVII pag.* 190, & *Cavalerius Tomo I pag.* 326 *num. CCCLXIX* vocant *Dominicum Albinienſem*, uti notat *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 30, *in Indice Epiſcoporum*. Ipſius mentio variis in Diplomatibus. *Julius Epiſcopus*, *Ser-*

Anno 1506 Die 23 Decembris.

Servus Servorum Dei, dilecto filio Alberto de Sochnezano electo Enen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Alberti Epiſcopi Enen. regimini eccleſiæ Enen. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ejuſdem eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum vero eccleſia ipſa per obitum ejuſdem Alberti Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Prædicatorum & Theologiæ profeſſorem in Sacerdotio, & ætate legitima conſtitutum, cui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio eidem eccleſiæ auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Enen., Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Sexto, decimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXI fol. 261.* Patriarchæ *Conſtantinopolitani* juris erat *Enenſis* Eccleſia. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Alberto Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori Electo Enen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Enen. &c. prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Nos igitur ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus, duobus, vel tribus catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, & eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito Juramento, juxta formam præſentibus annotatam, munus prædictum auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto Juramento, idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe quam tu ab adminiſtratione, tam ſpiritualium, quam temporalium eccleſiarum veſtrarum, ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus quod formam hujuſmodi a te tunc præſtiti Juramenti, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Patriarchæ Conſtantinopolitan. cui præfata eccleſia Metropolitico Jure ſubeſſe dignoſcitur nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem Juramenti quod præſtabis hæc eſt. Ego Albertus electus Enen. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, & Domino noſtro Domino Julio PP. II ſuiſque Succeſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Sexto, decimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* (Legendum Quarto.) Suffraganeus, ſeu Vicarius Epiſcopi *Poſuanienſis* fuit *Albertus. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Alberto Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori Electo Enen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Enen. tunc certo modo Paſtore carenti &c. volentes inter cetera, quod quamprimum literas deſuper haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes, & perſonaliter apud eam reſideres, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Enen. pontificalia officia exercere nequires, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad eccleſiam præfatam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonali periculo commode nequeas te conferre, & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favore proſequi gratioſo, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, quod ad eccleſiam ipſam accedere, & apud eam reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis. In Civitate, & Diœceſi Poſuanien. de conſenſu venerabilis Fratris noſtri moderni, & pro tempore exiſtentis Epiſcopi Poſuanien. Pontificalia officia hujuſmodi exercere libere, & licite valeas, voluntate prædicta, ac conſtitutionibus, &c. nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtri indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Sexto, decimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto* (Quarto). Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXXI fol. 47.*

Anno circiter 1506. F. Bartholomæus Stephanus, Epiſcopus Majoricenſis, in ejuſdem nominis Inſula, ſub Archiepiſcopo Valentino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXI pag. 223, ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag. 318 num. CCCL.*

Anno circiter 1506. F. Vincentius Mutinenſis, Epiſcopus Signien., *Segna*, in Illyrico, ſub Archiepiſcopo Spalatenſi, *Cavalerius Tomo I pag. 318 num. CCCXLVII, ex Seraphino Razzio, & Plodio.*

F. Yvo

Anno 1507 Die 29 Januarii.

F. Yvo Mayeno, Epiſcopus Redonenſis, Renes, in Britannia minori, ſub Archiepiſcopo Turonenſi. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXXIX pag. 278, en Gallia Chriſtiana, & Le Febvre. Cavalerius Tomo I pag. 365 num. LXXXVIII. Notandum, quod a Scriptoribus iſtis dicitur Mayeuc: Sed in ſeptem Conſtitutionibus, quibus Yvo commendatur Annæ Francorum Reginæ, & Britanniæ Duciſſæ, Archiepiſcopo Turonenſi, Capitulo, Clero, Populo, ac Vaſſallis Eccleſiæ Redonenſis, ac cenſuris, uti moris eſt, ſolvitur, Mayeno nuncupatur. Aſſervantur in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXI fol. 300, & 301. Ceteris prætermiſſis, unam ex illis ſeptem Conſtitutionibus tranſcribo. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Capitulo eccleſiæ Redonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Hodie eccleſiæ veſtræ Redonen., tunc certo modo Paſtore carenti de perſona dilecti filii Yvonis Mayeno Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſoris, ac cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Annæ Francorum Reginæ, & Britanniæ Duciſſæ Confeſſoris electi Redonen nobis, & Fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica providimus, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ Redonen. ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis, plenius continetur, quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eundem Yvonem electum, tanquam Patrem, & Paſtorem animarum veſtrarum grato admittentes honore, ac exhibentes eidem obedientiam, & reverentiam debitas, & devocas ejus ſalubria monita, & mandata ſuſcipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis, alioquin ſententiam, quam idem electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Sexto (Stylo Bullarum, æræ communis MDVII) Quarto Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXI fol. 300.

Anno 1507 Die 21 Maii.

F. Raymundus de Fabro, Epiſcopus Philadelphienſis, in Aſia ſub Parriarcha Antiocheno. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXIV pag. 263, ex Tiegio, Plodio, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag. 319 num. CCCLV, ex Actis Capituli Generalis anni MDVIII. Succeſſit cuidam Guillelmo. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Raymundo de Fabro Electo Philadelphien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Guillelmo Epiſcopo Philadelphien. regimini Eccleſiæ Philadelphien. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem dictæ eccleſiæ ordinationi, & diſpoſicioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum vero prædicta eccleſia per obitum dicti Guillelmi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ, perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem ordinem ipſum expreſſe profeſſum, de legitimo matrimonio procreatum, in Sacerdotio, & ætate legitima conſtitutum, cui apud nos, de religionis zelo, vitæ mundicia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ eccleſiæ de Fratrum eorundem conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad dictam eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Philadelphien. pontificalia officia exercere nequeas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo ſeptimo, Duodecimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXI fol. 49. Quod ſub Antiocheno Patriarcha ſit Philadelphienſis Eccleſia cui præfuit Raymundus, ex hoc Diplomate liquet. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Raymundo Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſori electo Philadelphien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Philadelphien., Paſtoris regimine deſtitutæ &c. nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum a te fidelitatis debitæ noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum, auctoritate noſtra impendere, libere, & licite tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & ordinamus, ac decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud recipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ille, quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam hujuſmodi a te tunc præſtiti juramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Patriarchæ Antiochien., cui præfata eccleſia Metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem juramenti, quod præſtabis, hæc eſt. Ego Raymundus electus &c. Sic me Deus adjuvet, &c. . Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Septimo, Decimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. XIII fol. 247. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Raymundus Epiſcopi Tarbienſis. Julius Epiſcopus, Servus Ser-

Servorum Dei, dilecto filio Raymundo, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori Electo Philadelphien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Philadelphien., tunc certo modo paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, duximus, auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis, in quibus voluimus, quod quam primum literas ipſas haberes expeditas ad dictam eccleſiam accederes, & perſonaliter apud illam reſideres, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Philadelphien. Pontificalia officia exercere nequires, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad dictam eccleſiam quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonali periculo commode nequeas, te conferre, & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum meritorum tuorum intuitu favoribus proſequi gratioſis tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati tibi, quod ad dictam eccleſiam accedere, & apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis in Civitate, & Diœceſi Tarvien (Tarbien.) *duntaxat dum per dilectum filium Thomam Electum, & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Tarvien. ad id requiſitus fueris de ſpeciali ipſius licentia pontificalia hujuſmodi officia exercere, libere, & licite valeas, voluntate prima, prædicta, ac aliis Conſtitutionibus &c. nequaquam obſtantibus, præfata auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus, Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Septimo, Duodecimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. Ex Archivo Apoſtolico. Eſt autem *Tarbienſis* Diœceſis in *Gallia Aquitanica*. Tres aliæ Conſtitutiones quibus *Raymundus* ſolvitur cenſuris eccleſiaſticis, & annua penſione donatur, aſſervantur in Archivo Ordinis, ex Archivo Apoſtolico *Lib. XIV fol. 248*, & *Lib. CCLXI fol. 51*.

Anno 1507 Die 4 Auguſti.

F. Ludovicus de Viterbio, Epiſcopus Signienſis, *Segni*, in Campania Romana, immediate ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcopis Signiis Tomo I Italiæ Sacræ pag. 1240 edit. Veneta. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DL pag. 296. Cavalerius Tomo I pag. 324 num. CCCLXVI*. Ex quatuor Conſtitutionibus hac de re datis unam tranſcribo. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Capitulo eccleſiæ Signen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Hodie eccleſiæ veſtræ Signen. ex tunc Paſtoris ſolatio deſtitutæ, quod nos nuper venerabilem Fratrem noſtrum Vincentium Epiſcopum Coronen. a vinculo, quo eidem eccleſiæ Signen., cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes ipſum ad eccleſiam Coronen. tunc vacantem tranſtulimus, de perſona dilecti filii Ludovici Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſoris electi Signen. nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepta de eorundem Fratrum conſilio dicta auctoritate providimus, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ Signen. ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis, plenius continetur, quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eundem Ludovicum electum, tanquam Patrem, & Paſtorem animarum veſtrarum grato admittentes honore, exhibentes ſibi obedientiam ſibi debitas, & devotas, ejus ſalubria monita & mandata ſuſcipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis, alioquin ſententiam, quam idem Ludovicus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Septimo, Pridie Non. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXI fol. 168*. Aliæ tres aſſervantur in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXI fol. 168*. Ipſis *Ludovicus*, qui de *Viterbio* vocatur, Clero, & Populo *Signien.* commendatur, & cenſuris eccleſiaſticis ſolvitur.

Anno circiter 1507.

F. Hieronymus Cama, Epiſcopus Scampenſis, *Scampi*, in Macedonia, ſub Archiepiſcopo Dyrrachino. *Cavalerius Tomo I pag. 318 num. CCCLI, Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXVII pag. 152, ex Plodio, & Fernandez*.

Anno circiter 1507.

F. Gabriel Luſardus, Genuenſis, Epiſcopus . . . . . in Corſica. *Cavalerius Tomo I pag. 319 num. CCCLII, ex monumentis Genuenſis Conventus S. Mariæ de Caſtello, & ex Plodio*.

Anno circiter 1507.

F. Franciſcus Ferrarienſis, Epiſcopus Comaclenſis, *Comacchio*, in Romandiola, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 319 num. CCCLIII, ex Chronicis, & ex Plodio*.

Anno 1508 Die 20 Februarii.

F. Antonius Brancatus, Epiſcopus Gravinenſis, in Apulia, ſub Archiepiſcopo Acheruntino. *Ughellus in Epiſcopis Gravinen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag. 121 editionis Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXXII pag. 199, ex Vallo. Cavalerius Tomo I pag. 330 num. II*. Huc ſpectat ſequens Conſtitutio. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio Ordinis Fratrum Prædicatorum electo Gravinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem Gravinen. eccleſiæ Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de eorundem Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, accitis, & in hoc ſibi aſſiſ-*

aſſiſtentibus duobus , vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam , & communionem habentibus munus conſecrationis recipere valeas , ac eidem Antiſliti , ut munus prædictum , auctoritate noſtra , impendere tibi poſſit plenam . & liberam concedimus facultatem . Volumus autem , quod idem Antiſtes , qui tibi prædictum munus impendet , a te noſtro , & Romanæ eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ ſolitum recipiat juramentum juxta formam præſentibus annotatam , ſtatuentes , & auctoritate prædicta decernentes , quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum prædicto juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere , & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis , dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio , & tam ipſe , quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium , quam temporalium eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo . Præterea volumus , quod formam hujuſmodi a te tunc præſtiti juramenti , nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas , per proprium nuncium quantocius deſtinare procures , quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Acherontin. , cui præfata eccleſia metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur , nullum in poſterum præjudicium generetur . Forma autem juramenti , quod præſtabis , hæc eſt . Ego Antonius electus Gravinen. ab hac hora in antea fidelis , & obediens ero Beato Petro , Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ , & Domino noſtro Domino Julio PP. II , ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet , & hæc Sancta Dei Evangelia . Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Septimo (Stylo Bullarum , æræ communis MDVIII) *Decimo Kal. Martii , Pontificatus noſtri Anno Quinto .* Ex Archivo Apoſtolico .

F. Bernardus de Meſa , Epiſcopus Trinopolitanus , fortaſſis Tripolitanus , *Tripoli di Soria* , Turcis *Tarapolo*, in Syria, ſub Antiocheno Patriarcha . Omittitur a *Fontana, Cavalerio &c. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei , dilecto filio Bernardo de Meſa electo Trinopolitan. , Salutem , & Apoſtolicam Benedictionem . Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Alfonſo Epiſcopo Trinopolitan. regimini eccleſiæ Trinopolitan. præſidente , nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi , & diſpoſitioni duximus &c. reſervandam &c poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum dicti Alfonſi Epiſcopi , qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem , & felicem &c. ne ipſa eccleſia longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem , quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem , & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem , demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum , & Theologiæ profeſſorem in Sacerdotio conſtitutum , cui apud nos de religionis zelo , vitæ munditia , honeſtate morum , ſpiritualium providentia , & temporalium circumſpectione , ac aliis multiplicium virtutum donis , fide digna teſtimonia perhibentur , direximus oculos noſtræ mentis , quibus omnibus debita meditatione penſatis , de perſona tua , nobis , & eiſdem Fratribus noſtris , ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta , de Fratrum eorundem conſilio , auctoritate Apoſtolica providemus , teque illi præficimus in Epiſcopum , & Paſtorem , curam , & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ , tibi in ſpiritualibus , & temporalibus , plenarie committendo , in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram , & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem , & gratiam exinde uberius conſequi merearis . Volumus autem quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas , ad præfatam eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem , & Diœceſim Pontificalia officia exercere nequeas . Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Septimo Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXVIII fol.* 145 . Quod Sedes iſta juris eſſet *Antiocheni* Patriarchæ liquet ex ſequenti Diplomate . *Julius Epiſcopus , Servus Servorum Dei , dilecto filio Bernardo Ordinis Fratrum Prædicatorum , & Theologiæ profeſſori electo Trinopolitan. , Salutem , & Apoſtolicam Benedictionem . Cum nos pridem eccleſiæ Trinopolitan. Paſtoris regimine deſtitutæ , de perſona tua nobis , & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta , de Fratrum eorundem conſilio duximus , auctoritate Apoſtolica providendum , te illi in Epiſcopum , & Paſtorem præficiendo , prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur , nos ad ea , quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes , tuis ſupplicationibus inclinati , tibi , ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam , & communionem Apoſtolicæ Sedis habente , accitis , & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus , vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam , & communionem habentibus munus conſecrationis recipere valeas , ac eidem Antiſtiti , ut recepto prius per eum noſtro , & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum , auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam , & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem . Volumus autem , & auctoritate prædicta ſtatuimus , & decernimus , quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere , & tu illud recipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio , & tam ipſe , quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium , quam temporalium eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo . Præterea volumus , quod formam a te tunc præſtiti juramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures , quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Patriarchæ Antiochen. , cui eadem eccleſia metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur , nullum in poſterum præjudicium generetur . Forma autem juramenti , quod præſtabis , hæc eſt . Ego Bernardus electus Trinopolitan. ab hac hora in antea fidelis , & obediens ero Beato Petro , Sanctæque Romanæ eccleſiæ , & Domino noſtro Domino Julio PP. II , ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet , & hæc Sancta Dei Evangelia . Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo , Quinto Idus Junii , Pontificatus noſtri Anno Quinto .* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXCV fol.* 10 . Suffraganeus , ſeu Vicarius Epiſcopi *Palentini* fuit *Bernardus* noſter . *Julius Epiſcopus , Servus Servorum Dei , dilecto filio Bernardo Ordinis Fratrum Prædicatorum , & Theologiæ Profeſſori Electo Trinopolitan. , Salutem , & Apoſtolicam Benedictionem . Sinceræ devotionis affectus , quem ad nos , & Romanam geris eccleſiam non indigne meretur , ut votis tuis quantum cum Deo poſſumus annuamus . Hodie ſiquidem eccleſiæ Trinopolitan. tunc certo modo Paſtoris regimine deſtitutæ , de perſona tua nobis , & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duximus auctoritate Apoſto-*

Anno 1508 Die 7 Junii.

Apoſtolica providendum præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis, in quibus voluimus, quod quamprimum literas ipſas haberes expeditas ad dictam eccleſiam accederes, & perſonaliter apud illam reſideres, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Trinopolitan. Pontificalia officia exercere nequires, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad dictam eccleſiam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonali periculo commode nequeas te conferre, & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum meritorum tuorum intuitu favore proſequi gratioſo, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi quod ad dictam eccleſiam reſidere minime tenearis, quodque, poſtquam munus conſecrationis rite ſuſceperis, in Civitate, & Diœceſi Palentin. duntaxat dum per venerabilem Fratrum noſtrum moderuum, & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Palentin., ad id requiſitus fueris, & de ſpeciali ejus licentia, Pontificalia officia hujuſmodi exercere libere, & licite valeas, voluntate priori prædicta, & quibuſvis aliis Apoſtolicis &c. quibuſcunque eadem auctoritate tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Septimo Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXVIII fol. 146. Duas alias Conſtitutiones hac de re datas prætermitto brevitatis gratia. Aſſervantur in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico Lib. CXCV fol. 11, & Lib. III Anni V fol. 243. Ad Eccleſiam Cubenſem translatus fuit Bernardus, ut poſtea dicetur,

Anno 1508 Die 5 Julii. F. Dominicus Garciæ, Epiſcopus Zappaten., ſeu Sapaten., & Sarden., ſub Archiepiſcopo Antibarenſi, in Illyrico. Omittunt Fontana, Cavalerius &c. Epiſcopus certe fuit. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico Garciæ, electo Zappaten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Petro Epiſcopo Zappaten., regimini Zappaten., & Sarden. eccleſiarum invicem, in perpetuo unitarum præſidente, nos cupientes eiſdem eccleſiis cum vacarent &c. proviſionem ipſarum eccleſiarum ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum vero eccleſiis prædictis per obitum ipſius Petri Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſarum eccleſiarum in partibus infidelium conſtitutarum pro parte, & in quibus complures Chriſtiani exiſtunt, celerem, & felicem &c. ne eccleſiæ ipſæ longæ vacationis exponantur incommodis &c. poſt deliberationem quam de præficiendo eiſdem eccleſiis, perſonam, utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem in Presbyteratus ordine, & ætate legitima conſtitutum, religionis zelo &c. direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica, eiſdem eccleſiis providemus teque illis præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam &c. plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Tertio Non. Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXX fol. 108. Clero, & Populo Zappaten., & Sarden. commendatus fuit. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Clero Civitatum, & Diœceſis Zappaten., & Sarden. invicem perpetuo unitarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Hodie Zappaten., & Sarden. eccleſiis invicem perpetuo unitis, tunc per obitum bonæ memoriæ Petri Epiſcopi Zappaten. extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris, regimine deſtitutis, de perſona dilecti filii Dominici Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſoris electi Zappaten. nobis, & Fratribus noſtris, ob ſuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio auctoritate Apoſtolica providimus, ipſumque illis præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem præfatarum eccleſiarum ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus eundem Dominicum Electum tanquam Patrem, & Paſtorem animarum veſtrarum grato admittentes honore, ac exhibentes ſibi obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas, ejus ſalubria monita, & mandata ſuſcipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis, alioquin ſententiam quam idem Dominicus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Tertio Non. Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico Lib CCLXX fol. 109. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Populo Civitatis, & Diœceſis Zappaten., & Sarden. invicem perpetuo unitarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Hodie Zappaten., & Sarden. eccleſiis invicem perpetuo unitis, tunc per obitum bonæ memoriæ Petri Epiſcopi Zappaten. extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris regimine deſtitutis, de perſona dilecti filii Dominici Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſoris Electi Zappaten, nobis, & Fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio auctoritate Apoſtolica providimus ipſumque illis præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem præfatarum eccleſiarum, ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, quocirca Univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attente, per Apoſtolica ſcripta vobis mandantes, quatenus eundem Dominicum Electum tanquam Patrem, & Paſtorem animarum veſtrarum grato admittentes honore, ac exhibentes ſibi obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas, ejus ſalubribus monitis, & mandatis humiliter intendatis ita quod ipſe in vobis devotos filios, & vos in eo per conſequens Patrem inveniſſe benevolum gaudeatis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Tertio Non. Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. XIV fol. 96,

Anno 1508 Die 18 Auguſti, F. Ludovicus Andebien., Epiſcopus Gebeldenſis, ſeu Gybeletenſis, & Byblienſis, vulgo Gibel &c. in Phœnicia, ſub Antiocheno Patriarcha. Omittitur a Fontana, Cavalerio &c. Julius Epiſcopus, Servus Servo-

Servorum Dei, dilectæ filia Ludovico Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Electo Gebelden.; Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Gebelden. Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de eorundem Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, nos igitur ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum, noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum, auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam juramenti hujuſmodi a te tunc præſtiti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo N., cui præfata eccleſia metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem juramenti, quod præſtabis, hæc eſt. Ego Ludovicus electus Gebelden. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, & Domino noſtro Domino Julio PP. II, ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Quintodecimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXVII fol.* 15. Succeſſit cuidam *Johanni. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Ludovico Andebien. electo Gebelden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Gebelden. regimini eccleſiæ Gebelden. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ejuſdem eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam, decernentes &c. attentari. Poſtmodum vero eccleſia prædicta per obitum ejuſdem Johannis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficienda eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſorem in Presbyteratus ordine, & ætate legitima conſtitum, cui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illa qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis præmium &c. noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim, Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Decima ſeptimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro CCLXVII fol* 14. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Ludovico Andebien. Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis benignitas conſueta de ſtatu perſonarum quarumlibet præſertim in cathedralium eccleſiarum regimina aſſumendarum ſolicite recogitans ad ea libenter intendit per quæ perſonæ ipſæ eccleſiis ſibi committendis ſincero corde, & pura conſcientia valeant ſalubriter præſidere. Cum itaque nos hodie eccleſiæ Gebelden. certo modo Paſtoris ſolatia deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio auctoritate Apoſtolica providere teque illi præficere in Epiſcopum, & Paſtorem intendamus, nos, ne proviſio, & præfectio prædictæ ſi forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus exiſtis valeant propterea invalidæ reputari providere volentes, teque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædictæ, ac ſingulæ literæ Apoſtolicæ deſuper conficiendæ ſuum plenum conſequantur effectum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium abſolvimus, & abſolutum fore nunciamus, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ eccleſiæ &c. cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, & nunciationis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Decimo ſeptimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Suffraganeus, ſeu Vicarius ſuit Epiſcopi *Morinenſis. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Ludovico Ordinis Fratrum Prædicatorum Electo Gebelden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Gebelden. tunc Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio duximus auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, volentes inter cetera quod quam primum literas ipſas ſuper proviſione, & præfectione hujuſmodi haberes expeditas, ad præfatam eccleſiam te conferres, & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim pontificalia officia exercere nequires prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad eccleſiam præfatam quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonali incommodo nequeas te conferre, & apud eam perſonaliter reſidere nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi quod ad præfatam eccleſiam accedere, ſeu apud eam reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, in*

Ci-

Civitate, & Diœceſi Morinen. duntaxat de conſenſu, & expreſſa licentia dilecti filii noſtri Philippi tit. Sanctorum Petri, & Marcellini Presbyteri Cardinalis, qui eccleſiæ Morinen. ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica præeſſe dignoſcitur, & Epiſcopi Morinen. pro tempore exiſtentis, ſi ad hoc requiſitus fueris, pontificalia officia exercere, libere, & licite valeas, voluntate prædicta, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. nequaquam obſtantibus prædicta auctoritate tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ indulgemus: Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Decimo Septimo Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico,

Anno 1508 Die 22 Decembris.

F. Eugenius Ophlannagom, Epiſcopus Achadenſis, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Tuamenſi. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio &c.* qui meminerunt alterius ejuſdem nominis Fratris *Hag uli* ſcilicet *o Hairt*, quem *Pius IV* renunciavit *Achadenſem* Epiſcopum, ut in *Appendice* ad ipſius *Pii* Pontificatum dicetur. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Eugenio Ophlannagom electo Achaden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Thoma Epiſcopo Achaden. regimini eccleſiæ Achaden. præſidente, nos cupientes ipſi eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ejuſdem eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtris duximus &c. reſervandam &c poſtmodum vero dicta eccleſia per obitum dicti Thomæ Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta &c. celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, ac in Theologia Baccalaureum, in Sacerdotio, & ætate legitima conſtitutum, cui apud nos de religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, ac aliis multiplicium virtutum donis, fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & dictæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Undecimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib CCLXX fol. 277*. In alio ſic legitur. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Eugenio Ophlannagom Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſori, & in Theologia Baccalaureo, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis conſueta clementia ad ea libenter intendit, per quæ perſonæ eccleſiaſticæ per eam ad Cathedralium eccleſiarum regimina aſſumendæ poſſint illis ſublatis obſtaculis univerſis, puro corde, & ſincera conſcientia præſidere. Cum itaque nos hodie eccleſiæ Achaden., tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos ne ſi forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus exiſtas, proviſio, & præfectio prædicta poſſint propterea quomodolibet impugnari providere volentes, te a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis &c. ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædicta, ac ſingulæ litteræ Apoſtolicæ, deſuper conficiendæ, ſuum conſequantur effectum, harumſerie abſolvimus, & abſolutum fore nunciamus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis &c. infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Undecimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXX fol. 278*. Aliud hujus tenoris eſt. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Eugenio Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in Theologia Baccalaureo electo Achaden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Achaden., tunc certo modo Paſtoris regimine deſtitutæ &c. prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum, auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam juramenti hujuſmodi a te tunc præſtiti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Tuamen., cui præfata eccleſia metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem juramenti, quod præſtabis, hæc eſt. Ego Eugenius electus Achaden. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, & Domino noſtro Domino Julio PP. II, ac ejus ſucceſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Nono Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XII fol. 81*. Aliis Diplomatibus commendatur Henrico Regi *Angliæ*, Capitulo, & Populo *Achadenſis* Eccleſiæ. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Chariſſimo in Chriſto filio Henrico Angliæ Regi Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Hodie ſiquidem eccleſiæ Achaden. tunc per obitum bonæ memoriæ Thomæ Epiſcopi Achaden. extra Romanam*

Curiam

Curiam defuncti Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona dilecti filii Eugenii Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in Theologia Baccalaurei electi Achaden. nobis, & Fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio Apoſtolica auctoritate providimus, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis, plenius continetur. Cum itaque fili cariſſime ſit virtutis opus Dei Miniſtros benigno favore proſequi, ac eos verbis, & operibus pro Regis æterni gloria venerari, ſerenitatem veſtram Regiam rogamus, & hortamur attente, quatenus eundem Eugenium electum, & præfatam eccleſiam ſuæ curæ commiſſam habens pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia propenſius commendatos in ampliandis, & conſervandis juribus ſuis ſic eos benigni favoris auxilio proſequaris, ut idem Eugenius electus tuæ celſitudinis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Undecimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXX fol.* 278. Alia duo brevitatis gratia prætermitto. Aſſervantur in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico *Libro CCLXX fol.* 278. Ceterum ex his emendandus *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 29 *indicis Epiſcoporum* ubi *Eugenium* noſtrum præficit Eccleſiæ *Ardacenſi*, in *Hibernia*, ſub *Armachana* Metropoli.

F. Antonius a Penna, Hiſpanus, Epiſcopus Canarienſis, in ejuſdem nominis Inſula, ſub Archiepiſcopo Hiſpalenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXIX pag.* 152, *ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 332 *num. VIII.* — Anno circiter 1508.

F. Auſias Carbonel, Epiſcopus Chriſtopolitanus, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Corinthio: *Diago in Hiſtoria Provinciæ Aragoniæ Cap. LXXIV pag.* 222. *Cavalerius* vero *Tomo I pag* 349 *num. LIV*, & *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXXI pag.* 198, ex *Fernandez* ipſum vocant Epiſcopum *Gratienſem*, & in hoc emendandi. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Auſiæ Carbonel electo Chriſtopolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Matthæo Epiſcopo Chriſtopolitan., regimini Chriſtopolitan. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Matthæi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi eccleſiæ, perſonam, utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Magiſtrum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Nono, Sexto decimo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXCII fol.* 143. — Anno 1509 Die 16 Aprilis.

F. Hermanus Nigenbroch, Epiſcodus Lydien., ſeu Lydden., vulgo *S. George de Lidde*, in Palæſtina, ſub Jeroſolymitano Patriarcha. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio &c.* De ipſo varia Diplomata loquuntur. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hermano Nigenbroch Electo Lydien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Sane eccleſia Lydien. certo modo vacante, nos verum & ultimum vacationis modum dictæ eccleſiæ, etſi ex illo quævis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa reſultet, præſentibus pro expreſſo habentes, & ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem, & felicem, ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ, perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, ac Theologiæ Profeſſorem, in Sacerdotio, & ætate legitima conſtitutum, cui apud nos, de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorundem Fratrum conſilio Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æterna &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te conferas &c. quodque extra Civitatem, & Diœceſim Lydien pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Nono, Septimo Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXX fol.* 189. In alio ſic legitur. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hermano Ordinis Fratrum Prædicatorum electo Lydien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Lydien., tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate duximus providendum præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur,* — Anno 1509 Die 2 Novembris.

nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum, Apoſtolica auctoritate impendere, libere tibi poſſit, plenam, & liberam earundem præſentium tenore concedimus facultatem. Volumus autem, & eadem auctoritate decernimus, ac ſtatuimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento idem Antiſtes munus prædictum tibi impendere, tuque illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione ſpiritualium, & temporalium eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam hujuſmodi a te tunc præſtiti juramenti hujuſmodi de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Patriarchæ Jeroſolymitan., cui dicta eccleſia Lydien. Metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem juramenti, quod præſtabis, hæc eſt. Ego Hermanus electus Lydien. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero &c. Sic me Deus adjuvet &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Nono. Quarto Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XI fol. 209.* Cognomento *Nigenbroch* eſt in hoc alio Diplomate. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hermano Nigenbroch Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis circumſpecta benignitas ad ea libenter intendit per quæ perſonæ eccleſiaſticæ ad eccleſiarum præſertim Cathedralium regimina per eam aſſumendæ poſſint illis puro corde, & ſincera conſcientia præſidere. Cum itaque nos hodie eccleſiæ Lydien. ad præſens certo modo Paſtore carenti, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos ne proviſio, & præfectio prædictæ, ſi forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus exiſtis, poſſint, propterea quomodolibet impugnari, providere volentes, teque a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis &c. ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædictæ, necnon ſingulæ literæ Apoſtolicæ deſuper conficiendæ, ſuum conſequantur effectum, harum ſerie abſolvimus, & abſolutum fore nunciamus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, & nunciationis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Nono, Septimo Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXX fol. 190.* Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Epiſcopi *Dierden.*, ſeu *Tirnavien.*, aliis *Tyrnanien.*, vulgo *Dyrne*, in *Hungaria*, ſub Archiepiſcopo *Strigonienſi*, qui *Tirnaviæ* ſedet. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hermano electo Lydien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam non indigne meretur, ut votis tuis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hodie ſiquidem eccleſiæ Lydien., tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio per alias noſtras literas duximus, Apoſtolica auctoritate, providendum præficiendo te eidem eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem, ac voluimus inter cetera, quod quamprimum literas ipſas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam accederes, & perſonaliter apud illam reſideres, quodque extra Civitatem, & Diœceſim Lydien. Pontificalia officia exercere nequires, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad præfatam eccleſiam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonali periculo commode nequeas te conferre, & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi quod ad eccleſiam prædictam accedere, & apud illam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque, poſtquam munus conſecrationis rite ſuſceperis, in Civitate, & Diœceſi Dierden. de dilecti filii Chriſtophori ex Ducibus Brunſwicen. ejuſdem eccleſiæ Dierden. perpetui adminiſtratoris, auctoritate Apoſtolica ſpecialiter deputati, & pro tempore exiſtentium Epiſcoporum Dierden. ſpeciali licentia, Pontificalia officia exercere libere, & licite valeas, voluntate prædicta, & quod Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſor exiſtis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Nono, Septimo Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXX fol. 190.*

Anno 1509 Die 7 Novembris,

F. Dionyſius Mori, Epiſcopus Clonferten., *Clonefert*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Tuamenſi. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio &c.* Hinc tranſcribenda Diplomata quæ ſequuntur. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dionyſio Mori electo Clonferten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ David Epiſcopo Clonferten. &c. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum David Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtitutæ nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ejuſdem eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem Baccalaureum in Theologia, in Sacerdotio conſtitutum, cui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem dictæ eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c.*

Ju-

Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo nono, Septimo Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXXI fol. 72. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dionyſio Ordinis Fratrum Prædicatorum Baccalaureo in Theologia, Electo Clonferten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Clonferten. Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Nos igitur ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus, duobus, vel tribus catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito Juramento, juxta formam præſentibus annotatam, munus prædictum auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Antiſtitem dicto Juramento, idem Antiſtes munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe quam tu ab adminiſtratione, tam temporalium quam ſpiritualium, eccleſiarum veſtrarum, ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus quod formam Juramenti hujuſmodi a te tunc præſtiti, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Tuamen. cui præfata eccleſia Metropolitico Jure ſubeſſe dignoſcitur nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem Juramenti quod præſtabis hæc eſt. Ego Dionyſius electus Clonferten. ab hac hora in antea &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo nono, Septimo idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCIII fol. 122. Henrico Angliæ Regi, quem amanuenſis vocat Humbertum, Julius commendat Dionyſium. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Humberto (Henrico) Angliæ Regi Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Gratiæ divinæ præmium, & humanæ laudis præconium acquiritur &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Clonferten., tunc per obitum bonæ memoriæ David olim Epiſcopi Clonferten. extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris ſolatio, deſtitutæ de perſona dilecti filii Dionyſii Ordinis Fratrum Prædicatorum in Theologia Baccalaurei, Electi Clonferten., nobls, & Fratribus noſtris, ob ſuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica, providimus, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie, committendo. Cum itaque, fili cariſſime, ſit virtutis opus Dei Miniſtros benigno favore proſequi, ac eos verbis, & operibus pro Regis æterni gloria venerari, Majeſtatem tuam Regiam rogamus, & hortamur attente quatenus eundem Dionyſium Electum, & Eccleſiam prædictam ſuæ curæ commiſſam habens pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia, propenſius commendatos ipſos benigni favoris præſidio proſequaris. Ita quod idem Dionyſius Electus tuæ celſitudinis fultus præſidio in commiſſo ſibi curæ paſtoralis officio poſſit Deo propitio proſperari, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo nono, Septimo Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCIII fol. 123. Alias quinque Conſtitutiones, quibus idem Dionyſius commendatur Archiepiſcopo Tuamenſi, Capitulo, Populo, & Vaſſallis Eccleſiæ Clonfertenſis, & cenſuris, uti moris eſt, ſolvitur, prætermitto. Aſſervantur in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico Lib. CCXX fol. 96, & 97, Lib. CCLXXI fol. 73, & Lib. CCIII fol. 123.

F. Johannes Geneva Gibellenſis, alumnus Cœnobii Lingonienſis, & ex eadem Civitate oriundus, Anno circi-
Epiſcopus Ebronenſis, in Palæſtina, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ter 1510.
pag. 25 Indicis Epiſcoporum ex actis Lingonienſis Conventus. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Lingonienſis Epiſcopi.

F. Thomas Siculus, Epiſcopus Minorenſis, Minori, ſub Archiepiſcopo Amalphitano, in Regno Nea- Anno 1510
politano. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXC pag. 236, ex Ughello. Cavalerius To- Die 30 Sep-
mo I pag. 341 num. XXXIV. Emendandi tamen Sceiptores iſti docentes Thomam anno duntaxat MDXII tembris,
Epiſcopum renunciatum fuiſſe, quod enim hoc anno MDX Epiſcopus creatus fuerit, evincitur novem Diplomatibus hac de re datis. Aſſervantur in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico Lib. CCIV fol. 3, 4, 5, & 6, ac Lib. CCLXXI fol. 72, & 174, ex quibus hæc duo tranſcribo. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomæ electo Minoren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Ambroſio Epiſcopo Minoren. regimini eccleſiæ Minoren. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ dum vacaret &c. proviſionem ejuſdem eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. Poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Ambroſii Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ejuſdem eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne ipſa eccleſia longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſorem in Presbyteratus ordine conſtitutum, cui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona

tua, Nobis & eiſdem Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta dictæ eccleſiæ de eorundem Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem dictæ eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. cuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Decimo, Pridie Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Ex Archivo Apoſtolico Libro CCLXXI fol 72. In alio ſic legitur. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomæ Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori, Electo Minoren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Minoren. Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, nos igitur ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum, noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum, auctoritate noſtra impendere libere, & licite poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam a te tunc præſtiti juramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Amalfiten., cui præfata eccleſia metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem juramenti, quod præſtabis, hæc eſt. Ego Thomas electus Minoren. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, & Domino noſtro Domino Julio PP. II, ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Decimo, Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCIV fol. 3. Ceteris commendatur Ferdinando Regi Siciliæ, Archiepiſcopo Amalphitano, Capitulo, Clero, Populo, ac Vaſſallis Eccleſiæ Minorenſis, &, ut moris eſt, ſolvitur cenſuris eccleſiaſticis. In illo vocatur Thomas Cecilia. Legendum Thomas e Sicilia.

Anno 1510. F. Johannes Enguerra, ex Epiſcopo Vicenſi, ut in hac Appendice dictum fuit, Epiſcopus Ilerdenſis, Lerida, in Catalonia, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXCVII pag. 205, ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius, aliique ſupra laudati. Ad Epiſcopatum Dertuſenſem tranſlatus fuit, ut mox dicetur.

Anno 1511 Die 8 Octobris. F. Eduardus Nuñez, Epiſcopus Dunnen., fortaſſis Dumnen., vulgo Dunno, aliis Denna, Damna, & Damnio, vel Danen., vulgo Dagno, in Dalmatia, ſub Antibarenſi Archiepiſcopo. Omittitur a Fontana, Cavalerio &c. Diſtinguendus enim videtur ab Eduardo Nuñez Epiſcopo Laodiceno, de quo dictum fuit in Appendice ad Pontificatum Alexandri VI. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Eduardo Nuñez Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori Magiſtro in Theologia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis conſueta benignitas ad ea libenter intendit, per quæ perſonæ eccleſiaſticæ præſertim ad cathedralium eccleſiarum regimina per eam aſſumendæ, quas omni macula carere decet, poſſint illis puro corde, & ſincera conſcientia præſidere. Cum itaque nos hodie de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta eccleſiæ Dunnen. Paſtoris ad præſens certo modo regimine deſtitutæ, de Fratrum eorundem conſilio Apoſtolica auctoritate providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos, ut ſi forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus ſis, proviſio, & præfectio prædictæ valeant propterea quomodolibet impugnari providere volentes, te a quibuſcunque excommunicationis &c. ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædictæ, ac ſingulæ literæ Apoſtolicæ deſuper conficiendæ ſuum ſortiantur effectum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore nunciantes, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Undecimo, Octavo Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Octavo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXVIII fol. 100. Quod autem Dunnenſis hæc Sedes non ſit Dunenſis Hiberniæ, liquet ex hac altera Conſtitutione. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Eduardo electo Dunnen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Vito Epiſcopo Dunnen. regimini eccleſiæ Dunnen. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ, quæ licet in partibus infidelium conſtituta exiſtat tamen ibi, quamplures Chriſtiani Chriſti fidem colentes inhabitant, cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtris duximus &c. reſervandam &c poſtmodum vero dicta eccleſia per obitum Viti, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne ipſa eccleſia longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem Magiſtrum in Theologia, & in Preſbyteratus ordine conſtitutum, religionis zelo conſpicuum, vitæ, ac morum honeſtate, decorum, in ſpiritualibus providum, & temporalibus circumſpectum, aliiſque virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus mul-

multipliciter inſignitum, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorumdem conſilio, Apoſtolica auctoritate, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & dictæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Undecimo, Octavo Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Octavo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXVIII fol. 99.

F. Bartholomæus, Epiſcopus Hipponenſis, in Africa. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXCI pag. 203, ex Regeſtis Magiſtri Generalis Cajetani fol. 124 an. 1511. Cavalerius Tomo I pag. 322 num. CCCLXIV. Anno circiter 1511.

F. Johannes Vich, Epiſcopus Acerranus, Cerra, in Regno Neapolitano, ſub Neapolitana Metropoli. Anno 1512 Die 23 Julii. Omittitur a Fontana, Cavalerio &c. Ughellus autem Johannis quidem meminit in Epiſcopis Acerranis, ſed ſilet, quod Ordinis Prædicatorum alumnus fuerit. Fuit certe, uti novem Conſtitutionibus hac de re datis evinci poteſt. Aſſervantur in Archivo Ordinis, ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXVIII fol. 191, 192, & 193. Ceteris prætermiſſis tres iſtas tranſcribo. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Vich Electo Acerrarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Vincentio Epiſcopo Acerrarum regimini Eccleſiæ Acerrarum præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum dicti Vincentii Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ejuſdem eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum & Theologiæ Profeſſorem in Sacerdotio conſtitutum, religionis zelo, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & temporalibus circumſpectum, aliiſque virtutum donis multipliciter inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, dictæ eccleſiæ de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis præmium &c. noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Duodecimo, Decimo Kal. Auguſti Pontificatus noſtri Anno Nono. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXVIII fol. 191. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Ferdinando Siciliæ Regi Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Gratiæ divinæ præmium, & humanæ laudis præconium &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Acerrarum tunc per obitum bonæ memoriæ Vincentii Epiſcopi Acerrarum extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona dilecti filii Johannis Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſoris Electi Acerrarum nobis, & Fratribus noſtris, ob ſuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio auctoritate Apoſtolica providimus, ipſumque illi præfecimus, in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum itaque, fili cariſſime, ſit virtutis opus Dei Miniſtros benigno favore proſequi, & eos verbis, & operibus pro Regis æterni gloria venerari ſerenitatem tuam Regiam rogamus, & hortamur attente quatenus eundem Johannem electum, & præfatam eccleſiam ſuæ curæ commiſſam habens pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia propenſius commendatos in ampliandis, & conſervandis juribus ſuis ſic eos benigni favoris auxilio proſequaris quod idem Johannes Electus tuæ Celſitudinis fultus præſidio in commiſſo ſibi curæ Paſtoralis officio poſſit Deo propitio proſperari, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Duodecimo, Decimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Nono. Ex Archivo Apoſtolico Lib. CCLXVIII fol. 192. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Neapolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ad cumulum tuæ cedit ſalutis &c. hodie ſiquidem eccleſiæ Acerrarum, tunc per obitum bonæ memoriæ Vincentii Epiſcopi Acerrarum extra Romanam curiam defuncti Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona dilecti filii Johannis Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſoris Electi Acerrarum nobis, & Fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio auctoritate Apoſtolica providimus, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum igitur, ut idem Johannes Electus in commiſſa ſibi dictæ eccleſiæ cura poſſit facilius proficere, favor tuus noſcatur fore plurimum opportunus, fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus eundem Johannem Electum, & eccleſiam prædictam ſibi commiſſam ſuffraganeam tuam habens pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia propenſius commendatos in ampliandis, & conſervandis Juribus ejuſdem eccleſiæ ſic eos tui favoris præſidio proſequaris quod ipſe Johannes Electus per tuæ auxilium gratiæ ſe poſſit in commiſſo ſibi ejuſdem eccleſiæ regimine utilius exercere, tuque divinam miſericordiam, & noſtram, & ejuſdem Sedis benevolentiam valeas exinde uberius promereri. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Duodecimo, Decimo Kal. Auguſti

Pon-

Digitized by Google

Pontificatus noſtri Anno Nono. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXVIII fol.* 192. Aliis ſex Conſtitutionibus *Johannes* commendatur Capitulo, Clero, Populo, ac Vaſſallis Eccleſiæ *Acerarum*, & cenſuris eccleſiaſticis ſolvitur.

Anno 1512 Die 30 Julii.

F. Chriſtophorus Radelenes, Epiſcopus Conſtantinen., *Conſtantina*, in Africa, ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio &c.* Quod Epiſcopus fuerit, liquet ex ſequentibus Diplomatibus. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Criſtophoro electo Conſtantinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam non indigne meretur, ut votis tuis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. hodie ſiquidem eccleſiæ Conſtantinen. tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio duximus, auctoriate Apoſtolica providendum præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem volentes inter cetera, quod quamprimum literas Apoſtolicas ſuper proviſione, & præfectione hujuſmodi haberes expeditas ad præfatam eccleſiam te conferres, & perſonaliter reſideres apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim pontificalia officia exercere nequires, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu ad præfatam eccleſiam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque perſonali periculo commode nequeas te conferre, & apud eam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favore proſequi gratioſo, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati tibi, qui Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſor exiſtis, quod ad eccleſiam prædictam accedere, & apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis. In Civitate, & Diœceſi Bremen. duntaxat dum per illius Diœceſanum ad id requiſitus fueris, & de ſpeciali ipſius licentia Pontificalia officia hujuſmodi exercere libere, & licite valeas, voluntate noſtra prædicta, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtri indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Duodecimo, Tertio Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Nono*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXVIII fol.* 311. Alumnus *Lubicenſis* Cœnobii fuit Chriſtophorus. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Criſtophoro Radelenes electo Conſtantinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Sane eccleſia Conſtantinen. certo modo Paſtoris regimine deſtitutæ, nos verum, & ultimum vacationis modum dictæ eccleſiæ, etiam ſi ex illo quævis generalis reſervatio etiam in corpore juris clauſa reſultet, præſentibus pro expreſſo habentes, & ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem, & felicem, ne longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te domus Lubicen. Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſorem, ac in presbyteratus ordine conſtitutum, religionis zelo conſpicuum literarum ſcientia præditum, vitæ, ac morum honeſtate, decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, ut fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ejuſdem eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Conſtantinen. Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Duodecimo, Tertio Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Nono*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXVIII fol.* 310. Quod autem *Conſtantinenſis* hæc Sedes ſit in *Africa* ſub Metropoli *Carthaginenſi*, liquet ex ſequenti Conſtitutione. *Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Criſtophoro Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſori electo Conſtantinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Conſtantinen. tunc certo modo Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus, duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum, auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus, earundem præſentium tenore, facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum prædicto juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, idem Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione, tam ſpiritualium, quam temporalium ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam hujuſmodi a te tunc præſtiti juramenti, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo ſigillo ſignatas, per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Carthaginen., cui præfata eccleſia Metropolitico Jure ſubeſſe dignoſcitur nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem juramenti, quod præſtabis, hæc eſt. Ego Criſtophorus Electus Conſtantinen. ab hac hora in antea &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Duodecimo, Pridie Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Nono*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXVIII fol.* 312. Tres alias Conſtitutiones hac de re datas prætermitto. Duabus *Chriſtophoro* conſtituitur annua penſio ex redditibus Eccle-

Eccleſiæ *Bremenſis*, tertia ſolvitur cenſuris eccleſiaſticis, uti moris eſt. Aſſervantur in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCLXVIII fol.* 312, 313, & 315.

F. Johannes Enguerra, ex Epiſcopo *Ilerdenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Dertuſanus, *Tortoſa*, in Catalonia, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXX pag*, 185, *ex Fernandez*, *& Plodio*. *Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Anno 1512.

F. Auguſtinus Nalius, ſeu Natalis, ut in ejuſdem operibus legitur, Alumnus Raguſini Cœnobii, Epiſcopus Mercanenſis, & Tribunenſis, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Raguſino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXX pag.* 234, *& Tit. DXCVIII pag.* 312, *ex Plodio*, *Razzio*, *& Gozzeo*. *Cavalerius Tomo I pag.* 342 *num. XXXVIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad an. MDXXVII pag.* 67. Anno 1512.

LEO X,

(a) *Panvinius in Leone X.* (b) *Idem & Paris de Graſſis in Diario.* (c) *Panvinius.*

Antea Johannes de Medices, patria Florentinus, electus (*a*) eſt Die XI Martii MDXIII. Coronatus (*b*) fuit Die XIX ejuſdem Menſis. Obiit (*c*) Die II Decembris MDXXI. Sedit Annos VIII, Menſes VIII, Dies XXI. Sepultus in Vaticana Baſilica translatus eſt ad ædes ſacras S. Mariæ ſupra Minervam.

Anno 1513 Die 2 Aprilis.

De interſtitiis, & prorogatione (1) Prioratuum Congregationis Lombardiæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

I. Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum.

LEO PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXpoſuit Nobis dilectus filius Nicolaus (3) Cardinalis de Fliſco vulgariter nuncupatus, Ordinis Prędicatorum Protector, quod licet juxta ſtatutum, ac pręceptum felicis recordationis Julii Papę II Prędeceſſoris noſtri, fuerit hactenus ſervatum in Congregatione Lombardię dicti Ordinis, ut Priores Conventuales per quadriennium non poſſent in eodem Conventu reeligi, & pręeſſe, ac quod biennium dictorum Priorum Conventualium, quando infra Septuageſimam, & Paſcha compleri contigiſſet, extenſum intelligeretur biennium uſque ad Capitulum infra tempus Paſchale celebrandum, nihilominus dictę Congregationi grave fore, ut tanto tempore unus, atque idem non poſſit in ejuſdem loci Prioratum reaſſumi, & hyemali tempore Fratres pro habendis Prioribus diſcurrere, utque providere dignaremur de benignitate Apoſtolica, humiliter ſupplicavit. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tenore pręſentium, auctoritate Apoſtolica concedimus, ut in dicta Congregatione Priores Conventuales, poſtquam per biennium vacaverint ab alicujus illius Domus Prioratu, poſſint in eadem Priores eſſe, & quod ſi biennium alicujus Prioris compleri contigerit infra adventum Domini, vel circa, & Capitulum dictę Congregationis Paſchali tempore celebrandum, biennium illius, uſque ad completum Capitulum prędictum intelligatur extenſum, non obſtantibus dictis literis cum omnibus in eis contentis clauſulis. Quibus omnibus, habentes omnia pro inſertis, & expreſſis, ex certa ſcientia hac vice, quoad hęc derogamus, alias in ſuo robore permanſuris, ceteriſque in contrarium, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die II Aprilis MDXIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Ja. Sadoletus.

1. *Prorogatione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, authenticum unum *Lib. E. fol.* 11, aliud in Bullario *Bononienſi pag.* 58, ex Autographo *Bononien.* Aliud autographum habes in Cœnobio *Cremonenſi*.

3. *Nicolaus.*) De quo *Ciaconius in Alexandro VI Vit. Pontif., & Cardinal. Tomo III pag.* 204.

Anno 1513 Die 6 Maii.

Ut imago B. Mariæ Virginis cuſtodiæ Monialium Monaſterii (1) S. Lucæ prorſus committatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

II. Dilectis in Chriſto filiabus Priorisſę, & Conventui Monaſterii Monialium S. Lucę in montibus extra muros Bononien. Ordinis S. Auguſtini, ſecundum inſtituta Fratrum Prędicatorum degentium.

LEO PP. X.

Dilectę in Chriſto filiæ, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſtis, quod licet a tanto tempore cujus contrarii memoria hominum non exiſtit quędam Imago glorioſę Dei Genitricis Virginis Marię, a Beato Luca Evangeliſta, ut pie creditus, depicta, in Eccleſia Monaſterii veſtri nutu Divino apparuerit, ſeu inibi, ubi meritis, & interceſſionibus ipſius glorioſę Virginis Altiſſimus quamplura ad populi Bononien. conſolationem operari dignatur miracula, repoſita fuerit, & ſingulis annis tempore Rogationum per Civitatem Bononien. ſumma cum veneratione, & devotione proceſſionaliter deferri, & hujuſmodi Rogationibus finitis ad ipſam Eccleſiam reportari conſueverit, inibique tanquam res ſacra decenter ſub cura, & cuſtodia veſtra hactenus conſervata extiterit, prout conſervatur, nihilominus cum nonnulli Laici Officiales, & Confratres Hoſpitalis Beatę Marię de morte Bononien. minus vere aſſerentes vos nimium faciliter Imaginem prędictam oſtendere, prętextu quarundam Literarum per eos a bonę memorię F. (3) tituli S. Cecilię Presbytero Cardinali Papien, tunc in

in dicta Civitate Apoſtolicę Sedis Legato ſuper hoc extortarum curam, & cuſtodiam dictę Imaginis ſibi ipſis appropriare, ac claves, vel ſaltem unam, ex clavibus tabernaculi, in quo ipſa ſacra Imago reponitur, penes ſe retinere, & alias vos ſuper hujuſmodi Sacrę Imaginis ſolita, & hactenus obſervata cuſtodia diverſimode perturbare, & impedire niterentur, in veſtri opprobrium, & perturbationem, ac detrimentum, venerabilis Frater Orlandus (4) Archiepiſcopus Avenionen. tunc in eadem Civitate dictę Sedis Vicelegatus, provide conſiderans, decens, & conveniens non exiſtere, dictos Confratres Laicos, & ſeculares ſub pretextu curę retentionis clavium prędictarum vobiſcum converſari, neque ipſos in locis, rebus, & juribus ad vos, & Monaſterium veſtrum pertinentibus ſe intromittere, & ex prem ſſis, & certis aliis cauſis Literas prędictas Confratribus prędictis, ut prefertur, conceſſas revocavit, ac citra prejudicium jurium veſtrorum vobis ex antiqua, & continuata poſſeſſione, & alias quomodolibet queſi orum, quod vos duntaxat, ſicut preteritis conſueveratis, ſic, & etiam futuris temporibus ipſam Imaginem decenter, ac devote in loco ſolito retineretis, cuſtodiretis, gubernaretis, abſque eo quod Officiales, & Confratres Confraternitatis hujuſmodi pro tempore exiſtentes, aut quicunque alii, etiam pretextu dictarum Literarum, aut in eiſdem contentorum, ſeu alia quavis occaſione, vel cauſa ullo unquam tempore de gubernio, retentione, & cuſtodia prędictę Imaginis, & clavium tabernaculi ejuſdem ſe aliqualiter intromittere, aut vos deſuper moleſtare, vel perturbare poſſent, ſeu quovis modo preſumerent, aliaſque ſtatuit, ordinavit, inhibuit, & decrevit, prout in Literis ipſius Orlandi Archiepiſcopi, & tunc Vicelegati, deſuper confectis, dicitur plenius contineri. Quare Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut pro quietiori ſtatu, & indemnitate veſtris priores Literas prędictas de novo revocare, ac alia premiſſa vobis concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui ſub Regulari caſtimonia militantium, preſertim fœminei ſexus, perſonarum votis, prout poſſumus, libenter annuimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Literas prefatis Confratribus per dictum F. Cardinalem, & Legatum, ut prefertur, conceſſas, auctoritate Apoſtolica de novo per preſentes revocamus, ac vobis, ut dictam Imaginem in loco ſolito decenter, prout ante conceſſionem Literarum Cardinalis & Legati hujuſmodi obſervabatur, cuſtodiatis (5), & gubernetis de novo eadem auctoritate concedimus; Mandantes dilectis filiis Piramo de Pepulis (6), & Hieronymo de Honoris Canonicis, ac Venerabilis Fratris Epiſcopi Bononien. Vicario in Spiritualibus Generali, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, vobis in premiſſis efficacis defenſionis preſidio aſſiſtentes, faciant, vos conceſſione hujuſmodi pacifice gaudere, non permittentes, vos per Officiales, & Confratres preſatos ſeu quoſcunque alios, quavis auctoritate fungentes, deſuper quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores cenſuris eccleſiaſticis, & aliis juris remediis, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: Non obſtantibus premiſſis, & conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die VI Maii MDXIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Monaſterii*.) Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*.
2. *Archivo*.) In quo exemplar authenticum ex autographo *Bononienſi*.
3. *F...*) Quis iſte ſit, non facile dictu. Cardinalis ſiquidem *Papienſis* vocabatur *Jacobus*. Adeas *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II in lio II ad annum MCCCCLVIII pag.1058 &c.*
4. *Orlandus*.) De quo *Sammarthani* in *Archiep. Avenionen.*
5. *Cuſtodiatis*.) Hinc *Bononienſis* Monaſterii *S. Mathiæ* Sanctimoniales huic celeberrimæ imagini cuſtodiendæ deſtinatæ, ſtatis temporibus, *S. Lucæ* Monaſterium petunt, & iſtis inde deductis aliæ Sorores ejuſdem Monaſterii *S. Mathiæ* ſuccedunt.
6. *De Pepulis*.) Gens eſt celeberrima, quæ nunc etiam floret.

De interſtitiis (1) a Prioribus Aragoniæ Provinciæ ſervandis.

Anno 1513 Die 25 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

L E O PP. X.

III.

Venerabiles (3) Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Dudum felicis recordationis Julio Papę II, Predeceſſori noſtro alias expoſito, quod perpetuitas, & diuturnitas in officiis Ordinis Prędicatorum Provincię Aragonię, ipſi Ordini detrimenta, inter Fratres contentiones, & inter Chriſti fideles ſcandala afferre ſolebat, idem Prędeceſſor, volens premiſſis opportuna adhibere remedia, per ſuas literas ſtatuit, & decrevit, quod in prędicto Ordine Priores Provinciales ultra quadriennium, Conventuales vero, & Prioriſſę Monialium Ordinis S. Auguſtini ſub habitu, & cura dicti Ordinis Prędicatorum degentes, ultra biennium, in hujuſmodi non poſſent perſeverare officiis, ſed bis elapſis temporibus, ipſo facto abſque alia abſolutione ſint a prefatis officiis abſoluti, nec qui Prior Provincialis fuit, poſſit intra octo annos, immediate ejus abſolutionem ſequentes, ejuſdem Provincię eſſe Prior Provincialis: nec qui Prior Conventualis fuit, poſſit intra quadriennium immediate ſequens ejuſdem Conventus eſſe Prior Conventualis: & ſimiliter, quę Prioriſſa fuit, etiam intra quadriennium immediate ſequens non poſſit ejuſdem Monaſterii eſſe Prioriſſa, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem, ut oblata Nobis nuper expoſitio ſubjungebat, dicti Predeceſſoris literę, ordinationes, & ſtatuta in dicta Provincia Aragonię executioni demandata, & capitulariter acceptata, & per plures annos pacifice obſervata, & plures ex dictis Prioribus juxta illorum tenorem abſoluti fuerint, & plerique, ut illis parerent ſponte eorum officiis ceſſerint, & bona plurima dicte Religioni obvenerint, pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Aragonum, & utriuſque Sicilie Regis Catholici, ſuo, & Fratrum Ordinis Provincięque prędictorum, ſeu majoris, & ſanioris partis conſilii eorundem, nominibus, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in premiſſis robur confirmationis noſtrę adjicere, & alias in premiſſis op- Diplomatis cauſa.

opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur, Nos dictarum Literarum, & omnium in eis expoſitorum, ac Priorum, Prioriſſarumque dictę Provincię nomina, & cognomina, & aliorum omnium exprimendorum tenores, & continentias pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ordinationes, & ſtatuta prędicta, & prout illa concernunt, omnia, & ſingula in dictis literis contenta, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium approbamus, confirmamus, & revalidamus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos defectus tam juris quam facti, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, &, quatenus opus ſit, ordinationes, & ſtatuta prędicta per pręſentes innovamus, & de novo illa ordinamus, & ſtatuimus, & ſi qui Pręſidentium prędictorum, ultra tempus in ſtatutis, & literis dicti Prędeceſſoris expreſſum, eorum officium continuarunt, ſeu exercuerunt, ex nunc eos abſolutos declaramus, &, quatenus opus ſit, denuo abſolvimus. Quo circa vobis, & veſtrum cuilibet per hęc ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum ſtatuta, & decreta prędicta, & hujuſmodi literas noſtras per cenſuras eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, faciatis inviolabiliter obſervari, cum poteſtate tranſgreſſores, & inobedientes, toties quoties opus fuerit, cenſuras, & pęnas prędictas incurriſſe declarandi, & illas aggravandi, interdictum ponendi, & brachium ſeculare invocandi, & omnia alia faciendi, quę pro obſervatione dictorum ſtatutorum, & hujuſmodi literarum noſtrarum neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna fore cognoveritis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, privilegiis, & indultis, ac literis Apoſtolicis Ordini pręfato, etiam alicui Provincię, Monaſterio, Magiſtro Generali, vel alicui Priori Conventuali, vel Provinciali, ſeu Prioriſſę, vel alicui Congregationi, ſive Vicario Generali, etiam in forma Brevis, vel vivę vocis oraculo, ſub quibuſvis verborum formulis, & clauſulis derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, & inſolitis, irritantibuſque decretis, conceſſis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, etiamſi de eis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales id importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda foret, eorum omnium tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXV Septembris MDXIII Pontificatus noſtri Anno Primo.

Thomas Pighinus.

1. *Interſtitiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Legitur apud *Caſtellinum in Tractatu de Electione pag. 498 in Addit. ad Cap. XI.*

3. *Venerabiles.*) Hujuſce Diplomatis inſcriptio deſideratur: nec etiam legitur in *Conſtitutione VII* inferius tranſcribenda, in qua præſens inſeritur.

Anno 1513 Die 22 Novembris.

Ordinem Fratrum Prædicatorum, quem laudibus ornat, iiſdem, quæ ceteris Ordinibus conceſſa ſunt, & concedentur, Privilegiis (1) donat, quia periculoſis temporibus Apoſtolicam Sedem tutatus eſt.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto Filio Thomę (3) de Vio Cajetano Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum.

L E O PP. X.

IV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium ab Ordinis laude.

CUm inter ceteros operarios, qui ad excolendam vineam Domini ſabaoth vocati ſunt, Ordo Prędicatorum magnos, & probitatis, & doctrinę, & animarum ſalutis fructus ſemper olim attulerit, quotidieque afferre cernatur, deceatque ut etiam in hac vita pro tot ſuis ſanctis ſtudiis, honeſtiſque laboribus ab Apoſtolica Sede, cujus noſtris quoque periculoſis temporibus, pacem, & dignitatem Ordo idem fortiter tutatus eſt, ſpiritualia ſubſidia, ornamentaque accipiat, quibus, & Sancta ſua officia facilius, atque expeditius exequatur, & cetere Religioſę perſonę, Ordineſque alii exemplo benignitatis promptiores, alacrioreſque ad ſua officia perſolvenda reddantur; Ideirco Prędeceſſorum noſtrorum veſtigia conſectati, qui plurima eidem Ordini beneficia, ac privilegia contulerunt, omnes, & ſingulas gratias, conceſſiones, Indulgentias, peccatorum remiſſiones, prerogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta tam ſpiritualia, quam temporalia qualiacunque illa ſint, quę Minorum, Eremitarum Sancti Auguſtini, Carmelitarum, Servorum B. Marię, ac Minorum Fratrum Ordinibus, & illorum Eccleſiis, Oratoriis, Domibus, & Pręſidentibus, non ſolum Generalibus, ſed etiam Provincialibus, & Conventualibus, Fratribuſque, & Sororibus, necnon Monialibus, & Converſis, oblatiſque, ac utriuſque ſexus perſonis, de Pęnitentia, ſeu Tertii habitus, nuncupatis, ac Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, aut a nobis, noſtriſque Succeſſoribus, aut aliis auctoritatem habentibus conjunctim, vel diviſim in genere, vel in ſpecie conceſſa ſunt, aut in poſterum concedenda, illa omnia, & ſingula, ac ſi nominatim exprimerentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, dicto Ordini Prędicatorum, & illius Eccleſiis, Oratoriis, ac Domibus, Magiſtroque Generali, Provincialibuſque Prioribus, & Conventualibus, Fratribus etiam, & Sororibus, ſive Monialibus, Converſis quoque, & oblatis, & utriuſque ſexus perſonis, de Penitentia nominatis, & aliis ejuſdem Ordinis perſonis, motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc oblate Nobis petitionis inſtantiam, ſed ex mera noſtra ſcientia, & liberalitate, & de Apoſtolicę auctoritatis plenitudine, communicamus, de novoque concedimus, & ſuffragari volumus, ac ſi eiſdem nominatim, directe, & expreſſę conceſſa fuiſſent, aut in poſterum concederentur; mandamus motu, ſcien-

Nos.

Conceſſio.

ſcientia, liberalitate, & auctoritate prędictis univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, cujuſcunque gradus, conditionis, dignitatis, prępminentięque fuerint, ut dum indulgentiarum, prerogativarum, favorum, conceſſionum, exemptionum, immunitatum, facultatum, privilegiorum, & indultorum prędictorum Fratrum, & Ordinum, aut originalis literę, aut tranſumpta authentica ex illis pro, & in favorem Eccleſiarum, domorum, Fratrum, & utriuſque ſexus perſonarum Ordinis Prędicatorum adducta, vel exhibita fuerint, eadem illis fides indubia, tam in judicio, quam extra, & aliis locis ubicunque opus habeatur, ac ſi pro, & in favorem dicti Ordinis Prędicatorum a Sede Apoſtolica emanaſſent, ac eidem immediate conceſſa, aut indulta fuiſſent, non obſtantibus quibuſcunque Apoſtolicis ſuſpenſionibus, & reſtrictionibus, ſive conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, ſpecialibus, vel generalibus, & quorumcunque Legatorum etiam a Latere, quibuſvis Regnis, Provinciis, aut locis, conſtitutionibus Pariſien., quę, & aliorum locorum Generalium ſtudiorum univerſitatibus, & Curię Vicegeren. Avinionen., & quibuſvis Ordinariis, Pręlatis, & perſonę conceſſis, & concedendis literis, privilegiis, ac per illos deputatis in eis conſervatoribus privilegiorum hujuſmodi, facultatibus, & juriſdictione, necnon Regulis Cancellarię Apoſtolicę jam editis, aut forte edendis in futurum, eccleſiarum quoque, ac locorum quorumlibet ſtatutis, & conſuetudinibus, & inter quoſcunque dictorum Ordinum profeſſores, & locorum Ordinarios, ſeu Rectores, initis, & concluſis, ac hactenus obſervatis, pactis, & conventionibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, necnon omnibus illis, quę Prędeceſſores noſtri Romani Pontifices in literis privilegiorum, exemptionum, gratiarum, favorum, immunitatum, prerogativarum, conceſſionum, facultatum, & indultorum prędictorum pręfatis Ordinibus conceſſorum voluerunt non obſtare, quibus omnibus, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, & derogatoriarum derogatorias clauſulas in ſe continerent, pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad pręmiſſa ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & ea nemini in prejudicium premiſſorum ſuffragari poſſe, aut debere decernimus, irritum facientes quicquid ſecus contigerit attentari, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII Novembris MDXIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Privilegiis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria, *Libro* ſcilicet *E. pag. 21*, *Lib. B. pag. 397*, *in Bullario Bononien. pag. 59*. Legitur apud *Uſuſmarem pag. 174*. Autographum habes in *Florentin.* Cœnobio *S. Mariæ Novellæ*. Aliud aſſervatur in *Neapolitano* Cœnobio *S. Dominici Majoris*, & in *Cremonenſi*.

3. *Thomæ.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

De Templis, ceteriſque id genus, conſecrandis, (1) vel benedicendis.

Anno 1514 Die 3 Februarii.

Ex Confettio pag. 117.

Dilectis filiis Citramontanis, ac Ultramontanis Generalibus, & Provincialibus Vicariis, necnon Guardianis Fratribus Ordinis Minorum de obſervantia nuncupatis.

V.

L E O PP. X.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis ſuadet honeſtas, & devotionis veſtrę promeretur affectus, ut vos Apoſtolici favoris ſuffragio proſequentes, precibus veſtris, pręſertim commodum, & decorem Ordinis veſtri concernentibus, prout poſſumus, favorabiliter annuamus. Exordium. Cum itaque, ſicut Nobis nuper exponi feciſtis, dudum felicis recordationis Sixtus Papa IV, Prędeceſſor noſter, vobis, ut paramenta, & ornamenta eccleſiaſtica, ac corporalia, & alia in quibus Chriſma non intervenit, benedicere poſſitis, gratioſe conceſſerit, & ab illo tempore in poſſeſſione benedicendi paramenta, & corporalia hujuſmodi, ſecundum limitationem inter vos in capitulis veſtris factam fueritis, ac in diverſis, etiam remotis partibus, & inſulis de novo ab infidelibus recuperatis diverſę domus Ordinis veſtri conſtructę exiſtant, & in dies conſtruantur, Diplomatis cauſa. & Ordinarii locorum non ſemper in ſuis Civitatibus, & Diœceſibus reſideant, & interdum in remotis agant, & ſępius contingat loca, & cęmeteria earundem domorum ſanguinis effuſione, ſeu alias pollui, ac illarum Fratres non ſemper ordinarios locorum pro illis reconciliandis adire poſſint, immo quandoque illis grave, ſeu diſpendioſum exiſtat ad illos quandoque per tres dictas ab eorum domibus diſtantes accedere, Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut cum pię memorię Pius Papa II etiam Prędeceſſor noſter dilectis filiis Fratribus Minoribus indultum, Eccleſias, & cęmeteria ſua benedicendi, & reconciliandi conceſſerit, ac interdum ex his pręſertim in remotis agentes quandoque per duas dictas adiri nequeant, vobis ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui religioſarum perſonarum vota per quę eorum diſpendiis obviatur, ac commodis, & profectibus providetur, ſtudio caritatis libenter proſequimur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, & pro tempore exiſtentibus Generalibus, & Provincialibus, ac Guardianis veſtrorum Ordinis obſervantię, ut Eccleſias, oratoria, & loca quęcunque recepta, & recipienda nondum conſecratas, ſeu conſecrata, facta prius requiſitione ab Epiſcopis locorum, eiſque recuſantibus, per quemlibet alium Catholicum Epiſcopum, gratiam, & communionem dictę Sedis habentem, conſecrari facere, ac veſtri Ordinis Generalibus, & Provincialibus, Vicariis, & Cuſtodibus, & Guardianis pro tempore exiſtentibus pręfatis, ut omnia, & ſingula ejuſdem Ordinis, & obſervantię Eccleſias, cemeteria, & capitula, & oratoria ubicunque exiſtentia receptas, & recepta, recipiendas, ſeu recipienda, ac paramenta, & ornamenta, ac alia quęcunque ad divi- Conceſſio.

divinum cultum, & uſum veſtrum neceſſaria, in quibus Chriſma non intervenit, pro veſtro uſu tantum ſolemni benedictione, ac etiam per Vicarium, ſeu Guardianos, aut alios ad hoc a vobis in veſtris capitulis Generalibus proinde deputandos benedicere, ac illos ſeu illa, & eorum quęlibet ſanguinis, ſeu ſeminis effuſione, ſeu alias quomodolibet pollutas, ſeu polluta, quoties opus fuerit, aqua per vos, pręſertim in locis remotis, ubi Epiſcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non poteritis, benedicta, reconciliare libere, & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus conciliis editis, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Februarii MDXIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Conſecrandis.*) *Ut in Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

Anno 1514 Die 18 Februarii.

Cremenſe (1) Monaſterium S. Marię Matris Domini committit curę Fratrum Prędicatorum.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilectis in Chriſto filiabus Matri, & Monialibus Monaſterii S. Marię Matris Domini Terrę Cremę Ordinis Sancti Benedicti, Placentin. (3) Dięceſis.

VI. LEO PP. X.

Dilectę in Chriſto filię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. Cum, ſicut nobis nuper exponi feciſtis, alias a XXV annis citra ſeptem Virgines Terrę Cremę, Placentin. Dięceſis, cupientes ſub regulari obſervantia alicujus Ordinis Altiſſimo famulari, ut ipſarum pium propoſitum citius ſortiretur effectum, quandam Domum in dicta terra propriis pecuniis emerint, ipſamque Domum in Oratorium ſub invocatione Sanctę Marię Matris Domini erigi procurarunt, & habitis duabus monialibus ex certo Monaſterio Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Montis Caſſinen., alias Sanctę Juſtinę, habitum per eaſdem Moniales geſtari ſolitum abſque aliqua Superiorum ejuſdem Ordinis licentia ſumpſerunt, & juxta ipſius Ordinis regularia inſtituta ita apud omnes laudabiliter vixerunt, quod numerus veſtrum ad XL. Moniales auctus eſt, & ad hoc ut ſanctius, & quietius viveretis, apud Parochialem Eccleſiam Sanctę Trinitatis ejuſdem terrę a certis annis citra de conſenſu venerabilis Fratris Epiſcopi Placentini vos tranſtuliſtis, & quamvis per tot annos cum odore bonę famę vixeritis, prout etiam vivitis, ſub ejuſdem S. Benedicti regulari obſervantia, nihilominus a ſuperioribus Ordinis hujuſmodi viſitationem, regimen, ſeu quamvis ſpiritualem, aut temporalem conſolationem, ſeu deſideratam adminiſtrationem non accepiſtis, nec in futurum recipere ſperatis, cum adeo pauperes ſitis, ut contra ordinationem ejuſdem Ordinis quęſtus per XXX. Milliaria a Monaſteriis dicti Ordinis diſtantia, ſub cuſtodia modo unius, modo alterius mercenarii facere cogamini. Nos igitur, qui petitiones illas, per quas religioſarum perſonarum, pręſertim fęminei ſexus, profectibus providetur, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vos, & pro tempore exiſtentes Monaſterii veſtri Matrem, & Moniales curę, juriſdictioni, correctioni, & adminiſtrationi dilectorum filiorum, Prioris, & Fratrum Domus Sancti Dominici dictę terrę Ordinis Prędicatorum nunc, & pro tempore exiſtentium, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium ſubiicimus, vobiſque, ut ſub cura ipſorum Prioris, & Fratrum Prędicatorum vivere, & ab eis Confeſſores, qui Confeſſionibus veſtris auditis, vobis abſolutionis beneficium impendant, & eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, recipere, ac in habitu eiſdem Fratribus Prędicatorum vos conformare libere, & licite valeatis, de conſenſu ſuperioris Ordinis S. Benedicti prędictorum, perpetuo concedimus, & indulgemus, ac eiſdem Priori, & Fratribus dictę Domus Sancti Dominici, nunc, & pro tempore exiſtentibus, ut eaſdem Matrem, & Moniales ſub eorum cura recipiant, vobis de Confeſſore idoneo, qui Confeſſiones veſtras audiat, & vobis pro commiſſis pęnitentiam ſalutarem injungat, ac eccleſiaſtica Sacramenta miniſtret, provideat, in virtute Sanctę Obedientię, & ſub excommunicationis pęna mandamus. Mandantes venerabili Fratri Epiſcopo Tricaricen. (4), ac dilectis filiis electo Auſeren. (5), ac Archipresbytero Sanctę Marię de Rivoltella Terrę, & Dięceſis prędictarum, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios vobis in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant vos poſt habitum dictum conſenſum, ſubjectione, conceſſione, indulto, & aliis pręmiſſis pacifice gaudere, non permittentes vos deſuper per quoſcunque quomodolibet indebite moleſtari, contradictores cenſuris eccleſiaſticis, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, & Ordinis prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon aliis ſub quibuſcunque tenoribus conceſſis privilegiis, & indultis Apoſtolicis, quibus, etiamſi ad illorum derogationem, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XVIII Februarii MDXIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Cremenſe.*) In *Longobardia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononien.* pag. 61.
3. *Placentin.*) Nunc Sedes Epiſcopalis eſt *Crema*.
4. *Tricaricen.*) *Baſilicatę* Civitas eſt ſub Archiepiſcopo *Acheruntin.*, & *Materan.* in Regno *Neapolitano*.
5. *Auſeren.*) *Auſaren.*, rectius *Abſoren.*, vulgo *Oſera*, in *Liburnia*, ſub Archiepiſcopo *Jaderenſi*.

De

De officiis, quæ in Ordine Fratrum Prædicatorum temporaria (1) eſſe debent.

Anno 1514 Die 22 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

L E O PP. X. VII.

Univerſis, & ſingulis Religioſis Fratribus, & Monialibus Ordinis Prędicatorum, & pręſertim Provincię Aragonię pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DEeet Romanum Pontificem quę ab eo pręſertim pro evitandis ſcandalis, paceque Religioſorum, quos convenit ab omni contentione abſtinere, conſervanda, provida deliberatione emanarunt, ſic moderari, ut omnis diſcordię, ſcandalique occaſio tollatur. Dudum ſiquidem literas ſententię, ſeu tenoris ſubſequentis edidimus. Venerabiles Fratres &c. Dudum felicis recordationis Julio Papę II &c. (3). Cum autem dilectus filius noſter Nicolaus (4) tituli Sanctę Priſcę Presbyter Cardinalis dicti Prędicatorum Ordinis Protector, nobis expoſuerit, quod ex reintegratione ſtatuti, de quo in literis Brevi pręſenti inſertis, quod revocatum erat, & abſolutione Provincialis, & Priorum, & Prioriſſarum in dicto Ordine quamplura ſcandala exoriri poſſent. Nos igitur, paci, & quieti dicti Ordinis providere volentes, literas prędictas ſuſpendimus, donec dilectus filius Thomas (5) dicti Ordinis Generalis Magiſter miſerit unum, vel plures ad dictam Provinciam, ad ſcrutandum libera vota Fratrum in ea degentium, pręſertim ſeniorum, circa ſtatutum prędictum de temporalitate Officialium; ut illa in ſcriptis redacta, ad eundem Thomam Generalem deferant: & ſi omnes Fratres, aut duę partes eorum voluerint ſtatutum hujuſmodi eſſe ſervandum; Volumus quod idem Thomas Generalis auctoritate noſtra decernat, ſtatutum ipſum in dicta Provincia de cetero eſſe ſervandum: ſi vero minor pars id tantum voluerit, tunc uſque ad proximum Capitulum Generale ſuperſedere volumus; ut in eo per Capitulum ipſum, quid ſuper hoc ſervandum ſit decernatur: & ex nunc eundem Thomam Generalem omnia vigore ſupradicti Brevis geſta, & gerenda, & cetera inde quomodolibet ſubſecuta, & ſubſequenda auctoritate noſtra revocare, & in priſtinum ſtatum reducere poſſe; & per eum geſta uſque ad finem proximi Capituli Generalis ſervanda fore, niſi ipſe Generalis interim per ſe, vel alium aliquid mutandum duxerit, decernimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, & ſpecialiter ſi non de verbo ad verbum quoad omnia inſertę eſſent pręſentibus dictę noſtrę literę, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XXII Februarii MDXIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Ja. Sadoletus.

1. *Temporaria.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum: aliud aſſervatur in *Barchinonenſi* Cœnobio, cujus exemplar authenticum habetur in Archivo Ordinis *Lib. B. fol. 610.* Legitur etiam apud *Caſtellinum Tractatu de electione pag. 498 &c. in additione ad Cap. XI.*
3. *Papa II &c.*) Ut in *Conſtitutione III* ad finem uſque. Legitur *pag.* 297 hujuſce *Tomi IV.*
4. *Nicolaus.*) *De Fliſco*, cujus meminit *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III ad an. MCCCCXCII pag. 204.*
5. *Thomas.*) *De Vio Cajetanus*, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

De reformando Monaſterio (1) S. Auræ de Urbe.

Anno 1514 Die 23 Februarii.

Ex Franciſco Maria Torrigio in Hiſtoria venerandæ Imaginis B. Mariæ &c. Cap. XXIII pag. 66.

Dilecto filio noſtro Nicolao (2) Tituli S. Priſcę Presbytero Cardinali.

L E O PP. X. VIII

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Thomas (3) Magiſter Generalis Ordinis Prędicatorum quod licet ipſe vigore commiſſionis ad ſupplicationem dilectorum filiorum conſervatorum Urbis noſtrę, vivę vocis oraculo, per Nos ſuper reformatione Monaſterii Monialium S. Aurę de Urbe, ſub cura Fratrum dicti Ordinis degentium, de Monialibus, Monaſterii S. Sixti, etiam de Urbe &c. (4) nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati circumſpectioni tuę, qui dicti Ordinis Protector exiſtis, committimus, & mandamus, quatenus in pręmiſſis facias, & diſponas prout tibi videbitur faciendum non obſtantibus &c. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XXIII Februarii MDXIIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Monaſterio.*) De quo dicetur in *Notis ad Conſtitutionem XXXV datam XXV Junii MDXV.*
2. *Nicolao.*) *De Fliſco*, Ordinis Protectori, de quo ſæpius dictum fuit.
3. *Thomas.*) *Cajetanus.*
4. *De Urbe &c.*) Quædam hic deſunt.

De

Anno 1514 Die 2 Martii.

De reficiendo Corrigien. (1) Monaſterio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Vicario Generali Ordinis Prędicatorum de Obſervantia,

IX.

L E O PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SIgnificatum eſt Nobis, quod domus ſub invocatione Corporis Chriſti Sororum Ordinis Prędicatorum de obſervantia nuncupatarum, Oppidi Corrigię Regien. Dięceſis, in ſuis ſtructuris, & ędificiis non modicam patitur lęſionem, & niſi de celeri remedio ſuccurratur, profecto de totali ipſius ruina, & collapſu graviter timendum eſt. Cumque dicta domus multitudine plurimarum Sororum dicti Ordinis, quibus neceſſaria exhibere tenetur, gravata exiſtat, & ſecundum ipſius domus facultates, & redditus, eiſdem Sororibus alimenta prębere, & reparationi, ac fabricę Conventus hujuſmodi nullatenus ſumptus neceſſarios ſupplere valeat, & ſi de numero dictarum Sororum aliquid detractum fuerit, & ſumptus hujuſmodi alienati, profecto neceſſarię expenſę ad dictam reparationem, & fabricam redundarent. Quare Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut indemnitati dictę domus conſulere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum ſolicitam curam gerimus, indemnitati dictę domus, & Conventus opportune, quantum cum Deo poſſumus, providere volentes, devotioni tuę mandamus, quatenus ad alleviandos ſumptus, & expenſas dictę domus, ſeptem, vel octo ex Sororibus prędictis de humiliori familia, quas duxeris eligendas, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, ad alias domos, & Conventus Mediolani, Bononię, & Regii dicti Ordinis, in quibus regularem vitam ducere, & ſibi neceſſaria exhibere poſſint, donec tantum de ſumptu dictę domus redundet, quoad dicta domus reparata, & conſtructa fuerit, colloces, & reducas, ſuper quo tibi tenore prępentium poteſtatem concedimus, & facultatem. Mandantes etiam, ut Sorores, quas ad alias domos, & Conventus traducere deſtinabis, in virtute ſanctę obedientię, auctoritate noſtra monere, & loca ad quę illas traducendas putabis, ut illas ſuſcipiant, & caritativa dilectione tractent, traducere poſſis, & valeas. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die II Martii MDXIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Corrigien.*) In *Longobardia*.

2. *Archivo*.) In quo exemplar in Bullario *Bononien. pag.* 62. Autographum aſſervatur *Bononiæ*.

Anno 1514 Die 13 Martii.

Segovien., & Valliſoletan. Conventus (1) eccleſiaſticis Beneficiis donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

X.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

AD Apoſtolicę dignitatis apicem divina diſpoſitione vocati &c. (3). Sane pro parte dilectorum filiorum modernorum Priorum, & Fratrum S. Crucis Segobien., & S. Pauli oppidi Valliſoleti, Palentin. Dięceſis, Domorum Ordinis Fratrum Prędicatorum de Obſervantia nuncupatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum fructus, redditus, & proventus Sacriſtiarum dictarum Domorum, ſint adeo tenues, & exiles, ut ipſi moderni, & pro tempore exiſtentes Priores, & Fratres, qui eiſdem Domibus, in ſatis copioſo numero reſidere conſueverunt, ſe ex illis ſuſtentare, & luminaria, ac paramenta, aliaque ad divinum cultum neceſſaria, manutenere, necnon alia onera eis pro tempore incumbentia perferre commode non poſſint, & ſi tot pręſtimonia, ſeu pręſtimoniales portiones, aut ſimplicia beneficia quorum ratione, illa pro tempore detinentes, ad nullum ſpeciale onus alicui ſunt aſtricti, in Caſtellę, & Legionis Regnis, vel eorum altero conſiſtentia, quorum inſimul fructus, redditus, & proventus quingentorum ducatorum auri de camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum, non excedant, ſingulis Sacriſtiis ſingularum Domorum prędictarum, perpetuo unirentur, annecterentur, & incorporarentur, ex hoc profecto Priores, & Fratres prefati ſe ſuſtentare, ac luminaria, & paramenta manutenere, & alia onera hujuſmodi perferre commodius poſſent. Quare pro parte Priorum, & Fratrum predictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſingulis Sacriſtiis prędictis, tot pręſtimonia, ſeu pręſtimoniales portiones, aut ſimplicia Beneficia in regnis prędictis ſeu eorum altero, ut pręfertur, conſiſtentia, quorum inſimul, fructus, redditus, & proventus quingentorum Ducatorum auri de Camera ſecundum eandem extimationem, valorem annuum non excedant, in perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum valorem annuum, ſecundum extimationem prędictam, etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret, ad partes, vocatis quorum intereſſet, Priores, & Fratres prędictos, ac eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, ac fructuum, reddituum, & proventuum dictarum Sacriſtiarum veros annuos valores pręſentibus

Diplomatis [illegible]

Mandatum.

pro

pro expreſſis habentes, hnjuſmodi ſupplicationibus inclinati, tot pręſtimonia, ſeu pręſtimoniales portiones, aut ſimplicia Beneficia in dictis Regnis, ſeu eorum altero, ut pręfertur, conſiſtentia, quorum inſimul fructus, redditus & proventus, quingentorum Ducatorum ſimilium ſecundum extimationem prędictam, ut pręfertur, non excedant actu, quovis modo, & ex cujuſcunque perſona vacantia, vel primo vacatura, etiamſi diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter vel ex quavis cauſa, pręterquam ratione vacationis illorum apud Sedem Apoſtolicam, aut familiaritatis continuę commenſalitatis noſtrę, ſeu alicujus S. R. E. Cardinalis viventis, cujus conſenſus tunc requirendus foret, generaliter reſervata, ſeu ex quavis Apoſtolica generali reſervatione affecta exiſtant, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, ſingulis Sacriſtiis prędictis auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod ſi illa actu quovis modo, & ex cujuſcunque perſona vacarent, ut pręfertur, ex nunc, alioquin cedentibus, vel decedentibus, pręſtimonia, ſeu pręſtimoniales portiones, aut Beneficia hujuſmodi obtinentibus, & illis quovis modo, & in aliquo ex menſibus ordinariis Collatoribꝰ per Conſtitutiones noſtras, ſeu literas alternativas, vel alia privilegia, & indulta conceſſa, ſimul, vel ſucceſſive vacantibus, liceat modernis, & pro tempore exiſtentibus Prioribus domorum prędictarum, & Fratribus pręfatis, per ſe, vel alium, ſeu alios, videlicet Sanctę Crucis primo, & deinde S. Pauli Domorum Prioribus, & Fratribus hujuſmodi ſecundo loco, & ſic ſucceſſive alternis vicibus donec Priores, & Fratres prędicti tot Pręſtimonia, ſeu Pręſtimoniales portiones, aut ſimplicia Beneficia ad dictam ſummam quingentorum Ducatorum auri ſimilium aſcendentia, pro qualibet dictarum Sacriſtiarum reſpective aſſecuti fuerint, corporalem poſſeſſionem prędtimoniorum, ſeu portionum, aut Beneficiorum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, propria auctoritate, libere apprehendere, & perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, & proventus, in eorum ſuſtentationem, & luminarium, ac paramentorum, & aliorum neceſſariorum prędictorum manutentionem convertere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius, licentia ſuper hoc minime requiſita, non obſtantibus voluntate noſtra prędicta, & aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis gratiis, expectativis, ſeu literis &c. etiam regali, reginali &c. etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliiſque &c. clauſulis &c. per Nos, ſeu Sedem prędictam &c. in cujuſvis &c. favorem, aut etiam Imperatoris, Regum, Reginarum &c. contemplatione, intuitu, vel reſpectu &c. conceſſis hactenus, & in poſterum concedendis &c. illis &c. hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus &c. contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis &c. literas impetrarunt &c. quas quidem literas &c. ad Pręſtimonia, ſeu portiones, aut Beneficia hujuſmodi, volumus non extendi &c. Quibuslibet aliis privilegiis &c. Nos enim unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, ſub quibuſvis revocationibus &c. pro tempore factarum minime comprehendi &c. illas ex nunc vere, non ficte, ſuum plenarium effectum ſortitas cenſeri debere in omnibus, & per omnia perinde ac ſi &c. illorum corporalis poſſeſſio per Priores, & Fratres apprehenſa fuiſſet, ac etiam ſi ſecus ſuper his &c. contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, unionis &c. infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Tertio decimo (4), Tertio Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Conventus.*) Uterque juris eſt Provinciæ *Hiſpaniæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXVIII fol.* 157.
3. *Vocati &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Tertio decimo*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDIV.*

F. Ægidius Charrondelli (1) Inquiſitor Regni Franciæ creatur.

Anno 1514 Die 1 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XI.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Ægidio Charrondelli, Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Theologię profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

CONſiderantes tuę circunſpectionis induſtriam, in multis, & arduis ſępius approbatam, ac alia grandia virtutum inſignia, quibus perſonam tuam bonorum dator Altiſſimus decoravit, ea, quę gravis ſunt ponderis, tibi fiducia committimus, ſperantes firmiter, quin potius pro certo tenentes, quod ad illa efficaciter exequenda ferventer intendas, intentum animi dirigas, & operoſę ſolicitudinis ſtudio proſequaris. Hinc eſt, quod Nos, qui deſideramus, & in votis gerimus, ut fides catholica noſtris proſperetur temporibus, & pravitas perverſorum hominum, hereſeſque, & errores eorundem in Regno Francię, & illi vicinarum partium vigentium, de finibus fidelium extirpetur, circa extirpationem eandem, ſalubriter, & utiliter providere intendentes, te cum omnibus, & ſingulis immunitatibus, privilegiis, gratiis, & libertatibus, Inquiſitoribus dictę pravitatis, a jure, vel conſuetudine hactenus conceſſis, in cauſis hęreſum, & errorum prędictorum, in dicto Regno Francię, Inquiſitorem Generalem facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, dantes, & concedentes tibi contra omnes, dictam pravitatem credentes, receptatores, fautores, & defenſores, eorum, tam eccleſiaſticas, quam ſeculares utriuſque ſexus perſonas exemptas, & non exemptas, cujuſcunque etiam dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, necnon infamatos, vel ſuſpectos de hęreſi, aut erroribus, prędictis, procedendi, & officium Inquiſitoris tibi commiſſum exequendi, juxta canonicas ſanctiones, necnon alia faciendi, quę de jure, vel conſuetudine Inquiſi ores pravitatis predictę, quomodolibet facere conſueverunt, ſeu etiam potuerunt, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium, concedimus facultatem. Per conceſſionem autem hujuſmodi, non intendimus poteſtati, ac juriſdictioni aliorum Inquiſitorum a Nobis, vel aliis ad hoc auctoritatem habentibus deputatorum, in aliquo derogare. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quarto decimo, Kalendis Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Inquiſitor conſtitutus.

1. Ægi-

1. *Ægidius Harrondelli.*) Recenſendus iſte eſt inter ſidei Cenſores Regni *Franciæ*, quos prætermiſit *Fontana Theatro Dominicano Parte III Cap. III Tit. XXXVIII pag. 179.* Quod Inquiſitor ſimul & Provinciæ *Regni Franciæ* Provincialis eſſet hoc anno, liquet ex alia Coſtitutione *Leonis X*, rogatu ejuſdem *Ægidii* conceſſa contra Fratres *Raymundum Gauſin*, ſeu *Goſia*, *Nicolaum Ganor*, *Martinum Curoti*, & *Valentinum Ievlati*, de quibus querebatur Provincialis, quod, licet intenderet reformationi ſuæ Provinciæ, iſti tamen in alienam meſſem falcem ponebant. Nota quod *Raymundus Goſin*, ceterique Congregationi quam propagare curabant, nomen dederant.

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXII fol.* 141.

Anno 1514 Die 10 Maji.

Ædes Sacras Cœnobii B. Mariæ Virginis de Serra (1) viſitantibus Indulgentias elargitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XII.

L E O PP. X.

Univerſis Chriſti fidelibus prеſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Supplex petitio. Indulgentia.

Loca Sanctorum omnium, prеſertim ſub B. Mariе Virginis, Dei Genitricis, invocatione instituta, pia ſunt fidelium devotione celebranda, ut ipſam Dei Genitricem honorantes in terris, nos amabiles Deo reddat, & illius Nobis quodammodo patrocinium vendicantes, apud ipſum, quod noſtra merita non obtinent, ejus mereamur interceſſionibus obtinere. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Johannes (3) Princeps Portugalliе cariſſimi in Chriſto filii noſtri Emmanuelis (4) Portugalliе, & Algarbiorum Regis illuſtris natus, zelo devotionis accenſus, ac cupiens Deo, ejuſque Genitrici Virgini Mariе, primitias offerre in quodam ejuſdem B. Mariе Virginis Sacello de Serra nuncupato Ulixbonen. (5) Diеceſis, magnе quidem devotionis, ac peregrinorum eo confluentium frequentia percelebri, quandam domum pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum Ordinis Prеdicatorum regularis obſervantiе amplo еdificio omni opera, & impendio conſtrui, & еdificari fecerit, illamque pro eorundem Fratrum ſuſtentatione reditibus ſatis competentibus ditaverit. Nos, cupientes, ut in dicta domo Dei devotio, & loci celebritas frequentiori Chriſti fidelium concurſu magis augeatur, nec non Chriſti fideles ipſi eo libentius devotionis cauſa ad domus hujuſmodi ampliationem, conſtructionem, manutentionem, conſervationem, & reparationem, necnon Fratrum ejuſdem ſuſtentationem, manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cеleſtis gratiе uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus vere penitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam dictе domus in Epiphaniе Domini, Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, atque Nativitatis B. Virginis feſtivitatum diebus reſpective, devote viſitaverint, & ad conſtructionem, ampliationem, manutentionem, conſervationem, & reparationem, necnon ſuſtentationem prеdictas, manus porrexerint adjutrices, quinquaginta annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pеnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, prеſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod ſi viſitantibus dictam Eccleſiam, & ad prеmiſſa manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi aliqua alia in perpetuum, vel ad certum tempus non dum elapſum duratura per Nos conceſſa fuerit indulgentia, prеſentes literе nullius ſint roboris, vel momenti. Datum (6) Romе apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X Maii MDXIIII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *De Serra.*) In *Portugallia* Regno.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar.
3. *Johannes.*) Hujus nominis *III* Rex *Portugalliæ* Succeſſit enim patri ſuo *Emmanueli*.
4. *Emmanuelis.*) Cognomento *Magni*, de quo conſulendus *Hieronymus Oſorius* in *Emmanuelis vita*.
5. *Ulixbonen.*) *Ulyſſipponen.*, vulgo *Liſboa*.
6. *Datum.*) Quædam alia *Indulgentiarum* Diplomata aſſervantur in Archivo Ordinis hic recenſenda.

Anno 1513 Die 15 Septembris. XIII.

Pro Monaſterio Monialium *Vallis Angelorum* prope Oppidum Brugen., Tornacen. Diœceſis. Conſtitutio ſic incipit: *Leo &c. Etſi deceat Romanum Pontificem &c. Dudum ſiquidem felicis recordationis Julius PP. II Prædeceſſor noſter, cupiens, ut eccleſia Monaſterii Monialium per Prioriſſam gubernari ſoliti, Vallis Angelorum, Ordinis S. Auguſtini, prope Oppidum Brugen., Tornacen. Diœceſis, ſub cura Fratrum Ordinis Prædicatorum degentium &c. in S. Michaelis Archangeli, & S. Vincentii feſtivitatibus, ac celebritate omnium Sanctorum, necnon die dedicationis ejuſdem eccleſiæ, & ultima Dominica poſt Pentecoſten, a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis ſequentis diei &c. Viginti annos, & totidem quadragenas &c. dictæ, & pro tempore exiſtenti dicti Monaſterii Prioriſſæ, tot Confeſſores idoneos ſeculares, vel Religioſos, quot expedire cognoverit, qui diebus feſtivitatum, celebritatis, & Dominicæ, necnon dedicationis hujuſmodi dictam eccleſiam viſitantes, eorum confeſſionibus diligenter auditis, in caſibus Sedi Apoſtolicæ non reſervatis duntaxat abſolvere & eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungere valeant, deputandi, auctoritate, & tenore præmiſſis licentiam, & facultatem concedimus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Tertio decimo, Decimo Septimo Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo,* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXIII fol.* 163.

Anno 1514 Die 23 Auguſti. XIV.

Pro Cœnobio Matiſconen. Conſtitutio ſic incipit: *Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Paſtoris &c. Cupientes igi-*

igitur, ut Altare in honorem Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum venerando, ac devoto Chriſti Sepulcro in Eccleſia domus Matiſconen., Ordinis Fratrum Prædicatorum, nuper per dilectum filium Antonium Penneti dicti Ordinis, & Theologiæ profeſſorem, ac Provinciæ Franciæ ſecundum morem dicti Ordinis, Procuratorem olim Provincialem fundata, & conſtructa, congruis frequentetur honoribus, & Chriſti fidelium devotio, ad venerandam Domini Paſſionem ſanctius recolendam peramplius excitetur, ipſique Chriſti fideles eo libentius ad dictum Altare confluant, quo ex hoc ibidem dono cæleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos &c. qui dictum Altare, quod ſub titulo, & vocabulo Paſſionis Dominicæ nuncupari volumus, ſingulis feriis ſextis cujuslibet hebdomadæ anni, ac in inventionis, & Exaltationis S. Crucis feſtivitatibus, devote viſitaverint, & flexis genibus, quinquies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, in memoriam, & venerationem, quinque vulnerum Chriſti, recitaverint, quoties id fecerint, quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus, ac eadem auctoritate concedimus, quod quoties Chriſti fideles ſingulis feriis ſextis, feſtivitatibus ſequentibus prædictis, devote viſitaverint, & inibi pro quibuſcumque defunctis, qui in unitate deceſſerint, etiam quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam, etiam flexis genibus, ut præfertur, recitaverint, relaxatio hujuſmodi, per modum ſuffragii ipſis defunctis ſuffragetur, ac hujuſmodi indulgentiam, ſub quibuſvis revocationibus &c. minime comprehenſam fore, ſed ab illis exceptam, & exemptam fore decernimus. Volumus autem, quod ſi alias dictum Altare viſitantibus, aut alias aliqua alia indulgentia, in perpetuum, vel ad certum tempus duratura, per Nos conceſſa fuerit, præſentes literæ nullius ſint roboris, vel momenti, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quarto decimo, Decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XLII fol. 3.*

Anno 1514 Die 16 Novembris. XV.

PRo Elborenſi, ſeu Eborenſi, Monaſterio B. Mariæ de Paradiſo. Conſtitutio ſic incipit: *Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dum præcelſa meritorum inſignia, quibus Regina Cælorum Virgo Dei Genitrix ſedibus prælata ſydereis, quaſi ſtella matutina prærutilat, devote conſideramus, & intra mentis noſtræ arcana revolvimus, quod in caſtiſſimo ejus utero, prout noſtri ſtatus exigebat neceſſitas, humanæ ſalutis geſtavit auctorem, & apud eum, quem ſuis ſacris lactavit uberibus, ſedulas pro noſtrorum remiſſione peccatorum preces effundit, dignum, quin potius debitum reputamus, ut in honorem ſui Nominis dedicata, Eccleſias, & religioſa loca gratioſis remiſſionum proſequamur impendiis, & indulgentiarum muneribus, decoremus. Cupientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii Monialium B. Mariæ de Paradiſo Elboren. Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum Prædicatorum degentium congruis frequentetur honoribus &c. qui eccleſiam prædictam, in aliqua ex ejuſdem B. Mariæ, & S. Johannis Baptiſtæ Nativitatis, & ipſius B. Mariæ Annunciationis, Purificationis, & Aſſumptionis feſtivitatibus, a primis veſperis, uſque ad ſecundas veſperas cujuslibet feſtivitatum earundem, devote viſitaverint, & ad reparationem &c. viginti annos, & totidem quadragenas &c. Præſentibus, quas ſub quibuſvis indulgentiarum ſuſpenſionibus, & in favorem fabricæ Baſilicæ ejuſdem S. Petri de Urbe, aut ſubſidii contra infideles, etiam per Nos, & Sedem Apoſtolicam factas hactenus, & in poſterum facien., comprehenſas non eſſe decernimus, perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem &c. literæ nullius fiat roboris, vel momenti. Datum Corneti Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quarto decimo, Sexto decimo Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Blondus.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXXVI fol. 5,* & ex exemplari authentico, cujus autographum eſt in Monaſterio *Eborenſi.*

Anno 1515 Die 5 Martii. XVI.

PRo Cœnobio Lugdunenſi. Conſtitutio ſic incipit: *Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dum præcelſa meritorum inſignia &c. Cum igitur, ut Eccleſia domus B. Mariæ Virginis Ordinis Fratrum Prædicatorum Lugdunen. quæ, ut accepimus, per dilectos filios Mercatores, & alios Cives Florentinos, ſumptuoſiſſimis lapidibus in honorem ejuſdem B. Mariæ Virginis eſt conſtructa, ad quam populi multitudo, ob crebra miracula, quæ per ejuſdem Glorioſiſſimæ Genitricis interceſſionem quotidie operatur Altiſſimus in feſto Annunciationis ejuſdem B. Mariæ annuatim confluit, congruis frequentetur honoribus &c. vere pœnitentibus, & confeſſis, ſeu confitendi propoſitum habentibus, qui eccleſiam prædictam, in Feſto prædicto, ac illius Præſentatione, necnon conſequentibus diebus ab ortu, uſque ad occaſum ſolis cujuslibet Feſti, & quatuor aliorum dierum hujuſmodi, incluſive, devote viſitaverint annuatim &c. Plenariam omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, indulgentiam, & remiſſionem, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium elargimur. Et inſuper, ut fideles ipſi, ad conſequendam indulgentiam hujuſmodi aptiores reddantur, eiſdem pro tempore exiſtentibus Presbyteros ſeculares, vel ejuſdem, aut cujuſvis alterius Ordinis regulares, quot neceſſarii fuerint, deputandi, ipſiſque Presbyteris deputandis, eccleſiam prædictam, pro conſequenda indulgentia hujuſmodi viſitantium, confeſſiones audire, & illis diligenter auditis, confitentes ipſos, & eorum ſingulos ab eorum omnibus peccatis, exceſſibus, & delictis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, præterquam offenſæ eccleſiaſticæ libertatis, criminum hæreſis, & rebellionis, aut conſpirationis in perſonam, vel ſtatum Romani Pontificis &c. auctoritate Apoſtolica præfata abſolvendi, eiſque pœnitentiam ſalutarem injungendi, necnon vota quæcunque per eos emiſſa, quæ commode adimplere nequiverint, in fabricæ dictæ eccleſiæ, & aliorum præmiſſorum opera mutandi, & ſi ultra Marina, ſeu viſitationis liminum eorundem Apoſtolorum de Urbe, vel S. Jacobi in Compoſtella, vota emiſerint, infirmitate detenti, vel aliqua maxima urgenti neceſſitate preſſi, vota ipſa adimplere nequiverint &c. ad reparationem dictæ eccleſiæ, & alia præmiſſa, ac juxta eorum facultates, aut arbitrium præfati Prioris erogare, vel tranſmittere, & quæcunque bona per fideles præfatos male ablata, dummodo quidem reſtitui debeant, in opus fabricæ, & reparationis, ac aliorum prædictorum commutandi, & ab illorum obſervatione, & adimpletione liberandi plenam, & liberam dicta auctoritate concedimus facultatem.*

Mandantes ſub excommunicationis pœna quibuſvis locorum ordinariis, rectoribus, & aliis perſonis &c. prædictas literas publicare, & publicari facere, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque &c. Volumus autem, quod ſi &c. ſeu alias aliqua alia indulgentia &c. conceſſa fuerit, præſentes nullius ſint roboris, vel momenti. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quarto decimo, (Stylo Bullarum, æræ communis MDXV) *Tertio Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo*. Ex Archivo Apoſtolico *Libro LXXV fol* 293.

Anno 1518 Die 18 Junii. XVII. PRo Cœnobio Simontorlano, Conſtitutio ſic incipit: *Leo Epiſcopus, Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ineffabilia Glorioſæ Virginis Dei Genitricis Mariæ meritorum inſignia &c. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Moyſes Birzlay de Torgellaka, Dominus in temporalibus Oppidi Simontorian., Veſprinen. Diœceſis, unam domum ſub invocatione ejuſdem B. Mariæ Ordinis Fratrum Prædicatorum cum Eccleſia, campanili, campanis, clauſtro, refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu, & habitatione nonnullorum Fratrum ejuſdem Ordinis, ope, & impenſa ſuis in dicto Oppido, conſtrui, & ædificari facere cœperit, & pro ejuſdem fabricæ perfectione &c. vere pœnitentibus, & confeſſis, ſeu confitendi propoſitum habentibus, dictam eccleſiam in Aſſumptionis ejuſdem B. Mariæ, & S. Georgii Martyris feſtivitatibus, ac prima die Dominicæ Quadrageſimæ, a primis veſperis, uſque ad occaſum ſolis cujuslibet feſtivitatum, devote viſitaverint, & ad perfectionem, conſervationem, & fulcimentum prædicta, manus porrexerint adjutrices, pro ſingulis feſtivitatibus, & die Dominica hujuſmodi, quibus id fecerint, duodecim annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus. Et cum, ſicut etiam accepimus, felicis recordationis Innocentius PP. VIII Prædeceſſor noſter, pro perfectione, & conſervatione eccleſiæ S. Andreæ dictæ Diœceſis, per dictum Moyſem constructæ, facultatem deputandi in ea certos Confeſſores, qui accedentes ad eandem eccleſiam infraſcriptis caſibus abſolvant conceſſerit, ut Chriſti fideles, eandem eccleſiam B. Mariæ viſitantes, animarum ſuarum ſalutem, facilius conſequi poſſint, Priori dictæ domus pro tempore exiſtenti, in feſtivitate Aſſumptionis hujuſmodi, & per duos dies ante, tres, vel quatuor, aut plures Confeſſores idoneos prædicti, vel cujuſvis alterius Ordinis regulares, ſeu ſeculares, qui ad ipſam eccleſiam, pro conſequenda relaxatione pœnitentiarum hujuſmodi accedentium fidelium confeſſionibus, diligenter auditis, eos, & eorum quemlibet, a quibuſcunque criminibus, exceſſibus, & delictis, quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, præterquam contentis in Bulla in die Cœnæ Domini legi conſueta, abſolvere, eiſque pro commiſſis, pœnitentiam ſalutarem injungere valeant, deputandi auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, concedimus facultatem, præſentibus quoque ſub quibuſvis ſimilium indulgentiarum revocationibus; aut ſuſpenſionibus &c. nullatenus comprehendi debere, ſed ab illis ſemper exemptas exiſtere decernimus, quoad relaxationem pœnitentiarum perpetuis futuris temporibus, & quoad facultatem deputandi Confeſſores hujuſmodi, uſque ad decennium duntaxat valituris. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Decimo octavo, Quarto decimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLXI fol.* 155.

Anno 1514 Die 8 Junii.

Papienſe (1) Monaſterium Ordinis S. Benedicti committit curæ Fratrum Prædicatorum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVIII. Dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Sancti Apollinaris extra muros Papien. Ordinis Fratrum Prędicatorum.

L E O PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatiş cauſa. DUdum poſtquam felicis recordationis Innocentius Papa VIII Prędeceſſor noſter per diverſas ſuas in forma Brevis literas, tunc Vicario Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum Congregationis Lombardię, ac etiam tunc Priori, & dilectis filiis Fratribus Domus veſtrę Sancti Apollinaris extra muros Papien. dicti Ordinis, ut Sancti Benedicti, cui Monaſterium ejuſdem Sanctę Marię de la C...., S. Martini nuncupatum, extra portam Papien. ejuſdem Ordinis Sancti Benedicti unitum extitit, illorumque Abbatiſſę, & Monialium curam ſuſciperent, eiſque de Confeſſore idoneo providerent, inter alia mandaverat, per pię memorię Alexandrum PP. VI, etiam Prędeceſſorem noſtrum accepto, quod pręfati Generalis, Prior, & Fratres curam, & directionem hujuſmodi recuſabant, idem Alexander Prędeceſſor pręfatis & pro tempore exiſtentibus Vicario Generali Ordinis Prędicatorum, & Congregationis, necnon Priori, & Fratribus Domus hujuſmodi in virtute ſanctę Obedientię, & ſub excommunicationis latę ſententię pęna, per alias ſuas literas mandavit, ut contenta in literis Innocentii Prędeceſſoris hujuſmodi effectui quamprimum demandare curarent, ac pro tempore in dictis Monaſteriis degentibus Abbatiſſę, & Monialibus Sacramenta, quoties foret neceſſarium, miniſtrarent, vel miniſtrare facerent, ac eaſdem Abbatiſſam, & Moniales, necnon Monaſteria hujuſmodi, quoties expediret, viſitarent, & corrigerent, ac alia in ipſius Alexandri Prędeceſſoris literis contenta facerent. Et deinde per eundem Alexandrum accepto, quod per dictas ſuas literas juriſdictioni bonę memorię Aſcanii (3) Marię Sancti Viti in Macello Martinin. (4) Diaconi Cardinalis tunc perpetui Adminiſtratoris Eccleſię Papien., & pro tempore exiſtentis Epiſcopi Papien. quoad viſitationem, correctionem, & ſuperioritatem Monaſterii de Storis, & illius Abbatiſſę, & Mo-

Monialium pro tempore exiſtentium prędiudicium generabatur, prędatus Alexander Prędeceſſor prędictas ſuas literas, etiam per alias ſub ſimili forma ab eo emanatas motu proprio revocavit, & eiſdem Vicario, Priori, & Fratribus ſub eadem excommunicationis pęna, ne ex nunc de cetero Abbatiſſam, Moniales, & Monaſterium de Storis hujuſmodi viſitare, corrigere, ac eis eccleſiaſtiea Sacramenta miniſtrare, ſeu in illis aliquam ſuperioritatem exercere auderent, inhibuit, & ex nunc Abbatiſſę, & Monialibus prędictis; ut a Cardinali, & Adminiſtratore, vel ejuſdem Vicariis, & Officialibus ſe viſitari permitterent mandavit, quarum prętextu pręfatę Abbatiſſę, & Moniales a cura, & viſitatione hujuſmodi ſe abſtinuerunt. Et tamen conſiderarent pro earum parte, & quiete ſub cura, & regimine eorundem Vicarii, Prioris, & Fratrum ſine prędiudicio Cardinalis, & Epiſcopi prędictorum vivere (5) prędatus Alexander Prędeceſſor per alias ſuas etiam in forma brevis literas Vicario, Priori, & Fratribus prędatis, tunc & pro tempore exiſtentibus ſub cenſuris, & pęnis Eccleſiaſticis in prioribus ſuis literis contentis, ut Monaſteria, & Abbatiſſam, ac Moniales prędictas ſub eorum cura, & gubernatione alias juxta ſingularum literarum Alexandri Prędeceſſoris hujuſmodi tenorem ſine prędiudicio juriſdictionis Ordinarii, prędicti Cardinalis, ſeu Epiſcopi Papien. pro tempore exiſtentis reciperent, & alia in ipſis literis contenta facerent, etiam quoad confirmationem Abbatiſſę dicti Monaſterii de Storis, ac in illo, & illi annexo Monaſterio prędicto adminiſtrationem habentium, & illarum inde amotionem facerent de conſenſu tamen dicti Ordinarii, & quoties confirmatio, & amotio prędictę faciendę eſſent abſque prędiudicio juriſdictionis Ordinarii fierent, iiſdemque Abbatiſſę, Monialibus, ac Monaſteriis, ut certis, tunc expreſſis, privilegiis, & exemptionibus gaudere poſſent, indulſit, prout in ſingulis literis Innocentii, & Alexandri Prędeceſſorum hujuſmodi deſuper confectis plenius continetur. Cum autem, ſicut dilectus filius noſter Antonius (6) tituli Sancti Vitalis Presbyter Cardinalis, qui dictę Eccleſię Papien. perpetuus Adminiſtrator (7) in ſpiritualibus, & temporalibus per Sedem Apoſtolicam deputatus exiſtit, ſuo, & dilectarum in Chriſto filiarum modernę Abbatiſſę, ac Conventus, & Monialium dictorum Monaſteriorum nominibus, Nobis nuper expoſuit Prior, & Fratres prędicti ab annis fere octo, vel circa ab hujuſmodi viſitatione, & gubernatione ceſſaverint, dictus Antonius Cardinalis ſuo, ac Abbatiſſę, & Monialium prędictarum nominibus hujuſmodi Nobis humiliter ſupplicavit, ut eorundem Abbatiſſę, & Monialium ſtatui in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ad ea libenter intendimus per quę Religioſarum perſonarum pręſertim fęminei ſexus ſtatui, & profectui valeat ſalubriter provideri, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis in virtute Sanctę obedientię, & ſub excommunicationis latę ſententię pęna eo ipſo incurrenda diſtrictius pręcipiendo mandamus, ut Abbatiſſę, & monialibus dictorum Monaſteriorum, nunc, & pro tempore exiſtentibus de idoneo Confeſſore juxta tenorem literarum Innocentii, & Alexandri Prędeceſſoris hujuſmodi cum eadem facultate abſolvendi, providere, eaſque juxta antiquam, & laudabilem conſuetudinem ſuam viſitare, necnon in confirmatione Abbatiſſę pro tempore, per prędatum Antonium Cardinalem, & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Papien., ſeu eorum Vicarium faciendę, pro teſtibus aſſiſtere auctoritate noſtra curetis, non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quę dicti Prędeceſſores in prędictis eorum literis voluerunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę VIII Junii MDXIV, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Mandatum.

1. *Papienſe.*) In *Inſubria.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi* pag. 62.
3. *Aſcanii.*) E gente *Sfortia*. Adeas *Ciaconium Vit. Pontif., & Cardinal. Tomo III ad an. MCCCCLXXI pag.* 86.
4. *Martinin.*) *Martyrum.*
5. *Vivere.*) Turbatus locus.
6. *Antonius.*) *Cocchi*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif., & Cardinal. Tomo III ad an. MDIII pag.* 291.
7. *Adminiſtrator*,) Hinc nonnunquam Cardinalis *Papienſis* vocatur.

De bonis abalienandis (1) in Italia.

Anno 1514 Die 15 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilectis filiis Magiſtro Generali, ac Vicario Congregationis Sancti Marci Ordinis Prędicatorum.

XIX.

L E O PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRo paſtorali officio noſtro, bonorum omnium Eccleſiaſticorum, & religioſorum locorum utilitatem afferentes, tenore prędentium concedimus, ut pro tempore exiſtens tam Magiſter Generalis, quam Vicarius Congregationis Sancti Marci Ordinis Prędicatorum, ſibi ſubditis in Italia Conventibus, Fratribus, Monaſteriis, Sororibus, ſeu Monialibus, necnon Collegiis, ac perſonis utriuſque ſexus, de Pęnitentia dicti Ordinis nuncupatis, concedere poſſit, quod commutare, & vendere poſſint bona immobilia, quę nunc habent, & in poſterum juſto titulo habituri ſunt, pro evidenti utilitate ipſorum Conventuum, Monaſteriorum, vel Collegiorum, proviſo tamen quod pretium eorum, ſi vendantur, centum ducatorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum non exeedat, & in emptionem, vel reparationem, & augmentum aliorum immobilium magis utilium, aut neceſſariorum bonorum eum effectu convertatur. Et ad hoc accedat aſſenſus majoris partis vocalium Conventus, Monaſterii, vel Collegii, cujus ſunt. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & ſpecialiter felicis recordationis Pauli Secundi Prędeceſſoris noſtri contra alienantes res Eccleſiaſticas, ceteriſque in contrarium non obſ-

obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris die XV Junii Anno Domini MDXIV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Abalienandis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar.

Anno 1514 Die 1 Septembris.

F. Johanni de Toledo (1) poteſtatem facit ſacra celebrandi tempore interdicti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XX.

Dilecto filio Fratri Johanni de Toledo Ordinis Prędicatorum Profeſſori.

LEO PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Sincerę devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam Eccleſiam gerere comprobaris, ac Religionis zelus, necnon tui generis nobilitas promeretur, ut votis tuis libenter annuamus, ac te, tuique Ordinis domos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Hinc eſt, quod Nos, tuis ſupplicationibus Facultas. inclinati, volumus, & auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus, ut te, qui, ut aſſeris cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi (3) Hiſpaniarum Regis Catholici, nepos, ſeu conſanguineus, ac dilecti filii nobilis viri Federici de Toledo Ducis de Alba natus, ac Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor exiſtis, ſeu aliquo ex quatuor dicti Ordinis Fratribus profeſſoribus per te pro tempore eligendis in domo S. Stephani Salamantini (4) ejuſdem Ordinis, exiſtentibus, in eadem domo, tempore interdicti etiam auctoritate Apoſtolica appoſiti, in ſingulis Purificationis, Annunciationis, Viſitationis, Aſſumptionis, & Nativitatis B. Virginis, ac S. Stephani feſtivitatibus, publice, altaque voce, ac campanis pulſatis, Miſſas, & alia divina officia per ejuſdem domus Fratres, dummodo ipſi interdicto Apoſtolica auctoritate appoſito cauſam non dederint, ac eos ſpecialiter interdici non contingat, nec per illos ſteterit quo minus fiat paritio in his, propter quę interdictum appoſitum fuit, per illius Fratres celebrare poſſint, & valeant. Et nihilominus venerabili Fratri Epiſcopo Aſculan., & dilectis filiis Priori S. Vincentii intra, per Priorem, ac Miniſtro S. Trinitatis extra muros Salamantinos Monaſteriorum per Miniſtrum gubernari ſolitorum per pręſentes mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, te, ſeu Fratrem per te eligendum, & in domo exiſtentem hujuſmodi, ac ipſius domus Fratres conceſſione, & voluntate noſtris hujuſmodi pacifice frui, & gaudere, non permittentes te, ac Fratrem exiſtentem, & domum hujuſmodi deſuper quomodolibet moleſtari, contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, & alia juris remedia compeſcentes, invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die I Septembris MDXIV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Jo: Cannotius.

1. *Johanni de Toledo.*) Poſteà S. Romanæ Eccleſiæ Cardinali, ut in *Appendice ad Pontificatum Pauli III* dicetur.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol. 39*, ex autographo *Salmanticenſi*.

3. *Ferdinandi.*) Hujus nominis *V.*

4. *Salamantin.*) Seu *Salmanticen.* in *Hiſpania*.

Anno 1514 Die 14 Septembris.

Andegavenſem (1) Confraternitatem (2) de Roſario, & de Pietate variis privilegiis, & indulgentiis ornat.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XXI.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Supplex petitio. AD Sacram Petri Sedem meritis licet imparibus divina diſpoſitione vocati &c. (4) Dudum ſiquidem felicis recordationis Sixto PP. IV, Prędeceſſori noſtro pro parte quondam Franciſci Ducis, & quondam Margaritę, dum viveret, contoralis Ducisſę Britanniæ expoſito, (5) quod in Ducatu Britannię, & quampluribus aliis locis creſcente fidelium devotione a certo retroacto tempore innovatus erat Nota. certus modus, ſive ritus orandi pius, & devotus, qui etiam antiquis temporibus a Chriſti fidelibus in diverſis mundi partibus obſervabatur, videlicet, quod quilibet volens eo modo orare dicebat qualibet die ad honorem Dei, & Beatiſſimę Virginis Marię toties Angelicam Salutationem Ave Maria quot ſunt pſalmi in pſalterio Davidico, videlicet centies, & quinquageſies ſingulis decem ſalutationibus hujuſmodi orationem Dominicam ſemel pręponendo, & iſte ritus, ſive modus orandi pſalterium Beatę Marię Virginis vulgariter nuncupabatur, unde Dux, & Ducisſa pręfati propter ſingularem, & ſinceram, quam ad Nota. ipſam Beatam Virginem gerebant devotionis affectum, ritum, ſive modum orandi prędictum ad obſtruenda ora aliquorum detrahentium, cupiebant per Sedem Apoſtolicam approbari, dictus Prędeceſſor eorundem Ducis, & Ducisſę, & aliorum plurimorum in ea parte ſupplicationibus inclinatus, pſalterium, ſive modum orandi prędictum auctoritate Apoſtolica per ſuas literas approbavit, illumque tolerandum fore, & multis fidelibus eo modo orare licere, decrevit, & declaravit, ac univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus pręfato modo orare volentibus ubilibet exiſtentibus, tunc pręſentibus, & futuris pro qualibet vice,

qua

qua ſic, ut pręmittitur, orarent, quinquaginta annos, & totidem quadragenas indulgentiarum miſeri-
corditer in Domino relaxavit, prout in eiſdem literis, quas perpetuis futuris temporibus durare voluit,
plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, & exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum
Johannis Lamberti, Theologię profeſſoris, Prioris, & Fratrum domus Sancti Dominici Andegaven.
Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, alias nonnulli cives Civitatis Andegaven., & alii
Chriſti fideles pia devotione ducti unam laudabilem Confraternitatem utriuſque ſexus Chriſtianorum ſub
invocatione ejuſdem Beatę Marię Virginis de Pietate, & Roſario, ſive capelleto, & pſalterio nuncupa-
torum in Eccleſia dictę domus, quę ex antiquioribus ex ejuſdem Ordinis domibus exiſtit, & in qua mul-
titudo Fratrum in univerſitate ſtudii Generalis in eadem Civitate vigentis literarum ſtudio inſiſtentium,
& ex ſolis eleemoſynis inibi pie erogatis degentium Domino famulari conſueverunt, inſtituerint, & or-
dinaverint, & illam variis privilegiis, indulgentiis, & conceſſionibus decorari obtinuerint, pro parte
Johannis Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut literis, ac inſtitutioni,
& ordinationi Confraternitatis hujuſmodi, necnon omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, con-
ceſſionibus, largitionibus &c. & aliis quibuſcunque eidem confraternitati, & illius Confratribus pro
tempore exiſtentibus quomodolibet conceſſis robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias in pręmiſ-
ſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingulos Chriſti fideles
ad pietatis opera, quantum cum Deo poſſumus, libenter excitamus, ac animarum ſalutem ſinceris affec- Indulgentiæ.
tibus deſideramus, Priorem, & Fratres prędictos, ac eorum ſingulos, a quibuſvis excommunicatio-
nis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati literas Sixti Prędeceſſoris, & inſtitutionem, &
ordinationem hujuſmodi confraternitatis, necnon omnia, & ſingula privilegia, indulgentias, non ta-
men plenarias, conceſſiones, donationes, largitiones, & alia quęcunque Confraternitati, & pro tem-
pore exiſtentibus Confratribus prędictis per quoſcunque alios Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros,
& alios Pręlatos quomodolibet conceſſa auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & con-
firmamus, & perpetuę firmitatis robur obtinere debere decernimus, ſupplentes omnes, & ſingulos defec-
tus, ſi qui in conceſſionibus Pręlatorum, & inſtitutione Confraternitatis hujuſmodi forſan intervenerint,
& nihilominus, cum, ſicut accepimus, dicta domus nimia vetuſtate in pleriſque ejus ędificiis collapſa,
& ruinę obnoxia exiſtat, ac a quindecim annis citra bis ignis incendio damnum perpaſſa fuerit, & pro il-
lius reſtauratione, & manutentione facultates ipſius domus, quę nullos prorſus proventus, ſeu redditus, Nota.
habet, non ſuppetant, ſed ſint Chriſti fidelium ſuffragia ad hoc plurimum opportuna, ut domus, & ec-
cleſia hujuſmodi ad Dei laudem, divinique cultus, & religionis, ac devotionis conſtructionem, & aug-
mentum debite reparetur, reſtauretur, conſtruatur, & manuteneatur, ac Chriſti fideles pro pręmiſſis
manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe re-
fectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate
confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus dictę Confraternitatis Confratribus, qui pro manutentione
Fratrum dictę domus pro tempore exiſtentium de bonis ſibi a Deo collatis quoſcunque denarios Turonen.
monetę currentis annis ſingulis perſolverint, ut aliquem presbyterum idoneum ſecularem, vel cujuſ-
vis Ordinis regularem in ſuum Confeſſorem, qui vita eis comite, ipſorum Confratrum vota quęcunque
ſimplicia in alia pietatis opera commutare valeat, eligere poſſint, ac quod unum, vel duo, Altaria in
Eccleſiis locorum, in quibus eos pro tempore reſidere contigerit, quemquis infirmus, vel debilibus (6)
aut occupatis ſemel orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam juxta eorum poſſe ſingulis
diebus recitando, aliis autem dictam Confraternitatem ingreſſis, & ingredi volentibus, & aliis omnibus
Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ſeu propoſitum confitendi habentibus, & dictam Eccle-
ſiam in Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes, atque feria ſexta (7) poſt Dominicam in Nota.
Paſſione Domini celebritatibus, exinde Beatę Virginis de Pietate feſtivitatum, necnon celebritatis om-
nium Sanctorum, & ſecunda Dominica quadrageſimę diebus viſitantibus, aut de bonis ſuis pro pręmiſſis
tribuentibus, & ad illam mittentibus, & manus adjutrices porrigentibus, duo, vel tria Altaria per Prio-
rem, & Vicarium dictę domus pro tempore exiſtentem deputata, viſitando, & ante quodlibet eorundem
Altarium orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam recitando, omnes & ſingulas indul-
gentias, & peccatorum remiſſiones, quas conſequerentur ſi ſingulis diebus ſingulas Eccleſias, quę a
Chriſti fidelibus propter indulgentias ſtationum conſequendas viſitari ſolent, perſonaliter viſitarent,
ipſique Confratres, & eorum ſinguli, ut ſingulis diebus totius anni indulgentias viſitantibus aliis diebus
dictam Eccleſiam conceſſas perinde, ac ſi Eccleſiam ipſam perſonaliter viſitarent, reſpective conſequan-
tur, quodque dicti Confratres, & ipſorum parentes, qui per caritatem ab hac luce Deo uniti deceſſerint Nota,
per modum ſuffragii eorundem parentum omnibus bonis, quę in militanti Eccleſia fiunt ſpecialiter parti-
cipes exiſtant, auctoritate prędicta tenore pręſentium perpetuo indulgemus, & inſuper eiſdem Confra-
tribus, ac omnibus, & ſingulis aliis Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ſeu propoſitum con-
fitendi, ut pręfertur, habentibus, qui dictam Confraternitatem ingreſſi fuerint, ac Eccleſiam domus
hujuſmodi in ſupradictis Nativitatis Domini, & Pentecoſtes, ac Beatę Marię de Pietate feſtivitatum, nec
non celebritatis omnium Sanctorum, & ſecundę Dominicę quadrageſimę prędictorum diebus a primis
veſperis uſque ad occaſum ſolis diei ſequentis cujuslibet feſtivitatum, & dierum eorundem incluſive de-
vote viſitaverint, & pro reſtauratione, conſervatione, & conſtructione, dictę domus, & illius Fra-
trum victibus manus adjutrices porrexerint quadraginta annos, & totidem quadragenas, aliis vero qui
ſalutationi (8) Beatę Marię Virginis, quę poſt completorium a dictis Fratribus in Eccleſia domus hujuſ- Nota.
modi ſingulis diebus decantatur devote interfuerint, ac pro unitate univerſalis Eccleſię, & pace Regni,
& pro tempore exiſtentis Regis Francię Altiſſimo preces effuderint, tres annos, & totidem quadragenas Nota.
de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Et nihilominus, ut Confratres, & alii
Chriſti fideles prędicti hujuſmodi indulgentias Deo propitio facilius conſequi poſſint, Priori, & Fratri-
bus dictę domus pro tempore exiſtentibus aliquos Confeſſores idoneos ſeculares, vel cujuſvis Ordinis re-
gulares, qui dictis feſtivitatum, vel celebritatis, ac ſecundę Dominicę quadrageſimę prędictorum diebus
eorun-

eorundem Confratrum, & aliorum Chriſti fidelium confeſſionibus diligenter auditis, ipſos, & eorum ſingulos in quibuſvis caſibus dictę Sedi non reſervatis abſolvere poſſint in Eccleſia, & domo hujuſmodi, necnon plures Prędicatores, qui etiam in Civitate Andegaven., & dicta Diœceſi indulgentias prędicatas, & populum ad obſervationem mandatorum Dei, ejuſque Glorioſiſſimę Marię Virginis Immaculatę Matris laudem, & gloriam, & manus adjutrices ad pręmiſſa porrigendum exhortari, & monere poſſint, & valeant, deputandi, plenam, & liberam auctoritate, & tenore prędictis facultatem concedimus, ac hu-

Nota:

juſmodi indulgentias ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, & derogationibus ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum, quę a Nobis, & Sede Apoſtolica, etiam ratione fabricę Principis Apoſtolorum de Urbe, ſeu etiam Civitate, vel alias ex quacunque urgenti, & neceſſaria cauſa, quoties emanarunt, & forſan emanabunt, minime comprehenſas eſſe, nec comprehendi debere, ſed ſemper ab illis exceptas exiſtere, & illis non obſtantibus pręſentes literas, & indulgentias per illas conceſſas in ſuis plenis robore, virtute, & efficacia ſemper remanſiſſe, & remanere juxta illarum continentiam, & tenorem, ac Chriſti fidelibus ipſis ſuffragari debere, nec illarum publicationem impediri poſſe decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Ceterum quia difficile foret pręſentes literas ad ſingula quęcunque loca &c. deferre, volumus, & etiam dicta auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis &c. ea prorſus fides adhibeatur &c. quę pręſentibus adhiberetur ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quarto decimo, Decimo octavo Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Andegaven.*) Vulgo *Angers*, in *Gallia*.
2. *Confraternitatem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV*,
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXVIII fol.* 113.
4. *Vocati &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
5. *Expoſito.*) Vide *Conſtitutionem CXXII Sixti IV.* Legitur *Tomo III pag.* 176.
6. *Quem quis infirmus, vel debilibus.*) Turbatus locus.
7. *Feria Sexta.*) Qua feſtum *Compaſſionis B. Marię Virginis* celebrant Fratres Prędicatores.
8. *Salutationi.*) Quę incipit *Salve Regina*.

Anno 1514 Die 14 Septembris.

Conſervatores creat qui præcedens Diploma ſervandum curent.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XXII.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Lugdunen., & Epiſcopo Redonen., ac dilecto filio Abbati Monaſterii S. Florentii Andegaven. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie quaſdam literas felicis recordationis Sixti PP. IV Prędeceſſoris noſtri approbationis modi, ſeu ritus orandi, Pſalterii B. Marię Virginis nuncupati, videlicet recitandi ſingulis diebus centies, & quinquageſies Salutationem Angelicam ſingulis decem Salutationibus hujuſmodi Orationem Dominicam pręponendo, & inſtitutionem, & ordinationem Confraternitatis utriuſque ſexus perſonarum ſub invocatione ejuſdem B. Marię de Pietate, de Roſario, ſive Capelleto, & Pſalterio nuncupatę in Eccleſia Domus S. Dominici Andegaven. Ordinis Fratrum Prędicatorum alias inſtitutę, necnon omnia, & ſingula privilegia, Indulgentias &c. prout in eiſdem inde confectis plenius continetur. Quocirca &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę literę, vobis pręſentatę fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios, eaſdem literas, & in eis contenta quęcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dilectorum filiorum Johannis Lamberti Prioris, & Fratrum dictę Domus, nunc, & pro tempore exiſtentium, fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis, auctoritate noſtra, Inſtitutionem, ordinationem, privilegia, donationes, conceſſiones, & alia in eiſdem Literis noſtris contenta prędicta, firmiter obſervari, ac ſingulos, quos dictę literę noſtrę concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcunque, contra earundem literarum noſtrarum tenorem, quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores &c. Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus omnibus, quę in dictis literis, voluimus non obſtare, ſeu ſi aliquibus &c. ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quarto Decimo, Decimo octavo Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXVIII fol.* 117.

Anno 1514 Die 2 Octobris.

Ontinienſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXIII.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Univerſitatis Oppidi de Ontinient, Valentinę Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium;

SIncerę devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam Eccleſiam gerere comprobamini, non indigne meretur, ut petitionibus veſtris, quę ad religionis propagationem, & divini cultus augmentum, ac ſpiritualem animarum veſtrarum conſolationem pertinere noſcuntur, ad exauditionis gratiam admittamus, & ut votivos ſortiantur effectus, opem, & operam, juxta commiſſi Nobis deſuper paſtoralis Officii debitum, efficaces impendamus. Sane pro parte veſtra, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod vos, provide attendentes numerum incolarum, & habitatorum oppidi veſtri de Ontinient, Valentin. Diœceſis, benedicente Domino, adeo ereviſſe, ut paſſim ipſius oppidi Eccleſia tanti populi ad eam pro divi-

Diplomatis cauſa.

divinis audiendis, accedentis, vix capax exiſtat, Presbyteros quoque, in eadem Eccleſia reſidentes, ſeu illi ſervientes, ad audiendum in Feſto Paſchatis dictorum incolarum, & habitatorum Confeſſiones, nequaquam ſufficere, ac ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum, Reformatorum nuncupatorum, & illius perſonas, propter eorum laudabiles mores, vitę ſanctimoniam, & verbi Dei prędicationem, geritis, devotionis affectum, in quodam loco intra pręfatum oppidum ad hoc convenienti, & per vos jam deputato, unam Domum ſub invocatione Sanctorum Johannis Baptiſtę, & Johannis Evangeliſtę (3) pro perpetuis uſu, & habitatione aliquorum Fratrum dicti Ordinis, cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui, & ędificari facere proponitis, ſi vobis ad hoc Apoſtolicę Sedis auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte tam veſtra, quam dilecti filii Philippi Scarner (4) moderni Vicarii Provincialis Congregationis dictorum Fratrum Reformatorum in Provincia Aragonię juxta morem dicti Ordinis, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis unam Domum ſub invocatione, & in loco pro uſu, & habitatione prędictis, ad inſtar aliarum Domorum Ordinis, & Congregationis eorundem, conſtrui, & ędificari faciendi, ut pręfertur, & dicto Vicario in illam, poſtquam conſtructa fuerit, aliquot dictorum Ordinis, & Congregationis Fratres de eorum ſuperiorum conſenſu introducendi, eiſque Domum prędictam recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam, & facultatem concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, pium, & laudabile deſiderium veſtrum hujuſmodi plurimum in Domino commendantes, voſque, & ſingulares perſonas ex vobis, & dictum Philippum Vicarium a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum duntaxat pręſentium conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, vobis unam Domum ſub invocatione, & loco prędictis, cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, Refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis Officinis, pro perpetuis uſu, & habitatione dictorum Fratrum, ad inſtar aliarum Domorum hujuſmodi, conſtrui, & ędificari faciendi, & dicto Vicario in eam, poſtquam conſtructa, & ędificata fuerit, aliquos eorundem Ordinis, & Congregationis Fratres, de eorum Superiorum conſenſu, introducendi, necnon eidem Vicario, & Fratribus Domum prędictam recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam, & facultatem concedimus: Necnon Fratribus in dicta Domo pro tempore degentibus, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, & indultis, quibus alii aliarum Domorum dictorum Ordinis, & Congregationis Fratres utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, utantur, potiantur, & gaudeant, de ſpecialis dono gratię indulgemus, jure tamen dictę Parochialis Eccleſię, & alterius cujuslibet in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, qua prohibetur, ne qui Ordinum Mendicantium Fratres nova loca ad habitandum recipere pręſumant abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum, de prohibitione hujuſmodi mentionem, & quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & Conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. abſolutionis, conceſſionis, & indulti infringere, vel &c. Datum in Civitate Caſtellana Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimoquarto, Sexto Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Ontinien.*) In Regno *Valentię*, in *Hiſpania*.
2. *Archivo*,) In quo exemplar authenticum ex autographo *Ontinien.*
3. *Sanctorum Johannis Baptiſtę*, & *Johannis Evangeliſtę*.) Nunc *Sanctorum Johannis*, & *Vincentii Ferrerii*,
4. *Philippi Scarner.*) Vel *Eſcarner*, ut legitur apud *Franciſcum Diago*, qui *Philippi* meminit *Hiſtor. Provincię Aragonię Lib. I Cap. XLVIII pag. 80.*

Anno 1514 Die 10 Octobris.

Provinciam Bæticam (1) dividit ab Hiſpanica, & Decretum contra diuturnitatem (2) Priorum &c. renovat.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XXIV.

Dilecto filio Thomę (4) de Vio Cajetano Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum.

L E O PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXpoſuiſti Nobis, quod Fratres Ordinis Prędicatorum Provincię Hiſpanię in proxime pręterito ſuo Capitulo Provinciali concluſerunt, dictę Provincię diviſionem in duas Provincias, vitę regulari, quieti Fratrum, ac paci utilem ſatis, & neceſſariam eſſe; Eo maxime quia propter ejus amplitudinem, Conventuum a ſe invicem diſtantium, vix ab uno Provinciali tota viſitari poteſt; propter quod etiam mutatio Fratrum moleſtiſſima eſt; quodque, quia ſine Apoſtolica auctoritate non poſſit hęc diviſio fieri, te rogaverunt, ut noſtram, ac opportunam auctoritatem impetrares, utque providere dignaremur de benignitate Apoſtolica humiliter ſupplicaſti. Nos, tranquillum ſtatum omnium Religioſorum, pręſertim regulariter viventium, fovere, gratiiſque, ac favoribus augere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tenore pręſentium dividimus dictam Provinciam ſecundum morem dicti Ordinis Prędicatorum in duas Provincias in dicto Ordine, dividendo ſitum earum flumine Anę (5), vulgariter Guadiana nuncupato, ita quod citra ſit & vocetur Provincia Hiſpanię, contineatque omnia loca ibidem pręſentia, Diviſio.

& ſu-

& futura, perſonarumque utriuſque ſexus etiam tertii habitus, & perſonas ipſas, quę ad dictum Ordinem quomodolibet ibi ſpectant, ſolitumque hactenus locum Provincia Hiſpanię in dicto Ordine teneat; ultra vero ſit, & vocetur Provincia Andalogię (6), reliquum, ut de altera dictum eſt, continens. Itaque utraque Provincia habeat proprium Provincialem, & gaudeat utraque Provincia, & uterque Prior Provincialis, & omnia utriuſque pro tempore membra, omnibus exemptionibus, & gratiis, ſeu privilegiis, quibus cetere dicti Ordinis Provincię, & reliqui Priores Provinciales gaudent, & in poſterum gaudebunt: Volumus autem, & tenore pręſentium ſtatuimus, ut in utraque Provincia locum habeat in omnibus,

Decretum renovat, ut ſupra.

& per omnia ſtatutum de duratione Pręſidentium per felicis recordationis Julium Papam II Prędeceſſorem noſtrum in toto Ordine prędicto, quamvis revocatum in parte dicatur, his duntaxat exceptis, & adjunctis, quod Priores Conventuales poſſint durare triennio, & poſſint reeligi, aut alias Priores fieri in eodem Conventu poſt annum immediate ſequentem terminum pręcedentis Prioratus ſui in eodem Conventu. Prioriſſę vero Monaſteriorum, & Collegiorum Sororum Tertii habitus Collegialiter viventium poſſint

Nota.

quadriennio tantum durare, & poſſint vacante Prioratu immediate reeligi, aut Prioriſſę ibi fieri, ſi ex quinque partibus Sororum Monaſteriorum, ſeu Collegiorum quatuor vellent unanimiter eandem iterum immediate pręfici; quicquid autem ſecus contra hujus ſtatuti durationem, reelectionem, aut iteratam pręfectionem fieri contigerit, irritum, & inane eſſe decernimus. Statuimus quoque quod prębendę, quas in Collegio Valliſoletano hactenus habuerunt, quę de cetero ſpectabunt ad Provinciam Andalogię apud eos, & dictam Andalogię Provinciam maneant, ſicut hactenus habuerunt, cum eſſent pars Provincię Hiſpanię, non obſtante quod Provincialis Andalogię non juret ſervare ſtatuta dicti Collegii. Et quod poſſit dicta Provincia Andalogię aſſignare pro tempore in Conventu S. Stephani Salmanticen. pro ſtudio decem Fratres pro contributionibus conſuetis. Volentes quod quilibet Frater, qui extra Conventus, & loca ſuę Provincię invenietur, in altera harum in hac diviſione aſſignatus, ſit aſſignatus tenore pręſentium in Conventu ſuo, cujus eſt filius, poſſitque a ſuo ſuperiori, de eo, & tunc, & poſt, aliter diſponi: per hoc tamen non intendimus mutare eum, qui nunc eſt Prior Provincialis Provincię Hiſpanię ab officio, & cura novę Provincię Hiſpanię, ſed ipſum relinquimus ſuper novam Provinciam Hiſpanię, ac ſi ſuper ipſam tantum hactenus fuiſſet; committimuſque nihilominus tibi, ac mandamus, ut petitionibus, quas dicti Capituli Provincialis Definitores tibi obtulerunt in hujus diviſione examinandas, ac prout tuę videbitur diſcretioni moderandas, poſt maturam diſcuſſionem, prout tibi videbitur, ſatisfacias, & his quę ordinaveris, ac pręceperis, noſtra, quam tibi per pręſentes concedimus, auctoritate, perpetuę firmitatis robur adiicere poſſis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, Ordinationibus, ac privilegiis Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, etiamſi de eis, & dicto Ordine, ac Provincia, eorumque totis tenoribus expreſſa, ſpecifica, individua, ac de verbo ad verbum, & non per clauſulas generales idem importantes, mentio habenda eſſet, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum in Civitate noſtra Viterbii ſub annulo Piſcatoris die X Octobris MDXIV Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Bæticam.*) Seu *Andaluzia*. Notandum tamen quod *Bætica* latius patet quam *Andaluzia*.
2. *Diuturnitatem.*) De qua in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar.
4. *Thomæ.*) Cujus mentio in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
5. *Ana.*) Fluvius ex magnis *Hiſpania Tarraconen.*
6. *Andalogia.*) Seu *Andaluzia*.

Anno 1514 Die 10 Octobris.

Ne Moniales exeant (1) e Monaſteriis ſine licentia Magiſtri Ordinis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXV.

Dilecto filio Thomę (3) de Vio Cajetano Ordinis Prędicatorum Generali Magiſtro.

L E O PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXpoſuiſti Nobis, mulieres aliquas, tui Ordinis curę commiſſas, prętextu facultatum ab Apoſtolica Sede, vel ejus Legatis, aut quomodolibet alias conceſſarum, abſque propriorum Pręlatorum conſenſu a Monaſteriis exeuntes, poſtquam vel vagatę, vel ad placitum extra commoratę fuerint, ad Monaſterium redire volentes, prębere aliis Monialibus, vel Sororibus exemplum vagandi, & redeundi, non ſine ſcandalo, & inquietudine illarum; quod abſit. Hinc, ut providere dignaremur de benignitate Apoſtolica humiliter ſupplicaſti. Nos commune bonum Monaſteriorum, ac Collegiorum particularium

Decretum.

perſonarum commodis pręponentes, & tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, & ampliori gratia communem ſtatum fragilis ſexus tueri cupientes, tenore pręſentium, quod nullum ſub tui Ordinis Obedientia Monaſterium, ſive Collegium mulierum teneatur recipere quamcunque Sororem, ſeu Monialem, quę ſine Magiſtri Generalis licentia conceſſa Monaſterium, ſeu Collegium exierit totaliter, vel ad tempus, & ob quamcunque cauſam, cujuſcunque facultatis ab Apoſtolica Sede, vel alias in poſterum concedendę prętextu, & quod habentibus ex nunc, & pro tempore licentiam hujuſmodi exeundi, poſſit quilibet earum ſuperior terminum ſtatuere duorum menſium, vel circa, infra quem aut concedantur ſine ſpe redditus, aut authentice renuncient tali gratię, ne ſit Monaſterium in continua moleſtia, & ſi infra hujuſmodi ſtatutum terminum, neutrum fecerit, caſſare, annullare, atque irritare gratiam hujuſmodi poſſit; non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis, gratiis, conceſſionibus, facultatibus cuicunque Officio, Ordini, loco, aut perſonę in poſterum concedendis, quavis auctoritate cum clau-

Digitized by Google

clauſulis derogatoriarum derogatoriis fortioribus, & inſolitis, etſi ſpecialis, expreſſa, ac individua, & de verbo ad verbum, & non per Clauſulas Generales id importantes, mentio habenda eſſet, ceteriſque contrariis quibuſcumque, per preſentes Apoſtolica auctoritate concedimus. Datum in Civitate noſtra Viterbii ſub Annulo Piſcatoris die X Octobris MDXIV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

P. Bembus.

1. *Extant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo lit. XIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol. 39* ex autographo *Salmanticenſi.*
3. *Thomæ.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

Anno 1514 Die 28 Octobris.

De conſtituenda Gallicana Congregatione (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Thomę (3) de Vio Cajetano, Generali Magiſtro Ordinis Prędicatorum.

L E O PP. X. XXVI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cariſſimus in Chriſto filius noſter Ludovicus (4) Francorum Rex Chriſtianiſſimus pro ſuo erga tuum Ordinem pio affectu nuper ad Nos ſcripſit, non parum ſe cupere, ut eas tui Ordinis domus, quę reformatę in ſuo Regno Congregationis (5) Hollandię ſunt, ita ab ipſa Congregatione ſejungendas curaremus, ut ex eiſdem nova, & Gallica Congregatio conſtituatur. Cur autem hęc fieri cupiat, rationes adjecit multas, & graves, quę, & pro tantę Majeſtatis interventu, & pro cauſę, reique ipſius dignitate etiam Nobis probatę ſunt, hoc enim ipſum, & Nos quoque pręter Regis ipſius interceſſionem, variis juſtiſque rationibus deſideramus, pręſertim cum dilecti filii noſtri Nicolaus (6) tituli S. Priſcę, & Julius (7) S. Marię in Dominica S. R. E. Presbyter, & Diaconus Cardinales de Fliſco, & de Medicis, quibus idem Rex, ut accepimus, de hoc ſcripſit, rem hanc valde Nobis commendent. Itaque ſperamus ſalubrem Religionis, & obſervàntię propagationem in tuo Ordine proventuram eſſe, ſi domus illę a ſua Congregatione Hollandię, ejuſque Vicarii, ac Prelatorum obedientia ſeparentur, & novam Congregationem, quam Gallicam appellent, conſtituant, ſic enim domus hujuſmodi ob earum propinquitatem commodius, ſępius, & diligentius viſitabuntur, & Fratres in eiſdem commorantes fidelius, libentius, & citius ſeſe mutuo adjuvabunt. Quę omnia tot tantiſque in una ſocietate conjunctis nationibus multa incommoditate intelleximus fieri. Quam ob rem non ſolum Regis illius ſupplicationibus inclinati, ſed motu etiam proprio, & de noſtra liberalitate, & ex certa ſcientia noſtra, tibi tenore pręſentium, auctoritate Apoſtolica committimus, & mandamus, ut dictam Hollandię Congregationem ſic dividas, quod unam novam Congregationem erees, ex eis Conventibus reformatis dicti Ordinis in locis ſubditis dominio dicti Regis, concludendo ſub eadem alios Conventus reformatos Provincię Francię, ſecundum morem dicti Ordinis, qui hactenus ſub Congregatione Hollandię fuerunt, qui voluntarii intra terminum (8) a te pręfigendum declarabunt, ſe velle ad dictam novam Congregationem Gallicam ſpectare. Ne autem utranque Congregationem ſine capite remanere contingat, cum is, qui impręſentiarum eſt Congregationis Hollandię Vicarius Generalis (9) de Natione Gallicana ſit (10), etiam, & veriſimiliter, facta diviſione, aliis Conventibus ſub Congregatione Hollandię manentibus, pręeſſe non poterit, committimus ſimiliter tibi, & mandamus, ut ipſum Vicarium Congregationis Hollandię a ſuo officio abſolvas, & tam in ea, quam in nova Congregatione Gallica creanda ſingulos Fratres inſtituas, qui vices gerant Vicarii Generalis cum auctoritate, quam duxeris conferandam, donec in utraque Congregatione ſuus Vicarius Generalis electus, confirmatus, & pręſens in Congregatione extiterit. Et ut firma dictę novę Congregationis vita regularis perſeveret, modum poſtulandi Vicarium illius Congregationis, ejuſque in officio durationem, & tam ipſius Vicarii, quam Deffinitorum, ac Capituli Congregationis hujuſmodi poteſtatem pro tempore decernas, & reliqua ordines, quę ad id judicaveris (11) opportuna. Volentes cum creata fuerit hujuſmodi Congregatio ipſa, ut omnia ejus quomodolibet membra pro tempore gaudeant omnibus, privilegiis gratiis, indultis, exemptionibus, & favoribus, ſpiritualibus, & temporalibus, quibus Congregatio Hollandię gaudet, ac in poſterum gaudebit, ſalva in omnibus, & per omnia poteſtate Magiſtri Generalis totius Ordinis, hoc excepto, quod ad acceptationem alicujus in Magiſtrum, aut Baccalaureum in Theologia compelli non poſſint, niſi dictę Congregationis Capituli conſenſus acceſſerit; non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, aut cujuslibet Provincię vel Congregationis Hollandię privilegiis, gratiis, exemptionibus, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione, etiam Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, necnon quibuſvis literis Apoſtolicis etiam in forma Brevis Ordini, Provincię, vel Congregationi prędictis, aut quibuſcunque eorum domibus, vel perſonis, ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, & inſolitis, conceſſis; quibus omnibus, illa, etiamſi de eis, eorumque totis tenoribus, non per hujuſmodi clauſulas generales, etiam ſpecialem mentionem importantes, ſed ſpecifica, individua, ac de verbo ad verbum, ſeu quęvis alia mentio habenda eſſet, pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad pręmiſſa ſpecifice, & expreſſe derogamus, aliiſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVIII Octobris MDXIV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Nota.

1. *Con-*

1. *Congregatione.*) Adeas eruditum noſtrum *Bernardum de Jonghe in Belgio Dominicano Tractatu Præliminari* §. *VI* pag. 10.

2. *Archivo.*) In quo Autographum, & exemplar authenticum.

3. *Thoma.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

4. *Ludovicus.*) Hujus nominis *XII.*

5. *Congregationis.*) Conſulendus Auctor mox laudatus necnon *Conſtitutio XCV.*

6. *Nicolaus.*) De quo ſæpius dictum fuit.

7. *Julius.*) Medices, de quo *Ciaconius Vit. Pontif.*, & *Cardinal. Tomo III in Leone X pag.* 338.

8. *Terminum.*) Annum unum.

9. *Vicarius Generalis.*) Is erat Frater *Marinus Quirot*. Sic legitur in literis, quibus *Cajetanus* Congregationem *Gallicanam* creavit. *Bernardus* vero *de Jonghe* ſcribit *Currot*.

10. *Sit.*) Electus fuerat *Metis* hoc eodem anno. Alumnus erat Conventus *Ebroicenſis*.

11. *Judicaveris.*) Hinc ſequens Diploma.

In Dei Filio ſibi cariſſimis univerſis, & ſingulis Patribus, & Fratribus Conventuum reformatorum Provinciæ Franciæ Ordinis Prædicatorum F. Thomas de Vio Cajetanus Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius ejuſdem Ordinis humilis Magiſter Generalis, & ſervus, ſalutem, & Spiritus Sancti conſolationem.

SAnctiſſimus D. N. Papa inſtante Chriſtianiſſimo Francorum Rege per literas Sanctitatis ſuæ in forma Brevis commiſit, & mandavit mihi, ut Congregationem Hollandiæ ſic dividam, quod unam novam Congregationem, quæ Gallicana dicatur creem ex Conventibus reformatis dicti Ordinis in locis ſubjectis dominio ejuſdem Chriſtianiſſimi Regis, concludendo ſub eadem alios Conventus reformatos dictæ Provinciæ, qui hactenus ſub Congregatione Hollandiæ fuerunt, qui voluntarii intra terminum a me præfigendum declarabunt ſe velle ad Congregationem novam Gallicanam ſpectare, quodque eum, qui impræſentiarum eſt Vicarius Congregationis Hollandiæ a ſuo officio abſolvam, & in unaquaque Congregatione ſingulos Fratres inſtituam, qui vices Vicarii Generalis gerant eum auctoritate, quam eis duxero conferendam, donec in utraque Congregatione Vicarius electus, confirmatus, & præſens in Congregatione extiterit, aliaque diſponam, & ordinem, quæ pro vitæ regularis obſervatione judicavero opportuna, prout in ipſis literis Apoſtolicis plenius continetur. Volens ergo Apoſtolicis mandatis, ut par eſt, obtemperare, per præſentes ex commiſſione Apoſtolica ſejungo, & ſeparo a Congregatione Hollandiæ omnes, & ſingulos Conventus dicti Ordinis, & Provinciæ reformatos in locis ſubjectis dominio Chriſtianiſſimi Francorum Regis, & ex eis unam novam Congregationem conſtituo, & creo, quam Gallicanam nuncupari volo, quæ gaudeat omnibus gratiis, privilegiis, exemptionibus, & indultis, quibus Sanctiſſimus D. Papa noſter eam per literas Sanctitatis ſuæ gaudere vult. Concludo autem ſub eadem Congregatione Gallicana Conventus reformatos dictæ Provinciæ Franciæ extra loca ſubjecta dominio Chriſtianiſſimi Francorum Regis, qui hactenus fuerunt de Congregatione Hollandiæ, qui intra annum a data præſentium, quem terminum ex nunc eis harum tenore præfigo, declaraverint ſe velle ad illam ſpectare, de qua ſua voluntate, & declaratione teneantur facere ſcriptionem publicam, ut hujuſmodi declaratione facta cenſeantur, & ſint de dicta Congregatione Gallicana, nec liceat eis ex poſt reſilire ex voluntate ſua hujuſmodi. Abſolvo etiam harum vi R. P. F. Marinum Quirot Magiſtrum ab officio Vicariatus Congregationis Hollandiæ, & facio eum in nova Congregatione Gallicana Vicegerentem Vicarii Generalis, cum ea auctoritate, quam Vicarii Generales Provinciarum Ordinis, mortuis, vel amotis Provincialibus in ſuis Provinciis habere conſueverunt, donec novæ Congregationis hujuſmodi Vicarius Generalis electus, ſeu poſtulatus, & confirmatus, præſens in Congregatione extiterit, poſtulationem autem, & electionem novi Vicarii pro hac vice decerno fieri debere a Prioribus Conventuum, & ſingulis ſociis ſecundum conſtitutionem electis, ac Magiſtris in Theologia ex ipſa Congregatione exiſtentibus, & ad quam poſtulationem faciendam teneatur dictus Vicegerens, eos ad quos ſpectat ad locum idoneum intra duos menſes convocare a notitia præſentium, niſi ex rationabili cauſa de conſilio diſcretorum duxerit eam differendam per duos, vel tres alios menſes. Hortor autem Patres ad novi Vicarii electionem, ſeu poſtulationem conventuros, ut de modo eligendi, vel poſtulandi Vicarium pro tempore, ejuſque auctoritate, & duratione, ac de auctoritate Capituli Congregationis poteſtate, & Diffinitorum ejus diligenti collatione habita mihi conſilium ſuum ſignificent, ut poſſim de omnibus ad utilitatem, & profectum vitæ regularis providere, ne vero Conventus nationum illarum, quæ extra dominium Chriſtianiſſimi Regis ſunt interim dum deliberant de acceſſione facienda ſint ſine directione, per præſentes declaro, & volo, ut Vicarii ſubſtituti illarum nationum, qui fuerunt tempore publicationis harum literarum maneant in ſuo officio cum eadem auctoritate, quam tunc habent, donec Conventus ſuam voluntatem declaraverit, quo facto Vicarius Generalis illius Congregationis, cui adhæſerunt de eis diſponat, prout videbitur ei expedire. In quorum omnium fidem, & robur præſentes ſigillo officii mei feci muniri. Romæ 3 Novembris 1514, Aſſumptionis noſtræ Anno Septimo.

Sac-

Sarnenſis (1) Monaſterii fundandi facultas.

Anno 1515 Die 31 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Leo Epiſcopus, Servus Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario ven. Fratris noſtri Epiſcopi Sarnen. in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXVII.

Pius fidelium votis &c. (3) Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Guillelmi Groteville de Urſinis, (4) Comitis Sarnen. Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſe ob ſingularem devotionis affectum, quem ad B Dominicum, & illius ordinem gerit, cupit illi quęlibet ex bonis ſuis tribuere, & quandam domum in honorem, & ſub invocatione B. Marię Virginis de Gratia pro uſu, & habitatione Sororum Ordinis S. Auguſtini, ſuis ſumptibus, & expenſis ędificare, ſi ei ad hoc Apoſtolicę Sedis auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte dicti Guillelmi Comitis Nobis fuit humiliter ſupplicatum ut in Civitate Sarnen. in aliquo ad id idoneo, & decenti loco, dictam domum conſtruendi, & ędificandi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, pium, & laudabile propoſitum dicti Guillelmi plurimum in Domino commendantes, ipſumque Guillelmum a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni veſtrę &c. mandamus, quatenus dicto Guillelmo Comiti, unam domum ſub dicta invocatione in dicto loco cum Eccleſia, campanili humili, campanis, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, pro uſu, & habitatione Sororum dicti Ordinis, ſub cura Fratrum Prędicatorum, ſine alicujus prejudicio conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, ac dilectam in Chriſto filiam Vigilantem Curratus de Nuceria, Sororem domus S. Annę Nucerin. (5) dicti Ordinis, quę, ut dictus Guillelmus aſſerit, in ętate ſenili conſtituta, ac inſtitutis regularibus dicti Ordinis ſufficienter inſtructa, boniſque moribus, vita, atque doctrina munita exiſtit, de dicta domo S. Annę ad domum B. Marię hujuſmodi, ut inibi Sorores introducendas, doctrina, moribus, ac laudabili diſciplina, necnon regularibus inſtitutis imbuat, de ſui ſuperioris licentia, transferendi, licentiam auctoritate noſtra concedas, Nos enim ſi licentiam hujuſmodi, per te vigore pręſentium concedi contigerit, ut pręfertur, dictę Vigilanti, necnon Prioriſſę pro tempore exiſtenti, & Sororibus dictę domus B. Marię poſtquam conſtructa fuerit, ut aliquem idoneum Sacerdotem dicti Ordinis regularem bonę vitę, & converſationis, in earum Confeſſorem, & Capellanum, qui eis Miſſas, & alia divina officia celebret, confeſſiones audiat, & eccleſiaſtica Sacramenta miniſtret, eligere, illiſque, ac dictę domui, ut omnibus, & ſingulis privilegiis immunitatibus, gratiis, favoribus, indultis, & prerogativis, quibus alię domus, & Sorores dicti Ordinis in genere utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ipſę quoque uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant, jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium de ſpeciali gratia indulgemus, Non obſtantibus &c. quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quarto decimo (6), Pridie Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Sarnen.*) Vulgo *Sarno*, in Regno *Neapolitano*. Urbs autem *Sarnenſis* ad radices montis poſita eſt, ubi Sarnus fluvius.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.LXXVIII fol.*300.
3. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *De Urſinis.*) Nobiliſſima gens eſt, de qua ſæpe dictum fuit.
5. *Nucerin.*) De qua ſæpius.
6. *Quarto decimo.*) Stylo Bullarum, æræ vero communis *MDXV*. Hinc emendandus *Papebrochius in Conatu Chronico Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Parte II in Leone X* pag.151, ubi hæc habet: *Ab hoc tempore habemus anni civilis initium in Bullis, Brevibuſque Pontificum ferme continuo affixum Kalendis Januariis*. Contrarium certe probant præſens *Conſtitutio*: ſequens, in qua annus *MDXV* aſcribi debuiſſet: Conſtitutio X data anno Incarnationis *MDXIII*, Tertio Idus Martii, Pontificatus Leonis X anno Primo, in qua legendum eſſet *MDXIV*. Conſtitutiones *XL*, & *XLI* datæ anno Incarnationis Dominicæ *MDXV*, Septimo Idus Februarii, Pontificatus anno Tertio. Conſtitutio *LII* data anno *MDXVI* Tertio decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus anno Quinto, & Conſtitutiones *LXV*, *LXVI*, *LXVII*, *LXVIII*, *LXIX*, *LXXI*, *LXXII*, *LXXIII*, *C*, *CI*, *CII &c.*

De ſtipe Fratribus Indis (1) eroganda.

Anno 1515 Die 31 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXVIII.

Paſtoris ęterni, qui pro generis humani ſalvatione in pretium ſe contulit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, fideles quoslibet ad ea frequenter excitamus, per quę ſuarum per amplius conſequi valeant ſalutem animarum. Cum itaque, ſicuti accepimus, dilecti filii Thomas Gratiadei, & Petrus, Presbyteri, ac Georgius Diaconus, Fratrum Prędicatorum, & Minorum, ac Eremitarum Sancti Auguſtini Ordinum reſpective profeſſores, qui ex India, & terra nuncupata Presbyteri Johannis (3) originem trahunt, Sanctum Sepulcrum Dominicum, ac Eccleſiam Sancti Jacobi in Compoſtella de licentia ſuorum ſuperiorum viſitaverint, & deinde ad Almam Urbem Romam perſonaliter ſe contulerint, ad domos eorum redire, & denuo ſepulcrum hujuſmodi viſitare intendant, & cum in maxima calamitate, & inopia conſtituti exiſtant, Chriſti fidelium ſuffragia ſint eis ad hoc plurimum opportuna, Nos cupientes eorundem Thomę Gratiędei, Petri, & Georgii opportunę ſubventioni ſalubriter providere, univerſitatem veſ-

veſtrarum attente requirimus, & hortamur, nihilominus in remiſſionem peccatorum veſtrorum vobis injungentes, quatenus eiſdem Thomę Gratiędei, Petro, & Georgio, aut alicui eorum de bonis vobis a Deo collatis pias eleemoſynas, & caritativa ſubſidia irrogetis, ut per piam ſubventionem veſtram ad propria redire, & ſepulcrum prędictum peregre viſitare poſſint, Nos enim de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui eidem Thomę Gratiędei, Petro, & Georgio, ſeu alicui eorum pro reditu, & peregrinatione hujuſmodi de bonis eis a Deo collatis manus porrexerint adjutrices, quoties id fecerint, centum dies de injunctis pęnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus, pręſentibus, quas per queſtores deferri prohibemus, poſt biennium minime valituris. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quarto decimo, Pridie Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Indis.*) Ex hoc Diplomate firmantur ea, quæ dicta ſunt in *Notis ad Conſtitutionem CXXVII Alexandri VI.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro II de mixtis An. I, & II Leonis X pag. 46.*

3. *Presbyteri Johannis.*) Sic vocatus eſt Rex, qui rerum longe lateque potiebatur in *India*. Unde vero ſic dictus fuerit inter ſcriptores non convenit. Quod, humilitatis ergo, *Presbyteri* nomen Rex ille *Johannes* aptaverit ſibi, cenſet *Gaufredus Voſienſis I Parte Cap. 65.* Hoc ipſi nomen inditum fuiſſe, quia genus duceret a quodam *Johanne Presbytero Neſtoriano*, auctor eſt *Du Cangius* in *Gloſſario*. Conſulendus idem in *obſervationibus ad Joinvillam*. Adeas etiam, ſi placet, *Morerium* in *Dictionario Hiſtorico*, & Auctores quos laudat, *Gregorium Abul Farajum in Hiſtor. Dynaſtar. pag.* 280, *VVaddingum in Annal. Minorum ad an. MCCCV*, & *ſpicilegium Acherianum Tomo VIII pag.* 379.

Anno 1515 Die 23 Februarii.

De modo quo fieri debeant electiones (1) Canonicæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIX.

L E O P.P. X.

Univerſis, & ſingulis Fratribus Congregationis S. Marci, ſive Thuſcię Romanę Provincię Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXpoſuit nobis dilectus filius Thomas (3), veſtri Ordinis Magiſter Generalis, quod licet ipſe cum multorum Fratrum veſtrorum conſilio, pro quiete, & pacifica libertate votorum in Electionibus, & in aliis quibuſdam rebus, quantum in ſe fuerit, ordinaverit, ac ſtatuerit, quod vota ſingulorum ſic eſſent ſecreta, ut nullus poſſet ſcire determinate alicujus perſonę votum, ac per hoc electiones fierent per viam compromiſſi, ita limitati, ut ſcilicet a compromiſſario, ſeu compromiſſariis eligatur, qui a majori parte omnium eligentium, & una amplius voce, ac ſi eſſet nominatus per ſchedulas ſingulorum, in quibus nomen tamen unius eligendi ſcriptum eſſet, alia vero quę circa determinatas perſonas fieri ſuffragia ſolent, ut recipere aliquem ad habitum, vel profeſſionem, inſtituere aliquem in Syndicum, & alia hujuſmodi, per fabas albas, & nigras, vel aliquid ſimile fierent. Verum quia in dubium verti poſſet, an in Electione per viam compromiſſi ſic limitati requiratur conſenſus omnium in hanc formam, & ſic confirmatori per hoc auferretur via diſcernendi ex Decreto Electionis meritum eligentium, ut Nos providere dignaremur de benignitate Apoſtolica, humiliter ſupplicavit. Nos, attendentes, pacem ipſam eſſe quid pręcipuum bonum, pręſertim eorum, qui in Religione vivunt, & in Electionibus libertatem votorum maxime eſſe fovendam, hujuſcemodi ſupplicationibus inclinati, tenore pręſentium Apoſtolica auctoritate literas Magiſtri Generalis prędictas, quas una cum contentis in eiſdem, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro expreſſis habemus, approbantes, ſtatuimus, & decernimus, ut non ſolum in veſtra Congregatione, ſed etiam in univerſo Prędicatorum Ordine in Monaſteriis Sororum curę dicti Ordinis commiſſis in omnibus electionibus dicta forma, ut pręfertur, probari poſſit: ita tamen, quod duę partes eligentium conſentiant in eam formam, cum non ſit veriſimile duas partes conſenſuras in dicta forma, debito zelo poſtpoſito. Vos itaque hortamur in Domino, ut in favorem pacis, hujuſmodi formam amplectamini, & nihilominus mandamus vobis, ut alia, quę per ſuffragia abſque canonica electione circa determinatas perſonas, per vos concludenda ſunt, collatione prius facta, & auditis omnibus volentibus aliquid in negotio, de quo agitur, dicere, cum ad vota pervenerint per fabas, vel ſimile, vota nonniſi ſecreto dentur, non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Februarii MDXV Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Mandatum.

1. *Electiones.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononien. pag. 64*, & *Libro B. fol. 473*. Legitur in Actis *Salmanticenſis* Capituli Generalis anni *MDLI*. Autographum habes *Venetiis* in Cœnobio *S. Johannis, & Pauli.*

3. *Thomas.*) *De Vio Cajetanus*, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

In-

Indulgentia (1) Plenaria pro Capitulo Generali.

Anno 1515 Die 28 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXX.

L E O PP. X.

Univerſis Chriſti fidelibus preſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

A Supremo Patrefamilias, meritis licet inſufficientibus in domo Domini diſpenſatores effecti, theſaurum dominicum divinitus Nobis commiſſum, ſic diſpenſare Nos convenit, ut illius erogatione populum Chriſtianum Domino acceptabilem, & bonorum operum, ac Religionis, preſertim Ordinis Fratrum Predicatorum ſectatorem reddere valeamus, & Fratres predictos pro rebus fidei Orthodoxe in unum convenientes, & alios Chriſti fideles, ad complacendum Deo, quaſi quibuſdam allectivis muneribus, Indulgentiis videlicet, & remiſſionibus invitemus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores, & fides ipſa felicia exinde ſuſcipiat incrementa. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti filii predicti Ordinis Predicatorum profeſſores pro laudabili reformatione cunctarum perſonarum ſub regulari habitu dicti Ordinis Altiſſimo dedicatarum, eorum Capitulum Generale in Civitate Neapolis in Conventu S. Dominici, in Feſto Pentecoſtes proxime futuro celebrare intendant, ad cujus celebrationem viri utique, zelo religionis, & literarum ſcientia, ac morum probitate prediti, ipſius Ordinis profeſſores, Altiſſimo favente, ſint acceſſuri, ad quorum ſuſtentationem, ac incumbentium onerum dictorum Capituli, & Ordinis ſupportationem, & ipſius dicte Domus ſtructurarum, ſeu edificiorum perfectionem Chriſti fidelium largitiones plurimum opportune fore noſcantur; Nos, ut Fratres dicti Ordinis ad Capitulum hujuſmodi celebrandum, & alii Chriſti fideles, devotionis cauſa, ad Eccleſiam predictam in qua Divinum officium celebratur, eo tempore liberius confluant, & manus promptius pro dictorum profeſſorum, & onerum ſupportatione, ac ejuſdem Domus ſtructurarum fabrica porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono celeſtis gratie, uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere penitentibus, & confeſſis, undecunque fuerint, & ubicunque moram traxerint, qui proximo Feſto Pentecoſtes ab ipſius primis Veſperis, uſque ad ſolis occaſum ferie tertie immediate ſequentis, Eccleſiam dicte Domus, devote viſitaverint, & ad hujuſmodi ſuſtentationem, ſupportationem, & fabricam, manus porrexerint adjutrices, Plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & Indulgentiam, tenore preſentium concedimus, & elargimur; Et inſuper, ut fideles ipſi ad eandem Eccleſiam predicto tempore confluentes, conſcientie pacem, & animarum ſalutem, Deo propitio, conſequantur, ac Indulgentie, & remiſſionis hujuſmodi participes facilius effici poſſint, dilecto filio Thome (3) De Vio Cajetano Magiſtro Generali dicti Ordinis nonnullos, prout ei videbitur, ipſius Ordinis profeſſores idoneos in Confeſſores eligendi, & deputandi, ipſiſque ſic electis, & deputatis Confeſſiones omnium Chriſti fidelium prefato tempore in dicta Eccleſia, ſeu in ejus ambitu, licite audiendi, & pro commiſſis, etiamſi talia forent propter que Sedes Apoſtolica eſſet conſulenda, exceptis caſibus in Bulla Cene Domini contentis, debitam abſolutionem, auctoritate Apoſtolica impendendi, & penitentiam ſalutarem injungendi, vota vero quecunque, peregrinationis Ultramarine, Romane, S. Jacobi in Compoſtella, S. Marie de Laureto vulgariter nuncupate, Religionis, & continentie duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutandi, plenam, & liberam concedimus facultatem. Preterea volumus, & etiam decernimus, quod preſens remiſſio, & Indulgentia, quacunque ſuſpenſione conſimilium Indulgentiarum per Nos, ſeu Predeceſſores noſtros Romanos Pontifices, quocunque reſpectu facta, etiam Fabrice Baſilice B Petri Principis Apoſtolorum de Urbe, vel forſan facienda, non obſtante, plenum, & omnimodum effectum habere debeant: Quodque Dieceſani, & Ordinarii locorum, necnon, & Parochialium Eccleſiarum, & quorumcunque Mendicantium Ordinum Fratres ubilibet conſtituti, preſentium literarum publicationem, inſinuationem, & notificationem in ſermonibus, & aliis divinis officiis, que in ipſorum Eccleſiis fieri contigerit, libere, & abſque alicujus rei exactione, facere teneantur, & quoties ſuper his requiſiti fuerint fieri permittant, ſub ſuſpenſionis a divinis in Epiſcopos, & ſuperiores, ac excommunicationis in alios ab eis, penis, quas ſi ſecus fecerint ipſos, & eorum quemlibet incurrere volumus eo ipſo; quodque Literarum preſentium tranſumptis, manu alicujus publici Notarii, & ſigillo alicujus Eccleſiaſtice Curie, ſeu dicti Ordinis perſone, communitis, ubicunque exhibita fuerint, vel oſtenſa, ſtetur, illiſque plena fides adhibeatur in omnibus, prout ipſis preſentibus ſtaretur, ſi forent exhibite, vel oſtenſe. Datum Rome apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Martii MDXV Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Diplomatis cauſa.

Indulgentia.

Jo: Sadoletus.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum.

3. *Thome.*) De quo in *Appendice ad preſentem Pontificatum*.

De

Anno 1515 Die 12 Aprilis.

De quibuſdam Doctoribus (1) a Magiſtro Generali creandis in Capitulo Generali.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Thomę (3) de Vio Cajetano Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum,

XXXI. LEO PP. X.

Dilecta in Chriſto filia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PAterna noſtra erga te dilectione, ſimul & compaſſione erga pauperes tui Ordinis profeſſores inducti, pro decore prędertim Generalis Capituli dicti Ordinis in proximo Feſto Pentecoſtes celebrandi, tibi tenore preſentium, facultatem concedimus, & poteſtatem, octo ipſius Ordinis Fratribus, ſive actus debitos pro Magiſterio in aliqua Univerſitate fecerint, ſive non, dummodo pręmiſſo rigoroſo examine, adhibitis aliquibus in Theologica facultate Magiſtris, idonei reperti fuerint, ſuper quo tuam, & ipſorum Magiſtrorum conſcientiam oneramus, Gradum & Inſignia Magiſterii in Theologia conferendi, & exhibendi cum omnibus, & ſingulis gratiis, pręeminentiis, privilegiis, & indultis, quibus alii Theologię Magiſtri, in qualibet privilegiata Univerſitate, cum rigore examinis, & requiſitis ſolemnitatibus promoti, gaudent, & utuntur, ſeu gaudere, & uti poterunt in futurum. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ipſius Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, pęniſque Eccleſiaſticis, & Cenſuris, juramento etiam a quovis prędictorum legitime cuicunque Univerſitati pręſtito de non ſuſcipiendo hujuſmodi Magiſterium extra illam, cęteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque, quibus pro hac vice quoad hoc derogamus, etiamſi ſpecialis mentio, & expreſſa, ac de verbo, ad verbum, & non per Clauſulas generales id importantes, de eis habenda eſſet, illis alias in ſuo robore permanſuris. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XII Aprilis MDXV, Pontificatus noſtri Anno Tertio,

Ja. Sadoletus.

1. *Doctoribus*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo* Tit. *IV.*
2. *Archivo*.) In quo autographum.
3. *Thomę*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

Anno 1515 Die 4 Maii.

Ne Romæ ſine Vicarii Summi Pontificis, & Magiſtri Sacri Palatii, alibi vero ſine Epiſcopi, & Inquiſitorum facultate libri typis edantur (1).

Ex Bullario (2) *Romano Conſtitutione XII.*

XXXII. Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam, Sacro approbante Concilio (3).

Exordium. INter ſolicitudines noſtris humeris incumbentes, perpeti cura revolvimus, ut errantes in viam veritatis reducere, ipſoſque lucrifacere Deo, ſua nobis cooperante gratia, valeamus. Hoc eſt, quod profecto deſideranter exquirimus, ad id noſtrę mentis ſedulo deſtinamus affectum, ac circa illud ſtudioſa diligentia vigilamus. Sane licet literarum peritia per librorum lectionem poſſit faciliter obtineri, ac ars imprimendi libros temporibus potiſſimum noſtris, divino favente numine, inventa, ſeu aucta, & perpolita, plurima mortalibus attulerit commoda, cum parva impenſa copia librorum maxima habeatur, quibus ingenia ad literarum ſtudia percommode exerceri, & viri eruditi in omni linguarum genere, prędertim autem Catholici, quibus Sanctam Romanam Eccleſiam abundare affectamus, facile evadere poſſunt, qui etiam infideles ſciant & valeant ſacris inſtitutis inſtruere, fideliumque collegio per doctrinam Chriſtianę fidei ſalubriter aggregare: quia tamen multorum querela noſtrum, & Sedis Apoſtolicę pulſavit auditum, quod nonnulli hujus artis imprimendi magiſtri, in diverſis mundi partibus libros, tam gręcę, hebraicę, arabicę, & chaldęę linguarum in latinum tranſlatos, quam alios latino, ac vulgari ſermone editos, errores etiam in fide, ac pernicioſa dogmata, etiam Religioni Chriſtianę contraria, ac contra famam perſonarum, etiam dignitate fulgentium continentes, imprimere, ac publice vendere pręſumunt, ex quorum lectura non ſolum legentes non ędificantur, ſed in maximos potius, tam in fide, quam in vita, & moribus, prolabuntur errores, unde varia ſępe ſcandala, prout experientia rerum magiſtra docuit, exorta fuerunt & majora in dies exoriri formidantur. Nos itaque, ne id, quod ad Dei gloriam, & fidei augmentum, ac bonarum artium propagationem ſalubriter eſt inventum, in contrarium convertatur, ac Chriſti fidelium ſaluti detrimentum pariat, ſuper librorum impreſſione curam noſtram habendam fore duximus, ne de cetero cum bonis ſeminibus ſpinę coaleſcant, vel medicinis venena intermiſceantur, Volentes igitur de opportuno ſuper his remedio providere, hoc ſacro approbante Concilio, ut negotium impreſſionis librorum hujuſmodi eo proſperetur felicius, quo deinceps indago ſolertior diligentius, & cautius adhibeatur,

Cauſa hujus Conſtitutionis.

Mandatum. ſtatuimus, & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nullus Librum aliquem, ſeu aliam quamcunque ſcripturam tam in Urbe noſtra, quam aliis quibuſvis Civitatibus, & Dięceſibus imprimere, ſeu imprimi facere pręſumat, niſi prius in Urbe per Vicarium noſtrum, & Sacri Palatii Magiſtrum, in aliis vero Civitatibus, & Dięceſibus per Epiſcopum, vel alium habentem peritiam ſcientię Libri, ſeu ſcripturę hujuſmodi imprimendę, ab eodem Epiſcopo ad id deputandum, ac Inquiſitorem hęreticę pravitatis Civitatis, ſive Dięceſis, in quibus librorum impreſſio hujuſmodi fieret, diligenter examinentur, &

per

per eorum manus proprię ſubſcriptionem, ſub excommnnicationis ſententia gratis, & ſine dilatione imponendam approbentur. Qui autem ſecus prǫſumpſerit, ultra Librorum impreſſorum amiſſionem, & illorum publicam combuſtionem, ac centum ducatorum fabricę Principis Apoſtolorum de Urbe ſine ſpe remiſſionis ſolutionem, ac anni continui exercitii impreſſionis, ſuſpenſionem, excommunicationis ſententia innodatus exiſtat, ac demum ingraveſcente contumacia taliter per Epiſcopum ſuum, vel Vicarium noſtrum reſpective per omnia juris remedia caſtigetur, quod alii ejus exemplo ſimilia minime attentare prǫſumant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Romę in publica Seſſione, in Lateranen. Sacroſancta Baſilica ſolemniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo quinto, Quarto Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio. — *Pœnæ contra transgreſſores.*

1. *Edantur.*) Adeas *Fontanam Theatro Dominicano Parte II Cap. V pag. 411 &c.*
2. *Bullario.*) Legitur etiam apud *Labbeum in Concilio Lateranen. ad an. MDXV*, *Peñam ad calcem Directorii Inquiſitorum pag. 110*, & apud *Fontanam* loco mox laudato *pag. 412.*
3. *Concilio.*) *Seſſione X.*

Firmat ea, quæ Alexander VI, & Julius II ſanxerant in gratiam Briaticenſis (1) Cœnobii.

Anno 1515 Die 2 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Ad Perpetuam Rei Memoriam. — XXXIII.

EA, quę per Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros conceſſa fuiſſe dicuntur, ut firma, & illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus, ac alias diſponimus, & ordinamus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Vicarii Generalis, & Fratrum Ordinis Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, Provincię Calabrię, ſecundum morem dicti Ordinis, Nobis nuper exhibita petitio continebat quod olim, poſtquam felicis recordationis Alexander (3) PP. VI, Prędeceſſor noſter, unam domum pro perpetuis uſu, & habitatione nonnullorum Fratrum dicti Ordinis apud Eccleſiam S. Marię Annunciatę Oppidi Briatici, Militenſis Diœceſis, conſtruendi, & domum ipſam, poſtquam constructa foret, quondam Hieronymo de Riſis ejuſdem Ordinis profeſſori, tunc in humanis agenti, ipſius Ordinis nomine recipiendi, & cum Fratribus Ordinis, & obſervantię prędictorum, juxta licentiam, tunc dicti Ordinis Generali conceſſam, inhabitandi, licentiam conceſſerat, ac voluerat, quod dicta domus poſtquam constructa foret, ut prefertur, Priori pro tempore exiſtenti, & Fratribus domus Beatę Marię ſuper Minervam de Urbe ejuſdem Ordinis, qui domui conſtruendę hujuſmodi de Fratribus providere tenerentur, ſubiici deberet, pię memorię Julius (4) Papa II, etiam Prędeceſſor noſter domum constructam hujuſmodi approbavit, & illam a ſubjectione Prioris pro tempore exiſtentis, & Fratrum domus S. Marię ſupra Minervam hujuſmodi, ſi ad id Protectoris, & Generalis, ac Prioris, & Fratrum domus S. Marię ſupra Minervam hujuſmodi accederet aſſenſus, exemit, & liberavit, prout in ipſorum Alexandri, & Julii prędictorum literis in forma brevis deſuper confectis, plenius continetur. Quare pro parte dictorum Vicarii Generalis, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut liberationi, & exemptioni prędictis pro earum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. — *Diplomatis cauſa.* Nos igitur, eoſdem Vicarium Generalem, & Fratres a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, exemptionem, & liberationem prędictas, & prout illas concernunt omnia, & ſingula in ſingulis Alexandri, & Julii Prędeceſſorum literis hujuſmodi contenta, & inde ſecuta quęcunque, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, approbamus, & confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. — *Confirmatio.* Et nihilominus pro potiori cautela omnia, & ſingula pręmiſſa de novo ſine alicujus pręjudicio pręfata auctoritate Apoſtolica, earundem tenore pręſentium, concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon omnibus illis, quę in ſingulis literis prędictis conceſſum fuit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, communitionis, ſuppletionis, & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quinto decimo, Quarto Nonas Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Briaticen.*) Juris eſt Provinciæ *Calabriæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVII fol. 199.*
3. *Alexander.*) Conſtitutione *LXXXIV* data *XXIII* Julii *MCCCCXCVIII*. Legitur *pag.* 148 hujus *IV* voluminis.
4. *Julius.*) Conſtitutione *LXXI* data *XXVIII* Januarii *MDX*. Legitur *pag.* 263.

Anno 1515 Die 5 Junii.

Salmanticenſis (1) Collegii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIV.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

ALtitudo divinę Providentię a qua bona, & ſancta opera omnia procedunt &c. (3) Sane pro parte venerabilis Fratris noſtri Didaci (4) Archiepiſcopi Hiſpalen. exhibita Nobis nuper, petitio continebat, quod ipſe non ignarus, quantum expediat Reipublicę, & Orthodoxę fidei conducat, ut Eccleſia Dei, viris, non ſolum Religioſis, ſed etiam ſacrarum literarum ſcientia pręditis, quorum opera, poſſit veritatem, & lucem ubique protendere, ac illam obumbrare nitentes diſſipare valeat, in dies abundet, cupiens aliquid in terris ſtruere, quo perpetuo in cęlis felicitatem poſſideret, infra ambitus, ſive ſepta domus S. Stephani Salamantin. (5) Ordinis Fratrum Prędicatorum, cujus ipſe Didacus Archiepiſcopus profeſſor exiſtit, unum Hoſpitium, ſive manſionem cum Oratorio, ſive Capella, ſub invocatione Sancti Thomę de Aquino, ac cameris, aula, & aliis neceſſariis officinis pro uno Collegio inibi erigendo, viginti dicti Ordinis profeſſorum in Theologia ſtudere volentium, qui ſub regulari, quę in dicta domo viget, obſervantia, ac ſub domus Prioris, ac aliorum Ordinis prędictorum ſuperiorum obedientia collegialiter degant, ac quorum ſaltem duodecim quandiu voluerint, & Theologię operam dederint, ac reliqui octo per decennium tantum morarentur, & quod ipſo decennio pręterito, ad domos, e quibus miſſi pro tempore fuerunt, revertantur, & in quorum recedentium, vel decedentium loca alii ſurrogentur, itaut viginti in dicto Hoſpitio ſemper reſideant, conſtrui, & edificari, atque perfici facere, ac eidem Collegio, pro ejus dote, & Capellę ornamentorum, ac Hoſpitii ędificiorum manutentione, & inſtauratione, ac viginti Fratrum ſtudentium prędictorum ſuſtentatione, tantum in bonis ſtabilibus, vel perpetuis juribus, quorum fructus, redditus, & proventus ad octingentorum ducatorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum aſcendant, ſub certis honeſtis modis, & conditionibus, aſſignare proponit, ſi ei ad hoc, dictę Sedis auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte dicti Didaci Archiepiſcopi, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus infra ambitus, ſive ſepta hujuſmodi in loco, ubi dictus Didacus Archiepiſcopus, Hoſpitium prędictum, conſtrui facere cępit, unum Collegium dicti Ordinis profeſſorum, Theologię ſtudio vacare intendentium, qui ſub regulari obſervantia, & Prioris, ac aliorum ſuperiorum obedientia hujuſmodi degant, & quorum ſaltem duodecim ibi quoad voluerint, permaneant, octo vero poſt decennii in dicto Collegio permanentiam, ad domos, a quibus miſſi fuerint revertantur, & in quorum ſic pro tempore recedentium, vel decedentium, loca alii ſurrogentur itaut viginti numerus nunquam deſit perpetuo, erigere, & inſtituere, ac illi, pro ejus dote, & ornamentorum ſuſtentatione, & manutentione, ac inſtauratione prędictis, bona, ſive jura, per Didacum Archiepiſcopum, uſque ad octingentorum ducatorum valorem annuum aſſignanda hujuſmodi perpetuo applicare, appropriare, eidemque Didaco Archiepiſcopo Hoſpitium cum Capella, ſive Oratorio, cameris, aula, & aliis pro uſu, & habitatione dictorum viginti Fratrum neceſſariis officinis inibi conſtrui cępta proſequendi, & in ipſo bonorum, aut jurium hujuſmodi aſſignationis actu, modos, & conditiones honeſtas, quę ſibi placuerint, etiam ſub reſtitutionis, aut devolutionis in alios uſus per eum exprimendos, ac aliis pęnis, apponendi, & quęcunque ſtatuta, & ordinationes, canonibus ſacris non contraria, ad proſperum regimen, & ſalubrem ſtatum dicti Collegii, ac Fratrum in illo pro tempore reſidentium, & aſſignandorum bonorum hujuſmodi conſervationem, debitam diſpenſationem, & adminiſtrationem concernentia edendi, & edita corrigendi, ac in melius reformandi, ſive etiam in totum delendi, ac alia de novo faciendi, unum, vel etiam plures patronos, vicedominos, ſeu Advocatos pro defenſione, & protectione duntaxat bonorum, ac jurium dicti Collegii deputandi, licentiam, & facultatem concedere, & quod fructuum, redditum, & proventuum hujuſmodi adminiſtratores pro tempore Priori dictę domus S. Stephani in duorum ex antiquioribus illius, & aliorum duorum dicti Collegii Fratrum pręſentia, quot annis, Priori vero Provinciali juxta morem dicti Ordinis, toties, quoties domum S. Stephani, aut Collegium hujuſmodi viſitaverit, rationem reddere teneantur, ſtatuere, & ordinare, aliaſque in premiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Facultas.

Nos igitur, ſanctum, & laudabile dicti Didaci Archiepiſcopi propoſitum hujuſmodi ſummopere in Domino commendantes, ipſumque Didacum Archiepiſcopum a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium intra ambitus, ſive ſepta hujuſmodi, in loco, ubi Hoſpitium prędictum conſtrui cępit, unum Collegium viginti dicti Ordinis profeſſorum, Theologię ſtudio vacare intendentium, qui ſub regulari obſervantia, & Prioris, ac aliorum ſuperiorum obedientia hujuſmodi degant, & quorum ſaltem duodecim ibi quoad voluerint permaneant, octo vero poſt decennii in dicto Collegio permanentiam, ad domos, a quibus miſſi fuerint, revertantur, & in quorum ſic pro tempore recedentium, vel decedentium, loco alii ſurrogentur, itaut viginti numerus nunquam deſit, dilecto filio Thoma de Ivo (6) Priore Generali dicti Ordinis, de quo Nobis per ejus patentes literas extitit legitime facta fides, in hoc expreſſe conſentiente, perpetuo erigimus, & inſtituimus, & illi pro ejus dote, ac ornamentorum ſuſtentatione, ac manutentione, & inſtauratione, prędicta bona, ſive jura per Didacum Archiepiſcopum uſque ad dictorum octingentorum ducatorum valorem annuum aſſignanda hujuſmodi perpetuo applicamus, & appropriamus, eidemque Didaco Archiepiſcopo Hoſpitium prędictum cum Capella, ſive Oratorio, cameris, aula, & aliis pro uſu, & habitatione dictorum viginti Fratrum neceſſariis officinis proſequendi, & ad finem debitum perducendi, & in ipſo bonorum, ac jurium hujuſmodi aſſignationis actu, modos, & conditiones honeſtas, quę ſibi placuerint, etiam ſub reſtitutionis, & devolutionis in alios uſus, in eventum per dictum Didacum Archiepiſcopum exprimendum, & aliis pęnis, apponendi, ac quęcunque ſtatuta, & ordinationes ſacris canonibus non

con-

contraria, proſperum regimen, & ſalubrem ſtatum dicti Collegii, & Fratrum in illo pro tempore reſidentium, & aſſignandorum bonorum hujuſmodi conſervationem, debitam diſpenſationem, & adminiſtrationem concernentia edendi, & edita corrigendi, ac in melius reformandi, ſive etiam in totum delendi, ac alia de novo faciendi, quę ſub cenſuris, & aliis pęnis per dictum Didacum Archiepiſcopum in illorum editione, correctione, vel reformatione ſtatuendis, debeant ab omnibus obſervari, & quę eo ipſo, quod edita fuerint, dicta auctoritate Apoſtolica, confirmata eſſe cenſeantur, unum quoque, vel plures patronos, vicedominos, vel Advocatos pro jurium, & bonorum dicti Collegii defenſione, & protectione deputandi, licentiam, & facultatem concedimus, & quod fructuum, reddituum, & proventuum hujuſmodi adminiſtratores pro tempore exiſtenti Priori dictę domus S. Stephani &c. cum Collegium hujuſmodi viſitaverit, rationem reddere teneantur, ſtatuimus, & ordinamus, decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam &c. contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. Nulli &c. noſtrę approbationis, erectionis, inſtitutionis, applicationis &c. infringere &c, Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quinto decimo, Nonis Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Salmanticen.*) Juris eſt *Hiſpanicæ Provinciæ*. Vide *Conſtitutionem XLII*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXIX fol.*278.

3. *Procedunt &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

4. *Didaci.*) De quo in *Appendicibus ad Pontificatus Alexandri VI, & Julii II.*

5. *Salamantin.*) *Salmanticen.*, vulgo *Salamanca*.

6. *De Ivo.*) Sic Amanuenſis, legendum *De Vio*. Is erat *Cajetanus*, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

Ut Fratres Congregationis Lombardiæ veniant in poſſeſſionem Monaſterii (1) S. Auræ de Urbe.

Anno 1515 Die 25 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXV.

Dilectis filiis Fratribus S. Sabinę in Monte Aventino de Urbe Ordinis Prędicatorum, Congregationis Lombardię de obſervantia nuncupatis.

LEO PP. X.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ſuperioribus menſibus dilectus filius Magiſter Thomas (3) de Vio Cajetanus, Sacrę Theologię profeſſor, ac totius Ordinis Prędicatorum Generalis, Nobis exponi fecisſet, quod licet ipſe vigore commiſſionis, (4) ad ſupplicationem dilectorum filiorum Conſervatorum Urbis noſtrę tunc exiſtentium, vivę vocis oraculo per Nos ſuper reformatione Monaſterii Monialium S. Aurę (5) de Urbe ſub cura Fratrum dicti Ordinis tunc degentium de Monialibus Monaſterii S. Sixti dictę Urbis ſub eadem cura viventibus inibi introducendis ſibi factę, Moniales ejuſdem S. Aurę, tunc minus recte, quam decebat viventes, ab eodem Monaſterio expuliſſet, & pręfatas Moniales S. Sixti, ſeu aliquas ex eis introducere in illud voluiſſet, tamen certis de cauſis illuc accedere recuſarunt, atque diſtulerunt, hactenus, prout differunt de pręſenti, exiſtimantes multo purius, & caſtius Deo, cui dicatę ſunt, in eorum S. Sixti Monaſterio ab hominum frequentia ſeparato, famulari, & animarum ſuarum ſalutem conſequi poſſe. Et cum ipſe Thomas Eccleſiam S. Aurę demoliri, & aliud Monaſterium in congruo, & convenienti loco ędificari faciens pro uſu, & habitatione ipſarum S. Sixti introducendarum Monialium, & alias ſuper certis per eum tunc petitis, licentiam ſibi a Nobis dari humiliter poſtulaſſet, Nos tunc per alias noſtras in forma Brevis literas dilecto filio noſtro Nicolao tituli S. Priſcę Presbytero Cardinali de Fliſco Ordinis hujuſmodi Protectori commiſimus, ut in pręmiſſis faceret, & diſponeret, prout ſibi videretur. Cum autem ipſe Nicolaus Cardinalis, ſicut etiam accepimus, ſimilem oblationem dictis Monialibus S. Sixti fecerit, & locum S. Aurę acceptare noluerint. Et cum poſtea pro debito Paſtoralis officii noſtri, quo ſuper univerſas Eccleſias, & loca ſacra, ne inibi divinus cultus minuatur, ſed potius dante Domino augeatur, ſumus ſoliciti; intra mentis noſtrę arcana, diu, atque diu meditaremur, cuinam Religioni locus ipſe S. Aurę, qui nunc ob expulſionem dictarum Monialium vacuus exiſtit, ad Dei laudem, & gloriam dari, concedique poſſet, ut in eo divinus cultus nunc intermiſſus conceſſione noſtra refloreſceret, & inibi jugiter Domino famularetur, ſacra Dominici Ordinis Religio, & potiſſimum Congregationis Lombardię de obſervantia nuncupatę, & vos menti noſtrę occurriſtis, ſperantes quod ſi vobis, & dictę Congregationi, quorum una tantum in Monte Aventino dictę Urbis domus ſub invocatione S. Sabinę, nec ſatis commoda, nec ſalubris exiſtit, daretur per bonorum operum exhibitionem, vitę exemplaris normam, pręclaros mores, doctrinam, & verbi Dei prędicationem, eorundem Fratrum Congregationis hujuſmodi uberes fructus in agro Domini accreſcent, dignum, Deoque gratum exiſtimavimus, quod poſteaquam Moniales S. Sixti hujuſmodi ſe illuc transferre noluerunt, locus ipſe, ne divinis deſtitutus obſequiis remaneat, vobis, dictęque Congregationi perpetuo concedatur. Quare cupientes divini cultus augmentum ubique, noſtris potiſſime temporibus, vigere, voſque, quos paterna caritate amplectimur, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, locum ipſum, ac Eccleſiam, & Domum S. Aurę hujuſmodi cum membris, juribus, & pertinentiis ſuis, ſalvis tamen juribus pręfato Monaſterio S. Sixti deſuper competentibus, vobis, dictęque Congregationi, pro veſtris, & Fratrum Congregationis hujuſmodi perpetuis uſu, & habitatione, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium damus, & perpetuo concedimus, ac vobis inibi unam Domum, ſeu Eccleſiam Ordinis, & Congregationis prędictorum, cum humili campanili, campana,

Diplomatis cauſa.

Laus Fratrum;

Conceſſio.

cęmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis ad uſum, & habitationem veſtram neceſſariis, & opportunis, erigendi, ſub prędictę, vel alicujus alterius Sanctę, ſeu Sancti, vocabulo licentiam, & facultatem, ſine tamen pręjudieto jurium Monialium S. Sixti hujuſmodi, concedimus pariter & elargimur, ac domui hujuſmodi, poſtquam erecta fuerit, & Fratribus in ea pro tempore degentibus, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, indultis, exemptionibus, & ſavoribus, aliis domibus, & Fratribus dictę Congregationis per Sedem Apoſtolicam conceſſis, & concedendis in poſterum, & quibus utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt in futurum, uti, potiri, & gaudere perpetuo poſſint, & valeant, auctoritate, & tenore prędictis indulgemus. Et nibilominus pręfato Cardinali Protectori, tenore pręſentium committimus, quod vos ad locum S. Aurę hujuſmodi introducat, illiuſque, ae jurium, & membrorum ejuſdem corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios tradat, & concedat, in eaque vos manuteneat, & defendat. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſteriorum, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtoliea, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis Monaſteriis, & Ordinibus hujuſmodi ſub quibuſvis verborum formis conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, illorum omnium tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXV Junii MDXV, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Monaſterii.*) Adeas *Torrigium in Hiſtoria veneranda imaginis B. Mariæ &c. Cap. XXIII pag. 66 &c.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi pag. 64* ex autographo *Bononienſi*.
3. *Thomas.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
4. *Commiſſionis.*) De qua in *Conſtitutione* VIII.
5. *S. Auræ.*) Illud Monaſterium ſitum erat in via olim *Florida*, nunc *Julia* nuncupata, in loco qui *Caſtrum Senenſe* dicitur.

Anno 1515 Die 27 Junii.

De electione (1) Provincialis Hiſpaniæ.

XXXVI.

Ex Archivo (2) Ordinis.

L E O PP. X.

Univerſis, & ſingulis Fratribus Provincię Hiſpanię Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. CUm nuper (3), ut accepimus, Provincia Hiſpanię veſtri Ordinis in duas partes, duarum Provinciarum conſtituendarum cauſa, noſtra auctoritate divideretur, quarum una antiquum Hiſpanię nomen retineret, altera vero Betica, ſive Andaluſia appellaretur, factum eſt, ut hę veſtri Ordinis domus, quę tum iſtic, ut nunc ſunt vitę communis, & non reformatę habentur, ei cederent parti, quę jam ut tunc Provincia Hiſpanię appellaretur. Verum, cum intellexerimus verendum eſſe, ne futuris temporibus in electione Prioris Provincialis veſtri contra reformatos, numero ex hac diviſione imminutos, conſpirent hi, qui ex iſtis non reformatis Domibus ad electionem hujuſmodi venire conſueverunt, itaut in prętandis votorum ſuffragiis remiſſioris viri eligendi gratia pertinacius uniantur, quod vitę regulari incommodum,

Mandatum. Nobis certe permoleſtum, foret. Hinc igitur, tanto malo paterna pietate remedium afferre cupientes, motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc oblatę Nobis petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, ac ex certa ſcientia noſtra, Apoſtolicaque auctoritate, omni, in hac re interpoſita, ſeu interponenda, appellatione remota, tenore pręſentium decernimus, tales deinceps in electione hujuſmodi nequaquam admittendos eſſe, quantum uti jam diximus ad eligendum pro tempore Priorem Provincialem veſtrum ex non reformatis domibus venire, & ſuffragia pręſtare conſueverunt, donec hę Domus juxta Conſtitutiones veſtras, & numerum Fratrum integrum habuerint, & re ipſa non tantum nomine, quemadmodum neque nunc quidem ſunt, fuerint reformatę, non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis conſuetudinibus, & ſtatutis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, omnibuſque, & ſingulis gratiis, privilegiis, immunitatibus, indultis, eorumque confirmationibus Apoſtolicis, literis etiam in forma Brevis, eidem Ordini, aut quibuſcunque ejuſdem Provinciis, Congregationibus, Domibus, vel cujuſvis earundem conditionis, ac dignitatis, perſonis, ſub quibuſcunque aut verborum formis, aut clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, & inſolitis conceſſis, & concedendis, ac in eiſdem deputatis, deputandiſque Conſervatoribus, etiamſi in prędictis concederetur ſecundam juſſionem expectandam fore; quibus illa, etiamſi de eis, eorumque totis tenoribus, ac datis, non per hujuſmodi generales clauſulas etiam ſpecialem mentionem importantes, ſed ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, ſeu quęvis alia mentio habenda eſſet, pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad pręmiſſa ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & ea nemini in pręjudicium pręmiſſorum ſuffragari poſſe, aut debere decernimus, irritum facientes, quicquid ſecus contigerit attentari, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Junii MDXV, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Electione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol. 39*, ex autographo *Salmanticenſi*.
3. *Nuper.*) Legenda Conſtitutio *XXIV.*

Pro-

Provincia (1) Germaniæ Inferioris conſtituitur.

Anno 1515
Die 2 Julii.

Ex Bernardo de Jonghe in Belgio Dominicano pag. 11.

Dilecto (a) filio Thomę de Vio Cajetano Generali Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum.

L E O PP. X.

XXXVII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DEcet Romanum Pontificem, cui Dominici gregis univerſalis cura commiſſa eſt, iis intendere, qui-
bus profectui, & ſtatui religioſarum perſonarum, earum pręſertim, quę verbo, & exemplo ani- Exordium.
marum ſaluti inſiſtunt, conſulitur, maxime ſi id fiat non ſolum pacis, & Religionis, zelo, ſed etiam
clariſſimorum hominum pia, & ſincera interceſſione. Sane his diebus dilectus filius, nobilis vir Caro-
lus (3), Princeps Hiſpaniarum, Archidux Auſtrię (4) nobis exponi fecit, pleraſque Domos Ordinis Prę-
dicatorum in terris ſibi ſubjectis (5), cum majorum ſuorum diligentia, atque cura per legitimam Supe- Diplomatis
riorum auctoritatem a juriſdictione Priorum Provincialium exemptę fuiſſent, unamque Hollandię Con- cauſa.
gregationem (6) conſtituiſſent, plurimum in vitę regularis obſervantia profeciſſe ita ut etiam alię quę-
dam Domus ejuſdem Ordinis extra terras dicti Principis conſtitutę, tanta religione allectę, cum priori-
bus in eadem Congregatione unirentur, & cum Domus hujuſmodi ſępiſſime a Prioribus Provincialibus,
quorum in Provinciis exiſtunt, propter talem exemptionem fuerint moleſtatę, videtur talis moleſtia ceſ-
ſatura, ſi ex eiſdem Domibus nova Provincia conſtitueretur. Quę ſi etiam illic vicinas, & in eodem idio-
mate, dominioque convenientes complecteretur, & juſtum Domorum numerum ad conſtituendam Pro-
vinciam eſſet habitura, & domus ipſę facilius, libentiuſque in bis quę religionis ſunt, mutuo ſe ſe juva-
rent. Ad hęc dilectus filius noſter Nicolaus tituli S. Priſcę S. R. E. Cardinalis, de F.... (7), Ordinis
veſtri Protector, cui etiam de bac re idem Princeps, ut accepimus, ſcripſit, Nobis inſinuando adjunxit:
hujus novę Provincię conſtitutionem, ſi modo prędicto fiat, utilem veſtro Ordini fore, nedum quoad dic-
tarum domuum ex idiomatis, & temporalis Dominii unitate, & convenientia incrementum, ſed etiam
quoad totius Ordinis commoditatem, quod ipſa fere tota ex reformatis Domibus foret, & per hoc in Ge-
nerali Capitulo veſtro pro tempore in ſuffragiis pręſtandis reformatorum numerus augeretur: maxime cum
particulares religioſarum Domorum reformationes ad hoc inventę ſint, ut his antiquo Religionis decori
reſtitutis, Provincię primum, & deinde Ordines ipſi regulari obſervantię reddantur, nullum denique
Provinciis ipſis, a quibus prędictę Domus detrahentur, ex hoc detrimentum, ſed alleviamentum potius
acceſſurum, cum propter ipſarum Provinciarum latitudinem ſingulę Domus ſingulis annis a ſuis Provin-
cialibus, ut habet regularis inſtitutio, commode viſitari non poſſint, cujus aliud congruentius remedium Nota.
inveniri vix queat, quam ut in his partibus inferioris Germanię, ſicuti in aliis etiam regionibus aliquan-
do factum eſſe intelleximus, ex domibus, quę in extremis finibus Provinciarum ſunt, nova Provincia
conſtituatur. Idem itaque Princeps nobis humiliter ſupplicari fecit, ut cum Domibus, quę Congregatio-
nis Hollandię, & Dominii ſui hactenus fuerunt, alias in Dominio ſuo ſitas unire, necnon tam ex his, quam
ex aliis prędictę Congregationis Domibus illic convicinis, novam Provinciam conſtituere, quę inferio- Mandatum.
ris Germanię Provincia appelletur; aliaſque circa hujuſmodi de benignitate Apoſtolica providere digna-
remur. Nos itaque, qui religioſarum Domorum, & perſouarum profectum ac utilitatem intenſis deſide-
ramus affectibus, tanti Principis ſupplicationibus inclinati, tenore pręſentium, auctoritateque Apoſtoli-
ca, omni hac in re interpoſita, vel interponenda appellatione remota, Domus, ſeu Conventus Ganden-
ſem (8), Inſulenſem (9) Valencenenſem (10), Duacenſem (11), Brugenſem (12), Iprenſem (13), Ber-
genſem (14), Atrebatenſem (15), S. Audomari (16), Trajecti inferioris (17), Harlemenſem (18), Zie-
riczeenſem (19), Hagenſem (20), Roterdamenſem (21), Noviomagenſem (22), Zutphanienſem (23),
Leowardienſem (24), Groeningenſem (25), Calcarienſem (26), Zwolenſem (27), Winſumienſem (28),
Lovanienſem (29), Autuerpienſem (30), Trajecti ſuperioris (31), Buſcoducenſem (32), & Bruxellen-
ſem (33), una cum Monaſteriis reformatis Monialium Ordinis Sancti Augnſtini ſub cura, habitu, & inſti-
tutis dicti Ordinis Prędicatorum, Collegiiſque Sororum Tertii habitus, ſeu de Pęnitentia S. Dominici
intra terminos earundem Domorum conſtitutis in Provinciis Francię, Saxonię, & Teutonię reſpective,
ſeparamus, atque a juriſdictione, & regimine Priorum Provincialium earundem Provinciarum, ac quo-
rumcunque Vicariorum Generalium eximimus, ex illiſque omnibus, & ſingulis unam novam Provin-
ciam, quę inferioris Germanię Provincia appelletur, facimus, creamus, ac inſtituimus: ac Domos, &
Monaſteria, & Collegia prędicta, illorumque omnes, & ſingulas utriuſque ſexus pro tempore perſonas,
auctoritati, juriſdictioni, regimini, & correctioni Prioris Provincialis pro tempore illius Provincię juxta
morem dicti Ordinis ab eadem Provincia eligendi ſubmittimus ita ut Provincia hujuſmodi aliis Provinciis
dicti Ordinis, tam circa locum, & vocem in Capitulo Generali, quam circa alia quęcunque, etiamſi talia
forent, quę merito ad effectum pręſentium exprimi deberent, ſimilis habeatur. Concedendo nihilominus
Provincię eidem pro regularis vitę incremento, & conſervatione, ut ipſa, illiuſque Domus, iiſdem gra-
tiis, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, & indultis, tam temporalibus, quam ſpi-
ritualibus, uti, potiri, & gaudere poſſint, quibus Congregatio Hollandię prędicta, & ejus Domus, ex
quibus potiſſimum ipſa Provincia conſtituitur, utuntur, potiuntur, & gaudent, ſalvis in omnibus, & per
omnia veſtri Ordinis Conſtitutionibus, auctoritate, & ſuperioritate Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis.
Ne autem dicta nova Provincia interim dum Prior Provincialis eligitur, Prędidente, & Directore careat,
inſtituimus prędentium tenore, & auctoritate ſupradicta in Vicarium Generalem ejuſdem Provincię eum,
quem Priores Conventuum Gandenſis, Antuerpienſis, Trajecti Inferioris, & Noviomagenſis, vel tres in
unum

unum congregati duxerint nominandum: eam ſibi auctoritatem in omnibus concedendo, quam ſecundum morem veſtri Ordinis Vicarius Provinciæ, mortuo, vel amoto Priore Provinciali habere conſuevit: quouſque Prior Provincialis electus, confirmatus, & præſens in Provincia extiterit. Alias vero domus, & Monaſteria, quæ dictæ Congregationis Hollandiæ fuerunt, & inter ſuperiores non ſunt expreſſæ, volumus in omnibus, & per omnia ita permanere, ac ſi dicta Provincia conſtituta non eſſet, donec per te Magiſtrum Generalem aliter de eis fuerit ordinatum: ad quod faciendum, omnimodam, & plenam tibi concedimus facultatem, diſtricte præcipiendo in virtute Sanctæ Obedientiæ: ne quis cujuſcunque gradus, ſtatus, aut conditionis fuerit, quidquam contra præmiſſa, aut aliquid præmiſſorum directe, vel indirecte, per ſe, vel alium, quovis quæſito colore, attentare præſumat. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis conſuetudinibus, & ſtatutis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, omnibuſque, & ſingulis gratiis, privilegiis, exemptionibus, indultis, eorumque confirmationibus, Apoſtolicis literis, etiam in forma Brevis, quibuſcunque Ordinis Prædicatorum Provinciis, Congregationibus, Domibus, Monaſteriis, vel eorundem cujuſcunque conditionis, aut dignitatis perſonis ſub quibuſcunque verborum formis, aut clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & fortioribus, ac inſolitis, conceſſis, aut concedendis, ac in eiſdem deputatis, deputandiſque conſervatoribus: etiamſi in eis concederetur expreſſe, ſecundam juſſionem expectandam fore. Quibus omnibus, illa etiam ſi de eis, eorumque totis tenoribus, ac datis, non per hujuſmodi generales clauſulas, etiam ſpecialem mentionem importantes, ſed ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, ſeu quævis alia mentio habenda eſſet, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad præmiſſa ſpecifice, nominatim, & ex certa ſcientia derogamus: ac ea nemini in præjudicium præmiſſorum ſuffragari poſſe, ac debere decernimus, irritum faciendo quicquid ſecus contigerit attentari; ſupplentesque ex nunc omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forte emergerent circa executionem præmiſſorum, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die Secunda Julii MDXV, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Ja. Sadoletus.

1. *Provincia.*) Conſulendus *Bernardus de Jonghe* loco laudato.

2. *Dilecto.*) Hæc inſcriptio deſideratur apud Auctorem mox citatum, quod autem ſic reſtituenda ſit, liquet ex ipſomet Diplomate, in quo Summus Pontifex Generalem Magiſtrum ſic alloquitur: *donec per Te Magiſtrum Generalem aliter de eis fuerit ordinatum.*

3. *Carolus.*) *Hiſpaniarum* Rex. Imperator poſtea fuit *Carolus*, hujus nominis *V*.

4. *Princeps Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ.*) Patrem enim habuerat *Philippum* Archiducem *Auſtriæ*, matrem vero *Johannam* Reginam *Caſtellæ*.

5. *In territ. ſibi ſubjectis.*) Hic de *Germania inferiori* ſermo.

6. *Hollandiæ Congregationem.*) De qua ſæpius dictum fuit. Adeas *Bernardum de Jonghe* in *Belgio Dominicano*.

7. *De F....*) *De Fuſco*. Conſulendus *Ciaconius* in *Alexandro VI Vit. Pontif.*, & *Cardinal. Tomo III pag.* 204.

8. *Gandenſem.*) A *Ferrando Portugallenſi*, & *Johanna Conſtantinopolitana* Comitibus *Flandriæ* fundatum. Primo Provinciæ *Teutoniæ*, poſtea *Franciæ*, deinde *Congregationis Hollandiæ*, tandem *Germaniæ inferioris* Provinciæ fuit.

9. *Inſulenſem.*) In *Gallo-Belgio*. Primo Provinciæ *Franciæ*, tum Congregationis *Hollandiæ*, poſtea Provinciæ *Germaniæ inferioris* fuit. Nunc juris eſt Provinciæ *S. Roſæ*.

10. *Valencenen.*) In *Hannonia*. Primo Provinciæ *Franciæ*, deinde Congregationis *Hollandiæ*, poſtea *Germaniæ inferioris* fuit. Nunc ſpectat ad Provinciam *S. Roſæ*.

11. *Duacenſem.*) In *Gallo-Belgio* a *Margarita Conſtantinopolitana* fundatum, ac Provinciæ *Franciæ* datum, poſtea Congregationi *Hollandiæ*, deinde Provinciæ *Germaniæ inferioris*, tandem Provinciæ *S. Roſæ*.

12. *Brugenſem.*) Ab eadem *Margarita* in *Flandria* fundatum. Primo pertinuit ad Provinciam *Teutoniæ*, poſtea *Franciæ*, tandem *Germaniæ inferioris*.

13. *Iprenſem.*) A *Margarita Conſtantinopolitana*, & ejus filio *Guidone* Comitibus *Flandriæ* in *Gallo Belgio* fundatum. Primo fuit Provinciæ *Franciæ*, tum *Germaniæ inferioris*, nunc *S. Roſæ*.

14. *Bergen.*) In *Gallo Belgio* ab eadem *Margarita* fundatum, & ſubditum Provinciæ *Franciæ*, tum Congregationi *Hollandiæ*, poſtea Provinciæ *Germaniæ inferioris*, nunc Provinciæ *S. Roſæ*.

15. *Atrebaten.*) *Arras*, in *Arteſia*. Ab anno *MCCXXXIII* ad *MDXV* Provinciæ *Franciæ* juris fuit, tum Provinciæ *Germaniæ inferioris* datus, anno tandem *MDXLIV* ad Provinciam *Franciæ* rediit Conventus iſte.

16. *S. Audomari.*) *Saint Omer*, in *Arteſia* a *Machtilde III Arteſiæ* Comitiſſa fundatum. Datus eſt Provinciæ *Franciæ*, poſtea *Germaniæ inferioris*, tandem *S. Roſæ*.

17. *Trajecti inferioris.*) Seu *Ultrajectinum*, vulgo *Utrecht*, in *Belgio*. A *Guillelmo* Rege *Romanorum*, Comite *Hollandiæ* fundatus Conventus iſte conceſſus eſt Provinciæ *Teutoniæ*, poſtea *Saxoniæ*, tum Congregationi *Hollandiæ*, deinde Provinciæ *Germaniæ inferioris*. Anno tandem *MDLXXX* ab hæreticis occupatus fuit.

18. *Harlemen.*) *Harlem*, in *Hollandia Boreali*. Iſtius fundatores fuere *Guillelmus* Rex *Romanorum*, & *Florentius* ejus filius, *Hollandiæ* Comes. Primo juris fuit Provinciæ *Teutoniæ*, deinde *Saxoniæ*, poſtea Congregationis *Hollandiæ*, tandem Provinciæ *Germaniæ inferioris*. Ab hæreticis deſtructum fuit *Harlemenſe* Cœnobium.

19. *Ziericzeen.*) In *Selandia*, ſeu *Zeelandia*. Inter iſtius fundatores recenſentur *Margarita Conſtantinopolitana*, & *Machtildis* mater *Guillelmi* Regis *Romanorum*, Comitis *Hollandiæ*. Fuit primo Provinciæ *Teutoniæ*, deinde *Saxoniæ*, poſtea Congregationis *Hollandiæ*, tandem Provinciæ *Germaniæ inferioris*. Ab anno *MDLXXVI* ab hæreticis occupatur.

20. *Hagienſem.*) In *Hollandia*. Ab *Abberto Bavaro*, & *Margarita Clivienſi* Comitibus *Hollandiæ* fundatur, ſubjicitur Provinciæ *Saxoniæ*, poſtea Congregationi *Hollandiæ*, deinde datur Provinciæ *Germaniæ inferioris*, anno tandem *MDLXXVIII* ab hæreticis occupatur.

21. *Roterdamen.*) Seu Rotterodamen., vulgo *Roterdam*, in *Hollandia*. Primo Provinciæ *Saxoniæ* fuit, deinde Provinciæ *Germaniæ inferioris*. Illum nunc tenent hæretici.

22. *Noviomagen.*) Ejuſdem nominis variæ Civitates. Hic de *Geldriæ* primaria, vulgo *Nimmegen.* incolis, Gallis *Nimegue*, Italis *Nimega*. Hujuſce Conventus fundator fuit *Noviomagenſis* Senatus, inſtante *Margarita* uxore *Renoldi* Comitis *Geldriæ*. Juris fuit Provinciæ *Teutoniæ*, poſtea *Saxoniæ*, tum Congregationis *Hollandiæ*, deinde Provinciæ *Germaniæ inferioris*. Nunc ab hæreticis occupatur.

23. *Zutphanien.*) Vulgo *Zutphen.*, in ejuſdem nominis Comitatu in *Geldriæ* Ducatu. Fundatus a *Renoldo* Primo, Comite *Geldriæ*, datus eſt Provinciæ *Teutoniæ*, poſtea *Saxoniæ*, deinde Congregationi *Hollandiæ*, tandem Provinciæ *Germaniæ inferioris*. Nunc illum tenent hæretici.

24. *Leovvardien.*) In *Friſia* Metropoli fundatus a nobili familia *Camingana* juris fuit Provinciæ *Teutoniæ*, poſtea *Saxoniæ*, deinde Congregationis *Hollandiæ*, tandem Provinciæ *Germaniæ inferioris*. Nunc inter hæreticorum manus.

25. *Groeningen.*) In *Friſia occidentali*. Hujuſce Cœnobii fundator fuit *Ludolphus* toparcha *de Gronebeck*, Præfectus *Grœningæ*. Fuit primo Provinciæ *Saxoniæ*, deinde Congregationis *Hollandiæ*, tum Provinciæ *Germaniæ inferioris*, tandem ab hæreticis occupatur anno *MDXCIV*.

26. *Calcarien.*) In *Clivia*. A *Johanne* hujus nominis primo Duce *Cliviæ* fundatus Conventus *Calcarienſis* datus eſt Congregationi *Hollandiæ*, tandem Provinciæ *Germaniæ inferioris*.

27. *Zvvolen.*) Seu *Zvvollen.*, vulgo *Zvval*, in

Digitized by Google

in *Tranſiſalania* Provincia *Belgii*. A fundatione fuit in Congregatione *Hollandiæ* ad annum uſque *MDXV*, quo conceſſu fuit Provinciæ *Germaniæ inferioris*. Ab anno autem *MDLXXX* illud Cœnobium tenent hæretici.

28. *Vi inſumienſem.*) In *Belgio*. Primo juris fuit Provinciæ *Teutoniæ*, poſtea *Saxoniæ*, tandem Provinciæ *Germaniæ inferioris*. Nunc ab hæreticis occupatur.

29. *Lovanien.*) In *Brabantia*. Ab *Henrico III* Duce *Brabantiæ* fundatus Conventus *Lovanienſis* datus eſt Provinciæ *Teutoniæ*, tum Provinciæ *Germaniæ inferioris*, cujus juris eſt.

30. *Antuerpien.*) In *Brabantia*, Iſtius fundator fuit Henricus Dux *Brabantiæ*. Ab anno *MCCXLIII* ad *MDXV* fuit Provinciæ *Teutoniæ*, poſtea *Germaniæ inferioris*

31. *Trajecti Superioris.*) Vulgo *Maeſtricht*, ſeu *Moſa-Trajecten.*, in *Brabantia*. Primo Provinciæ *Teutoniæ*, poſtea fuit Provinciæ *Germaniæ inferioris*.

32. *Buſcoducen.*) In *Brabantia*. Primo Provinciæ *Teutoniæ*, deinde Congregationis *Hollandiæ* fuit, demum Provinciæ *Germaniæ inferioris*.

33. *Bruxellen.*) In *Brabantia*. Iſtius fundatores fuere *Philippus* cognomento *Bonus*, Dux *Burgundiæ*, Princeps *Belgii*, & *Iſabella*, ſeu *Eliſabeth*, *Luſitana*, ipſius uxor. Primo Congregationis *Hollandiæ*, poſtea Congregationis *Teutoniæ*, tandem Provinciæ *Germaniæ inferioris* fuit.

Anno 1515
Die 21 Julii.

Ne Fratres extra Conventus degant (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

L E O PP. X.

XXXVIII.

Univerſis, & ſingulis Domorum, ac Provinciarum Præſidentibus Ordinis Prædicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Intelleximus non ſine gravi animi noſtri diſplicentia, quod multi veſtri Ordinis profeſſores conceſſis ſibi a Sede Apoſtolica diſpenſationibus, per quas eis indulgetur, ut Beneficium Eccleſiaſticum ſeculare curatum, ſi ſibi alias canonice conferatur, recipere, & retinere, & interim alicui Beneficio Eccleſiaſtico cum cura, vel ſine cura de illius Rectoris conſenſu deſervire poſſint, nequiter abutentes, exigua paſſim mercede conducti, & quandoque gratis, ſervitiis hujuſmodi ſe involvunt, & eo prætextu quaſi a veſtra lege ſoluti per Laicorum hoſpitia, & ſeculares circulos vagi palantes tota die diſcurrunt, & hujuſmodi licentia freti ea committere non verentur, quæ in divinæ cedunt majeſtatis offenſam, eorum animarum exitium, Religionis opprobrium, perniciosum quoque exemplum, & ſcandalum plurimorum. Et cum vos reprehendere eos, aut corrigere ſtruitis, diſpenſationum prædictarum vigore ſe a veſtra juriſdictione, & ſuperioritate eſſe aſſerentes prorſus exemptos, mandatis veſtris non ſolum parere contemnunt, ſed etiam per locorum ordinarios, aut alios ſibi in diſpenſationum hujuſmodi literis executores deputatos, per cenſuras, & alias pœnas contra vos procedi procurant, ſicque per impunitatis audaciam evadunt quotidie nequiores. Nos igitur, ſuper his opportune providere volentes, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, diſpenſationes, & indulta quæcunque quibuſvis veſtri Ordinis Profeſſoribus per Nos, & Sedem prædictam conceſſa hactenus, & in poſterum concedenda, illis ex eiſdem profeſſoribus ſuffragari duntaxat, qui proprias obtinent Parochiales Eccleſias, vel earum perpetuas vicarias, & illis actualiter deſerviunt in Divinis, Prædicationis officium, & alia, quæ ad illarum Parochianorum animarum curam pertinent, honeſte, & laudabiliter exercendo. Reliquos vero omnes, quibuſvis videantur a dicta Sede privilegiis, exemptionibuſque ſuffulti, ut donec ipſis Eccleſiæ, aut Beneficia, ad quæ diſpenſationes obtentæ ſe extendunt, canonice ſint collata, in domibus dicti Ordinis ſub illarum ſuperiorum obedientia ſecundum morem dicti ordinis degant, & veſtris, & aliorum Superiorum hujuſmodi præceptis ſalutaribus ſe conforment, cogi, & compelli debere. Quo circa diſcretioni veſtræ per hæc ſcripta committimus, & mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios, omnes, & ſingulos dicti Ordinis profeſſores extra ejuſdem Ordinis domos prætextu diſpenſationum, aut indultorum Apoſtolicorum nunc, & pro tempore degentes, & proprias Eccleſias, aut earum perpetuas Vicarias, ut præmittitur, non obtinentes, auctoritate noſtra, quam habetis, vel, ſi opus eſt, noſtra moneatis, ut infra triduum ad domos veſtri Ordinis revertantur, & contra eos, qui monitioni hujuſmodi non paruerint cum effectu, tanquam contra apoſtatas, & fugitivos per cenſuram eccleſiaſticam, & alia, etiam juxta regularia dicti Ordinis inſtituta, conſueta remedia, appellatione quavis omnino poſtpoſita, procedatis, invocato etiam ad hoc, quotiens opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſvis diſpenſationibus, exemptionibus, & indultis Apoſtolicis, quaſcunque, etiam derogatoriarum derogatorias, aliaſque fortiores, efficaciores, & inſolitas clauſulas, irritantiaque decreta in ſe continentibus, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia conceſſis, & concedendis, quibus omnibus, illa pro ſufficienter expreſſis habentes, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXI Julii MDXV, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Degant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum *Lib. B. fol. 721*, ex autographo *Barchinonenſi*.

Ne

Anno 1515 Die 6 Novembris.

Nę Congregationis Lombardiæ Fratres curam Monialium (1) quæ juſſa Superiorum negligunt habęre teneantur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXXIX.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum.

L E O PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXponi Nobis nuper feciſti, quod temporibus anteactis, nonnullis Vicariis Generalibus, & Prioribus tuę Congregationis, & Ordinis Prędicatorum per Prędeceſſores noſtros ſub cenſuris eccleſiaſticis mandatum fuit, ut certa Monaſteria Monialium tam Ordinis Prędicatorum, quam forſan aliorum Ordinum acceptare, & earum ſpecialem curam gerere deberetis, quo bona Fratrum tuorum converſatione, ipſorumque ſalutaribus monitis, in ſancta religione proficerent. Quodque modernis temporibus multę ſint ex ipſis Monialibus, quę ſpiritualem profectum parvi pendentes, & boni ſanctique propoſiti obliviſcentes, ſuperiorum ſuorum, etiam Vicariorum Generalium ordinationes, ac monita ad regularem obſervantiam conducentia effectualiter deſpiciunt, in animarum ſuarum perniciem, ſuperiorum animi amaritudinem, & Religionis dedecus, quod Nobis haud mediocriter diſplicet. Quocirca, cum noſtrę mentis non ſit, Monialium cura, atque regimine abſque earum evidenti profectu ſpirituali Congregationem tuam onerare, tibi, ac omnibus Succeſſoribus tuis per pręſentes concedimus, ut, pręvia monitione, ea Monaſteria, ac Moniales, quę judicio Vicariorum Generalium, qui pro tempore fuerint, ordinationes, & monita ipſis per Vicarios Generales pro conſervatione regularis obſervantię, facta, adimplere, & obſervare neglexerint, de conſilio, & aſſenſu aliquorum diſcretorum patrum Congregationis valeatis, tuique Succeſſores valeant, omnino relinquere, ita quod tam Vicarii Generales, quam ceteri Fratres de ſimilibus Monaſteriis, & Monialibus, curam, & regimen habere amplius non teneantur. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, ſub quibuſcunque verborum formis, & cenſuris eccleſiaſticis conceſſis, quarum tenores pro expreſſis haberi, volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Viterbii ſub Annulo Piſcatoris, Die VI Novembris MDXV, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Facultas.

1. *Monialium*.) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo tit. XIII.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum *lib. E. fol.* 11. Autographum habes in Cœnobio *Cremonenſi*. Legitur apud *Uſuſmarem*.

Anno 1516 Die 7 Februarii.

Conventum Taurenſem (1) Eccleſiaſtico Beneficio donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XL.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

AD Apoſtolicę dignitatis apicem divina diſpoſitione vocati, ex ſuſceptę ſervitutis officio votis illis, per quę Monaſteriorum, & Religioſorum locorum omnium neceſſarię reparationi, & conſervationi, ac perſonarum in illis ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium pro oneribus eis incumbentibus facilius ſupportandis commoditati cum divini cultus augmento valeat ſalubriter provideri, libenter annuimus, ac ea prout expedire conſpicimus, favoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem omnia beneficia eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura, apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura collationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Cum itaque poſtmodum Parochialis Eccleſia S. Johannis loci de Almaraz, Palentinę Diœceſis, per liberam reſignationem dilecti filii Petri de Doza, nuper ipſius Eccleſię Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat per dilectum filium Franciſcum Ortiz Clericum Zamorenſis Diœceſis procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos &c. quaſcunque ſpecialis, vel Generalis reſervationis expectativas, & alias gratias, uniones, annexiones, & incorporationes, ſuppreſſiones, extinctiones, & abſque conſenſu coadjutorum, deputationes, nominationes nominandi, & alia, acceſſus, & regreſſus, facultates, literas, mandata, etiam de providendo, ſeu commendando, vel uniendo conceſſiones, & indulta quęcunque etiam comproviſionibus, ſeu aliis diſpoſitionibus, ex tunc prout ex die vacationis illius, quibuſvis perſonis cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtentibus, etiam familiaribus noſtris continuis commenſalibus, etiam antiquis, & deſcriptis, & in Capella noſtra Cantoribus, Capellanis, ac Romanę Curię Officialibus, etiam quacunque eccleſiaſtica, ſeu mundana dignitate, auctoritate, & excellentia, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, aut in eorum, ſeu Eccleſiarum, Monaſteriorum, Menſarum, vel Beneficiorum eccleſiaſticorum, univerſitatum, & ſtudiorum generalium favorem, etiam Regum, Reginarum, Ducum, aut aliorum Principum, quorumcunque contemplatione, vel intuitu, ſeu ob remunerationem laborum, vel in recompenſam jurium ceſſorum, vel ablatorum, & inexcogitabilibus cauſis, ſub quibuſvis verborum formis, & expreſſionibus, ac cum quibuſvis antelationibus, ſuſpenſionibus, reſtrictionibus, aliiſque efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis irritantibus, etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis decretis, etiam cum atteſtatione mentis, &

Diplomatis cauſa.

inten-

intentionis noſtrę, de non revocando, aut ſuſpendendo reſervationes, uniones, & alias gratias, necnon reſtitutione, repetitione, & reintegratione literarum earundem in priſtinum ſtatum, & alia ſub quacunque forma, & expreſſione verborum per Nos, & Sedem eandem, aut ejus Legatos, etiam in mente noſtra, & ad nullius inſtantiam, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine conceſſas, & conceſſa hactenus, eorumque omnium vim, & effectum quoad hoc ſuſpendendo, & in hujuſmodi vacatione effectum ſortiri, aut locum ſibi vindicare non poſſe, nec debere, decernendo, admiſſam apud Sedem Apoſtolicam, vacaverit, & vacet ad pręſens, nulluſque de illa pręter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, &, ſicut exhibita Nobis pro parte dilectorum filiorum moderni Prioris, & Fratrum domus S. Ildephonſi Oppidi de Toro Ordinis Pręedicatorum, Zamorenſis Diœceſis, petitio continebat, cum dicta domus, & illius Eccleſia, ac officinę magna indigeant reparatione, ſi dicta Parochialis Eccleſia, ad quam, dum pro tempore vacat, pręſentatio perſonę idoneę ad Priorem pro tempore exiſtentem, & Fratres domus hujuſmodi ex privilegio Apoſtolico pertinet, Sacriſtię ipſius domus perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto domus pręedicta, prout convenit, repararetur, ac ipſorum Prioris, & Fratrum commoditatibus plurimum conſuleretur, & divinus cultus inibi augmentum ſuſciperet. Quare pro parte moderni Prioris, & Fratrum pręedictorum, aſſerentium dictum locum de eorum mero, & mixto imperio ex ſimili privilegio exiſtere, ac fructus, redditus, & proventus dictę Parochialis Eccleſię quadraginta ducatorum auri de Camera ſecundum communem ęſtimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Parochialem Eccleſiam pręedictam eidem Sacriſtię perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos Mandatum.
igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum ęſtimationem pręedictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, modernum Priorem, & Fratres pręfatos, ac eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon fructuum, redditsuum, & proventuum dictę Sacriſtię, verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Parochialem Eccleſiam pręedictam, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, ac ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem dicti Petri, vel cujuſvis alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut Conſtitutionem felicis recordationis Johannis Papę XXII Pręedeceſſoris noſtri, quę incipit: Execrabilis: vel aſſecutionem alterius beneficii eccleſiaſtici, quavis auctoritate collati, vacet, etiam ſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii ad Sedem pręedictam legitime devoluta, ipſaque Parochialis Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicę, ſpecialiter, vel alias perſonaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem Sacriſtię Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus ita quod liceat eidem moderno, & pro tempore exiſtenti Priori, & Fratribus pręedictis per ſe, vel per alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem Parochialis Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum pręedictorum propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in ſuos, & Sacriſtię, ac Parochialis Eccleſię pręedictorum uſus, & utilitatem convertere, necnon eidem Parochiali Eccleſię per Presbyterum idoneum ſecularem, vel dicti Ordinis regularem, ad eorum nutum ponendum, & amovendum, in divinis deſerviri facere. Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia, ſuper hoc minime requiſita, non obſtantibus voluntate noſtra pręedicta, ac pię memorię Bonifatii PP. VIII, etiam Pręedeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum. Quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſecuta quęcunque ad dictam Parochialem Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum pręjudicium generari, & quibuſlibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem pręedictas dicta Parochialis Eccleſia debitis non fraudetur obſequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta. Nos enim, prout eſt, irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, vel forſan eſt hactenus attentatum. Nulli ergo &c. hanc paginam noſtrę abſolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei &c. Si quis &c. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quinto decimo (3), Septimo Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Taurenſem*.) In *Hiſpania*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 417, ex autographo *Laurenſi*.
3. *Quinto decimo*.) Stylo Bullarum, ęrę communis *MDXVI*.

De

Anno 1516 Die 7 Februarii.

De præcedentibus literis executioni mandandis.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XLI.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Alvilen. (2), & dilectis filiis Antonio Fernandez Canonico Eccleſię Guadicen. (3), ac Officiali Zamoren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie cum dilectus filius Petrus de Doza Clericus Zamorenſis Dięceſis Parochialem Eccleſiam S. Johannis loci de Almarax dictę Dięceſis, quam tunc obtinebat, in manibus noſtris ſponte, & libere reſignaſſet; Noſque reſignationem hujuſmodi admittentes Eccleſiam prędictam per reſignationem eandem tunc vacantem, & antea diſpoſitioni Apoſtolicę reſervatam, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis Sacriſtie Domus S. Ildephonſi Oppidi de Toro Ordinis Prędicatorum, Zamorenſis Dięceſis, per quaſdam perpetuo univiſſemus, annexuiſſemus, & incorporaviſſemus; eidem Petro omnes, & ſingulos fructus, redditus, & proventus dictę Eccleſię per eum quoad viveret, vel alium, ſeu alios ejus nomine propria auctoritate percipiendos, exigendos, & elevandos, ac in ſuos uſus, & utilitatem convertendos, loco penſionis annuę dilectorum filiorum Prioris moderni, & Fratrum dictę Domus ad id expreſſo accedente conſenſu, per alias noſtras literas reſervavimus, conceſſimus, & aſſignavimus, prout in eiſdem literis plenius continetur. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę poſteriores literę vobis pręſentatę fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios faciatis auctoritate noſtra pręfatum Petrum, vel procuratorem ſuum ejus nomine pacifica poſſeſſione, vel quaſi perceptionis fructuum, reddituum, & proventuum prędictorum pacifice gaudere, non permittentes eum per modernum, & pro tempore exiſtentem Priorem dictę Domus, & Fratres pręfatos, ſeu quoſcunque alios deſuper quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores &c. Non obſtantibus omnibus, quę in dictis poſterioribus literis voluimus non obſtare, ſeu ſi Priori, & Fratribus pręfatis, vel quibuſvis aliis, communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quinto Decimo (4), Septimo Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum *Lib. B. fol.* 417 ex autographo *Taurenſi*.
2. *Alvilen.*) *Abulen.*, vulgo *Avila*, in *Hiſpania Tarraconenſi*.
3. *Guadicen.*) *Gadicen.*, vulgo *Cadix*, in *Hiſpania Bætica*.
4. *Quinto Decimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXVI.*

Anno 1516 Die 14 Aprilis.

Hiſpalenſis (1) Collegii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLII.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

SOlet nonnunquam Romanus Pontifex &c. (3). Dudum ſiquidem pro parte venerabilis Fratris noſtri Didaci (4) Archiepiſcopi Hiſpalen. expoſito (5), quod ipſe, non ignarus, quantum Chriſtianę Reipublicę, & Orthodoxę Fidei conduceret, ut Eccleſia Dei, viris, non ſolum Religioſis ſed etiam ſacrarum literarum ſcientia prędititis, quorum opera ſuarum virtutum lucem ubique protendere, & illam obumbrare nitentes diſſipare valerent, in dies abundaret, cupienſque aliquid in terris ſtruere, quo perpetuo in cęlis felicitatem poſſideret, infra ambitum, ſive ſepta Domus S. Stephani Salamantin. Ordinis Fratrum Prędicatorum, cujus ipſe Didacus Archiepiſcopus profeſſor exiſtit, unum Hoſpitium, ſive manſionem, cum Oratorio, ſive Capella ſub invocatione S. Thomę de Aquino, ac cameris, aula, & aliis neceſſariis officinis, pro uno Collegio inibi erigendo, viginti dicti Ordinis profeſſorum, in Theologia ſtudere volentium, qui ſub regulari, quę in dicta domo vigebat, obſervantia, & ſub unius Prioris, ac aliorum Ordinis Prędicatorum ſuperiorum obedientia, collegialiter degerent, & quorum ſaltem duodecim, quandiu velint, & Theologię operam darent, & reliqui octo per decennium tantum ibi morarentur, & ipſo decennio exacto, ad domos, e quibus miſſi pro tempore forent, reverterentur, & in quorum recedentium, vel decedentium, loca alii ſurrogarentur, itaut viginti in dicto Hoſpitio ſemper reſiderent, conſtrui, & ędificari cęptum perfici facere, & eidem Collegio pro ejus dote, & Capellę ornamentis, ac Hoſpitii ędificiorum manutentione, & inſtauratione, ac viginti Fratrum ſtudentium prędictorum ſuſtentatione tantum in bonis ſtabilibus, vel perpetuis juribus, quorum fructus, redditus, & proventus, ad octingentorum Ducatorum auri de Camera ſecundum communem extimationem, valorem annuum aſcenderent, ſub certis honeſtis modis, & conditionibus, aſſignare proponebat, ſi ei ad hoc, dictę Sedis auctoritas ſuffragaretur. Nos dicti Didaci Archiepiſcopi, in ea parte ſupplicationibus inclinati, intra ambitum, ſive ſepta hujuſmodi, ubi Hoſpitium prędictum conſtrui cęptum fuerat, unum Collegium viginti dicti Ordinis profeſſorum, Theologię ſtudio vacare intendentium, qui ſub regulari obſervantia, & Prioris, ac aliorum, ſuperiorum obedientia hujuſmodi degerent, ac quorum ſaltem duodecim ibi, quoad velint, permanerent, octo vero poſt decennium in dicto Collegio peractum ad domos, a quibus miſſi forent, reverterentur, & in quorum ſic pro tempore recedentium, vel decedentium loca, alii ſurrogarentur, itaut viginti numerus nunquam deeſſet, dilecto filio Thoma de Vio, Priore Generali dicti Ordi-

Ordiuis, de quo Nobis per ſuas patentes literas extiterat legitime facta fides, in id expreſſe conſentiente, perpetuo creximus, & inſtituimus, & illi, pro ejus dote, ac ornamentis ſuſtentatione, manutentione, & inſtauratione prędictis, bona, ſive jura per Didacum Archiepiſcopum, uſque ad dictorum octingentorum Ducatorum valorem annuum aſſignanda hujuſmodi, perpetuo applicavimus, & appropriavimus, eidemque Didaco Archiepiſcopo Hoſpitium prędictum cum Capella, ſive oratorio, cameris, aula, & aliis pro uſu, & habitatione dictorum viginti Fratrum neceſſariis officinis proſequendum, & ad finem debitum perducendum, & in ipſo bonorum, ac jurium hujuſmodi aſſignationis actu modos, & conditiones honeſtas, quę ſibi placerent, etiam ſub reſtitutionis, aut devolutionis, in alios uſus, in eventus per dictum Didacum Archiepiſcopum exprimendos, & aliis pęnis, apponendi, ac quęcunque ſtatuta, & ordinationes, ſacris canonibus non contraria, proſperum regimen, & ſalubrem ſtatum dicti Collegii, & Fratrum in illo pro tempore reſidentium, & aſſignandorum bonorum hujuſmodi conſervatione, debitam diſpenſationem, & adminiſtrationem concernentia, edendi, & edita corrigendi, ac in melius reformandi, & alia de novo faciendi, quę ſub cenſuris, & aliis pęnis, per dictum Didacum Archiepiſcopum in illorum editione, correctione, vel reformatione ſtatuendis, deberent ab omnibus obſervari, & quę eo ipſo, quod edita forent, dicta auctoritate Apoſtolica, confirmata cenſerentur, unum quoque, vel plures Patronos iſtius domus, vel Advocatos pro jurium, & bonorum dicti Collegii defenſione, ac protectione, deputandi, licentiam, & facultatem, conceſſimus, & quod fructuum, reddituum, & proventuum hujuſmodi adminiſtratores pro tempore exiſtenti Priori dictę Domus S. Stephani, in duorum ex antiquioribus illius, & aliorum duorum ex dicti Collegii Fratribus prẹſentia, quotannis, Priori vero Provinciali, juxta morem dicti Ordinis, toties, quoties domum S. Stephani, vel Collegium hujuſmodi viſitaret, rationem reddere tenerentur, ſtatuimus, & ordinavimus, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Didaci Archiepiſcopi, petitio continebat, ipſe poſtmodum certis ex cauſis, ad id animum ſuum moventibus ſuper Collegio hujuſmodi in dicta domo ſtatuendo, & dotando mutaverit, cupiatque illud in domo S. Pauli Hiſpalen. dicti Ordinis, cujus initio, & erectioni ipſe Didacus Archiepiſcopus, qui in Civitate Hiſpalen. reſidet, quoad vixerit, poſſit perſonaliter intereſſe, & in ejus prẹſentia, res firmiter ſtabiliri, quod in Civitate Salamantin., ob nimiam loci diſtantiam, facere non poſſet, erigi, & inſtitui, aſſeratque, ſe convenientia ędificia, in Capella, ſive Oratorio, & aliis officinis prędictis in dicto ambitu domus S. Pauli, conſtrui facere incepiſſe, pro parte dicti Didaci Archiepiſcopi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut collegium hujuſmodi, & ſuper illius erectione, confectas literas prędictas, cum applicationis, appropriationis, licentię, facultatis, ſtatuti, & ordinationis, ac omnibus, & ſingulis aliis in illis contentis clauſulis, a dicta domo S. Stephani, ad locum intra ſepta, ſive ambitum dictę domus S. Pauli transferre, & omnia, quę per Nos in dictis literis circa Collegium hujuſmodi, in ipſa domo S. Stephani fuerint diſpoſita, in eo omnino ceſſare, & in domo S. Pauli hujuſmodi effectum ſortiri poſſe, & debere, decernere, aliaſque in prẹmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Facultas. Nos igitur, prẹfatum Didacum Archiepiſcopum a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore prẹſentium, & ſuper illius erectione, confectas literas prędictas, cum applicationis, appropriationis, licentię, & facultatis, ſtatuti, & ordinationis, aliiſque in eis contentis clauſulis a dicta domo S. Stephani ad locum infra ſepta, ſive ambitum dictę domus S. Pauli, transferimus, & omnia, quę per Nos in dictis literis, circa idem Collegium in dicta domo S. Stephani fuerint diſpoſita, in ea omnino ceſſare, & in domo S. Pauli hujuſmodi effectum ſortiri poſſe, & debere decernimus. Non obſtantibus prẹmiſſis, & conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. ac omnibus illis, quę in dictis literis, voluimus non obſtare &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Sexto decimo, Decimo octavo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Hiſpalen.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CII fol.* 283.
3. *Pontifex &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Didaci.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Alexandri VI &c.*
5. *Expoſito.*) Conſulendæ *Conſtitutiones* XXXIV, & XLVIII.

De tempore quo perſtare debent Priores (1) in congregatione S. Marci.

Anno 1516 Die 12 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XLIII.

L E O PP. X.

Dilecti (3) filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Dudum per alias noſtras in forma Brevis literas (4) conceſſimus vobis, ut non obſtante ſtatuto felicis recordationis Julii PP. II, Prędeceſſoris noſtri, ſervaretur in veſtra Congregatione forma Conſti- Diplomatis cauſa. tutionum veſtri Ordinis de duratione Priorum, & Prioriſſarum; dummodo tamen dilecti filii Generalis Magiſtri ejuſdem Ordinis conſenſus ad id accederet, prout in literis ipſis plenius continetur. Cum autem, ſicut exponi Nobis feciſtis, ipſe Generalis Magiſter requiſitus ita limitate conſenſerit, quod videlicet Prioris, & Prioriſſę in dicta veſtra Congregatione durare poſſint in ſuis officiis quadriennio continuo, & illo exacto, ipſo facto ſint abſoluti, & abſolutę, poſſint tamen in eodem Conventu, & Monaſterio ſtatim de novo eligi: quodque in ſingulis Conventibus, & Monaſteriis fiat ſingulis annis per fabas ſcrutinium de abſolutione, vel retentione Prioris, & Prioriſſę &, ſi de tribus partibus Fratrum vocem in hujuſmodi ſcrutinio habentium, duę inventę fuerint Prioris abſolutionem petere, teneatur definitorium Capituli Con-

Congregationis ſub pręcepto illum ab officio removere, ſimiliter etiam ſi de tribus partibus Sororum vocalium duę petierint abſolutionem Prioriſſę, teneatur ſub pręcepto Vicarius Generalis pro tempore illam intra annum ab officio deſtituere, ut his Apoſtolicę confirmationis robur perpetuum adiicere dignaremur, de benignitate Apoſtolica, humiliter ſupplicaſtis.

Confirmatio. Nos igitur veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, pręmemoratas noſtras & dicti Generalis Magiſtri de hujuſmodi conſenſu literas, earum tenores pro expreſſis, & inſertis habentes auctoritate Apoſtolica harum ſerie confirmamus; illaſque in omni ſui parte robur perpetuę firmitatis obtinere decernimus. Non obſtantibus premiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & ſpecialiter dicto Julii Prędeceſſoris noſtri ſtatuto, cum omnibus clauſulis in eo contentis, ac ſtatutis, conſuetudinibus, & privilegiis dicti Ordinis, & Congregationis. Quibus omnibus, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad pręmiſſa expreſſe derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XII Julii MDXVI Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Ja. Sadoletus.

1. *Priores.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar ex Autographo *Florentino*,
3. *Dilecti.*) Inſcriptio deeſt, ſed ex ipſo Diplomate ſic reſtituenda videtur. *Univerſis, & ſingulis Fratribus Congregationis S. Marci, ſive Tuſciæ, Romanæ Provinciæ Ordinis Fratrum Prædicatorum.*
4. *Literas.*) *Conſtitutionem* ſcilicet *XXIX*, datam *XXIII* Februarii *MDXV.*

Anno 1516 Die 20 Auguſti.

XLIV.

Eborenſis Monaſterii, (1) de Paradiſo nuncupati, fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. INter curas multiplices, quę pro executione paſtoralis officii Nobis incumbere dignoſcuntur, illam libenter amplectimur, per quam ubilibet propagetur Religio, augeatur divinus cultus, & ſalus proveniat animarum, pręſertim quando, & id Catholicorum Principum exigunt vota, & Nos in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Supplex Regis petitio. Sane pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Emanuelis (3) Portugallię, & Algarbiorum Regis illuſtris, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ſi in quadam domo ſub vocabulo Beatę Marię de Paradiſo, ſita in Civitate Eborenſi, in qua de pręſenti habitant nonnullę honeſtę mulieres ſecundum Regulam Tertii Ordinis S. Dominici, de Pęnitentia nuncupati, degentes, unum Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini cum Capella, ſive Eccleſia, ac campanili humili, campanis, clauſtro, refectorio, dormitorio, cęmeterio, & aliis neceſſariis officinis pro una Prioriſſa, & Monialibus, quę ibi ſub regulari obſervantia, curaque, correctione, & viſitatione Provincialis Prioris Ordinis Prędicatorum Provincię Portugallię, juxta morem ipſius Ordinis, pro tempore exiſtentis, Domino inſerviant, perpetuo erigeretur, & inſtitueretur, profecto ex hoc propagaretur religio, & multarum nobilium mulierum, quę ſub hujuſmodi obſervantia vivere affectant, animarum ſalus, cum divini cultus augmento evidenter procuraretur. Quare pro parte dicti Emanuelis Regis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicta domo unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini, ſub ejuſdem Beatę Marie de Paradiſo invocatione, cum Capella, ſive Eccleſia, campanili humili, campanis, clauſtro, refectorio, dormitorio, cęmeterio, & aliis officinis predictis pro una Prioriſſa, quę illi pręſit, per ipſius Monaſterii Conventum juxta aliorum dicti Ordinis S. Auguſtini Monialium Monaſteriorum conſuetudinem eligenda, ita tamen quod pro hac prima vice, ea duntaxat eligatur, quam dictus Emanuel Rex duxerit nominandam, & Monialibus in ipſo Monaſterio ſub regulari obſervantia hujuſmodi degere volentibus, perpetuo erigere, & inſtituere, ipſumque Monaſterium, & illius Prioriſſam, & Moniales, quę pro tempore fuerint, curę, viſitationi, & correctioni dicti pro tempore exiſtentis Provincialis Prioris immediate ſubiicere, aliaſque in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Facultas. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, in dicta domo unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini, ſub ejuſdem Beatę Marie de Paradiſo invocatione, cum Capella, ſive Eccleſia, campanili humili, campanis, clauſtro, refectorio, dormitorio, cęmeterio, & aliis officinis predictis pro una Prioriſſa, quę illi pręſit, per ipſius Monaſterii Conventum juxta aliorum dicti Ordinis S. Auguſtini Monialium Monaſteriorum conſuetudinem eligenda, ita tamen quod pro hac prima vice ea duntaxat eligatur, quam dictus Emanuel Rex duxerit nominandam, & Monialibus in ipſo Monaſterio ſub regulari obſervantia hujuſmodi degere volentibus, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, ſi ad hoc mulierum in dicta domo habitantium, aut ſaltem illarum majoris partis expreſſus accedat aſſenſus, perpetuo erigimus, & inſtituimus, ipſumque Monaſterium, & illius Prioriſſam, & Moniales, quę pro tempore fuerint, curę, viſitationi, & correctioni dicti pro tempore exiſtentis Provincialis Prioris Apoſtolica auctoritate ſubiicimus, & eidem Priori, ut illas ſub cura, viſitatione, & correctione hujuſmodi ſuſcipiat, & ut retentis ibi illis ex mulieribus prędictam domum modo habitantibus, quę dicti Monaſterii Moniales effici, & ſub obſervantia hujuſmodi vivere voluerint, & ceteris inde excluſis, aliquas Ordinis S. Auguſtini, & obſervantię predictorum Moniales de Monaſterio, vel Monaſteriis, & in numero, de quibus ſibi videbitur, ad dictum Monaſterium de Paradiſo pro illius directione votiva transferat, in virtute ſanctę obedientię diſtricte pręcipimus. Prioriſſę vero, & Monialibus ejuſdem Monaſterii de Paradiſo pro tempore exiſtentibus, quod ad earum, & ipſius Monaſterii communia ſervitia aliquas ancillas ſecum tenere, & tam ipſa Prioriſſa, & Moniales, quam dictum Monaſterium de Paradiſo, omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus exemptionibus, favoribus, & indultis, ſpiritualibus, &

Nota. temporalibus, quibus alia eorundem Ordinis S. Auguſtini, & obſervantię, Monaſteria, & illorum Prioriſſę, ſeu Abbatiſſę, & Moniales in genere utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere po-

poterunt quomodolibet in futurum, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuſvis alterius in omnibus ſemper ſalvo, uti, potiri, & gaudere, & quod Sacriſta ejuſdem Monaſterii de Paradiſo, quę pro tempore fuerit, una cum duabus ex illius antiquis Monialibus in ipſius Monaſterii de Paradiſo Eccleſiam, quoties opus fuerit, de pro tempore exiſtentis Prioriſſę expreſſa licentia, & non alias; pro mundandis, & ornandis Altaribus ejuſdem Eccleſię clauſis prius illius portis, egredi libere, & licite poſſint, auctoritate, & tenore premiſſis, de ſpecialis dono gratię indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Ordinum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę erectionis, inſtitutionis, ſubjectionis, pręcepti, & indulti infringere, vel &c. Si quis autem hoc &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Sexto decimo, Tertio decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Nota.

1. *Monaſterii.*) Juris eſt Provinciæ *Portugalliæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum *Lib. B.* pag. 379 ex autographo *Eborenſi*.

3. *Emanuelis.*) Cognomento *Fortunati*.

Aldeæ novæ (1) Monaſterium beneficio eccleſiaſtico donat.

Anno 1516 Die 20 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XLV.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

INjunctum Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officium &c. (3) Dudum ſiquidem omnia beneficia eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura, apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, collationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari. Cum itaque poſtmodum Parochialis Eccleſia B. Marię Magdalenę loci de Aldeannena (4) Abulen. (5) Diœceſis, per liberam reſignationem dilecti filii Johannis Siſſo, nuper ipſius Eccleſię rectoris, de illa, quam tunc obtinebat per dilectum filium Gometium Gundiſalvi de Cantayro, Clericum Compoſtellan. Diœceſis, procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem prędictam, vacaverit, & vacet ad pręſens, nulluſque de illa pręter Nos, hac vice diſponere potuerit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum modernę Prioriſſę, & Sororum domus S. Crucis, & ejuſdem B. Marię Magdalenę dicti loci Ordinis S. Auguſtini, ſub tertia regula S. Dominici de Pęnitentia nuncupata, & cura Fratrum Prędicatorum degentium, petitio continebat, ſi dicta Eccleſia domui prędictę, quę a paucis citra annis ędificata extitit, & in qua ducentę (6) Sorores divinis laudibus, die, noctuque vacantes degunt, cujuſque fructus, redditus, & proventus nulli, vel adeo tenues exiſtunt, quod niſi fidelium eleemoſynis juvarentur, fame perire, vel ipſam domum deſerere cogerentur, perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, profecto ex hoc neceſſitati domus, & Sororum hujuſmodi, de alicujus ſubventionis auxilio opportune provideretur, pro parte Prioriſſę, & Conventus, ac Sororum prędictarum, aſſerentium, fructus, redditus, & proventus dictę Eccleſię quadraginta ducatorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam prędictam dictę domui perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes, beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum extimationem prędictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis, quorum intereſſet, Prioriſſam, & Sorores prędictas, & earum quamlibet a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, ac dictę domus fructuum, redditum, & proventuum, verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Eccleſiam prędictam, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem dicti Johannis, vel cujuſvis alterius cujuſcunque perſona reſignationem de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut conſtitutionem felicis recordationis Johannis Papę XXII, Prędeceſſoris noſtri, quę incipit: Ex his: (7), vel aſſecutionem alterius beneficii eccleſiaſtici, quavis auctoritate collati, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranen. ſtatuta Concilii, ad Sedem prędictam legitime devoluta, ipſiuſque collatio diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter, vel alias generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem domui auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat eiſdem Prioriſſę, & Sororibus, per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum prędictarum, propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus, in ſuos, ac domus, & Eccleſię prędictarum uſus, & utilitatem convertere, necnon eidem Eccleſię per Presbyterum ſecularem per eas, pro tempore deputandum, & ad earum nutum amovibilem, in divinis deſerviri, & illius Parochianorum animarum curam exerceri facere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius, licentia ſuper hoc minime requiſita, non obſtantibus priori voluntate noſtra prędicta, ac pię memorię Bonifatii PP. VIII, etiam Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. quibuſcunque, aut ſi aliqui, ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi &c. literas impetrarunt &c. quas quidem literas &c. ad Eccleſiam prędictam volumus non extendi &c. & quibuslibet aliis privilegiis &c. Proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, dicta Eccleſia, debitis non fraudetur obſequiis &c. & inſuper, prout eſt, irritum decernimus, & inane ſi ſecus &c. contigerit attentari. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Milleſimo Quingenteſimo Sexto decimo, Tertio decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Aldea nova*.) In *Hiſpania*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXI fol. 10.*
3. *Officium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Aldeannena*.) *Aldea nova*.
5. *Abulen.*) Vulgo *Avila*.
6. *Ducenta*.) Quod olim quadringentæ fuerint, auctor eſt *Plodius* de Progenie S. Dominici *Lib. I Cap. XLVIII pag. 162*
7. *Ex hit*.) Legendum: *Execrabilis*.

Anno 1516 Die 1 Septembris.

De Brixienſis (1) Cœnobii S. Floriani ſupellectili transferenda.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLVI. Dilecto filio Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum.

L E O PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. CUm ſicuti Nobis nuper exponi fecit dilectus filius noſter Nicolaus (3), Tituli S. Priſcę Presbyter Cardinalis de Fliſco tui Ordinis Protector, Eccleſia, domus, & Conventus S. Floriani extra muros Civitatis Brixien. dicti Ordinis, ob bella, quę in partibus illis invaluerunt, diruti, ac ſolo ęquati fuerint, & Dominium Venetorum, Eccleſiam, domum, & Conventum hujuſmodi ex aliquibus reſpectibus inſtaurari non permittat, & propterea dictus Cardinalis Protector, & tu ſummopere deſideretis, ut omnia, & ſingula bona mobilia, & immobilia, ac Sanctorum Reliquię, ornamentaque, & paramenta eccleſiaſtica, Eccleſię, domus, & Conventus prędictorum, ad aliam Eccleſiam, domum, & Conventum viciniores ejuſdem Ordinis tranſportentur, in eiſque religioſe collocentur, & conſerventur. Facultas. Nos pręfati Cardinalis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi omnia, & ſingula bona mobilia, & immobilia, ac Reliquias, & Corpora Sanctorum, & alia eccleſiaſtica ornamenta, & paramenta, quę Eccleſię, domus, & Conventus S. Floriani prędictorum fuerint, ad aliam Eccleſiam, domum, & Conventum viciniores ejuſdem Ordinis tranſportandi, & tranſportari faciendi, illaque ibidem reponendi, & collocandi, donec dicta domus diruta, inſtaurata fuerit, ac Fratribus prędicti Conventus, prout tibi viſum fuerit providendi, plenam, & liberam, auctoritate Apoſtolica, licentiam, & facultatem concedimus per pręſentes, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſię, domus, & Conventus S. Floriani prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cęteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Volumus autem, quod poſtquam prędicta domus inſtaurata fuerit, bona mobilia, Reliquię, & Sanctorum Corpora, ac alia paramenta, ad prędictam domum revertantur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die Primo Septembris MDXVI, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Ja. Sadoletus.

1. *Brixien.*) In *Longobardia*.
2. *Archivo*.) In quo Autographum.
3. *Nicolaus*.) De quo *Ciaconius* in *Alexandro VI*.

Anno 1516 Die 30 Octobris.

Staviacenſe (1) Monaſterium ſuo, & Sanctæ Sedis præſidio tutatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLVII. Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Monialium, per Prioriſſam ſoliti gubernari, S. Marię Staviaci, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Lauſannen. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm a Nobis petitur quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilectę in Deo filię, veſtris juſtis poſtulationibus, grato annuentes aſſenſu, perſonas veſtras, & locum, in quo divino eſtis obſequio mancipatę, cum omnibus bonis, quę impręſentiarum rationabiliter poſſidetis, & in futurum juſtis modis, pręſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub Beati Petri protectione ſuſcipimus, atque noſtra, omnes quoque libertates, & immunitates a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive per privilegia, vel indulta, aut alias indulgentias vobis, & Monaſterio veſtro conceſſas, necnon libertates, & exemptiones ſecularium exactionum a Regibus, & Principibus, ac aliis Chriſti fidelibus, vobis, & Monaſterio veſtro rationabiliter indultas, ſpecialiter autem decimas, primitias, cenſus, fructus, redditus, & proventus, domos, terras, hortos, vineas, prata, paſcua, nemora, ſilvas, venationes, poſſeſſiones, grangias, molendina, piſcarias, aquarum decurſus, jura, juriſdictiones, & alia bona, ad dictum Monaſterium legitime ſpectantia, ſicuti ea omnia, quę juſte, & pacifice poſſidetis, vobis, & per vos dicto Monaſterio, Apoſtolica auctoritate confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſalva in prędictis decimis moderatione Concilii Generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe

nove

noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Sexdecimo, Tertio Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Staviacenſe.*) Vulgo *Stavale* in *Helvetiis*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Staviacenſi*.

Hiſpalenſis (1) Collegii fundandi facultas.

Anno 1516 Die 14 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XLVIII.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

SAcrarum ſcripturarum ſcientiam, qua velut coruſcantibus gemmis ſpecioſa Chriſti Sponſa, Univerſalis Eccleſia, in cunctis ſuis actibus illuſtratur, noſtris pręcipue temporibus, dilatari ubique, & protendi, intimis deſiderantes affectibus, ad ea ſemel, & pluries, ſolicitudinis noſtrę partes libenter dirigimus, per quę devotarum perſonarum ſtudia, quę ad ſcientię hujuſmodi propagationem pertinere noſcuntur, votivos ſortiantur effectus. Dudum ſiquidem pro parte venerabilis Fratris noſtri Didaci Archiepiſcopi Hiſpalenſis Nobis expoſito, quod ipſe non ignarus, quantum Chriſtianę Reipublicę, & Orthodoxę fidei conducebat, quod Eccleſia Dei, viris, non ſolum Religioſis, ſed etiam Sacrarum literarum ſcientia prędítis, quorum opera ſuę veritatis lucem ubique protendere, & illam obumbrare nitentes diſſipare valeret, in dies abundaret, cupienſque aliquid in terris ſtruere, quo perpetuam in cęlis felicitatem poſſideret, infra ambitum, ſive ſepta Domus S. Stephani Salamantini Ordinis Fratrum Prędicatorum, cujus ipſe Didacus Archiepiſcopus profeſſor exiſtebat, unum Hoſpitium, ſive manſionem cum Oratorio, ſive Capella ſub invocatione S. Thomę de Aquino, ac cameris, aula, & aliis neceſſariis officinis pro uno Collegio inibi erigendo, viginti dicti Ordinis Profeſſorum in Theologia ſtudere volentium, qui ſub regulari, quę in dicta Domo vigebat, obſervantia, & ſub Domus Prioris, & aliorum Ordinis prędictorum Superiorum obedientia collegialiter degerent, & quorum ſaltem duodecim quandiu vellent, & Theologię operam darent, ac reliqui octo per decennium tantum ibi morarentur, & ipſo decennio exacto ad Domos, e quibus miſſi pro tempore forent, reverterentur, & in quorum recedentium, vel decedentium, loca, alii ſubrogarentur, itaut viginti in dicto Hoſpitio ſemper reſiderent, conſtrui, & ędificari ceptum, perfici facere, & eidem Collegio pro ejus dote, & Capellę ornamentis, ac Hoſpitii ędificiorum manutentione, & inſtauratione, ac viginti Fratrum ſtudentium prędictorum ſuſtentatione, tantum in bonis ſtabilibus, vel perpetuis juribus, quorum fructus, redditus, & proventus, ad octingentorum Ducatorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem valorem annuum aſcenderent, ſub certis honeſtis modis, & conditionibus, aſſignare proponebat, ſi et ad hoc dictę Sedis auctoritas ſuffragaretur; Nos, dicti Didaci Archiepiſcopi ſupplicationibus inclinati, intra ambitum, ſive ſepta hujuſmodi, in loco, ubi Hoſpitium prędictum conſtrui cęptum fuerat, unum Collegium viginti dicti Ordinis profeſſorum Theologię ſtudio vacare intendentium, qui ſub regulari obſervantia, & Prioris, & aliorum Superiorum obedientia hujuſmodi degerent, & quorum ſaltem duodecim ibi, quoad vellent permanerent, octo vero poſt decennium in dicto Collegio peractum, ad Domos, e quibus emiſſi forent, reverterentur, & in quorum, ſic pro tempore recedentium, vel decedentium, loca alii ſubrogarentur, itaut viginti numerus nunquam deeſſet, dilecto filio Thoma Priore Generali dicti Ordinis, de quo per ejus patentes Literas Nobis extiterat legitime facta fides, in id expreſſe conſentiente, perpetuo erexeramus, ac inſtitueramus, & illi pro ejus dotę, & ornamentorum ſuſtentatione, manutentione, & inſtauratione prędictis, bona, ſive jura, per dictum Didacum Archiepiſcopum, uſque ad dictorum octingentorum Ducatorum valorem annuum aſſignanda hujuſmodi, perpetuo applicaveramus, & appropriaveramus, ipſique Didaco Archiepiſcopo Hoſpitium prędictum cum Capella, ſive Oratorio, cameris, aula, & aliis pro uſu, & habitatione dictorum viginti Fratrum neceſſariis officinis proſequendi, & ad finem debitum perducendi, & in ipſo bonorum, ac jurium hujuſmodi aſſignationis actu, modos, & conditiones, honeſtos, qui ſibi placerent, etiam ſub reſtitutionis, aut devolutionis, in alios uſus, in eventus per dictum Didacum Archiepiſcopum exprimendos, & aliis pęnis apponendi, ac quęcunque ſtatuta, & ordinationes, ſacris Canonibus non contraria, proſperum regimen, & ſalubrem ſtatum dicti Collegii, & Fratrum, in illo pro tempore reſidentium, & aſſignandorum bonorum hujuſmodi conſervationem, debitam diſpenſationem, & adminiſtrationem concernentia, edendi, & edita corrigendi, ac in melius reformandi, ſeu etiam, in totum delendi, & alia, de novo faciendi, quę ſub cenſuris, & aliis pęnis per dictum Didacum Archiepiſcopum in illorum editione, correctione, vel reformatione ſtatuendis, deberent ab omnibus obſervari, & quę eo ipſo, quod edita forent, dicta auctoritate Apoſtolica confirmata cenſerentur; unum quoque, vel plures patronos, vicedominos, vel Advocatos, pro jurium, & bonorum dicti Collegii defenſione, & protectione deputandi, licentiam, & facultatem conceſſeramus, ac quod fructuum, redituum, & proventuum hujuſmodi adminiſtratores pro tempore exiſtentes, Priori dictę Domus S. Stephani, in duorum ex antiquioribus illius, & aliorum duorum dicti Collegii Fratrum pręſentia, quotannis, Priori vero Provinciali, juxta morem dicti Ordinis, toties, quoties Domum S. Stephani, vel Collegium hujuſmodi viſitaret, rationem reddere tenerentur, ſtatueramus, & ordinaveramus. Et deinde in alia, pro parte ejuſdem Didaci Archiepiſcopi, Nobis exhibita petitione; ſubjuncto, quod idem Didacus Archiepiſcopus poſtmodum certis ex cauſis, ad id animum ſuum moventibus, ſententiam ſuper Collegio hujuſmodi in dicta Domo ſtatuendo, & dotando, mutaverat, cupiebatque illud in Domo S. Pauli Hiſpalenſis dicti Ordinis, cujus initio, & directioni, ipſe Didacus Archiepiſcopus, qui in Civitate Hiſpalenſi reſidebat, quoad viveret, poterat perſonaliter intereſſe, & in ejus pręſentia rem firmiter ſtabilire, quod in Civitate Salamantina, ob nimiam loci diſtantiam, com-

Fundatoris ſupplex petitio.

commode facere nnn poterat, erigi, & inſtitui; Nos ejuſdem Didaci Archiepiſcopi, aſſerentis ſe convenientia ędificia cum Capella, ſive Oratorio, & aliis officinis prędictis in dicto ambitu Domus S. Pauli conſtrui facere incepiſſe, ſupplicationibus etiam inclinati, Collegium hujuſmodi, & nnſtras, ſuper illius erectione, & aliis pręmiſſis confectas lIteras, cum applicationis, & appropriationis, licentię, & facultatis, ſtatuti, & ordinatinnis, aliiſque in eis cnntentis clauſulis a dicta Domo S. Stephani ad loca infra ſepta, ſive ambitum dictę Domus S. Pauli, per alias noſtras literas tranſtulimus, & omnia, quę circa idem Collegium, In dicta Domo S. Stephani erigendum diſpoſueramus, in ea omnino ceſſare, & in Domo S. Pauli hujuſmodi effectum ſnrtiri poſſe, & debere, decrevimus, prout in ſingulis literis prędictis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis pro parte ejuſdem Didaci Archiepiſcopi, petitio continebat, idem Didacus Archiepiſeopus, infra ſepta, ſive ambitum dictę Domus S. Pauli, terram ad jacendum fundamenta Hoſpitii, ſive manſionis, pro Collegio hujuſmodi effodi facere incipiens, ſolum ibi aden aquoſum invenerit, qund ſuper eo dicti hoſpitii ędificia ſine ruinę periculo conſtrui, & Scholares ibidem, abſque eorum, & cum eis cohabitantium pro tempore, ob nimiam loci humiditatem, vitę diſcrimine, diu manere non poſſent, proptereaque idem Didacus Archiepiſcopus, cupiens deſiderium ſuum in pręmiſſis omnino complere, coactus fuerit novum locum pro dicti Collegii uſu perquirere, repereritque, annuente Domino, quaſdam Domus menſę Capitularis, & Fabricę Eccleſię Hiſpalenſis infra limites Parochię dict: Eccleſię, loco quidem cnmmodo, & ſalubri ſitas, pro parte dicti Didaci Archiepiſcopi, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Collegium hujuſmodi, & ſuper illius erectione, cnnfectas literas, cum applieationis, appropriatlonis, licentię, facultatis, ſtatuti, & ordinationis, aliiſque in eis contentis clauſulis, tam a S. Stephani, quam a S. Pauli Domibus ſupradictis, ad Hnſpitium apud Domos Menſę, & Fabricę prędictarum, ſi illę ſibi ad hoc, de ſpeciali noſtra licentia, cum ipſarum Menſę, & Fabricę evidente utilitate concedantur, per dictum Didacum Archiepiſcopum de dictorum Decani, & Capituli expreſſn conſenſu, conſtrui cęptnm transferre, & nmnia, quę in ſingulis literis prędictis circa Collegium hujuſmodi in S. Stephani primo, & deinde in S. Pauli Domibus, ſeu prope illas erigendi, per Nos ſunt diſpoſita, in illis omnino ceſſare, & in dicto ultimo incepto Hnſpitio, effectum ſortiri, & locum vendicare poſſe, & debere decernere, necnon eidem Didaco Archiepiſcopo in dicto Hnſpitio, unam Capellam ſub dicta Invocatinne S. Thomę de Aquinn, cum uno, vel pluribus Altaribus, ac campanili humili, & campanis, in qua divina celebrentur officia, clauſtrumque, in quo Fratrum Collegialium, & enrum familiarium, continuorum commenſalium duntaxat, pro tempore decedentium, corpora ſepeliri poſſint, cęmeterium, & ſcholas, ac Bibliothecam, ſeu Librariam, cameras, aulam, & alias opportunas officinas conſtrui faciendi, licentiam, & facultatem concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate

Facultas. Apoſtolica dignaremur. Nos igitur pręfatum Didacum Archiepiſcopum, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodnlibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Collegium prędictum, & ſuper illius erectione confectas Literas, cum applicationis, appropriationis, licentię, facultatis, ſtatuti, & ordinationis, aliiſque in eis contentis clauſulis, tam a S. Stephani, quam a S. Pauli Domibus ſupradictis ad Hoſpitium, apud dnmos Menſę, & Fabricę prędictarum, ſi illę ipſi Didaco Archiepiſcopo, ad hoc, ut pręmittitur, cnncedantur, per eundem Didacum Archiepiſcopum conſtrui cęptum hujuſmodi Apnſtolica auctoritate pręfata, tennre pręſentium, ſine alicujus pręjudicio transferimus, & omnia, quę in ſingulis literis prędictis circa Cnllegium hujuſmodi in S. Stephani primn, & deinde in S. Pauli Domibus, ſeu prope illas erigendi, per Nos ſunt diſpoſita, in illis omnino ceſſare, & in dicto ultimo incepto Hoſpitin, effectum ſortiri, & locum vendicare pnſſe, & debere decernimus, necnon eidem Didaco Archiepiſcopo, in Hoſpitio prędicto, unam Capellam ſub dicta invocatione S. Thomę de Aquino, cum uno, vel pluribus Altaribus, cum campanili humili, & campanis, in qua divina celebrentur officia, clauſtrumque in quo Fratrum Collegialium, & eorum familiarium, continuorum commenſalium duntaxat, pro tempore decedentium, corpora ſepeliri poſſint, cęmeterium, & ſcholas, ac Bibliothecam, ſeu Librariam, cameras, aulam, & alias opportunas officinas conſtrui faciendi, licentiam, & facultatem elargimur, & inſuper dictum Collegium, ac Fratres in illo pro tempore, ſub regulari obſervantia degentes, curę, correctioni, & viſitationi, tam Magiſtri Generalis dicti Ordinis, quam Prioris Provincialis de obſervantia Provincię Bęticę, juxta morem dicti Ordinis ſubjicimus, & quod idem Colleginm per unum Rectorem perpetuum, vel temporalem, prout eidem Didaco Archiepiſcopo videbitur, qui de geſtis, & adminiſtratis per eum, perſonis, per dictum Didacum Archiepiſcopum, ad hoc nominandis, rationem annis, vel ſemeſtribus ſingulis, reddere debeat, regatur, & gubernetur, & quod nullus ex duodecim Fratribus in ipſo Collegio, ut pręmittitur, permanſuris, inde amoveri, niſi ob grave, quod abſit, & ſcandaloſum, per eum commiſſum facinus, ullo modo poſſit, & dictorum Fratrum Collegialium exercitium in ſtudio Theologię, & aliarum facultatum, ad illam neceſſariarum verſetur, & quod Juſpatronatus, & deputandi Rectorem, & Fratres Collegiales, officialeſque, & miniſtros opportunos dicti Collegii, hac prima vice, & deinceps quoties ipſi Didaco Archiepiſcopo placuerit, & videbitur, ad dictum Didacum Archiepiſcopum quoad vixerit, & poſt ejus obitum, ad perſonam, vel perſonas per cum nominandas, modis, & formis, etiam circa id per ipſum Didacum Archiepiſcopum tradendis, protectio vero, defenſio, & parrocininm ipſius Collegii, ac perſonarum, rerum, & bonorum ejuſdem, ad pro tempore exiſtentes Archiepiſcopum Hiſpalenſem, & Decanum dictę Eccleſię, & pręfatos Capitulum pertineat: quodque omnes, & ſinguli Fratres, in dicto Collegio pro tempore reſidentes, eiſdem prorſus privilegiis, favoribus, pręrogativis, & indultis ſpiritualibus, & temporalibus, abſque ulla differentia

Nota. utantur, potiantur, & gaudeant, quibus uti, potiri, & gaudere poſſent, ſi in dicti Ordinis Domibus, in quibus profeſſionem emiſerint, perſonaliter reſiderent: poſſintque (3) in eodem Collegio, tam in artibus, quam in Theologia debitos, & juxta morem Salamantinum, vel aliarum in illis partibus Generalium Studiorum Univerſitatum requiſitos, ad Baccalaureatus, Licentiaturę, & Magiſterii Gradus ſuſcipiendos cur-

Digitized by Google

curſus peragere, ibidemqne dictos Gradus cum ſolitis Inſigniis a Didaco, & pro tempore exiſtente Archiepiſcopo Hiſpalenſi prefato, vel ejus Commiſſario ad id ab eo ſpecialiter deputato, recipere, & poſtquam dictos Gradus, vel aliquem eorum ſuſceperint, eiſdem prorſus privilegiis, prerogativis, libertatibus, exemptionibus, antelationibus, indultis, & conceſſionibus, utantur, potiantur, & gaudeant, quibus illi, qui in dicta Salamantina, vel qualibet alia in illis partibus Generalium ſtudiorum Univerſitatibus, in qua, ſeu quibus ipſi promoti, alias ſtuduerunt, utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi in dicta Salamantina, vel qualibet alia in illis partibus Univerſitatibus, in qua ſeu quibus ſtuduerunt, Gradus predictos recepiſſent; Quodque ſi per dicti Ordinis Fratres, aut ipſius Collegii Rectorem, aut Collegiales, vel alios cujuſcunque ſtatus, conditionis, & preeminentię exiſtentes, ea, quę dictus Didacus Archiepiſcopus circa ſubſiſtentiam, & regimen dicti Collegii juxta datam ſibi per dictas, & preſentes Literas facultatem, duxerit ordinanda, mutari in toto, vel in parte, aut bona per ipſum Didacum Archiepiſcopum, dicto Collegio aſſignanda, in alios quoſvis etiam magis pios, etiam dicti Ordinis, vel etiam alterius cujuſcunque pię cauſę favorem, & commodum concernentes. uſus converti, contigerit, eo ipſo Collegio Religioſorum hujuſmodi extinctum, & aliud totidem Clericorum ſecularium in Theologia ſtudere volentium, aliaſque eiſdem modis, & formis, quibus ipſorum Religioſorum Collegium per Nos erigitur, ſeu jam erectum modo transfertur, & cum eiſdem ſtatutis, & ordinationibus, quibus per dictum Didacum Archiepiſcopum, juxta conceſſam ſibi a Nobis deſuper facultatem, ſtabilietur, erectum, & ſtabilitum, illique Hoſpitium, & bona aſſignanda prędicta, applicata perpetuo ſint, & eſſe cenſeantur, liceatque eo caſu tunc Archiepiſcopo, Decano, & Capitulo prefatis, in dictum Hoſpitium, & Collegium, expulſis, inde propria auctoritate Fratribus, in eo tunc exiſtentibus, Clericos ſeculares, qui in Theologia ſtudere, & premiſſa, etiam ſub cenſuris, & penis prędictis, obſervare omnino teneantur, libere introducere, ſtatuimus, & ordinamus, ac Didaco, & pro tempore exiſtenti Archiepiſcopo Hiſpalenſi prefato, per ſe, vel alium Gradus, & inſignia prędicta, ut prefertur, conferendi, plenam, & liberam earundem tenore preſentium concedimus facultatem; Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon omnibus illis, quę in ſingulis literis prędictis, volumus, non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, translationis, decreti, largitionis, ſubjectionis, ſtatuti, ordinationis, conceſſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Maliani, Portuenſis Diœceſis, Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Sexto decimo, Decimo octavo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Hiſpalenſis.*) Vide Conſtitutiones XXXIV, XLII, LXIV, & XCII.
2. *Archivo.*) In quo exemplar Authenticum *Lib. B. fol.*123, ex autographo *Hiſpalenſi.*
3. *Poſſuntque.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

De Prædicatorum (1) verbi Dei munere, examine, & approbatione.

Anno 1516 Die 19 Decembris.

Ex Bullario (2) Romano Conſtitut. XXI.

XLIX.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.
Sacro approbante Concilio.

Exordium.

Supernę majeſtatis prędidio, per cujus Ineffabilem providentiam cęleſtia ſimul, & terrena diriguntur, ſuper gregem Dominicum Nobis commiſſum, ſpeculatoris officium, quantum imbecillitati noſtrę conceditur, exercentes, totaque mente nobiſcum ipſi revolventes inter alia complura, & magna ad Nos pertinere, ut munus prędicationis, quod in Eccleſia Dei pręcipuum, & perneceſſarium, magnique fructus, atque utilitatis, dummodo recte, & ex ſincera caritate erga Deum, & proximum, pręceptiſque, & exemplis Sanctorum Patrum, qui hęc profitentes cum fidei fundatione, & propagatione plurimum Eccleſię contulerunt, exerceatur. Quippe quod Redemptor noſter primus fecit, & docuit, & ejus pręcepto, & imitatione duodenus ille Apoſtolorum numerus, quaſi totidem cęli, Dei veri gloriam enarrantes, per orbem terrarum, univerſum genus humanum, quod ſub peccati jugo vetuſta ſervitute continebatur, ſenſim ab eorum tenebris educentes, & ad perpetuę ſalutis lucem excitantes, verbum ipſum in omnem terram, & fines orbis terrę, tum ipſi prius, tum deinde ſui ſucceſſores longe, lateque propagaverunt, altiſſimeque fundarunt, ut qui nunc tantum ſubeunt onus, meminiſſe debeant, creberrimeque ſecum revolvere, pręter auctoris ipſius, ac fundatoris Jeſu Chriſti pientiſſimi Redemptoris, Petri etiam, & Pauli, ceterorumque Apoſtolorum, & Domini Diſcipulorum ſe vices, quoad hoc officium, ſubire, ac ſuſtinere. Sane fide dignorum relatione percepimus, quod nonnulli Prędicatores noſtris temporibus, quod dolentes referimus, non attendentes, ſe eorum, quos diximus, & inſuper Sanctorum Eccleſię Doctorum, aliorumque ſacram Theologiam profitentium, qui aſſiſtendo jugiter Chriſtianis, ac ſe falſis prophetis rectam fidem ſubvertere annitentibus opponentes, Eccleſiam militantem illęſam prius, per ſe talem eam eſſe manifeſtarunt, officium exercere, & nonniſi utilia concurrenti eorum ſermonibus populo ad vitiorum extirpationem, virtutum laudem, animarum denique ſalutem fidelium, meditanda, & perficienda debere aſſumere, multa tamen, & varia contra inſtitutiones, & exempla, quę diximus, quandoque etiam ſcandaloſa, populis prędicare, quod mentem certe noſtram mirum in modum commovit, dum nobiſcum ipſi mente volvimus, quod illi officii immemores ſui, in ſuis ſermonibus non ad utilitatem

In Prædicatores, qui ſcandaloſa proponunt.

au-

audientium, ſed ad ſuam potius oſtentationem laborantes, vanis quorundam auribus blandiuntur, qui ad hoc iam deveniſſe apparent, nt verificetur dictum Apoſtoli, ad Timotheum ita ſcribentis: Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coarcervabunt ſibi Magiſtros, prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad ſabulas autem convertentur, quorum ſalſas, & inanes mentes prędicantes ipſi pręfati, non modo in rectam, veramque viam reducere minime ſtudent, ſed illas majoribus etiam erroribus implicant, dum ſine ulla Canonum atteſtatione, vel reverentia, immo contra ipſas canonicas ſanctiones, Sacrę Scripturę ſenſum multifariam pervertentes, temereque, ac perperam, plerumque interpretantes, contra veritatem prędicare, terroreſque, ac minas, multaque mala propediem affutura, jamque ingruentia, nulla prorſus legitima ratione muniti, ſed ſuo duntaxat ſenſui obſequentes, comminantur, repręſentant, adeſſeque aſſeverant, plerumque etiam vana quędam, & inania, & alia hujuſmodi populis ingerere, &, quod enormius eſt, ab ęternitatis lumine, & S. Spiritus admonitione, aut infuſione, illa ſe habere aſſerere, audent. Cumque ii ſub confictorum miraculorum mendaciis, varios errores, fraudeſque diſſeminant, denique populos, quos in Evangelica doctrina ſedulo inſtruere, & in vera fide retinere, & conſervare deberent, ſermones ſuos a ſenſu, & pręceptis venerabilis Eccleſię retrahentes, a ſacriſque conſtitutionibus, quas maxime ſequi deberent, deviantes, auditores ſuos amovent, ac longe faciunt a ſalute. Per hęc namque, & alia hujuſmodi ſimpliciores homines, ut ad deceptionem procliviores, a via ſalutis, & obedientia Romanę Eccleſię deviantes, in errores varios perſacile inducuntur. Propterea Gregorius (3) hujus munęris peritiſſimus, & fervore caritatis incenſus, Prędicatores vehementer hortatur, & monet, ut dicturi ad populum prudentes, cautique accedant, ne dicendi impetu rapti, verborum erroribus, quaſi jaculis audientium corda configant, & cum ſapientes fortaſſe videri deſiderant, decepti, ſperatę virtutis compagem inſipienter diſcindant. Sępe namque verborum effectus amittitur, cum loquacitate importuna, vel incauta, audientium corda levigantur. Et ſane in nullo alio rudem ii plebem majori damno, ſcandaloque afficiunt, quam cum vel tacenda prędicant, vel ſalſa, & inutilia docendo, eam in errorem inducunt. Quę quoniam huic ſacrę religioni divinitus inſtitutę, ut nova, & aliena, omnino contraria eſſe noſcuntur, gravi certe, accuratoque ſunt examine digna, ne ſcandalum populo Chriſtiano, & ſuorum auctorum, ac aliorum animabus interitum pariant.

Mandatum, Nos igitur Sanctę Dei Eccleſię, cui diſponente Domino prędidemus, quę quidem una eſt, & unum Deum prędicat, colit, ac unam fidem firmiter, & ſincere confitetur, juxta illud Prophetę vaticinium, qui habitare facit unius moris in domo, uniformitatem, quantum cum Deo poſſumus, poſthabitam reducere, & retentam conſervare, quique populo verbum Dei prędicantes, tales eſſe cupientes, ut, eorum prędicatione, Dei Eccleſia nullum ſcandalum patiatur, &, ſi qui corrigibiles ſunt, ab his, quę proximis, noſtriſque temporibus prędumpſerunt, cum nonnullos eorum, pręter illa, quę diximus, prędicationibus non viam amplius Domini in virtute docentes, non Evangelium, ut deberent, explanantes, ſed conficta miracula, & nova, ac ſalſa vaticinia, aliaque levia, & ab anilibus fabulis parum diſtantia, magnumque ſcandalum parientia, nulla devotionis, & auctoritatis, ejuſque improbantis, ac repellentis hęc, habita ratione, vaſtis clamoribus imprimere, ac ſuadere ubique conantes, & ne Pontificali quidem dignitate ſulgentibus, & aliis Eccleſię Pręlatis parcentes, quibus potius honorem, & reverentiam exhibere deberent, ſed in eorum perſonas, ac ſtatum audaciter, ac temere invehi conſueviſſe, & alia hujuſmodi commiſiſſe conſtat, in futurum abſtineant, ut tam periculoſum, contagioſumque malum, ac mortifera peſtis radicitus evellatur, & areſactum ita penitus deleatur, ut nec memoria ejus remaneat, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, & ordinamus, ut nullus tam Clericus ſecularis, quam cujuſcunque etiam Mendicantium Ordinis Regularis, aut quivis alius, ad quem facultas prędicandi tam de jure, quam de conſuetudine, vel privilegio, aut alias pertinet, ad hujuſmodi officium exercendum, admittatur, niſi prius per ſuperiorem ſuum reſpective diligenter examinatus, in qua re conſcientiam ipſius ſuperioris oneramus, ac morum honeſtate, ętate, doctrina, probitate, prudentia, & vitę exemplaritate ad illud aptus, & idoneus reperiatur, & hic, quocunque poſtea prędicaturus acceſſerit, de hujuſmodi examine, & idoneitate ſua per literas authenticas, ſeu alias ſui examinatoris, approbatoriſque Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis fidem legitime faciat. Mandantes omnibus, qui hoc onus ſuſtinent, quique in futurum ſuſtinebunt, ut Evangelium, veritatem, & Sanctam Scripturam juxta declarationem, interpretationem, & ampliationem doctorum, quos Eccleſia, vel uſus diuturnus approbavit, legendoſque hactenus recepit, & in poſterum recipiet, prędicent, & explanent, nec quidquam ejus proprio ſenſui contrarium, aut diſſonum adiiciant, ſed illis ſemper inſiſtant, quę ab ipſius Sacrę Scripturę verbis, & prędatorum doctorum interpretationibus rite, & ſane intellectis non diſcordant. Tempus quoque prędixum futurorum malorum, vel Antichriſti adventum, aut certum diem Judicii prędicare, vel aſſerere nequaquam prędumant, cum veritas dicat: Non eſſe veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quę Pater poſuit in ſua poteſtate: ipſoſque, qui hactenus ſimilia aſſerere auſi ſunt, mentitos, ac eorum cauſa reliquorum, etiam recte prędicantium, auctoritati non modicum detractum fuiſſe conſtet. Inhibentes omnibus, & ſingulis Clericis ſecularibus, vel regularibus prędatis, ceteriſque cujuſcunque ſtatus, gradus, & Ordinis exiſtant, qui hoc onus aſſument, ne de cetero in ſermonibus ſuis publicis, alia quęque futura ex literis ſacris conſtanter prędicere, nec illa a Spiritu Sancto, vel divina revelatione ſe habuiſſe, affirmare, & alienas, inaneſque divinationes aſſeverando, aut alio quocunque modo tractando, aſſumant, ſed ex divinę vocis pręcepto Evangelium omni creaturę, cum vitiorum deteſtatione, & virtutum commendatione enuncient, & declarent, & pacem, ac dilectionem mutuam a Redemptore noſtro tantopere commendatam, ubique foventes, non ſcindant veſtem inconſutilem Chriſti, ſed ab Epiſcoporum, & Pręlatorum, ac aliorum ſuperiorum, eorumque ſtatus ſcandaloſa detractione, quos coram vulgo, & laicis non modo incaute, ſed etiam intemperanter reprehendunt, & mordent, & ab eis male geſtorum expreſſis quandoque nominibus aperta, & manifeſta redargutione abſtineant. Denique conſtitutionem felicis recordationis Clementis Papę V, quę incipit: Religioſi: (4) quam tenore prędentium innovamus, & approbamus, inviolabiliter ab eis obſervari debere decernimus, ut hac ratione ad utilitatem populi prędi-

Digitized by Google

prędicantes, & cum Domino lucrifacientes, talentum, quod ab illo acceperant, ſuperlucrari, & ejuſdem gratiam, & gloriam conſequi mereantur. Ceterum ſi quibuſdam eorum Dominus futura quędam in Dei Eccleſia inſpiratione quadam revelaverit, ut per Amos Prophetam ipſe promittit, & Paulus Apoſtolus Prędicatorum Princeps, ſpiritum, inquit, nolite extinguere, prophetias nolite ſpernere, hos aliorum fabuloſorum, & mendacium gregi connumerari, vel aliter impediri minime volumus. Extinguitur namque ipſius gratia ſpiritus, Ambroſio teſte, ſi incipientibus loqui fervor contradictione ſopitur, & tunc Spiritui Sancto injuria certe fieri dicitur. Et quoniam res magni momenti eſt, eo quod non de facili credendum ſit omni ſpiritui, ſed ſint probandi ſpiritus, teſte Apoſtolo, an ex Deo proveniant, volumus, ut lege ordinaria tales aſſertę inſpirationes, antequam publicentur, aut populo prędicentur, ex nunc Apoſtolicę Sedis examini reſervatę intelligantur. Quod ſi ſine morę periculo id fieri non valeret, aut urgens neceſſitas aliud ſuaderet, tunc eodem ordine ſervato ordinario loci notificentur, ut illi adhibitis ſecum tribus, aut quatuor doctis, & gravibus viris, & hujuſmodi negotio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbunt, ſuper quo eorum conſcientias oneramus, licentiam concedere poſſint. Si qui autem contra pręmiſſorum aliquod committere quidquam auſi fuerint, ultra pęnas contra tales a jure ſtatutas, excommunicationis etiam ſententiam, a qua nonniſi a Romano Pontifice pręterquam in mortis articulo conſtituti abſolvi poſſint, eos incurrere volumus. Et ut eorum exemplo alii attentare ſimilia minime audeant, eis prędicationis etiam officium interdictum eſſe perpetuo decernimus. Non obſtantibus ordinationibus, ac privilegiis, & indultis, & literis Apoſtolicis, Ordinibus, & perſonis pręfatis, etiam in Mari magno comprehenſis, ac etiam a Nobis forſan approbatis, innovatis, vel etiam de novo conceſſis, quę quoad hoc, nolumus eis in aliquo ſuffragari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, ordinationis, mandati, inhibitionis, innovationis, approbationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare &c. Datum Romę in publica Seſſione, (5) in Lateranen. Sacroſancta Baſilica ſolemniter celebrata Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo ſexto, Quarto decimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Prędicatorum.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*
2. *Bullario.*) Apud *Confeſtium pag.* 131, & apud *Labbeum in Concilio Lateranen.*
3. *Gregorius.*) Cognomento *Magnus.*
4. *Religioſi.*) *Clementinar. Lib. V Tit. VII Cap. I.*
5. *Seſſione.*) *XI* Concilii *Lateranen. V.*

Certos fines terminoſque conſtituit Mendicantium privilegiis (1).

Anno 1516 Die 19 Decembris.

Ex Bullario (2) Romano Conſtitut. XXII.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.
Sacro approbante Concilio (3).

I.

Exordium.

DUm intra mentis arcana revolvimus, & diligenti conſideratione penſamus operoſa ſolicitudinis ſtudia, continuoſque labores, pro divini Nominis gloria, exaltatione catholicę fidei, Eccleſię unitate ſervanda, & inſtitutione, ac ſalute fidelium animarum per Coepiſcopos, eorumque Superiores, in diverſis partibus ad regimen ſuarum Eccleſiarum a Sede Apoſtolica conſtitutos, necnon per Fratres diverſorum Ordinum, pręſertim Mendicantium, indeſeſſe, & indeſinenter impenſos, tanta ex eorum in Vinea Domini fructuoſis operibus, & opportune, ac laudabiliter geſtis, cordi noſtro provenit ſatisfactio, ut his, quę ad pacem, & quietem inter eos conſervandam conducere cognoſcimus, omni ſtudio intendamus. Novimus enim Epiſcopos ipſos in partem ſolicitudinis noſtrę aſſumptos fuiſſe, quorum honor, & ſublimitas, teſtante Ambroſio, nullis poteſt comparationibus adęquari. Religioſos etiam in agro Dominico pro Chriſtianę Religionis defenſione, & ampliatione complura feciſſe, ac uberes fructus protuliſſe, & in dies ſingulos proferre, itaut eorundem Epiſcoporum ac Religioſorum bonis operibus Orthodoxam fidem incrementa ſumpſiſſe, & per Orbem terrarum undique dilatatam fuiſſe, fidelium nullus ignoret. Et ſicut ipſi ſępenumero vigilantiſſima, & ſolerti cura, ſchiſmata in Dei Eccleſia extinguere, & Eccleſię unitatem reddere, & ut eidem Eccleſię pacis tranquillitas daretur, innumeros labores ſubire non dubitarunt, ita quoque par eſt eos inter ſe noſtris proviſionibus pacis vinculo, ac fraterna caritate, & unitate conjungi, ut eorum concordi doctrina, & mutuis operibus uberiores in Eccleſia Dei fructus proveniant. Sane, cupientes, ut jura ſpiritualia, quę ad Dei laudem, & Chriſti fidelium animarum ſalutem pertinent, & quorum exercitium pręfatis Epiſcopis, & eorum Superioribus in ſuis Diœceſibus, cum ipſi in partem ſolicitudinis, ut pręfertur, aſſumpti, ac diœceſes diſtinctę, & cuilibet eorundem Epiſcoporum aſſignatę fuerunt, commiſſum extitit, ut per ipſos Epiſcopos exerceantur, & jus illa libere exercendi, quantum fieri poteſt, eis illęſum pręſervetur; & ſi aliqua dictis Fratribus Mendicantibus in eorundem Epiſcoporum lęſionem per Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam conceſſa fuerint, conceſſiones hujuſmodi eiſdem Religioſis factas in ſubſequentibus duximus moderandas, ut ipſi Fratres potius ab eiſdem Epiſcopis omni cum caritate foveantur, quam aliquo modo moleſtentur, & inquietentur. Una enim eſt Regularium, Secularium, Pręlatorum, & ſubditorum exemptorum, & non exemptorum, univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur, eorumque omnium unus Dominus, una fides. Et propterea decet eos, qui ejuſdem ſunt corporis, unius etiam eſſe voluntatis, & ſicut fratres nexu invicem caritatis adſtricti ſunt, ſic non convenit alterum in alterius injuriam, ſeu jacturam proſilire, dicente Salvatore, hoc eſt pręceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Ad conſervandam igitur inter Epiſcopos, & eorum Superiores, ac Pręlatos, & Fratres hujuſmodi mutuam caritatem, & benevolentiam, divini quoque cultus augmentum, pacemque, & tranquillitatem Univerſalis Eccleſię ſtatus, quod

Fratrum Mendicantium fructus uberes in Eccleſia Dei.

ita demum fieri poſſe cognoſcimus, ſi unicuique, quantum fieri poteſt, ſua juriſdictio conſervetur, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, & ordinamus, quod Epiſcopi, & eorum Superiores, & alii Pręlati pręfati, parochiales Ecclesias ad eoſdem Fratres ratione locorum ſuorum legitime ſpectantes, quoad ea quę ad Parochianorum Curam, & Sacramentorum conſervationem, adminiſtrationemque pertinent, ſine tamen Viſitatorum inſolito gravamine, vel impenſa, viſitare, & illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes, ſi Religioſi fuerint, juxta ipſius Ordinis regularia inſtituta, intra ſepta Regularis loci, ſeculares vero Presbyteros, & Fratres hujuſmodi beneficia obtinentes, libere tanquam ſuę juriſdictioni ſubjectos, punire: ac tam Pręlati, quam Presbyteri Seculares, qui vinculo excommunicationis ligati non fuerint, miſſas in Eccleſiis domorum eorundem, devotionis cauſa, celebrare volentes, libenter recipere debeant: Ac ab eiſdem Pręlatis ad Proceſſiones ſolemnes pro tempore faciendas requiſiti, dummodo eorum loca ſuburbana ultra unum miliare a Civitatibus reſpective non ſint remota accedere: Necnon Superiores eorundem Fratrum Fratres, quos ad audiendas confeſſiones ſubditorum eorundem Pręlatorum tempore elegerint, eiſdem Pręlatis perſonaliter exhibere, ac pręſentare, ſi eos ſibi exhiberi, & pręſentari petierint, alioquin eorum Vicariis, dummodo ad Pręlatos ultra duas dietas accedere non cogantur omnino teneantur. Poſſintque illi per eoſdem Epiſcopos, & Prelatos ſuper ſufficienti literatura, & aliqua ſaltem hujuſmodi Sacramenti peritia duntaxat examinari. Talibuſque pręſentatis admiſſis, vel etiam indebitę recuſatis, confitentes, Conſtitutioni, quę incipit, Omnis utriuſque ſexus, quoad Confeſſionem duntaxat, ſatisfeciſſe cenſeantur. Ipſique Fratres etiam forenſium confeſſiones audire valeant, laicos tamen, & Clericos ſeculares, a ſententiis ab homine latis nullatenus abſolvere poſſint. Euchariſtię vero, & Extremę Unctionis, aliaque Eccleſiaſtica Sacramenta, Illis quorum etiam infirmorum ac decedentium Confeſſiones audierint, dicentibus proprium Sacerdotem illa ſibi dare denegaſſe, dare nequeant, niſi denegatio ſine legitima cauſa facta, vicinorum teſtimonio probata, aut requiſitio coram Notario publico facta doceretur. Eorundem vero Fratrum obſequio inſiſtentibus, ſacramenta hujuſmodi nullatenus miniſtrare valeant, niſi illorum durante obſequio. Pacta autem, & conventiones inter eoſdem Fratres, & Pręlatos, atque Curatos pro tempore inita valeant niſi per ſubſecutum Capitulum proximum Generale, vel Provinciale refutata, ac per eos refutatio hujuſmodi intimata debito tempore fuerit. Parochias autem cum Cruce ad levanda funera eorum, qui apud Eccleſias domorum, & locorum eorundem ſuam elegerint ſepulturam, intrare non poſſint, niſi prius pręmonito, & requiſito, ac non recuſante Parochiano Presbytero, & tunc ſine ejus, ac Ordinarii pręjudicio, niſi eiſdem Fratribus ſuper hoc antiqua conſuetudo, quę ſit in viridi obſervantia, & cum pacifica poſſeſſione, ſuffragetur. Volentes quoque ſepeliri in habitu eorundem Fratrum in Clauſtro non degentes, ſed in propriis domibus habitantes, in eorum ultima voluntate ſepulturam ſibi eligere poſſint. Quodque Fratres ipſi ad Ordines promovendi per Ordinarios de grammatica, & ſufficientia examinari, & dummodo competenter reſpondeant, per eoſdem Ordinarios libere admitti, ac nullatenus in eorum Eccleſiis, ſeu Domibus, aut aliis eorum locis, ab alio quam a Diœceſano Epiſcopo, niſi prius ipſo Diœceſano Epiſcopo, vel ejus Vicario, ſuper hoc cum debita reverentia requiſito, & abſque rationabili cauſa contradicente, vel eo a Diœceſi abſente, ad dictos Ordines promoveri debeant. Nec ab alieno Epiſcopo conſecrationem Eccleſię, vel Altaris, aut Cœmeterii benedictionem petere, ſeu in Eccleſiis per eos pro tempore ędificandis, primum lapidem per alienum Epiſcopum poni facere poſſint, niſi ubi Ordinarius bis, aut ter, cum debitis reverentia, & inſtantia requiſitus ſine legitima cauſa id recuſaverit. Et abſque curatorum conſenſu, ſponſum, & ſponſam benedicere nequeant. Et ut debitus honor Matrici Eccleſię reddatur, tam ipſi Fratres, quam alii clerici ſeculares, etiam ſuper hoc Apoſtolicę Sedis privilegio muniti, die Sabbati Majoris hebdomadę, antequam campana Cathedralis, vel Matricis Eccleſię pulſaverit, campanam in Eccleſiis ſuis pulſare minime poſſint, contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant. Cenſuras autem per eoſdem Ordinarios latas, & promulgatas, ac in Matrici Eccleſia Civitatum, necnon in Collegiatis, & Parochialibus Eccleſiis Caſtrorum, & oppidorum reſpective ſolemniter publicatas, quando ſuper hoc ab eiſdem Ordinariis requiſiti fuerint, in Eccleſiis Domorum ſuarum publicare, ac ſervare. Et ut animarum utriuſque ſexus Chriſti fidelium ſaluti uberius conſulatur, illos, quorum Confeſſiones pro tempore audierint, cujuſcunque ſtatus, & conditionis fuerint, ad ſolvendum decimas, ſive alia bonorum, ſeu fructuum quotam (4) in locis, in quibus decimę ipſę, aut ſimilia ſolvi conſueverunt, etiam ſub onere conſcientiarum ſuarum monere, & hortari, ipſiſque etiam illas ſolvere recuſantibus abſolutionem denegare, & ſuper hoc requiſiti, id populo etiam publice prędicare, & perſuadere teneantur. Conſervatores autem eiſdem Fratribus pro tempore a Sede Apoſtolica deputandi, doctrina, & probitate pręſtantes, & in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti eſſe debeant, & coram eis per eoſdem Fratres, quibus dati fuerint ultra duas dietas a loco ſuę ſolitę habitationis nullus trahi poſſit, privilegiis ſuper hoc alias eis conceſſis, nullatenus ſuffragantibus. Excommunicati quoque Ordinem Mendicantium profiteri volentes, ubi de intereſſe tertii ageretur, abſolvi non poſſint, niſi pręvia ſatisfactione. Procuratores quoque, & negotiorum geſtores, ac operarii eorundem Fratrum ſervitiis inſiſtentes, ſententiis excommunicationis promulgatis, illaqueati ſint, & eſſe cenſeantur, ſi illis cauſam dederint, aut dantibus conſilium, auxilium, vel favorem pręſtiterint. Fratres autem, & Sorores Tertii Ordinis, necnon Mantellati (5), Corrigiati, (6), Pizocate (7), Cordellati (8), & alii quocunque nomine nuncupati in propriis domibus habitantes, ſepulturam ubi voluerint eligere valeant. Sed die Paſchatis tantum Euchariſtiam, necnon extremam unctionem, cęteraque Eccleſiaſtica Sacramenta, pœnitentię Sacramento duntaxat excepto, a proprio Sacerdote recipere, & ad onera quę laicis incumbunt perferenda teneantur, ac in foro ſeculari coram Judicibus Secularibus conveniri poſſint. Et ne cenſura vileſcat Eccleſiaſtica, & minoris auctoritatis interdicti ſententia reputetur, iidem dicti Tertii Ordinis ad divina audienda in Eccleſiis ſuorum Ordinum, tempore interdicti nullatenus admittantur, ſi cauſam dederint interdicto, vel cauſam ipſam nutriant, ſeu foveant, aut dantibus auxilium, conſilium, vel favorem quoquomodo pręſtiterint. Collegialiter autem viventes, ſeu cum Clauſtralibus habitantes, ac mulieres virginalem, ſeu celibem, aut caſtam vidualem,
Nota. expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam ducentes privilegiis quibus Fratres Ordinis, cujus Tertię Regulę ha-

habitum geſtant, gaudere debeant. Omnia etiam, & ſingula ſupradicta ad reliquos Religioſos Ordinum quorumcunque extendi, & per eos etiam ſervari debere volumus, atque decernimus. Salvis tamen in reliquis deſuper non expreſſis tam Epiſcoporum quam Fratrum, & aliorum Religioſorum prędictorum juribus, quibus per pręmiſſa in aliquo prejudicare, ſeu quidquam innovare non intendimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, & indultis, ac literis Apoſtolicis contra pręmiſſa, ſeu aliquod pręmiſſorum, eiſdem Ordinibus conceſſis, etiam in mari magno contentis, quibus, etiamſi ad illorum derogationem de eis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes; mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, illorumque tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Decernentes ex nunc irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Eoſdem inſuper Fratres in virtute Sanctę Obedientię monemus, ut eoſdem Epiſcopos loco SS. Apoſtolorum ſubrogatos, pro debita, & noſtra ac Apoſtolicę Sedis reverentia congruo honore, & convenienti obſervantia venerentur. Ipſos quoque Epiſcopos hortamur, ac per viſcera miſericordię Dei noſtri requirimus, ut Fratres ipſos aſſectu benevolo proſequentes, caritative tractent, ac benigne foveant, ſeque illis minime difficiles, aut Fratres Epiſcoporum cooperatores.
duros, vel moroſos, ſed potius faciles, mites, propitios, piaque munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prędictis, tanquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laboris participes, prompta benignitate recipiant, eorumque jura omni cum caritate cuſtodiant, atque defendant, ut tam Epiſcopi, quam Fratres pręfati, quorum opera veluti lucernę ardentes ſupra montem poſitę omnibus Chriſti fidelibus lumen prębere debent, ad Dei laudem, fidei catholicę exaltationem, populorumque ſalutem, de virtute in virtutem proficiant, ac exinde a largiſſimo bonorum omnium retributore Domino perennis vitę pręmium conſequi mereantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ordinationis, voluntatis, derogationis, decreti, monitionis, exhortationis, & requiſitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit indignationem &c. Datum Romę in publica Seſſione in Lateranen. Sacroſancta Baſilica ſolemniter celebrata Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Sexto decimo, Quarto decimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo.*
2. *Bullario.*) Legitur apud *Conſettium pag. 106*, & apud *Labbeum in Concilio Lateranen.*
3. *Concilio.*) *Lateranenſi V.*
4. *Quotam.*) Quod ſcilicet quiſque dare tenetur.
5. *Mantellati.*) Sorores Tertii Ordinis S. P. *Dominici* dictas fuiſſe *Mantellatas*, quod ſcilicet utantur pallio laneo, alibi notavimus.
6. *Corrigiati.*) Sic a *Corrigia*, ſeu Zona, qua præcinguntur vocatos crediderim Tertiarios *S.* Patris *Auguſtini*, ubi notandum, quod, antiquis etiam, corrigia ſignum ſervitutis ſic erat, ut dum ſe Sancto devovebat aliquis, corrigia collum cingeret ſuum. Hinc in *Hiſtor. Translat. S. Gorgonii Cap. XVII* legitur: *Corrigia diſcinctus collum ſuum circumdedit, atque per eundem ſe Sancto Gorgonio famulum contradidit &c.* Et Anonymus de Miraculis S. Vedaſti num. VI. *Surrexit*, inquit, *ire ad capitium, quaſi per corrigiam ſui veſtimenti Sancto ſeipſum dediturus.* Conſulendus *Du Cangius in Gloſſario.*
7. *Pizocata.*) Seu *Bizocha. Pinzocchera*, & *Pinzocara* nonnunquam vocantur. Hinc *Bocacius Novella XXIV, & XXVII* hæc habet: *Eſſendo tutte date a lo Spirito, ſi fecè Pinzocara, di quelli di Santo Franceſco.* De *Biſochis* ſæpius dictum fuit.
8. *Cordellati.*) Sic ex fune, vulgo *Corda* vocantur nonnulli Tertiarii Ordinis *S. Franciſci*. Ab aliis *Cordigeri* nuncupantur, *Gallis* dicuntur *Cordelier*. Sed nota quod ipſimet Fratres Primi Ordinis *S. Franciſci*, quos *Conventuales* nominant, *Gallis* appellantur *Cordelier*.

Ut ab officio removeatur Inquiſitor Brixienſis, quem Vicarius Generalis Congregationis Lombardiæ non elegerat, & alius ab eodem Vicario (1) delegetur.

Anno 1517 Die 6 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Vicario Generali Ordinis Prędicatorum de obſervantia Congregationis Lombardię.

L E O PP. X. LI.

Dilectę in Chriſto filię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LIcet, ſicuti ex parte tua Nobis nuper fuit expoſitum, in Civitatibus, in quibus ſunt Conventus juriſdictioni iſtius Ordinis, & Congregationis ſubjecti, Inquiſitores hęreticę pravitatis de Ordine, & Congregatione Prędicatorum per Vicarios Generales Ordinis, & Congregationis eorundem pro tempore exiſtentes, de conſilio aliquorum Fratrum ex indulto ab Apoſtolica Sede conceſſo, eligi, & deputari conſueverint, tamen dilectus filius Auguſtinus de Moris, dicti Ordinis profeſſor contra & pręter conſuetudinem, & indultum prędicta in Conventu, ſive in domo S. Dominici Brixien. Inquiſitor hęreticę pravitatis electus, & deputatus fuit. Quocirca Nos, qui Congregationem prędictam multis Religioſis Nota Fratrum laudem, facultatem, & conſuetudinem.
doctrina, & exemplari vita prędítis, Deo jugiter famulantibus, refertam paterna caritate proſequimur, volentes, quantum cum Deo poſſumus, efficere, ut eadem Congregatio in ſuis laudabilibus Ordinibus, & conſuetudinibus manuteneatur, & conſervetur, tibi, cui videbitur expedire, dictum Auguſtinum ab hujuſmodi officio Inquiſitionis hęreticę pravitatis amovendi, ac alium (3) loco ipſius juxta

conſuetudines, ordination , & indulta prędicta eligendi, & deputandi, licentiam, & facultatem anctoritate Apoſtolica concedimus pariter, & indulgemus per pręſentes, literis dicto Auguſtino, etiam motu proprio forſan conceſſis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque: Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI Januarii MDXVII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Vicario.*) Nunc vel a Summo Pontifice, vel a Sacra Congregatione ſupremæ, & univerſalis Inquiſitionis creantur Inquiſitores *Italiæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononien.* pag. 69, ex autographo *Bononienſ.*

3. *Alum.*) Frater *Hieronymus de Zanda* anno *MDXVIII* Inquiſitor *Brixienſis* erat, uti docet *Fontana Theatro Dominicano Parte Tertia Cap. III Tit. XXI.*

Anno 1517 Die 20 Martii.

Cordubenſis (1) Collegii in Cœnobio S. Pauli fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LII.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

Regis pacifici in agro militantis Eccleſię diſpenſatores effecti &c. (3) Sane pro parte dilectorum filiorum moderni Prioris, & Fratrum domus S. Pauli Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac executorum teſtamenti quondam Antonii de Cordona (4) Militis Corduben. Nobis nuper exhibita, petitio continebat quod olim dictus Antonius, dum in humanis ageret, provide conſiderans, quod in Civitate Corduben., quę una ex inſignibus Civitatibus Hiſpaniarum Regnorum, & dominiorum in Provincia Bętieę (5) ſeu Vendalię (6) exiſtit, aliquod ſtudium generale, ſeu Collegium ſcholarium, in quo volentes literarum ſtudio vacare, proficere poſſent, inſtitutum non erat, cupienſque dictus Antonius animarum ſaluti Chriſti fidelium Provincię, & partium illarum, ac honori dictę Civitatis conſulere, voluit, & ordinavit, quod in dicta Civitate Corduben. in certo, per eundem Antonium tunc deſignato loco, unum Collegium ſcholarium, in quo Theologia, ac Philoſophia, ac alię liberales artes continue legerentur, & in eodem Collegio una, vel duę Cathedrę, pro uno, ſeu duobus Lectoribus, qui Theologiam, ac Philoſophiam, ac Artes hujuſmodi, juxta providam ordinationem per executores pręfatos faciendam, legere tenerentur, erigerentur, ac inſtituerentur, ac in dicto Collegio decem Collegiales ſeculares laudabilis vitę, & converſationis honeſtę, ac alias certo modo, & forma qualificati, deputarentur, ac tam pro fabrica, ſeu conſtructione ipſius Collegii, illiuſque officiariorum, quam Lectorum, & Collegialium in eo pro tempore exiſtentium ſuſtentatione, nonnulla mobilia, ac immobilia bona, ſeu annuos redditus ad dictum Antonium legitime ſpectantia, & pertinentia, reliquit, deinde cum dictum Collegium in loco deſignato hujuſmodi conſtrui, & edificari non poſſet, felicis recordationis Paulus PP. II, Prędeceſſor noſter, executoribus prefatis, ut Collegium prędictum in alio loco ejuſdem Civitatis tunc expreſſo, alias juxta voluntatem dicti teſtatoris conſtrui, & edificari facere, poſſent, & valerent, licentiam, & facultatem conceſſit. Poſtmodum cum certa pars bonorum, ſeu reddituum pro conſtructione Collegii, ac Lectorum, Collegialium ſuſtentatione hujuſmodi, relictorum a certis perſonis, juſtitia, ut dicebatur, mediante erepta, ipſiſque perſonis applicata fuiſſet, ita quod ex bonorum, & reddituum prędictorum reſiduo ipſius Antonii voluntas, adimpleri non poterat, dicti executores, cupientes catholicum, & animabus Chriſti fidelium ſalutiferum propoſitum Antonii hujuſmodi, ſi non in toto, ſaltem in parte adimplere, cum Priore, & Fratribus predictis compoſuerunt, & convenerunt, quod Collegium cum Cathedris, & officinis neceſſariis hujuſmodi, non in primo, ſeu ſecundo locis prędictis, ſed in dicta domo S. Pauli erigeretur, & inſtitueretur, ac in eodem Collegio, ſaltem duodecim, non tamen ultra viginti Collegiales dicti Ordinis profeſſores, ac unus, vel duo Lectores ſeculares, vel prędicti, aut cujuſvis alterius Ordinis regulares, ſufficientes, & idonei, qui Theologiam, & Philoſophiam, ac artes, hujuſmodi juxta ordinationem, per Priorem, & Fratres, ac executores pręfatos deſuper faciendam, eiſdem Collegialibus, ac quibuſvis aliis dicti, ſeu quibuſvis alterius Ordinis regularibus, & aliis ſecularibus perſonis, in Theologia, vel Philoſophia, ac artibus prędictis proficere, ac illos audire volentibus legere tenerentur, eſſe deberent, ac bona mobilia, & immobilia, ac annui redditus, ad Antonium pertinentia, & pro pręmiſſis relicta hujuſmodi, eidem domui applicarentur, & appropriarentur, Priorque, & Fratres ejuſdem domus pro tempore exiſtentes Lectoribus de prędictis Collegialibus pręfatis ex ipſius domus bonis, de congrua ſuſtentatione providere tenerentur, quodque corpus, ſeu cadaver ipſius Antonii in Eccleſia S. Hieronymi extra muros dictę Civitatis Corduben. depoſitum ad Capellam ſub invocatione Crucifixi in Eccleſia dictę domus S. Pauli ędificatam, ſeu ędificari inceptam, transferri, & ibidem ſepeliri facere, ac dilectus filius Johannes Dias Presbyter Corduben. unus ex dictis executoribus, cui de certo, tunc expreſſo, ſalario providebatur, unam quoad viveret, &, eo vita functo, Fratres prędicti duas. & ſi in ſucceſſu temporis, juſtitia mediante, certam poſſeſſionem la Deboſa de Paterna nuncupatam, in Dioceſi Corduben. conſiſtentem, & ad dictum Antonium pertinentem, & ſimiliter pro inſtitutione dicti Collegii relictam, ad preſens per dilectum filium Michaelem de Horozco poſſeſſam, conſequerentur, tres Miſſas ſingulis hebdomadis pro ipſius Antonii, & aliorum Chriſti fidelium animarum ſalute celebrare, ſeu celebrari facere, ac unam aliam Cathedram pro alio Lectore in Rhetorica, ſeu facultate juris &c. pro parte Prioris, & Fratrum, ac executorum prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut compoſitiones, & conventiones hujuſmodi, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolico pręſidio roborare, ac executores prefatos, & quemlibet eorum, & illis deficientibus heredem, & ſucceſſorem in domo dicti teſtatoris primogenitum, & Provincialem Provincię dicti Ordinis, ſub qua dicta domus conſiſtit pro tempore exiſtentes patronos, & defenſores dicti Collegii viſitare, & ſingulis annis computum, & rationem, de geſtis, & adminiſtratis in dicto Collegio, recipere poſſint, & valeant, ſtatuere, & ordinare, aliaſque

in

in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, Priorem, & Fratres, ac executores pręd:ctos, & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, bujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conventionem, & tranſlationem pręditas, & prout illas concernunt, omnia, & ſingula in inſtrumento compoſitionis hujuſmodi contenta, licita, & honeſta; auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, ſine alicujus pręjudicio approbamus, & confirmamus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ac compoſi.ionem, & conventionem pręditas, per Priorem, & Fratres, ac executores pręditos ad illius manutentionem, & obſervationem per quoſcunque judices, & commiſſarios, per cenſuras eccleſiaſticas, & alia juris remedia compelli poſſe, ac debere, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, decernimus, ac declaramus, ac executores, & quemlibet eorum, & illis deficientibus, hęredem, & ſucceſſorem, ac Provincialem pro tempore exiſtentes pręfatos, patronos, & defenſores dicti Collegii deputamus, ac bujuſmodi executores, & illis deficientibus, ut prefertur, hęres, & ſucceſſor, ac Provincialis pręfati dictum Collegium, videlicet arcam, numerum Collegialium, & celebrationem divinorum, & conſervationem bonorum dicti Collegii viſitare, & ſingulis annis computum, & rationem de geſtis, & adminiſtratis in dicto Collegio recipere, quodque ſi Prior, & ſinguli Fratres dictę domus, in bis, quę concernunt regimen dicti Collegii, deliquerunt, vel exceſſerunt ven. Fratres noſtri Archiepiſcopus Hiſpalen., (7) & Epiſcopus Malaginen., (8) eoſdem Priorem, & Fratres juxta exceſſus, & delicti qualitatem corrigere, & caſtigare, poſſint, & valeant, ita tamen, quod ſi Archiepiſcopus, & Epiſcopus pręfati, circa pręmiſſorum correctionem, ſe non concordaverint, tunc, & eo caſu virum providum, & idoneum eligere poſſint, ac quicquid per duos ex Archiepiſcopo, & Epiſcopo, ac viro eligendo pręfatis, circa dictam correctionem, ordinatum fuerit per eoſdem, Archiepiſcopum, & Epiſcopum exequi debeat, auctoritate, & tenore prędictis ſtatuimus, & ordinamus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Julii Prędeceſſoris literis hujuſmodi, quodque tempus executionis teſtamenti hujuſmodi, elapſum exiſtat &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, confirmationis ſuppletionis, mandati, & decreti, declarationis, deputationis, ſtatuti, & ordinationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Sexto Decimo (9), Tertio decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Mandatum.

1. *Cordubenſis.*) Juris eſt Provinciæ *Bætica*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIII fol. 95*.
3. *Effecti &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *De Cordona.*) Fortaſſis de *Cordova*, ſeu *Cordubenſis*. Gens fuit percelebris e qua oriundus erat magnus ille Dux *Gonzales de Cordova*, qui hoc eodem ſeculo *XVI* floruerat. Nota tamen quod gens *de Cordona* celeberrima eſt.
5. *In Provincia Bætica.*) In *Hiſpania* nempe *Bætica*.
6. *Vendaliæ.*) *Vandaliæ*, rectius *Vandalitia*. Sic a *Vandalis* vocatur *Hiſpania* pars, quæ vulgo dicitur *Andaluzia*.
7. *Hiſpalen.*) Vulgo *Sevilla*.
8. *Malaginen.*) *Malacinen.*, vulgo *Malaga*, in *Hiſpania Bætica*.
9. *Sexto decimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXVII*.

Ne Fratres extra Cœnobia degant (1).

Anno 1517 Die 6 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Magiſtro Generali, & univerſis Prioribus Provincialibus, & Conventualibus, ac eorum Vicariis Ordinis Prędicatorum,

LIII.

L E O PP. X.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem,

ACcepimus, non ſine animi diſplicentia, quod licet tam ſecundum canonicas ſanctiones, quam etiam veſtri Ordinis regularia inſtituta, dicti Ordinis Fratres quacunque cauſa etiam ſtudii, ſeu alia occaſione recedere a domibus veſtris abſque licentia ſuperiorum, (3) vel poſt ejuſdem licentię revocationem, extra domos eaſdem morari non poſſint, nihilominus nonnulli e dicti Ordinis Fratribus ęgritudines, aut corporum, & animorum ſimulantes paſſiones, alii ſubveniendę parentum inopię colore quęſito, alii vero ad ſtudiorum univerſitates abſque licentia ſuperiorum hujuſmodi, ſeu eadem licentia revocata, accedere, & inibi morari, & quod deterius eſt, privilegiis univerſitatibus hujuſmodi, illarumque ſcholaribus conceſſis, ut liberius in ſua damnata pręſumptione permanere poſſint, ſe tueri, alii vero proprię ſalutis obliti, Apoſtolicas, in quibus, ſe profeſſionem, aut nunquam, aut infra pubertatis annos, ſeu per vim, & metum feciſſe aſſerunt, literas impetrare, & habitu abjecto per ſecularium perſonarum habitacula, & loca inboneſta diſcurrendo, cum laicis converſari non verentur, alii vero ſub pretextu habilitatis, ſeu diſpenſationis ad obtinendum eccleſiaſticum, ſeu eccleſiaſtica, beneficium, ſeu beneficia, per dictos ſeculares obtineri ſolitum, vel ſolita, per literas Apoſtolicas ſibi conceſſas, nonnulli autem alicujus ex Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalibus pro tempore exiſtentibus, vel alicujus nobilis a Sede Apoſtolica privilegiati capellanię, vel familiaritatis literas exhibentes, laxatis habenis, extra Ordinem, (4) & obedientiam ſuorum Pręlatorum in parentum, ſeu conſanguineorum ſuorum domibus, aut alias extra dicti Ordinis domos morari, & permanere, & beneficiis eccleſiaſticis pro Capellanis deſervire, & per ſeculum vagari pręſumunt, cum animarum ſuarum pernicie, religionis vituperio, Dei contemptu, & populorum ſcandalo. Nos igitur attendentes, quam gratus ſit Deo, & acceptus obedientię fructus, & quod inter alia Religionis merita abnegatio propriarum voluntatum pręcipuum eſt, quodque Pręſidentes Religionis ſcire pręſumuntur, qui Fratres literarum ſtudio, & quanto tempore, & qui aliis Reli-

Diplomatis cauſa.

Inhibitio.

Religioois occupationibos vacare debeant, omniumque, prędertim religioſarum perſonarum tranquillitatem parere, & conſervare, ac illis evagandi materiam pręcludi, eorumque exceſſibus, & ſcaodalis, ac animarum periculis obviare, ſupremis exoptantes affectibus, motu proprio, ooo ad alicujus ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, & ex certa ſcientia, quod de cetero perpetuis ſuturis temporibus Fratres pręcdicti, ęgritudinis, aut ſubveniendi parentum inopię, ſive quavis alia occaſione cauſa, etiam ſtudii, vel diſpeoſationis ad obtineodum beneficia, noſtra, ſeu quavis alia auctoritate ſibi conceſſa, niſi beneficium ipſum fueriot canonice aſſecuti, ſive familiaritatis, aut Capellanię alicujus ex dictis Cardinalibus, vel cujuſcunque privilegiati a Sede Apoſtolica nobilis, pręterquam ſi actu continui commenſales fuerint eorundem Cardinalium, extra prędictum Ordioem veſtrum, pręter, vel abſque licentia Magiſtri Generalis, & illa durante etiam de licentia Sedis Apoſtolicę prędictę, etiam pretextu quarumcunque facultatum, indultorum, & aliarum literarum Apoſtolicarum, quibuſvis univerſitatibus conceſſarum, commorari noo poſſint, quodque unuſquiſque veſtrum in ſua Provincia, dum, & quoties opus fuerit, Fratres extra Ordinem prędictum, quavis occaſione, vel cauſa commorantes ad Ordinem hujuſmodi redire, cogere, & compellere poſſitis, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, ſtatuimus, & ordinamus. De illis vero, qui ſe profeſſiooem nunquam, aut infra pubertatis annum, per vim, aut metum emiſiſſe aſſerentes, Apoſtolicas, vel a Pęnitentiaria oostra literas obtinuerint, aut obtenturi ſunt in poſterum, quarum vigore babitu Religionis demiſſo, & ſeculari aſſumpto, extra jugum obedientię vagantur, aut vagaturi ſunt, committimus vobis, ut niſi ad aliam Religionem, in qua actu vita regularis obſervetur, tranſierint, non obſtantibus literis Apoſtolicis, vel Pęniteotiarię noſtrę, proceſſibuſque deſuper habitis, vel habendis, quas eis, etiamſi vera narraſſent, nonniſi io foro conſcientię, & nullo modo contra Religionis veſtrę jura, & cooſuetudines, ſuffragari volumus, ad Ordioem, & Ordinis loca revocetis, Bullas, & proceſſus auferatis, babitum ſacrilege relictum reſumere, ac pęnitentiam ſubire cogatis, invocato etiam, ſi, & quoties opus ſuerit, auxilio brachii ſecularis, qui niſi vobis paruerint, & infra octo dies mandato veſtro proximos babitum perpetuo geſtandum reſumpſerint, excommunicationis latę ſententię pęnam incurrant, a qua per ſolum Romanum Pontificem, aut Magiſtrum Geoeralem dicti Ordiois, niſi in mortis articulo, abſolvi poſſint. Eiſdemque, auctoritate, motu, & ſcientia ſtatuimus, & ordinamus, quod in quibuſcunque literis ad ipſorum Fratrum inſtantiam, ſive ſub Annulo Piſcatoris, aut ſub plumbo, vel per Pęnitentiariam ſuper pręmiſſorum aliquo in obedientię regularis derogationem, etiam ſub quibuſvis ſupplicationibus a Nobis, aut Romano Pontifice quomodocunque in poſterum impetrandis, ſemper, & iudifferenter ſubintelligi debere, etiam ſi appoſita oon fuerit clauſula hujuſmodi, de licentia ſuperioris, & ea durante, decernentes literas prędictas, hujuſmodi clauſula carentes, nullas, oulliuſque roboris, vel momenti ſore, nec bis noſtris literis derogari poſſe, niſi motu, & ſcientia ſupradictis. Inhibentes diſtrictius locorum Ordinariis ſub interdicti ingreſſus Eccleſię, & ſuſpenſionis a regimine, & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, necnon uoiverſitatum Rectoribus, ac illarum conſervatoribus, Parocbialiumque Eccleſiarum Rectoribus, & aliis quibuſcunque ſub excommunicationis latę ſenteotię, & privationis earum Parochialium Eccleſiarum, & omnium aliorum beoeficiorum eccleſiaſticorum, quę obtinent, necnon inhabilitationis ad illa, & alia in poſterum obtinenda pęnis, eo ipſo, ſi contrafecerint, incorrendis, ne vos quo minus Fratres dicti veſtri Ordinis ſub indultorum, exemptionum, gratiarum, & literarum Apoſtolicarum prędictarum ſpecie, extra domos, & obedientiam veſtram vagantes, capere etiam violenter, illoſque ad domos, & loca unde receſſeriot reducere, & carceribus mancipare valeatis, quovis modo per ſe, vel alium ſeu alios directe, vel indirecte impedire pręſumant. Non obſtantibus pręmiſſis, & conſtitutionibus, & ordinationibus, ſuſpenſionibus, revocationibus, reſtrictionibus, indultis, privilegiis, facultatibus, & literis Apoſtolicis, etiam in forma brevis, & deſuper babitis, vel habendis proceſſibus, pręfatis Fratribus, aut quibuſcunque nobilibus, vel ſtudiorum generalium univerſitatibus conceſſis, aut in poſterum concedeodis, cum quibuſvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, & inſolitis, quibus omnibus, illa, etiam ſi de eis earumque totis tenoribus, & datis, non per hojuſmodi generales clauſulas, etiam ſpecialem mentionem importaotes, ſed ſpecifica, & individua, ſeu quęvis alia mentio habenda eſſet, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, ex certa ſcientia ſpecialiter, & nominatim derogamus, nullique in pręjudicium pręmiſſorum quomodolibet ſuffragari volumus, ceteriſque cootrariis quibuſcunque, deceroeotes, proceſſus, ſi qui facti ſunt, vel fient in poſterom ſuper literis a Fratribus hujuſmodi obtentis, & obtinendis, in quibus vobis, aut aliis quibuſcunque, ſub quibuſvis etiam excommunicationis latę ſententię pęnis pręcipietur, oe contra earum tenorem Fratres ipſos inquietare pręſumatis, nullius eſſe, & fore roboris, & eos, qui juxta harum literarum tenorem Fratres ipſos &c. ad Ordinis diſciplinam revocant, & revocare curarint, hujuſmodi pęnis, & ſententiis non ligari. Et quia difficile ſoret pręſentes literas noſtras originaliter ad ſingula loca, quo opus ſoret, deſtinari, volumus, & decernimus, quod earum tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus in dignitate eccleſiaſtica conſtituti munitis, eadem fides indubia in judicio, & extra, ubicunque exhibita fuerint, detur, & eiſdem ſtetur, ac ſi originales literę ipſę exhibitę forent, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI Aprilis MDXVII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Ja. Sadoletus.

1. *Degant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XI.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Faventino*. Autographum habes etiam in Cœnobio *Cremonenſi*. Alia leguntur *Lib. B. fol.* 476 ex autographo *Veneto*, ibidem *fol.* 722 ex autographo *Barchinonenſi*, in *Bullario Bononienſi pag.* 67, ex autographo *Bononienſi*. Aliud authenticum habes *Lib. E. fol.* 8. Idem legitur apud *Uſuſmarem pag.* 188, datum tamen die *XXIV* Auguſti *MDXVIII.*

3. *Superiorum.*) *Uſuſmaris* in erratis Apoſtolica auctoritate correctis addendum monet: *Suorum*.

4. *Ordinem.*) Ex eodem ibidem, addendum: *Veſtrum*.

De

De Fratribus a Cenſuris ſolvendis (1).

Anno 1517 Die 9 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilectis filiis ſingulis Generalibus ſingulorum Ordinum Mendicantium,

L E O PP. X. LIV.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis feciſtis, nonnullos Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros ad conſervandum diſciplinę regularis integritatem, quę ex Fratrum diſcurſibus plurimum labefactari ſolet, vobis indulſiſſe, ut Fratres veſtros a quibuſcunque criminibus, & exceſſibus, & cenſuris, niſi in certis expreſſis caſibus, in quibus Sedem Apoſtolicam conſulendam eſſe voluerunt, abſolvere poſſitis. Et quia nuper, Sacro Lateranen. (3) approbante Concilio, aliquos caſus de novo nobis, & Apoſtolicę Sedi reſervandos duximus, dubitatis, ne forſan conceſſa vobis facultas diminuta ſit, & perinde Fratrum diſcurſibus, qui crebro in periculum animarum ſuarum vergant, non ſit obviarum, atque ſuper hoc de benignitate Apoſtolica providere dignaremur, humiliter ſupplicaſtis. Nos igitur, cupientes Fratres in ſuis clauſtris potius Deo cordis contriti ſacrificium pro ſuis peccatis offerre, quam cum ſuarum animarum periculo, & ſcandalo populorum, per longinqua itinera diſcurrere, veſtris ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore prędentium, vobis concedimus, ut vos, & quandocunque contingit officium Generalatus per obitum, aut amotionem Generalium pro tempore, ſive alio quovis modo vacare, veſtri Vicarii item pro tempore, ac etiam illi, quibus vos ſpecialiter id duxeritis committendum, ſubditos veſtros reſpective, ab omnibus, & ſingulis caſibus & cenſuris ſecundum conceſſionem, & declarationem felicis recordationis Sixti IV, & Julii Secundi, Romanorum Pontificum, Prędeceſſorum noſtrorum, abſolvere poſſitis. Non obſtantibus revocationibus, reſtrictionibus, reſervationibus, conſtitutionibuſque, & ordinationibus Apoſtolicis nuper in dicto Lateranenſi Concilio, vel alias quomodolibet factis, vel ſi fierent in poſterum, quibus omnibus, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad pręmiſſa, ex certa ſcientia derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris Die IX Maii MDXVII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Solvendis*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV. Lib. VIII fol.* 106. Legitur apud *Uſuſmarem pag.* 180.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*
3. *Lateranen.*.) *V.*

Fratrum Mendicantium privilegia (1) firmat.

Anno 1517 Die 14 Maii.

Ex Bullario (2) *Uſuſmaris pag.* 179.

L E O PP. X. LV.

Univerſis, & ſingulis prędentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUperioribus diebus (3), ut Fratres Mendicantes, & alii Religioſi, potius ab Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis omni cum caritate foverentur, quam aliquo modo moleſtarentur, & inquietarentur, conceſſiones eiſdem Fratribus, & Religioſis in Epiſcoporum lęſionem, per Romanos Pontifices, & Sedem Apoſtolicam factas, in certis caſibus tunc expreſſis, Sacro Laterannenſi (4) approbante Concilio, duximus moderandas. Verum quia a nonnullis nimium curioſis, forſitan heſitari, & diſſeminari poſſet, quod ex dicta moderatione alia Religioſorum privilegia eſſent annihilata, & Religioſis ex hoc moleſtię, gravamina, & damna inferri, ſcandalaque, & lites excitari veriſimiliter poſſent, Nos Religioſorum ipſorum paci, & quieti, ac indemnitati, conſulere volentes, tenore prędentium, Apoſtolica auctoritate, omnia & ſingula privilegia Religioſorum Mendicantium, a quibuſvis Romanis Pontificibus, Prędeceſſoribus noſtris, vel a Nobis, aut aliis auctoritatem habentibus, in genere, vel in ſpecie, conjunctim, vel diviſim conceſſa, ſalvis dictis moderationibus, in ſuo robore permanere declaramus. Et nihilominus ad abundantiorem cautelam Privilegia ipſa cum dictis modificationibus motu proprio innovamus, diſtricte prędcipiendo, mandantes Eccleſiarum Prępatis, ut Religioſos ſuper aliis privilegiis hujuſmodi moleſtare non prędumant, ſed ſua in eis jura, & privilegia inviolabiliter obſervent. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & omnibus iis, quę Romani Pontifices, Prędeceſſores noſtri, & Nos in quibuſcunque literis privilegiorum hujuſmodi volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Et quia difficile foret prędentes literas originales ad ſingula loca, in quibus opus foret, deſtinare, volumus, & dicta auctoritate decernimus, ut earum tranſumptis manu Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti munitis, eadem fides in judicio, & extra, ubicunque locorum fuerint producta, adhibeatur, & eis ſtetur, ſicut originalibus ipſis, ſi exhibitę forent vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XIV Maii MDXVII Pontificatus noſtri Anno Quinto. Confirmatio.

1. *Privilegia*.) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo*.
2. *Bullario*.) Legitur etiam in Bullario *Carmelitano Parte I pag.* 463.
3. *Superioribus diebus*.) *XIX* Decembris *MDXVI*.
4. *Lateranen.*) *V.*

Ta-

Anno 1517 Die 19 Maii.

Tabienſi (1) Cœnobio beneficium eccleſiaſticum confert.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LVI. Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

AD Apoſtolicę dignitatis apicem divina diſpoſitione vocati &c. (3). Dudum ſiquidem omnia beneficia eccleſiaſtica, apud Sedem Apoſtolicam, tunc vacantia &c. Cum autem poſtmodum Eccleſia B. Marię Novę de Caneto Albiganen. (4) Dięceſis, quę Prioratui ejuſdem S. Marię etiam de Caneto, prope, & extra oppidum de Tabia Ordinis S. Benedicti dictę Dięceſis, quam dilectus filius Johannes Baptiſta Birguntin. Clericus ejuſdem Dięceſis, ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica, in commendam obtinebat, Apoſtolica auctoritate perpetuo unita, annexa, & incorporata erat, a qua unione, annexione, & incorporatione prędictis ipſius Johannis Baptiſtę, ad id per dilectum filium Hieronymum de Rogueriis de Tabia Clericum Albiganen. Dięceſis, Procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, expreſſo accedente conſenſu, harum ſerie diſſolvimus, per diſſolutionem eandem apud Sedem prędictam vacaverit, & vacet ad pręſens, nulluſque de illa pręter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit &c. Et, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum moderni Prioris, & Fratrum Domus ejuſdem B. Marię de Miſericordia, etiam de Tabia, Ordinis Prędicatorum, dictę Dięceſis, petitio continebat, quod Domus prędicta, propter intemperiem aeris, quę inibi, pręſertim tempore ęſtivo, evenit, in loco Fratribus ipſius Domus pro tempore inhabitantibus ſanitati contraria exiſtat, & propterea dicti Fratres dicto tempore intemperiei aeris hujuſmodi, eandem domum relinquere, & ad Villas, & alia loca circum circa, ſe conferre coguntur, ſi dicta Eccleſia, quę prope dictum Prioratum ſita exiſtit, Sacriſtię dictę Domus perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, profecto ipſi, & pro tempore exiſtentes Prior, & Fratres ipſius Domus, haberent locum ſalubrem, ad quem tempore indiſpoſitionis hujuſmodi declinare, & pericula hujuſmodi evitare poſſent, ac ex hoc commoditati, & ſanitati plurimum conſuleretur, pro parte eorundem moderni Prioris, & Fratrum, aſſerentium, ſe in dicta Domo ſub regulari obſervantia vivere, ac fructus, redditus, & proventus dictę Eccleſię, nullos, ſeu adeo tenues exiſtere, ut quinque Ducatorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedant, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam prędictam pręfatę Sacriſtię perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur, exprimere verum annuum valorem, ſecundum extimationem prędictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret, ad partes, vocatis quorum intereſſet, modernum Priorem, & Fratres pręfatos, ac eorum ſingulos a quibuſvis Excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, ac fructuum, reddituum, & proventuum dictę Sacriſtię, verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Eccleſiam prędictam, quę ſine cura eſt, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex cujuſcunque perſona, ſeu per liberam reſignationem cujuſvis de illa in Romana Curia, aut extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem prędictam devoluta, ipſaque Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter, aut alias generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea, inter aliquos lis &c. pendeat indeciſa, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Sacriſtię auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat eiſdem Priori, & Fratribus, per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum prędictarum, propria auctoritate, libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus, in ſuos, & Sacriſtię, ac Eccleſię prędictarum uſus, & utilitatem convertere, Dięceſani loci, ac aliorum, ſeu Commendatarii, vel Prioris Monaſterii, ſeu regularis loci, a quo dictus Prioratus dependet, aut cujuſvis alterius, licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus voluntate noſtra prędicta, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus &c. quibuſcunque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi &c. literas impetrarunt &c. Quas quidem literas &c. ad dictam Eccleſiam, volumus non extendi &c. & quibuslibet aliis privilegiis &c. proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, dicta Eccleſia propterea non fraudetur obſequiis &c. Nos enim &c. irritum decernimus, ſi ſecus &c. contigerit attentari. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Sexto Decimo (5), Quarto decimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Mandatum.

1. *Tabienſi.*) Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CV fol. 67.*
3. *Vocati &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Albiganen.*) Seu *Albingaunen.*, vulgo *Albenga* in *Liguria*.
5. *Sexto decimo.*) Hic errat amanuenſis, vel enim legendum *Decimo ſeptimo*, vel ſcribendum: *Pontificatus noſtri Anno Quarto*, ut ex ſe patet.

F. Thomas (1) de Vio Cajetanus, Generalis Magiſter Ordinis, Presbyter Cardinalis creatus, ejuſdem Ordinis curam gerat uſque ad proximum Capitulum Generale.

Anno 1517 Die 1 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio noſtro Thomę S. R. E. Presbytero Cardinali Cajetano. LVII.

L E O PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hodie inducti probitate, prudentia, doctrina, rerum agendarum experientia, moribus probatis, religione, & aliis pręſtantibus virtutibus, & meritis tuis, te, Magiſtrum Generalem Ordinis Prędicatorum, in numerum, & conſortium aliorum ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium vocavimus, & aſcivimus, Nobis procul dubio promittentes, quod tu, eiſdem virtutibus tuis ſuffragantibus, non ſolum hujus S. Sedis honorabile membrum, verum etiam in gerendis arduis rebus, quę Nobis, & huic Sanctę Sedi, quotidie incumbunt, maximum adjumentum eris, in qua quidem tua ad tantam dignitatem promotione, Nos, conſiderantes, quod tu majorem facultatem habebis Religioni etiam tuę proficua faciendi, & gerendi, decrevimus, prout etiam per pręſentes, decernimus, quod officium Generalatus tui ob hujuſmodi promotionem, non vacet, ſed tu illud, uſque ad proximum Capitulum Generale, in dicta tua Religione celebrandum, retinere cum omnibus honoribus, oneribus, facultatibus, & emolumentis, quodque tu dictum officium cum eiſdem honoribus, oneribus, facultatibus, & emolumentis continuare, & in eo perſeverare perinde, ac ſi ad eandem dignitatem promotus non fuiſſes, poſſis, & valeas. Mandantes omnibus, & ſingulis Pręlatis, ſeu Patribus, & aliis quibuſcunque Fratribus dicti Ordinis, in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis pęna, ut te dictum officium, uſque ad dictum tempus abſque aliqua controverſia, & renitentia continuare, & in eo perſeverare permittant, tibique, & mandatis tuis, obedientiam pręſtent, & exhibeant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſvis verborum formis, per quoſcunque Romanos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, ac etiam per Nos eidem Ordini, & illius ſuperioribus conceſſis, confirmatis, approbatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis, etiam in Mari magno nuncupato, contentis, quibus omnibus, etiamſi caveatur expreſſe, quod ſi Magiſter Generalis dicti Ordinis, ad aliquam eccleſiaſticam dignitatem, vel officium promoveatur, officium ipſum Generalis Magiſtri, ſtatim vacare cenſeatur, illorum omnium tenores, ac ſi de verbo, ad verbum pręſentibus inſererentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die Prima Julii MDXVII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Ja. Sadoletus.

1. *Thomas*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo*.) In quo autographum.

Ratam habet Ulyſſipponen. (1) Collegii S. Thomæ fundationem.

Anno 1517 Die 10 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. LVIII.

Dum mente complectimur, & grata meditatione penſamus ſalubriter expedire &c. (3) Sane pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Emanuelis (4) Portugallię, & Algarbiorum Regis illuſtris, nnper Nobis exhibita, petitio continebat, quod alias ipſe, ad univerſalis Eccleſię decus, & rerum divinarum uberiorem cognitionem, ex qua ſalus ubique proveniat animarum, & ob ſingularem, quem ad S. Dominicum, & B. Hieronymum, & eorum profeſſores Ordinum gerit devotionis affectum, apud domum ejuſdem S. Dominici Ulysbonen. Ordinis Fratrum Prędicatorum, unum Hoſpitium, ſive manſionem cum Capella ſub vocabulo S. Thomę, & refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis pro Collegio viginti Fratrum in artibus, & Theologię ſtudio vacare volentium, quorum quatuordecim Prędicatorum, & reliqui ſex B. Hieronymi, ſint Ordinum profeſſores, conſtrui, & ędificari fecit, fundavit, & ſufficienter dotavit, & in ultra voluit, ſtatuit, & ordinavit, quod dicta domus Collegialis, & dictorum viginti Fratrum Collegium per nnum Rectorem ex gremio Fratrum Ordinis Prędicatorum per ipſos, tam Prędicatorum, quam B. Hieronymi Ordinum Collegiales Fratres eligendum, regatur, & gubernetur, & ejus electio in Provinciali Capitulo dicti Ordinis Prędicatorum Provincię Portugallię juxta ejuſdem Prędicatorum Ordinis morem, vel ex decreto ipſius Provincialis Capituli per Provincialem dictę Provincię Priorem confirmetur, duretque ejus officium, donec in proximo futuro Capitulo Provinciali, aut per ipſius Provincialem Priorem eligatur Prior Conventualis dictę domus Sancti Dominici. Quare pro parte dicti Emanuelis Regis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut fundationi, dotationi, voluntati, & ordinationi prędictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolicę confirmationis robur adii-

Diplomatis cauſa.

Confirmatio. adiicere dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tenore preſentium, dotationem, fundationem, voluntatem, & ordinationem predictas, ac omnia, & ſingula quecunque approbamus, & confirmamus, & in perpetuis, futuris temporibus inviolabiliter obſervari debere, decernimus, ac licentiam, & facultatem elargimur, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinum predictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominice Milleſimo Quingenteſimo Decimoſeptimo, Sexto Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Ulyſſipponen.*) In *Portugallia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*.
3. *Expedire &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Emanuelis*.) Cognomento *Fortunati*.

Anno 1517 Die 20 Auguſti.

Confraternitatem Paſſionis D. N. J. C., & Compaſſionis B. Mariæ Virginis in Argentinen. (1) ædibus ſacris Fratrum Prædicatorum conſtitutam, privilegiis, & indulgentiis ornat.

LIX.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. ILlius, qui pro Dominici ſalvatione gregis in ara Crucis immolari non abnuit &c. (3) Sane pro parte dilectorum filiorum Confratrum Confraternitatis ſub invocatione Paſſionis D. N. J. Chriſti, & Compaſſionis B. Marie Virginis, ejus Genitricis, in Eccleſia domus S. Dominici Argentinen. Ordinis Fratrum Predicatorum inſtitute, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias nonnulli Cives Argentinen. pia devotione, quam ad Paſſionem Domini Noſtri, & Compaſſionem B. Marie ejuſdem gerebant ducti, ad Omnipotentis laudem Dei, & honorem, ac dicte Paſſionis memoriam, unam laudabilem, utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitatem ſub dicta invocatione in prefata Eccleſia inſtituerant, & ordinaverant, ac pro felici directione, & conſervatione dicte Confraternitatis nonnulla conſtitutiones, ſtatuta, & ordinationes laudabilia, & boneſta, ac ſacris canonibus non contraria ediderunt, necnon inſtitutiones, conſtitutiones, & ſtatuta predicta, ac omnia, & ſingula in eis contenta ordinaria auctoritate approbata, & confirmata fuerunt, prout in quibuſdam inſtrumentis publicis, ſeu aliis literis authenticis, deſuper reſpective confectis, dicitur plenius contineri, ipſique Confratres, ad inſigendum arctius mentibus hominum memoriam immenſe caritatis Ipſius Domini N. J. Chriſti Nobis oſtenſe, Paſſionem hujuſmodi, cum multis figuris certis temporibus, devote repreſentare, ſeu memoriam ipſius Paſſionis celebrare conſueverunt. Quare pro parte dictorum Confratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut inſtitutioni, conſtitutionibus, ſtatutis, & ordinationibus, ac confirmationi predictis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolice confirmationis adiicere, ac alias in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingulos Chriſti fideles, ad pietatis opera, quantum cum Deo poſſumus, excitamus, ac animarum ſalutem, ſinceris affectibus deſideramus, prefatos Confratres, & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, inſtitutionem, conſtitutiones, ſtatuta, & ordinationes, ac confirmationem predictas, ac prout illa concernunt omnia, & ſingula in dictis inſtrumentis, ſeu literis contenta, & inde ſecuta quecunque, quatenus ſint licita, & honeſta, auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium approbamus, & confirmamus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus pro potiori cautela Confraternitatem predictam, de novo eiſdem modo, & forma, auctoritate, & tenore predictis erigimus, & inſtituimus, ac eiſdem Confratribus, ut ſupra aliquod Altare dicte Eccleſie venerabile Sacramentum Euchariſtie in tabernaculo, ſeu vaſo cryſtallino tranſparente, abſque velamine, bis ſingulis annis, videlicet, in qua Introitus Miſſe incipit: Miſericordias Domini, & per octavas feſti Corporis Chriſti Dominicis diebus a primis veſperis, uſque ad occaſum Solis poſt ſecundas veſperas earundem dierum incluſive decenter tenere, ac eiſdem diebus, predictam Eccleſiam, & illius circuitum proceſſionaliter, & ſolemniter cum debitis reverentia, & honore, ac ceremoniis deferri, & per Fratres dicte domus, aut alios cujuſcunque Ordinis regulares, vel ſeculares Presbyteros, etiam tempore interdicti, ordinaria auctoritate, appoſiti, quandocunque, clauſis januis, non pulſatis campanis, excommunicatis, & interdictis prorſus excluſis, & ſubmiſſa voce Miſſas, & alia divina officia in dicta Eccleſia celebrari, & primodicta de Compaſſione ejuſdem B. Marie Virginis, & altera diebus Dominicis hujuſmodi de Paſſione ejuſdem Domini noſtri ſolemniter decantari, ac eorundem Confratrum, pro tempore decedentium cadavera cum funerali pompa eccleſiaſtice ſepulture tradi facere, libere, & licite valeant, Diecefani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, eiſdem auctoritate Apoſtolica, & tenore, de ſpeciali gratia, indulgemus. Et inſuper, ut Confraternitas predicta decentius manuteneatur, ac Chriſti fideles eo libentius devotionis cauſa, ad eandem Eccleſiam confluant, necnon Miſſis, veſperis, & aliis divinis officiis, in dictis diebus celebrandis, ac Proceſſionibus hujuſmodi libentius interſint, & pro manutentione dicte Confraternitatis, & ſupportatione onerum, illi pro tempore incumbentium, manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono celeſtis gratie conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum, ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui Eccleſiam predictam in dictis diebus, & temporibus, devote viſitaverint, & celebrationi Miſſarum, veſperarum, & aliorum divinorum officiorum, necnon Proceſſionibus hujuſmodi interfuerint, ac pro manutentione, dicte Confraternitatis, manus adjutrices porrexerint, omnes, & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſ-

Diplomatis cauſa.

Indultum.

Nota,

remiſſiones, quę per felicis recordationis Urbanum V, & alios Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros intereſſentibus, Miſſis, & veſperis dicti feſti Corporis Chriſti conceſſa fuerunt, elargimur, qui vero ad ſupportationem onerum hujuſmodi, etiam manus porrexerint adjutrices, necnon ipſis Confratribus, & aliis perſonis, qui exequiis Confratrum pro tempore decedentium hujuſmodi interfuerint, ac eorum cadavera ad ſepulturam aſſociaverint, pro qualibet vice, qua id fecerint, decem annos, & totidem quadragenas, de injunctis eis pęnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo ſeptimo, Tertio decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Argentinen.*) Vulgo *Strasbourg*, in *Alſatia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLVIII fol.* 163.
3. *Abnuit &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Garexien. (1) Cœnobium committit curæ Vicarii Generalis Congregationis Lombardiæ.

Anno 1517 Die 19 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LX.

Dilecto filio Vicario Generali utriuſque Lombardię.

LEO PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXponi Nobis fecit dilectus filius Carolus ex Marchionibus Cevę (3) ſuo, & dilectorum filiorum, ceterorum Marchionum ejus conſortum, & Univerſitatis Oppidi Garexii, Alben. Diœceſis, nomine, quod cum in Domo S. Vincentii dicti Oppidi Ordinis Fratrum Prędicatorum a multis annis citra, regularis uſque adeo diſciplinę norma, & Fratrum numerus, & Divinorum cultus defecerit, ut fere proſtrata ibi omnino videatur religio, & ipſius Domus bona peſſime diſpenſentur, propter eaque ipſorum Marchionum, & incolarum atque habitatorum dicti oppidi devotio erga ipſius Domus Fratres, penitus ſit extincta, & ſi prędicta Domus Congregationi tuę, per ejus Fratres habitanda, & regenda concederetur, reintegraretur labefacta Religio, inſtauraretur divinus cultus, rediret fidelium devotio, & ſub ipſius Congregationis Fratrum regularis obſervantię ſuavitate, & exemplaris vitę ſpiritu, tam Domus prędictę in ſpiritualibus, & temporalibus incremento, quam Marchionnm, incolarum, & habitatorum prędictorum animarum ſaluti, & ſpirituali conſolationi, opportunius conſuleretur, ipſique Carolus, & alii Marchiones, & Univerſitas ad Domum in ſuis ędificiis reficiendam, & Fratrum in eam introducendorum vitę ſubſidium, pia eorum ſuffragia, libenter conferrent. Quare idem Carolus Marchio Nobis dictis nominibus, humiliter ſupplicari fecit, ut ejus & aliorum Marchionum, ac Univerſitatis prędictorum, piis, & ſalubribus votis in hac parte, favorabiliter annuere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, & dilecti filii noſtri Thomę (4) Tituli S. Sixti Presbyteri Cardinalis, qui etiam totius dicti Ordinis Magiſter Generalis exiſtit, ad hoc accedente conſenſu, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, Domum prędictam a Provincialis Prioris Provincię Lombardię ſuperioritate, juriſdictione, & auctoritate prorſus ſejungimus, & ſeparamus, eamque cum illius Eccleſia, & officinis, libris, calicibus, crucibus, candelabris, veſtibus, paramentis, ſuppellectili, ac omnibus, & ſingulis aliis bonis mobilibus, & immobilibus Congregationi tuę, per ejus Fratres, juxta ipſius Congregationis laudabiles ritus, & mores, regendam, & habitandam, concedimus, & aliarum ejuſdem Congregationis Domorum numero aggregamus, & annectimus in perpetuum, ſalva tamen Magiſtri Generalis Ordinis pro tempore exiſtentis reverentia. Quocirca diſcretioni tuę, in virtute S. Obedientię, & ſub excommunicationis pęna, per hęc ſcripta, diſtricte pręcipimus, & mandamus, quatenus dictam Domum, pro dicta Congregatione, alio a Nobis ſuper hoc non expectato mandato, omni mora, & impedimento ceſſantibus, ſalva dicti Magiſtri Generalis obedientia, ut pręfertur, recipias, & in eam, ejectis inde Fratribus inibi ad pręſens degentibus, qui ſub dicta Obſervantia, & tua obedientia, remanere noluerint, aliquot tuę Congregationis Fratres in eo numero, ad quem ſuſtentandum ipſius Domus facultates, & dictorum fidelium ſuffragia, ſuppetent, introducas, & ſub dictę Obſervantię cultu, & religionis vinculo, ſic manutenere procures, ut exinde fructus, quos ſperamus, proveniant; ac Nos, & dicti Marchiones, & Univerſitas, tuam poſſimus diligentiam, atque induſtriam merito commendare. Nos enim eidem Domui, poſtquam ſub hujuſmodi fuerit obſervantia reformata, quod ea, & illius Fratres, omnibus, & ſingulis privilegiis, Indulgentiis, immunitatibus, favoribus, & gratiis ſpiritualibus, & temporalibus, quibus alię Domus Ordinis, & Congregationis prędictorum ſnb eadem obſervantia reformatę utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, utantur, potiantur, & gaudeant, per pręſentes concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis, & Congregationis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel qnavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIX Septembris MDXVII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Mandatum.

1. *Garexien.*) Seu *Garrexien.* in *Pedemontio*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Garexienſi.*
3. *Ceva.*) Oppidum eſt *Pedemontii*, vulgo *Ceva*, cujus arx munitiſſima.
4. *Thoma.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

Beneficium eccleſiaſticum unit Conventui Lucenſi (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

Anno 1517 Die 9 Novembris.

LXI.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

INjunctum Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officium &c. (3). Sane pro parte dilectorum filiorum moderni Prioris, & Fratrum Domus Sancti Dominici Lucen. Ordinis Fratrum Pręedicatorum Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias venerabilis Frater noſter Alfonſus Epiſcopus Cathanien. (4) habens, ad id, ut aſſerebat, ſpecialem a Sede Apoſtulica per ejus literas facultatem, illius vigore ex certis cauſis tunc expreſſis, Monaſterium S. Cypriani de Monte Cubeiro Ordinis S. Benedicti, Lucen. Diœceſis, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis Sacriſtię dictę Domus pro ornamentis, & luminaribus, ac aliis ejuſdem Domus neceſſitatibus ſupportandis, ſine tamen pręjudicio Abbatis dicti Monaſterii Apoſtolica auctoritate perpetuo univit, annexuit, & incorporavit, prout in literis dicti Alfonſi Epiſcopi, deſuper confectis, & ejus ſigillo munitis, dicitur plenius contineri, & deinde Monaſterio prędicto certo modo vacante, tunc Prior dictę Domus S. Dominici, & pręfati Fratres unionis, annexionis, & incorporationis huiuſmodi vigore poſſeſſionem, ſeu quaſi, regiminis, adminiſtrationis, ac bonorum dicti Monaſterii aſſecuti fuerint, ac ex tunc per viginti annos, vel circa, Prior, & Fratres dictę Domus, qui pro tempore fuerunt, Monaſterium ipſum, tanquam dictę Sacriſtię perpetuo unitum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis tenuerunt, & poſſederunt, prout tenent, & poſſident de pręſenti. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, a nonnullis de viribus unionis, annexionis, & incorporationis prędictarum hęſitetur, &, ſi dictum Monaſterium eidem Sacriſtię, de novo perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, profecto Prior, & Fratres predicti, onera ejus pro ornamentis, luminaribus, & aliis pręmiſſis incumbentia, facilius perferre, & ſe commodius ſuſtentare valerent, pro parte moderni Prioris, & Fratrum prędictorum, aſſerentium, fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii, & illi forſan annexorum ſeptuaginta ducatorum auri de Camera ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Monaſterium ipſum pręfatę Sacriſtię perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in premiſſis, opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica, aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum extimationem prędictam, etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret. & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, & in quorum manibus dilectus filius Gomerius Perez de las Marinas, Clericus dictę Diœceſis, aſſerens alias dictum Monaſterium, tunc certo modo vacans ſibi per eum quoad viveret tenendum, regendum, & gubernandum Apoſtolica auctoritate commendari conceſſum fuiſſe, ſeque pretextu conceſſionis hujuſmodi, literis Apoſtolicis deſuper non confectis, cauſam, quam ſuper eodem Monaſterio, contra Priorem, & Fratres Domus hujuſmodi, omneſque alios, ſua intereſſe putantes, movere intendebat &c. conſtitutioni &c. quod commiſſiones cauſarum gratię, Apoſtolicis literis non expeditis factę, non valeant, ea vice derogando, alię litere ſuper dicta conceſſione ante terminum, ad articulandum expedirentur, & interim dictum Monaſterium litigioſum non cenſeretur, certo cauſarum Apoſtolici Palatii Auditori committi, & per eum in illa ad nonnullos actus, citra tamen dicti termini obſervationem, procedi obtinuiſſet, conceſſioni commende hujuſmodi, etiam literis Apoſtolicis deſuper non confectis, hodie per dilectum filium Petrum de Parega Clericum Mindonien. Diœceſis procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, ſponte, & libere ceſſit, quique ceſſionem ipſam duximus admittendam, modernum Priorem, & Fratres prefatos, ac eorum ſingulos a quibuſvis Excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, ac dictę Sacriſtię fructuum, redditcuum, & proventuum verum annuum valorem, verumque, & ultimum dicti Monaſterii vacationis modum, etiamſi ex illo quęvis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa reſultet, pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Monaſterium prędictum, quod Conventu caret, quovis modo, aut ex quavis cauſa, ad Sedem Apoſtolicam, ſpecialiter, vel generaliter pertineat, dummodo tempore datę pręſentium, non ſit eidem Monaſterio de Abbate canonice proviſum, cum annexis hujuſmodi, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem Sacriſtię auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus. Ita quod liceat moderno, & pro tempore exiſtenti Priori, ac Fratribus Domus hujuſmodi per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem Monaſterii, & annexorum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum propria auctoritate libere continuare, ſeu de novo apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus, in ſuos, ac Sacriſtię, & Monaſterii prędictorum uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita; Non obſtantibus poſteriori voluntate noſtra prędicta, ac aliis Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, Monaſterium predictum in ſpiritualibus non lędatur, & in temporalibus detrimenta non ſuſtineat, ſed Eccleſię ipſius Monaſterii per duos Fratres dictę Domus ad nutum Priorum, & Fratrum ejuſdem Domus amovibiles deſerviatur in divinis, ac alia Monaſterii hujuſmodi congrua ſupportentur onera conſueta, & inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, unionis, annexionis &c. infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo ſeptimo, Quinto Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. Lu-

1. *Lucen.*) Vulgo *Lugo*, in *Hiſpania*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLVIII fol.* 145.
3. *Officium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Cathanien.*) Seu *Catanien.*, vulgo *Catania*, in *Sicilia*. Adeas *Pirrum* in *Sicilia Sacra*.

Præcepto ſatisfacit, qui diebus Dominicis in ædibus ſacris Fratrum Mendicantium audit Miſſam (1).

Anno 1517 Die 13 Novembris.

Ex Bullario (2) *Uſuſmaris pag.* 180.

L E O PP. X.

LXII.

Univerſis, & ſingulis pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INtelleximus quoſdam in dubium revocare, & perinde timoratis conſcientiis ſcrupulum iniicere, ſi Chriſti fideles, qui dominicis, & feſtis diebus extra Eccleſias ſuas Parochiales Miſſas audiunt in Eccleſiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Eccleſię pręcepto de audienda Miſſa ſatisfaciant. *Hujus Conſtitutionis cauſa.* Nos ambiguitatem hujuſmodi penitus tollere volentes, ut cum ſinceriori conſcientia fideles quique Deo Creatori ſuo ſerviant, *Declaratio.* auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium notum facimus, omnes Chriſti fideles utriuſque ſexus, qui non contempto proprio Sacerdote parochiali in Eccleſiis Fratrum Ordinum Mendicantium Dominicis, & feſtis diebus Miſſas audiunt, ſatisfacere pręcepto Eccleſię de Miſſa audienda, nec in aliquam labem peccati mortalis, pęnamve propterea incurrere. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunquę. Et quia difficile foret pręſentes literas noſtras originaliter ad loca, ubi opus foret, deferri, volumus, & decernimus, ut eorum tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Pręlati in dignitate eccleſiaſtica conſtituti, munitis ea fides, ubi opus fuerit, detur, quę originalibus ipſis daretur, ſi exhibitę forent, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII Novembris MDXVII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Miſſam*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII*.
2. *Bullario*.) Legitur etiam apud *Confettium pag.* 125. In *Bullario Romano* eſt *XXV*.

De conſtituendo Ferrandinenſi (1) Cœnobio.

Anno 1517 Die 11 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

L E O PP. X.

LXIII.

CUm in cunctis (3) negotiis, quę ad directionem regularis vitę, & illius inſtitutorum obſervantiam tendere dignoſcuntur, Romanum Pontificem, quem omnibus pręeſſe incommutabilis Dei voluntas, ordinavit, vacare deceat, his potiſſimum intendere eum convenit, per quę regulares ipſi, divinis mancipati obſequiis, cum jubilo, & exultatione divinam majeſtatem ſedulo collaudare valeant. *Exordium.* Expoſitum ſiquidem Nobis fuit pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus domus omnium Sanctorum olim Caſtri Ogian. (4) Ordinis Prędicatorum de obſervantia, Acherontin., & Materanen. Dięceſis, nunc vero Caſtri Ferandini (5) nuncupati, ac univerſitatis hujuſmodi Caſtri, *Diplomatis cauſa.* quod alias felicis recordationis Sixto Papę IV Prędeceſſori noſtro pro parte clarę memorię Ferdinandi (6) Regis Sicilię citra Pharum expoſito, quod Monaſterium omnium Sanctorum Caſtri Ogiani Ordinis Sancti Benedicti dictę Dięceſis, quod dilectus filius Franciſcus de Pomarico Clericus ex conceſſione Apoſtolica tunc in commendam obtinebat, quodque Conventu carebat, & illius fructus, redditus, & proventus in profanos uſus convertebant, in ſuis ſtructuris, & ędificiis penitus dirutum exiſtebat ita, ut lapis ſupra lapidem recte non ſtaret, quodque ſi ipſum Monaſterium, dicto Ordine, & abbatiali dignitate in eo ſuppreſſis, in domum pro Fratrum Ordinis Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum perpetuis uſu, & habitatione concederetur, profecto id in divini cultus augmentum cederet, & tunc incolę, ac habitatores dicti Caſtri, qui ad numerum quatuor millium aſcendebant, per prędicationem verbi Dei ab ipſis Fratribus audiendam, non modicum ſuſciperent incrementum, ac eorum devotio in dies augeretur, idem Prędeceſſor, pręfati Regis, aſſerentis ſe Dominum dicti Caſtri tunc exiſtere, fructus quoque redditus, & proventus pręd ictos viginta florenos auri de Camera ſecundum communem exiſtimationem, valorem annuum non excedere, ſupplicationibus inclinatus, certo judici in partibus illis per ſuas literas (7) dedit in mandatis, ut vocatis dicto Franciſco, & aliis, qui forent evocandi, de pręmiſſis omnibus, & ſingulis eorundem circumſtantiis univerſis ſe diligenter informaret, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repeririet, & dicti Franciſci ad id expreſſus accederet aſſenſus, Ordinem Sancti Benedicti, ac dignitatem Abbatialem hujuſmodi in eo ſupprimeret, & extingueret, ac in ſuppreſſionis, & extinctionis hujuſmodi eventum, Monaſterium ipſum cum illius Eccleſia, clauſtro, campanili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis officinis, ipſis Fratribus in eorum domum concederet, ſeu erigeret, necnon ejuſdem Ordinis Prędicatorum juxta illius morem Generali Vicario domum ipſam pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum accipiendam, & retinendam, licentiam largiretur, ipſi vero Franciſco quoad viveret, fructus, redditus, & proventus prędictos reſervare auctoritate Apoſtolica curaret, prout in ejuſdem Prędeceſſoris literis deſuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicuti eadem expoſitio ſubjungebat, anno trigeſimo, & ultra jam elapſo dicti Ordinis Prędicatorum Fratres Monaſterium prędictum tanquam eorum domum pacifice, & quiete poſſederint, & pręfatus Franciſcus de eorundem Fratrum manibus fructus,

reddi-

reddituς, & proventus antedictos, ſeu eorum loco certam annuam penſionem, de qua inter eos conventum extiterat, annuatim perceperit, prout percipit de pręſenti, & propterea veriſimile ſit, quod litera ipſius Prędeceſſoris juxta pręfati Regis ſupplicationem executioni demandetur, & dicti Fratres illarum, & proceſſuum deſuper habitorum vigore ipſius Monaſterii ſibi in domum conceſſi, ac bonorum illius poſſeſſionem aſſecuti fuerint, & per tempus prędictum, & ultra uſque ad illius ruinam poſtea ſubſecutam, pacifice etiam continuaverint, nihilominus, cum de executione, & proceſſibus ejuſmodi propter bella, quę in dicto Regno ſucceſſive, & diuturno tempore, viguerunt, aut aliter forſan non conſtet, Prior, & Fratres ante dicti dubitant, ſe ſuper illis moleſtari poſſe tempore procedente, eumque poſtmodum inclytę commemorationis Federicus (8) ejuſdem Sicilię Rex certis de cauſis caſtrum, & Monaſterium, ſive domum hujuſmodi funditus evertere feciſſet, ipſumque caſtrum in alium locum ab eo duobus paſſuum millibus diſtantem, qui nunc Oppidum Ferrandina vocatur, tranſtulerit, & dicti Fratres aliquam domum in eodem novo Oppido non habeant, propterea per illud quaſi vagabundi errare coguntur, unde pro eorundem Prioris, & Fratrum, ac univerſitatis, & hominum Oppidi Ferrandinę parte, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Fratrum commoditatibus, & univerſitatis prędictorum, ſpeciali conſolationis patrocinio in pręmiſſis conſulere, & domum prędictam a loco, in quo dictum Monaſterium olim fuerat ad locum in Oppido Ferrandinę per ipſam univerſitatem aſſignandum transferre de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos vero hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, harum tenore, domum prędictam ab eo loco, in quo Monaſterium omnium Sanctorum hujuſmodi olim fuerat, ad locum quem univerſitas pręfata in dicto Oppido Ferrandinę duxerit aſſignandum, cum omnibus, & ſingulis dicti Monaſterii, ſive domus dirutę mobilibus, & immobilibus, bonis, juribus, ac privilegiis, indultis, immunitatibus illius, auctoritate Apoſtolica, ſine alicujus pręjudicio transferimus, ac dictis Fratribus inibi Eccleſiam ſub invocatione S. Marię de Loreto cum campanili, & campana, necnon clauſtrum, refectorium, dormitorium, cęmeterium, hortos, & alias neceſſarias officinas conſtrui, & ędificari faciendi, ac in eis ſub timore Domini perpetuo habitandi, & de dictis bonis, eorumque fructibus, redditibus, & proventibus, ſalva tamen ea portione, quam dictus Franciſcus percipere conſuevit quandiu idem Franciſcus degerit in humanis duntaxat, & deinde in ipſorum Fratrum, & domus ſuſtentationem, uſum, & utilitatem integre convertendis libere, & licite diſponendi, ſine tamen juris alicujus, ut pręfertur, (9) harundem tenore literarum licentiam concedimus, & facultatem, quodque ad probandum ipſarum literarum legitimam executionem, & ſe illius vigore poſſeſſionem prędictam fuiſſe aſſecutos, alias quam per ejuſdem pacificę poſſeſſionis triginta annorum, & ultra, continuationem Prior, & Fratres ipſi minime teneantur, nec quod ad id a quoquam inviti cogi, aut compelli valeant, eis, de ſpecialis dono gratię indulgemus. Non obſtante pię memorię Bonifatii Papę VIII, etiam Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quivis Ordinis Mendicantium Fratres nova loca ad habitandum recipere valeant abſque Sedis Apoſtolicę licentia, & facultate faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de ipſa prohibitione mentionem, aliiſque conſtitutionibus Apoſtolicis, & ordinationibus, ac omnibus illis, quę idem Sixtus Prędeceſſor in ſuis literis ante dictis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XI Decembris MDXVII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Facultas.

1. *Ferrandinen.*) Juris eſt Provinciæ *Apuliæ*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex autographo *Ferrandinenſi*.
3. *Cum in cunctis*.) Inſcriptio deeſt.
4. *Ogiani*.) Aliis *Vegiani*. Oppidum fuit *Baſilicatæ* Provinciæ Regni *Neapolitani*. Ex ipſius ruderibus crevit *Ferrandina*, Ducatus titulo inſignita.
5. *Ferandini*.) *Ferrandini*.
6. *Ferdinandi*.) Hujus nominis *I*.
7. *Literas*.) Datas anno *MCCCCLXXIV* die *XX* Decembris.
8. *Federicus*.) Regnavit ab anno *MCCCCXCVI* ad *MDI*.
9. *Ut præfertur*.) Legerem *præjudicio*.

Anno 1517 Die 14 Decembris.

Ut in Hiſpalenſi (1) Collegio carnibus veſci poſſint.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXIV.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

EX debito paſtoralis officii aſtringimur &c. (3) Dudum ſiquidem venerabilis Fratris noſtri Didaci (4) Archiepiſcopi Hiſpalen. ſupplicationibus inclinati in Civitate Hiſpalen., unum Collegium viginti Fratrum Ordinis Prędicatorum Theologię ſtudere volentium, qui ſub regulari obſervantia collegialiter degerent, & quorum Fratrum, duodecim quandiu vellent, & Theologię operam darent, & reliqui octo per decennium tantum ibi morarentur, & ipſo decennio peracto ad domos e quibus miſſi pro tempore forent, reverti tenerentur, Apoſtolica auctoritate perpetuo ereximus, (5) & inſtituimus, prout in noſtris inde confectis literis, plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Didaci Archiepiſcopi petitio continebat, idem Didacus Archiepiſcopus, qui in dicta Civitate unum notabile Hoſpitium cum neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum Collegialium propriis ſumptibus conſtrui facere incepit, & illud perficere, ac pro eorundem Fratrum ſuſtentatione, tantum in bonis ſtabilibus, ac perpetuis juribus, ſeu redditibus, quorum fructus ad octingentorum ducatorum auri de Camera ſecundum communem extimationem valorem annuum aſcendunt, de bonis ſibi a Deo collatis eidem Collegio aſſignare proponit, ſeu aſſignare deſideret, quod in dicto Collegio, pro faciliori illius perſonarum corporalis ſalutis tutela, & meliori ad literas capeſſendas intellectuum ſtatu, eſus carnium, illis duntaxat diebus, & temporibus, quibus eſus hujuſmodi ab Eccleſia generaliter non interdicatur &c. (6) pro parte dicti Didaci Archiepiſcopi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ejus votis in hac parte, gratum aſſenſum pręſtare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica digna-

dignaremur. Nos igitur, prefatum Didacum Archiepiſcopum a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Rectori, & aliis Fratribus Collegialibus prędictis, & eorum familiaribus, & Miniſtris, ac dicti Ordinis Fratribus, & converſis, qui pro tempore fuerint, quod in dicto Collegio, quandiu in eo moram traxerint, quibuſvis diebus, ac temporibus, ab Eccleſia generaliter non prohibitis, totius tamen Adventus Domini, necnon diebus ante feriam cinerum, & vigiliarum Purificationis Beatę Marię Virginis, & Epiphanię, ac B. Dominici feſtivitatum diebus, duntaxat exceptis, carnibus veſci, abſque alicujus conſcientię ſcrupulo, etiamſi hoc expreſſe in regularibus prohibeatur dicti Ordinis inſtitutis, libere, & licite poſſint Apoſtolica auctoritate prefata, tenore pręſentium, de ſpecialis dono gratię indulgemus Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, & indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo ſeptimo, Decimo Nono Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Facultas.

1. *Hiſpalen.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLII fol.* 347.
3. *Aſtringimur &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Didaci.*) De quo in Appendicibus ad Pontificatum *Alexandri VI*, & *Julii II*.
5. *Ereximus.*) *Conſtitutione* XLVIII.
6. *Non interdicatur &c.*) Nonnihil deeſt.

Lucenſis (1) Monaſterii S. Catharinæ fundandi facultas.

Anno 1518 Die 4 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

LXV.

INter curas multiplices pro paſtoralis officii executione &c. (3) Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Margaritę relictę quondam Paulini de Paguinis de Luca, Sororis Tertii Ordinis S. Dominici de Pęnitentia nuncupati, & Magdalenę, etiam de Paguinis Monialis Monaſterii S. Nicolai Novelli Lucan. Ordinis S. Auguſtini ejus natę, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſę zelo devotionis accenſę, ac ob ſingularem, quem ad S. Dominicum, & Ordinem S. Auguſtini hujuſmodi, gerunt devotionis affectum, pro divini cultus augmento, & Religionis propagatione, in Civitate Lucan., de qua ſunt oriundę, in aliquo convenienti loco, per eas ad hoc cum Eccleſia, ſeu Capella, campanili humili, campanis, clauſtro, dormitorio, cęmeterio, & aliis neceſſariis officinis conſtrui, & ędificari faciendi unum Monaſterium dicti Ordinis S. Auguſtini ſub invocatione S. Catharinę de Senis pro una Prioriſſa, & Monialibus in eo recipiendis, quę ſub perpetua clauſura, ac cura, & habitu Fratrum Prędicatorum degant, perpetuo erigi, & inſtitui deſiderant. Quare pro parte dictarum Margaritę, & Magdalenę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in dicto loco, unam Eccleſiam cum campanili, campanis, clauſtro, dormitorio, refectorio, cęmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis prędictis, conſtrui, & ędificari faciendi, licentiam concedere, ac inibi unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſub dicta invocatione, ut pręfertur, erigere, & inſtituere, necnon eidem Magdalenę, ſi ipſam dicti erigendi Monaſterii regimini canonice pręfici contingat, duas alicujus Monaſterii dicti Ordinis S. Auguſtini, in quo regularis vigeat obſervantia, Moniales, per eam eligendas de earum, & ſui ſuperioris licentia, & conſenſu, in dicto erigendo Monaſterio pro illius directione ſalubri introducendi, & quas Magdalena, ac pro tempore exiſtens Monaſterii erigendi hujuſmodi Prioriſſa, quaſcunque honeſtas mulieres ibi profiteri volentes in ejuſdem erigendi Monaſterii Moniales recipiendi, & eis habitum exhibendi, & ab ipſis profeſſionem, per alias dicti Ordinis S. Auguſtini Moniales ſub habitu, & cura hujuſmodi degentes, emitti ſolitam, ſi illam in dicta, & pro tempore exiſtentis Prioriſſę manibus ſponte emittere voluerint admittere, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, pium, & laudabile dictarum Margaritę, & Magdalenę deſiderium hujuſmodi plurimum in Domino commendantes, ac ipſas Margaritam, & Magdalenam a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, dictis Margaritę, & Magdalenę in aliquo loco dictę Civitatis ad hoc convenienti, & honeſto, per eas ad hoc eligendo, unam Eccleſiam cum campanili, campanis, clauſtro, dormitorio, refectorio, cęmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis prędictis conſtrui, & ędificari faciendi, licentiam elargimur, ac inibi ſub dicta invocatione S. Catharinę de Senis unum Monaſterium dicti Ordinis S. Auguſtini pro una Prioriſſa, & Monialibus, quę ſub perpetua clauſura, atque habitu, & cura Fratrum Prędicatorum hujuſmodi degere debeant, ſine alicujus pręjudicio, perpetuo erigimus, & inſtituimus, necnon eidem Magdalenę, ſi eam ipſius Monaſterii S. Catharinę, regimini canonice pręfici contingat, duas alicujus alterius dicti Ordinis S. Auguſtini, Monaſterii, in quo regularis obſervantia vigeat, Moniales, per eam eligendas, de earum, & ſuperioris licentia, & conſenſu, in dicto Monaſterio S. Catharinę pro illius directione ſalubri introducendi, & tam ipſi Magdalenę, quam dicti Monaſterii S. Catharinę Prioriſſę pro tempore exiſtenti, quaſcunque honeſtas mulieres in eodem Monaſterio S. Catharinę profiteri volentes, & illius Moniales recipiendi, & eis habitum per Moniales Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum hujuſmodi geſtari ſolitum exhibendi, & ab eis profeſſionem per Moniales Ordinis S. Auguſtini ſub cura hujuſmodi degentes emitti ſolitam, ſi illam in ipſius pro tempore exiſtentis Prioriſſę manibus emittere voluerint, admittendi, ac Confeſſorem idoneum, de dictorum Fratrum gremio eligendi, plenam, & liberam concedimus facultatem. Et inſuper dicto Monaſterio S. Catharinę, & illius Prioriſſę, & Monialibus, quę pro tempore fuerint, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, & gratiis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, quibus alia Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum hujuſmodi degentium, Monaſteria, & eorum Prio-

Supplex petitio.

Facultas.

Prioriſſę, & Moniales in genere utuntur, potjuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gauderc libere, & licite valeant dicta auctoritate Apoſtolica, earundem tenore pręſentium, dc ſpecialis dono gratię indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, clargitionis, erectionis, inſtitutionis, conceſſionis &c. & indulti, infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo ſeptimo (4), Pridie Nonas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Lucenſis.*) In ejuſdem nominis Reipublicæ Metropoli, in *Italia*. Hujuſce Monaſterii meminit *Fontana de Romana Provincia Cap. III Tit. X pag.* 268.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLIII fol.* 33.

3. *Executione &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

4. *Decimo ſeptimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXVIII*.

Anno 1518 Die 29 Januarii.

Monaſterii prope Edimburgum (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXVI.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CAthedram pręeminentię paſtoralis in hac militanti Eccleſia, diſpoſitione Divina, meritis licet inſufficientibus, gubernantes &c. (3). Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Nobilium mulierum modernarum Domicellarum dc Setlon (4), & de Gleebewe (5), & de Baſſz (6) locorum S. Andreę (7) Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias ipſę, & quam plures probę, & devotę filię mulieres partium illarum, cupientes terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum gerunt devotionis affectum, ſtructuras, & ędificia, non ſine magnis expenſis, de bonis a Deo eis collatis in certo convenienti loco templum S. Johannis in Moro nuncupato, prope oppidum (8) Edimburgi dictę Diœceſis pro uſu, & habitatione Monialium Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, habitu, & ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, conſtrui, & ędificari fecerunt, & ſi in loco ſtructurarum, & ędificiorum hujuſmodi, unum Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum hujuſmodi pro triginta Monialibus in eo introducendis erigeretur, & inſtitueretur, ac dilecto filio moderno, & pro tempore exiſtenti in pręfato Regno Scotię dicti Ordinis Prędicatorum Provinciali, pręfatas moniales, uſque ad dictum numerum in dicto ſic erecto Monaſterio, introducendi, & ſic introductis Monialibus, ſtructuras, & ędificia hujuſmodi recipiendi, & inibi perpetuo inhabitandi, licentia concederetur, ex hoc profecto piis voluntatibus Domicellarum, & aliarum mulierum prędictarum, ac totius populi Regni Scotię hujuſmodi, cum divini cultus augmento, non parum conſuleretur. Quare pro earundem Domicellarum parte Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in loco ſtructurarum, & ędificiorum hujuſmodi, unum Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum hujuſmodi, pro triginta Monialibus hujuſmodi in eo introducendis erigere, & inſtituere, ac moderno, & pro tempore exiſtenti in dicto Regno Scotię Ordinis Prędicatorum hujuſmodi Provinciali, pręfatas Moniales, uſque ad dictum numerum in ſic erecto Monaſterio introducendi, & ſic introductis Monialibus ſtructuras, & ędificia hujuſmodi recipiendi, & inibi perpetuo inhabitandi, licentiam, & facultatem concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingulorum Chriſti fidelium conſolationem, & divini cultus augmentum noſtris potiſſime temporibus ſupremis exoptamus affectibus, pręfatas Domicellas, & earum quamlibet a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, unum Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum hujuſmodi pro triginta Monialibus in eo introducendis in loco ſtructurarum, & ędificiorum hujuſmodi, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſine alicujus pręjudicio, erigimus, & inſtituimus, ac moderno, & pro tempore exiſtenti Provinciali Ordinis Prędicatorum hujuſmodi in Regno Scotię, eaſdem Moniales, uſque ad dictum numerum in ſic erecto Monaſterio introducendi, eiſque ſic introductis Monialibus, ſtructuras, & ędificia hujuſmodi recipiendi, & inibi perpetuo inhabitandi, licentiam, & facultatem concedimus, pręterea, ut ipſe modernus, & pro tempore exiſtens Provincialis, curam, regimen, & adminiſtrationem Monaſterii erecti hujuſmodi, & in eo pro tempore introductarum & introducendarum Monialium habeant, earundem auctoritate ſtatuimus, & ordinamus, necnon pro tempore exiſtenti Provinciali hujuſmodi in virtute S. Obedientię, & ſub excommunicationis ſententia, diſtricte pręcipiendo mandamus, quatenus curam, regimen, & adminiſtrationem hujuſmodi, in ſe ſuſcipiens, normam, & regularia Inſtituta Ordinis S. Auguſtini hujuſmodi in dicto Monaſterio, obſervari facere, & pro tempore introductas, & introducendas in eo Moniales ad illa obſervanda, & ſecundum illa vivendum cogat, & compellat auctoritate noſtra, & nihilominus eidem ſic erecto Monaſterio, ac illius pro tempore exiſtentibus Monialibus, ut omnibus, & ſingulis gratiis, conceſſionibus, favoribus, indultis, immunitatibus, exemptionibus, prętogativis, Indulgentiis, & privilegiis, quibus alia Monaſteria Monialium hujuſmodi Ordinis S. Auguſtini in genere utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere, libere, & licite valeant, eiſdem auctoritate, & tenore indulgemus, non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c, quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo ſeptimo (9) Quarto Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Edimburgum.*) Vulgo *Edenburg*, in *Scotia* Regno.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib.CXLVI *fol.66.*
3. *Gubernantes &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Setlon.*) Fortaſſis *Seton*, ſic vulgo vocant *Segedunum.*
5. *Glesbevve.*) In *Scotia*.
6. *Baſſe.*) In eodem Regnō.
7. *S. Andrea.*) Seu *Andreapolitana*, vulgo *S.Andrevvs.*
8. *Oppidum.*) Urbs eſt regia.
9. *Decimo ſeptimo.*) Stylo Bullarum, ætæ communis *MDXVIII.*

Ut præcedens Diploma executioni mandetur.

Anno 1518 Die 29 Januarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXVII.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Eleſgnen. (2), & dilectis filiis Priori S. Andreę (3) ac Prępoſito de Crothon. S. Andreę Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis: Leo &c. ad perpetuam Rei Memoriam. Cathedram pręeminentię &c. (4) Quo circa diſcretioni veſtrę &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę literę vobis pręſentatę fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios, literas prędictas, & in eis contenta quęcunque, ubi, quando, & quoties opus fuerit, & pro parte earundem Domicellarum Ordinis Fratrum Prędicatorum hujuſmodi, fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, faciatis auctoritate noſtra literas, & in eis contenta hujuſmodi per quoſcunque inviolabiliter obſervari. Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus omnibus, quę in dictis literis voluimus non obſtare. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo ſeptimo (5), Quarto Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Libro *CXLVI fol.* 68.
2. *Eleſgnen.*) Sic amanuenſis: Legendum: *Glaſquen.*, vulgo *Glaſcovv*, in *Scotia*. ubi duæ duntaxat Archiepiſcopales Sedes, *Andreapolitana*, ſcilicet, & *Glaſquenſis*.
3. *S. Andrea.*) *Andreapolitan.*, vulgo *S. Andrevvs.*
4. *Praeminentia &c.*) Ut in præcedenti Conſtitutione ad finem uſque.
5. *Decimo ſeptimo.*) Stylo Bullarum, ætæ communis *MDXVIII.*

Neapolitana (1) Eccleſia S. Dominici interdicto immunis.

Anno 1518 Die 19 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXVIII.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ADmonet Nos ſuſcepti cura regiminis, & auctoritas officii Pontificalis inducit, ut circa ea per quę ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium perſonarum quieti conſulitur, & populi devotio, ac ſalus animarum, cum divini cultus conſervatione procuratur, ſicuti Nobis imminere conſpicimus, pręſertim dum id pia Catholicorum Principum expetunt vota, operoſis ſtudiis efficaciter intendamus. Sane pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli (3) Caſtellę, & Legionis, ac Sicilię Regis Illuſtris, & dilectorum filiorum modernorum Prioris, & Fratrum Domus S. Dominici Neapolitani Ordinis Fratrum Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet dicta domus inter alias dicti Ordinis totius Regni Neapolitani notabilis, & inſignis, multis etiam viris Religioſis, ſcientia, & vita exemplari, ac aliis virtutibus pręclaris, decorata exiſtat, frequenter tamen contingit, quod domus ipſa levibus, & minus juſtis cauſis, eccleſiaſtico ſubiicitur interdicto, unde cultus divinus, & Chriſti fidelium devotio minuitur, ſcandala quoque inter Religioſos in illa commorantes oriuntur, alia etiam inconvenientia ſequuntur. Quare pro parte Caroli Regis, qui, ut aſſerit, ad Eccleſiam domus prędictę, tanquam ad regiam Capellam, in qua multa Regum corpora ſepulta ſunt, ſingularem gerit devotionis affectum, ac Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prędictis, & pro tempore exiſtentibus Priori, & Fratribus dictę domus, in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui in Eccleſiis, & piis locis quibuslibet, divini cultus conſervationem, & augmentum, ac perſonarum in illis ſub religionis habitu Domino famulantium, quietem, libenter procuramus, modernos Priorem, & Fratres prędictos, ac eorum ſingulos, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, decernimus, & declaramus, quod de cetero perpetuo futuris temporibus, Eccleſia domus prędictę, ex quavis cauſa, & prętextu quarumcunque literarum Apoſtolicarum, in genere, vel in ſpecie, etiam de dicta domo, ſpecialem mentionem facientium, & quaſcunque clauſulas, etiam derogatoriarum derogatorias continentium, etiam cum pręſentium ſpeciali, & expreſſa derogatione concedendarum, eccleſiaſtico ſubiici non poſſit interdicto, niſi dum, & quando Eccleſia Neapolitan., ſimul cum tota Civitate, & aliis illius Eccleſiis eidem interdicto Apoſtolica auctoritate ſubiicietur, ſeu quando Fratres dictę domus cauſam interdicto dederint. Et ſi quando extra duos illos caſus contigerit per Nos, aut Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, Eccleſiam domus prędictę ſpecialiter, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, eccleſiaſtico ſubiici interdicto, Prior, & Fratres dictę domus, illud obſervare minime teneantur, donec Nobis, vel alio Romano Pontifici prędicto, infra quadraginta dierum ſpatium conſultis, de noſtra, vel ejus vo-

Exordium. Diplomatis cauſa. Nota. Indultum.

voluntate per ſecundam juſſionem fuerit mandatum, ut tale interdictum obſervetur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrę abſolutionis, decreti, & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem, hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo ſeptimo (4), Undecimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Jo. Camillettus.

1. *Neapolitana*.) In ejuſdem nominis Regni Metropoli.
2. *Archivo*.) In quo duplex Exemplar, authenticum unum, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib.CXLIX fol.* 132.
3. *Caroli*.) Hujus nominis *V*.
4. *Decimo ſeptimo*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXVIII*.

Anno 1518 Die 19 Februarii.

Ut præcedens Conſtitutio executioni mandetur.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

LXIX.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii S. Severini, & Archidiacono Eccleſię Neapolitan., ac Vicario venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Neapolitan. in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis: Leo &c. Ad Perpetuam Rei Memoriam &c. Admonet &c. (2). Quocirca &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, literas prędictas, ac in illa contenta quęcunque, ubi, & quoties opus fuerit, ac pro parte Caroli Regis, ac Priorum, & Fratrum Ordinis Fratrum Pręedicatorum Neapolitan., ſeu alicujus eorum, deſuper requiſiti fueritis, publicantes, ac eis in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra, Priorem, & Fratres pręedictos, decreto, & declaratione pręedictis, perpetuis futuris temporibus pacifice gaudere, non permittentes eos per quoſcunque deſuper quomodolibet indebite moleſtari, turbari, vel inquietari. Contradictores &c. compeſcendo; Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus &c., ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici &c. mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo Septimo (3), Undecimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.CXLIX fol.*133.
2. *Admonet &c.*) Ut in præcedenti Conſtitutione ad finem uſque.
3. *Decimo ſeptimo*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXVIII*.

Anno 1518 Die 1 Martii.

Tertiariæ (1) Cœlibem vitam ſimpliciter voventes, licet ſeorſim habitent, Privilegiis gaudent Fratribus Ordinis conceſſis.

Ex Bullario (2) *Uſuſmaris pag.*181.

LXX.

L E O PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

NUper (3) in Sacro Lateranenſi Concilio in reformatione privilegiorum Religioſis conceſſorum, Inter alia ſtatuimus, quod Fratres, & Sorores Tertii Ordinis, necnon Mantellati, corrigiati, bizocharę, cordellati, & alii quocunque nomine nuncupati in propriis domibus habitantes, ſepulturam ubi voluerint, eligere valeant, ſed die Paſchatis tantum Euchariſtiam, ac Extremam Unctionem, ceteraque eccleſiaſtica Sacramenta, Pęnitentię Sacramento duntaxat excepto, a proprio Sacerdote recipere, & ad onera, quę laicis incumbunt perferenda teneantur; Et, ne cenſura vileſcat Eccleſiaſtica, & minoris auctoritatis interdicti ſententia reputetur, iidem dicti Tertii Ordinis ad divina audienda nullatenus admittantur, ſi cauſam dederint interdicto, vel ipſam cauſam nutriant, aut foveant, aut dantibus conſilium, auxilium, vel favorem quoquomodo pręſtiterint. Collegialiter vero viventes, ſeu cum clauſtralibus habitantes, ac mulieres virginalem, ſeu cęlibem, aut caſtam vidualem, expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres Ordinis, cujus Tertię Regulę habitum geſtant, gaudere debeant, prout in Conſtitutione dicti Lateranen. Concilii, eodem approbante Concilio, deſuper edita, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, a quibuſdam nimium curioſis vertatur in dubium, an votum pręedictum de voto ſolemni Religionis intelligatur, cum illud tria ſubſtantialia comprehendat, obedientiam ſcilicet, paupertatem, & caſtitatem, & circa dictas mulieres virginalem, ſeu caſtam, & vidualem vitam ducentes, de virginitate, & caſtitate tantummodo mentio fiat; Nos ad tollendum omne dubium, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, harum ſerie, decernimus, & declaramus, quod in pręmiſſis de voto ſolemni religionis minime intelligi debeat, ita ut mulieres virginalem, aut cęlibem vitam ſimpliciter voventes, etiam in conſanguineorum, & affinium ſuorum, aut propriis domibus, vel ſeorſum habitantes, privilegiis, & immunitatibus pręedictis in omnibus, & per omnia frui, & gaudere debeant. Non obſtantibus omnibus illis, quę in dicta Conſtitutione noſtra voluimus non obſtare. Ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę ſub annulo Piſcatoris Die Prima Martii MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Ter-*

1. *Tertiariæ.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIV.*

2. *Bullario.*) In *Bullario Romano* eſt *XXII.*

3. *Nuper.*) Conſulenda *Conſtitutio L.*

Scalingrarum (1) Monaſterii fundandi facultas. Anno 1518 Die 11 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Archidiacono Eccleſię Taurinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LXXI.

INjunctum Nobis deſuper, meritis licet inſufficientibus, Apoſtolicę ſervitutis officium &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Nobilium virorum modernorum condominorum Oppidi Scalingrarum ex Comitibus Ploſaſcbi Domicellorum Taurinen. Diœceſis, petitio continebat, quod ipſi pia devotione ducti, cupientes terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum Regularis obſervantię gerunt, devotionis affectum, & pro ſua, & ſuorum prędeceſſorum animarum ſalute, divinique cultus augmento, & Religionis propagatione, de bonis a Deo eis collatis in dicto Oppido Scalingrarum, ſeu illius territorio, & loco ad id apto, & idoneo ędificia pro uno erigendo Monaſterio, pro una Abbatiſſa, & Monialibus Ordinis S. Auguſtini, quę in illo ſub regulari Obſervantia, ac ſub cura, & viſitatione Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum, vivant, etiam regularis obſervantię, conſtrui, & ędificari facere, illudque decenter dotare, ſi ad id eis Apoſtolicę Sedis licentia ſuffragetur &c. preſentandi, ſeu deputandi Moniales, juxta facultates ipſius Monaſterii erigendi pro tempore, recipiendas, & per illius Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam pro tempore exiſtentem inibi ad habitum, & famulatum, ac Profeſſionem ejuſdem regularis obſervantię admittendas per Nos eis reſervetur, & concedatur. Quare pro parte dictorum condominorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in dicto Oppido, ſeu territorio Scalingrarum, loco convenienti ędificia pro uno erigendo Monaſterio Monialium dicti Ordinis cum Eccleſia, humili campanili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis Officinis neceſſariis, conſtrui, & ędificari faciendi, licentiam concedere, ac poſtquam ędificia hujuſmodi conſtructa fuerint, inibi unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis erigere, & inſtituere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum, ac religionis propagationem ubique vigere, & adaugeri, noſtris potiſſime temporibus, ſinceris deſideramus affectibus, pium, & laudabile propoſitum ipſorum condominorum plurimum in Domino commendantes, ac de idoneitate dilectę in Chriſto filię Manfrinę ex dictis condominis Scalingrarum Monialis Monaſterii Monialium loci Revelli (4) dicti Ordinis S. Auguſtini, ſub cura dictorum Fratrum degentium, Salverarum (5) Diœceſis, quę, ut aſſerit, Ordinem ipſum S. Auguſtini expreſſe profeſſa exiſtit, apud Nos de Religionis zelo, vitę, ac morum honeſtate, in ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque virtutum donis multipliciter commendata, certam notitiam non habentes, ac condominos, & Manfrinam pręfatos, ac eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati &c. diſcretioni tuę &c. mandamus, quatenus eiſdem condominis, In oppido, ſeu territorio prędicto, in loco ad id commodo, & convenienti, ac idoneo, ex bonis a Deo eis collatis, ędificia pro uno erigendo Monaſterio Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis conſtrui, & ędificari faciendi, licentiam concedere, ac, poſtquam ędificia hujuſmodi conſtructa fuerint, inibi unum Monaſterium ſub Invocatione, de qua ipſis condominis videbitur, pro una Abbatiſſa, & Monialibus dicti Ordinis S. Auguſtini, quę inibi ſub regulari obſervantia, & perpetua clauſura, & ſub cura, & viſitatione Fratrum Prędicatorum regularis obſervantię, & Provincię hujuſmodi, ac juxta providam ordinationem per ipſos condominos faciendam, & perpetuo, inviolabiliter obſervandam, Altiſſimo famulentur ſine alicujus prejudicio, erigere, & inſtituere, ac quod dictum erigendum Monaſterium, hac prima vice excepta, per Abbatiſſam biennalem per Conventum erigendi Monaſterii de biennio in biennium duntaxat eligendam (6), regatur, & gubernetur, & hujuſmodi electio, poſtquam facta fuerit, Apoſtolica auctoritate confirmata ſit, & eſſe cenſeatur eo ipſo, & finito dicto biennio Conventus pręfatę, eam, quę in Abbatiſſam fuerit electa, in Abbatiſſam de novo eligere nequeant, donec aliud biennium elapſum fuerit, & ſi ante lapſum biennium eligeretur, electio nulla ſit, quodque Abbatiſſa, & Conventus erigendi Monaſterii hujuſmodi, unum Confeſſorem dicti Ordinis Prędicatorum, Priorem nuncupatum, qui prope, & extra ipſum erigendum Monaſterium, cum uno ſocio, qui earum Confeſſiones audiat, & eas abſolvat, eiſque eccleſiaſtica Sacramenta miniſtret, ſimiliter hac prima vice excepta, de biennio, in biennium eligere poſſint, ſtatuere, & ordinare, ipſiſque condominis, poſtquam ędificia de propriis bonis eorum conſtructa, & Monaſterium hujuſmodi erectum, & dotatum fuerit, quod Moniales pro tempore recipiendę, & admittendę ad pręſentationem, ſeu monitionem ipſorum modernorum, & ſucceſſorum ſuorum condominorum in temporalibus dicti Oppidi Scalingrarum pro tempore exiſtentium, in ſtirpes, & non in capita, juxta tamen conſuetudinem, & portionem (7), ſeu ſaltem de eorum, vel majoris partis ipſorum conſenſu, & non aliter, recipiantur, & admittantur, ſeu recipi, & admitti debeant, indulgere, & nihilominus, de meritis, & idoneitate dictę Manfrinę, te diligenter informare, & ſi, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, per informationem hujuſmodi, eandem Manfrinam, ad regimen, & adminiſtrationem dicti erigendi Monaſterii poſtquam erectum fuerit, utilem, & idoneam eſſe repereris, eidem Manfrinę de prefato Monaſterio Revelli, cum una illius ſocia Moniali, ac earum dotibus, ad ipſum erigendum Monaſterium, poſtquam erectum fuerit, ſe transferendi, licentiam concedere, ac de perſona ejuſdem Manfrinę dicto erigendo Monaſterio, poſtquam erectum fuerit, ab ejus primeva erectione hujuſmodi tunc vacante

Diplomatis cauſa.

Facultas.

providere, ipſamque illi in Abbatiſſam pręficere, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius erigendi Monaſterii ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, ac faciendo ſibi a Conventu dicti Monaſterii, poſtquam erectum erit, & ad Conventualitatem devenerit, obedientiam, & reverentiam congruentes, & ab aliis conſueta ſervitia, & jura ſibi ab ais debita exhiberi, necnon dilectum filium Johannem Mariam de Candreano dicti Ordinis Prędicatorum profeſſorem, quoad vixerit, licentia Superioris ſui deſuper obtenta, Confeſſorem Abbatiſſę, & Monialium erigendi Monaſterii hujuſmodi, conſtituere, & deputare, auctoritate noſtra, procures, Contradictores &c. non obſtantibus &c. Quibuſcunque, aut ſi Conventui prefatis &c. ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi &c. Nos enim eidem erigendo Monaſterio, & illius Abbatiſſę, & Conventui, ac Monialibus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, & exemptionibus, favoribus, gratiis conceſſionibus, Indulgentiis, ac indultis aliis Monaſteriis Monialium Ordinis S. Auguſtini, & regularis obſervantię hujuſmodi, & ſub cura dictorum Fratrum degentium, illarumque Abbatiſſis, vel Monialibus, per Sedem Apoſtolicam, & alias quomodolibet conceſſis, & concedendis, & quibus illa, & illę de jure, vel conſuetudine, ant aliaa, utuntur, potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere, libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali dono gratię indulgemus, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius, in omnibus ſemper ſalvo, ac eidem Manfrinę, ſi de perſona ſua eidem erigendo Monaſterio, cum erectum fuerit, provideri, ipſamque illi in Abbatiſſam pręfici, per te vigore pręſentium, contigerit, ut prefertur, a quoquam maluerit Catbolico Antiſtite, gratiam, & communionem dictę Sedis habente, munus benedictionis recipere valeat, ac eidem Antiſtiti, ut illud ſibi impendere, libere, & licite poſſit concedimus. Volumus autem, ut idem Antiſtes, qui prefatę Manfrinę, munus prędictum impendet, poſtquam illud ſibi impenderit, ab ea, noſtro, & Romanę Eccleſię nomine fidelitatis debitę, ſolitum recipiat juramentum juxta formam, quam ſub Bulla noſtra mittimus introcluſam, ac forma Juramenti hujuſmodi, quod ipſa Manfrina prękabit, Nobis de verbo, ad verbum per ejus patentes literas ſuo ſigillo munitas quanto citius deſtinare procuret, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Taurinen., cui dictum Monaſterium, ordinario jure ſuberit, nullum in poſterum prejudicium generetur. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo ſeptimo (8), Quinto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Nota.

1. *Scalingrarum*,) Seu *Scalengharum*, vulgo *Scalenghe* in *Pedemontio*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.CLIII fol.50.*
3. *Officium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Revelli*,) Vulgo *Revello*, in *Pedemontio*. Eſt Monaſterium juris Provincię *utriuſque Lombardię*, nobiliſſimis ſemper florens Monialibus.
5. *Salvtrarum*,) Sic amanuenſis; legendum; *Salutiarum*, vulgo *Saluzzo*, in *Pedemontio*.
6. *Eligendam*,) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.III.*
7. *Portionem*.) Turbatur videtur locus.
8. *Decimo Septimo*.) Stylo Bullarum, ęra communis *MDXVIII.*

Anno 1518 Die 14 Martii.

F. Raymundus Goſin (1) Inquiſitor Regni Franciæ conſtituitur.

Ex Archivo Ordinis.

LXXII.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Raymundo Goſin, Ordinis Fratrum Prędicatorum, in Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Conſiderantes &c. (2) hereſeſque, & errores eorundem in Regno Francię &c. Te in Regno predicto &c. Inquiſitorem facimus, conſtituimus, & deputamus &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo ſeptimo (3), Pridie Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Raymundus Goſin.*) Vir celeberrimus, cujus geſta poſſunt illuſtrari ex hoc Diplomate. Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MDXXXIV pag. 90.*
2. *Conſiderantes &c.*) Quę deſunt hic, habes in Conſtitutione *XI* data *I Aprilis MDXIV.*
3. *Decimo ſeptimo.*) Stylo Bullarum, ęra communis *MDXVIII.*

Anno 1518 Die 15 Martii.

Ulyſſipponen. (1) Monaſterii B. Mariæ de Roſario fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIII.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Blaſio Neto, & Bernerdo Salvago, Canonicis Eccleſię Ulyxbonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Animas lucrifacere Creatori intenſis deſideriis affectantes &c. (3) Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectę in Chriſto filię Johanne de Tayde mulieris Ulyxbonen., petitio continebat, quod ipſa zelo devotionis accenſa, quoddam oratorium ſub invocatione B. Marię Virginis de Roſario in Civitate Ulyxbonen. ędificare incepit, illudque perficere, & quod illud in unum Monaſterium pro una Priориſſa, & duodecim Monialibus Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum regularis obſervantię, degentibus, ędificare, & pro Prioriſſę, & Monialium hujuſmodi ſuſtentatione, redditus annuos ducentorum, & quinquaginta ducatorum auri de Camera ad minus dare intendit. Quare pro parte ejuſdem Johannę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut oratorium prędictum in Monaſterium Monialium dicti

dicti Ordinis perpetuo erigere, & inſtituere, ac illi, pro illius dote redditus aſſignandos prędictos applicare, & appropriare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem, ac divini cultus augmentum, noſtris potiſſime temporibus, ſinceris deſideramus affectibus, Johannam prędictam a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutam fore, cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę &c. mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, ſi eſt ita, oratorium prędictum in Monaſterium Monialium dicti Ordinis, cum Eccleſia, campana, campanili humili, cęmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque officinis neceſſariis pro una Prioriſſa, & duodecim Monialibus dicti Ordinis S. Auguſtini, quas dicta Johanna prima vice elegerit, ſeu nominaverit, quę inibi ſub cura dictorum Fratrum de obſervantia nuncupatorum, viverent; ſine alicujus pręjudicio perpetuo erigere, & inſtituere, ac illi pro ejus dote, redditus, per ipſam Johannam aſſignandos prędictos, perpetuo applicare, & appropriare, & quod Priorifſa, & Moniales hujuſmodi ejuſdem Monaſterii Eccleſiam illius, ad Eccleſiam ipſam mundandam, necnon illius Altaria ornandum, ac alia inibi faciendum, ingredi, necnon duas rectrices, ſeu plures ancillas, quę ſub perpetua clauſura, cum eiſdem Monialibus remanerent pro communi earundem Priorifſę, & Monialium ſervitio, & tam ipſa Priorifſa, & Moniales, quam Monaſterium, & Eccleſia hujuſmodi omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, indultis, pręrogativis, & gratiis, quibus Monaſteria, & Eccleſię, ac Priorifſę, & Moniales dicti Ordinis quomodolibet potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt in futurum, jure tamen Parochialis Eccleſię ſemper ſalvo, uti, potiri, ac gaudere, & dictę Johannę, toties relinquatur in anno cum una ſocia per eam quoties videbitur eligenda, dictum Monaſterium, de illius tunc ſuperioris licentia, ingredi, non tamen inibi pernoctare, libere, & licite valeant concedere, necnon dilecto filio Magiſtro Provinciali Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Portugallię ſecundum morem Ordinis Fratrum prędictorum hujuſmodi, quatenus Monaſterium prędictum ſub ſuis cura, & regimine recipiat, ac prout alia dicti Ordinis S. Auguſtini Monaſteria Monialium, abſque aliqua penitus differentia gubernet, & regat, mandare, auctoritate noſtra curetis. Non obſtantibus Apoſtolicis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo ſeptimo (4), Idibus Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Faculras.

Nota.

1. *Ulyſſiponen.*) Juris eſt Provinciæ *Portugalliæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLI fol. 11.*
3. *Affectantes &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Decimo ſeptimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXVIII.*

Declarat, ex decreto Concilii Lateranenſis (1) revocatam non eſſe facultatem, qua Fratres Grottulenſis (2) Cœnobii Sacramenta miniſtrant (3) Parochianis ejuſdem Oppidi.

Anno 1518 Die 15 Martii.

Ex Archivo (4) *Ordinis.*

LXXIV.

Dilectis filiis Vicario, & Conventui Domus B. Marię Majoris loci de Grottula Ordinis Fratrum Prędicatorum Acherontin. (5) & Materan. Diœceſis.

L E O PP. X.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis feciſtis, quod licet olim felicis recordationis Julius Papa II ad inſtantiam, & ſupplicationem Incolarum, & habitatorum Oppidi de Grotuls Acherontin., & Materan. Diœceſis, Eccleſiam B. Marię Majoris dicti Oppidi, quę olim Collegiata Eccleſia, & Parochialis fuerat, ſuppreſſo etiam exiſtente in illa titulo, & nomine Eccleſię Collegiatę vobis conceſſerat, & donaverat, ac licentiam dicta (6) Sacramenta Parochianis dictę Eccleſię tribuerat, voſque a tempore dictę conceſſionis in quieta, & pacifica poſſeſſione Sacramenta hujuſmodi miniſtrandi fueritis, pro eo tamen, quod olim Nos in Concilio Lateranen. nuper celebrato decrevimus, ne Religioſi cujuſvis Ordinis Sacramenta eccleſiaſtica Parochianis laicis conferre poſſent, ab aliquibus aſſeritur conceſſionem Julii Prędeceſſoris hujuſmodi revocatam eſſe. Nos, qui nuper inſtante dilecto filio noſtro Thoma (7) tituli Sancti Sixti Presbytero Cardinali veſtri Ordinis Generali vivę vocis oraculo declaravimus, per decretum Concilii hujuſmodi privilegio, ſeu literis per dictum Julium Prędeceſſorem vobis, ſeu dicto loco in particulari conceſſis derogatum non eſſe, veſtris indemnitatibus pręcavere volentes, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium de novo decernimus, per prędictum Decretum literis Julii Prędeceſſoris, vobis, ſeu loco prędicto in particulari conceſſis, in aliquo derogatum non eſſe, voſque literis ipſis de cetero libere, & licite uti poſſe, & debere, pręmiſſis ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Martii MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Lateranen.*) *V.*
2. *Grottulen.*) Aliis *Grottulenſis*, ſive *Griptulenſis*, ex loco, qui Griptulæ nuncupatur; Juris eſt Provinciæ *Apuliæ*.
3. *Miniſtrant.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*
4. *Archivo.*) In quo exemplar ex Autographo *Grottulenſi.*
5. *Acherontin.*) Aliis *Acheruntin.*; vulgo *Acerenza*, in Regno *Neapolitan.*, ubi *Materana* Metropolis. Utraque unita.
6. *Dicta.*) *Miniſtrandi eccleſiaſtica.*
7. *Thoma.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

In-

Anno 1518 Die 28 Martii.

Indulgentia (1) pro Capitulo Mediolanenſi (2).

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

LXXV.

L E O PP. X.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia. Nota.

CUm, ſicut accepimus, dilecti filii Fratres Prędicatores obſervantię Provincię Lombardię ſuum Capitulum Generale (4) in Conventu S. Marię Gratiarum extra muros Civitatis Mediolani celebraturi ſint, Nos cupientes, ut Chriſti fideles dictis Fratribus, quorum facultates ſatis exiguę ſunt, pro ipſo Capitulo celebrando, de alicujus ſubventionis auxilio ſuccurrant, Chriſtique fideles eo libentius, ac promptius manus eis porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus pęnitentibus, & confeſſis, ſeu pęnitendi, & confitendi propoſitum habentibus, qui Eccleſiam S. Marię Gratiarum dicti Conventus in quarta Dominica Menſis Aprilis proxime futuri a primis veſperis ipſius diei Dominicę, & duobus aliis ſequentibus diebus, uſque ad occaſum Solis incluſive, devote viſitaverint, & pro ſubventione, ac ſuſtentatione dicti Capituli, dictorumque Fratrum in illo convenientium, manus porrexerint adjutrices, & qui infirmi, aut legitime impediti fuerint, & eleemoſynas per alium miſerint, Plenariam ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem omnium peccatorum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, & elargimur, & ut fideles ipſi pro hujuſmodi Indulgentia conſequenda, aptiores reddantur, illamque, Deo propitio, facilius conſequantur, dilecto filio Priori Conventus dictę Eccleſię, tot Presbyteros idoneos regulares profeſſores ſui Ordinis, quot neceſſarios eſſe duxerit, in dicta Eccleſia dictis tribus diebus, & ante, & poſt octo diebus pro hujuſmodi conſequenda Indulgentia confluentium confeſſiones, diligenter audire, illoſque ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicę reſervatis, pręterquam contentis in Bulla Cęnę Domini, abſolvere, & eis pro commiſſis pęnitentiam ſalutarem injungere, necnon vota quęcunque, per eos, aut eorum aliquem forſan emiſſa, ultramarino, viſitationis Liminum Apoſtolorum Petri, & Pauli de Urbe, S. Jacobi in Compoſtella, B. Marię de Lauręto, religionis, & caſtitatis votis duntaxat exceptis, in ſuſtentationem prędictorum Fratrum, & Capituli convertere poſſint, & valeant, deputandi facultatem, & licentiam concedimus per pręſentes, inhibentes omnibus, & ſingulis commiſſariis per Nos, vel Pręſidentem Indulgentiarum fabricę Baſilicę Principis Apoſtolorum de Urbe, ac etiam Cruciatę deputatis, ſub excommunicationis latę ſententię pęna, ne contra pręſentium literarum noſtrarum tenorem, per ſe, vel alium, ſeu alios directe, vel indirecte quoquomodo ſe intromittere pręſumant. Necnon ſub ſimilibus pęnis, omnibus, & ſingulis, ad quorum notitiam pręſentes noſtrę pervenerint, mandantes, ut quotieſcunque requiſiti fuerint, pręſentes noſtras, qua decet caritate, ubi, & quando opus fuerit, publicent, Chriſtique fideles, ad ipsam Indulgentiam conſequendam hortentur, & excitent. Decernentes hujuſmodi Indulgentiam ſub revocationibus, aut ſuſpenſionibus quarumvis Indulgentiarum in favorem dictę fabricę, ac Cruciatę per Nos, aut Prędeceſſores noſtros quomodolibet factis, & conceſſis, minime comprehendi debere, ſed ab illis exceptam, & exemptam omnino exiſtere. Pręſentibus poſt dictos tres dies minime valituris. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Martii MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Evangeliſta.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Mediolanen.*) Nota quod Generale Capitulum *Romę* celebratum fuit hoc anno *MDXVIII* die *XXIII* Maii. Hoc in Capitulo Generalis Magiſter renunciatus eſt *F. Garſias de Loayſa, Hiſpanus*. Hinc Capitulum, cujus hic mentio, Provinciale fuit, licet ob amanuenſi *Generale* dicatur.
3. *Archivo.*) In quo autographum.
4. *Generale.*) Provinciale.

Anno 1518 Die 13 Aprilis.

Florentinum Cœnobium (1) S. Marię Novellę unitur Congregationi Lombardię.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXVI.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum.

L E O PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

ETſi pro cunctarum Religioſarum perſonarum ubilibet conſtitutarum domibus, & Conventibus a Regulari diſciplina collapſis ad frugem vitę melioris reducendis libenter adhibeamus ſolicitudinis noſtrę partes, pręcipue tamen id Nos facere convenit in Civitate Florentię, terra nativitatis noſtrę (3), quę peculiari quadam ſorte, divina diſponente clementia, nobis obvenit, ut ad ejus exaltationem, & ſpiritualem profectum religioſorum Domus ſumptuoſis operibus illic extructę, Conventuſque, in quibus regularis olim floruit diſciplina, Pontificatus noſtri miniſterio ad priſtinam ſuę profeſſionis obſervantiam reformentur, & exinde populus ſpiritualis ędificationis fructum percipiat. Sane intelleximus non

non ſine animi diſplicentia, Conventum Sanctę Marię Novellę (4) Ordinis Prędicatorum in dicta Civitate nativitatis noſtrę Florentia a regularium inſtitutionum obſervantia, quę olim inibi viguit, plurimum deſciviſſe, & reformatione quam maxime indigere, quę ſi fieret, non ambigimus, populum illius Nobis cariſſimum magna, & religioſę converſationis exempla, & ſanctę eruditionis documenta inde relaturum. Nos itaque ex debito paſtoralis Officii huic rei ſalubriter providere volentes, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, dictum Conventum Florentinum unimus Congregationi Lombardię dicti Ordinis, tibique committimus, & in virtute ſanctę obedientię ſub excommunicationis pęna diſtricte pręcipiendo mandamus, ut intra menſem a notitia pręſentium dictum Conventum adeas, & in capite, ac in membris reformes cum plenaria poteſtate, Priorem, & Officiales quoſcunque in eo deſtituendi, & de aliis, etiam Priore, pro hac vice providendi, Fratres ex Congregatione pręfata illic aſſignandi, eos, qui impręſentiarum illic degunt, & regularem vitam amplecti volunt, vel ibi retinendi, vel ad alios Conventus ejuſdem Congregationis, ut tibi videbitur, aſſignandi; Qui vero in regulari vita manere renuunt, ad ſuos ſuperiores pro habendis Conventibus mittendi, omniaque, & ſingula faciendi, quę ad illius Conventus veram reformationem inchoandam, & conſervandam judicaveris neceſſaria, & opportuna, etiamſi talia forent, quę mandatum exigerent magis ſpeciale, invocato, ſi, & quoties opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, ſalva tamen in omnibus, & per omnia obedientia Magiſtri Generalis pro tempore dicti Ordinis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutiſque, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, & indultis, ac literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis dicto Ordini, aut Provincię Romanę, vel pręfato Conventui Florentino, ſeu dictę Congregationi Lombardię, ejuſque pro tempore Vicario ſuo quibuſvis verborum formis, ac etiam derogatoriarum derogatoriis, annullatoriis, declaratoriis, irritativis, ac mentis atteſtatoriis, aliiſque efficaciſſimis, & inſolitis, ac neceſſario exprimendis clauſulis, etiam iteratis vicibus conceſſis, confirmatis, & innovatis, & nominatim ſi dictę Congregationi, ejuſque Vicario indultum eſſet, ut ad hujuſmodi reformationes faciendas etiam per literas Apoſtolicas compelli non poſſit, ſed liceat ei ſecundum expectare mandatum. Quibus omnibus, illorum tenores pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad pręmiſſa ſpecifice, & nominatim, motu proprio, & ex certa ſcientia, derogamus, nullique in pręjudicium pręmiſſorum ſuffragari volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Pręcipimus quoque in virtute ſanctę Obedientię tibi, & his omnibus, ad quorum notitiam per te hęc pervenerint, ne hanc futuram reformationem cuivis reveletis; aſtringentes te, ut illis, quibus hęc revelaveris, hoc pręceptum noſtrum ſignifices. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII Aprilis MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Nota.

1. *Cœnobium.*) Nunc juris eſt *Romanæ Provinciæ.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar in *Bullario Bononienſi* pag. 70.
3. *Nativitatis noſtræ.*) *Florentiæ* ſiquidem natus erat *Leo X* anno *MCCCCLXXV*, Patre *Laurentio Medices* matre *Clarice Urſina.*
4. *Conventum S. Mariæ Novellæ.*) Adeas *Fontanam de Romana Provincia Cap. II Tit. II pag. 78 &c.*

Civitatis Caſtelli (1) Cœnobium unitur Congregationi Lombardiæ.

Anno 1518 Die 13 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum,

L E O PP. X.

LXXVII.

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INtelleximus fide digna relatione dilecti filii Vitelli de Vitelliis de Civitate noſtra Caſtelli, Domum Sancti Dominici Ordinis Prędicatorum in Civitate noſtra Caſtelli a regularium inſtitutionum obſervantia deſciviſſe, & reformatione plurimum indigere, quę ſi fieret, ad populi illius Civitatis ſpiritualem conſolationem plurimum conferret. Nos itaque ex debito paſtoralis officii univerſum gregem noſtrę curę commiſſum, eos pręſertim, qui ſolemni profeſſionis voto ad regularem vitam ſectandam ſeſe aſtrinxerunt, ad ſalutis, & juſtitię ſemitam, quando ab ea declinarunt, reduci, & revocari, intenſis deſiderantes affectibus, ut ipſi ad meliora vitę frugem reducti exemplo ſuę religioſę converſationis, etiam reliquum populum, coram quo ad Dei gloriam lucere debent, reddant ſectatorem bonorum operum, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium dictam Domum unimus Congregationi Lombardię dicti Ordinis, tibique committimus, & in virtute ſanctę Obedientię ſub excommunicationis latę ſententię pęna diſtricte pręcipiendo mandamus, ut intra menſem a notitia pręſentium dictam Domum in capite ac membris reformes, cum plenaria poteſtate Priorem, & Officiales quoſcunque in eo deſtituendi, & de aliis, etiam Priore, pro hac vice providendi, Fratres ex dicta Congregatione Lombardię illic introducendi, eos, qui impręſentiarum illic degunt, & regularem vitam amplecti volunt, vel ibi retinendi, vel ad alias Domos dictę Congregationis, ut tibi videbitur, aſſignandi; Qui autem in Regulari vita manere recuſant, ad ſuos ſuperiores pro habendis Domibus mittendi, omniaque alia, & ſingula faciendi, quę ad illius Conventus veram reformationem inchoandam, & conſervandam judicaveris neceſſaria, & opportuna, etiamſi talia forent, quę mandatum exigerent magis ſpeciale, invocato, ſi, & quoties opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, ſalva tamen in omnibus, & per omnia obedientia Magiſtri Generalis pro tempore dicti Ordinis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutiſque, & conſuetudinibus

Diplomatis cauſa. Mandatum.

dicti

dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, & literis Apoſtolicis etiam in forma Brevis dicto Ordini, aut Provinciæ Romanæ, vel præfato Conventui Civitatis Caſtelli, ſeu dictæ Congregationi Lombardiæ, ſub quibuſvis verborum formis, vel clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, & inſolitis, & ſpecifice ſi dictæ Congregationi, ejuſque Vicario indultum eſſet, ut ad hujuſmodi reformationes faciendas, etiam per literas Apoſtolicas compelli non poſſit, ſed liceat ei ſecundum expectare mandatum. Quibus omnibus, illorum tenores pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad præmiſſa ſpecifice, nominatim, motu proprio, & ex certa ſcientia, derogamus, nullique in præjudicium præmiſſorum ſuffragari volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XIII Aprilis MDXVIII Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Civitatis Caſtelli.*) Seu *Tiſernatenſe*, vel *Tiphernatenſe*. Juris eſt Provinciæ *Romanæ*. Conſulendus *Fontana de Provincia Romana Cap. II Tit. XII pag.* 530.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononien. pag.* 71, ex autographo *Bononien.*

Anno 1518 Die 29 Aprilis.

De Vicario Generali (1) conſtituendo.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio noſtro Thomæ (3) tituli Sancti Sixti S. R. E. Presbytero Cardinali, Generali Magiſtro Ordinis Prædicatorum.

LXXVIII.

L E O PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a laude Cardinalis Cajetani.

Cum te ob ſingularem, quam de integritate, prudentia rerum gerendarum, doctrina, aliiſque virtutibus tuis in domino fiduciam gerimus, Legatione (4) fungi in Germaniam decreverimus, pro noſtris, & hujus S. Sedis Apoſtolicæ negotiis (5) arduis pertractandis, & ob id Ordini Prædicatorum, cui auctoritate noſtra in Generalatus officio præes, & præeſſe debes, & futuri Generalis Magiſtri electioni in proximo feſto Pentecoſtes (6) faciendæ, adeſſe non poſſis, Nos, providere volentes, ne Religio ipſa, & Ordo aliquid incommodi ex hoc ſuſtineat, & ſtatus ejus tranquillus interturbetur, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, tibi concedimus, & decernimus, ut ille, quem tu Vicarium tuum Generalem ſuper dicto Ordine inſtitueris, præſit etiam Generali Capitulo, & electioni futuri Generalis Magiſtri, ſitque Vicarius dicti Ordinis, & electionis uſque ad conſummatam electionem, cum plena poteſtate, quam hujuſmodi Generales Vicarii, ſive ex inſtitutionibus dicti Ordinis, ſive ex quibuſvis privilegiis habere conſueverunt. Præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus, & ſingulis dicti Ordinis profeſſoribus, & ei quomodolibet ſubjectis, ut hujuſmodi Vicario, quem inſtituendum duxeris, pareant, & intendant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutiſque, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, & indultis, ac literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis, dicto Ordini, aut cuivis ejus profeſſori conceſſis, quibus omnibus, illorum tenores pro ſufficienter expreſſis, & præſentibus inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſe, ex certa ſcientia, hac vice duntaxat derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIX Aprilis MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Ja. Sadoletus.

1. *Vicario Generali.*) Quod *F. Garſias de Loayſa* Vicarius Generalis renunciatus fuerit, auctor eſt *Fontana Monumen. Domin. Parte IV Cap. I ad an. MDXVIII pag.* 424 *col. II.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum.

3. *Thomæ.*) *Cajetano*, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

4. *Legatione.*) De qua in *Appendice* mox laudata dicetur.

5. *Negotiis.*) De quibus in *Actis Conſiſtorialibus* ſic habetur: *Die XXVI Aprilis MDXVIII Pontifex Maximus* (Leo X) *loco Cardinalis Farneſii Legati ad Maximilianum electum Imperatorem, & ad Regem Daciæ, pro fœdere faciendo contra Turcas, creavit Legatum Cardinalem F. Thomam de Vio tit. S. Sixti, voluitque quod enſem benedictum eidem Imperatori deferret .... Die V Maii F. Thomas de Vio Presbyter Cardinalis S. Sixti in publico Conſiſtorio fuit a Pontifice benedictus, atque more ſolito ad portam Populi ſociatus.*

6. *Feſto Pentecoſtes.*) Fuit hoc anno die *XXIII* Maii, Paſchâ ſiquidem celebratum fuerat die *IV* Menſis Aprilis. Litera Dominicalis erat *C.* Cyclus Solis *XV.* Cyclus Lunæ *XVIII.* Hinc emendandus *Fontana Monumen. Dominican. Parte IV Cap. I ad an. MDXVIII pag.* 424 *col. I*, ubi docet electionem *Garſiæ de Loayſa* (qui in Vigilia Pentecoſtes Generalis Magiſter hoc anno MDXVIII creatus eſt) *factam die X Maii.*

Ne quis a correctione ſibi facta provocet, & in ceteris appellationibus ordinem, quem præſcribit, intervertat (1).

Anno 1518 Die 29 Aprilis.

Ex Bullario Uſuſmarit pag. 181.

L E O PP. X.

LXXIX.

Univerſis, & ſingulis pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

ROmani Pontificis, in quo divina diſpoſitione poteſtatis plenitudo conſiſtit, providentia circunſpecta, ſtatum perſonarum quarunlibet, pręſertim ſub Religionis jugo degentium, diligenter intendens, ad ea partes ſolicitudinis interponit, per quę earundem perſonarum paci, quieti, & tranquillitati valeat provideri, & ad ea, quę propterea provide ſtatuta, & ordinata dicuntur fuiſſe, ut firma perpetuo, & illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis adiicit firmitatem, aliaſque deſuper ordinat, & diſponit, prout, perſonarum, & temporum qualitate penſata, id conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Sane per dilectum filium noſtrum Thomam (2) tituli S. Sixti Presbyterum Cardinalem, ac Magiſtrum Generalem totius Ordinis Prędicatorum, Nobis expoſito, quod licet olim Bonifatius (3), IX in ſua obedientia nuncupatus, ſtatuerit, & ordinaverit, quod nullus ex Fratribus Ordinis Prędicatorum, aut Sororibus ſub obedientia eorundem Fratrum degentibus, aliquem, ſeu aliquam ex Fratribus dicti Ordinis, vel Sororibus ſub dicta obedientia commorantibus coram aliquo judice, qui de dicto Ordine non eſſet ex quacunque cauſa convenire, ſeu conveniri facere, nec a correctione quacunque, ſeu alias ab aliquo Pręlato, ſeu Fratre dicti Ordinis, quavis occaſione, vel cauſa, appellare, aut contra eos querelam proponere poſſet, aut deberet, niſi prius coram Provinciali, ſeu Conventuali Priore, & Magiſtro, & ſucceſſive in Capitulo Generali dicti Ordinis, cauſam, vel querelam ſuam, verbo, vel in ſcriptis propoſuerit, prout in literis deſuper confectis plenius contineri dicitur, nihilominus nonnulli Fratres, & Sorores Ordinis, & obedientię hujuſmodi, coram privilegiorum ſuarum Provinciarum, Congregationum, Conventuum, perſonarum, vel totius Ordinis Conſervatoribus, vel Camerę Apoſtolicę Civitatis noſtrę Avinionen., vel aliis eccleſiaſticis, aut ſecularibus judicibus, ſeu Curiis conveniri; nonnulli etiam a correctione, vel abſolutione ſuorum officiorum appellare non formidant, unde Ordo prędictus laboribus, & impenſis plurimis gravatur, obedientia, & vita regularis enervatur, pluraque alia inconvenientia ſequuntur,

Diplomatis cauſa.

Inhibitio.

Nos, qui ad Ordinem prędictum, illiuſque perſonas ſingularem gerimus devotionis affectum, ejuſque ſtatum tranquillum plurimum deſideramus, literarum prędictarum tenorem pręſentibus pro ſufficienter expreſſo, & inſerto, habentes, ſtatutum, & ordinationem hujuſmodi, &, prout ea concernunt, omnia, & ſingula in dictis literis contenta, auctoritate Apoſtolica, motu proprio, & ex certa ſcientia tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ac perpetuę firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari decernimus. Supplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerunt in eiſdem. Ac pro potiori cautela, omnia, & ſingula etiam ſub excommunicationis latę ſententię pęna eo ipſo incurrenda auctoritate pręfata tenore pręſentium ſtatuimus, & ordinamus. Inhibentes ſub eadem pęna quibuſvis judicibus eccleſiaſticis, & ſecularibus, etiam Conſervatoribus privilegiorum dicti Ordinis, aut quarumcunque perſonarum, Congregationum, aut domorum, & Monaſteriorum ejuſdem, & Camerę Apoſtolicę Avinionenſis, ne querelas hujuſmodi Fratrum, & Sororum, contra alios Fratres, aut Sorores dicti Ordinis ſuſcipiant, vel de eis cognoſcant, & cauſas coram eis pendentes ad ordinarios judices dicti Ordinis remittant, ac quoſcunque proceſſus inter Fratres, & Sorores pręfatos coram aliis, quam judicibus ordinariis dicti Ordinis habendos, & ſententias ferendas, nullos etiam, invalidos, nulliuſque roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe, ſicque per quoſcunque judices, & commiſſarios, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, in qualibet inſtantia, pronunciari, & definiri debere, ſublata eis, & cuilibet eorum aliter interpretandi, & judicandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Et nihilominus univerſis, & ſingulis venerabilibus Fratribus noſtris, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis perſonis in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, necnon Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum Canonicis committimus, & mandamus, quatenus ipſi, aut eorum quilibet, dum & quoties pro parte ſingulorum Provincialium, & Priorum, ac aliorum Superiorum dicti Ordinis fuerint requiſiti, literas noſtras, ac omnia, & ſingula pręmiſſa a quibuſvis judicibus eccleſiaſticis, vel ſecularibus, etiam Conſervatoribus privilegiorum dicti Ordinis, aut cujuſcunque ejus Provincię, vel Congregationis, inviolabiliter obſervari faciant, contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, & alia juris remedia compeſcendo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, qua inter alia cavetur expreſſe, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Dięceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine Dięceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede prefata deputati extra Civitatem, vel Dięceſim, in quibus deputati fuerint contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere pręſumant. Et de duabus dietis in Concilio Generali editis, necnon perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, prędicto, & quibuſvis aliis Ordinibus, Provinciis, Congregationibus, & perſonis cujuſcunque, dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, conceſſis, confirmatis, & approbatis, quibus, tenores illorum, ac ſi de verbo ad verbum pręſentibus inſererentur, pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe, motu, & ſcientia pręmiſſis, derogamus, ac nulli in pręjudicium pręmiſſorum ſuffragari volumus. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim, ab eadem ſit Sede indultum,

quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, Ceteriſque contrariis quibuſcunque, Et quia difficile foret preſentes literas originaliter ad omnia loca, in quibus opus eſſet, deferri, volumus, & predicta auctoritate decernimus, quod earum tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus in dignitate eccleſiaſtica conſtituti munitis, ea fides indubia in judicio & extra, ubicunque opus fuerit, adhibeatur, que originalibus ipſis adhiberetur, ſi eſſent exhibite, vel oſtenſe. Datum Rome apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIX Aprilis MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Intervertat*,) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV*.
2. *Ibomam*.) De quo in *Appendice ad praeſentem Pontificatum*.
3. *Bonifatius IX*.) *Conſtitutione CCXX*, *Legitur Tomo II pag.* 446.

Anno 1518 Die 11 Maii,

De reædificando S. Dominici Monaſterio de Aquatraverſa (1),

Ex Archivo (2) Ordinis,

LXXX,

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario, dilecti filii noſtri S. Marie in Via Lata Diaconi Cardinalis (3) Eccleſie Veronen. perpetui Adminiſtratoris in ſpiritualibus, & temporalibus, per Sedem Apoſtolicam deputati in eiſdem ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EX commiſſo Nobis deſuper Apoſtolice ſervitutis officio &c. (4), Dudum ſiquidem a felicis recordationis Paulo PP. II Predeceſſore noſtro, emanarunt litere tenoris ſubſequentis: Paulus &c. Cum in omnibus judiciis &c. Et ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum filiarum Abbatiſſe, & Conventus Monaſterii Monialium S. Dominici de Aquatraverſa, Suburbiorum Veronen., Ordinis Sancti Auguſtini, ſecundum Inſtituta Fratrum Predicatorum degentium, petitio continebat, cum Monaſterium predictum, propter bella, que in civitate, & diſtrictu Veronen. nuper viguerunt, in ſuis ſtructuris, & edificiis juſſu dominorum temporalium ipſius Civitatis, pro ſtatus tuitione, demolitum fuerit, ac Abbatiſſe, & Conventus, locum, in quo Conventualiter habitare, & juxta regularia Inſtituta dicti Ordinis Altiſſimo famulatum exhibere poſſint, non habeant, ſed in privatis domibus ſe continere cogantur, ſi eiſdem Abbatiſſe, & Conventui ex bonis immobilibus dicti Monaſterii ad valorem duorum millium Ducatorum cum aliquo fundo pro conſtructione unius Monaſterii apto, & congruo, ſeu aliquibus Domibus, in quibus ipſe Abbatiſſe, & Conventus, commode habitare, & religioſe vivere poſſent, permutandi, aut vendendi, & pretium illorum in emptionem fundi, ſeu domorum, & conſtructionem edificiorum novi Monaſterii hujuſmodi convertendi, licentia concederetur; ex hoc profecto Monaſterii, Abbatiſſe, & Conventus predictorum utilitati, & neceſſitati, evidenter conſuleretur. Quare pro parte Abbatiſſe, & Conventus predictorum, aſſerentium, tot redditus, & valorem annuum octingentorum ducatorum, & bona habere, quod ipſa Abbatiſſa, & Conventus, ex illis commode ſuſtentari poterunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum ſtatui, & neceſſitati, in premiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de premiſſis, certam notitiam non habentes, ac dictorum bonorum ſitus, confines, qualitates, & quantitates, preſentibus pro expreſſis habentes, necnon Abbatiſſam, & ſingulares perſonas Conventus hujuſmodi a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, diſcretioni tue &c. mandamus, quatenus, ſervata forma, preinſertarum literarum Pauli Predeceſſoris hujuſmodi, dictiſque bonis prius coram te ſpecificatis, de premiſſis per te ipſum, te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe, ac permutationem, ſeu venditionem, & pretii converſionem hujuſmodi, ſi fiant, in evidentem utilitatem, & neceſſitatem Monaſterii, uſque ad valorem duorum millium ducatorum auri, pro aliquo fundo ad conſtructionem unius Monaſterii convenienti, & congruo, aut pro aliis Domibus, in quibus Abbatiſſa, & Conventus commode habitare, & divinis beneplacitis vacare poſſint, permutandi, aut ex eiſdem bonis ad dictum valorem duorum millium ducatorum vendendi, & pretium, illorum in emptionem fundi, ſeu domorum, & conſtructionem edificiorum novi Monaſterii hujuſmodi convertendi, licentiam elargiri auctoritate noſtra procures. Non obſtantibus conſtitutionibus &c. quibuſcunque volumus autem, quod ſi venditionem hujuſmodi vigore preſentium fieri contigerit, ut prefertur, pretium inde proveniens, penes aliquam edem ſacram, aut fide, & facultate idoneam perſonam, cum cautelis, & obligationibus in talibus apponi ſolitis, deponatur, in emptionem, & conſtructionem hujuſmodi, & non alios uſus omnino convertendum. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominice Milleſimo Quingenteſimo Decimo Octavo, Quinto Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Facultas.

1. *De Aquatraverſa*.) In *Veronenſi* ſuburbio, in *Lombardia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLVIII fol.* 311.
3. *Cardinalis*,) Is erat *Marcus Cornelius*, de quo conſulendus *Ciaconius Vit. Pontif.*, & *Cardinal. Tomo III in Alexandro VI pag.* 200.
4. *Officio &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Ut Generalis Magiſter XII Fratres ad Doctoris gradum promoveat (1).

Anno 1518 Die 20 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Futuro (3) Generali Magiſtro Ordinis Prędicatorum.

L E O PP. X.

LXXXI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PAterna erga te dilectione noſtra ſimul, & compaſſione erga pauperes tui Ordinis profeſſores inducti pro decore pręſertim Generalis Capituli dicti Ordinis in proximo feſto (4) Pentecoſtes in hac alma Urbe noſtra celebrandi, tibi tenore pręſentium facultatem concedimus, & poteſtatem duodecim ipſius Ordinis Fratribus, ſive actus debitos pro Magiſterio in aliqua Univerſitate fecerint, ſive non, dummodo pręmiſſo rigoroſo examine, adbibitis aliquibus in theologica facultate Magiſtris, idonei reperti fuerint, ſuper quo tuam, & ipſorum magiſtrorum conſcientiam oneramus, gradum & inſignia Magiſterii, in theologia conferendi, & exbibendi cum omnibus, & ſingulis gratiis, pręeminentiis, privilegiis, & indultis, quibus alii theologię Magiſtri in qualibet privilegiata Univerſitate cum rigore examinis, & requiſitis ſolemnitatibus, promoti gaudent, & utuntur, ſeu gaudere, & uti poterunt in futurum, non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ipſius ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, pęniſque Eccleſiaſticis, & cenſuris, juramento, etiam a quovis prędictorum legitime cuicunque Univerſitati pręſtito, de non ſuſcipiendo hujuſmodi Magiſterium extra illam, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque, quibus pro hac vice quoad hoc derogamus, etiamſi ſpecialis mentio, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, & non per clanſulas id importantes de eis babenda eſſet, illis alias in ſuo robore permanſuris. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX Maii MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Evangeliſta.

1. *Promoveat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Futuro.*) *Garcias de Loayſa* fuit electus.
4. *Proximo Feſto.*) Fuit Pentecoſtes hoc anno die *XXIII* Maii.

F. Thomæ (1), S.R.E. Cardinali, pro Dominico (2) Epiſcopo Portuenſi (3), Cardinale S. Marci (4).

Anno 1518 Die 21 Maii.

Ex Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II pag. 346.

Dilecto filio Thomę tituli S. Sixti Presbytero Cardinali Noſtro, & Apoſtolicę Sedis Legato.

L E O PP. X.

LXXXII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis fecit venerabilis Frater noſter Dominicus Epiſcopus Portuen. Cardinalis S. Marci, Monaſterii de Roſaceis perpetuus Commendatarius, quod alias vigentibus bellis in partibus illis, certi dicti ſui Monaſterii fructus, quos annuatim percipere ſolet in Monte Pletio per quondam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Maximiliani, in Imperatorem electi, Julminum capitaneum occupati, ſeu retenti fuerunt, & de pręſenti etiam detinentur in animę ſuę periculum, & ipſius Dominici Epiſcopi non modicum pręjudicium; quare de opportuno juris remedio ſibi a Nobis ſubveniri humiliter ſupplicavit. Nos itaque honeſtis, & juſtis bujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tuę circunſpectioni committimus, & mandamus, quatenus apud Cęſaream Majeſtatem ita inſtanter, & efficaciter procurare debeas, quod fructus prędicti, ſicut pręfertur, occupati, vel detenti, eidem Dominico Epiſcopo, vel ejus legitimo procuratori libere relaxentur, & reſtituantur, ſeu juxta eorundem valorem ſatisfiat; quod a Celſitudine ſua, cum ſit Eccleſiarum omnium fautrix, & protectrix, facile te conſecuturum non dubitamus. In quo Majeſtas ſua rem Deo acceptam, juſtitię congruam, & nobis gratam faciet. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXI Maii MDXVIII Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Evangeliſta.

1. *Thoma.*) *Cajetano*, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Dominico.*) *Grimano*, patria *Veneto*, cujus meminit *Ciaconius in Alexandro VI Vit. Pontif. & Cardinal, Tomo III* pag. 180.
3. *Portuen.*) Adeas *Ughellum in Epiſcop. Portuen. Tomo I Italiæ Sacræ.*
4. *Cardinale S. Marci.*) Titulo ſiquidem *S. Marci* jam antea donatus fuerat *Dominicus*, ut apud *Ciaconium* mox laudatum videre eſt.

Anno 1518
Die 29 Maii.

Prulianenſis (1) Monaſterii privilegia firmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXIII. Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Sororibus Monaſterii B. Marię de Prulhano (3), per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Prędicatorum viventibus, S. Papuli (4) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm a Nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilectę in Chriſto filię, quibus, ut aſſeritur, ſpecialis Sedis Apoſtolicę privilegio, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, licet immobilia bona, & facultates habere, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras, & locum in quo eſtis divino obſequio mancipatę cum omnibus bonis, quę impręſentiarum rationabiliter poſſidetis, & in futurum juſtis modis, pręſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub B. Petri protectione ſuſcipimus, atque noſtra, necnon omnes libertates, immunitates a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus per privilegia, vel alia indulta vobis, & Monaſterio veſtro conceſſas, necnon libertates, & exemptiones ſecularium exactionum a Regibus, & Principibus, ac aliis Chriſti fidelibus, vobis, & eidem Monaſterio indultas, ſpecialiter autem terras, poſſeſſiones, prata, paſcua, nemora, & alia bona veſtra, ſicuti ea omnia juſte, & pacifice poſſidetis, vobis, & per vos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę ſuſceptionis, confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo octavo, Quarto Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Prulianenſis.*) Conſulenda Conſtitutio unica *Innocentii III*. Legitur *pag. I Tom. I* hujus Bullarii.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur.
3. *Prulhano.*) Seu *Pruliano*, vulgo *Prouille*.
4. *S. Papuli.*) Vulgo *Saint Papoul*, in *Occitania*.

Anno 1518
Die 5 Junii.

Quaſdam donationes Cœnobio Simonthorniæ (1) factas, ratas habet, & firmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXIV. Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

INjunctum Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officium &c. (3) Sane pro parte dilectorum filiorum moderni Prioris, & Fratrum domus Oppidi Simonthornię, Ordinis Prędicatorum, Veſprinen. (4) Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias dilectus filius nobilis vir Moyſes Birzlay de Gergellike. Comes Tholven. Curię cariſſimi in Chriſto filii noſtri Wladislai (5) Hungarię, & Bohemię Regis Illuſtris Magiſter, zelo caritatis, & devotionis ductus, & cupiens ſeminare in terris, quod in cęlis meteret, eidem domui, quę alias per ipſum Moyſen in dicto Oppido rite fundata fuit, fundum de Igat nuncupatum, & piſcinam in eo, ſeu juxta illud exiſtentem, ac prędium de Temerken. cum duabus piſcinis in eo exiſtentibus, omnibuſque terris arabilibus, cultis, & incultis, agris, pratis, paſcuis, campis, ſilvis, nemoribus, montibus, vallibus, aquis, fluminibus, aquarum decurſibus, ac aliis eorum juribus, & pertinentiis, ac unam in territorio fundi Myſle, & aliam, vineas in promontorio dicti Oppidi conſiſtentes, ad ipſum Moyſen tunc legitime pertinentia, ac redditus Molendinorum territorii dicti Oppidi, qui ſibi diebus Sabbati a primis veſperis, uſque ad ſecundas veſperas diei Dominicę annuatim provenire ſolebat, necnon mille oves, & centum equos, equacrales nuncupatos, viginti quinque boves, & totidem vaccas pro ipſius domus dote, ac Fratrum in ea pro tempore degentium ſuſtentatione, donatione irrevocabili, quę dicitur inter vivos, donavit, prout in publico inſtrumento, deſuper confecto dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationi hujuſmodi pro illius ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias in prędictis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingulorum piorum locorum conſervationem, ac perſonarum religionis voto aſtrictarum, piam ſubventionem piis deſideramus affectibus, Priorem, & Fratres prędictos, ac eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationem prędictam, ac prout illam concernunt, omnia, & ſingula in dicto inſtrumento contenta, ac inde ſecuta quęcunque, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ac illi perpetuę firmitatis robur adiicimus, & illam tam per dictum Moyſen, quam ejus heredes, & ſucceſſores, ac alios quoſcunque, ſub excommunicationis ſententię pœna, inviolabiliter obſervari debere, necnon modernum, & pro tempore exiſtentem Priorem, ac Fratres domus hujuſmodi deſuper moleſtari non poſſe, decernimus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque, Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo octavo, Nonis Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Confirmatio.

1. *Simontbornia.*) Aliis *Simo-Tornen.* ; & *Symezornen.*, ut videre eſt apud *Ferrarium de Rebus Hungariæ Provinciæ Parte IV Lib. Unico Cap. II pag. 531.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXI fol. 153.*

3. *Officium &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

4. *Veſprinen.*) In Hungaria.

5. *VVladiſlai.*) Seu *Ladiſlai*, hujus nominis *VI*. Ex his autem verbis *cariſſimi in Chriſto filii noſtri* liquet quod *VVladiſlaus* vivebat hoc anno. Emendandi ergo Scriptores, qui *VVladiſlaum* anno *MDXVI* diem ſupremum obiiſſe, paſſim docent.

De Ordinę reformando.

Anno 1518
Die 15Junii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

L E O PP. X.

LXXXV.

Dilectis filiis univerſis, & ſingulis Prioribus Provincialibus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAtius eſſe arbitramur, religioſis, qui ex regularis vitę obſervantia in aliquanto ampliorem vagandi ſemitam deviarunt, iter ad ovile Summi Paſtoris oſtendere, ac omni ſtudio niti, ut ipſi per ſe ad illud reducantur, quam eos initio tanquam flagitioſos propriis laribus expellere, & in deſperationem, quaſi neceſſariam, cogere. *Exordium.* Quamobrem, quia retroactis temporibus nonnullorum Principum ſuaſionibus inducti, iis Fratribus veſtri Ordinis, qui regularem profitentur obſervantiam noſtras per diverſas in forma Brevis literas, omnes ejuſdem Ordinis Fratres, qui ſe ad regularem obſevantiam reducere nollent, ex Conventibus ubi degerent eiiciendi, & expellendi, licentiam conceſſimus, & facultatem, ac quia poſtmodum accepimus veſtri Ordinis Fratres, ſi qua indigent reformatione, per vos tanquam immediate ipſorum ordinarios, & non per alios factam reformationem ſuſtinere, & amplecti paratos eſſe, *Nota.* ideirco vobis per Apoſtolica mandata diſtricte pręcipimus, quatenus hinc ad celebrationem proxime futuri Capituli Generalis ad reformandos quoſcunque Conventus, & Fratres dicti Ordinis, quos reformatione indigere cognoveritis, omni ſtudio, & diligentia curare debeatis. *Mandatum.* Revocantes propterea auctoritate Apoſtolica, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, non ad Fratrum Prędicatorum, vel alterius eorum nomine Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, omnes, & quaſcunqua literas, tam in forma Brevis, quam alias ad cujuſcunque inſtantiam a Nobis eiſdem Fratribus de obſervantia nuncupatis ſuper pręmiſſis conceſſas, illaſque omnes nullius roboris eſſe, vel momenti decernentes. Quod ſi dictam veſtrorum Fratrum reformationem infra prędictum tempus facere, vel neglexeritis, vel diſtuleritis, id Magiſtro Generali ejuſdem Ordinis inviolabiliter quamprimum executioni demandandum eſſe pręcipimus, ac quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane, eiſdem auctoritate, & tenore decernentes. Et quia difficile eſſet ad omnia loca veſtri Ordinis dictarum Provinciarum pręſentes literas tranſmittere, volumus, ut tranſumptis manu alicujus Notarii publici confectis, & ſigillo alicujus Pręlati in dignitate eccleſiaſtica conſtituti munitis, ea prorſus fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi ipſę oſtenderentur, vel producerentur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon privilegiis, & indultis, literiſque Apoſtolicis tam in forma Brevis, quam aliis, ipſis Fratribus de obſervantia, aut aliis quibuſvis, conceſſis, confirmatis, & iteratis vicibus innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, ac ſi pręſentibus de verbo ad verbum inſerenda eſſent, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Junii MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol. 477*. Autographum ſervatur in Archivo Cœnobii *SS. Johannis, & Pauli Venetiarum.*

Ordinem Fratrum Prædicatorum laudibus ornat, & privilegiis (1) ceteris Ordinibus conceſſis, & concedendis donat.

Anno 1518
Die 21Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

L E O PP. X.

LXXXVI.

Univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus cujuſcunque gradus, conditionis, dignitatis pręeminentięque fuerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm inter ceteros operarios (3) qui ad excolendam vineam Domini ſabaoth vocati ſunt, Ordo Prędicatorum magnos, & probitatis, & doctrinę, & animarum ſalutis fructus ſemper olim attulerit, quotidieque afferre cernatur, deceatque, ut etiam in hac vita pro tot ſuis ſanctis ſtudiis, honeſtiſque laboribus, ab Apoſtolica Sede, cujus noſtris quoque periculoſis temporibus pacem, & dignitatem Ordo idem fortiter tutatus eſt, ſpiritualia ſubſidia, ornamentaque ſuſcipiat, quibus, & ſancta ſua officia facilius, atque expeditius exequatur, & ceterę Religioſę perſonę, Ordineſque alii exemplo benignitatis propenſiores, alacrioreſque, ad ſua officia perſolvenda reddantur, *Exordium ab Ordinis laude.* idcirco Prędeceſſorum noſtrorum veſ-

Confirmatio Privilegiorum, & ipſorum communicatio.

veſtigia conſectati, qui plura eidem Ordini beneficia, ac privilegia contulerunt, omnes & ſingulas gratias, conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, prerogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, tam ſpiritualia, quam temporalia, qualiacunque ſint, quę Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, Servorum Sanctę Marię, ac Minorum Fratrum Ordinibus, & illorum Eccleſiis, oratoriis, ac Eccleſias ipſas, & oratoria viſitantibus, cujuſcunque ſtatus, aut ſexus exiſtant, ſeu pro earum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon domibus, & pręſidentibus, non ſolum Generalibus, ſed etiam Provincialibus, & Conventualibus, Fratribuſque, & Sororibus, necnon Monialibus, & Converſis, Oblatis, ac utriuſque ſexus perſonis de Pęnitentia, ſeu Tertii Habitus nuncupatis, a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, aut a Nobis, noſtriſque ſucceſſoribus, aut aliis auctoritatem habentibus conjunctim, vel diviſim, in genere, vel in ſpecie conceſſa ſunt, aut in poſterum concedentur, illa omnia, & ſingula, ac ſi nominatim exprimerentur, pro ſufficienter expreſſis babentes, dicto Ordini Prędicatorum, & illius Eccleſiis, oratoriis, ac Eccleſias ipſas, & oratoria viſitantibus, cujuſcunque ſtatus, aut ſexus exiſtant, ſeu pro earum manutentione, & ornatu contribnentibus, necnon domibus, Magiſtroque Generali, Provincialibus, Prioribus, & Conventualibus, Fratribus, & etiam Sororibus, ſive Monialibus, Converſis quoque, & Oblatis, ac utriuſque ſexus perſonis de Pęnitentia nominatis, & aliis ejuſdem Ordinis perſonis, motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc oblatę Nobis petitionis inſtantiam, ſed ex mera noſtra ſcientia, & liberalitate, & de Apoſtolicę auctoritatis plenitudine communicamus, de novoque concedimus, & ſuffragari volumus, ac ſi eiſdem nominatim, directe, & expreſſe conceſſa fuiſſent, aut in poſterum concederentur, Mandantes, motu, ſcientia, liberalitate, & auctoritate prędictis, ut dum indulgentiarum, prerogativarum, favorum, conceſſionum, exemptionum, immunitatum, facultatum, privilegiorum, & indultorum prędictorum Fratrum, & Ordinum, aut originales literę, aut tranſumpta authentica ex illis pro, & in favorem Eccleſiarum, & Eccleſias ipſas viſitantium, domorum, Fratrum, & utriuſque ſexus perſonarum Ordinis Prędicatorum adducta, vel exhibita fuerint, eadem fides illis indubia, tam in judicio, quam extra, & aliis locis, ubicunque opus fuerit, adhibeatur, ac ſi pro, & in favorem dicti Ordinis Prędicatorum a Sede Apoſtolica emanaſſent, ac eidem immediate conceſſa, aut indulta fuiſſent. Non obſtantibus quibuſcunque Apoſtolicis ſuſpenſionibus, revocationibus, reſtrictionibus, ſive conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon in Provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis, ſpecialibus, vel generalibus, & quorumcunque Legatorum etiam a Latere, in quibuſvis Regnis, Provinciis, aut locis, conſtitutionibus, Pariſienſiſque, & aliorum locorum Generalium Studiorum Univerſitatibus, & curię vice gerentię Avinionen., & quibuſvis Ordinariis Prelatis, & perſonę conceſſis, & concedendis literis, privilegiis, ac per illas deputatis in eis Conſervatoribus privilegiorum hujuſmodi, facultatibus, & juriſdictione, necnon regulis Cancellarię Apoſtolicę jam editis, aut forte edendis in futurum. Eccleſiarum quoque, & locorum quorunlibet ſtatutis, & conſuetudinibus, & inter quoſcunqne dicti Ordinis profeſſores, ac locorum Ordinarios, ſeu Rectores initis, & concluſis, ac hactenus obſervatis pactis, & conventionibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon omnibus illis, quę Prędeceſſores noſtri Romani Pontifices, in literis privilegiorum, gratiarum, exemptionum, favorum, immunitatum, prerogativarum, conceſſionum, facultatum, & indultorum prędictorum, prefatis Ordinibus conceſſorum, voluerunt non obſtare. Quibus omnibus, illa ac ſi de verbo ad verbum infererentur, & derogatoriarum derogatorias clauſulas in ſe continerent pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad pręmiſſa ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & ea nemini in pręjudicium pręmiſſorum ſuffragari poſſe, aut debere, decernimus. Irritnm facientes quicquid ſecus contigerit attentari, ceteriſque contrariis quibuſcunqne. Et quia difficile foret pręſentes literas originaliter ad omnia loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus, & auctoritate pręfata decernimus, quod earum tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus in dignitate eccleſiaſtica conſtituti, vel dicti Ordinis, munitis, ea fides indubia in judicio, & extra, ubicunque opus fuerit, adhibeatur, quę ipſis originalibus adhiberetur, & adhibenda eſſet, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXI Junii MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Privilegiis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum *Lib. B. fol.* 606, ex autographo *Barchinonenſi*. Legitur apud *Uſuſmaręm pag.* 185.

3. *Operarios.*) Ejuſdem fere tenoris Conſtitutionem habes *pag.* 298 *hujus Bullarii*. Hæc tamen tranſcripta fuit, & quia nonnihil differt ab alia, & quia maximi eſt momenti.

Ne.

Ne Fratres moleſtiis afficiantur, & ut ſuis fruantur privilegiis (1).

Anno 1518 Die 25 Junii.

Ex Bullario Uſuſmaris pag. 183.

L E O PP. X.

LXXXVII.

Uoiverſis, & ſingulis veoerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis electis Abbatibus, Prępoſitis, ac Patriarcharum, Epiſcoporum, ac Archiepiſcoporum, in ſpiritualibus Vicariis Generalibus, ubilibet conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis fecerunt dilecti filii Generalis Magiſter & Priores Provinciales Ordinis Fratrum Prędicatorum, quod licet alias felicis recordationis Johannes PP. XXII Prędeceſſor noſter per quaodam [Diplomatis cauſa.] ſuam conſtitutionem quę incipit: Vas electionis (2): opinionem erroneam quondam Johannis de Poliaco inter alia ſentientis, quod fideles Fratribus Ordioum Mendicantium generalem licentiam, a pię memorię Clemente PP. V, etiam Prędeceſſore noſtro, per ejus conſtitutionem in Concilio noſtro Viennenſi editam quę incipit: Dudum (3): Confeſſiones audieodi conceſſam habentibus confeſſi, tenerentur peccata per eos dictis Fratribus ſic confeſſa proprio Sacerdoti iterum confiteri, damnaverit: Et deinde recolen. mem. Eugenius IV, ac Nicolaus V, & Sixtus etiam IV, ſimiliter Prędeceſſores noſtri prędictam, & nonnullas alias ejuſdem Johannis de Poliaco, & aliorum quorundam opiniones, & aſſertiones, etiam condemnantes, mandaverunt contra earundem opinionum aſſertores, velut contra hęreticos, & de fide Catholica ſuſpectos, debere procedi: Et idem Sixtus Prędeceſſor, conceſſit, quod ſi Rectores Parochialium Eccleſiarum Sacramenta Euchariſtię, & extremę Unctionis, his qui dictis Fratribus eſſent confeſſi, abſque alia rationabili cauſa malitioſe negarent, vel exhibere differrent, Fratres prędicti illa perſonis, quarum Confeſſiones audiviſſent ea petentibus miniſtrare valerent. Et quod iidem Fratres, vel Conſanguinei eorum, qui elegerunt ſepeliri apud Eccleſias Fratrum Mendicantium, etiam prętextu cujuſcunque conſuetudinis non poſſint compelli deferre corpora defunctorum ad Parochiales Eccleſias, aut alia loca, & cum illis, vel ſine illis, inibi divina celebrare, vel celebrari facere, ante, vel poſt ſepulturam eorundem, prohibueritque Ordinariis locorum ſub interdicti ingreſſus Eccleſię, & ſuſpenſionis a regimine, & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, ac Parochialium Rectoribus, & aliis quibuſeunque ſub excommunicationis latę ſententię, & privationis earundem Parochialium Eccleſiarum, ac omnium beneficiorum eccleſiaſticorum, quę pro tempore obtinent, necnon inhabilitationis ad illa, & alia in poſterum obtinenda eo ipſo per contrafacientes, incurrendis pęnis, ne eoſdem Fratres contra ipſorum privilegia moleſtare pręſumant, aut perſonis quibuſcunque eccleſiaſticis, vel ſecularibus, in genere, vel in ſpecie, directe, vel indirecte aliquid inhibeant, pręcipiant, aut alias ordineot, vel ſtatuant, quo minus Fratres Ordinis prędicti, & illorum domus, & profeſſores privilegiis, & gratiis eis conceſſis libere uti poſſint. Et poſtmodum Nos in noviſſimo Lateranenſi Concilio decreverimus, quod peccata ſua Fratribus Mendicantibus hujuſmodi pręſentatis ſecundum Clementinam Conſtitutionem prędictam, & admiſſis, vel etiam indebite recuſatis, confeſſi, Conſtitutioni, quę incipit: Omnis utriuſque ſexus: quoad confeſſionem duntaxat ſatisfeciſſe cenſeantor, & conceſſionem impendendi Sacramenta prędicta limitaverimus, in eventum [Nota.] videlicet, quod deoegatio Sacramentorum hujuſmodi ſine legitima cauſa fieret, & de illa teſtimonio vicinorum, ſeu Notarii publici, inde rogati fide conſtaret. Necnon per quaſdam noſtras in forma Brevis literas declaraverimus audientes Miſſas in Eccleſiis Fratrum Ordinum Mendicantium Dominicis, & aliis feſtis diebus, non contempto proprio Sacerdote, ſatisfacere pręcepto Eccleſię de audienda Miſſa, nec in aliquam labem peccati mortalis, pęnamve incurrere. Ac demum per alias noſtras, etiam in forma Brevis, literas omnia, & ſingula privilegia dictis Fratribus conceſſa, ſalvis dictis moderationibus Lateranenſis Concilii approbaverimus, & confirmaverimus, ac illa cum dictis moderationibus, etiam motu proprio innovaverimus, prout in ſingulis conſtitutionibus, & literis prędictis plenius continetur. Nihilomious, ſicut accepimus, plerique Ordinarii locorum, & Parochialium Eccleſiarum Rectores, in diverſis mundi partibus, proprię ſalutis immemores, Deique, & eccleſiaſticę cenſurę timore, ac Apoſtolicę reverentia poſtpoſitis, prędicare, & prędicari facere non formidant, non licere Parochianis peccata ſua Fratribus juxta dictam Conſtitutionem Clementinam pręſentatis, ſine ipſorum Rectorum, petita prius, & obtenta, licentia, confiteri, & aliter illa confeſſos ad illa rurſus eiſdem Rectoribus confitenda obligatos exiſtere, quod, ſi ſecus fiat, eis Sacramenta pręfata Euchariſtię, & Extremę Unctionis miniſtrare recuſant, eiſdemque Parochianis, ne pręfatis Fratribus confiteantur, neve ad eorum Eccleſias pro divinis audiendis diebus prędictis accedant, ſpecialiter, & expreſſe interdicunt. Fratres vero, quorum vitę ſubſidio fidelium eleemoſynis magna ex parte conſulitur, eleemoſynas hujuſmodi petere non permittuot, ſine eorum licentia, & Dięceſanorum, vel eorum Vicariorum literis eleemoſyoarum (4) meodicatarum medietatem ſibi vendicarę voluot. Et, ne ratione coofeſſionum, & celebrationis Miſſarum aliqoas a ſuis Parochianis eleemoſynas aecipiaot, prohibere, alioquin & ipſi Rectores, vel Vicarii tantundem ab ipſis Parochianis extorquere nituntur. Et ad prohibitiones hujuſmodi obſervandas cenſuris, vel ab ordinariis locorum contra illarum tranſgreſſores paſſim obtentis, vel propria temeritate ad terrendum ſimplicem populum, qui cenſuras timent (5), latis utuntur. Corpora mortuorum, qui elegerunt ſepeliri in Eccleſiis Fratrum Prędicatorum nonnunquam rapiunt, & ad ſuas Eccleſias deferunt, ibidem divina celebrant, ut ſic oblationes percipiant, & de funeralibus, ac mortuariis, pro corporibus, quę in Eccleſiis dictorum Fratrum ſepeliuntur, dimidiam, de omnibus autem legatis, & oblationibus quartam partes, contra diu obſervatam conſuetudinem habere contendunt. Ac ſuper pręmiſſis, & pleriſque aliis

va-

varias dictis Fratribus moleſtias, & injurias inferunt, ac jacturas, quibus eorum quies turbatur, divinus cultus minuitur, & inter Chriſti fideles ſcandala paſſim oriuntur, non ſine divinę majeſtatis offenſa, & Apoſtolicę auctoritatis contemptu. Quam ob rem Nos, qui prędictorum Fratrum quietem, & tranquillum ſtatum intenſis deſideramus affectibus, ut ſuis laudabilibus operibus Deo acceptiores fiant, & quietius pro delinquentium emendatione, & ſalute, apud Deum inſiſtere poſſint, dictorum Generalis Magiſtri, & Priorum Provincialium Fratrum Prędicatorum humilibus ſuper hoc porrectis ſupplicationibus inclinati, vobis, & cuilibet veſtrum per pręſentes, diſtricte vobis pręcipiendo, mandamus ſub dictis cenſuris, ut & vos ab omni moleſtia, & omni inquietudine penitus abſtineatis, & quoties nomine dictorum Fratrum, vel alicujus ex ejus Ordinis Prioribus Provincialibus, vel Conventualibus, pro tempore exiſtentibus, fueritis ſuper hoc requiſiti, omnes, & ſingulos Parochialium Eccleſiarum in veſtris reſpective Civitatibus, & Diœceſibus exiſtentes Rectores, ſeu Vicarios, ad deſiſtendum poſthac ab hujuſmodi moleſtiis, & gravaminibus, Conſtitutioneſque prędictas, & dictorum Fratrum privilegia, in eiſdem inviolabiliter obſervanda, ſub pęnis, & cenſuris in dicti Sixti Prędeceſſoris inhibitione contentis, moneatis, & eis pręcipiatis, inobedientes vero, legitimis ſuper hoc habendis proceſſibus, cenſuras, & pęnas prędictas incurriſſe declaretis, & declaratos publice nuncietis, aut nunciari, & tales ab omnibus evitari arctius mandetis, & alia faciatis, quę in pręmiſſis fuerint quomodolibet opportuna, invocato etiam ad hoc, quoties opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Reliquas vero perſonas tam eccleſiaſticas, quam ſeculares, cujuſcunque ſtatus, aut conditionis exiſtant, quę Rectoribus Parochialium Eccleſiarum in pręmiſſis contra Fratres prędictos favorem, auxilium, vel conſilium prębere pręſumpſerint, per cenſuras, & alia juris opportuna remedia, monitione pręmiſſa, diſtrictius coerceatis, & ut a talibus in futurum caveant, prohibeatis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & in ſynodalibus Conciliis editis ſtatutis, & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, & aliis, quę Romani Pontifices, Prędeceſſores noſtri pręfati, in ſuis, & Nos in noſtris literis, privilegiorum, gratiarum, & indultorum dicto Ordini conceſſorum, volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Et quia difficile foret prędictas literas originales ad omnia loca in quibus opus eſſet deferri, volumus, & prędicta auctoritate decernimus, quod earum transumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, ea fides indubia in judicio, & extra, ubicunque opus fuerit, adhibeatur, quę ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXV Junii MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Mandatum.

1. *Privilegiis*.) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo*.
2. *Vas electionis*.) Eſt XXXI inter Conſtitutiones Johannis XXII. Legitur *pag.* 152 *Tomi II.*
3. *Dudum*.) De iſta, aliiſque Conſtitutionibus, de quibus loquitur Diploma, dicetur in *Tractatu* mox laudato *Tit. VII*.
4. *Eleemoſynarum*.) *Et eleemoſynarum*.
5. *Timent*.) Vel *timet*; utrumque bene.

Anno 1518 Die 26 Junii.

Peculiaris Indulgentia conceſſa pro Londonien. (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXXVIII.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

De ſalute gregis Dominici &c. (3). Cum autem, ſicut accepimus, dilecta in Chriſto filia Eliſabeth Dentori Mulier, Nortonen. (4) Diœceſis, quę de illuſtri familia de Jarnynghin Majori de Homerleto Unbatt dictę Diœceſis, originem traxit, & cariſſimi in Chriſto filii Henrici VIII (5) Anglię Regis illuſtris, & ejus Sororis, dum tenerę eſſent ętatis, ut decentioribus imbuerentur moribus per cl. me. Henricum VII (6) Anglię Regem, tunc in humanis agentem, dicti Henrici moderni Regis genitorem, directrix, & curatrix deputata extitit, ſuę ſalutis, & extremi peregrinationis diei, nequaquam immemor, ſua in Eccleſia Domus Londonien. Ordinis Fratrum Prędicatorum, juxta Altare S. Thomę de Aquino, & B. Sitę Virginis, ſepulturam elegerit, & ibidem notabile monumentum, ſive tumulum, in quo ejus corpus, poſtquam ab hac luce deceſſerit, honorifice requieſcere valeat, ſuis ſumptibus, & expenſis conſtrui fecerit; Nos cupientes, ut Altare prędictum, ad quod, ſicut etiam accepimus, dicta Eliſabeth ſingularem gerit devotionis affectum, a Chriſti fidelibus, congruis frequentetur honoribus, & Chriſti fideles ipſi, illud viſitantes ad dictum, pro felici, & tranquillo ejuſdem Eliſabeth ſtatu, dum vitam duxerit in humanis, & poſtquam ab hac luce migraverit, pro ſuę, & aliorum Chriſti fidelium animarum ſalute, orandum devotius inducantur, ac promptiores reddantur, quo ſe per hoc cęleſtis gratię devotione refici poſſe conſpexerint, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Presbyteris, qui ad dictum Altare Miſſam celebraverint, ac tam ipſis Presbyteris, quam aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui Miſſam ad dictum Altare, pro tempore celebratam, devote audierint, aut illius celebrationi interfuerint, tres annos, & totidem quadragenas, necnon Chriſti fidelibus ipſis, qui pręfatum Altare, etiam devote viſitaverint, & ante tumulum, ſeu Monumentum hujuſmodi, ſemel orationem Dominicam, cum Salutatione Angelica, pro ejuſdem Eliſabeth, ac omnium parentum ſuorum quandiu in humanis egerint, proſpero ſtatu, & poſtquam deceſſerint, ut pręfertur, pro ſuę, ac omnium aliorum Chriſti fidelium animarum ſalute, genibus flexis, ſimiliter devote dixerint, & recitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies de injunctis eis pęnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus, pręſentibus, quas ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus quarumcunque Indulgentiarum, per Nos, & Sedem Apoſtolicam, etiam in favorem fabricę Baſilicę Principis Apoſtolorum

de

de Urbe . & Cruciatę qnomodolibet , & ſub quibuſcunqne tenoribus , & formis , ac cum qnibuſvis clauſulis , & decretis conceſſa pro tempore ſactis , nullatenus comprebenſas , ſed ſemper ab illis exceptas , & quoties illę emanaverint , totics in priſtinum ſtatum reſtitutas exiſtere decernimus , perpetuis futuris temporibus valituris . Datum Romę apud S. Petrnm Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo Octavo , Sexto Kalendas Julii , Pontificatus noſtri Anno Sexto .

1. *Londonien.*) In *Anglia* .
2. *Archivo* .) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* *Lib.CLVI fol.*104.
3. *Dominici &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis .
4. *Nortonen.*) Fottaſſis *Norvvicen.* , vulgo *Norvvich* , vel *VVintonienſis* , in *Anglia* .
5. *Henrici VIII* .) Nondum enim defecerat à fide . Hinc cariſſimus in *Chriſto filius* vocatur *Henricus VIII.*
6. *Henricum VII.*) Diem ſupremum obierat anno *MDIX*.

Ut in Proceſſionibus , ſeu ſupplicationibus , aliiſque publicis actibus digniorem (1) locum Fratribus Ordinis Prædicatorum cedant ceteri Fratres Mendicantes .

Anno 1518 Dię 3 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis* .

Dilectis filiis Vicario Generali , & univerſis Fratribus Ordinis Pędicatorum Congręgationis Lombardię . LXXXIX.

L E O PP. X.

Dilecti filii , Salutem , & Apoſtolicam Benedictionem .

Diplomatis cauſa.

ACcepimus nuper , quod licet in Proceſſionibus , & defunctorum funeralibus , ac quibuſvis aliis actibus publicis , vos , tanquam Religioſi antiquiorem Ordinem profeſſi , digniorem locum aliis Fratribus Ordinum Mendicantium habere , & tenere conſueveritis ; tamen a certis temporibus citra , in pluribus Civitatibus , caſtris , & locis , nonnulli Mendicantium Ordinum profeſſores ſuper pręcedentia , ſeu in habendo digniori loco in Proceſſionibus , funeralibus , ac actibus prędictis , eo prętextu , quod eorum domus , & Eccleſię inibi in conſtructione , & ędificatione antiquiores domibus , & Eccleſiis veſtris exiſtant , impedire , & moleſtare pręſumunt , ex quo inter vos , & alios Fratres prędictos quamplurimę diſſenſiones cum magno Chriſti fidelium ſcandalo ſępe , & ſępius exoriantur . Nos igitur , bujuſmodi ſcandalis , & diſſenſionibus providere volentes , motu proprio , ex certa noſtra ſcientia , ac mera deliberatione , vobis , & pro tempore exiſtentibus Vicario Generali , & Fratribus Ordinis Prędicatorum Congregationis Lombardię , ſucceſſnribus veſtris , ut in quibuſvis Proceſſinnibus , ſuneralibus , & actibns prędictis , quoties illis interfueritis , & cum veſtris crucibus , & vexillis , locum digniorem quibuſcunqne aliis Mendicantium Ordinum profeſſoribus tenere , & habere valeatis , & alii Fratres Mendicantes illum vobis ręlinquere teneantur , auctoritate Apoſtolica , tenore pręſentium , de ſpeciali gratia , indnlgemus , diſtrictius inbibentes eiſdem Mendicantium Ordinum profeſſoribus , & quibuſcunque aliis , etiam Archiepiſcnpali , & Epiſcopali dignitate , ac Cardinalatus honore , & Apnſtolicę Legationis munere fungentibus , ſub pęna excommunicationis , quam contrafacientes , eo ipſo incurrere volumus , & a qua niſi per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem , pręterquam in mortis articulo conſtituti , abſolvi nnn poſſint , ne vos , & pro tempore exiſtentes Vicarium , & Fratres prędictos ſuper digniori loco hujuſmodi indebite moleſtare , turbare , vel inquietare pręſumant ; decernentes ex nunc irritum , & inane quicquid in contrarium ſuper bis a quocunque , quavis auctnritate , ſcienter , vel ignoranter contigerit attentari . Et nihilominus omnibus , & ſingulis perſonis in dignitate eccleſiaſſica conſtitutis , & Metropolitanen. , ac aliarum Cathedralium Eccleſiarum Canonicis per pręſentes , motu ſimili , mandamus , quatenus ipſi , vel aliquis , ſeu unus eorum per ſe , vel alinm , ſeu alios , vobis , & ſucceſſoribus prędictis , in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes , faciant , vos , ac illos conceſſione bujuſmodi pacifice gaudere ; non permittentes , vos , ac eoſdem ſucceſſores per quoſcunqne deſuper quomodolibet moleſtari ; contradictores per cenſuras eccleſiaſticas , appellatione poſtpoſita , compeſcendo , invocato etiam ad hoc , ſi opus fuerit , auxilio brachii ſecularis . Non obſtantibus pręmiſſis , ac Conſtitutionibus , & Ordinationibus Apoſtolicis , etiam juramento , confirmatione Apoſtolica , vel quavis firmitate alia roboratis , ſtatutis , & conſuetudinibus , privilegiis quoque , indultis , & literis Apoſtolicis ſingulis Ordinibns pręmiſſis conceſſis , & confirmatis , quibus , illarum tenores pręſentibus pro expreſſis habentes , hac vice dnntaxat ſpecialiter , & expreſſe derogamus : ceteriſque contrariis quibuſcunque , aut ſi aliquibus , communiter , vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum , quod interdici , ſuſpendi , vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam , & expreſſam , ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem . Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Julii MDXVIII Pontificatus noſtri Anno Sexto .

Mandatum.

Fortis , & extraordinaria inhibitio .

Decretum irritum faciens .

Executorum deputatio .

Evangeliſta .

1. *Digniorem* .) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.II.*
2. *Archivo* ,) In quo Exemplar authenticum ex authentico aſſervato in Cœnobio *Faventino* . Aliud exemplar legitur *Lib. B. fol.* 325 ex autographo *Urbevetano* .

Anno 1518 Die 19 Julii.

Ut Congregatio Lombardiæ curam gerat Viglevani (1) Monaſterii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XC.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Fratrum Prędicatorum.

L E O PP. X.

Dilectę in Chriſto filię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

EXponi Nobis nuper fecit dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Beatrix de Danalos uxor dilecti filii nobilis viri Johannis Jacobi de Trivultiis (3), Marchionis Viglevani, quod alias ipſa Beatrix, ob ſingularem devotionem, quam ad Ordinem Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, gerebat, prout gerit, in Oppido Viglevani, Navarien. (4) Dięceſis, quoddam Monaſterium Monialium pro uſu, & habitatione nonnullarum Monialium, ſeu Sororum dicti Ordinis de obſervantia conſtrui, & ędificari facere procuravit, in illoque nonnullę dicti Ordinis Moniales, ſeu Sorores introductę fuerunt, quę in eodem Monaſterio ſub hujuſmodi regula obſervantię degunt. Et cum Prior domus (5) S. Petri Martyris oppidi, & Ordinis, prędictorum earundem Sororum, ſeu Monialium, Confeſſiones audire, & eis Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, ob metum cenſurarum eccleſiaſticarum, ſeu alias hactenus recuſaverit, & recuſet de pręſenti, licet dictum Monaſterium infra limites dictę Congregationis ſitum ſit, & ipſe Prior ſuper hoc pro parte dictę Beatricis fuerit humiliter requiſitus, pro parte ejuſdem Beatricis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Sororibus, ſeu Monialibus, in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi in virtute S. Obedientię, ac ſub excommunicationis latę ſententię pęna committimus, & mandamus, quatenus ſtatim receptis pręſentibus Monaſterium Monialium hujuſmodi, & illius Moniales, ſeu Sorores, pręſentes, & futuras, ſub tua, & pro tempore exiſtentis Vicarii Generalis Congregationis prędictę, cura, regimine, & gubernatione, recipias, & illarum Confeſſiones per te, vel Priorem domus S. Petri hujuſmodi, vel alium, ſeu alios Fratres dicti Ordinis per te, aut dictum Vicarium pro tempore, deputatum, audias, ac viſites, corrigas, & caſtiges, ac animarum curam illarum exerceas, ſeu per alium exerceri, ac omnia, & ſingula alia in pręmiſſis, & circa ea, neceſſaria, & opportuna facias, & exequaris. Nos enim tibi, ac Vicario dictę Congregationis, qui pro tempore fuerit, ad pręmiſſa omnia, & ſingula licentiam concedimus, & facultatem. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis dicto Ordini conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda foret, tenores hujuſmodi pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIX Julii, MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Mandatum.

Evangeliſta.

1. *Viglevani*.) In *Inſubria*, ac Ducatu Mediolanenſi.
2. *Archivo*.) In quo Autographum.
3. *De Trivultiis*,) De hac nobiliſſima gente, ſic ex Ughello loquitur *Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium* Vit. Pontif, & Cardinal, Tomo III in Alexandro VI ad an. MCCCCXCII pag. 198. *Ab Heduis Gallis ejus repetuntur primordia, ſumpto nomine ab Oppido Trivultio, quod dicunt adhuc extare* (extat certe): *De qua Andreas Aſſaraco ad Franciſcum Regem Galliæ*.

A Gallis Heduis Trivultia manat origo,
Quos Cæſar fidos Julius eſſe probat:
Devictis Gallis Heduus tunc Cæſaris obſes
Sit Mediolani liber in Urbe fida.

Ex hac ſtirpe teſte Henrico Fameſio per ſeptingentos, & amplius annos tum bello, tum pace, ac præcipuis dignitatibus viri clariſſimi prodiere. Quantum bello valuerint, novit ipſa Ciſalpina Gallia, magno illo extincto Johanne Jacobo Franciæ Mareſcalco, Viglevani Marchione (Is ipſe eſt de quo loquitur Diploma) *ac Theodoro Comite altero Galliæ Mareſcalco. Quantum vero pace, & eccleſiaſtica dignitate fulſerint, ipſa Romana loquatur aula, quam plures clariſſimi Trivultii Cardinales exornarunt, ut videre quis poterit in hac Pontificum, & Cardinalium hiſtoria*.

4. *Navarien.*) *Novarien.*, vulgo *Novara*. Nota quod *Viglevanenſis* Civitas nunc Sedes eſt Epiſcopalis.
5. *Domus*,) Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*.

De Feſtis Sanctorum Ordinis, S. P. Dominici, S. Petri &c. celebrandis (1) Interdicti tempore, & ut, Feſtis illis translatis, Indulgentiæ (2) transferantur.

Anno 1518 Die 23 Julii.

Ex Bullario Uſuſmaris pag. 187.

XCI.

L E O PP. X.

Dilectis filiis Magiſtro Generali, & Fratribns Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXpoſuit Nobis venerabilis Frater noſter Nicolaus (3) Epiſcopus Albanenſis (4) S. R. E. Cardinalis, veſtri Ordinis Protector, quod licet inter privilegia Ordinis Fratribus Ordinis Minorum ab Apoſtolica Sede conceſſa, boc unum eſſe dicatur, ut quoties S. Franciſci, & S. Antonii de Padua, necnon S. Ludovici, & S. Bonaventurę, ac S. Clarę feſtivitates, & earum Octavę occurrunt tempore, quo Civitates, oppida, & loca, in quibus bujuſmodi feſta celebrantur, eccleſiaſtico interdicto, etiam Apoſtolica auctoritate, ſuppoſita ſunt, dictis feſtivitatibus, & earum octavis reſpective durantibus interdictum hujuſmodi ſuſpendere, & in Eccleſiis domornm ſuarum, pulſatis campanis, apertis januis, nominatim interdictis, & excommunicatis excluſis, Miſſas, & alia divina officia alta voce celebrare poſſint, & omnia privilegia eidem Ordini Minorum, & ejns profeſſoribus conceſſa, ex ejuſdem Sedis benignitate ſint dicto veſtro Ordini, & vobis communicata, voſque tam illorum, quam forſan ſpecialis indulti vobis deſuper conceſſi vigore, aut alias, in aliquibus mundi partibus, in Sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomę de Aquino, & Vincentii, ac S. Catharinę de Senis feſtivitatibus, & earum Octavis, reſpective durantibus, in Eccleſiis domorum veſtrarum ſimiliter facere conſueviſtis, tamen, qnia ſuper boc vobis, eo quod de dictorum Fratrum Minorum, ac ſpecialibus veſtris privilegiis legitimam uhique fidem ſine magna impenſa facere non poteſtis, ab aliquibus poſſet moleſtia, vel impedimentum afferri, dictus Epiſcopus Nobis humiliter ſupplicavit, ut vobis ſuper hoc de opportuno remedio providere, ex ſimili benignitate dignaremur. Nos autem, ad tantorum Sanctorum merita, & venerationem debitum reſpectum habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, devotioni veſtrę, ut quoties dictę feſtivitates Sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomę de Aquino, & Vincentii, ac S. Catharinę Senenſis, & eorum Octavę quomodocunque, etiam per translationem, celebrandę, occurrerint, in tempore, quo civitates, oppida, & loca eccleſiaſtico interdicto, etiam Apoſtolica auctoritate, ſunt ſuppoſita, in Eccleſiis domorum veſtrarum, & Monaſteriorum, quorum cura veſtro Ordini eſt commiſſa, niſi Eccleſię ipſę, vel vos, nominatim interdicti ſitis, vel cauſam dederitis interdicto, vel eam ſoveatis, poſſitis, pulſatis campanis, apertis januis, interdictis, & excommunicatis excluſis, alta voce, Miſſas, & alia divina officia, diurna & nocturna, in diebus feſtivitatum earundem, & Octavis earum reſpective durantibus, etiamſi per Octavas ipſas, & in die Octavarum non niſi memoria de Sanctis ipſis fieret, libere, & licite celebrare, auctoritate Apoſtolica concedimus per pręſentes. Ac volumus, ut quoties dictarum feſtivitatum, & octavarum earundem celebrationes, qualibet ex cauſa, etiam extra tempns interdicti, transferrentur, etiam Indulgentię, dictas Eccleſias in feſtivitatibus hujuſmodi, & per earum octavas viſitantibus pro tempore conceſſę, ad tempus celebrationis hujuſmodi, ſint, & cenſeantur translatę: Quodque ad effectum pręmiſſorum nullam de indultis, & privilegiis prędictis fidem facere teneamini, ſed pręſentes, & earum tranſumpta, quibus manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti munitis, eam prorſus fidem, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, decernimus eſſe adhibendam, ubique ſufficiant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis, ſtatutis, & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis. Quibus omnibus, illis alias in ſuo robore permanſuris, ex certa ſcientia expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcnnque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Julii (5) MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Diplomatis cauſa.

Facultas.

Nota:

1. *Celebrandis*.) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. L.*
2. *Indulgentiæ*.) Ibidem de *Indulgentiis*.
3. *Nicolaus*.) *De Fliſco* ex familia nuncupatus, de ipſo ſæpius dictum fuit, ejuſque in Ordinem beneficentiſſima protectio tot iſtis Apoſtolicis Diplomatibus ſe ſe prodit.
4. *Albanenſis*.) Hoc anno *MDXVIII* die *VIII* Februarii *Nicolaus* Epiſcopus *Albanenſis* renunciatus erat, uti notat *Ughellus in Epiſcop. Albanen. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 272.
5. *Die XXIII Julii*.) Ejuſdem Diplomatis, dati die *XX Auguſti MDXVIII*, exemplaria habes in Archivo Ordinis, ex Autographis aſſervatis in Cœnobiis *Barcbinonenſi*, & *Valentino*.

Anno 1518 Die 30 Julii.

XCII.

Ut non ſolum Fratres Prædicatores, ſed etiam ceteri Religioſi poſſint gradus (1) Doctoris &c. in Hiſpalenſi Collegio S. Thomæ recipere.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. Credita Nobis deſuper cura Paſtoralis officii, quo ſingulorum fidelium commoda, libenter amplectimur, merito Nos inducit, ut votis perſonarum, Nobis, & Sedi Apoſtolicę devotarum, per quę viris Religioſis literarum ſimul, & pię vitę ſtudiis inſudantibus, commoda procurantur, & ipſarum diſciplinę literarum in plures ſe ſe diffundendi paratur occaſio, gratum prębeamus aſſenſum, eaſque favoribus, & gratiis proſequamur opportunis. *Diplomatis cauſa.* Dudum (3) ſiquidem venerabilis Fratris noſtri Didaci (4) Archiepiſcopi Hiſpalenſis ſupplicationibus inclinati, unum Collegium viginti Fratrum Ordinis Prędicatorum Theologię ſtudere volentium, ſub vocabulo S. Thomę de Aquino, in Civitate Hiſpalenſi, auctoritate Apoſtolica, perpetuo ereximus, inter aliaque ſtatuimus, & ordinavimus, quod omnes, & ſinguli Fratres in dicto Collegio pro tempore reſidentes, poſſent in eodem Collegio, tam in Artibus, quam in Theologia deditos, & juxta morem Salamantinum (5), vel aliarum in illis partibus Generalium ſtudiorum univerſitatum requiſitos, ad Baccalaureatus, Licentiaturę, & Magiſterii Gradus ſuſcipiendos, curſus peragere. & ibi dictos Gradus, cum ſolitis inſigniis a Didaco pręfato, & pro tempore exiſtente Archiepiſcopo Hiſpalenſi, vel ejus Commiſſario, & ad id ab eo ſpecialiter deputato, recipere, & poſtquam dictos gradus, vel aliquem eorum recepiſſent, eiſdem prorſus privilegiis, pręrogativis, libertatibus, exemptionibus, antelationibus, indultis, & conceſſionibus, uterentur, poterentur, & gauderent, quibus illi, qui in dicta Salamantina, vel qualibet alia in illis partibus Generalium ſtudiorum univerſitatibus, in qua, ſeu quibus ipſi promoti, alias ſtuduiſſent, utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futurum, in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi in dicta Salamantina, vel alia ex dictis univerſitatibus, in qua, ſeu quibus, ut pręfertur, ſtuduiſſent, Gradus hujuſmodi recepiſſent, prout in noſtris, inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Didaci Archiepiſcopi, petitio continebat, ipſe Didacus Archiepiſcopus pro majori in dicto Collegio literarum exercitio, & frequentiori uſu, proque multorum pauperum Religioſorum commoditate deſideret, quod licentia, Gradus hujuſmodi, in Artibus, & Theologia recipiendi, ipſius Collegii Fratribus Collegialibus duntaxat conceſſa, etiam alii prędicti, & aliorum quorumvis Ordinum Religioſi, qui Gradus hujuſmodi in pręfato Collegio recipere velint, uti poſſint, pro parte dicti Didaci Archiepiſcopi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatutum, & ordinationem prędictam, ſuper recipiendis ſingulis Gradibus in Artibus, & cum facultate utendi privilegiis, & indultis hujuſmodi, ad omnes, & ſingulos alios, qui in eiſdem Artibus, & Theologia ad Gradus prędictos, vel eorum aliquem, in dicto Collegio promoveri voluerint, extendere, & ampliare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, pręfatum Didacum Archiepiſcopum a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis *Facultas.* ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum prędentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatutum, & ordinationem, ſuper ſingulis Gradibus in Artibus, & Theologia, in dicto Collegio recipiendis, cum facultate utendi privilegiis, pręrogativis, libertatibus, exemptionibus, antelationibus, conceſſionibus, & indultis hujuſmodi, ad hoc, ut omnes, & ſinguli alii prędicti, & aliorum quorumvis Ordinum Religioſi in dictis Artibus, & Theologia, Baccalaureatus, Licentiaturę, & Magiſterii Gradus, vel eorum aliquem in dicto Collegio recipere, &, poſtquam illos receperint, privilegiis, pręrogativis, libertatibus, exemptionibus, antelationibus, conceſſionibus, & indultis prędictis uti, de eorum Religioſorum, pro tempore promovendorum. Superiorum reſpective conſenſu, libere, & licite valeant, perinde, ac ſi ipſi de numero dictorum Collegialium forent, ſine prędjudicio alicujus dictarum Univerſitatum, auctoritate Apoſtolica, tenore prędentium extendimus, & ampliamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quę in dictis literis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrę abſolutionis, extentionis, & ampliationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prędumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo Octavo, Tertio Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Gradus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, authenticum, unum *Lib. B. fol.* 126 ex autographo *Hiſpalenſi*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. VI an. VI fol.* 287.

3. *Dudum.*) Die ſcilicet 14 Novem. an. 1516, ut ex Conſtitutione XLVIII ejuſdem *Leonis* videre eſt. Legitur *pag.* 333.

4. *Didaci.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Julii II.*

5. *Salamantinum.*) *Salmanticenſem* ſcilicet.

P. Ray-

F. Raymundus Boſmus (1) ſit Inquiſitor Toloſanus.

Anno 1518 Die 11 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Raymundo Boſmo (3), Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XCIII.

CONſiderantes &c. hęreſeſque, & errores eorum in Provincia Toloſana &c. Te in Provincia prędicta &c. Inquiſitorem facimus, conſtituimus, & etiam deputamus &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo Octavo, Tertio Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Raymundus Boſmus.*) Vide *Notam III.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLX fol.* 245.
3. *Raymundo Boſmo.*) Legendum *Goſino*, nec enim diſtinguendus videtur *Raymundus* iſte a *Raymundo Goſino*, de quo ſæpius dictum fuit. Primo ſiquidem *Boſmus* ille non reperitur in Inquiſitorum *Toloſanorum* ſerie, quam *Percinus* noſter exhibet in *Monumentis Toloſani Conventus de Inquiſitione Parte III pag.* 110. Nec ipſum novit *Fontana* noſter, Inquiſitores *Toloſanos* recenſens *Theatro Dominicano Parte III Cap. III Tit. LXXXIII pag.* 614. Eſto, levioris momenti ſit argumentum, quod ex Scriptorum ſilentio petitur, urget tamen *Fontana* teſtimonium, cujus hæc verba: *F. Raymundus Goſin poſt Gaillardum Inquiſitor longo tempore fuit, hoc eſt ab anno MDXVII a'que ad MDXXX.* Major eſt auctoritas *Percini*, variis enim inſtrumentis, quæ brevitatis ergo miſſa facio, probat, *Raymundum Goſin* Inquiſitorem *Toloſanum* fuiſſe ab anno *MDXVI* ad annum *MDXXXI*. Conſulendus *Percinus in Monumentis Conventus Toloſani Seculo IV ab anno MDXVI ad MDXXXI pag.* 106 *&c.* & in *Opuſculo de Inquiſitione III Parte Cap. VIII num. VII pag.* 108. Id probatur ſecundo *Conſtitutione CXIII, data XXX Auguſti MDXX*, qua liquet quod *Raymundus Goſin* Inquiſitor *Toloſanus* erat eodem anno *MDXX*. Ut autem ſolvatur difficultas quæ poſſet obiici, nota quod *Raymundus Goſin* fuit electus Inquiſitor *Toloſanus* anno *MDXVI*. Inquiſitor Regni *Franciæ* creatus eſt anno *MDXVIII* Menſe Martio die *XIV* Conſtit. LXXII. Ne autem ex hac ultima electione nuncium remitteret *Toloſanæ* Inquiſitioni, ejuſdem Provinciæ Fidei Cenſor renunciatus eſt hocce Diplomate. Sciendum ſiquidem, quod licet Inquiſitor *Toloſanus* nonnunquam Fidei Cenſor fuerit in toto Regno *Franciæ*, ut alibi dictum fuit, & ex iſto *Raymundo Goſin* evinci poteſt, ex eo tamen quod aliquis Inquiſitor Regni *Franciæ* conſtituebatur, jus propterea non dicebat *Toloſæ*. Habebat hæc Civitas Inquiſitorem ſuum. Exemplo ſit ipſius *Raymundi* deceſſor *F. Gallardus de Petra*. Anno *MCCCCLXXXV* Inquiſitor *Toloſanus* erat *Gallardus*, uti docet *Percinus* in *Monumentis Conventus Toloſani pag.* 104 his verbis: *Eodem tamen tempore MCCCCLXXXV F. Gaillardus de Petra uſque ad annum MCCCCXCIV approbat electionem Capitulariorum, ut Inquiſitor, quod patet ex Regiſtro.* Quod autem per id tempus alius eſſet Inquiſitor Regni *Franciæ*, liquet ex hoc Diplomate quod refert *Percinus* ipſe pag. 103. *Frater Antonius de Cleda, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Profeſſor, & Sacræ Paginæ Profeſſor Regens, ad officium Inquiſitionis hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, Ducatu Aquitaniæ, Occitaniſque partibus, ac in tota Vaſconia, per S. Sedem Apoſtolicam, ac ſupremam Domini noſtri Franciæ Regis Curiam ſpecialiter deputatus, Toloſæ communiter reſidens, dilecto Nobis in Chriſto R. P. F. Magiſtro Petro Aſtorgii, ipſius Sacræ Paginæ Profeſſori, ejuſdem Ordinis Prædicatorum de Conventu Ruthenæ, ſalutem in auctore Fidei Domino noſtro Jeſu Chriſto &c.* (Ipſum Vicarium ſuum in Diœceſibus *Rutenenſi*, & *Vabrenſi* conſtituit) *Actum & datum Ruthenæ die VIII Menſis Julii anno MCCCCLXXXV*. Nota quod *Antonius de Cleda* Inquiſitor Regni *Franciæ*, degebat *Toloſæ*, ibi ſiquidem Theologiam docebat in Academia, alius tamen Inquiſitor *Toloſatibus* jus dicebat Frater ſcilicet *Gallardus de Petra*. Ceterum amanuenſis hallucinatus videtur legens *B* pro *G*, quo poſito, maxima ſimilitudo reperitur in ceteris *oſmo*, & *oſino*: enim vero ſi apex literæ *i* neglectus fuerit, nihil diſcriminis erit.

F. Melchiorem (1) Cribellum de Leonibus Inquiſitorem Mediolanenſem creat.

Anno 1518 Die 28 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Melchiori Cribelli de Leonibus, Sacrę Theologię Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, in Diœceſi Mediolanen. hęreticę pravitatis Inquiſitori, & Commiſſario.

LEO PP. X. XCIV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ſępius ad aures noſtras, idque non ſine animi noſtri moleſtia pervenerit, in Diœceſi Mediolanen., & in quibuſdam aliis locis nonnullos exiſtere, qui, male de fide catholica ſentientes, hęreticę pravitati inhęrent, ac, quod deterius eſt, poſtquam viam veritatis agnoſcere, & ſectari neſciunt, tanquam plus ſapere, quam oportet ſapere, contendentes, alios eodem pravitatis, & iniquitatis vinculo irretire procurant, omni prorſus Dei, & humani juris metu poſtpoſito, cui rei tam enormi, niſi a Nobis opportune occurreretur in dies, profecto hujuſmodi vitium magis inter ceteros chriſti fideles, rectam ſanctamque viam ſectantes, tanquam pecus infecta, & recidiva, quę ſuo morbo totum corrumpit ovile, ſerperet. Quare, cupientes Nos, & prout ex paſtorali, quod Nobis incumbit, officio tenemur, tam pernicioſo, & deteſtando vitio opportune providere, omnes, & ſingulas alias commiſſiones ibidem per Nos hactenus forſan ſuperinde factas revocantes, & annullantes, quarum tenores, & continentias pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, confidentes, quod quę tibi commiſerimus, bene fideliter, ac cum laude exequeris; te, cum quo, etiam ſi trigeſimum ętatis annum non excedas, ad effectum pręſentium diſpenſamus, & in dicta Diœceſi Mediolanenſi, & alibi etiam, ubi opus erit, & requiſitus fueris, noſtrum, & Apoſtolicę Sedis Generalem Inquiſitorem, & Commiſſarium ſuper hęretica pravitate, ac contra quoſcunque, cujuſcunque gradus, ſtatus, Ordinis, & qualitatis, & pręeminentię, etiam in eccleſiaſtica, & mundana dignitate conſtitutos, de Sancta Apoſtolica Sede male ſentientes, & aliqua prava hęreſi involutos, & contaminatos, tenore pręſentium, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, facimus, conſtituimus, & deputamus; habito tamen prius conſenſu Generalis tui Ordinis; dan-

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

dantes, & concedentes tibi, & aliis a te forte ſuper id deputandis, harum ſerie auctoritatem, poteſtatem, & facultatem contra tales hęreticos, & male de fide catholica ſentientes, ut prefertur, inquirendi, inveſtigandi, procedendi, examinandi, pręcipiendi, & mandandi. Et poſtquam eos culpabiles & ſontes repereris, vel ipſi repererint, capi, carcerari, detineri, torqueri, puniri, moleſtari, & cetera alia, & ſingula fieri, & exequi, mandes, quę pro extirpandis, & avellendis hęreſi, & vitiis prędictis, tibi viſa fuerint opportuna, & neceſſaria. Contradictores, & rebelles, ac eis auxilium, conſilium, vel favorem, publice, vel occulte, directe, vel indirecte, quomodocunque pręſtantes, per cenſuras eccleſiaſticas, & pęnas etiam pecuniarias, tuo arbitrio imponendas, eas etiam aggravando, & reaggravando, ac ubi tibi, vel illis a te deputatis, de non tuto acceſſu conſtiterit, interdictum eccleſiaſticum apponendi, ac alia opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi. Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Mandantes propterea tam dictę civitatis Mediolani, & ejus Dięceſis Ordinariis, quacunque dignitate præfulgeant, ac omnibus, & ſingulis aliis, ubi te reperiri, contigerit, ut tibi in pręmiſſis exequendis pro noſtro, & Sedis Apoſtolicę honore, ac pro extirpando, & reiiciendo tam pernicioſo hęreticę pravitatis vitio, & errore conſilium, auxilium, opem, & favorem, quoties abs te requiſiti fuerint, pręſtare debeant, & teneantur, ſub excommunicationis latę ſententię, & indignationis noſtrę pęnis. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis, privilegiis, dictorum locorum, & Dięceſis, ceteriſque contrariis quibuſcunque &c. Volumus autem quod pecunię ex pęnis ſupradictorum provenienda apud aliquam fidam, & facultatibus idoneam perſonam, ad inſtantiam noſtram, & Camerę noſtrę Apoſtolicę expendendę, & erogandę in expeditione contra Turcas, per Nos indicta, deponantur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Auguſti MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Evangeliſta.

1. *Melchiorem.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Pauli III.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Mediolanenſi.*

Anno 1518 Die 31 Auguſti.

Congregationem (1) Gallicanam firmat, ac privilegiis ornat, & jubet in ſtudio Conventus Pariſienſis Regentes (2) a Generali Magiſtro præfici.

XCV.

Ex Archivo (3) Ordinis.

L E O PP. X.

Dilectis filiis Vicario Generali, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Obſervantię regularis in Provincia Francię juxta morem ejuſdem Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

VAcantibus ſub regulari obſervantia ſtudio pię vitę Apoſtolici favoris pręſidium libenter impendimus, & in iis, quę ſolidationem ſtatus, & quietem eorum reſpiciunt, eis Nos gratioſos, & favorabiles exhibemus. Sane per venerabilem Fratrem noſtrum Nicolaum (4) Albanen. Epiſcopum, Cardinalem de Fliſco nuncupatum, veſtri Ordinis Protectorem, Nobis expoſito, quod licet dilectus filius noſter Thomas (5) tituli S. Sixti Presbyter Cardinalis, tunc Generalis Magiſter ejuſdem Ordinis, Conventus reformatos Provincię Francię juxta morem dicti Ordinis, auctoritate, & ex ſpeciali commiſſione noſtra, ſibi per literas in forma Brevis, ad inſtantiam tunc Francorum Regis (6) facta, a Congregatione Ollandię (7), cui uniti erant, ſeparaverit, & ex eis unam novam Congregationem, quę Gallica nuncupatur, erexit, quę ex ſimili conceſſione eiſdem gratiis, privilegiis, exemptionibus, & indultis in favorem vitę regularis gauderet, & potiretur, quibus ipſa Congregatio Ollandię gaudebat, & potiebatur, ut in literis deſuper confectis plenius continetur. Quia tamen eaſdem gratias, exemptiones, privilegia, & indulta ſub nomine dictę Congrationis Gallicę non habetis, &, dicta Congregatione Ollandię rationabilibus ex cauſis, etiam noſtra auctoritate jam penitus extincta (8), privilegiorum, indultorum, gratiarum, & exemptionum hujuſmodi originales literę vel ex toto perierunt, vel in longinquis regionibus ſunt, ita ut eis uti vobis vel impoſſibile ſit, vel plurimum difficile, ipſaque conceſſio vobis fere inutilis fiat, & ob hoc rationabiliter timetis, vobis in detrimentum vitę regularis moleſtiam aliquam, vel impedimentum afferri, cui occurretur, ſi gratię, exemptiones, privilegia, & indulta dictę Congregationis Ollandię, & etiam aliqua alia de novo ſub nomine Congregationis Gallicę vobis concederentur; nos, veſtro proſpero & tranquillo ſtatui providere volentes, ut eo magis in eadem obſervantia proficere, & perſeverare valeatis, quo per Nos potioribus gratiis fueritis communiti, motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc oblatę Nobis petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia noſtra, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſtatuimus, & ordinamus, ut adinſtar dictę olim Congregationis Ollandię pręfata Congregatio veſtra Gallica in regularis obſervantię favorem ſubiiciatur immediate juriſdictioni, & regimini Generalis Magiſtri pro tempore dicti Ordinis, ita quod nullus alius Pręlatus ejuſdem Ordinis in eam aliquam juriſdictionem quomodolibet valeat exercere, pręterquam Vicarius, qui per Priores Conventuum ejuſdem Congregationis cum ſociis a vocalibus eorundem Conventuum electus, necnon per Magiſtros in Theologia, & Prędicatores Generales, ac Fratres, qui aliquando fuere Vicarii Generales ejuſdem Congregationis, ejus regimini ſubjectos, a majori parte citra medietatem omnium vocalium poſtulatus, & per Magiſtrum Ordinis, vel, eo mortuo, aut amoto, per Vicarium Ordinis, confirmatus extiterit, cujus Vicarii poſtulatio per pręfatos vocales ſemper de triennio in triennium fiat, itaut ſemper finito triennio alius mutetur Vicarius, duret tamen antiqui Vicarii auctoritas quouſque Vicarius noviter modo pręmiſſo poſtulatus, confirmatus, & pre-

Privilegia.

& pręſens intra terminos ipſius Congregationis fuerit. Habeat autem Vicarius, taliter poſtulatus, & confirmatus, omnem illam & prorſus ſimilem juriſdictionem, & auctoritatem in omnibus, & per omnia, quam ſecundum prędicti Ordinis inſtituta, & indulta Apoſtolica eidem Ordini conceſſa, Priores Provinciales habent in Conventibus, & Provinciis ſibi commiſſis, quę auctoritas per mortem vel amotionem Magiſtri Generalis non expiret, ſed perſeveret, donec alter Vicarius poſtulatus, ſupra dicto modo, & confirmatus fuerit. Si vero Vicarium ejuſdem Congregationis, durante ejus officio, mori, vel amoveri contigerit, Prior antiquioris Conventus reformatorum Conventuum dictę Congregationis in omnibus, & per omnia, ejuſdem Vicarii vices gerat, donec alter Vicarius poſtulatus, &, ut ſupra confirmatus extiterit, cum omni ſolita poteſtate, excepta duntaxat abſolvendi Conventuum Priores, & in ipſum eventum mortis, vel amotionis Vicarii ſupradicti, idem Prior ejus Vices gerens infra quatuor menſes congregare teneatur Capitulum ad poſtulationem Vicarii faciendam, ut ſupra dictum eſt, niſi ex cauſa legitima eandem poſtulationem ad aliud tempus prolixius, de aliquorum Patrum conſilio, duceret differendam. Quo caſu una cum Diffinitoribus dictę Congregationis Priores abſolvere poſſit. Liceat quoque pręfato dictę Congregationis Generali Vicario pro Conventuum negotiis, aut cauſis Congregationis, ad Romanam Curiam proficiſci perſonaliter, vel alios deſtinare, quoties ſibi viſum fuerit: teneatur tamen, vel ipſe, vel ab eo pro tempore miſſus, cum in Romana curia fuerit, Protectori, vel Procuratori Ordinis in eadem Curia exiſtenti, ſe pręſentare, necnon ipſe miſſus literas teſtimoniales dicto Protectori, vel Procuratori, exhibere. Statuimus etiam, ut Conventus tam reformati, quam qui in eadem Provincia a Fratribus Congregationis prędictę reformabuntur in poſterum, ſint, & cenſeantur eſſe de Congregatione prędicta, ac illius Vicario in omnibus, & per omnia, ut alii ſint ſubjecti. Concedimus quoque, ut quoties cariſſimus in Chriſto filius noſter Franciſcus (9), & pro tempore exiſtens Francorum Rex Chriſtianiſſimus, aut aliquis Princeps, Communitas, vel Civitas, petierit Conventum aliquem dictę Provincię in dominiis ſuis reformari, dictus Vicarius, cum conſilio diſcretorum, reformationem hujuſmodi Conventuum perficere poſſit, cujuſlibet ſuperioris dicti Ordinis, niſi Magiſtri Generalis, aut, eo mortuo, vel amoto, Vices ejus gerentis, licentia minime requiſita. Receptiones vero, ſive reformationes Conventuum de Fratribus dictę Congregationis executioni mandari non poſſint, niſi per eundem Vicarium, aut Fratres, quibus ipſe id duxerit committendum. Volumus inſuper quod Vicarius ipſe auctoritate quarumcunque literarum Apoſtolicarum, aut ſuperiorum ſuorum, ſeu per quęvis pręcepta, ſibi, aut ſuis inferioribus, directa, vel in poſterum dirigenda, ad reformationem, aut receptionem quorumvis Conventuum, aut Monaſteriorum Monialium, procedere non teneatur, ſed poſſit ſuperſedere, donec eandem Apoſtolicam Sedem conſulat, & aliud ab ea habuerit in mandatis. Volumus quoque, quod idem Vicarius omnes, & ſingulos Fratres Ordinis Prędicatorum in terminis ſibi commiſſę Viſitationis conſiſtentes, etiamſi ad ſervitium Parochialium, aut aliarum Eccleſiarum, vel beneficiorum Eccleſiaſticorum deputati fuerint, dummodo illorum veri Rectores, vel perpetui beneficiati non ſint, ac etiam illos, qui Pręlatorum, vel dominorum temporalium obſequiis inſtiterint, ut ad clauſtrum, & ad ejus obedientiam, reverti debeant, monitione pręvia, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione ceſſante, compellere. Ac omnes, & ſingulos Fratres Congregationis hujuſmodi, qui etiam prętextu quarumcunque literarum Apoſtolicarum, vel Sedis Apoſtolicę Legatorum, aut alia quavis auctoritate ad audiendum Confeſſiones quarumcunque Monialium cum ſcandalo ipſius Vicarii, ut Pręlatorum ſuorum, vel Fratrum dictę Congregationis deputati ſunt hactenus, vel deputabuntur in poſterum, ab hujuſmodi Confeſſionum audientia removere valeat. Ceterum diſtrictius inhibemus, ne quis dictę Congregationis Frater Magiſterii, vel alium quemcunque Gradum in S. Theologia, niſi ad illum per Capitulum dictę Congregationis expoſitus fuerit, aſſumere quoquomodo pręſumat, &, ſi qui aliter promoti fuerint, decernimus, eos pro non promotis haberi, & ad hujuſmodi Gradus perpetuo inhabiles cenſeri, & eſſe debere. Poſſit autem Vicarius ipſe cum Diffinitoribus dictę Congregationis in Capitulis ſuis inſtituere Prędicatores Generales, ſicut poſſunt Priores Provinciales cum Diffinitoribus Capituli Provincialis, qui officio illo in dicta Provincia fungi poſſint, & gaudeant, omnibus, & ſingulis gratiis, & prerogativis, ſicut alii Prędicatores Generales legitime inſtituti. Demum volumus & eadem auctoritate ſtatuimus, ut in ſtudio Conventus Pariſienſis dicti Ordinis illi ſemper pręfici debeant in Regentes, quos Vicarius cum Diffinitoribus dictę Congregationis a Capitulo, vel Magiſtro Generali dicti Ordinis inſtitui poſtulaverint. Inhibemus inſuper ſub excommunicationis pęna, quam contra facientes eo ipſo incurrant, & a qua niſi per Magiſtrum Ordinis, aut Vicarium dictę Congregationis, pręterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi nequeant, ne quis dictę Congregationis Frater abſque ejuſdem Magiſtri Generalis, vel Vicarii, licentia, ad alios Conventus ipſi Vicario non ſubjectos tranſire pręſumat. Quos taliter fugitivos ipſe Vicarius undecunque poſſit, etiam invitos, & ab invitis ad clauſtrum Conventuum dictę Congregationis revocare, eoſque juxta regularia dicti Ordinis inſtituta, corrigere & punire, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Quia vero rationi non congruit, ut Fratres, qui ab Ordine exempti ſunt, ipſi Ordini gravamen inducant, idcirco nolumus, quod tales exempti, quacunque, etiamſi Archiepiſcopali, aut Epiſcopali pręfulgeant dignitate in Conventibus dictę Congregationis ad manendum, vel habitandum recipi poſſint, vel jam recepti in eiſdem Conventibus retineri, niſi aliquando Vicario dictę Congregationis, accedente aſſenſu majoris partis ſeniorum illius Conventus, in quo merito aliquis recipiendus eſſet, aliter viſum fuerit. Alias demum gratias, exemptiones, privilegia, & indulta dictę olim Congregationis Ollandię, etiam in his literis non expreſſas, quatenus in derogationem obedientię Magiſtro Generali dicti Ordinis ex profeſſione veſtra debitę non cedunt, vobis confirmamus, & innovamus. Concedimus quoque, ut ad effectum pręmiſſorum nullam de indultis, privilegiis, gratiis, & exemptionibus prędictis fidem aliam facere teneamini, ſed pręſentes, vel earum tranſumpta, quibus manus Notarii ſubſcriptis publici, & ſigillo alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti munitis eam prorſus fidem in judicio, & extra, quę ipſis originalibus exhiberetur, decernimus adhibendam eſſe, ubique ſufficiant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & or-

& ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, necnon quibuſcunque, privilegiis, indultis, ac literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis Provinciali, & Provinciæ Franciæ, & Ordini præfatis, vel aliis illius profeſſoribus, in genere, vel in ſpecie, ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus & inſolitis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia conceſſis, & concedendis, & iteratis vicibus confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de eis, eorumque totis tenoribus, & dat, non per generales clauſulas, & ſpecialem mentionem importantes, ſed ſpecialis, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum mentio habenda eſſet, illis alias in ſuo robore permanſuris, pro hac vice duntaxat, motu, & ſcientia prædictis, derogamus, & nulli in præjudicium præmiſſorum ſuffragari volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die ultima Auguſti MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Evangeliſta.

1. *Congregationem.*) Vide *Conſtitutionem XXVI.*
2. *Regentes.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
3. *Archivo.*) In quo Autographum, & triplex exemplar authenticum.
4. *Nicolaum.*) De quo ſæpius dictum fuit.
5. *Thomas.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
6. *Regis.*) *Ludovici XII.*
7. *Congregatione Ollandiæ.*) Adeas *Bernardum de Jonghe in Belgio Dominicano.*
8. *Penitus extincta.*) Conſulendus auctor mox laudatus.
9. *Franciſcus.*) Hujus nominis *I.*

Anno 1518 Die 4 Septembris.

Confirmat privilegia vivæ vocis oraculo ab Alexandro VI conceſſa Congregationi (1) Provinciæ Aragoniæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Fratribus, & mulieribus Ordinis Prædicatorum de obſervantia Congregationis Provinciæ Aragoniæ.

XCVI. L E O PP. X.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut exponi Nobis feciſtis, alias felicis recordationis Alexander Papa VI, Prædeceſſor noſter vobis quod omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, immunitatibus, & prærogativis, quibus Fratres, & Sorores Ordinis Prædicatorum de obſervantia Provinciæ Caſtellæ utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poſſint, uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſitis, Apoſtolica auctoritate vivæ vocis oraculo conceſſerit, & indulſerit, prout in literis dicti Alexandri deſuper confectis, plenius dicitur contineri, &, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, vos conceſſionem prædictam per Nos approbari, & confirmari deſideratis, Nos igitur, honeſto deſiderio veſtro, paterna benignitate annuere volentes, veſtriſque in hac parte Nobis porrectis ſupplicationibus inclinati, conceſſionem hujuſmodi per præfatum Alexandrum Prædeceſſorem noſtrum vobis factam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, approbamus, & confirmamus, in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IIII Septembris MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

P. Blondus.

1. *Congregationi.*) De qua ſæpius dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum *Lib. B. fol.* 484, et alio aſſervato in Archivo Conventus S. *Onuphrii*, Provinciæ *Aragoniæ*.

Anno 1518 Die 12 Septembris.

Ut Conventus Congregationis Franciæ conſtituatur in Inquiſitionis Toloſanæ domo (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCVII. Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Raymundo Gozin. (3), Vicario Generali (4), & Dominico Calveti ſyndico, Ordinis Fratrum Prædicatorum reformatæ Congregationis Franciæ (5), Magiſtris in Theologia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXigunt merita ſacræ religionis, ſub qua divinis eſtis mancipati obſequiis &c. (6) Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ſi in quadam domo officii Inquiſitoris hæreticæ pravitatis nuncupata ſub invocatione S. Dominici infra limites Parochiæ Parochialis Eccleſiæ B. Mariæ de Albatæ (7) Toloſan. conſiſten., & ad domum S. Dominici Toloſan. veſtri Ordinis Prædicatorum, legitime pertinen., & in qua una Eccleſia, ac tria Altaria, refectorium, cellæ, cameræ, hoſpitium, prata, & duo viridaria exiſtunt, & Inquiſitores dictæ pravitatis Toloſan. pro tempore exiſtentes, reſidere conſueverunt, & dictus Ordo, ut ab aliquibus fertur, & creditur, ſumpſit exordium (8) ad inſtar unius domus Fratrum ejuſdem Ordinis cum campanili humili, campana, dormitorio, clauſtro, cæmeterio, & aliis officinis neceſſariis, pro uſu, & habitatione unius Prioris, & aliquorum Fratrum Congregationis dicti Ordinis ſub regulari obſervantia reformatæ, ſub cura, & obedientia dictæ Congregationis, vel

vel juxta providam ordinationem, per vos, deſuper faciendam degere debentium, redigeretur, & ſic redacta prçfatis Fratribus pro eorum uſu, & habitatione hujuſmodi concederetur, profecto ex hoc augeretur divinus cultus, ac Religionis propagationi cum circumvicinorum Chriſti fidelium ſpirituali conſolatione, conſuleretur. Quare pro parte veſtra, aſſerendo, te, fili Raymunde, dictç pravitatis in Regno Franciç Inquiſitorem (9) exiſtere, & dictis Fratribus domum ipſam vigore ſpecialis privilegii Apoſtolici eis conceſſi recipere, & retinere licere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis dictam domum officii Inquiſitoris, ut prçfertur, redigendi, & eam dictis Fratribus pro eorum uſu, & habitatione perpetuis, concedendi, licentiam concedere, aliaſque in prçmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, vos a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis dictam domum Inquiſitoris ad inſtar unius domus Fratrum dicti Ordinis, ſub invocatione, de qua vobis videbitur, cum campanili humili, campana, dormitorio, clauſtro, cçmeterio, & aliis officinis neceſſariis, ſine alicujus prejudicio redigi, faciendi, & poſtquam redacta fuerit, cum Eccleſia, & officinis, ac hortis, prçdictis Fratribus in ea ſub dictç Congregationis cura, & obedientia, vel alias, juxta providam ordinationem, per vos deſuper faciendam, degere debentibus, pro eorum uſu, & habitatione perpetuis aſſignandi, ac etiam in eadem domo aliquem receſſum, cum opportunis officinis, in quo dictç pravitatis Inquiſitores reſidere valeant concedendi, dilectorum filiorum Thomç (10) tituli S. Sixti Presbyteri Cardinalis, qui etiam dicti Ordinis Magiſter Generalis exiſtit (11), necnon moderni Prioris (12), & Fratrum domus S. Dominici, ac totius Congregationis prçdictarum, ad hoc accedente conſenſu, auctoritate Apoſtolica, tenore prçſentium, licentiam largiamini &c. Nos enim eidem domui, & illius Priori, & Fratribus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, conceſſionibus, indulgentiis, & indultis dicto Ordini, & illius etiam Congregationis hujuſmodi domibus, illarumque Prioribus, & Fratribus per Nos, & alios Romanos Pontifices, Prçdeceſſores noſtros, ac Sedem Apoſtolicam, & alias conceſſis, & concedendis, & quibus illi de jure, vel conſuetudine, aut alias utuntur, potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, jure Parochialis Eccleſiç, & cujuslibet alterius, in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate, & tenore prçmiſſis, de ſpecialis dono gratiç indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrç abſolutionis, largitionis, indulti, & derogationis infringere &c. Si quis &c. Datum ... Montis Roſati (13), Nepeſan. (14) Diçceſis, Anno Incarnationis Dominicç Milleſimo Quingenteſimo Decimo octavo, Pridie Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Domo.*) Adeas *Percinum* in *Monumentis Conventus Toloſani*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXV fol. 47.*

3. *Raymundo Gozin.*) Seu *Goſſin*, *Goſin*, & *Gauſin*, ut a *Percino* cognominatur. Conſulendus idem Auctor *Seculo IV ad annum MDX pag.* 106 *&c.* Sic etiam *Raymundi* cognomen ſcribitur apud *Echard Tomo II Scriptorum Ord. ad annum MDXXXIV pag.* 90 *&c.*

4. *Vicario Generali.*) Hoc idem munus obibat anno *MDII*, quo *Congregatio Franciæ* fuit erecta. Ipſi ſiquidem primus Vicarius Generalis datus eſt *Raymundus* noſter, uti notat *Echard* mox laudatus, *pag.* 92 *col. II.* Addit quod eo munere ſolutus eſt anno *MDVII*, nec novit quod hoc anno *MDXVIII* eodem fungebatur officio.

5. *Congregationis Franciæ.*) Cave, confundas iſtam Congregationem *Franciæ* cum Congregatione *Gallicana*, uti contigit *Percino* noſtro. Utraque florebat eodem tempore. Utraque fuit in *Galliis*. Sed Congregatio *Gallicana*, de qua conſulendæ Conſtitutiones *XXVI*, & *XCV* ejuſdem *Leonis X*, conſtituta fuit ex Cœnobiis, quæ *Hollandiæ* Congregatio prius habebat. Iſta vero Congregatio *Franciæ* fuit erecta ex Conventibus Provinciarum *Toloſanæ*, & *Provinciæ*.

6. *Obſequiis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

7. *De Albata.*) Vulgo *La Dalbade*.

8. *Sumpſit exordium.*) Nota opinionem illam nonnullorum. Domus enim hæc diſtinguenda a Cœnobio *S. Romani*,

9. *Inquiſitorem.*) Inquiſitor igitur, & Congregationis *Franciæ* Vicarius Generalis erat *Raymundus*. Anno *MDXVI* Fidei Quæſitor *Toloſæ* renunciatus fuerat, ut videre eſt ex inſtrumento, quod refert *Percinus* ſupra laudatus, *pag.* 106 *col. II ad an. MDXVI*. Conſulenda Conſtitutio *LXXII* data *XIV* Martii *MDXVIII*, & Notæ in Conſt. *XCIII*.

10. *Thomæ.*) *Cajetani*, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

11. *Exiſtit.*) Sic amanuenſis; legendum; *extitit*: licet enim tunc viveret *Thomas*, Cardinalis tamen renunciatus erat ab anno præcedenti, & hoc anno *MDXVIII* jam a menſe Maio ſucceſſor *Thomæ* creatus fuerat *Garcias Loayſa*, Magiſter Generalis electus *Romæ* die *XXII* Maii.

12. *Prioris.*) Fratris ſcilicet *Spiritus Roteri*, uti docet *Percinus* ſæpe citatus *pag.* 107 *col. I*, ubi hæc habet: *Anno* 1518 *jam citatus F. Spiritus Roterus, ut Prior audit computa.* Notandum tamen quod apud eundem Auctorem in *Serie Priorum Conventus Toloſani pag.* 182 Prior ab anno 1516 ad annum 1520 dicitur *F. Dominicus Calveti*. Et in hoc errat *Percinus* noſter. Frater ſiquidem *Dominicus Calveti* hoc anno *MDXVIII* ſyndicus erat, ut ex hujus Diplomatis inſcriptione videre eſt.

13. *Montis Roſati.*) Vulgo *Monteroſi*: Aliis *Mons Roſeus*, vel *Roſulus*.

14. *Nepeſan.*) *Nepeſin.*; vulgo *Nepi*, in *Hetruria* ditionis Pontificiæ.

Anno 1518 Die 2 Novembris.

Thomæ (1) Cajetano, S. R. E. Cardinali, quid in cauſa Lutheri (2) ſit agendum præſcribit.

Ex Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II pag. 346.

XCVIII.

Dilecto filio noſtro Thomę tit. S. Sixti S. R. E. Presbytero Cardinali, noſtro, & Apoſtolicę Sedis de Latere Legato (3).

L E O PP. X.

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm nuper tuis literis Nobia ſignificaveris, quod licet alias circunſpectioni tuę commiſerimus, ut Fratrem Martinum (4) Lotter (5), qui propter ejus in Nos, & Sedem Apoſtolicam maledicta, & hęretica ejus ſcripta, notorius hęreticus erat, & ex abundanti, ut talis, per Camerę Apoſtolicę Generalem Auditorem, inſtante Procuratore Fiſcali, declaratus fuerat, capi faceres, illumque moneres, ut ſi ſuper his ſe excuſare, & coram Nobis comparere vellet, Nos eum, licet audiri non mereretur, clementia noſtra paratos eſſe, etiam ſibi pręſtita ſecuritate, benigne audire, tamen credere non abs re forſan fore, ſi cauſa ejus, licet exilis ſit, quę apud hanc Sanctam Sedem agitari, & cognoſci deberet, per te iſtic audiri, & terminari poſſet (6). Nos mente revolventes, quod illius vices in terris tenemus, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat, ejuſque proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, ac de ſingulari tua doctrina plurimum confidentes, quod ea, quę tibi commiſerimus diligenter exequeris, eidem circunſpectioni tuę committendum duximus, prout etiam committimus, ut eundem Martinum coram te accerſiri facias, ejuſque cauſam diligenter examines, eaque per te diligenter audita, & examinata, ad illius abſolutionem, vel condemnationem, prout juſtum fuerit, procedas. Et nihilominus ſi ipſum in errorem prolapſum fuiſſe repereris, eumque errores ſuos publice fateri, & publice abjurare paratum eſſe, illum injuncta ſibi prius pęnitentia ſalutari, plenarie abſolvendi, & ad famam, honoreſque reſtituendi, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam, & facultatem concedimus. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die II Novembria MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Thoma.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Lutheri.*) Quis fuerit impius iſte, nemo neſcit.
3. *Legato.*) In *Germaniam* miſſus erat *Thomas*, ut inter *Maximilianum* Cæſarem, & Regem *Daniæ* fœdus firmaret contra *Turcas*, ex Notis *ad Conſtitutionem LXXVIII.*
4. *Fratrem Martinum.*) *Fratrem* vocat, quia vota ſolemnia nuncupaverat ſceleſtus ille.
5. *Lotter.*) *Lutherum* ſcilicet.
6. *Terminari poſſet.*) Quid actum ſit, paucis refert *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad an. MDVIII pag. 15*, ubi hæc habet: *Jam autem in Germaniam pervenerat* Thomas, *& Auguſta Vindel. morabatur, mandata feliciter peragens, cum Breve Pontificis accepit ipſi præcipientis, ut Lutherum, qui Romam citatus adire renuebat ex jure nationis Germanicæ, comparere coram ſuo tribunali juberet, & ad revocandos errores induceret. Paruit Legatus Lutherum ad ſe accerſiri jubet, venientem menſe Octobri benigne excipit, tremebundum, & ad pedes advolutum perhumane erigit, cum eo non diſputat, neque enim id e ſua dignitate, ſed ut minus conſulte dicta revocet, vel ſi ſimpliciter fateri pudet, ſaltem ſi quæ ſint in ſuis lucubrationibus minus ſana, cenſuræ Sedis Apoſtolicæ ſubiiciat, ſuaviter monet. Aſſentitur Lutherus, omnia promittit in craſtinum, ſed altero die quatuor Imperii Senatoribus, & uno Notario ſtipatus rediens, promiſſa negat, & appellat. Tum Legatus, viri inconſtantiam miratus, pro merito durius increpat, quæ mala ipſi impendant, ſeu a Cæſare, ſeu a Principibus Germanis, ſeu a Pontifice, ſe ſuſque deque haberi non paſſurum minitatur. Floccifacit omnia Lutherus, & inſalutato Legato in Saxoniam cedit.*

Anno 1518 Die 3 Decembris.

De Confeſſionibus, quas excipiunt Fratres Mendicantes, aliiſque eorundem privilegiis (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCIX.

L E O PP. X.

Univerſis, & ſingulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis electis Abbatibus, Prępoſitis, ac Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Spiritualibus Vicariis, ubilibet conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis fecerunt dilecti filii Generalis, & Provinciales, Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani, & alii Fratres Ordinis Minorum de Obſervantia regulari nuncupati, quod licet alias &c. (3). Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die III Decembris MDXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum *Lib. B. 610*, ex autographo *Barchinonenſi*. Legitur apud *Waddingum Annal. Minorum Tomo VIII pag. 221, ex Regeſt. Apoſtol.*
3. *Alias &c.*) Ut in *Conſtitutione LXXXVII data XXV Junii MDXVIII* ad finem uſque. Legitur *pag. 367.*

Fir-

Firmat ea quæ pro Wratiſlavien. (1) Cœnobii, & Monaſterii reformatione ſancita ſunt.

Anno 1519 Die 7 Januarii.

C.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EA quę pro laudabili reformatione Domorum, & Monaſteriorum &c. (3). Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Domus S. Adalberti Ordinis Fratrum Prędicatorum, & dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum Monaſterii S. Catharinę (4) ſub habitu, & cura dictorum Fratrum viventium, Wratislavien. Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum alias quondam Bartholomęus Taxerius (5) dicti Ordinis Generalis Magiſter, inter cetera loca dicti Ordinis, domum S. Adalberti, & Monaſterium S. Catharinę hujuſmodi reformaſſet, ac ad Regularem obſervantiam provide reduxiſſet, & nonnullorum Regularium ſtatutorum, & cęremoniarum, ſecundum diſpoſitiones conſtitutionum, & Regulam dicti Ordinis, feciſſet, ſtatuiſſet, & ordinaſſet, prout in literis ipſius Bartholomęi Generalis plenius dicebatur contineri, pro parte dictorum Prioris Conventus, Prioriſſę, & Sororum felicis recordationis Eugenio PP. IV Prędeceſſori noſtro humiliter ſupplicato, ut ordinationi, & ſtatuto prędictis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere dignaretur, idem Eugenius, Prędeceſſor, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ordinationem, & ſtatuta prędicta, rata, & grata habens, illa auctoritate Apoſtolica confirmavit, ſupplens omnes defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem, prout in ipſius Prędeceſſoris literis (6) plenius continetur. Quare pro parte Prioris, & Conventus, ac Prioriſſę, & Sororum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatuta, & ordinationem Bartholomęi, necnon confirmationem, & approbationem, ac literas Eugenii, Prędeceſſoris hujuſmodi, confirmare, approbare, & innovare, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Priorem, & Fratres, ac Conventum, & Prioriſſam, ac Sorores prędictos, & eorundem Conventus ſingulares perſonas, a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati ſtatuta, & ordinationem Bartholomęi, & prout illa concernunt, omnia, & ſingula, in ejuſdem Bartholomęi literis contenta, necnon confirmationem, & approbationem, ac literas Eugenii Prędeceſſoris hujuſmodi auctoritate Apoſtolica approbamus, confirmamus, & innovamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus, illaque perpetuę firmitatis robur obtinere debere decernimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo Octavo (7), Septimo Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

1. *Wratislavien.*) Vulgo *Breslau*. Juris ſunt Provinciæ *Bohemia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXX fol.* 240.
3. *Monaſteriorum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *S. Catharinæ*.) Virginis, & Martyris.
5. *Taxerius*.) *Texerius*, Gallice *Teixier*. De ipſo ſæpius dictum fuit.
6. *Literis*.) *Conſtitutione* ſcilicet *CLXXXVII*. Legitur *Tomo III pag.* 101.
7. *Decimo Octavo*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXIX*.

Conſervatores creat qui præcedentem Conſtitutionem ſervandam curent.

Anno 1519 Die 7 Januarii.

CI.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Wratislavien., & dilecto filio Prępoſito Eccleſię Legnicen. (2) Wratislavien. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie emanarunt a Nobis literę tenoris ſubſequentis: Leo &c. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Ea, quę pro laudabili &c. (3). Quo circa diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, pręmiſſa, ubi, quando, & quoties expedire convenerit, fueritiſque deſuper pro parte ipſorum Prioris, & Conventus Domus S. Adalberti, & Prioriſſę, ac Sororum Monaſterii S. Catharinę ſub habitu, & cura dictorum Fratrum viventium Wratislavien. Dięceſis, Ordinis Fratrum Prędicatorum, requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis, pręſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra, ſtatuta, & ordinationem Bartholomęi, ac Literas Eugenii, Prędeceſſoris hujuſmodi, perpetuis, futuris temporibus inviolabiliter obſervari; non permittentes eos deſuper, per quoſcunque quomodolibet indebite moleſtari, inquietari, vel turbari; Contradictores &c. Invocato, etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus omnibus prędictis, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri &c. & aliis &c. quibuſcunque. Seu ſi aliquibus &c. ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo Octavo (4), Septimo Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo*.) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXX fol.* 240.
2. *Legnicen.*) *Lignitien.*, vulgo *Lignitz*, in *Sileſia*.
3. *Laudabili &c.*) Ut in præcedenti Conſtitutione ad finem uſque.
4. *Decimo Octavo*.) Stylo Bullarum æræ communis *MDXIX*.

Anno 1519 Die 8 Januarii.

Eadem de re.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CII.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EA, quę pro laudabili reformatione &c. (2). Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo Octavo (3), Sexto Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXXVIII fol.* 91.
2. *Reformatione &c.*) Ut in Conſtitutione C. ad finem uſque.
3. *Decimo octavo.*) Stylo Bullarum, ære communis *MDXIX.*

Anno 1519 Die 17 Martii.

Ut, non obſtantibus Apoſtolicis literis, Fratres ab officiis (1) removeri poſſint.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CIII.

L E O PP. X.

Dilecte fili (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXpoſuiſti Nobis, quod quamvis in Ordine Predicatorum tuę curę commiſſo, Priores tam Provinciales, quam Conventuales, Vicariique Generales Congregationum, & Prioriſſę Monaſteriorum de cura, habitu, & inſtitutis ejuſdem Ordinis, in nonnullis Provinciis ex ſtatuto Sedis Apoſtolicę limitatum tempus habeant, quo elapſo ſunt a ſuis officiis ipſo facto abſoluti, in aliis vero Provinciis ſecundum ejuſdem Ordinis regulares inſtitutiones in officiis hujuſmodi durare poſſint, quouſque ſuperiori poteſtatem habenti viſum fuerit, qui eos ab officiis hujuſmodi libere removere, & deſtituere poteſt, nonnulli tamen Priores, & Prioriſſę a Sede Apoſtolica, & forſan etiam a Nobis literas Apoſtolicas obtinuere, ut in officiis hujuſmodi ad vitam ſuam manere, & inde nullatenus per quemcunque ſuperiorem dicti Ordinis, etiam te, vel pro tempore Generalem Magiſtrum removeri poſſint, quod non ſolum in ambitionis fomentum, ſed etiam in derogationem regularis obedientię, & in Provinciarum, Conventuum, Monaſteriorumque, non modicum quandoque cedit detrimentum, & cedere poſſet in futurum, utque ſuper hoc de Apoſtolica benignitate providere dignaremur, humiliter ſupplicari feciſti. Nos igitur, perſonis regularem obedientiam profeſſis, omnem ambitionis aditum auferre cupientes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium, omnes, & ſingulas literas Apoſtolicas, etiam in forma Brevis a quibuſvis noſtris Predeceſſoribus Romanis Pontificibus, aut etiam a Nobis, vel Sedis Apoſtolicę, in quibuſcunque Regnis, aut Provinciis Legatis, etiam a Latere, vel Nunciis Apoſtolicis Legatorum auctoritate fungentibus, ſeu a Penitentiaria Apoſtolica, quibuſvis Prioribus, tam Provincialibus, quam Conventualibus, Vicariis Generalibus, Prioriſſiſque Monaſteriorum de cura, habitu, & inſtitutis dicti Ordinis, aut quibuſvis aliis officialibus ejuſdem Ordinis, quod in officiis hujuſmodi ad vitam durare debeant, & inde removeri non poſſint, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis, conceſſas, nomina Provinciarum, Congregationum, Conventuum, Monaſteriorum, officiorum, & perſonarum, tenoreſque literarum hujuſmodi pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, ex certa ſcientia revocamus, caſſamus, & annullamus, volumuſque, & ſtatuimus, ut perpetuis futuris temporibus Priores, Prioriſſę, Vicarii, & officiales hujuſmodi, quoad eorum in officiis hujuſmodi durationem in omnibus, & per omnia ſtatutis Apoſtolicis, & Conſtitutionibus dicti Ordinis de hujuſmodi duratione reſpective ſubiiciantur, & per ſuos ſuperiores, quando eis videbitur ab hujuſmodi officiis removeri, & deſtitui poſſint. Non obſtantibus premiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Et quia difficile foret preſentes literas noſtras originaliter ad ſingula loca, quo opus foret deſtinari, volumus, & decernimus, quod earum tranſumptis manu tua ſubſcriptis, & ſigillo tui Generalatus officii, vel manu alicujus Notarii publici, & ſigillo alicujus in dignitate eccleſiaſtica conſtituti munitis, ea prorſus in judicio, & extra ubicunque exhibita, vel oſtenſa fuerint, fides adhibeatur, ac ſi ipſę originales literę forent exhibitę, & oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII Martii (4), Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Mandatum.

1. *Officiis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum *Lib. B. fol.* 605, ex Autographo *Barchinonenſi.*
3. *Dilecte fili.*) Deeſt inſcriptio, ſic autem reſtituenda videtur: *Dilecto filio Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Predicatorum.*
4. *Martii.*) Adde *MDXIX.*

Elec-

Electoribus (1) Imperatoris Romanorum, ut audiant F. Thomam (2), S. R. E. Cardinalem, Legatum a Latere.

Anno 1519 Die 6 Maij.

Ex Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II pag. 347.

L E O P P. X.

CIV.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SOliciti vehementer ſumus, ne hęc Romani vacatio Imperii magnarum perturbationum cauſam afferat, partim adempto Principe (3) ſolutis cupiditatibus aliquorum, partim propter propinquam electionem in diverſa ſtudia accenſis. Eſſemus autem & animo perturbatiores, niſi magna in devotionis veſtrę diſcretione, prudentia, ęquitate, religione, ſpem conceptam haberemus. Exiſtimamus, vos noſtris diuturnis laboribus, quos pro communi Chriſtianorum concordia, & tutela fidei noſtrę ſuſcepimus, non defuturos (4). Etenim in eo ſtatu Chriſtianitas eſt, ut niſi hoc remedio pacis inter Nos ei ſuccurratur, feris, & immanibus Turcis, ad prędas, & incendia, quod avertat Deus, ſit expoſita: Audivimus autem magno cum dolore noſtro bellum in nonnullis Germanorum nationibus exortum eſſe. At Nos cum quinquennales inducias, clarę memorię pręſertim Maximiliani Cęſaris hortatu, ac deinde approbatione, indiximus, eas pęnas, cenſuraſque eccleſiaſticas addidimus, ut qui eas violare auderent, laqueos animarum ſuarum incurrerent duriſſimos. Sed quid attinet, ſi tamen ſunt, qui nec Dei, nec ſalutis ſuę perpetuę ducunt rationem? Nos enim pro manſuetudine noſtra, & paterno affectu erga omnes potius vellemus peccata prohibere, quam peccatis pęnam inferre. Quid ſancto religioſo, & ad unionem Chriſtiani Imperii propenſo animo conferre poſſit, ęquum eſt a vobis expectemus, quibus etiam quantum tribuamus, dilectus filius noſter Thomas tit. Sancti Sixti Presbyter Cardinalis, noſter, & Apoſtolicę Sedis de Latere Legatus per ſuas literas, necnon Robertus Latinus Archiepiſcopus Rheginus, & Marinus Caracciolus, vel eorundem Nuncii diffuſius vobis explicabunt, qnibus, & eorum cuilibet fidem pleniſſimam habebitis. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die VI Maii MDXIX, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Ja. Sadoletus.

1. *Electoribus.*) Inſcriptio Diplomatis deeſt quidem, ſed ex ipſo liquet, quod Electoribus ſcribebat *Leo*.

2. *Thomam.*) *Cajetanum*, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

3. *Principe.*) *Maximiliano*.

4. *Defuturos.*) Imperator renunciatus eſt *Carolus V*. De hac electione audiendus ipſe *Carolus* in Epiſtola quam ſcripſit *Thomæ Cajetano*. Hujus tenor is eſt: *Reverendiſſimo in Chriſto Domino Thomæ tit. Sancti Sixti S. R. E. Presbytero Card. Sedis Apoſtolicæ Legato de Latere in Germania, amico noſtro cariſſimo, Carolus divina favente clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Hiſpaniarum, utriuſque Siciliæ, Jeruſalem, Archidux Auſtriæ, Illuſtriſſimo in Chriſto Patri Domino Thomæ S. R. E. tit. Sancti Sixti Presbytero Cardinali, amico noſtro cariſſimo, ſalutem, & omne bonum. Reverendiſſime in Chriſto Pater, amice cariſſime. Cum certiores facti ſumus, nos concordi omnium Principum electorum ſuffragio in Romanorum Regem ad Imperii gubernacula electos eſſe, & non nos lateat, quam fidelem operam pro felici ejus rei auſpicio Rev. P. V., & ex Sanctiſſimi Domini noſtri mandato, & proprio nomine nobis præſtiterit, noſtrarum partium eſſe duximus, eidem pro ſingulari, quo eam proſequimur amore, & benevolentia, in præſenti ſcribere, ſignificantes, nos tantæ dignitatis acceſſionem, quam dum devotæ mentis noſtræ erga Deum, & Chriſtianæ Religionis commodum, & augmentum, conſcii ſumus, ſolo divino munere tributam nobis credimus, non tam privata, quam Reipub. cauſa, hilari, & grato animo acceptare, cogitationeſque noſtras omnes eo eſſe directas, ut ſuſcepto Auguſti nomine, tantum Chriſtianæ Reipub., ac imprimis S. Sedis Apoſtolicæ auctoritate profuturi ſimus, quantum potentia, & voluntate ſemper prompti, & inclinati fuimus, atque, ut talem exhibeamus in Imperio, qualem juſtum, & pium decet eſſe Imperatorem. Quanta autem devotione afficiamur erga S. D. N., ac Apoſtolicam Sedem, & quam gratam nobis extiterit Rev. P. veſtra officium, utriuſque nomine nobis pro Imperatoriæ dignitatis aſſecutione præſtitum, omni obſervantia, & magnitudine monſtrare curabimus, & Rever. P. V. felicem vivere cupimus. Datum in Civitate noſtra Barchinonæ die XXIX Julii Anno Domini MDXIX.*

Yo el Rey.

Confirmatio privilegiorum San-Maximinenſis (1) Cœnobii.

Anno 1519 Die 1 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CV.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus B. Marię Magdalenę de Sancto Maximino, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Aquenſis Diœceſis, Nobis, & Romanę Eccleſię ſubjectę immediate, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm a Nobis petitur quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates, & immunitates a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive per privilegia, vel alia indulta, vobis, & domui veſtrę conceſſas, necnon libertates, & exemptiones ſecularium exactionum, a Regibus, & Principibus, ac aliis Chriſti fidelibus vobis, & domui veſtrę hujuſmodi rationabiliter indultas, ſicuti eas juſte, & pacifice poſſidetis, vobis, & per vos eidem domui auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, Indig-

indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo nono, Kalendis Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *San-Maximinen.*) Conſulendæ Conſtitutiones *III, IV &c. Bonifatii VIII Tomo II pag. 40 &c.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *San-Maximinen.* Legitur in *Bullario San-Maximinenſi pag. 39.*

Anno 1519 Die 9 Julii.

Ne quis libros auferat de Bibliotheca (1) Florentini Cœnobii S. Marci.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CVI.

L E O PP. X.

Dilecte fili (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm non ſine animi diſplicentia nuper acceperimus quoſdam iſtic proprię ſalutis immemores ex Bibliotheca veſtri Monaſterii S. Marci, Ordinis veſtri, per anteceſſores, ac progenitores noſtros, magnifica impenſa conſtructa, & ornata, codices nonnullos, ſeu libros, etiam ex pretioſis quandoque, ac ſingularibus, ibidem ſub catenis contentis, & reſervatis, ac ex eiſdem aliquoties quinterniones diſſutos, gladioque preciſos, & chartas, vel partem earum per ſe, vel per alios, furtive, ac nimis callide abſtuliſſe, & aſportaſſe, frequenterque contingere, ut inde attentent ſimiliter aſportare, in prejudicium grave nimis, & damnum ſtudii Fratrum veſtrorum, & Monaſterii, & Ordinis veſtri, totiuſque Reipublicę Florentinę, ac dedecus noſtrum, & antiquorum familię noſtrę de Medicis, Conventus veſtri, & librarię veſtrę auctricis, & protectricis, ac contra bonos mores: volentes obviare prçmiſſis, & ne ſimilia in poſterum committantur providere, ac ſtudio Fratrum veſtrorum conſulere, qui erga nos, ſanctamque Sedem noſtram pia ſemper obſequia prçſtant, motu proprio, ex certa ſcientia, & ex plenitudine poteſtatis, omnes, & ſingulos Chriſti fideles cujuſcunque ſtatus, & conditionis exiſtant, etiam in maxima dignitate conſtitutos, tam prçſentes, quam futuros, primo in virtute obedientię, ac ſecundo ſub pęna excommunicationis latę ſententię, quam in eos, & eorum quemlibet, unica pro trina canonica monitione prçmiſſa, ferimus in his ſcriptis, prçcipimus, & mandamus, quatenus infra ſex dies a prçſentium notitia ſupraſcripta ablata, reſtituant, ſeu reſtituat cum effectu. Non obſtante forſan abſolutione, ſi qua fuiſſet obtenta, ſeu extorta a quibuſcunque juris ignaris, Confeſſoribus, vel Pęnitentiariis, Miniſtris, ſeu Commiſſariis Apoſtolicis, executoribus etiam tam Hoſpitalis Sancti Spiritus, quam aliis quibuſcunque, etiam fabricę Sancti Petri de Urbe, cum noſtrę intentionis fuit, & ſit ſub quibuſvis clauſulis etiam fortioribus, & efficacioribus, nullo modo comprehenſum fuiſſe, nec in futurum comprehendi abſolutionis beneficium ab ejuſmodi ſacrilegiis, & furtis, niſi reſtitutione peracta, vel cautione prçſtita. Utque in futurum firmius, & ſecurius iidem codices in Bibliotheca prçfata ſerventur, nec talia perpetrentur, motu, & ſcientia, conſimili, ac ſub eiſdem monitione, & pęna prçcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, etiam quocunque privilegio fulcitis, & quacunque reſplendentibus dignitate, tam prçſentibus, quam futuris, quatenus ſub prçfata excommunicationis latę ſententię pęna, quam contrafacientes ipſo facto incurrant, nec abſolutionis beneficium, a quoquam niſi a Summo Pontifice, vel a te, vel a ſucceſſoribus tuis, & cui duxeritis committendum, niſi poſtea integraliter reſtituerint cum effectu, ac de ipſa reſtitutione conſtiterit, & niſi in mortis articulo, prçſtita cautione, aliquo modo valeat obtinere, nec etiam a Pęnitentiariis, & Apoſtolicis Commiſſariis, etiam pro cauſis, de quibus ſupra, de prçdicto Conventu S. Marci, aut de Bibliotheca prçdicta codices, ſeu libros quoſcunque integros, ſeu partem illorum aliquomodo extrahere, aſportare, amovere, furtive tenere, aut te invito contractare, nec tibi, aut Fratribus tuis prçfati Conventus occultare, ſub quovis prçtextu, vel cauſa, ſeu occaſione, aut quçſito colore, niſi forte de voluntate prçſidentis ipſius Conventus, quandoque a cuſtodibus eorundem librorum ad tempus commodato acceperint, aut accepiſſent, aliquem, ſeu aliquos eorum, & tunc etiam reſtituant eos tempore debito, quod ſi poſtquam requiſiti fuerint, pertinaciter detineant eos contra voluntatem tuam, aut Fratrum tuorum, nec reddere velint eos, ſupraſcriptam excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant. Volentes ut hoc noſtrum prçſens indultum, & mandatum per te Vicarium Generalem prçdictum, & tuos S. Marci Fratres, in Civitate Florentię publicetur, & ad petitionem tuam per quoſcunque Rectores Parochialium Eccleſiarum, & Verbi Dei prçdicatores in Eccleſiis dictę Civitatis, ac alios per quos duxeris opportunum, & quod tenor, ſeu ejuſdem tenoris ſummarium, ne tranſgreſſores de ipſo valeant ignorantiam allegare, ſemper in valvis prçfatę Bibliothecę detineatur affixum. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon commiſſionibus pro fabrica Sancti Petri de Urbe conceſſis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die IX Julii MDXIX Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Commendatio Fratrum.

Evangeliſta.

1. *Bibliotheca.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Florentino.*

3. *Dilecte fili.*) Inſcriptio deeſt; ſic ex ipſo Diplomate reſtituenda videtur: *Dilecto filio Vicario Generali Congregationis S. Marci Ordinis Fratrum Prædicatorum Reformatorum nuncupatorum.*

Ne Septempedani (1) Oratorii (2) *del Glorioſo* nuncupati bona dilapidentur, cavet.

Anno 1519 Die 30 Julii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CVII.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Camerinen., & Auximan. Epiſcopis, ac dilecto filio Plebano Plebis Sancti Benedicti Terrę, Sancti Severioi Camerinen. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Ex debito paſtoralis officii, Nobis ex alto commiſſi, ſingularum perſonarum votis, per quę Oratoria & alia, ad Chriſti fidelium devotionem dedicata, loca io ſuis ſtructuris manuteneri, illorumque fructus cum divini cultus augmento, ac eorundem Chriſti fidelium ſpirituali conſolatione augeri valeant, libenter annuimus, & ad id, cum a Nobis petitur, ejuſdem officii partes favorabiliter impendimus, ac alias concedimus, & indulgemus prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis bominum oppidi Sancti Severini, Camerinen. Diœceſis Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet quoddam Oratorium del Glorioſo nuncupatum, ſub invocatione Beatę Marię Virginis extra muros dicti oppidi conſiſtens in titulum eccleſiaſtici Beneficii minime erectum a tanto tempore citra, de cujus contraria hominum memoria non exiſtit, per diverſos dicti oppidi laicos retroactis temporibus maxima cum devotione ad Dei, & ejuſdem Virginis laudem, guberoatum extiterit, prout in pręſenti gubernatur, tameo ipſi Univerſitas formidant, quod nonnulli Clerici, quę Dei ſunt non quęrentes, ambitioſa cupiditate ducti, Oratorium ipſum, illiuſque bona, & eleemoſynas, quę per Chriſti fideles in eodem offeruntur uſurpare, & in ſuos damnabiles uſus convertere, ac quo minus Oratorium ipſum per dictos laicos gubernari poſſit, impedire velle ſatagant, in divini cultus ibidem, ac devotionis Chriſti fidelium partium illarum non modicam diminutionem. Verum, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi pręfatis Univerſitati, & aliis laicis, qui dictum Oratorium hacteous gubernarunt, quod de cetero illud illiuſque bona mobilia & immobilia, pręſentia, & futura, perpetuis futuris temporibus gubernare poſſent, & abſque eorum expreſſo conſenſu in titulum perpetui ſimplicis Beneficii eccleſiaſtici erigi non poſſet, aoctoritate Apoſtolica concederetur, ex hoc profecto animarum ipſorum laicorum, & aliorum Chriſti fidelium coofolationi plurimum conſuleretur, ipſique gubernatores laici circa ejuſdem Oratorii reparationem, ac illius bonorum ejus prędictorum conſervationem, ac divini cultus ibidem augmentum, diligentius intendere poſſent. Quare pro parte tam Univerſitatis, quam aliorum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis, quod per eos de cetero Oratorium prędictum, ac ejus bona mobilia, & immobilia, pręſentia & futura, gubernentur, ac eleemoſynę, quas io illo pro tempore offerri contigerit, in manutentionem, & conſervationem ipſius Oratorii, ac alios pios uſus convertantur, quodque dictum Oratorium in titulum perpetui ſimplicis Beneficii eccleſiaſtici abſque Univerſitatis, & aliorum laicorum prędictorum conſenſu minime erigi, nec cuiquam aſſignari valeat, concedere, & indulgere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui piorum locorum quorumlibet manuteotionem, & augmentum noſtris potiſſime temporibus inteoſis deſideramus affectibus, pręfatos Univerſitatem, & alios laicos, ac eorum quemlibet a quibuſvis excommunicatioois, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa, latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, bujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Uoiverſitati, & aliis laicis prędictis, quod de cetero in perpetuum Oratorium ac ejus bona prędicta per eos gubernentur, ipſorumque Oratorii bonorum fructus, ac eleemoſyoę in eodem Oratorio pro tempore oblatę, in illius manutentionem, & conſervationem, ac alios pios uſus, prout ipſi Univerſitati, & aliis laicis utilius viſum fuerit, etiam per eos convertantur, quodque Oratorium ipſum in titulum perpetui ſimplicis Beneficii eccleſiaſtici abſque Univerſitatis, & aliorum prędictorum expreſſo conſenſu erigi, nec cuiquam in euodem titulum aſſignari valeat, dicta auctoritate, tenore pręſeotium, concedimus pariter, & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnioo hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, conceſſionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo nono, Tertio Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quateous, vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę literę vobis pręſentatę fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios, literas prędictas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac pro parte Univerſitatis, & aliorum hujuſmodi deſuper fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſdemque Univerſitati, & laicis in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra Univerſitatem, & alios laicos prędictos Literis, & in eis conteotis hujuſmodi pacifice uti, frui, & gaudere, ac literas, & in eis contenta hujuſmodi per quoſcunque perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari. Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, & alia remedia juris opportuna, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus omnibus quę in dictis Literis volumus non obſtare, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede iodultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes pleoam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum

trum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimo nono, Tertio Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Septimo,

Aloiſins	Aloiſius.	. . . . Copis
G. Cabredo p. Comp,		
		Ja. Amantu.
Jo. de Peleg,		
		. . . , Veccia . . .
L. d. Ulloa p. Compſiis		
		L. d. Ulloa,

F. De Vega.

1. *Septempedani.*) Vulgo *San-Severino*, in *Piceno*.
2. *Oratorii.*) Juris eſt Fratrum Prædicatorum, uti poſtea dicetur.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Septempedano*.

Anno 1519 Die 6 Octobris.

CVIII.

Valliſoletanum (1) Cœnobium beneficio eccleſiaſtico donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

EX injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio &c. (3) Cum itaque poſtmodum pręſtimonium, ſeu pręſtimonialis portio, aut ſimplex beneficium eccleſiaſticum in Parochiali Eccleſia loci de Villa . . . Legionen. Dięceſis per liberam reſignationem dilecti filii Petri Vacca, clerici dictę Dięceſis, nuper de illo, ſeu illa, de quo, ſeu qua alias tunc certo modo vacan. canonice ſibi proviſum fuerat, & ſuper quo, ſeu qua, contra dilectos filios modernos Fratres domus S. Pauli Oppidi (4) Valliſoleti, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Valentin. (5) Dięceſis, qui tunc pręſtimonium, ſeu portionem, aut beneficium eccleſiaſticum hujuſmodi, prętextu quarundam noſtrarum literarum unionis, annexionis, & incorporationis per Petrum, de tot pręſtimoniis, ſeu pręſtimonialibus portionibus, aut ſimplicibus beneficiis in Caſtellę, ac Legionis Regnis, aut altero non conſiſten., vacan. tunc, vel vacaturis, quorum fructus, redditus, & proventus, certum tunc expreſſum valorem annuum non excedunt, Sacriſtię dictę domus, ante vacationem pręſtimonii, ſeu portionis, aut beneficii hujuſmodi auctoritate Apoſtolica factarum, eidem Sacriſtię poſt eandem vacationem perpetuo univit, annexuit, & incorporavit, ſicque unionis, annexionis, & incorporationis pręd ictarum, prętextu, illud, vel illam aſſecutus fuiſſet aſſerendo, in Romana Curia coram certo cauſarum Palatii Apoſtolici Auditore litigando, definitivam pręſtimonii, ſeu portionis, aut beneficii hujuſmodi, adjudicatoriam pro ſe certo tempore in Fratres pręd ictos, cum expenſarum condemnatione, ſententiam reportavit, quę nulla provocatione ſubſecuta, in rem tranſivit judicatam, literis executorialibus deſuper in forma ſolita decretis, ac eiſdem Priori, & Fratribus intimatis, ipſius pręſtimonii, ſeu portionis, aut beneficii hujuſmodi per dictum Petrum poſſeſſione non habita, hodie in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem eandem, vacaverit, & vacet ad preſens, nulluſque de illo, vel illa pręter Nos, hac vice &c. Et, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dictorum Prioris, & Fratrum, petitio continebat, ſi pręſtimonium, ſeu portio, aut ſimplex beneficium hujuſmodi eidem Sacriſtię perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto ipſi, Prior, & Fratres, ſe ſuſtentare, ac luminaria, & paramenta, ad divinum cultum neceſſaria, ac dictam domum manutenere, aliaque eis incumbentia onera perferre, commodius poſſent, pro parte dictorum Prioris, & Fratrum aſſerentium, fructus, redditus, & proventus pręſtimonii, ſeu portionis, aut beneficii hujuſmodi, ſuper quibus certa perſona eccleſiaſtica penſionem annuam triginta ducatorum auri de Camera Apoſtolica auctoritate reſervata, percipit annuatim, ſexaginta ducatorum ſimilium ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręſtimonium, ſeu portionem, aut beneficium hujuſmodi eidem Sacriſtię perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum extimationem pręd ictam, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, Priorem, & Fratres hujuſmodi, & illorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. ac dictę Sacriſtię fructus, redditus, & proventus, ac verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pręſtimonium, ſeu portionem, aut ſimplex beneficium hujuſmodi, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem dicti Petri, vel cujuſvis alterius reſignationem, de illo, vel illa in Romana Curia, vel extra illam, etiam coram Notario publico, aut teſtibus, ſponte factam, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranen. ſtatuta Concilii &c. diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter &c. reſervata exiſtat, & ſuper eo inter aliquos lis &c. cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem Sacriſtię dicta auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat eiſdem Priori, & Fratribus per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem pręſtimonii, ſeu portionis, aut beneficii, juriumque, & pertinentiarum pręd ictorum, propria auctoritate de novo apprehendere, & perpetuo retinere, ac illius fructus, redditus, & proventus in ſuos uſus, & utilitatem, ac luminariorum, ornamentorum, & aliorum onerum dictę Sacriſtię manutentionem convertere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius, licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus voluntate noſtra pręMandatum.

pręd-

prędicta, ac felicis recordationit Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. quibuſcunque, aut ſi aliquibus ſuper proviſionibus ſibi faciendis &c. literas impetrarunt &c. Quas quidem literas &c. ad preſtimonium, ſeu portionem, aut beneficium hujuſmodi, volumus non extendi, & quibuſvis aliis privilegiis &c. Proviſo quod preſtimonium, ſeu portio, aut beneficium hujuſmddi, debitis propterea non fraudetur obſequiis &c. Nulli ergo &c. Datum Malliani Portuen. Dięceſis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Decimonono, Pridie Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Valliſoletanum.*) In *Hiſpania Tarraconen.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXVII fol.* 90.
3. *Officio &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Oppidi.*) Nunc Sedes Epiſcopalis eſt.
5. *Valentin.*) Sic amanuenſis, legendum *Palentin.*, nunquam enim *Valliſoletana* Civitas fuit Diœceſis *Valentinæ*, quæ licet ſit in *Hiſpania*, nimis diſtat.

Quomodo ſit intelligenda Indulgentiarum communicatio (1) quæ eſt inter Mendicantes Fratres.

Anno 1519 Die 10 Decembris.

Ex Bullario (2) Romano in Leone X Conſtitutione XXXII.

CIX.

L E O PP. X,

Univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

DUdum per Nos accepto, quod Romani Pontifices, Prędeceſſores noſtri, aliqui ad Minorum, alii ad Beatę Marię de Monte Carmelo, reliqui ad Prędicatorum Ordinum Fratres, & domos, juxta ipſorum vota, devotionis affectum gerentes, illorum ſingulis nonnullas gratias, conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, pręrogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, ac dona, tam ſpiritualia, quam temporalia per diverſas ipſorum literas reſpective conceſſerunt. Nos ad ſingulos Ordines prędictos, ſingulaſque ipſorum Ordinum domos, ubi religioſe vivitur, indifferenter abſque acceptione perſonarum, devotionis affectum ęqua lance gerentes, omnes, & ſingulas gratias, conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, pręrogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, tam ſpiritualia, quam temporalia qualiacunque illa eſſent, quę Prędicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, Servorum Beatę Marię, ac Minimorum Fratrum domibus, & illorum Eccleſiis, Oratoriis, ac Eccleſias ipſas, & Oratoria pro tempore viſitantibus, cujuſcunque ſtatus, aut ſexus exiſterent, ſeu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon domibus, & Pręſidentibus, non ſolum Generalibus, & Provincialibus, Fratribuſque, & Sororibus, necnon Monialibus, & converſis, oblatis, ac utriuſque ſexus perſonis de Pęnitentia, ſeu Tertii habitus nuncupatis, a dictis Prędeceſſoribus, aut a Nobis, ipſiſque ſucceſſoribus, aut alias auctoritatem habentibus, conjunctim, vel diviſim, in genere, vel in ſpecie, conceſſa fuerint, aut in poſterum concedentur, illa & omnia ſingula, ac ſi nominanter exprimerentur, pro ſufficienter expreſſis tunc habentes, ſingulis omnibus prędictis, illorumque ſingulis Eccleſiis, Oratoriis, & Eccleſias, ac Oratoria viſitantibus, cujuſcunque ſtatus, aut ſexus exiſterent, ſeu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon domibus, & Conventualibus Fratribus, etiam Sororibus, vel Monialibus, converſiſquoque, & oblatis, ac utriuſque ſexus perſonis de Pęnitentia nuncupatis, & aliis ſingulorum Ordinum prędictorum, motu proprio, & ex mera noſtra ſcientia, & liberalitate, de Apoſtolicę auctoritatis plenitudine communicavimus. Illaque omnia, & ſingula inter dictorum Ordinum perſonas pariformiter communia fuiſſe, & eſſe volumus, prout in ſingulis literis prędictis plenius continetur. Et deinde, ſicut accepimus, nonnulli Fratres dictorum Ordinum volentes ſapere plus, quam oportet, atque ad ipſorum nutum verba ipſa interpretantes, diverſis tam ſecularibus, quam etiam aliis perſonis publice, & private ſuggeſſerint, quod ipſi ſeculares viſitando unam dictorum Ordinum domum, omnes, & ſingulas indulgentias, & remiſſiones peccatorum, tam per dictos Prędeceſſores noſtros, quam per Nos domui Beatę Marię de Populo de Urbe conceſſas conſequi poterant perinde, ac ſi dictam domum Sanctę Marię de Populo viſitarent, quod pręter ipſorum Prędeceſſorum, & noſtram mentem fuiſſe, & eſſe dignoſcitur. Attendentes igitur, quod indulgentia intuitu Religionis conceſſa ad ſeculares extendi non debet, volentes mentem dictorum Prędeceſſorum, & noſtram declarare, & omnem ambiguitatem, & occaſionem tollere, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, volumus, & auctoritate Apoſtolica declaramus, quod univerſi, & ſinguli dictorum Ordinum Fratres, & Moniales, Tertiique Ordinis utriuſque ſexus, & familiares tantum duntaxat, omnibus, & ſingulis indulgentiis, & gratiis per eoſdem Prędeceſſores, & Nos B. Marię de Populo de Urbe, ut pręfertur, conceſſis, & concedendis, utantur, potiantur, & gaudeant, uti, potiri, & gaudere poſſint quomodolibet in futurum perinde, ac ſi ipſi dictam domum Beatę Marię de Populo, his diebus, & feſtivitatibus, quibus indulgentię hujuſmodi conceſſę fore dignoſcuntur perſonaliter viſitarent, quodque vigore prędictarum literarum ſeculares gratis, & indulgentiis hujuſmodi uti, & gaudere non poſſunt. Inhibentes nihilominus in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis latę ſententię pena, eo ipſo per contrafacientes incurrenda, omnibus, & ſingulis Fratribus cujuſcunque Ordinis exiſtentibus, & quibuslibet aliis perſonis, ne deinceps indulgentias, & gratias hujuſmodi S. Marię de Populo de Urbe ad ſeculares extendi prędicent, aut publice, vel private nuncient. Non obſtantibus pręmiſſis, aut quibuſvis aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, privilegiis quoque, & indultis dictis Ordinibus conceſſis, quę quoad pręmiſſa revocamus, caſſamus, & annullamus, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Volumus autem, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod prę-

Nota,

Declaratio.

pręſentium tranſumptis manu Notarii publici ſignatis, & alicujus Prelati, aut perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę, ſigillo munitis, ea fides prorſus in judicio & extra adhibeatur, quę adhiberetur, ſi preſentes literę eſſent exhibitę, vel oſtenſe. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X Decembris MDXIX, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Communicatio.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Bullario.*) Legitur etiam apud *Confettium pag.* 234.

Anno 1519 Die 12 Decembris.

Columenſis Cœnobii (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CX.

Dilecto filio Vicario, Venerabilis Fratris Epiſcopi Parmen. (3) in Spiritualibus Generali.

L E O PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

SOlet Sedis Apoſtolicę elementia circunſpecta recurrentium ad eam cum humilitate perſonarum, pręſertim Religionis jugo aſtrictarum, ſtatui libere conſulere, & ea, per quę tranquillis poſſint mentibus incedere, & Religio cum divini cultus augmento propagari valeat, vota, pręſertim Nobilium id expoſcentium, favorabiliter exaudire, prout id in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Exponi Nobis nuper fecit dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Barbara Gonzaga de S. Severino Comitiſſa Garatię, & Domina in temporalibus Caſtri Colurni, Parmen. Diœceſis, quod alias ipſa fervore devotionis accenſa, cupiens tranſitoria in eterna, & temporalia in cęleſtia felici commercio commutare, ob ſingularem, quam ad Ordinem Fratrum Prędicatorum de obſervantia Congregationis Lombardię gerit devotionis affectum, ac putans juxta privilegia Apoſtolica eidem Ordini conceſſa, id licite fieri poſſe, in Eccleſia Beatę Margaritę dicti Caſtri, quę ob ejus vetuſtatem penitus diruta, & muris deſtructa exiſtit, nec, prout ſolitum, & decens eſt, divinis officiis colitur, unam Domum ſub invocatione Sancti Vincentii Confeſſoris pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum Ordinis, & Congregationis hujuſmodi cum clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui, & ędificari, ac Eccleſiam ipſam ampliari facere cępit, domumque ipſam nonnullis Fratribus dicti Ordinis ad illam inhabitandum conceſſit, ut inibi pro ſuę, & dilecti filii nobilis viri Roberti Ambroſii de Sancto Severino, ejus filii, Garatię Comitis, & Colurni hujuſmodi Domini temporalis, ac aliorum Chriſti fidelium animarum ſalutem, preces Altiſſimo effunderent, certum quid ex bonis ſuis dotalibus donare, & aſſignare ſtatuit, & ordinavit, ſeu donavit, necnon dilecti filii homines dicti Caſtri, id ſuarum animarum ſaluti profuturum eſſe, & quod per eandem Barbaram eiſdem Fratribus donatum fuerat non ſufficere; conſiderantes, certa bona cujuſdam Conſortii, ſeu Confraternitatis, quod, ſeu quę alias quondam Albertinus de Galianis, tunc dicti Caſtri habitator, in ejus ultima voluntate in dicta Eccleſia cum onere unum anniverſarium ſex miſſarum annuatim, & unam Miſſam hebdomadatim pro ejus, & ſuorum parentum animarum ſalute in dicta Eccleſia celebrandi, ac quatuor ſtaria (4) frumenti octo pauperibus Chriſti donandi, fundari, & bona ipſa per certos homines, in ſuo teſtamento expreſſos, gubernari debere, ordinaverat, eidem domui conſtruendę conceſſerunt: ipſique Fratres illam ad inhabitandum abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali receperunt, & ex tunc inhabitarunt, prout inhabitant de pręſenti, quamvis de facto, ſententiam excommunicationis incurrendo. Verum, ſi eidem Barbarę certum Oratorium, in ambitu dictę Domus conſiſtens, quod alias per quendam tanquam Eremitam vagantem ex eleemoſynis hujuſmodi dicti Caſtri ſine Loci Ordinarii conſenſu conſtructum fuit, deſtrui, & illud in dicta Eccleſia transferri, ac domum, & Eccleſiam hujuſmodi perfici faciendi, ipſiſque Fratribus ipſam Domum pro eorum perpetuis uſu, & habitatione inhabitandi, licentia concederetur, necnon bona predicta eidem Domui pro victu, & veſtitu eorundem Fratrum, qui inibi anniverſarium, & Miſſas celebrare, ac ſtaria frumenti hujuſmodi pauperibus juxta Teſtatoris ordinationem diſtribuere teneantur, ac ornamentis eccleſiaſticis, & luminaribus, aliiſque neceſſariis perpetuo applicarentur, & appropriarentur, ex hoc profecto inibi Chriſti fidelium devotio augeretur, ac divinus cultus non parum ſuſciperet incrementum, & Chriſti fidelium animarum ſaluti plurimum conſuleretur; pro parte dictę Barbarę aſſerentis, bona per Albertinum Conſortio relicta hujuſmodi XIV bobulchas (5) terrę, vel circa, tunc fuiſſe, nunc vero illas ad quinquaginta bobulchas ſimiles, vel circa, & tres Domos, in eodem Caſtro ſitas per Conſortium hujuſmodi auctas fore, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſos Fratres ab excommunicationis, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, quas propter Domus hujuſmodi receptionem, & inibi habitationem incurrerunt, abſolvere, ac eidem Barbarę Oratorium deſtrui, & illud transferri, ac domum, & Eccleſiam hujuſmodi perfici faciendi licentiam concedere; eidemque Domui bona tam per Barbaram, quam homines Caſtri hujuſmodi donata, ſeu donanda, perpetuo applicare, & appropriare, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Facultas.

Nos igitur, qui illius vices gerimus in terris, cujus proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, ac Religionis ſtatum propagari, & divinum cultum adaugeri noſtris potiſſime temporibus ferventibus deſideriis exoptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, per pręſentes mandamus, quatenus eoſdem Fratres, ſi hoc humiliter petierint, ab excommunicationis ſententia, & aliis cenſuris, & pęnis predictis auctoritate noſtra hac vice duntaxat abſolvas in forma Eccleſię conſueta, injunctis inde eis pro modo culpę pęnitentia ſalutari, & aliis, quę de jure fuerint injungenda, ac cum eis ſuper irregularitate, quam propterea, Miſſas, & alia Divina Officia, non tamen in contemptum Clavium celebrando, incurrerunt, diſpenſes, aboleaſque omnem inhabilitatis, & infamię maculam, ſive notam, per eos pręmiſſorum occaſione con-

contractam, necnon, ſi ita eſt, eidem Barbarę Oratorium deſtrui, & illud transferri, ac domum, & Eccleſiam hujuſmodi perfici faciendi, ipſiſque Fratribus Domum ipſam pro eorum uſu, & babitatione recipiendi, & inbabitandi, cum onere Anniverſarium, & Miſſas celebrandi, ac ſtaria frumenti bujuſmodi donandi, licentiam concedere; eidemque Domui bona prędicta perpetuo applicare, & appropriare dicta auctoritate procures. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne prędicti, vel cujuſvis alterius Ordinis Mendicantium Fratres ad inbabitandum nova loca recipere prędumant, abſque dictę Sedis licentia ſpeciali, de prohibitione bujuſmodi ſpecialem, & expreſſam mentionem faciente, ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus Ordinis, & Congregationis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel qnavis firmitate alia roboratis; ceteriſque contrariis qnibnſcunque. Nos enim ſi licentiam hujuſmodi concedi, & alia pręmiſſa per te vigore pręſentium fieri contigerit, ut pręfertur, eidem Domui, & illius Priori, & Fratribus in perpetuum, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, ſavoribus, gratiis, conceſſionibus, indulgentiis, immunitatibus, & indultis, quibus alię Domus Ordinis, & Congregationis hujuſmodi, & illarum pro tempore Guardiani, ſeu Priores, & Fratres utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & debeant, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus pariter, & indulgemus jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuſvis alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XII Decembris MDXIX, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Cœnobii.*) Nunc Vicariatus eſt Provinciæ *Lombardiæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exẽmplar in *Bullario Bononienſi* pag. 71 ex Autographo *Bononienſ*.
3. *Parmen.*) In *Longobardia*.
4. *Staria.*) Seu Sextarios, vulgo *Staro*, & *Seſtiere*. Menſura eſt.
5. *Bobulchas.*) Seu *modos agri*, vulgo *Biolche*.

Viterbienſis (1) Monaſterii fundandi facultas.

Anno 1520 Die 19 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Nicolao Bonello (3) Civi Viterbienſi.

L E O PP. X. CXI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DEvotionis, & fidei ſinceritas, qua Nos, & Romanam veneraris Eccleſiam, promeretur, ut piis deſideriis tuis, pręſertim Sacrę Religionis dilatationem, & divini cultus augmentum, ac animarum ſalutem concernentibus, quantum cum Deo poſſumus, ſavorabiliter annnamus. Diplomatis cauſa. Cum itaque, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, tu zelo devotionis ductus de bonis tibi a Deo collatis, ad ipſius Dei laudem, & gloriam, ac Religionis propagationem, necnon pro tua, & progenitorum, ac ſucceſſorum tuorum animarum ſalute, in Civitate noſtra Viterbienſi juxta & prope muros, & Portam S. Mathię nuncupatam, ipſius Civitatis, ac in Parocbiis Parochialium Eccleſiarum S. Mathię, & S. Johannis, Viterbieh., ex ſpeciali licentia noſtra, tibi vivę vocis oraculo conceſſa, unum Monaſterium Monialium S. Auguſtini ſub habitu, inſtitutis, & cura Fratrum Ordinis Prędicatorum degentium, cum officinis neceſſariis conſtrui, & ędificari facere inceperis, illud ad debitum finem perducere, & de bonis tibi a Deo collatis dotare intendas, ſi tibi ad id Apoſtolicę Sedis licentia ſuffragetur, Nobis bumiliter ſupplicari feciſti, ut inceptum Monaſterium hujuſmodi cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis perficiendi, & conſtruendi, ſeu perfici, & conſtrui faciendi, licentiam concedere, illudque, poſtquam convenienti clauſura munitum fuerit, in Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini, ac ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Prędicatorum degentium, erigere, aliasque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem, & cultum hujuſmodi noſtris potiſſime temporibus vigere, & augeri, intenſis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi inceptum Monaſterium hujuſmodi cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, ac aliis officinis neceſſariis perficiendi, & conſtruendi, ſen perfici, & conſtrui faciendi, licentiam, & facultatem, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus (4), illudque, poſtquam ſufficienti clauſura munitum fuerit, in Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini, ac ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Prędicatorum degentium, auctoritate, & tenore prędictis erigimus, & inſtituimus, ac illi ſic erecto, bona per te pro illius dote aſſignanda ex nunc prout ex tunc cum aſſignata fuerint perpetuo applicamus, & appropriamus, ac dilecto filio Magiſtro Generali dicti Ordinis Facultas. Prędicatorum, ut Monaſterium ipſum ſub ejus cura recipiat, & aliquas Moniales alicujus alterius, ſeu aliquorum aliorum Monialium Monaſteriorum dicti Ordinis S. Auguſtini ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Prędicatorum degentium, ejus curę commiſſorum, quas ad hoc voluntarias invenerit ex eorum Monaſteriis ad erectum Monaſterium hujuſmodi transferat, & eis Prioriſſatus, & alia officia in hujuſmodi Monaſteriis conſueta, ad tempus de quo ſibi videbitur, ac quod in eodem erecto Monaſterio recipiendas Moniales in ritu, moribus, & regulari obſervantia dicti Ordinis S. Auguſtini, & inſtitutorum prędiotorum inſtruant eas, injungat, & quod id per eas cum effectu fiat, procuret, pręcipimus, & mandamus. Et nihilominus eidem Monaſterio, quod illius Prioriſſa, & Moniales pro tempore exiſtentes, omnibus, & ſingulis privilegiis, prętogativis, exemptionibus, & ſpecialibus ſavoribus, & indultis, aliis Monaſteriis curę dicti Generalis commiſſis, & illorum Abbatiſſis, ſeu Prioriſſis, ac Monialibus, & perſonis per Sedem Apoſtolicam, aut alias quacunque auctoritate, ſub quacunque forma, & expreſſione verborum in ge-

genere conceſſis hactenus, & in futurum forſan concedendis, & quibus illa, & illę in genere utuntur, potiuntur, & gaudent; ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere libere, & licitę valeant, eiſdem auctoritate, & tenore indulgemus, ac Prioriſſam, & Moniales erecti Monaſterii hujuſmodi pro tempore exiſtentes, illorumque bona quęcunque per eas pro tempore poſſeſſa,
Exemptio ab oneribus, a quibuſcunque impoſitionibus, ſolutionibus, pręſtationibus quartę, ſeu alicujus portionis, ac decimarum, datiorum, gabellarum, collectorum, necnon caritativorum, & aliorum quorumcunque ſubſidiorum, & onerum, quavis occaſione, vel cauſa, impoſitorum, & imponendorum, & in illis faciendis contributionibus eximimus, & liberamus, eaſque ad ſolutionem hujuſmodi minime teneri decernimus. Mandantes dilectis filiis Archipresbytero majoris, & ſecularium, & Collegiatarum S. Angeli, & S. Stephani Viterbien., Prioribus, Eccleſiarum, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel per alium, ſeu alios, Abbatiſſę, vel Monialibus erecti Monaſterii hujuſmodi pro tempore exiſtentibus, in premiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra conceſſionem, erectionem, inſtitutionem, applicationem, pręceptum, mandatum, indultum, exemptionem, liberationem, & decretum hujuſmodi firmiter obſervari, ipſaſque illis pacifice gaudere, non permittentes, eas deſuper per quoſcunque quomodolibet indebite moleſtari, Contradictores quoslibet, & rebelles, per eaſdem cenſuras, & pęnas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinum prędicatorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon privilegiis, & indultis Apoſtolicis, illis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decre-
Nota, tis, conceſſis, & confirmatis, quibus omnibus, etiamſi in eis caveatur expreſſe, quod aliqua illorum Monaſteria, niſi ab aliis Monaſteriis, ſeu Religioſis locis per certum ſpatium diſtantia, conſtrui, ſeu ędificari non poſſint, tenores illorum, ac ſi de verbo ad verbum, & nihil omiſſo inſerti forent, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIX Martii MDXX, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Ja. Sadoletus.

1. *Viterbien.*) *S. Catharinæ V. & M.* Juris eſt *Romanæ Provinciæ*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Bonello.*) Cujus meminit *Fontana de Romana Provincia Cap. III Tit. II pag.* 214.
4. *Concedimus.*) Conſulendus Auctor mox laudatus.

Anno 1520 Die 27 Aprilis.

Pro Fratribus Teutoniæ de vita communi nuncupatis (1).

CXII.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. INter varias, & multiplices, quę animum noſtrum quotidie excitant, curas, eam Nos potiſſime urgere ſentimus, per quam fideles ſingulos, ſuavi Religionis jugo pręſertim aſtrictos, a quibuſvis diſſen-
Diplomatis cauſa. ſionibus, & diſcordiis, earum occaſiones eis perducendo (3), pręſervare valeamus, ut ipſis in fraternę caritatis amore perſiſtentibus, ſedulum Domino, cui dicati fuerunt, valeant continuis laudibus exhibere famulatum, ac ad id, cum opportunum eſſe conſpicimus, noſtrę ſolicitudinis partes libenter adiicere ſatagimus. Dudum ſiquidem per nos accepto, quod poſtquam olim cum in certo Capitulo tunc in domo Esligen. (4) Ordinis Fratrum Prędicatorum Conſtantien. (5) Dięceſis, Provincię Maguntinę, juxta morem dicti Ordinis, celebrato ſuper electione Prioris Provincialis, in ipſo Capitulo inter de vita communi, & de obſervantia nuncupatos, ejuſdem Ordinis Fratres, Capitulo hujuſmodi tunc intereſſentes, ſuper eo, quod utraque pars Provincialem ex ſuis habere conabatur, controverſia orta extitiſſet, quondam Leonardus de Manſuetis, tunc ipſius Ordinis Generalis Magiſter, controverſiam hujuſmodi decidendo, quod tunc per Fratres de obſervantia nuncupatos in Provincialem electus Provincialatum haberet, & eſſet Provincialis, electionem de eo factam confirmando, determinaverat, pro Fratribus vero, & Monialibus, ac utriuſque ſexus perſonis de vita communi nuncupatis, Vicariatum creaverat, & Vicarium, ac quandam ſub ejus obedientia Congregationem inſtituerat, eundemque Vicarium, & Congregationem hujuſmodi a viſitatione prędicti, & pro tempore exiſtentis, Provincialis, exemerat, ac felicis recordationis Sixtus IV, inſtitutionem dicti Vicarii per quaſdam ſuas (6) in forma Brevis approbaverat, & confirmaverat, & deinde pię memorię Alexander VI, Romani Pontifices, Prędeceſſores noſtri, determinationem, ordinationem, creationem, inſtitutionem, confirmationem, & exemptionem, ac alia pręmiſſa, etiam per alias ſuas ſub plumbo literas (7) ſimiliter approbaverat, & confirmaverat, ſuppleveratque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui in eiſdem interveniſſent, & pro potiori cautela Vicariatum ipſum de novo inſtituerat, ac Vicarium pro tempore exiſtentem, ipſius Vicariatus, ac Fratres, & Moniales, ac utriuſque ſexus perſonas ſibi commiſſas, a juriſdictione Provincialis, & ejus Capituli etiam perpetuo exemerat, & totaliter liberaverat, ac ſoli Generali pro tempore exiſtenti, & ſuo Capitulo ſubjecerat, & quod occurrente quotieſcunque vacatione dicti Vicariatus Fratres de ipſo Vicariatu exiſtentes, Vicarium libere, & licite eligere poſſent, & ipſius electionis confirmatio ad pro tempore exiſtentem Magiſtrum Generalem dicti Ordinis pertineret, ac nonnulla alia ſtatuerat, & ordinaverat, ac pro parte Fratrum de vita communi hujuſmodi Nobis tunc ſupplicato, ut Sixti, & Alexandri Prędeceſſorum literas approbare, & innovare dignaremur, Nos, tunc hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Sixti, & Alexandri Prędeceſſorum hujuſmodi literas, ac omnia, & ſingula in eis contenta approbavimus, & confirmavimus, illaſque perpetuę firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari debere, decrevimus, prout

prout in noſtris, & eorundem Prędeceſſorum inde confectis literis (8) plenius continetur. Cum autem,
ſicut accepimus, pro eo quod Nos dudum ante confirmationis noſtrę literas hujuſmodi, ad certas tunc per
dilectum filium noſtrum Thomam (9) tituli S. Sixti Presbyterum Cardinalem, tunc in minoribus conſti-
tutum, ipſius Ordinis Generalem Magiſtrum Nobis expoſitas cauſas; & quod eidem Ordini plurimum
condecebat, Congregationem Vicarii, ut pręmittitur, creati hujuſmodi, per alias noſtras in forma Bre-
vis literas (10), penitus, & omnino deſtitueramus, & caſſaveramus, ac Fratres, Moniales, & utriuſ-
que ſexus perſonas, tam de vita communi, quam de obſervantia nuncupatas, Conventuſque, Monaſ-
teria, & Collegia quęcunque Provincię, & Ordinis hujuſmodi, Provinciali omnino ſubeſſe volueramus,
& mandaveramus, prout in eiſdem noſtris in forma Brevis literis, quę in Capitulo Generali, immediate *Nota.*
poſtmodum celebrato, receptę, & admiſſę fuerant, & de deſtitutione Congregationis, & literarum de-
ſuper receptione, & admiſſione hujuſmodi in confirmationis literis noſtris hujuſmodi, nulla mentio facta
fuerat, & tam propterea, quam nonnullis aliis de cauſis, de literarum noſtrę confirmationis hujuſmodi
viribus plurimum hęſitetur, & plures ejuſdem Congregationis perſonę, prout ipſa rerum magiſtra do-
cuit experientia, ob deſtitutionem ipſius Congregationis a Religionis jugo declinare, & ſe extra Con-
gregationem hujuſmodi Religioni aſtringi nolle, ac ex noſtris deſtitutionis Congregationis literis hujuſ-
modi, non eam, quam celebramus (11) Religionis propagationem, ſperari, ſed inter ejuſdem Ordinis
de vita communi, & de obſervantia Fratres hujuſmodi ſcandala, diſſenſiones, & diſcordias, pręmiſſo-
rum occaſione, in dies oritura timeri, nuper intellexerimus, Nos, ad quos ſpectat, hujuſmodi diſſen-
ſiones a quibuſvis fidelibus, Religioni pręſertim aſtrictis, in quantum Nobis ex alto conceditur, tollere,
eoſque ad pacem, & concordiam reducere, ac eorundem Fratrum quieti, & tranquillitati invigilare,
& intendere, & omnes lites, controverſias, quęſtiones, & odia de medio ſubmovere, viaſque pręclude-
re, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ſingulas tam Sixti, & Alexandri Prędeceſſorum hujuſmo-
di, quam noſtras literas prędictas, ut ſequitur, modo (12), modificationes, & limitationes, plena ſu-
per omnibus pręmiſſis per Nos informatione habita, pręſentis ſcripti incommutabili edicto, auctoritate
Apoſtolica, tenore pręſentium, volumus, ſtatuimus, & ordinamus, quod Conventus, & Monaſteria *Mandatum.*
Provincię, & Congregationis hujuſmodi, quę ſub obedientia dicti Provincialis ad pręſens non exiſtunt,
in Congregatione, & ſub Vicario hujuſmodi, prout erant, manere debeant, & dilectus filius modernus
Magiſter Generalis (13) dicti Ordinis electionem Vicarii Congregationis hujuſmodi nuper in Civitate
Turicen. (14) factam, confirmare, & quoſcunque juris, & facti defectus, ſi qui forſan in eadem inter-
venerint, ſupplere valeat. Ac quod de cetero perpetuis futuris temporibus ipſius Congregationis Fra-
tres in Congregatione, de per ſe, aut in Capitulo Provinciali, Vicarium ad triennium duntaxat a die
ſibi pręſentatę confirmationis computando, quo elapſo, abſque alio decreti, aut declarationis adminicu-
lo, ſit a ſuo Vicariatus officio eo ipſo abſolutus, duraturum, & a ſolo ipſius Ordinis pro tempore Gene-
rali Magiſtro, vel ejus ad hoc deputato Vicario confirmandum, prout antequam literę deſtitutionis hu-
juſmodi emanaſſent, facere conſueverant, eligere valeant, ipſique Vicario, Fratres, & Moniales, ac
utriuſque ſexus perſonę, Conventuſque, Monaſteria, & Collegia quęcunque ipſius Congregationis om-
nino ſubiiciantur, in quos talem Vicarius ipſe juriſdictionem, & poteſtatem, qualem Prior Provincialis
in ſua Provincia, & ei ſubditos, habet, & exercet, ac habere, & exercere poteſt, habeat, & exerceat,
quodque tam Vicarius, quam Fratres, & Moniales, ac utriuſque ſexus perſonę, Conventus, Monaſte-
ria, & Collegia quęcunque Congregationis hujuſmodi Capitulo, cui Fratres, & Prior Provincię pręe-
fatę, cui tam Fratres, quam Moniales Congregationis ejuſdem ordinario jure ſubiiciantur in omnibus, &
per omnia reſpective ſubjecta eſſe, & eis obedire, ipſique Fratres, & Conventus Congregationis hujuſ-
modi, ſicut alii ſub ejuſmodi Provincialis obedientia degentes, ad Capitulum Provinciale ejuſdem Pro-
vincię accedere, & convenire, ac vocem in eodem Capitulo, non tamen in Provincialis electione, habe- *Nota.*
re, actiſque, & ordinatis in Capitulo hujuſmodi parere debeant, Provincialiſque hujuſmodi Vicarium
pro tempore exiſtentem, aut Monaſteriorum Prioriſſas nullatenus, Priores vero Conventuales Congre-
gationis hujuſmodi, nonniſi in Capitulo Provinciali ad petitionem Fratrum ſuorum Conventualium ju-
xta morem ejuſdem Ordinis faciendam, a ſuis officiis abſolvere poſſit. Idemque Provincialis Conventum,
aut Monaſterium, ſeu Collegium aliquod Congregationis pręfatę, niſi majori parte Fratrum, aut Mo-
nialium illius conſentiente, aut populo, ſeu Domino Civitatis, aut loci, vel terrę, in qua, ſeu quo
Conventus, Monaſteria, aut Collegia hujuſmodi fuerint, id petente, viſitare, aut reformatos, ſeu Pro-
vincię, ad Conventus Congregationis hujuſmodi mittere, ſeu ad illos deſtinare. Vicarius vero pręedic-
tus, eos, qui de cetero abſque legitima licentia ad eum, & ejus Congregationem hujuſmodi confugere
contigerit, Provincię hujuſmodi Fratres recipere nullatenus valeat, hactenus tamen in ipſa Congrega-
tione receptos retinere, & ipſi recepti in ea manere poſſint. Et inſuper, ut Fratribus ad ſtudium per ip-
ſum Vicarium deſtinandis, de Conventu, in quo Generale, vel particulare ſtudium vigeat, ubi mori-
bus, & ſcientia inſtrui valeant, juxta alias ſuper hoc obſervatam conſuetudinem, per ipſum Provincia-
lem provideri debeat, etiam ſtatuimus, & ordinamus, ſicque deinceps per eos, quos ſingula ſtatuta, &
ordinationes, ac alia pręmiſſa concernunt, obſervari, & contra pręſentium tenorem nihil attentari de-
bere. Ac irritum, & inane quicquid ſecus in contrarium quomodolibet in futurum fieri, aut attentari
contigerit, decernimus, & declaramus. Non obſtantibus prędictis deſtitutionis hujuſmodi, & quibuſvis
aliis literis quomodolibet a Sede Apoſtolica emanatis, & aliis pręmiſſis, ac Provincię, & Congregationis
Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſta-
tutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, conſuetudinibus Provin-
cię, & Congregationis, ac tam de obſervantia, quam de vita communi Fratribus, & utriuſque ſexus
perſonis hujuſmodi quomodolibet per Sedem Apoſtolicam conceſſis, confirmatis, approbatis, & iteratis
vicibus innovatis, quibus omnibus, illorum tenores pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum in-
ſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, harum ſerie, ſpecialiter, &
expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſ-
catoris die XXVII Aprilis MDXX, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Nun-*

1. *Nuncupatis.*) Conſulenda *Conſtitutio Alexandri VI data XXIII Maii MCCCCXCV* Legitur *pag.* 114 hujus *IV Tomi*.
2. *Archivo*,) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi pag.* 73.
3. *Perducendo*.) Præcidendo.
4. *Eslingen*,) Vulgo *Esling*, in *Suevia*.
5. *Conſtanſien.*) In *Suevia*.
6. *Suas*.) Deſiderantur iſtæ *Sixti IV* literæ.
7. *Literas*.) Conſtitutionem ſcilicet mox laudatam.
8. *Literis*) Quæ deſiderantur.
9. *Thomam*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
10. *Literas*.) Iſtæ quoque deſunt.
11. *Celebramus*.) Credebamus.
12. *Modo*.) Turbatus locus.
13. *Modernus Magiſter Generalis*.) *Garcias* ſcilicet de *Loayſa*.
14. *Turicen.*) *Turegen.*, vulgo *Turgavv*, in *Helvetiis*.

Anno 1520 Die 30 Auguſti.

De dirimenda lite (1) Fratres inter & Inquiſitorem Toloſanos.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXIII.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono Sancti Antonii in Eccleſia Ruthonen. (3), & Sancti Salviani (4) Toloſan., ac Sancti Michaelis de Galliaco (5) Albien. Diœceſis Monaſteriorum Abbatibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

HUmilibus &c. (6). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Raymundi Goſini (7) Ordinis Prędicatorum profeſſoris, in Regno Francię, & Ducatu Aquitanię Generalis hęreticę pravitatis Inquiſitoris, Apoſtolica auctoritate, deputati, petitio continebat, quod licet quędam domus in civitate Toloſan., domus Sanctę Inquiſitionis nuncupata, Palatio Regio dictę Civitatis adjacens, cum utenſilibus, & ſupellectilibus neceſſariis in eadem domo, & ejus Capella conſiſtentibus, officiis Inquiſitionis hujuſmodi per eos, ad quos domus, & alia prǫmiſſa ſpectabant, tradita, & perpetuo applicata, fuerantque abinde Inquiſitores pravitatis hujuſmodi in partibus illis ex tunc deputati in pacifica poſſeſſione, vel quaſi, bonorum, utenſilium, & ſupellectilium hujuſmodi, cum tamen alias quondam Gallardus de Petra (8) dicti Raymundi in officio Inquiſitoris hujuſmodi inibi ſucceſſor (9), prout Domino placuit diem ſuiſſet clauſus extremum, dilecti filii Prior, & Fratres domus Prędicatorum, Conventualium nuncupatorum, Toloſan., utenſilia, & ſupellectilia, quę in domo ſanctę Inquiſitionis hujuſmodi ipſe Gallardus, dum viveret, habebat, tunc abſtulerunt, ipſamque domum ſanctę Inquiſitionis nudare, & vacuare dimiſerunt (10), idem Raymundus Priorem, & Fratres prędictos, quatenus utenſilia, & ſupellectilia hujuſmodi reſtituerent, & eandem domum ſpoliatam redintegrarent &c. Prior, & Fratres prędicti nonnulla utenſilia, & alia bona eidem Raymundo reſtituerunt, & deinde, aſſerentes dicta bona, per eos eidem Raymundo reſtituta, ad dictam domum Prędicatorum legitime ſpectare, quodque idem Raymundus illa detenuerat indebite occupata, certas literas (11) a dilecto filio Magiſtro Generali dicti Ordinis ad dilectum filium Vicarium . . . . , Congregationis in partibus illis, ſuper reſtitutione dictorum bonorum directas, & idem Vicarius earundem literarum prętextu contra dictum Raymundum de facto, juris ordine non ſervato, procedens, eundem Raymundum, quatenus bona hujuſmodi Priori, & Fratribus prędictis infra certum terminum tunc expreſſum, & ſub pęnis, & cenſuris etiam tunc expreſſis, daret, per ſuas certi tunc expreſſi tenoris literas monuit, & mandavit eidem, unde idem Raymundus, ſentiens exinde inter alia indebite ſe gravari, ad Sedem Apoſtolicam appellavit, ſed dictus Vicarius, appellatione hujuſmodi, cujus ipſe non erat ignarus, & infra cujus proſecutionis tempus, de quo non modicum ſupererat, contempta, ad ulteriora dicitur proceſſiſſe, quamvis de facto, & temere attentando. Quare pro parte ejuſdem Raymundi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut appellationis prędictę, ac poſt, & contra illam attentatorum, & innovatorum quorumcunque, nullitatiſque proceſſus, monitionis mandatorum, & cenſurarum Vicarii hujuſmodi, per ipſum & quoſcunque alios judices, & perſonas in ipſius Raymundi prędjudicium circa prǫmiſſa quomodolibet geſtorum, totiuſque negotii principalis, necnon quam, & quas habet, & movet, habereque, & movere vult, & intendit, contra, & adverſus Priorem, & Fratres prędictos, omneſque alios, & ſingulos, ſive communiter, vel diviſim, ſua intereſſe putantes ſuper ſpolio ſupellectilium, utenſilium, & aliorum bonorum hujuſmodi, ac illorum occaſione cauſas aliquibus probis viris in partibus illis committere, aliaſque in prǫmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, vocatis Priore, & Fratribus prędictis, & aliis, qui fuerint evocandi, eidem Raymundo, ſi hoc humiliter petierit, accepta tamen prius ab eo cautione idonea ſuper eo quod excommunicatus &c. duntaxat impendatis, ſuper aliis vero auditis hinc inde propoſitis, etiam de negotio principali hujuſmodi cognoſcentes legitime, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes quod decreveritis &c. obſervari. Teſtes &c. non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Prędeceſſoris noſtri qua inter alia cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem &c. ſeu ne judices &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. quibuſcunque, aut ſi dicto Ordini &c. ab eadem ſit Sede indultum quod interdici &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo vigeſimo, Tertio Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Mandatum.

1. *Lite*.) Conſulendus *Percinus Monumen. Conventus Toloſan, Secul. IV ad an. MDXX pag.* 107.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXCIV fol.* 245.
3. *Ruthonen.*) *Rutenen.*, vulgo *Rodez*.
4. *S. Salviani*.) *S. Saturnini*, vulgo *S. Sernin*.
5. *S. Michaelis de Galliaco*.) Vulgo *S. Michel de Gaillac*. Ordinis *S. Benedicti*.
6. *Humilibus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
7. *Raymundi Goſini*.) Viri celeberrimi, de quo ſæpius dictum fuit.
8. *Gallardus de Petra*.) Aliis *Gailhardus*, & *Gaillardus*, vir doctiſſimus, uti teſtatur *Nicolaus Bertrandus* in *Hiſtoria Comitum Toloſæ*. Ipſius ſæpius meminit *Percinus* in *Monu-*

Digitized by Google

Monumentis Conventus Toloſani. Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad ann. MDXVI pag. 32.*

9. *Succeſſor*.) Hic hallucinatus amanuenſis. Legendum: *Deceſſor*. Enim vero *Raymundus Goſſin* ſucceſſit certe *Gallardo de Petra*. Id liquet ex hac ipſa Conſtitutione, lis erat ſiquidem Fratres inter & Inquiſitorem, qui ſucceſſerat *Gallardo de Petra*. Idem probat inſtrumentum quod legitur apud *Percinum in Monument. Conventus Toloſani Seculo IV ad an. MDXVI pag. 106.* Hujus tenoris eſt. *F verendo Patri Fratri Johanni de Genos, Provinciali Congregationis Franciæ Ordinis Fratrum Prædicatorum reformatorum.* (Legendum *Provinciali Franciæ Ordinis Fratrum Prædicatorum*, uti monet Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXXXIV pag. 93) *Cum ex indulto Apoſtolico, & per literas Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & DD. Johannis divina providentia PP. XXII, more Romanæ Curiæ plumbatas, datas Avenioni Kalendis Novembris, Pontificatus Anno IX, his brevitatis cauſa omiſſis, præſentatio officii Inquiſitoris Fidei in Toloſano Conventu reſidentis ad Nos toties quoties vacare contingat, confirmatio vero & inſtitutio ad vos pertineat, & quavis alia diſpoſitio ad eandem R. veſtram Paternitatem ex prædicto indulto pertinere dignoſcatur, dictum officium Inquiſitoris ſecundum præſens tempus vacare per mortem ſive deceſſum R. P. F. Gaillardi de Petra, quondam in facultate Theologiæ Magiſtri Conventus Toloſani, & prædicti officii ultimi pacifici poſſeſſoris. Hunc autem, qui mos eſt, inſequendo tenere, & Conſtitutionem prædictam volentes pro poſſe ſequi, de perſona idonea & ſufficienti, prout decet, Patrem Fratrem Raymundum Goſſin providimus, eumque nominavimus, de cujus morum honeſtate, ſagacitate, experientia, & aliis virtutum meritis teſtificamus. Rogantes vos, ut electionem approbare, & electum confirmare dignemini. In quorum fidem &c.*

10. *Dimiſerunt*.) Fortaſſis: *Præſumpſerunt*.

11. *Literas*.) Ejuſdem Generalis Magiſtri quaſdam alias literas hac de re ſcriptas ad *Toloſates* refert *Percinus in Monumen. Conventus Toloſani Seculo IV ad an. MDXX pag. 107.*

Sacelli pro Sororibus Tertii Ordinis Maſſiliæ (1) conſtituendi facultas.

Anno 1520 Die 13 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. CXIV.

EX debito paſtoralis officii &c. (3). Sane pro parte dilectę in Chriſto filię Catherinę de la Croix, Sororis Domus S. Catherinę de Senis, Maſſilien., Tertii Ordinis Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum alias quędam mulier civitatis Maſſilien. fervore devotionis accenſa, ob ſingularem, quem ad eandem S. Catherinam gerebat, devotionis affectum, Domum prędictam in dicta civitate conſiſtentem, & ad eam, legitime ſpectantem, & pertinentem, Religioni ejuſdem S. Catherinę, & S. Franciſci ęquis portionibus dividendo perpetuo donaverit, & conceſſerit, ac ex tunc in eadem domo ſic tunc donata, duę, aut plures ipſius Religionis Sorores cum humilitate, & Religione, ac odore bonę famę Altiſſimo famulatum exbibentes, ſemper fuerint, & in domo, aut civitate prędictis, nulla Capella, ſeu Oratorium ejuſdem S. Catherinę, ad quam, ſeu quod ipſę Sorores pro devotionibus, & contemplationibus eorum faciendis confugiant, exiſtat, ſi eidem Catherinę in ipſa Domo, ſeu apud illam, unam Capellam, ſeu Oratorium ſub invocatione ejuſdem S. Catherinę de Senis, in qua, ſeu quo, etiam Miſſas celebrari facere liceret, conſtrui, & erigi faciendi, licentia concederetur, ex hoc profecto Sorores, in prędicta Domo pro tempore degentes, ſublata occaſione Domum prędictam pro Miſſis audiendis aliquando exeundi, devotioni, & contemplationi, intentiores redderentur. Quare pro parte dictę Catherinę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in Domo prędicta, unam Capellam, ſeu Oratorium ſub dicta invocatione, conſtrui, & erigi faciendi, licentiam concedere, ac alias in prémiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui pia perſonarum Religioni dedicatarum, vota, per quę animarum ſuarum ſaluti conſulitur, Apoſtolici favoris prędidio libenter confovemus, prędictam Catherinam, quę apud Sedem Apoſtolicam conſtituta, &, ut aſſerit, Ordinem ipſum nondum profeſſa exiſtit, a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes bujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Catherinę in dicta Domo, ſeu apud illam unam Capellam, ſeu unum Oratorium ſub dicta invocatione, in qua, ſeu quo, etiam ipſę Sorores, Miſſas celebrari facere, & audire poſſint, conſtrui, & erigi faciendi auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam, & facultatem concedimus; Et nibilominus cupientes, ut Capella, ſeu Oratorium hujuſmodi, cum conſtructa, ſeu conſtructum fuerit, in debita veneratione habeatur, & a Chriſti fidelibus congruis frequentetur honoribus, ipſique Chriſti fideles, eo devotius, ad illius conſtructionem, ac librorum, Calicum, & aliorum ornamentorum eccleſiaſticorum fulcimentum manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię, conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei Miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, vere pęnitentibus, & confeſſis, undecunque exiſtentibus, qui Capellam, ſeu Oratorium hujuſmodi, poſtquam conſtructa, ſeu conſtructum fuerit, in Feſto ejuſdem B. Catherinę devote viſitaverint annuatim, & ad pręmiſſa, de bonis eis a Deo collatis erogaverint, quoties id fecerint, mille dies, de injunctis eis pęnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus; ac hujuſmodi Indulgentiam ſub quibuſvis revocationibus &c. nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptam exiſtere decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus &c. quibuſcunque. Volumus autem, quod ſi alias, Capellam, ſeu Oratorium hujuſmodi viſitantibus, & inibi manus adjutrices porrigentibus, ſeu de bonis, ſibi a Deo collatis erogantibus, aut alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę, quoad hujuſmodi Indulgentiam nullius ſint roboris, vel momenti. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo, Idibus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Supplex petitio.

Facultas.

Indulgentiæ conceſſio.

1. *Maſſilia*.) In *Gallo-Provincia*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CCVI fol. 303.*

3. *Officii &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Con-

Anno 1520 Die 6 Octobris.

Confraternitatis (1) SS. Roſarii privilegia, & Indulgentias innovat, firmat, & auget.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXV.

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

PAſtoris ęterni, qui, ut humanum genus redimeret, in ara Crucis immolari non abnuit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, id ſuper reliqua cordis noſtri vota potiſſimum optamus, ut cunctos fideles quos pretioſiſſimi Sanguinis ſui aſperſione Deo Patri reconciliari curavit, quorumque regimen, & gubernationem Nobis commiſit, ad ſalubria pietatis opera, & pręcipue ipſius Paſtoris, ejuſque Beatiſſimę, ac ſemper Virginis intemeratę Genitricis, apud ipſum pro Nobis advocatę cultum, & devotionis affectum quibus immarceſcibiles in cęlis theſauros recondere, & cęleſtis patrię cives effici poſſint, frequenter invitemus, & his, quę propterea provide conceſſa fuiſſe percepimus, ut firma perpetuo, & illibata perſiſtant; cum a Nobis, pręſertim per ſeculares Principes, & alias perſonas Nobis, & Apoſtolicę Sedi gratas, & devotas, humiliter petitur, noſtrę approbationis, & innovationis libenter adjicimus firmitatem, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Diplomatis cauſa.

Sane pro parte dilectorum filiorum Priorum, & Fratrum Domus Pręedicatorum Colonienſium nuper exhibita, petitio continebat, quod olim, prout in hiſtoriis (3) legitur, a Sancto Dominico quędam Confraternitas utriuſque ſexus fidelium, de Roſario ejuſdem B. Marię Virginis nuncupata, ad honorem Angelicę ſalutationis inſtituta, & in diverſis mundi partibus prędicata fuit, & ſequentibus ſignis: ſed cum ipſa Confraternitas decurſu temporis fere neglecta fuiſſet, & in oblivionem tranſiviſſet, ac anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto, Civitas, & Dięceſis Colonienſis gravibus bellis premeretur, eadem Confraternitas, ad laudem, & honorem prefatę Virginis, ut civitas, & dięceſis prędicta meritis, & interceſſionibus ejuſdem Virginis ab eis bellis liberaretur, in Eccleſia dictę Domus innovata, & de novo inſtituta (4) fuit cum certo modo orandi, videlicet, quod Confratres, & Sorores ejuſdem Confraternitatis tribus diebus cujuslibet hebdomadę ad honorem Dei, & prefatę Virginis, ac contra imminentia mundi pericula, legerent conjunctim, vel diviſim toties Angelicam Salutationem, quot ſunt Pſalmi in Pſalterio Davidico, ſingulis decem ſalutationibus hujuſmodi Orationem Dominicam ſemel pręponendo, & modum orandi hujuſmodi Pſalterium, ſive Roſarium ejuſdem B. Virginis vulgariter appellatum. Quam quidem Confraternitatem in dicta Eccleſia de novo inſtitutam, poſtmodum bonę memorię Alexander (5) Epiſcopus Forolivienſis tunc Apoſtolicę Sedis cum poteſtate Legati de latere per totam Germaniam Nuncius, ſingulari devotione permotus, & ſe in eadem Confraternitate recipi, atque conſcribi volens, & petens, ad preces clarę memorię Federici III, Romani Imperatoris auctoritate Apoſtolica approbavit (6), confirmavit, & ratificavit, ac omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus fidelibus dictę Confraternitatis confratribus, & conſororibus in ſingulis quinque ipſius Beatiſſimę Marię Virginis pręcipuis feſtivitatibus ſcilicet Annunciationis, Viſitationis, Aſſumptionis, Nativitatis, Purificationis, centum, & quoties per ſe, vel per alium dictum Roſarium legerent, vel legi facerent, ſeu Sabbatis, & feſtivis diebus decantationi Salve Regina, quę poſt Completorium in dicta Eccleſia ejuſdem Beatiſſimę Virginis, ubi dicta Confraternitas inſtituta extitit, & quam ipſe Nuncius antea conſecraverat, cantabatur, intereſſent, XL dies Indulgentiarum, conceſſit.

Nota.

Et poſt vero felicis recordationis Sixtus Papa IV, Prędeceſſor noſter, accepto per eum, quod Confraternitas hujuſmodi in dicta Eccleſia ſic de novo inſtituta fuerat: voluit, & ordinavit, quod omnes, & ſinguli Confratres utriuſque ſexus, Confraternitatem prędictam ſervantes tam in dicta Civitate Colonienſi, quam etiam alibi ubique locorum, tunc, & pro tempore exiſtentes, vere pęnitentes, & confeſſi, qui Orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam prędictam, modo premiſſo dicerent, in ſingulis Nativitatis, Annunciationis, Aſſumptionis ejuſdem B. Virginis Marię feſtivitatibus Indulgentiam ſeptem annorum, & totidem quadragenarum conſequerentur. Et deinde, ſupplicationibus tunc Ducis, & Duciſſę Britannię inclinatus, prefatum Pſalterium, ſeu modum orandi eadem auctoritate approbavit; illumque tolerandum fore, ac cunctis fidelibus eo modo orare licere decrevit, & declaravit, ac ut omnes, & ſinguli Chriſti fideles ad devotionis opera, ad dictum modum orandi, frequentius inducerentur, univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus modo prędicto orare volentibus ubilibet, ac tunc, & pro tempore exiſtentibus, pro qualibet vice, qua ſic, ut pręmittitur, orarent, pro qualibet quinquagena prefati Pſalterii quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis pęnitentiis in Domino relaxavit, prout in ipſis Sixti Prędeceſſoris literis (7) deſuper confectis, quas perpetuo durare voluit, plenius continetur. Et ſucceſſive pię memorię Innocentius Papa VIII, etiam Prędeceſſor noſter, cum anno Domini MCCCCLXXXIII (8) die XIII menſis Octobris (9) quondam Bartholomęus de Comatiis de Bononia, tunc dicti Ordinis Generalis Magiſter, cum ejuſdem Ordinis Provincialibus Capitulum Generale in alma Urbe celebraret, Bartholomęi Generalis vivę vocis oraculo, omnibus qui tunc erant, & in futurum eſſent de dicta Confraternitate, & per hebdomadam dicerent Pſalterium B. Marię Virginis hujuſmodi, plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo: ac etiam receptis per literas ad beneficia dicti Ordinis non ad quęſtum, ſed devotionis cauſa conceſſit, de qua conceſſione per literas teſtimoniales ipſius Bartholomęi ſui ſecreti ſigilli, ſeu ſignati uſualis impreſſione munitas conſtat.

Nota.

Et inſuper felicis memorię Raymundus (10) tit. S. Marię Novę (11) Presbyter Cardinalis, tunc per Germaniam dictę Sedis Legatus, eiſdem Confratribus, & Conſororibus pro quolibet Roſario centum dies Indulgentiarum perpetuo, & ſimiliter plures, ac diverſi locorum Ordinarii, ſinguli Indulgentiam quinquaginta dierum conceſſerunt, prout etiam in Raymundi Cardinalis Legati, necnon Alexandri Epiſcopi, & Nuncii, & Ordinariorum hujuſmodi ſingulis deſuper confectis literis (12) dicitur, plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dilectus

filius

filius nobilis Vir Johannes (13) Dux, & dilectę Nobis in Chriſto filię nobiles Mulieres, Maria (14) ipſius
Johannis Ducis conthoralis Duciſſa Juliacenſis, & Montenſis, ac Sibylla (15) Marchioniſſa Brandebur-
genſis dictę Marię Duciſſę genitrix, necnon dilectus etiam filius Magiſter Johannes Ingenolzel Prępoſitus
Eccleſię S. Victoris Colonienſis Diœceſis, literarum Apoſtolicarum majoris prędidentię Abbreviator,
necnon Notarius, ſcriptor, & familiaris, continuus commenſalis noſter, ob ſingularem, & ſinceram,
quam ad ipſam intemeratam Virginem ferunt devotionem, ac dicti Prior, & Confratres cupiant, omnia,
& ſingula pręmiſſa etiam per nos approbari, confirmari, & innovari. Quare pro parte tam Johannis
Ducis, & Marię Duciſſę, ac Sibyllę Marchioniſſę, necnon Johannis Prępoſiti, quam Prioris, & Fratrum
Prędicatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręmiſſa omnia, & ſingula, pro illorum ſubſiſtentia — *Indulgentia.*
firmiori, approbare, confirmare, & innovare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate
Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piis votis illis in hac parte paterne annuentes, hujuſmodi ſupplicatio-
nibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium Confraternitatem, & ritum, ſive modum oran-
di hujuſmodi, necnon omnes, & ſingulas Indulgentias, tam per Sixtum, & Innocentium Prędeceſſores,
quam Legatum, Nuncium, & Ordinarios, ut pręfertur, conceſſas, & deſuper confectas literas, ac om- — *Nota.*
nia, & ſingula in eis contenta, approbamus, confirmamus, & innovamus, ipſaſque Indulgentias de novo
perpetuo concedimus; & ut Johannes Dux, & Maria Duciſſa, & Sibylla Marchioniſſa, ac Johannes Prę-
poſitus, necnon Prior, & Fratres pręfati, necnon omnes, & ſinguli alii Chriſti fideles ad ea devotionis
opera, & prędictum modum, ſive orandi ritum eo frequentius inducantur, quo exinde facilius animarum
ſuarum ſalutem conſequi ſperaverint, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli
Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi Johanni Duci, Marię Duciſſę, Sibyllę Marchioniſſę, Johanni Prę-
poſito, Priori, ac Fratribus Predicatoribus, & eorum ſingulis, ac Univerſis, & ſingulis, aliiſque utriuſ-
que ſexus Chriſti fidelibus dictę Confraternitatis Confratribus, & Conſororibus ubilibet exiſtentibus, tam
pręſentibus, quam futuris vere pęnitentibus, & confeſſis, ſeu confitendi propoſitum habentibus, qui ter
in hebdomada dictum Roſarium devote oraverint, ut pręfertur, pro qualibus vice, alios decem annos, & — *Abſolutio a reſervatis.*
totidem quadragenas, de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus: Ac quod omnes
prędicti eorum, & ſinguli in Paſcha Reſurrectionis, & Feſtivitatibus prędictis, ac tribus diebus ſingulis
feſtivitatum earundem pręcedentibus cuicunque Presbytero Domus Ordinis Prędicatorum Fratrum
profeſſorum, per eorum ſingulos pro tempore eligendo, peccata ſua confiteri valeant, ipſeque Presbyter
eorum Confeſſionibus diligenter auditis ipſos, & eorum ſingulos, ab omnibus, & ſingulis excommunica-
tionibus, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel
cauſa latis, & promulgatis, necnon ſacrilegiis, inceſtibus, adulteriis, pęnitentiarum injunctarum, & di-
vinorum Officiorum, & jejuniorum omiſſionibus, aliiſque eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, delic-
tis, etiam quantumcunque gravibus, & enormibus, in ſingulis etiam Sedi Apoſtolicę reſervatis caſibus, con-
tentis in Bulla ſingulis annis in die Cęnę Domini legi conſueta duntaxat exceptis, abſolvere, & eis pro
commiſſis pęnitentiam ſalutarem injungere, ac juramenta quęcunque ſine alicujus prejudicio relaxare, & — *Juramentorum relaxatio.*
vota quęcunque, ultramarinis, viſitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli pręfatorum, ac S. Jacobi in — *Votorum commutatio.*
Compoſtella, necnon Religionis, & Caſtitatis Votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare
libere poſſit, Ordinarii, & Archidiaconi loci, ac Rectorum Parochialium, & cujuſvis alterius licentia
deſuper minime requiſita, quodque pro receptione, & conſcriptione aliquorum Confratrum, ſive Con-
ſororum in dicta Confraternitate nihil omnino temporale exigi debeat, ſed ſponte oblata duntaxat recipi — *Nota.*
poſſint, perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, pręſentibus, quas, illarumque effectum, & in eis contenta,
ſub cujuſvis ſimilium, vel diſſimilium Indulgentiarum, facultatum, conceſſionum, & gratiarum, revoca-
tionibus, ſuſpenſionibus, vel modificationibus, etiam pro anno Jubilei, & in favorem fabricę Baſilicę Prin-
cipis Apoſtolorum de Urbe, ſeu expeditionis contra infideles, vel alia quacunque de cauſa, per Nos, &
Sedem prędictam, nunc, & pro tempore factis, nullatenus comprehendi, ſed illis non obſtantibus dictis
Chriſti fidelibus omnino ſuffragari, ipſoſque illis gaudere, ſeu uti debere, decernimus, perpetuis futuris
temporibus duraturis, non obſtantibus pręmiſſis, & conſtitutionibus, ac Ordinationibus Apoſtolicis, ce-
teriſque contrariis quibuſcunque. Ceterum quia difficile foret pręſentes literas ad ſingula quęcunque loca,
in quibus expediens foret, deferri, volumus, & auctoritate prędicta etiam decernimus, quod earundem
pręſentium literarum tranſumptis manu unius, vel plurium Notariorum publicorum, ſubſcriptione, &
ſigillo alicujus Prelati, ſeu perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, plena, ac tanta fides ad-
hibeatur, & adhiberi poſſit, & debeat in omnibus, & per omnia, ſicut ipſis originalibus, ſi eſſent in me-
dium exhibitę vel oſtenſę. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę
Millesimo Quingenteſimo Vigeſimo, Pridie Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Confraternitatis.*) Conſulenda *Diſſertatio II Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar authenticum ex autographo aſſervato in *Archivo Apoſtolico*. In *Bullario Romano* eſt *XLVI*. Legitur etiam apud *Confettium pag.* 139, & in *Bullario Confraternitatum Ord. Pręd. pag.* 58. Exemplar authenticum habes *Lib. B. fol.* 133 ex autographo *Hiſpalenſi*.
3. *Hiſtoriis.*) De quibus in Diſſertatione mox laudata.
4. *De novo inſtituta.*) Vide *Conſtitutionem CX Sixti IV*, legitur *Tomo III pag.* 567, & ejuſdem *Sixti Conſtitutionem CXXII*, ibidem *pag.* 576.
5. *Alexander.*) Adeas *Ughellum in Epiſcopis Forolivien.*
6. *Approbavit.*) *Alexandri* literas reperies in Diſſertatione mox laudata.
7. *Literis.*) Conſtitutionibus ſcilicet *CX*, & *CXXII*.
8. *Anno Domini MCCCCLXXXIII.*) Sic in exemplari *Bull. O.P. Tom IV. Hiſpalenſi*, & apud *Confettium*. In *Bullario* vero *Confraternitatum Ord. Prędicatorum*, in *Bullario Romano*, & in exemplaribus authenticis ſupra laudatis legitur: *Anno Domini MCCCCLXXXIII, alias MCCCCLXXXIV.* Scribendum certe *MCCCCLXXXIV*. Primo ſiquidem, anno *MCCCCLXXXIII* vivebat adhuc *Sixtus IV* deceſſor *Innocentii*. Obiit *Sixtus* anno duntaxat *MCCCCLXXXIV* die *XII* Auguſti. Secundo Summus Pontifex *Innocentius VIII* electus fuit eodem anno *MCCCCLXXXIV* die *XXIX* Auguſti. Tertio Capitulum ſeu Comitia Generalia, de quibus ibi mentio, *Romę* coacta ſunt eodem anno *MCCCCLXXXIV* die *IX* Menſis Octobris. Quarto *Bartholomaus*, de quo Diploma loquitur, Generalis Magiſter renunciatus fuit in iiſdem Comitiis anni *MCCCCLXXXIV*. Sit ergo certum, quod hæc indulgentia *vivæ vocis oraculo* data fuit anno *MCCCCLXXXIV*, non vero *MCCCCLXXXIII*. Id firmari poteſt ipſamet Epiſtola *Bartholomai Comaxii* ſcripta *Romæ* anno *MCCCCLXXXIV* die *XV* Octobris. Tractat

de hac Indulgentia plenaria viva vocis oraculo ab Innocentio VIII Sodalibus Roſarii ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo conceſſa. Extat apud *Fernandez in Hiſtoria Roſarii pag.* 177. Vide *Notam* quæ ſequitur.

9. *XIII Menſis Octobris.*) Hic etiam erravit amanuenſis, & legendum *XV Menſis Octobris*. Id conſtat ex Epiſtola mox laudata, cujus exemplar authenticum tandem reperii. Hujus tenoris eſt: *In Dei filio cariſſimis Reverendis Prioribus, Fratribus totius Ordinis Prædicatorum Frater Bartholomæus Comatius de Bononia, ejuſdem Ordinis humilis Generalis Magiſter, ſalutem, & Spiritus Sancti conſolationem. Notum ſit vobis quod Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Dominus noſter Innocentius divina providentia Papa Octavus attendens devotioni Beatæ Virginis de Roſario, ut Confratres dictæ Confraternitatis, & qui adhuc Confratres non ſunt ad Virginis obſequium propterea accendantur, hodie ſua viva vocis oraculo conceſſit nobis, quatenus omnes utriuſque ſexus ubique terrarum exiſtentes Confratres, unum ſibi poſſint eligere Confeſſorem, qui eis Plenariam Indulgentiam ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo concedat omnium delictorum ſuorum. Bene valete, & Dominum pro felici ſtatu, & profectu Ordinis inſtanter orate. Datum Romæ in noſtro Conventu S. Mariæ ſuper Minervam die Quinta decima Octobris Anno Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Quarto*. Aſſervatur in Archivo Ordinis ex autographo *Hiſpalenſi*. Et ex hoc omnino ſolvitur difficultas de qua dictum fuit in *Nota* præcedenti.

10. *Raymundus.*) *Perauld, Gallus*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III in Alexandro VI ad an. MCCCCXCII pag.* 172.

11. *Tituli S. Mariæ novæ.*) Hoc titulo donatus eſt *Raymundus* anno *MCCCCXCIX* die *XXIX* Aprilis, ut notat *Bruchius in Diario*.

12. *Literis.*) Quas reperies in *Diſſertatione II Tomo ultimo*. Nonnullas habes in *Bullario Confraternitatum Ordinis Prædicatorum*.

13. *Johannes.*) Hujus nominis *III*.

14. *Maria.*) Filia *Guillelmi* Ducis *Juliacenſis &c.*

15. *Sibylla.*) Filia *Alberti* Marchionis *Brandeburgenſis*, Adeas *Petrum de Streithagen in ſucceſſ. Princip. Juliæ, Cliviæ, Mont. &c.*, & *Vernherum Teſchenmacher in Annal. Clivien.* ubi de *Johanne*, *Maria*, & *Sibylla*.

Anno 1521 Die 27 Martii.

Declarat Conventum San-Maximinenſem (1) omni juriſdictione Abbatis S. Victoris Maſſilien., Archiepiſcopi Aquen. &c. eſſe exemptum (2).

CXVI.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus domus Sanctę Marię Magdalenę loci Sancti Maximini, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Aquen. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. CUm a Nobis petitur quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Sane pro parte veſtra dilecto filio noſtro Laurentio (4) tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbytero Cardinali, majori Supplex petitio. Pęnitentiario noſtro, veſtri parte nuper expoſito, quod licet domus Sanctę Marię Magdalenę loci Sancti Maximini Ordinis Fratrum Prędicatorum. Aquenſis Dięceſis, quam tunc inhabitabatis, ac Prior, & Fratres in ea pro tempore degentes, ac Eccleſia dictę domus, quę olim a clarę memorię Carolo (5) Sicilię Rege, & Provincię Provincię Comite, ſuis ſumptibus & expenſis conſtructa, & ędificata, & in qua corpus ejuſdem Sanctę Marię Magdalene per eum repertum, honorifice reconditur, fuerunt a felicis recordationis Bonifatio Papa Octavo, Predeceſſore noſtro, ab omni juriſdictione Abbatis, & Conventus Monaſterii S. Victoris Maſſilienſis Ordinis S. Benedicti, ad quod Eccleſia dictę domus tunc ſpectabat, ac tunc, & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Aquenſis, & aliorum quorumlibet ordinariorum, perpetuo exempti, & ſub ſua, & Sedis Apoſtolicę protectione ſuſcepti fuerunt, ita ut eis etiam ratione curę animarum Nota. Parochianorum dictę Eccleſię imminentis, quam per Vicarios ad eorum nutum amovibiles exerceri facere conſueverunt, nullatenus ſubiicerentur, & ipſius domus Prior pro tempore exiſtens ad requiſitionem, & informationem ipſius Regis, & Comitis correctionem, & reformationem in Eccleſia, & domo prędictis facere teneretur, ac Prioris electio per Fratres dictę domus de licentia, & conſenſu pręfati Comitis fieri, & per Provincialem Provincię hujuſmodi juxta morem dicti Ordinis, pro tempore exiſtentem, confirmari deberet, voſque a tanto tempore citra, de cujus contrario memoria hominum non habebatur, in pacifica poſſeſſione, vel quaſi, exemptionis hujuſmodi fueritis, prout etiam tunc exiſtebatis, ita quod ex tunc tam locorum, quam Ordinis predictorum ordinarii, & ſuperiores nullam hactenus in vos ſuperioritatem, ſeu juriſdictionem, aut in eiſdem Eccleſia, & domo viſitationem, aut reformationem, ſeu correctionem exercuerint, ſed ſolus dictę domus Prior, vigore conceſſionis Bonifatii Papę hujuſmodi, eaſdem reformationem, & correctionem in Eccleſia, domoque predictis facere conſuevit, tamen Magiſter Generalis, & Provincialis Prior, & alii Superiores dicti Ordinis, qui poteſtatem, & juriſdictionem, ordinariam per electionem de eis factam recipiunt, & eam in perſonas dicti Ordinis habent, nitebantur illam in vos, qui a juriſdictione quorunlibet ordinariorum exempti fuiſtis, & propterea ab eorundem ordinariorum juriſdictione exempti Declaratio. eratis, & Priorem vobis eligebatis, & electionis per vos pro tempore factę confirmationem, a Provinciali in illis partibus exiſtente ex ſpeciali indulto Apoſtolico hujuſmodi obtinebatis, & pro qua ad Sedem Apoſtolicam venire nimis grave, & laborioſum erat, exercere ſe velle jactabant. Et ob hoc ſupplicatum fuit humiliter eidem Laurentio Cardinali, & Pęnitentiario, vobis ſuper iis per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio miſericorditer provideri, ac idem Laurentius Cardinalis, & Pęnitentiarius hujuſ- Nota. modi ſupplicationibus inclinatus, auctoritate noſtra, cujus Pęnitentiarię curam gerebat, & de noſtro ſpeciali mandato ſuper hoc vivę vocis oraculo facto, vobis, ut contra exemptionem per dictum Bonifatium Prędeceſſorem conceſſam hujuſmodi, per quam ab Abbatis, Archiepiſcopi, & aliorum ordinariorum quorunlibet juriſdictione vos exemit, & liberavit, per Generalem, & Provincialem Magiſtros, & alios quoſcunque ſuperiores dicti Ordinis moleſtari non poſſitis conceſſit, decernens, veris exiſtentibus ſibi expoſitis (6) hujuſmodi, ipſos Generalem Priorem, ac Provinciales Magiſtros, & alios quoſcunque dicti Ordinis ſuperiores in domo, & Eccleſia Beatę Marię hujuſmodi, ac ipſius domus Priorem, & Fratres pro tempore exiſtentes, nullam viſitationem, correctionem, reformationem, aut aliam juriſdictionem

exer-

Digitized by Google

exercere poſſe, voſque poſſeſſione pacifica, ac quieta exemptionis hujuſmodi, in qua eſtis, pacifice frui & gaudere debere, & inſuper vobis, quod pręmiſſis non obſtantibus, omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, pręeminentiis, honoribus, favoribus, indulgentiis, ſuffragiis, gratiis, conceſſionibus, & indultis, dicto ordini conceſſis, & quibus alii dicti Ordinis Religioſi in genere utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, libere, & licite poſſetis, & valeretis, perinde ac ſi, ut pręmittitur, exempti non eſſetis, decrevit, & indulſit, prout in quibuſdam ſuis patentibus literis ſigillo Pęnitentiarię Apoſtolicę munitis plenius dicitur contineri, quę omnia a Nobis Apoſtolico petiiſtis munimine roborari. Nos igitur, veſtris in ea parte ſupplicationibus inclinati, Laurentii Cardinalis, & Pęnitentiarii conceſſionem, decretum, & indultum hujuſmodi, ſicut rite, & provide emanarunt, Apoſtolica auctoritate confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum confirmationis, & communitionis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Primo, Sexto Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *San-Maximinenſem.*) Vide Notas ad *Conſtitutiones III, IV. &c. Bonifatii VIII Tomo II pag.40.*

2. *Exemptum.*) Quod ſpectat Abbatem *S. Victoris* nullam omnino juriſdictionem habuit unquam in *San-Maximinenſe* Cœnobium Fratrum Prædicatorum. Archiepiſcopus *Aquenſis* Parochiæ Sacellum viſitat ab aliquot annis. Generali autem Magiſtro, & *Toloſano* Provinciali ſicut ceteri Conventus ejuſdem Provinciæ ſubjicitur iſte *San-Maximinenſis*. Omni hominum memoria antiquior eſt iſta Generalis Magiſtri juriſdictio. Provinciæ vero *Toloſanæ* juris eſt ab uno circiter ſeculo. Id eo vel maxime teſtificari poſſum, quod ab anno *MDCCVII* in numerum filiorum hujuſce celeberrimæ domus, Dei O. M. beneficio, cooptatus, quid, ab illo Cœnobio condito, ipſius cauſa, geſtum ſit, non ſemel perſcrutatus fuerim.

3. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur.

4. *Laurentio.*) *Puccio*, cujus meminit *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III pag. 337 ad annum MDXIII.*

5. *Carolo.*) Hujus nominis *II.*

6. *Veris exiſtentibus ſibi expoſitis.*) Quibuſdam interpunctionibus hæc verba ſic in ipſomet autographo diſtinguuntur, ut olim obreptione poſtulatum Diploma videatur. Hoc certe vitio ipſum laborare crediderim. Vide Notam *II.*

Ut Florentini (1) Monaſterii Tertii Ordinis Sorores album Scapulare deferre poſſint.

Anno 1521 Die 13 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXVII.

Dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Sororibus Monaſterii Sanctę Catharinę Virginis Florentin. Tertii Ordinis S. Dominici de Pęnitentia nuncupatis, ſub Regula S. Auguſtini, & cura Fratrum Pręedicatorum degentibus,

LEO PP. X.

Dilectę in Chriſto filię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum, ſicut Nobis nuper exponi feciſtis, alias vobis, & pro tempore exiſtentibus Prioriſſę, & Sororibus Monaſterii veſtri Sanctę Catharinę Virginis Civitatis Florentię, Tertii Ordinis S. Dominici de Pęnitentia nuncupati, ſub Regula Sancti Auguſtini, & cura Fratrum Pręedicatorum degentibus, ut ultra ipſius Tertii Ordinis regularia inſtituta, tria vota ſecundum Regulam B. Auguſtini hujuſmodi ſolemniter profiteri, & emittere poſſetis, ab Apoſtolica Sede conceſſum, & ita hactenus obſervatum fuerit, & obſervetur, voſque numero ſupra octuaginta eſtis in dicto Monaſterio collegialiter, & viridi obſervantia ſub habitu ipſius Tertii Ordinis, ac cura Fratrum Pręedicatorum regularis obſervantię, ac promiſſione, ſeu emiſſione trium votorum hujuſmodi gratum Altiſſimo famulatum exhibere ſtudeatis, ac in Civitate pręedicta ſint alia Monaſteria dicti Tertii Ordinis, quorum Sorores eundem habitum deferentes, & collegialiter viventes, & ad quęſtum eleemoſynarum, & extra dictam Civitatem exeuntes, tria vota pręedicta non emittant, ac propterea conveniens exiſtat, ut vos ab aliis Sororibus vota ipſa non profitentibus in habitu differatis. Nos, qui earum petitiones propenſiori ſtudio caritatis proſequimur, quę divinis obſequiis acceptius ſe deſiderant cooptare, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, & pro tempore exiſtentibus Prioriſſę, & Sororibus dicti Monaſterii veſtri, ut de cetero perpetuis futuris temporibus ſuper tunicam albam, quam nunc defertis, ſcapulare album, juxta morem Monialium S. Auguſtini ſub cura, habitu, & inſtitutis dictorum Fratrum Pręedicatorum degentium, benedictum gerere, & deferre libere, & licite valeatis, ceteris obſervantiis veſtris in aliquo non mutatis, ſed in ſuo robore permanſuris, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus pręmiſſis, & conſtitutionibus, ac ordinationibus veſtris, ac ipſius Ordinis veſtri ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, & confirmatione Apoſtolica roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XIII Maii MDXXI, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Diplomatis cauſa,

Facultas;

1. *Florentin.*) In *Hetruria*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Florentin.* Huc etiam ſpectat ſequens Diploma.

IN Dei filio ſibi cariſſimis Prioriſſę, Matribus, ac Sororibus, nunc, & pro tempore Collegii Sanctæ Catharinæ de Florentia Tertii Ordinis Prædicatorum Frater Thomas de Vio Cajetanus Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius ejuſdem Ordinis Prædicatorum humilis Generalis Magiſter, & ſervus ſalutem, & Spiritus Sancti conſolationem. Expoſitum humiliter per vos mihi fuit, qualiter deſideratis vos arctiori vinculo aſtringere, ut commodius in via Dei proficere valeatis, vovere videlicet paupertatem, caſtitatem, obedientiam, & profiteri modum vivendi ſecundum Regulam B. Auguſtini. Ego vero veſtris juſtis precibus inclinatus, ad

ad quem ſpectat omnes, qui noſtro ſubſunt regimini, fovere auxilio, adjuvare ſuffragiis, &, quibus poſſum, ſpiritualibus fulcire præſidiis, ut ad ſanctam illam cæleſtem Jeruſalem facilius convolare poſſint, auctoritate Apoſtolica, in hac parte mihi conceſſa, prout apparet per literas Apoſtolicas in forma Brevis felicis memoriæ Julii Papæ II. Datas Romæ apud S. Petrum die quartadecima Decembris MDVIIII, Pontificatus ſui Anno Septimo, mihi directas, ſic incipientes. Conſiderantes quod multa tibi. Et infra. Et inſuper mulieres prędicti Ordinis, quæ Sorores de Pœnitentia nuncupantur, & collegialiter vivunt, ſi tibi placuerit, & illæ hoc cupiant, ex benignitate Apoſtolica tria vota Religionis in manus tuas, aut illorum, quos ad hoc duxeris deputandos, emittere licite valeant. Et in aliis literis Apoſtolicis in forma Brevis pręfati Papæ Julii, mihi etiam directis, datis Romæ apud S. Petrum die vigeſima ſeptima Februarii MDX, Pontificatus ſui Anno Septimo. Sic incipientibus. Exponi Nobis fecisti &c. Et infra, Sorores quoque de Pœnitentia S. Dominici nuncupatæ, collegialiter viventes, & volentes vovere tria Religionis vota juxta noſtram conceſſionem, eadem auctoritate volumus, ut profiteantur expreſſe obedientiam tibi, & pro tempore Magiſtro Generali, vel alii vices Magiſtri Generalis gerenti, uſque ad mortem, ſecundum Regulam Beati Auguſtini. Et propter hoc tamen non teneantur ad clauſuram, nec ad officium divinum, magis quam ex ſua Regula Tertii habitus tenentur. Et quod exemptæ tanquam dictæ Religionis membra gaudeant omnibus privilegiis active, & paſſive quibus Fratres Ordinis ſupradicti gaudent, modo privilegia illa ſexui non repugnent. Non obſtantibus quibuscunque Apoſtolicis conſtitutionibus &c. Tenore præſentium concedo vobis facultatem, vovendi tria vota, Caſtitatem, & paupertatem, & obedientiam, & profitendi obedientiam ſecundum Regulam Sancti Auguſtini, volens, ut pro hac prima vice profeſſionem emittatis in manus meas, vel alterius, cui commiſero. Deinceps autem pro tempore volentes prædicta vovere, & profiteri, volo, ut profiteantur, ac voveant in manus Prioriſſæ, quæ erit pro tempore, vel in manus alterius, cui commiſſum hoc fuerit per me, vel per Magiſtrum Ordinis pro tempore. Statuo quoque, ut nonniſi elapſo probationis anno, quem unicuique receptæ volumus per recipientes aſſignari, & de conſenſu majoris partis Capituli, in quo ſolas profeſſas hujuſmodi vocem habere volo, recipiatur ad dictam profeſſionem. Forma autem Profeſſionis hæc eſt, quando fit in manus Magiſtri Generalis. Ad honorem Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & B. Dominici. Ego Soror N. coram vobis Fratre N. Magiſtro Generali, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Collegio Sororum, profiteor, me velle de cetero vivere ſecundum regulam, & formam Fratrum, & Sororum ejuſdem Ordinis de Pœnitentia B. Dominici uſque ad mortem. Deinde ſubjungat ſic, & voveo Deo, & B. Mariæ ſemper Virgini, atque B. Dominico, & omnibus Sanctis, paupertatem, caſtitatem, & obedientiam. Promittendo quod tibi Fratri N. Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum, & ſucceſſoribus tuis ero obediens ſecundum Regulam S. Auguſtini uſque ad mortem. Si autem fiet in manu Prioriſſę dicat ſic. Ad honorem Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & B. Mariæ ſemper Virginis, & B. Dominici. Ego Soror N. coram vobis Sorore N. Prioriſſa Conventus S. Catharinę de Florentia de Tertio Ordine Fratrum Prædicatorum, & Conventu Sororum, profiteor, me velle de cetero vivere ſecundum regulam, & formam Fratrum, & Sororum ejuſdem Ordinis de Pœnitentia B. Dominici uſque ad mortem. Deinde ſubjungat, & voveo Deo, & B. Mariæ ſemper Virgini, atque B. Dominico, & omnibus Sanctis paupertatem, caſtitatem, & obedientiam, promittendo tibi Sorori N. Prioriſſæ Monaſterii Sanctæ Catharinæ Florentiæ, vice Fratris N. Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum, quod ero tibi, & ſuccedentibus tibi, obediens ſecundum Regulam Beati Auguſtini uſque ad mortem. Et quoniam aſcendentibus vobis ad altiorem gradum debet altior modus proviſionis regiminis, cuſtodiæque reſpondere, ſtatuo, ut de cetero Prioriſſa poſtuletur a Capitulo hujuſmodi profeſſarum, ita quod habeat plures voces medietate omnium poſtulantium, & confirmetur per Magiſtrum Ordinis, vel Vicarium Congregationis Sancti Marci, vel ejus ſubſtitutum; vel ab eo delegatum. Cui Vicario pro tempore volo Collegium, ſeu Monaſterium, veſtrum plene ſubjacere in ſpiritualibus, & temporalibus, ſicut ſubſunt Monaſteria Monialium, diſtricteque inhibeo, ne de cetero aliqua hujuſmodi profeſſarum intus, vel extra cum quocunque maſculo, etiam Confeſſore, vel Prælato in quocunque loco abſque ſocietate unius ſaltem videntis utrumque relinquatur. Et hoc ſub præcepto volo obſervari, ita quod non ſolum Soror manens cum ſolo maſculo, ſed Soror relinquens ſic illam, & homo ille ſi eſt membrum Ordinis noſtri in peccatum mortale incidat. Decernens, ut ordinationes per me alias approbatæ in veſtro Monaſterio juxta approbationis formam obſerventur. In contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. In quorum fidem, & robur, has fieri feci, & ſigillo officii mei communivi. Florentiæ die VI Novembris Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Quingenteſimo Tertio decimo, Aſſumptionis meæ Anno Sexto.

AP-

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Leone X Summo Pontifice, Promotos exhibens.

CARDINALIS.

F. Thomas de Vio, Cajetanus vulgo nuncupatus ex patria, Generalis Magiſter Ordinis, S. R. E. Cardinalis tituli S. Sixti. *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III in Leone X pag.* 390. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II Tit. XXVIII pag.* 29. *Ughellus Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 543. *Cavalerius Tomo I pag.* 351 *num. XL, & Tomo II pag.* 214 *num. I. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad an. MDVIII pag.* 14, aliique quos iſti laudant, *Thomæ* ſiquidem, quem *Clemens VII* nuncupabat *Lumen Eccleſiæ*, meminerunt auctores omnes qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis tractarunt. Archiepiſcopus, Epiſcopus, & Legatus fuit, ut in hac *Appendice* dicetur. Ceterum ex *Conſtitutione LVII Leonis X*, quæ legitur hoc in volumine *pag.* 345, liquet *Thomam* die duntaxat I Julii *MDXVII* S. R. E. Cardinalem renunciatum fuiſſe. Ordinis Generalis Magiſter tunc erat *Thomas de Vio, Cajetanus*. — Anno 1517 Die 1 Julii.

ARCHIEPISCOPI.

F. Johannes Hiſpanus, ex Epiſcopo *Britenſi*, ut in hac *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Arborenſis, in Sardinia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. VII pag.* 54 *ex Actis Conſiſtor. Leonis X. Cavalerius Tomo I pag.* 331 *num. III.* — Anno 1517.

F. Thomas de Vio, Cajetanus, S. R. E. Cardinalis, Archiepiſcopus Panormitanus, *Palermo*, in Sicilia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXI pag.* 92 *ex Actis Conſiſtorialib. Leonis X*, aliique Scriptores ſupra laudati. — Anno 1518.

F. Hieronymus Venetus, Archiepiſcopus Spalatenſis, *Spalatro*, in Dalmatia. *Cavalerius Tomo I pag.* 333 *num. XI*, ex *Plodio*. — Anno circiter 1520.

F. Nicolaus a Seomberg, Archiepiſcopus Capuanus, in Regno Neapolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXIII pag.* 65, *ex Ughello, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 358 *num. LXXII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDLVII pag.* 103, aliique quos iſti laudant. Apoſtolicæ Sedis Legatus, & S. R. E. Cardinalis fuit *Nicolaus*, ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis VII* dicetur. — Anno 1520.

EPISCOPI.

F. Thomas de Albiaiis, Epiſcopus Callienſis, *Cagli*, in Umbria Superiori, ſub Archiepiſcopo Urbinatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXI pag* 151, ex *Ughello, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 341 *num. XXXV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXXIV pag.* 59. Ad *Bethleemitanam* ſedem translatus fuit, ut in *Appendice* ſequenti dicetur. — Anno 1513.

F. Albertus Polonus, Epiſcopus Aconenſis, ſeu Ptolemaidis, vulgo *S. Jean d' Acre*, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. *Cavalerius Tomo I pag.* 348 *num. XLIX*, ex *Feuillet in Anno Dominicano*. — Anno circiter 1513.

F. Michael de Natera, Epiſcopus Liſienſis, ſeu Liſſienſis, *Aleſſio*, in Albania, ſub Archiepiſcopo Durracen. Omittunt *Fontana, Cavalerius &c.* Quod Epiſcopus fuerit habetur ex hoc Diplomate. *Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Michaeli de Natera electo Liſien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Georgio Epiſcopo Liſien. regimini Eccleſiæ Liſien. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ipſius Georgii Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum* — Anno 1513 Die 25 Aprilis.

Fra-

Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum & Theologiæ profeſſorem cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ab dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committenda. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearie. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Tertio Decimo, Septimo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCXIX fol.* 313.

Anno 1513 Die 2 Decembris, F. Dominicus de Cornaria, Epiſcopus Sebaſtenſis, vel in Palæſtina, ſub Nazareno, vel in ora Ciliciæ, ſub Tarſenſi, vel in Cappadocia, ſub Cæſareenſi Archiepiſcopo. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXXIX pag. 293, ex Monumentis Genuenſis Cœnobii S. Mariæ de Caſtello, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag 379 num. CX.* Apud *Plodium* cognomento dicitur *de Croatia*. Ab aliis mox laudatis ſcriptoribus *Cervera* nuncupatur. Addit *Fontana* quod *Dominicus* noſter *Quinquagenarius vitam cum morte commutavit in patria anno MDXLVI.* Et in his emendandi *Plodius, Cavalerius, & Fontana*, uti liquet ex hoc Diplomate. *Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominica de Cornaria electo Sebaſten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus afficium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Georgio Epiſcopo Sebaſten. regimini eccleſiæ Sebaſten. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. Poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ipſius Georgii Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illa qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Tertio decimo, Quarto Non. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCXIX fol.* 137. De hoc Epiſcopo loquens *Seraphinus* noſter *Maria Cerva* in nonnullis obſervationibus quas edidit ex monumentis archivi *Raguſini*, quibuſque ſeriem Antiſtitum Ordinis FF. Prædicatorum illuſtravit, & ad me miſit, hæc habet: *F. Dominicus, quem Plodius putat de Croatia, & Cavalerius ſub anno MDXLVI cognominat Cerveram, fuit Januenſis, cognomento de Croaria, Epiſcopus non Sebaſtenſis, in Armenia, aut Palæſtina, ut idem ait, ſed Sebatenſis in Epiro, quæ Eccleſia Suffraganea eſt Antibarenſis Eccleſiæ & vulgo dicitur Veſcovo di Sabbato: patet ex Bullis conſecrationis Eccleſiarum S. Crucis Gravoſii, & S. Nicolai Inſulæ Mediæ in noſtra Congregatione* (Raguſina, cujus ipſe *R. P. Seraphinus Maria Cerva* Vicarius Generalis fuit) *quas anno MDXVII dicavit.* Nota quod in Conſtitutione mox exſcripta *Dominicus* noſter non *Sebatenſis*, nec *Sabbatenſis*, ſed *Sebaſtenſis* Epiſcopus dicitur.

Anno circiter 1514. F. Johannes Veri, Epiſcopus Philadelphien., in Aſia, ſub Antiocheno Patriarcha. Hujus Epiſcopi meminit *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 25 Indicis Epiſcoporum.* ubi hæc habet: *Johannes Veri, ortu & profeſſione Rotomagenſis, Epiſcopus Philadelphienſis in partibus, obiit Rotomagi anno MDXIV. De eo dicebatur: Quicquid ignoravit, nemo neſcivit.* Ejuſdem meminit *Echard ad annum MDXIV pag.* 29.

Anno 1514. F. Auguſtinus Juſtinianus, Epiſcopus Nebienſis, *Nebbia*, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Genuenſi. *Ughellus in Epiſcopis Nebien. Tomo IV Italiæ Sacræ pag.* 1013. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXVI pag.* 246. *Cavalerius Tomo I pag.* 355 *num. LXV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXXXVI pag.* 96.

Anno 1514. F. Moyſes, Epiſcopus Kiovienſis, ſeu Chiovienſis, *Kiow*, in Volhinia, ſub Archiepiſcopo Leopolienſi. *Simon Okolski in Ruſſia Florida pag.* 59, *ex actis Provinciæ Poloniæ Luceoriæ celebratis. Dominicus Frydrychowitez in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag.* 229. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCIX pag.* 209. *Cavalerius pag.* 327 *num. CCCLXXII.*

Anno 1514 Die 15 Maii. F. Johannes de Witte, Brugenſis, alumnus tamen Valliſoletani Cœnobii, Epiſcopus Salubrienſis, ſeu Salubrien., Salabrien. &c., *Selivree &c.*, in Thracia, ſub Archiepiſcopo Heracleenſi. Quod *Johannes* noſter *Cubenſis* Epiſcopus fuerit, paſſim docent auctores, ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis VII* dicitur, verum nullus, quem legerim, ipſum præficit Eccleſiæ *Salubrienſi*. De hoc in ſequentibus Diplo-

Diplomatibus. Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Witte Electo Salubrien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Johanne Epiſcopo Salubrien. regimini Eccleſiæ Salubrien. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Johannis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit Paſtoris ſolatio deſtituta, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ejuſdem eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodo &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Presbyteratus ordine conſtitutum, & dilectæ in Chriſto filiæ noſtræ Leonoræ Archiduciſſæ Auſtriæ, & Duciſſæ Burgundiæ, ac ejus Sororum Confeſſorem, cui apud nos de religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis præmium noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod poſtquam præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Salubrien., Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo, Quartodecimo Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. XLIX fol. 271. In alio ſic legitur. Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Witte Ordinis Fratrum Prædicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis conſueta clementia, ne proviſiones per eam de Cathedralibus eccleſiis pro tempore factæ poſſint quomodolibet impugnari, ſed perſonæ ad eas promovendæ illis puro corde, & ſincera conſcientia præſidere valeant, remedia, prout convenit, adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie eccleſiæ Salubrien. ad præſens certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio Apoſtolica auctoritate providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere, intendamus, nos, ut proviſio, & præfectio prædictæ, ſi forſan aliquibus ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis ligatus ſis, valeant invalidæ reputari, providere volentes, teque a quibuſcunque excommunicationis &c. ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædictæ, ac ſingulæ literæ Apoſtolicæ deſuper conficiendæ ſuum ſortiantur effectum, auctoritate prædicta tenore præſentium abſolvimus, & abſolutum fore nunciamus, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quartodecimo, Idibus Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. XLIX fol. 273. Aliud hujus tenoris eſt. Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori Electo Salubrien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Salubrien. Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Nos igitur ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus, duobus, vel tribus catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito Juramento, juxta formam præſentibus annotatam, munus prædictum auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem præſentium tenore facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Epiſcopum dicto Juramento, idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii, & tam ipſe quam tu ab adminiſtratione, tam ſpiritualium, quam temporalium eccleſiarum veſtrarum, ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus quod formam a te tunc præſtiti Juramenti, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Irachien. (Heracleen.) cui præfata eccleſia Metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem Juramenti quod præſtabis hæc eſt. Ego Johannes electus Salubrien. &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quartodecimo, Decimo ſeptimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico Lib. XLIX fol. 272. Eadem de re datum ſequens Diploma. Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſori electo Salubrien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris eccleſiam promeretur, ut votis tuis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hodie ſiquidem eccleſiæ Salubrien., tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate, duximus providendum præficiendo te eidem eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis in quibus voluimus, quod quamprimum literas ipſas haberes expeditas ad præfatam eccleſiam Salubrien. accederes, & reſideres perſonaliter apud illam, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Salubrien. Pontificalia officia exercere nequires, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, tu qui dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Leonoræ Archiduciſſæ Auſtriæ, & Duciſſæ Burgundiæ, ac ejus Sororum Confeſſor exiſtis ad eccleſiam Salubrien. præfatam, quæ in partibus infidelium conſiſtit, abſque periculo perſonæ tuæ commode nequeas te conferre, & apud illam perſonaliter reſidere, nos volentes te præmiſſorum intuitu favoribus proſequi

gra-

gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi quod ad eccleſiam Salubrien. prædictam accedere, & apud illam perſonaliter reſidere minime tenearis, quodque, poſtquam munus conſecrationis rite ſuſceperis, in quibuſvis Civitatibus, & Diœceſibus in Dominio dilecti filii nobilis viri Caroli Ducis Burgundiæ conſiſten. etiam in præſentia ejuſdem Ducis, & præfatæ Leonoræ ejus conſortis, & expreſſa ordinariorum locorum licentia, ſi ad hoc requiſitus fueris, hujuſmodi Pontificalia officia exercere libere, & licite valeas, voluntate noſtra prædicta, ac conſtitutionibus &c. nequaquam obſtantibus, auctoritate prædicta tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quartodecimo Idibus Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XLIX fol. 272.*

Anno 1514 Die 20 Novembris. **F.** Didacus Fernandez, Epiſcopus Sardonen., fortaſſis Sardenſis, in Illyrico, ſub Archiepiſcopo Antibarenſi. Mirum, quantum de hoc Epiſcopo laborent noſtrates. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCLIV. pag. 329* ipſum conſtituit *Zerdimienſem* Epiſcopum in *Anglia*. Hac de re laudat *Fernandez*, & *Plodium*. *Cavalerius* vero *Tomo I pag. 348 num. L* ipſum cognominat *Ernandez*, & Epiſcopum *Sardiniæ, vel potius*, inquit, *in Sardinia Italiæ Inſula*, fuiſſe docet. Succeſſit cuidam *Georgio*, ut ex hoc Diplomate liquet. *Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Didaco Fernandez electo Sardonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Georgio Epiſcopo Sardonen. regimini eccleſiæ Sardonen. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Georgii, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c., nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne longæ vacationis ſubeat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ, de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quarto decimo, Duodecimo Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXXI fol. 45.*

Anno 1514 Die 18 Decembris. **F.** Henricus Leucker, Epiſcopus Acconenſis, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. Omittitur a *Fontana, Cavalerio &c.* De ipſo ſequens Diploma. *Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Henrico Leucker electo Acconen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem eccleſia Acconen., tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtituta nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ &c. duximus reſervandam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ, celerem, & felicem &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Lectorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æterna retributionis præmium noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quarto decimo, Quinto decimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro CXCIII fol 220.*

Anno 1515. **F.** Johannes Hiſpanus, Epiſcopus Briten., fortaſſis Britinicn., Britonien., & Bretonien. Urbs fuit Hiſpaniæ Tarraconenſis, cui nunc ſucceſſit Mindonenſis Sedes, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Cavalerius Tomo I pag. 331 num. III*, ex *Fontana* qui *Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXVIII pag. 138* ipſum vocat Epiſcopum *Beinten.*, & in *Monumen. Dominican. Parte IV Cap. XIV ad an. MDXVII pag. 423* ipſum dicit Epiſcopum *Briten.* citat *Fontana Acta Conſiſtor, Leonis X*. Ad Archiepiſcopatum *Arborenſem* tranſlatus fuit *Johannes*, ut in hac *Appendice* videre eſt,

Anno 1515 Die 1 Junii. **F.** Alvarus Oſorius, ex Marchionibus Aſturicen. oriundus, Epiſcopus Aſturicenſis, *Aſtorga*, in Hiſpania Tarraconenſi, tunc ſub Bracarenſi, nunc ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LX pag. 133*, ex *Fernandez*. *Cavalerius Tomo I pag. 358 num. LXXI*. Hac de re variæ datæ conſtitutiones, quibus liquet, quod *Alvarus* conſtitutus fuit Epiſcopus anno duntaxat *MDXV*,

non

non autem *MDXIII* vel *MDXIV*, uti docet *Cavalerius*. Ex his autem Conſtitutionibus duas tranſcribo. *Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Alvaro Oſorio Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem Apoſtolicæ Sedis conſueta clementia, ne diſpoſitiones per eam de Cathedralibus eccleſiis pro tempore factæ valeant quomodolibet impugnari, ſed perſonæ ad eas promovendæ illis puro corde, & ſincera conſcientia præſidere poſſint, remedia, prout convenit, adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eccleſiæ Aſtoricen. ad præſens certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ de Fratrum eorumdem conſilio providere, teque illi in Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, nos ne ſi forſan aliquibus ſententiis, cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis ligatus exiſtis, proviſio, & præfectio prædictæ poſſent, propterea quomodolibet impugnari, providere volentes, te a quibuſvis excommunicationis &c. ad hoc duntaxat, ut proviſio, & præfectio prædictæ, ac ſingulæ literæ Apoſtolicæ deſuper conficiendæ, ſuum ſortiantur effectum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium abſolvimus, & abſolutum fore nunciamus, non obſtantibus conſtitutionibus &c. contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, & nunciationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quintodecimo, Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XLIX fol. 82*. In alia ſic legitur. *Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Alvaro Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſori electo Aſtoricen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum nos pridem eccleſiæ Aſtoricen. certo modo Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, nos igitur ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi ut a quocunque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam præſentibus annotatam munus prædictum, auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus, earundem præſentium tenore, facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum, dicto juramento idem Epiſcopus munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes ab exercitio, Pontificalis officii, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione, tam ſpiritualium, quam temporalium eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod formam hujuſmodi a te tunc præſtiti juramenti, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo ſigillo ſignatas, per proprium nuncium quantocius deſtinare procures. quodque per hoc venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Bracaren., cui præfata eccleſia Metropolitico Jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem juramenti, quod præſtabis, hæc eſt. Ego Alvarus Electus Aſtoricen. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, & Domino noſtro Domino Leoni PP. X, ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus. Non ero &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quintodecimo, Quarto Non. Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XLIX fol. 82*. Ceteras prætermitto. Ipſis *Alvarus* commendatur *Johannæ* Reginæ *Caſtellæ*, & *Legionis*, Archiepiſcopo *Bracarenſi*, Capitulo *Aſturicenſi*, Clero Civitatis, & Diœceſis *Aſturicen.*, Populo earundem Civitatis, & Diœceſis, ac Vaſſallis *Aſtoricenſis* Eccleſiæ. Hæc ſex Diplomata aſſervantur in Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico *Lib. XLIX fol. 80, & 81*, Nota quod in iſtis ſex Conſtitutionibus *Alvarus* dicitur ſucceſſiſſe cuidam *Sanctio*.

F. Alvarus, Epiſcopus Sylvenſis, in Algarviis, ſub Archiepiſcopo Eborenſi. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 997.* Anno circiter 1515.

F. Antonius Sermentis, Epiſcopus Cracovienſis, in Polonia, ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi. Omittunt *Fontana*, *Cavalerius &c.* Epiſcopus certe renunciatus eſt hocce Diplomate. *Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio Sermentis Electo Cracovien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem eccleſia Cracovien., tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtituta &c. nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ &c. duxerimus &c. reſervandam. Poſtmodum vero præfata eccleſia &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis præmium noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Quintodecimo, Duodecimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCXXII fol. 302*. Anno 1515 Die 20 Junii

Anno 1517 Die 11 Februarii. F. Georgius de Acrca, Epiſcopus Landaven., *Landaff*, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXX pag.* 123, *ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 363 *num. LXXXIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 28, aliique, quos illi laudant, emendandi tamen, variis enim laborant erroribus. *Lopez* & *Fontana* vocant ipſum *Gregorium*, ex ipſis cognomento eſt *de Atheca*, & *Andaſenſi* præficitur Eccleſiæ. *Feuillet* ipſum conſtituit Epiſcopum *Antapenſem*. *Souegius* in *Anno Dominicano* die *XVIII* Junii ipſum dicit Epiſcopum *Aſaphenſem*. A *Cavalerio* cognominatur *de Attica*, ab *Echard* dicitur *Athoqua*. Nec etiam inter ipſos convenit de anno quo *Georgius* renunciatus fuit Epiſcopus. Huc ſpectat ſequens Diploma. *Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Georgio de Acrca electo Landaven., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Millone Epiſcopo Landaven. regimini eccleſiæ Landaven. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Millonis, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, profeſſorem, ac cariſſimo in Chriſto filio noſtro Henrico Angliæ Regi grato, ac cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Catherinæ Angliæ Reginæ Confeſſorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Sextodecimo, Tertio Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCXXII fol.* 220.

Anno circiter 1517. F. Johannes Maria Canigianus, ſeu Cangianus, Florentinus, generis nobilitate clarus, Epiſcopus Hipponenſis, in Africa. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXCI pag.* 203, *ex Monumen. Vallis Umbroſæ. Cavalerius Tomo I pag.* 330 *num.* 1. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXV pag.* 31, & *pag.* 997. Anno *MDXIV* Vicarius Generalis fuerat Congregationis *S. Marci*, & ab anno *MDXV* Abbas Generalis Monachorum *Vallis Umbroſæ* conſtitutus erat. Hinc in Actis Capituli Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum *Neapoli* coacti anno *MDXV* legitur: *Item acceptamus ad beneficia Ordinis, & ſuffragia R. P. F. Johannem Mariam Canigianum ex noſtro Ordine per SS. Dominum noſtrum in Abbatem Generalem Ordinis Vallis Umbroſæ aſſumptum.*

Anno 1518. F. Johannes Lamberti, Gallus, Doctor Pariſienſis, Epiſcopus Berrhœenſis, vulgo *Veria*, Turcis, *Boor*, in Macedonia, ſub Archiepiſcopo Theſſalonicenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCVLV pag.* 325, *ex Actis Conſiſtorial. Leonis X. Cavalerius pag.* 332 *num. IX.* Nota quod *Andegavenſis* Epiſcopi Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit *Johannes Lamberti*.

Anno 1518. F. Thomas de Vio Cajetanus, S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Cajetanus, in Regno Neapolitano, ſub S. Sede. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXVI pag.* 149, aliique Scriptores ſupra laudati.

Anno 1518. F. Nicolaus Melchioris, Epiſcopus Cyrenenſis, *Cerines*, in Inſula Cypro, ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi. Suffraganeus, ſeu Vicarius Epiſcopi *S. Pontii Tomeriarum*, & Adminiſtrator *Neritonenſis* Eccleſiæ fuit *Nicolaus* noſter. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXVI pag.* 185, *ex Actis Conſiſtorialibus Leonis X. Cavalerius Tomo I pag.* 354 *num. LXII.*

Anno 1518. F. Albertus de Natis, Panormitanus, Epiſcopus Nicopolitanus, vulgo *Nicopoli*. Nota quod ejuſdem nominis variæ ſunt Epiſcopales Eccleſiæ, uti dictum fuit *Tomo II hujuſce Bullarii pag.* 530. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXII pag.* 248, *ex Actis Conſiſtorial. Leonis X. Cavalerius Tomo I pag.* 349 *num. LIII.* Refert *Cavalerius* epitaphium *Alberti*, cujus hæc verba: *D. Albertus Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Nicopol. Vicarius Panormi, & Montiſregalis, obiit XXVII Maii MDXXXI.* Addit *Fontana*, quod Suffraganeus, ſeu Vicarius Eccleſiæ *Melphitanæ* fuerat.

Anno 1518. F. Gundiſalvus Amonin, Epiſcopus Hierapolitanus, in Phrygia, ſub Archiepiſcopo Synadenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXCVI pag.* 204, *ex Actis Conſiſtorial. Leonis X. Cavalerius Tomo I pag.* 331 *num. IV.* Archiepiſcopi *Bracarenſis* Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit *Gundiſalvus*.

F. Johannes Kiperia, Epiſcopus Calipolenſis, ſeu Callipolen., vulgo *Gallipoli*, Turcis *Geliboli*, in Thracia, ſub Archiepiſcopo Heracleenſi. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio &c.* Quod Epiſcopus fuerit, habetur ex hoc Diplomate. *Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Kiperia Electo Callipolen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dudum ſiquidem eccleſia Calipolen. tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtituta &c. nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis præmium noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Decimo Octavo, decimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Libro CCXXIV fol. 252.* — Anno 1518 Die 23 Julii.

F. Johannes Pariſoti, Epiſcopus Hierapolitan., in Arabia, ſub Archiepiſcopo Petracenſi. *Fontanæ Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXCVI pag. 204, ex Actis Conſiſtor. Leonis X. Cavalerius Tomo I pag. 331 num. VII.* Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Archiepiſcopi *Lugdunenſis*. Ceterum ſucceſſit cuidam *Sinehardo*, non autem *Gundiſalvo Amonin*, uti cenſent *Cavalerius*, & *Fontana*, in hoc emendandi ex ſequenti Diplomate. Nota quod *Johannes* iſte fuit Epiſcopus *Hierapolitanus* in *Arabia*, *Gundiſalvus* autem præfuit *Hierapolitanæ* Sedi *Phrygiæ*. *Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Pariſoti electo Hierapolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Sinehardo Epiſcopo Hierapolitan., regimini eccleſiæ Inopolican.* (Hierapolitan.) *præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Sinehardi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius eccleſiæ celerem, & felicem, ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi eccleſiæ, perſonam, utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providencia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Decimonono, Septimo Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCXX fol. 92.* — Anno 1519 Die 26 Octobris.

F. Thomas de Cypriano, Epiſcopus Venuſinus, *Venoſa*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Acheruntino, & Materano. *Cavalerius Tomo I pag. 331 num. V, ex Plodio, & Seraphino Razzio.* — Anno 1519.

F. Johannes Letexerot, Gallus, Doctor Pariſien., Epiſcopus Citrenſis, *Chitro*, in Macedonia, tunc ſub Archiepiſcopo Theſſalonicenſi, nunc Metropolis eſt. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXXIV pag. 170, ex Actis Conſiſtor. Leonis X. Cavalerius Tomo I pag. 331 num. VI.* Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Epiſcopi *Cenomanenſis*. — Anno 1519.

F. Ludovicus de Vivaldis, Epiſcopus Arbenſis, in ejuſdem nominis Inſula Dalmatiæ, ſub Archiepiſcopo Jaderenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XLVII pag. 129, ex Actis Conſiſtorial. Leonis X. Cavalerius Tomo I pag. 333 num. X. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXIX pag. 41, & in addendis pag. 997.* — Anno 1519.

F. Guillelmus Parvi, Conventus Rotomagenſis alumnus, Epiſcopus Trecenſis, *Troyes*, in Gallia, ſub Archiepiſcopo Senonenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCV pag. 311, ex Actis Conſiſtor. Leonis X, & Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag. 356 num. LXVI. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXXXVI pag. 100. Ludovico XII*, & *Franciſco I* fuit a confeſſionibus *Guillelmus* — Anno 1519.

noſter, vir ætate ſua celeberrimus. Ad Eccleſiam *Silvanectenſem* translatus fuit, ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis VII* dicetur.

Anno 1519. **F.** Julianus Garces, aliis Garges, alumnus Cæſarauguſtani Conventus, Epiſcopus Angelopolitanus, vulgo *Puebla de los Angeles*, in America Septentrionali, ſub Archiepiſcopo Mexicano. *Fontana Teatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXL pag. 156, ex Actis Conſiſtor. Leonis X, Fernandez, & Ægidio. Cavalerius Tomo I pag. 367 num. XCII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXLVII pag. 131.* Nota quod *Angelopolitana* Sedes vocatur etiam *Carolenſis* ex *Carolo V*. Ab *Indis* dicitur *Taxcalenſis*, ſeu *Tlaſcalca*.

Anno 1520. **F.** Valerianus de Argo, Epiſcopus Litterenſis, *Lettere*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Amalphitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXL pag. 217, ex Regeſtis Garſiæ de Loayſa Generalis Magiſtri Ordinis, & Ughello. Cavalerius Tomo I pag. 334 num. XVI.*

Anno 1520 Die 8 Auguſti. **F.** Willelmus Hogeſon, Epiſcopus Darien., ſeu Derien., & Derrien., vulgo *Derry*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Armachano. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio &c.* vel dicendum, quod unus eſt ex duobus ſequentibus. Hocce Diplomate renunciatus fuit Epiſcopus. *Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Willelmo Hogeſon Electo Darien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Sane eccleſia Darien. tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtituta &c. nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. poſtmodum vero præfata eccleſia &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum in Theologia Baccalaureum, cui de religionis zelo, vitæ mundicia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem dictæ eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æterna &c. noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo, Sexto Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Octavo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCXXV fol. 185.*

Anno 1520. **F.** Guillelmus Agieton, Gallus, Epiſcopus Danenſis, *Dagno*, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Antibarenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXVII pag 185, ex Actis Conſiſtor. Leonis X. Cavalerius Tomo I pag. 333 num. XIII. Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag. 414.* Epiſcopi *Vintonienſis*, Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit *Guillelmus*.

Anno 1520 Die 8 Auguſti. **F.** Guillelmus Noa, Epiſcopus Auren., ſeu Aruen., in Thracia, ſub Archiepiſcopo Trajanopolitano, uti docet *Cavalerius* mox laudandus. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit. LIV pag. 131, ex Actis Conſiſtorial. Leonis X*, in quibus ſic legebat: *Die Mercurii VIII Auguſti* (MDXX) *Fr Guillelmus Noa fit Epiſcopus Auren., ſive Aruen. in partibus infidelium, conceſſique Pontificalia S. D. N. in Civitate, & Diœceſi Cantuarien. tantum, & quod non tenetur accedere. Cavalerius Tomo I pag 334 num. XV. Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag. 414.* Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit *Cantuarienſis* Archiepiſcopi.

Anno 1520. **F.** Vincentius Scalona, Epiſcopus Polatenſis, *Pulati*, in Albania, ſub Archiepiſcopo Antibarenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXIII pag. 267, ex Actis Conſiſtorial. Leonis X. Cavalerius Tomo I pag. 334 num. XIV.*

Anno 1520 Die 5 Decembris. **F.** Vincentius Piraza, Epiſcopus S. Mariæ del Antiqua, ſeu Antiquarenſis, Anticarien., & Guaxacanus, ſub Archiepiſcopo Mexicano, in America Septentrionali. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXXVII pag. 125, ex Actis Conſiſtorial. Leonis X, & Regeſtis Cancellariæ Apoſtol. Cavalerius Tomo I pag. 334 num. XVII.* Quod autem movet *Cavalerius*, dubium ſolvitur ſequenti Diplomate, nec enim *Paulus III* Sedem *Antiquarenſem* creavit, ſed *Mexicanæ* Metropolis ſuffraganeam conſtituit. *Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vincentio Piraza Electo Sanctæ Mariæ del Antiqua, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Sane eccleſia Sanctæ Mariæ del Antiqua, quæ de jurepatronatus Regis Caſtellæ, & Legionis pro tempore exiſtentis de ſpeciali Apoſtolico privilegio, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum exiſtit, & cui bonæ memoriæ Johannes Epiſcopus, dum viveret præſidebat &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Johannis, qui extra Romanam Curiam debi-*

debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ, perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, cui, de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ, de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo, Non. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCXXV fol.* 301.

F. Bernardus de Meſa, ex Epiſcopo *Tripolitano*, ut in *Appendice ad Pontificatum Julii II* dictum fuit, Epiſcopus Elenenſis, in Comitatu Ruſcinonenſi, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 25. Anno circiter 1520.

IDem F. Bernardus de Meſa, ex Epiſcopo *Elenenſi* Epiſcopus Pacenſis, ſeu Pax-Auguſtenſis, & Badajocenſis, vulgo *Badajox*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXLV pag.* 256, *ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 338 *num. XXVI.* Ad Epiſcopatum *Cabenſem* translatus fuit, ut in ſequenti *Appendice* dicetur. Anno circiter 1520.

F. Antonius Abula, Hiſpanus, Epiſcopus Canarienſis, in ejuſdem nominis Inſulis, ſub Archiepiſcopo Hiſpalenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXIX pag.* 153, *ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 333 *num. XII.* Anno 1520.

F. Petrus de Corduba, Hiſpanus, Epiſcopus Reonenſis, in Græcia, ſub Archiepiſcopo Athenienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXCI pag.* 279., *ex Actis Conſiſtor. Leonis X. Cavalerius Tomo I pag.* 335 *num. XX.* Anno 1520.

F. Johannes Quinus, Epiſcopus Limericenſis, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Caſſilienſi. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcopor. pag.* 29, *ex Varæo. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXXV pag.* 215, *ex Actis Conſiſtorial. Clementis VII. Cavalerius Tomo I pag.* 339. *num. XXVII. Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag.* 422. Nota quod inter Scriptores iſtos de anno non convenit. *Fontana* ſiquidem, *Cavalerius*, & *de Jonghe* cenſent, *Johannem* anno *MDXXV* Epiſcopum renunciatum fuiſſe. Anno 1521.

F. Jacobus Calatayud, Epiſcopus Sanctarien., ſeu Theraſien., vulgo *Santorini*, & *Santerini*, Gallis *Saint Erin*, nautis *S. Helena*, in ejuſdem nominis Inſula maris Ægæi, ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi. *Fontana Monumen. Dominican. Parte IV Cap. I ad annum MDXXI pag.* 431. *Cavalerius Tomo I pag.* 335 *num. XIX.* Anno 1521.

F. Benedictus de Nobilibus, Lucenſis, Epiſcopus Acienſis, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Genuenſi. *Ughellus in Epiſcop. Acien. Tomo IV Italiæ Sacræ pag.* 909. *Cavalerius Tomo I pag.* 374 *num. CIV.* Ipſe eſt quem *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. VII pag.* 114 vocat *Bernardinum de Luca ex Buttaurata familia.* Anno 1521.

F. Ludovicus Galteri, Epiſcopus Termopilen., ſeu Termopylen., & Termopolen., vulgo *Scelos*, *Terremoto*, & *Bocca di Lupo*, in Theſſalia, ſub Archiepiſcopo Lariſſæo. Omittunt *Fontana*, *Cavalerius &c.* Ipſius meminit ſequens Diploma. *Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Ludovico Galteri Electo Termopilen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia &c. Sane eccleſia Termopilen. certo modo Paſtoris ſolatio deſtituta &c. nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus &c. reſervandam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ celerem, & felicem &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio,* Anno 1521 Die 2 Octobris.

aucto-

auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Primo, Sexto Non. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Nono. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CCXXV fol.* 20.

LEGATUS.

Anno 1518. F. Thomas de Vio Cajetanus, S. R. E. Cardinalis, Legatus a Latere in Germaniam miſſus. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. I pag. 345 num. XIII. Ciaconius*, aliique Scriptores ſupra laudati. Vide *Conſtitutionem LXXXII Leonis X*. Legitur *pag.* 363 hujus *IV* Tomi.

ADRIA-

Digitized by Google

ADRIANUS VI,

Belga abſens electus (*a*) eſt Die IX Januarii MDXXII. Pontificatum ſuſcepit eodem anno Die XVI Februarii. Coronatus (*b*) fuit Die XXXI Auguſti ejuſdem Anni. Obiit (*c*) anno MDXXIII, Die XIV Septembris. Sedit ab electione annum I, Menſes VIII, Dies VI; a ſuſcepto autem Pontificatu annum I, Menſes VI, Dies XXX.

(a) *Blaſius Ortizius in Itinerario Adriani VI.*
(b) Idem.
(c) Ex *Adriani* Epitaphio.

Fratres Mendicantes in Indias mittit (1), ipſos variis ornat privilegiis, & ne quis eos itinere prohibeat, excommunicationis pœna propoſita, cavet (2).

Anno 1522 Die 9 Maii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

I.

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo (4) Romanorum, & Hiſpaniarum Regi Catholico, in Imperatorem electo (5).

ADRIANUS PP. VI.

Cariſſime in Chriſto fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nobis feciſti tuum flagrans deſiderium ad augmentum Chriſtianę Religionis, converſionemque infidelium, illorum pręſertim, qui, Chriſto duce; tuę ditioni ſunt ſubjecti in partibus Indiarum, a Nobiſque inſtanter petiiſti, ut ad effectum hujuſmodi augmenti, & converſionis, & delatę gubernationis animarum, quas Redemptor noſter, ſui pretioſi Sanguinis commercio redemit, provideremus, quatenus ex omnibus Religionibus Fratrum Mendicantium, pręſertim Fratrum Minorum regularis obſervantię, aliqui ad pręfatas partes Indiarum, auctoritate noſtra tranſmitterentur, aliaſque in pręmiſſis provideatur, ſicut in petitione Nobis deſuper oblata plenius continetur. Nos autem, qui ex injuncta Nobis cura paſtorali ad ea, que attinent ad ſalutem animarum intendere ſuper omnia tenemur, qui ferventiſſimum zelum tuę Cęſareę Majeſtatis, ad augendam Rempublicam Chriſtianam a teneris annis pleniſſime agnovimus (6), tam ſanctum, ac laudabile opus in Domino commendantes, & deſuper providere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tenore pręſentium, volumus, ut omnes Fratres Ordinum Mendicantium, pręſertim Ordinis Minorum regularis obſervantię a ſuis Pręlatis nominati, qui divino ſpiritu ducti, ultro, ac ſponte voluerint ad partes Indiarum pręfatarum, ac convertendorum, & inſtruendorum in fide pędictorum Indorum cauſa, ſe transferre, libere, & licite poſſint, & valeant, dum tamen ſint talis ſufficientię in vita, & doctrina, quod tuę Cęſareę Majeſtati, aut tuo Regali Conſilio, ſint grati, ac tanto operi idonei, ſuper quo conſcientias ſuorum Superiorum, qui nominare, & licentiare habent, oneramus, ac ut in tam ſancto opere, meritum obedientię non deſit, omnibus, qui, ut pręfertur, nominati fuerint, & ſe ſponte obtulerint, ad meritum obedientię pręcipimus, ut pręfatum iter, & opus, exemplo Diſcipulorum Chriſti Domini noſtri exequantur, pro certo ſperantes, ut ſicut in labore eos imitati fuerint, ita, & in pręmio eis ſociabuntur, pręfatiſque Fratribus noſtram Apoſtolicam benedictionem libentiſſime ex nunc impertimur. Sed ne forte numerus Fratrum hujuſmodi ſit tantus, ut pariat confuſionem, volumus, ut tua Sacra Majeſtas, aut tuum Regale Conſilium aſſignet, & pręfigat numerum Fratrum mittendorum, tales autem Fratres, ſic nominatos, ſeu licentiatos ab eorum Superioribus, ſtricte pręcipimus ſub excommunicationis pena ipſo facto incurrenda, ne aliquis inferior audeat aliqualiter impedire, etiam ſi pro tunc eſſent in officiis Confeſſionis, Pędicationis, Lectionis, Guardianatus, Cuſtodiatus, Miniſteriatus, Provincialatus, aut Commiſſariatus Generalis, quibus non obſtantibus tranſire poſſint, & debeant. Verum, ne pręfati Fratres, ſint velut oves abſque paſtore, ſtatuimus, & ordinamus, ut ex ſe ipſis, valeant, & debeant eligere, duos, vel tres, aut plures, qui in dictis terris eis pręſint, eo modo, quo eiſdem, ſeu eorum majori parti, melius viſum fuerit. Qui ſic electi per triennium, aut aliud majus, vel minus tempus, juxta ſuas conſtitutiones, prout in Hiſpania fieri convenit, pręlationem hujuſmodi habeant, & non ultra, maneantque omnes ſemper in obedientia Generalis Miniſtri, & Capituli Generalis, dummodo nihil eis imponant in pręjudicium dicti tranſitus, & converſionis infidelium, decernentes quicquid abſque noſtro mandato expreſſo, & aſſenſu ſuper his fuerit attentatum, nullius eſſe momenti. Et quia pręfata Terra Indiarum valde diſtat a partibus, ubi Generalis Miniſter degere, & incedere conſuevit, ac propterea difficile foret ad eum recurrere in caſibus ei pertinentibus, volumus, ac tenore pręſentium concedimus, ut Fratres, qui pro tempore aſſumentur ad regimen aliorum Fratrum in pędictis terris Indiarum habeant in utroque foro ſuper Fratres ſibi commiſſos, omnem auctoritatem, & facultatem, quam Generalis Miniſter, habere dignoſcitur, ita tamen, quod ipſe Generalis Miniſter, ſub cujus obedientia, ſemper manere debent, poſſit pręfatam auctoritatem limitare, & arctare, prout ei viſum fuerit, & inſuper, ut melius pręfata converſio infidelium fieri valeat, & ſaluti animarum omnium in pręfatis Terris Indorum pro tempore degentium provideatur, volumus, & tenore pręſentium de plenitudine poteſtatis concedimus, ut pręfati Pręlati Fratrum, & alii, quibus ipſi de Fratribus ſuis in dictis Indiis commorantibus, duxerint committendum, in partibus, in quibus nondum fuerint Epiſcopatus erecti, vel ſi fuerint, tamen intra dua-

Diplomatis cauſa.

Miſſio, & privilegia.

Digitized by Google

duarum dietarum ſpatium, ipſi, vel officiales eorum, inveniri minime poſſint, tam quoad Fratres ſuos, & alios cujuſcunque Ordinis, ibidem fuerint ad hoc opus deputati, ac ſuper Indos ad fidem Chriſti converſos, quam etiam alios Chriſticolas, ad dictum opus eoſdem comitantes, omnimodam auctoritatem noſtram in utroque foro habeant, tantam, quantam ipſi, & per eos deputati de Fratribus ſuis, ut dictum eſt, judicaverint opportunam, & expedientem pro converſione dictorum Indorum, & manutentione, ac profectu illorum, & aliorum prędictorum in fide catholica, & obedientia S. R. E., & quod pręfata auctoritas extendatur, etiam quoad omnes actus Epiſcopales exercendos (7), qui non requirunt Ordinem Epiſcopalem, donec per Sedem Apoſtolicam aliud fuerit ordinatum. Et quia, ut accepimus, per prędictos Prędeceſſores noſtros Romanos Pontifices, aliqua indulta conceſſa fuerint Fratribus exiſtentibus, euntibus, aut ire procurantibus, in dictis, & dictas Indiarum partes, Nos omnia illa confirmando, ac, quatenus opus eſt, de novo concedendo, volumus, ut pręfati Pręlati Fratrum pro tempore exiſtentium, & quibus ipſi de ſuis Fratribus duxerint concedendum, omnibus prędictis indultis, in genere, vel in ſpecie hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri, & gaudere, libere, & licite poſſint, & valeant, habentes omnia pro ſufficienter expreſſis, tanquam ſi de verbo ad verbum, infererentur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, pręſertim Sixti IV incipiente: Etſi Dominici Gregis, ac Bullę Cęnę Domini, ceteriſque in contrarium facientibus. Datum Cęſarauguſtę (8) ſub Annulo Piſcatoris die IX Maii MDXXII ſuſcepti a Nobis Apoſtolatus Officii (9), Pontificatus noſtri Anno Primo.

Nezuis.

1. *Mittit.*) Hac de re ſic loquitur *Fontana Monumen. Dominican. Parte IV Cap. I ad an. MDXXII* pag. 412. *Miſſi ſunt Apoſtolici Miſſionarii P. Johannes de Aro, & P. Ludovicus de Victoria, cum pluribus aliis Pradicatoribus ad Orientales Indos pro illorum converſione ad Chriſtum, qui fructum uberrimum ſuis ſacris pradicationibus S. Matri Eccleſia prabentes innumeros idololatras per Baptiſmatis Sacramentum ad Dei venerationem adduxere.*

2. *Cavet.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*

3. *Archivo.*) In quo Exemplar.

4. *Carolo.*) Hujus nominis *V.*

5. *Electo.*) Nondum enim Imperiali corona redimitus erat *Carolus*. Anno duntaxat *MDXXX* a *Clemente VII* coronatus fuit *Bononia*.

6. *Agnovimus.*) *Carolo* ſiquidem adhuc puero præceptor fuerat *Adrianus*.

7. *Actus Epiſcopales exercendos.*) De his in *Tractatu* mox laudato.

8. *Cæſarauguſta.*) Optime ſic, emendandus enim *Cherubinus* in *Bullario Romano*, ubi *I* Conſtitutio *Adriani VI* data legitur *Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominica Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Secundo, IV Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo*. Hic erravit certe librarius, & ſcribendum crediderim: *Quarto Nonas Martii*, uti mox dicetur. Anno ſiquidem *MDXXII* Menſe Majo *Cæſarauguſta* in *Hiſpania* fuiſſe *Adrianum*, conſtat ex *Itinerario Adriani VI ab Hiſpania Romam uſque, ac ipſius Pontificatus eventus &c.* auctore *Blaſio Ortizio* ejuſdem Pontificie familiare. Extat in Miſcellaneis *Stephani Baluzii*. Hoc *Ortizii*, totiuſque hiſtoriæ teſtimonio victus *Papebrochius*, de Conſtitutione mox ex *Bullario Romano* laudata loquens in *Conata Chronico Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Romanorum Parte II pag. 154 Propylai ad Acta Sanctorum Maii*. *Crediderim vero*, inquit, *ipſo quo ſcribitur anno datam, non tamen Roma, ſed Cæſarauguſta*. Nec placet hæc eruditi viri ſententia. Quod enim illa Conſtitutio data fuerit poſt *Adriani* Coronationem liquet ex ejuſdem ſtylo, ut ex ſequenti Nota videre eſt. *Adrianus* autem *Roma* Coronatus eſt, non *Cæſarauguſta*, uti docet hiſtoria, qua diſcimus, quod *Romam* pervenit Menſe duntaxat Auguſto an. *MDXXII*. Non ergo dici poteſt, quod illa Conſtitutio *Cæſarauguſta* data fuerit eodem anno *IV* Nonas Maii. Legerem *IV* Nonas Martii. Et ea hoc nodus hic ſolvitur, tunc enim annus ille *MDXXII* non cenſendus erit annus æræ communis, ſed ſtyli Bullarum, qui protrahitur uſque ad diem *XXV* Martii. Certum eſt autem, quod *IV* Nonas Martii anno, ſtylo Bullarum, *MDXXII*, æræ vero communis *MDXXIII* Summus Pontifex *Adrianus VI* erat *Roma*, non autem *Cæſarauguſta*.

9. *Suſcepti a Nobis Apoſtolatus officii.*) Hinc patet, quod Prædeceſſorum more Summus hic Pontifex *Adrianus* annos Pontificatus numerat in Bullis a die Coronationis, non ab electione, vel a ſuſcepto Pontificatu.

Anno 1522 Die 31 Auguſti.

Elginenſe (1) Cœnobium beneficio eccleſiaſtico donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

II.

Adrianus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

RAtioni congruit &c. (3) Dudum ſiquidem felicis recordationis Leoni PP. X, Prędeceſſori noſtro, pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus loci de Elgin., Ordinis Fratrum Prędicatorum Moravien. (4) Diœceſis expoſito, quod antea Hoſpitali, domus Dei, alias Manſonden. nuncupato, prope dictum locum, Diœceſis antedictę, in titulo perpetui beneficii eccleſiaſtici conferri ſolito, per liberam reſignationem dilecti filii Johannis Hepburn, alias ipſius Hoſpitalis Rectoris, Pręceptoris nuncupati, de illo, quod tunc obtinebat in manibus ven. Fratris noſtri tunc Jacobi Epiſcopi Moravien., ſeu ejus tunc in ſpiritualibus Vicarii Generalis, per tunc procuratorem ſuum, ad id ab eo ſpecialiter conſtitutum, extra Romanam Curiam, ſponte factam, & per Jacobum Epiſcopum, ſeu Vicarium, ad id, ut aſſerebant, ab eodem Jacobo Epiſcopo, ſpecialem per ejus literas, habentem facultatem illius, vigore literarum hujuſmodi, ordinaria auctoritate admiſſam, vacante, Jacobus Epiſcopus, ſeu Vicarius hujuſmodi, provide conſiderans, quod domus prędicta, paulo antea reformata, ac in ſuis ſtructuris, & ędificiis, quę pene tota ruinam minabantur, reſtaurata fuerat, ac in ea Fratrum numerus, plurimum auctus exiſtebat, ac Chriſti fidelium partium illarum erga domum eandem in eleemoſynis erogandis caritas denuo tepeſcebat, dictique Prior, & Fratres, vix ſe ſuſtentare, ac literarum ſtudio, ac verbi Dei prędicationi operam dare, necnon divinis officiis intendere, prout retroactis temporibus conſueverant, ceſſantibus Chriſti fidelium eorundem piis largitionibus, commode non poterant, ne Fratres domus hujuſmodi a literarum ſtudio, & verbi Dei prędicatione retraherentur, ſed illis inſudare, ac divinis officiis, in Eccleſia domus hujuſmodi inſiſtere, & ſtructuras, & ędificia hujuſmodi, ad ulteriorem per-

perfectionem reducere, commodius valerent, Hoſpitale prędictum, ut prefertur, vacans cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem domui, dilectorum filiorum Capituli Eccleſię Moravien. ad id expreſſo accedente conſenſu, dicta auctoritate univerat, annexuerat, & incorporaverat, ac voluerat, quod Prior, & Fratres prędicti, unionis, annexionis, & incorporationis prędictarum confirmationem a Sede Apoſtolica obtinere deberent, prout in Jacobi Epiſcopi, ſeu Vicarii hujuſmodi literis deſuper confectis, dicebatur plenius contineri. Et in eadem expoſitione, ſubjuncto, quod a nonnullis de viribus, unionis, annexionis, & incorporationis hęſitabatur, ac pro parte eorundem Prioris, & Fratrum, aſſerentium, fructus, redditus, & proventus dicti hoſpitalis, novem librarum ſterlingorum cum dimidia ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedere, humiliter eidem Leoni Prędeceſſori ſupplicato, ut unioni, annexioni, & incorporationi prędictis pro earum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaretur, Prędeceſſor ipſe, qui ex injuncto ſibi deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio, ad ea libenter intendebat, per quę Religioſorum locorum quorunlibet, ac perſonarum in illis ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium, ſubventioni, & commoditati conſuli valeret, & his, quę propterea fuiſſe dicebantur, ut firma, perpetua, & illibata perſiſterent, cum ab eo petebatur, Apoſtolici muniminis firmitatem adiiciebat, qui antea inter alia voluerat, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum extimationem prędictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, & idem obſervari etiam voluerat in confirmationibus unionum jam factarum, Priorem, & Fratres prędictos, ac eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, necnon dictę domus, ſi qui eſſent, fructuum, reddituum, & proventuum verum annuum valorem pro expreſſo habens, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ſub data videlicet Undecimo Kalendas Julii, Pontificatus ſui Anno Nono, unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, ac prout illas concernebant, omnia, & ſingula in literis prędictis contenta auctoritate Apoſtolica approbavit, & confirmavit, ſupplevitque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem. Et nihilominus potiori pro cautela, Hoſpitale prędictum, quod ſine cura erat, ſive ut pręmittitur, ſive alias quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem dicti Johannis, vel cujuſvis alterius reſignationem de illo extra dictam Curiam, etiam coram Notario publico, & teſtibus, ſponte factam, vacaret, etiamſi tanto tempore vacaviſſet, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ipſumque Hoſpitale diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervatum exiſteret, & ſuper eo inter aliquos lis, cujus ſtatum idem Prędeceſſor haberi voluit pro expreſſo, penderet indeciſa, dummodo dicta die Undecimo Kal. Julii, non eſſet in eo alicui ſpecialiter jus quęſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis ſupradictis, domui prefatę auctoritate Apoſtolica perpetuo univit, annexuit, & incorporavit, ita quod liceret prędicto, & pro tempore exiſtenti dictę domus Priori, & Fratribus hujuſmodi, corporalem Hoſpitalis, juriumque, & pertinentiarum prędictorum poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios, eorum nomine, propria auctoritate, libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque redditus, fructus, & proventus prędictos, in ſuos, ac domus, & Hoſpitalis prędictorum uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia minime requiſita. Non obſtantibus voluntate ſua prędicta, ac pię memorię Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, & aliis &c. quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de Hoſpitali hujuſmodi &c. literas impetraſſent &c. quas quidem literas &c. idem Leo Prędeceſſor ad dictum Hoſpitale, voluit non extendi &c. & quibuslibet aliis privilegiis &c. Proviſo quod Hoſpitale prędictum debitis propterea non fraudaretur obſequiis, ſed ejus congrue ſupportarentur onera conſueta. Idem enim Prędeceſſor, ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus contingeret attentari, decrevit. Ne autem de abſolutione, confirmatione, approbatione, ſuppletione, poſterioribus unione, annexione, incorporatione, & decreto, pro eo quod ſuper illis ipſius Leonis Prędeceſſoris literę, ejus ſuperveniente obitu, confectę non fuerunt, valeat quomodolibet hęſitari, dictique Prior, & Fratres, illorum fruſtrentur effectu, volumus, & dicta auctoritate Apoſtolica decernimus, quod abſolutio, approbatio, confirmatio, poſteriores unio, annexio, incorporatio, & decretum hujuſmodi, perinde a dicta die Undecimo Kal. Julii, ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis, ipſius Leonis Prędeceſſoris literę, ſub ejuſdem diei data, confectę fuiſſent, prout ſuperius enarratur. Quodque pręſentes literę ad probandum plene abſolutionem, approbationem, confirmationem, unionem, annexionem, incorporationem, & decretum Leonis Prędeceſſoris hujuſmodi, ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo &c. noſtrę voluntatis, & Decreti infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Secundo, Pridie Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Collatio;

1. *Elginen.*) In *Scotia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXVI fol.* 131.
3. *Congruit &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Moravien.*) Vulgo *Muray*, in *Scotia*.

Anno 1522 Die 31 Auguſti.

Monaſterii in loco Herſchzell (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

III.

Adrianus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

RAtioni congruit &c. (3). Dudum ſiquidem felicis recordationis Leoni PP. X. Prędeceſſori noſtro pro parte dilectę in Chriſto filię Dorotheę Rehlingerm, Monialis Monaſterii Monialium S. Catherinę Auguſtan. (4) Provincię Maguntin. Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, expoſito, quod ipſa, quę annorum quadraginta, & ultra, ac ordinem ipſum expreſſe profeſſa exiſtebat, quęque, & alię Moniales dicti Monaſterii, ex longęva obſervatione, bona temporalia, habere, & poſſidere conſueverant, & in pacifica poſſeſſione illa habendi, & poſſidendi, extiterant, de bonis ipſi Dorotheę a Deo collatis, & per eam ex hęreditate ſua, aut ex largitione amicorum, ſeu chriſti fidelium, aut alias legitime acquiſitis, unum Monaſterium ſub invocatione Pręſentationis Glorioſę Dei Genitricis Virginis Marię in loco Herſczell prope oppidum Kauffbueryn Auguſtan. Diœceſis dictę Provincię pro perpetuis uſu, & habitatione octo Monialium dicti Ordinis, quarum una Prępoſitiſſa nuncuparetur, conſtrui, & ędificari facere, cuperet, & intenderet, ſi ſibi ad id Apoſtolice Sedis licentia ſuffragetur, ac pro parte ejuſdem Dorotheę pręfato Prędeceſſori humiliter ſupplicato, ut ſibi in dicto loco, unum Monaſterium, ſub invocatione prędicta, ut pręfertur, conſtrui, & ędificari faciendi, licentiam concedere, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaretur. Idem Prędeceſſor, pręfatam Dorotheam a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutam fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus ſub Data videlicet Undecimo Kal. Decembris, Pontificatus ſui Anno Nono, eidem Dorotheę in pręfato loco, unum Monaſterium ſub dicta Invocatione cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, horto, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione perpetuis, octo Monialium dicti Ordinis, quarum una Prępoſitiſſa nuncuparetur, conſtrui, & ędificari faciendi, ac ſtatuta, & ordinationes licita, & honeſta, ac ſacris Canonibus non contraria, quę octo Moniales prędictę, perpetuo obſervare, & adimplere tenerentur, condendi, & ordinandi, dictumque Monaſterium S. Catherinę exeundi, & ad pręfatum conſtruendum Monaſterium ſe transferendi, ac dictis octo Monialibus, tanquam Superior, & Prępoſitiſſa pręſidendi, ac regularia Inſtituta dicti Ordinis, inibi plantandi, & in illis octo Moniales prędictas inſtruendi, ipſiſque octo Monialibus conſtruendum Monaſterium hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica, licentiam, & facultatem conceſſit, ipſumque conſtruendum Monaſterium, poſtquam conſtructum foret, ut pręfertur, in Monaſterium Monialium ejuſdem Ordinis ſub Invocatione prędicta erexit, ac illi, necnon Monialibus in illo pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus, favoribus, gratiis, & indultis ſpiritualibus, & temporalibus aliis Monaſteriis dicti Ordinis, & illarum Monialibus, ac ſuperioribus in genere per Sedem prędictam, ac alias quomodolibet conceſſis tunc, & in poſterum concedendis, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, dicta auctoritate indulſit; jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Ne autem de abſolutione, conceſſione, & indulto prędictis, pro eo quod ſuper illis ipſius Leonis Prędeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, literę confectę non fuerunt, valeat quomodolibet hęſitari, ipſaque Dorothea illorum fruſtretur effectu, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod pręſentes literę ad probandum plene abſolutionem, conceſſionem, & indultum Leonis Prędeceſſoris hujuſmodi ubique ſufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur. Nulli ergo &c. noſtrorum decreti, & voluntatis infringere. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominice Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Secundo, Pridie Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Facultas.

1. *Herſchzell.*) Fortaſſis *Oſterzell*, in *Suevia*, ubi cetera Civitates de quibus hoc in Diplomate.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.XXVI fol.*123.
3. *Congruit &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Auguſtan.*) Vulgo *Augsburg*. Juris eſt Provinciæ *Saxoniæ*.
5. *Kauffbueryn.*) *Kaufbeurn*.

Anno 1522 Die 13 Decembris.

Specialis Indulgentia pro Veneto Conventu SS. Johannis, & Pauli.

Ex Archivo (1) Ordinis.

IV.

ADRIANUS PP. VI.

Univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PAſtoris ęterni, qui non vult peccatoris mortem, ſed converſionem, vices, licet immeriti gerentes in terris, gregem dominicum curę noſtrę commiſſum, ad viam lucis ęternę, quantum cum Deo poſſumus, perducere intendimus, & juxta creditum Nobis Apoſtolicę ſervitutis officium fideles ſingulos, quorum merita pro demeritis penitus ſunt imparia, ad pia, & meritoria opera exercenda ſpiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, & peccatorum remiſſionibus libenter Invitamus, ut per eorundem operum exercitium, ſuorum abolita macula delictorum, ad ęternę beatitudinis gaudia pervenire mereantur. Cupientes igitur, ut Eccleſia SS. Johannis, & Pauli Venetiarum in ſuis ſtructuris, & ędificiis debite reparetur, & conſervetur, ac paramentis, & ornamentis eccleſiaſticis, aliiſque ad divinum cultum ne-

neceſſariis muniatur, necnon congruis frequentetur honoribus Chriſti fideles eo libentius devotionis cauſa ad eandem Eccleſiam confluant, quo exinde pro animarum ſalute majora munera ſpiritualia adipiſci poſſe cognoverint, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ſeu firmum propoſitum confitendi habentibus, qui dictam Eccleſiam a die Feſtivitatis Nativitatis D. N. J. C. proximę futurę a primis veſperis uſque ad occaſum Solis ejuſdem diei incluſive per ſe ipſos, ſi infirmitate impediti non fuerint, alioquin per aliam perſonam pro ſe, devote viſitaverint, & pro pręmiſſis de bonis ſibi a Deo collatis manus adjutrices porrexerint, Plenariam Indulgentiam, & remiſſionem omnium peccatorum ſuorum concedimus, & elargimur per pręſentes. Et ut fideles ipſi pro hujuſmodi Indulgentia conſequenda aptiores reddantur, illamque Deo propitio, conſequantur, dilecto filio Priori, ſeu Superiori Conventus dictę Eccleſię tot presbyteros dicti Conventus, ſeu Ordinis, vel alterius, aut ſeculares idoneos, quot neceſſarios eſſe duxerit, qui dictis diebus, & per quatuor etiam dies ante, Chriſti fidelium Confeſſiones audire, &, illis diligenter auditis, omnes, & ſingulos ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumcunque gravibus, & enormibus etiamſi talia forent, propter quę Sedes Apoſtolica merito conſulenda foret, exceptis contentis in Bulla in die Cęnę Domini legi conſueta, abſolvere, & eis pro pręmiſſis pęnitentiam ſalutarem injungere: Vota vero quęcunque, ultramarino, viſitationis liminum Apoſtolorum Petri, & Pauli de Urbe, S. Jacobi in Compoſtella, religionis, & caſtitatis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare poſſint, deputandi licentiam, & facultatem concedimus per pręſentes. Quas ſub quibuſvis ſuſpenſionibus, ſeu revocationibus plenariarum indulgentiarum, etiam in favorem fabricę Principis Apoſtolorum de Urbe, ſeu Cruciatę expeditionis contra infideles, & alias quomodolibet ſub quibuſvis tenoribus, & formis pro tempore factis comprehendi non debere, ſed ab illis exceptas exiſtere, & poſt diem Nativitatis minime valere decernimus. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII Decembris MDXXII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Evangeliſta.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Veneto*.

Facultas condendi ſtatuta pro bono regimine Toletani (1) Monaſterii Matris Dei.

Anno 1523 Die 20 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Adrianus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectę in Chriſto filię Marię de Silva (3) Prioriſſę Monaſterii, per Prioriſſam ſoliti gubernari Matris Dei, Toletan., Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum regularis obſervantię degentium, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

V.

Exordium.

EXigunt merita tuę devotionis, quam ad Nos, & Romanam Eccleſiam gerere comprobaris, ut illa tibi favorabiliter concedamus, per quę felici ſtatui, & bono regimini Monaſterii Monialium Matris Dei Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum regularis obſervantię degentium, cujus Abbatiſſa eſſe dignoſceris, ſalubriter conſulatur. Sane pro parte tua, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias tu, de propria ſalute recogitans, ac cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, de bonis a Deo tibi collatis, dictum Monaſterium, opere magnifico, & ſumptuoſo, conſtrui, & ędificari feciſti, ac illud ſufficienter dotaſti, ac demum ſub religionis jugo Altiſſimo famulari deſiderans, profeſſionem in prędicto Monaſterio, in quo dies tuos finire intendis, emiſiſti regularem, ac pro felici ſtatu, & gubernatione Monaſterii hujuſmodi aliqua ſtatuta, & ordinationes condendi, & ordinandi, licentiam tibi concedi deſideres. Quare pro parte tua, aſſerendo te de nobili genere procreatam exiſtere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tuo pio deſiderio in hac parte annuere, & felici ſtatui, & directioni Monaſterii hujuſmodi conſulere, aliaſque opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, te a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi cum conſilio trium proborum virorum, per te eligendorum, quęcunque ſtatuta, licita, & honeſta, ac Sacris Canonibus, & regularibus dicti Ordinis ſtatutis non contraria, condendi, & ordinandi, illaque, ſi tibi videbitur, mutandi, & in melius reformandi, necnon aliquos probos viros eccleſiaſticos, aut ſeculares, qui jus patronatum honorificum in dicto Monaſterio, & illius bonis mobilibus, & immobilibus, ſpiritualibus, & temporalibus, pręſentibus, & futuris, habeant, quorum conſenſus in receptione Monialium prędictarum, Monaſterium ingredientium pro tempore requirendus ſit, & ſine eo Moniales prędictę, recipi nequeant, nominandi, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam concedimus, & facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Secundo (4). Decimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Diplomatis cauſa.

Facultas.

1. *Toletani*.) In *Hiſpania*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro III fol.* 224.
3. *De Silva*.) Gens eſt illuſtris, quæ nunc etiam floret.
4. *Vigeſimo Secundo*.) Stylo Bullarum, ætæ communis *MDXXIII*. Et ex hoc firmatur *Nota VIII* ad *Conſtitutionem I* hujuſce Pontificis. Nec fingi poteſt, ut aſſentiamur *Papebrochio* ibidem laudato, quod erravit amanuenſis, & eſt legendum *Datum Cæſaraugustæ*, non vero *Datum Romæ*: contrarium ſiquidem probant ſequens Conſtitutio, & tres aliæ, quas prætermitto. Aſſervantur in Archivo Ordinis: prior data eſt *Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Secundo*, *Quinto decimo Kalendas Februarii*, *Pontificatus noſtri* (Adriani VI) *Anno Primo*. Ceteræ datæ ſunt *Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Secundo*, *Octavo Idus Februarii*, *Pontificatus noſtri* (Adriani VI) *Anno Primo*.

Anno 1523 Die 20 Februarii.

Conſervatores creat, qui præcedens Diploma ſervandum curent.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

VI.

Adrianus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Decano Toletan., ac Abbati S. Vincentii Eccleſię Toletan., ac officiali ven. Fratris Noſtri Archiepiſcopi Toletan. in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę, tenoris ſubſequentis: Adrianus &c, (2) Quo circa diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, eidem Marię Prioriſſę Monaſterii Monialium Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium Matris Dei nuncupatarum, Toletan. Diœceſis (3), in pręmiſſis efficacis defenſionis prędidio aſſiſtentes faciatis auctoritate noſtra eandem Mariam Prioriſſam conceſſione prędicta pacifice frui, & gaudere, non permittentes, eam, nec per eam nominandos prędictos, per quoſcunque deſuper, quomodolibet indebite moleſtari, aut perturbari. Contradictores &c. invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus omnibus ſupradictis, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Secundo (4), Decimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro III fol. 214.*
2. *Adrianus &c.*) Ut in præcedenti ad finem uſque.
3. *Diœceſis*.) Hæc expungenda vox, iſtud ſiquidem Monaſterium *Toleti* ſitum eſt.
4. *Vigeſimo Secundo*.) Stylo Bullarum, ærâ communis *MDXXIII.*

Anno 1523 Die 1 Aprilis.

SS. Roſarii Confratribus Indulgentias (1) elargitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

VII.

Adrianus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. ILlius, qui dominicum gregem a perpetua morte ſuo pretioſiſſimo Sanguine redimere dignatus eſt, vices, licet immeriti, gerentes in terris, ut gregem ipſum Altiſſimo acceptabilem, & bonorum operum ſectatorem reddere valeamus, more boni paſtoris ſuper gregem ſuum continue vigilantis, curis aſſiduis pungimur, ut Eccleſias ſingulas, pręſertim in quibus ipſi Altiſſimo per Religioſas, & alias perſonas, jugiter famulatur, viſitantes, remiſſionum impendiis decoremus. Dudum ſiquidem cupientes, ut Altare, Capella del Roſario nuncupatum, ſub invocatione Virginis Marię, ſitum in Eccleſia Domus S. Dominici

Indulgentiæ. oppidi de Victoria (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum regularis obſervantię Calaguritan. (4) Diœceſis, ad quod Ven. Confraternitas utriuſque ſexus Chriſti fidelium, ſub dicta invocatione inſtituta exiſtebat, & dilecti filii Garſias de Loayſa (5) Ordinis Fratrum Prędicatorum hujuſmodi Magiſter Generalis, & Confratres dictę Confraternitatis, ſingularem gerebant devotionis affectum, per amplius veneraretur, ac Confratres prędicti eo libentius devotionis cauſa ad Altare hujuſmodi confluerent; Et inibi Roſarium, ſive Pſalterium ipſius Virginis, devote dicerent, & recitarent, per alias noſtras in forma Brevis literas (6), perpetuis, futuris temporibus duraturas, quas dum in regnis Hiſpaniarum in Civitate Cęſarauguſtana (7) reſideremus, expediri fecimus, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Confratribus prędictis pręſentibus, & futuris, qui in Capella prędicta, ſingulis diebus, unam quinquagenariam Roſarii, ſive Pſalterii nuncupatam, recitaſſent, pro qualibet die, qua id feciſſent, quinquaginta annos de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxavimus; Volentes quod Confratres pręfati, qui cum Cereo benedicto dictę Confraternitatis, illum in honorem ejuſdem Virginis Marię in manibus tenendo, ab hac luce migraſſent, & ante horam obitus, dictum Roſarium, ſive Pſalterium, ſemel tantum recitaſſent, remiſſionem, & Indulgentiam omnium peccatorum ſuorum in mortis articulo conſequerentur, prout in dictis literis, plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Dominici de Monte majori moderni Prioris, ac Fratrum dictę Domus, petitio continebat, Capella, ubi dictum Altare eſt conſtitutum, adeo anguſta exiſtat, quod propter illius anguſtiam, & incapacitatem, Confratres ad illam pro dicendo Pſalterio hujuſmodi confluentes, commode ſimul ſe recipere non poſſint, & propterea frequenter contingat, quod plures ex dictis Fratribus, prędictum Pſalterium in dicta Capella recitare negligunt, pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut animarum ſaluti dictorum Confratrum conſulere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, eiſdem Confratribus, nunc, & pro tempore exiſtentibus, quod recitando, ſeu dicendo prędictum

Nota. Roſarium, ſeu Pſalterium extra dictam Capellam, in quacunque parte ipſius Eccleſię, ex qua hujuſmodi Altare conſpici poſſit, etiam prędictam Indulgentiam quinquaginta annorum conſequantur in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi Roſarium, ſeu Pſalterium hujuſmodi, intra prędictam Capellam recitaſſent. Quodque Prior pro tempore exiſtens, & Fratres Domus hujuſmodi, ſeu ab eis deputandi, Chriſti fideles extra dictum oppidum habitantes ac dictam Confraternitatem ingredi volentes, in illius Confratres, etiam abſque conſenſu aliorum confratrum Confraternitatis hujuſmodi recipere poſſint, indulgemus, necnon prędictas noſtras literas ad hoc, ut Confratres prędicti, etiam extra dictum oppidum habitantes, qui in

dicta

dictæ Capellæ, unicam quinquagenariam Roſarii, ſeu Pſalterii hujuſmodi devote recitaverint, pro qualibet vice, qua id fecerint, quinquaginta annos: ipſique Confratres in dicto oppido, & extra illud habitantes, qui Cereum benedictum Confraternitatis hujuſmodi in honorem ejuſdem Virginis Marię in manibus tenentes ab hac luce migraverint, ſi ante eorum obitum, Roſarium, ſeu Pſalterium hujuſmodi, ſemel duntaxat recitaverint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & Indulgentiam conſequantur, extendimus, & ampliamus. Decernentes pręſentes Literas ſub quibuſvis revocationibus Indulgentiarum, etiam in favorem fabricę Baſilicę Principis Apoſtolorum de Urbe, per Nos, & Sedem Apoſtolicam, factis, & conceſſis minime comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas fuiſſe, non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri indulti, extenſionis, ampliationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Tertio, Kalendis Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Indulgentias.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum. Aſſervatur autographum in Cœnobio *de Victoria*. Legitur in *Bullario Confraternitatum Ord. Præd. pag. 67.*
3. *De Victoria.*) In *Hiſpania Tarraconenſi*.
4. *Calagaritan.*) Vulgo *Calaborra*, in *Hiſpania Tarraconen.*
5. *Garſias de Loayſa.*) Aliis *Garzias*, & *Garcias*.
6. *Literas.*) Quæ deſiderantur.
7. *Cæſarauguſtana.*) Qua poſt electionem ſuam tranſiit *Adrianus* veniens *Romam*.

Conventus San-Maximinenſis (1) Privilegia firmat.

Anno 1523 Die 3 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VIII.

Adrianus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus B. Marię Magdalenę loci Sancti Maximini, Ordinis Fratrum Prę
dicatorum, Aquenſis Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm a Nobis petitur quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu perſonas veſtras, & locum, in quo divino eſtis officio mancipati, cum omnibus bonis, quę impręſentiarum rationabiliter poſſidetis, & in futurum juſtis modis pręſtante Domino poteritis adipiſci, ſub B. Petri poteſtate (3) ſuſcipimus, atque noſtram, omnes quoque libertates, & immunitates a felicis recordationis Bonifatio VIII, Martino V, Eugenio IV, Sixto etiam IV, Innocentio VIII, & aliis Romanis Pontificibus prędeceſſoribus noſtris, ſive per privilegia, indulgentias, vel alia indulta, vobis, & domui veſtrę conceſſis, necnon libertates, & exemptiones ſecularium exactionum a Regibus, & Principibus, ac aliis Chriſti fidelibus, vobis, & eidem domui rationabiliter indultas, ſpecialiter autem cenſus, fructus, redditus, & proventus, domos, hortos, vineas, campos, prata, paſcua, terras, nemora, ſilvas, piſcarias, aquarum decurſus, molendina poſſeſſiones, gratias, jura, juriſdictiones, & omnia, ac ſingula alia mobilia, & immobilia bona ad dictam domum, quę ex privilegio Apoſtolico, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, obtinere poteſtis legitime ſpectantia, ſicuti ea omnia juſte, & pacifice poſſidetis, vobis, & per vos domui veſtrę auctoritate Apoſtolica confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę ſuſceptionis, confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Tertio, Tertio Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *San-Maximinen.*) Vide *Notas ad Conſtitutiones III, IV &c. Bonifatii VIII Tomo II pag. 40 &c.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *San-Maximinenſi*. Legitur in *Bullario San-Maximinen. pag. 40.*
3. *Poteſtate.*) *Protectione.*

Epiſcopo Varadinenſi (1) de F. Thoma (2), S. R. E. Cardinali Legato in Germaniam miſſo.

Anno 1523 Die 1 Junii.

Ex Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II pag. 348.

Venerabili Fratri Franciſco Epiſcopo Waradien. (3).

IX.

ADRIANUS PP. VI.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LAborantibus Reipublicę Chriſtianę rebus, ob rabiem immaniſſimi Turcarum tyranni, Schardona (4), Belgrado (5), Rhodo (6), quę tanti ſunt proxime potiti: illam nunc totam (7) occupare intenti, Nos, pro noſtro Paſtorali officio, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere volentes, dilectum filium noſtrum Thomam tit. Sancti Sixti Presbyterum Cardinalem, conſilio, experientia, doctrina, & religione pręſtantem, ad Hungarię, Boemię, & Polonię, necnon ad univerſam Germaniam,

ac

ac alia Regna, & loca in finibus Turcarum exiſten., de venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E.Cardinalium conſilio, noſtrum & Apoſtolicę Sedis Legatum de latere, cum facultatibus, & auxilio ſupra vires noſtras mittimus, ſperantes, etiam Domino concedente, majora facere, itaque fraternitatem tuam hortamur, & in Domino obſecramus, ut eundem Legatum grato animo reverenter ſuſcipias, illum audias, illique ſaluti Religionis Chriſtianę, ac omnium, & tuę ſtudenti, aſſiſtas, arma induas, vitam, & quęcunque tibi Deus dedit, pro ipſius fide ponas, nihil enim te dignius, nihil tibi, ac rebus tuis utilius, nil Nobis gratius, nibil Deo acceptius, facere potes, quemadmodum ab eodem legato latius intelliges, cui fidem adhibebis, ac ſi Nos loquentes audires. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die prima Junii MDXXIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Evangeliſta,

1. *Varadinen.*) Vulgo *VVarndin.*, in *Hungarin*.
2. *Thoma.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
3. *VVaradien.*) *Varadinen.*
4. *Schardona.*) *Scardona*. Urbs eſt *Dalmatiæ*.
5. *Belgrado.*) In *Hungaria*,
6. *Rhodo.*) Inſula eſt maris *Carpathii*.
7. *Illam nunc totam.*) De Inſula, vel Republica Chriſtiana loquitur, nonnihil tamen deſideratur.

Anno 1523 Die 7 Julii.

De reformando Piſaurien. (1) Monaſterio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

X.

Dilecto filio moderno Magiſtro (3) Generali, ſeu Provinciali Ordinis Fratrum Prędicatorum Congregationis Lombardię de obſervantia nuncupatorum.

ADRIANUS PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Cum, ſicut dilecta in Chriſto filia Bartholomęa Monialis Piſaurien. Nobis nuper exponi fecit, in Civitate Piſaurien. unum Monaſterium cum eccleſia ſub invocatione Sanctę Catharinę martyris, ejus opera, ſtudio, induſtria, & diligentia conſtructum, & erectum exiſtat, cupiatque ipſa Bartholomęa, ut in eodem Monaſterio regularis obſervantia, & recte vivendi norma introducatur, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium tibi, ad quem, ſicut accepimus, gubernium, & regimen ipſius Monaſterii ſpectat, & ſpectare debet, ſub excommunicationis latę ſententię pęna, ſi contrafeceris, incurrenda, committimus, & mandamus, quatenus duas Moniales exemplaris vitę, ex aliquo Monaſterio iſtius tui Ordinis, & Congregationis ad beneplacitum tuum de licentia earum Superioris extrahendas, ad commorandum in dicto Monaſterio Piſaurien., & inibi modum, & normam juxta regularia Statuta, & conſuetudines dicti Ordinis introducendum, illudque, necnon moniales in illo pro tempore recipiendas, ſub perpetua clauſura reducendum, & Monaſterium prędictum gubernandum tranſmittas, & deputes, ac tranſmitti, & deputari facias, & nihilominus curam, & protectionem Monaſterii, & Eccleſię prędictorum per Congregationem Fratrum Prędicatorum Congregationis, & Ordinis tui hujuſmodi ſuſcipi mandes. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, Ordini, & Congregationi prędictis ſub quibuſvis verborum formis conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus, illorum tenores pręſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, ac expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die VII Julii MDXXIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Piſaurien.*) Vulgo *Peſaro*, juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*, in ditione Pontificia.
2. *Archivo.*) In quo exemplar in *Bullario Bononienſi* pag.78, ex Autographo *Bononienſi*.
3. *Magiſtro.*) *Vicario*,

Anno 1523 Die 20 Julii.

F. Modeſto Vincentio (1) in Veneficos (2).

Ex Archivo (3) Ordinis.

XI.

Dilecto (4) filio Modeſto Vincentio, Ordinis Prędicatorum Profeſſori.

ADRIANUS PP. VI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

Dudum, uti nobis exponi feciſti, per felicis recordationis Julium Papam II. Prędeceſſorem noſtrum non ſine magna tunc animi ſui diſplicentia, accepto, quod per quendam Georgium de Caſali (5) Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, & in civitate Cremonenſi hęreticę pravitatis Inquiſitorem deputatum, in nonnullis Lombardię partibus, & pręſertim in locis, in quibus dictus Georgius Inquiſitor deputatus erat, repertę fuerunt quamplures utriuſque ſexus perſonę, proprię ſalutis immemores, & a fide

Ca-

Catholica deviantes, certam ſectam facientes, fidem, quam in ſacri ſuſceptione Baptiſmatis ſuſceperunt abnegantes: Sanctam Crucem pedibus conculcantes; & opprobria ſuper eam perpetrantes; Eccleſiaſticis, & pręſertim Eucharistię, Sacramentis abutentes; Diabolum in ſuum dominum, & patronum aſſumentes, eique obedientiam, & reverentiam exhibentes, & ſuis incantationibus, carminibus, ſortilegiis, aliiſque nefandis ſuperſtitionibus, homines, animalia, & fructus terrę multipliciter lędentes, aliaque quam plurima nefanda, exceſſus, & crimina, eodem diabolo inſtigante, committentes, & perpetrantes in animarum ſuarum periculum, divinę majeſtatis offenſam, pernicioſum quoque exemplum, & ſcandalum plurimorum; contra quas eum, ut dictus Georgius tunc aſſerebat, in dictis locis ſuę Inquiſitioni deputatis, prout ipſius Georgii incumbebat officio, ipſe proceſſiſſet, nonnulli autem tam Clerici, quam laici illarum partium, quęrentes plus ſapere, quam oporteret, pręmiſſa delicta ad ejuſdem Georgii Inquiſitionis Officium non pertinere, temere aſſerere (6) pręſumentes, in populo errores, & ſcandala ſeminaverant: ſicque eundem Georgium in populo odioſum reddere, & dicti Georgii officium impedire conati fuerant, prout & tunc impediebant, ita quod propter pręmiſſa perſonę prędictę, & delicta hujuſmodi perpetrantes, remanebant impunitę, & alię earum exemplo ad ſimilia perpetranda quotidie inducebantur, in non modicum fidei opprobrium, animarum periculum, & ſcandalum plurimorum; dictus Prędeceſſor volens, ne Inquiſitionis Officii executio quomodolibet retardaretur, & labes hęreticę pravitatis longius venena diffunderet, providere, dicto Georgio per quaſdam ſuas in forma Brevis literas commiſit, & mandavit, quatenus in locis ejuſdem Georgii Inquiſitioni deputatis, de exceſſibus hujuſmodi cognoſcere, & contra quaſcunque perſonas, cujuſcunque conditionis, & pręeminentię forent, Inquiſitionis officium exercere, & aſſequi, ipſaſque perſonas, quas in pręmiſſis culpabiles reperiret, una cum locorum Ordinariorum Vicariis, quatenus voluiſſent intereſſe, juxta dictarum perſonarum demerita corrigere, & punire deberet, & valeret ſecundum modum contra alios hęreticos a jure, & ſacris Canonibus ſtatutum; Contradictores quoſque per Cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris remedia compeſcendo. Eos vero, qui in pręmiſſis conſilium, auxilium, vel ſavorem pręſtarent, prędictus Prędeceſſor eiſdem indulgentiis uti, & gaudere decrevit, quibus Cruce ſignati contra alios hęreticos ex indulto Apoſtolico eis conceſſo, tunc gaudebant, & utebantur, prout in dictis literis plenius contineri dicitur. Et, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, non ſolum delicta, & crimina hujuſmodi contra fidem catholicam, & Chriſtianam Religionem ſub juriſdictione Inquiſitoris Cremonen. committuntur, & perpetrantur, ſed in omnibus aliis locis, & Dięceſibus ſub juriſdictione aliorum Inquiſitorum dicti Ordinis Congregationis Lombardię in dies perpetrantur, & committuntur, & cum eadem ſint delicta, eadem profecto proviſione, & caſtigatione eis ſit juxta earundem literarum tenorem providentia. Quare tu, qui ſicut aſſeris, in Civitate Comen. dictę pravitatis Inquiſitor deputatus exiſtis, tam tuo, quam aliorum omnium dictorum Ordinis, & Congregationis hęreticę pravitatis Inquiſitorum ubilibet conſiſtentium, & deputatorum nominibus, feciſti Nobis humiliter ſupplicari, ut literas prędictas, ad vos extendere, & ampliare, aliaſque deſuper opportune providere dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, literas prędictas, cum omnibus in eis contentis clauſulis, in omnibus, & per omnia, prout in eiſdem literis continetur, ad te, & alios Ordinis, & Congregationis hujuſmodi Inquiſitores, tam impręſentiarum deputatos, quam in futurum perpetuis futuris temporibus deputandos, ac ſi tibi, & cuilibet Inquiſitorum prędictorum dirigerentur, & directę fuiſſent, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium extendimus, ipſaſque literas tibi & illis, ut pręmittitur, eiſdem auctoritate, & tenore concedimus. Non obſtantibus omnibus illis, quę idem Julius prędeceſſor in dictis literis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque; Et quia difficile foret, pręſentes literas ad ſingula loca, in quibus de eis fides forſan fuerit facienda, deferre, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumptis manu cujuſcunque Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Curię Eccleſiaſticę, ſeu perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, in judicio, & alibi, ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur eiſdem pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX Julii MDXXIII (7), Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

Evangeliſta.

1. *Modeſto Vincentio.*) Inquiſitori *Comenſi*, ſeu *Novocomenſi*, in *Inſubria*.

2. *Veneficos.*) Adeat *Fontanam Monumen. Dominican. Parte IV Cap. I pag.* 433.

3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex authentico *Mutinenſi*. Legitur apud *Peñam ad calcem Directorii Inquiſitorum pag.* 134. In *Bullario Romano* eſt *II*.

4. *Dilecto.*) Apud auctores mox laudatos ſic inſcribitur: *Inquiſitori Comenſi*.

5. *Georgium de Caſali.*) Hinc emendandus *Fontana* loco mox citato, ubi *Georgium* iſtum creat Inquiſitorem *Comenſem*.

6. *Aſſerere.*) *Cherubinus* & *Peña* mendoſe ſcribunt: *Aſſerentes*.

7. *MDXXIII.*) Optime ſic, errat enim librarius *Cherubini*, qui ſcripſit *MDXXII*. Et ex hoc ſolvitur dubium, quod movet *Papebrochius* in *Propylæo ad Acta Sanctorum Maii pag.* 154 *Partis II Conatus Chronico-Hiſtorici ad Catalogum Pontificum Romanorum*.

AP-

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Adriano VI Summo Pontifice, Promotos exhibens.

ARCHIEPISCOPUS.

Anno 1523. F. Didacus Deza, ex Archiepiſcopo *Hiſpalenſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Julii II* dictum fuit, Archiepiſcopus Toletanus, in Hiſpania. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CIII pag.* 104, *ex Fernandez*, *&* *Plodio*. *Cavalerius*, aliique ſupra laudati.

EPISCOPI.

Anno 1522. F. Bernardus de Meſa, ex Epiſcopo *Pacenſi*, ut in præcedenti *Appendice* dictum fuit, Epiſopus Cubenſis, in ejuſdem nominis Inſula Americæ, ſub Archiepiſcopo S. Dominici. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXI pag.* 182, *ex Fernandez*, *&* *Ægidio*. *Cavalerius*, aliique ſupra laudati.

Anno 1523 Die 19 Junii. F. Johannes Howden, Epiſcopus Sodoren., ſeu Soderen., in Scotia, ſub Archiepiſcopo Glaſcovienſi. Omittitur a *Fontana*, *Cavalerio &c.* Quod Epiſcopus fuerit liquet ex ſequenti Diplomate. *Adrianus Epiſcopus*, *Servus Servorum Dei*, *dilecto filio Johanni Howden electo Sodoren.*, *Salutem*. *& Apoſtolicam Benedictionem*. *Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Hugone Epiſcopo Sodoren. regimini eccleſiæ Sodoren. præſidente*, *nos eupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi*, *& diſpoſitioni noſtræ duximus &c*, *reſervandam &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Hugonis*, *qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ celerem*, *& felicem &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem*, *quam de præficiendo ipſi eccleſiæ*, *perſonam utilem*, *& etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem*, *demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum*, *& Theologiæ profeſſorem*, *cui de religionis zelo*, *vitæ munditia*, *honeſtate morum*, *ſpiritualium providentia*, *& temporalium circumſpectione*, *aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur*, *direximus oculos noſtræ mentis*, *quibus omnibus debita meditatione penſatis*, *de perſona tua nobis*, *& eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio*, *auctoritate Apoſtolica providemus*, *teque illi præficimus in Epiſcopum*, *& Paſtorem*, *curam*, *& adminiſtrationem ipſius eccleſiæ*, *tibi in ſpiritualibus*, *& temporollibus plenarie committendo*. *In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram & Apoſtolicæ Sedis benedictionem*, *& gratiam exinde uberius conſequi merearis*. *Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Tertio*, *Tertio decimo Kal. Julii*, *Pontificatus noſtri Anno Primo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXV fol.* 138.

Anno 1523 Die 31 Augusti. F. Johannes de Toledo, Epiſcopus Cordubenſis, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. Jus Eccleſiæ *Cordubenſi* dixiſſe *Johannem*, docent quidem Scriptores, *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCII pag.* 179, *Cavalerius Tomo I pag.* 392 *num. CXLV*, aliique laudandi in ſequentibus *Appendicibus*, variis enim præfuit Eccleſiis *Johannes* noſter, & S. R. E. Cardinalis fuit: ſed in hoc emendandi tum noſtrates, tum extranei, quod anno duntaxat *MDXXX* a *Clemente VII* Epiſcopum *Cordubenſem* renunciatum fuiſſe, doceant. *Adrianus Epiſcopus*, *Servus Servorum Dei*, *dilecto filio Johanni de Toledo electo Corduben.*, *Salutem*, *& Apoſtolicam Benedictionem*. *Apoſtolatus officium &c. Sane eccleſia Corduben. ex eo*, *quod nos hodie venerabilem Fratrem noſtrum Epiſcopum nuper Corduben. in Archiepiſcopum Hiſpalen. electum*, *licet abſentem a vinculo*, *quo eidem eccleſiæ Corduben., cui tunc præerat*, *tenebatur*, *de Fratrum noſtrorum conſilio*, *& Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes ipſum ad eccleſiam Hiſpalen.*, *tunc certo modo vacantem de ſimili conſilio Apoſtolica auctoritate duximus transferendum præficiendo ipſum illi in Archiepiſcopum*, *& Paſtorem*, *Paſtoris ſolatio deſtituta*, *nos ad proviſionem ejuſdem eccleſiæ Corduben. celerem*, *& felicem ne eccleſia ipſa Corduben. longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem*, *quam de præficiendo eidem eccleſiæ Corduben. perſonam utilem*, *& etiam fructuoſam cum eiſdem Fratribus habuimus diligentem*, *demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem*, *in presbyteratus ordine conſtitutum*, *& de nobili*, *ac etiam illuſtri genere ex utroque parente procreatum*, *cui apud nos de religionis zelo*, *literarum ſcientia*, *vitæ munditia*, *honeſtate morum*, *ſpiritualium providentia*, *& temporalium circumſpectione*, *aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur*, *direximus oculos noſtræ mentis*, *quibus omnibus debita meditatione penſatis*, *de perſona tua nobis*, *& eiſdem Fratribus*, *ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ Corduben. de ſimili ipſorum conſilio auctoritate prædicta providemus*, *teque illi in Epiſcopum præficimus*, *& Paſtorem*, *curam*, *& adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Corduben. tibi in ſpiritualibus*, *& temporalibus plenarie committendo*. *In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis præmium noſtram*, *& Apoſtolicæ Sedis benedictionem*, *& gratiam exinde uberius conſequi merearis*. *Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Tertio*, *Pridie Kal. Septembris*, *Pontificatus noſtri Anno Secundo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXVI fol.* 223.

LEGATUS.

Anno 1523. F. Thomas de Vio, Cajetanus, S. R. E. Cardinalis, Legatus a Latere miſſus in Hungariam, Bohemiam, Poloniam, Germaniam &c. *Conſtitutio IX Adriani VI*, *Fontana*, *Cavalerius*, aliique ſupra laudati.

CLE-

CLEMENS VII,

(a) *Ciaconius in Clemente VII.* (b) *Panvinius in Vita Clementis VII.* (c) *Ughellus in Notis ad Ciaconium.*

Julius Medices, Patria Florentinus, electus (*a*) eſt die XIX Novembris MDXXIII. Coronatus (*b*) fuit die XXVI ejuſdem Menſis. Obiit (*c*) die XXVI Septembris MDXXXIV. Sedit Annos X, Menſes X, Dies VIII. Sepultus in Vaticano, translatus eſt ad ſacras ædes S. Mariæ ſupra Minervam.

S. Antoninum (1) Cælitibus ab Adriano VI annumeratum fuiſſe declarat, — Anno 1523 Die 26 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

I.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

RAtioni congruit, & convenit ęquitati, ut ea, quę de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu literę Apoſtolicę ſuper illis confectę non fuerint, ſuum debitum conſequantur effectum. Dudum ſiquidem felicis recordationis Adrianus PP. VI, Prędeceſſor noſter, pie pręmeditans, ſingulos, pręſertim aqua regenerationis renatos, populos, propheta docente (3), miſericordias Domini in ęternum cantare, decere (4), magnaque profecto, & mirabilia eſſe opera miſericordię, quibus Salvator noſter Jeſus Chriſtus in ſalutem generis humani miſerationis hujus largiſſime ſe ſe effundere dignatus fuerat, quę ſi ab initio creati hominis recenſenda forent, nullę humanę linguę ad id ſufficere poterant, quia inenarrabile illud erat, quod cum Deus ipſe hominem creaſſet ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, illi, ut felicitatis ęternę particeps (5) fieri, & in cęleſti patria illa conſortiis Angelorum aſcribi poſſet, benigne conceſſerat, ſi datę ſibi divinitus legis non contempſiſſet imperium. Neque tamen ipſum legis hujuſmodi tranſgreſſorem factum paſſa erat divina clementia penitus interire, quin immo congruentes exhibere medicinas dignata extiterat, quibus a lege Domini aberrans in certam ſalutis ſemitam perduceretur, Angelos deſtinando, qui ei divinam patefacerent voluntatem, ipſumque juſta ſuaderent (6), & ad implendum divina mandata opportune adjuvarent, mittendo etiam Patriarchas, gratię ſuę ſpiritu repletos, qui exemplo ſui totum humanum genus inſtruerent ad ſalutem, necnon Prophetas, qui Spiritu Sancto illuminati omnibus non pręſentia ſolum beneficia commemorarent, ſed futura etiam prędicerent. Illud vero erat maximum, & cui nullum aliud miſerationis opus comparari poterat, quod ipſe Dei Filius in perſona ſua naturam noſtrę mortalitatis aſſumere, ac ea myſteria, quę de paſſione, & morte ſua per Sanctorum Prophetarum ora prędicata, & annunciata fuerant adimplere, ac per Paſſionem, & mortem ſuam hujuſmodi, nos a perpetua morte liberare dignatus fuerat. Cumque Prędeceſſor ipſe, tot gratiis, & beneficiis invitatus, ac provocatus, nihil ſtudioſius curare, ac efficere, quam ejus voluntati, ac mandatis parere, atque obedire deberet, ipſique in illis, qui ſibi propter vitę integritatem, ac ſanctimoniam dilecti fuerant, & per quos diverſa, & magna miracula oſtendebat, ſanctiſſimum nomen ſuum glorificari, ipſoſque catalogo Sanctorum aſcribi, & ab univerſali Eccleſia claris honorum, ac laudum pręconiis honorari, mandaret, ſicut etiam ipſa Sancta Mater Chriſti Salvatoris noſtri hujuſmodi Sponſa Prędeceſſorem ipſum docebat, ut fidelium animas ſuperna, ac cęleſti beatitudine fruentes, debita reverentia proſequeretur, quos dum in humanis adhuc agerent ipſi Deo acceptos, poſt autem ab hoc ſęculo migrationem in Beatorum numero collocatos, & aggregatos eſſe intelligebat, dum fidelibus aliquo calamitatis genere oppreſſis, ac eorum ſuffragia implorantibus, divina omnipotentia in eorundem cęleſtis beatitudinis teſtimonium, miraculoſe ſubvenire dignabatur, ſuperna quoque patria illa Jeruſalem ita omnium electorum ſalvatione lętabatur, ut quorum pręſtantiora erant merita pro illorum uberioribus pręmiis copioſiora etiam gaudia percipiebat, quod in exceſſu mentis ſuę poſitus Iſaias Propheta ſenſiſſe videbatur, cum diceret (7): Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus. Prędeceſſor igitur ipſe dicendum putavit: Exultent omnes Angelorum Chori, qui de evacuatarum ſedium repletione ſoliciti, humiles corde, ac bonis & ſanctis operibus pręcellentes, per virtutum gradus, in beatas illas manſiones, unde ſuperhi corruerant ſpiritus, perducere gaudent. Exultent quoque animę juſtorum, qui Chriſti veſtigia ſequuti, vitę hujus ſtipendiis emeriti, ac mundi illecebris omnibus ſuperatis cęleſti regno tandem perfrui meruerunt, & etiam tunc numeroſiore cęleſtium civium populo lętarentur. Exultet univerſum cęlum laudibus, reſultet terra gaudiis, cum Sanctorum editio lętitiam habeat plurimorum (8). Siquidem fidei zelus exigebat, ac juſtitię pietas poſtulabat, ut quod pro ſalute plurimorum gerebatur communibus ubique gaudiis, & plauſibus celebraretur, pręcipue vero Prędeceſſor ipſe etiam putavit, exultare debere Pontificum beatorum cętum, & ſacram illam Doctorum concionem, inter quos Sanctus Antonius (9), poſtquam ex hac lachrymarum valle, ad cęleſtem illam, quę ſurſum eſt, Jeruſalem, vocante ipſum Domino, migraverat, tanquam novum ſydus glorioſe micabat, & fulgebat. Cumque (10) ejuſdem Antonii Archiepiſcopi Florentini ex Civitate Florentię oriundi (11), Ordinis Prędicatorum, vitę excellentia, caſti mores, fructuoſa prędicatio, ac ſanctiſſimorum operum perpetua coruſcatio toti fere orbi nota eſſet, & ab omnibus prędicaretur. Nos tunc in minoribus conſtituti, & tit. S. Laurentii in Damaſo (12), tunc Sanctę Marię in Dominica (13) Diaconus, qui ex conceſſione Apoſtolica Eccleſię Florentię pręeſſe (14) dignoſcebamur, & dilectus filius noſter, tunc ipſius Prędeceſſoris, Thomas (15) tit. S. Sixti, tunc (16) Ordinis Prędicatorum Generalis Magiſter, Presbyteri Cardinales, ac tunc Priores libertatis, & vexilliferi juſtitię populi Florentini, necnon Archidiaconus, & dilecti filii Capitulum Eccle-

S. Antonini virtutes.

De eodem cælitibus annumerando tractatur.

Eccleſię Florentinę, conſiderantes ipſius Antonii Archiepiſcopi vitę ſanctimoniam, quotve, & quibus miraculis, tam in vita, quam poſt mortem claruerat, & in dies clarebat, deſiderantesque, ipſum juxta morem, & ritum S. Romanę Eccleſię canonizationis dignitate pręfulgere, ac Sanctorum numero, & catalogo aggregari, pię memorię Leoni PP. X, ſecundum carnem Fratri patrueli (17) etiam Prędeceſſori noſtro, in dicta Eccleſia Floren. tunc (18) exiſtenti, Miſſa Pontificali, & aliis peractis ſolemniis, humiliter ſupplicarunt, ut glorioſę memorię dicti Antonii Archiepiſcopi canonizationi intendere dignaretur. Idem Leo Prędeceſſor, eorum pio deſiderio annuere volens, dilectis filiis Magiſtris Jacobo Symonetę (19), & Guillelmo Caſſadoro (20), noſtris, tunc ipſius Leonis Prędeceſſoris, Capellanis, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, commiſerat, ut ipſi, & quilibet eorum de ſanctitate vitę, ceteriſque virtutibus, & miraculis ejuſdem Antonii Archiepiſcopi ſe diligenter informarent (21), & habita ſuper his informatione matura, ipſi Leoni Prędeceſſori in Conſiſtorio ſuo ſecreto fideliter referrent, ut de Fratrum ſuorum conſilio ad Omnipotentis Dei laudem efficere poſſet, quę Sanctorum Patrum dogmata, ac Sanctorum Canonum inſtitutiones, necnon juſtitia, & chriſtiana caritas poſtularet, atque requireret. Cumque Auditores pręfati ad inquiſitionem pręmiſſorum procedentes, articulis, & interrogatoriis datis, ac citatione legitima pręcedente, ſexaginta duos teſtes (22) coram eis productos recepiſſent, eoſque pręvio juramento examinaſſent, idem Leo Prędeceſſor ex dicta Civitate Florentię ad almam Urbem, & Romanam Curiam redire (23) propoſuiſſet, dilectos filios Johannem Mariam Abbatem (24) Monaſterii Vallis Umbroſæ Feſulan. Dięceſis, & Antonium Sacramorum (25) Canonicum dictę Eccleſię Floren., ac Leonardum de Guaſconibus (26), tunc Vicarium Epiſcopi Feſulani io ſpiritualibus Generalem, dictorum Auditorum loco, io cauſa Canonizationis hujuſmodi ſubrogaverat, eiſque commiſerat, & mandaverat, ut ipſi, vel duo, aut unus eorum, ad ulteriorem pręmiſſorum inquiſitionem procederent, ac teſtes reciperent, eorumque atteſtationes, ac diſpoſitiones, & omnia alia acta in ſcripeis fideliter redacta ſub eorum ſigillo clauſa ad ipſum Leonem Prędeceſſorem remitterent, ipſique ſubrogati in cauſa inquiſitionis hujuſmodi ad ulteriora procedentes quadraginta octo (27) teſtibus coram eis productis, juratis, & examinatis, ac proceſſu deſuper formato, & abſoluto, illum ſub eorum ſigillis clauſum ad eundem Leonem Prędeceſſorem remiſerant, & ſucceſſive nonnullis aliis teſtibus, tam per pręfatum Vicarium, quam nonnullos alios Notarios ad Procuratoris fidelis (28), Civitatis Floren. inſtantiam examinatis, & eorum atteſtationibus etiam ſub ſigillo clauſis, ad eoſdem Auditores remiſſis, & de eorum mandato pea Notarium cauſe, in regiſtro inſertis, pręfatus Jacobus pręſente eodem Guillelmo die IX Menſis Decembris Anni Milleſimi Quingenteſimi Sexti Decimi omnia, & ſingula in hujuſmodi Canonizationis cauſa, tam coram eis, quam dictis ſubrogatis, & Notariis acta, deducta, producta, & probata, plene, fideliter, & diligenter eidem Leooi Prędeceſſori, & S. Romanę Eccleſię Cardinalibus in Conſiſtorio ſuo ſecreto retulerat. Qua relatione facta idem Leo Prędeceſſor eam volens adhibere diligentiam, & gravitatem, quam rei magnitudo poſtulabat, proceſſus in ipſius Canonizationis negotio factos venerabili Fratri noſtro, tunc ſuo, Bernardino (29) Oſtien. (30), tuoc Sabin. (31) Epiſcopo, & tunc io humanis agentibus (32) bone memorie Leonardo (33) tit. S. Petri ad Viocula Presbytero, & Bernardo (34) S. Marię in Porticu Diacono Cardinalibus per eos de novo diligenter examinandos in dicto Cooſiſtorio ſecreto vivę vocis oraculo commiſerat. Cumque idem Leo Prędeceſſor pręfatum Bernardum Cardioalem ad cariſſimum in Chriſto filium noſtrum, tunc ſuum, Franciſcum Francotum Regem Chriſtianiſſimum Legatum (35) a latere ſuo deſtinaſſet, in ejus locum dilectum filium noſtrum, tunc ſuum, Innocentium (36) S. Marię in Dominica Diaconum Cardinalem ſubrogaverat. Ipſique Bernardinus, ac Leonardus, & Innocentius Cardinales in cauſa Canonizationis hujuſmodi rite procedentes, ac dicto proceſſu una cum Auditoribus, & Abbate pręfatis, neeoon dilecto filio Melchiore Baldaſtino (37) juris utriuſque doctore, noſtrę, tunc ipſius Leonis Prędeceſſoris, Aulę Cooſiſtorialis Advocato, iteratis vicibus diligenter examinato, & cauſa hujuſmodi mature diſcuſſa primo per Bernardinum Epiſcopum die Tertia Decima Junii Anni Milleſimi Quingenteſimi Decimi Noni io uno, multis, & magnis in vita, deinde in alio Conſiſtorio, ſecretis, per Leonardum Cardinalem pręfatum poſt mortem ipſius Antonii Archiepiſcopi miraculis fideliter relatis, eodem Innocentio Cardinale pręſeote, & relationem per ipſos factam comprobante. Etſi ex eorundem Cardinalium relatiooibus de vitę ſanctimonia, & humilitate, aliiſque virtutibus, & miraculis ejuſdem Antooii Archiepiſcopi pleniſſime cooſtaret, quamplurimis tamen fide dignis teſtibus ſe offerentibus, ac ſuper eiſdem miraculis deponere volentibus, idem Leo Predeceſſor die Vigeſima Quinta Menſis Januarii Anni Milleſimi Quingenteſimi Vigeſimi eiſdem Jacobo, & Guillelmo Auditoribus, etiam commiſerat (38), & mandaverat, per ſe, vel alium, ſeu alios, tam in dicta Urbe, quam extra eam, & ad partes, ad aliorum teſtium receptionem, & illorum examinationem procederent, & deinde io dicto Conſiſtorio ſecreto referrent, ipſique Jacobus, & Guillelmus Auditores dilectos filios venerabilium Fratrum noſtrorum, tunc ipſius Leonis Prędeceſſoris, Archiepiſcopi (39) Senen., & Piſtorien. (40), ac ejuſdem Feſulan. (41) Epiſcoporum Vicarios in ſpiritualibus Generales, ac pręfatum Antonium Sacramorum Canonicum juxta tenorem commiſſionis eis factę ſubdelegaverunt, eiſque, & eorum cuilibet mandaverunt, ut ſuper miraculis in vita, & poſt mortem per ipſum Antonium Archiepiſcopum factis teſtes reciperent, &, previo juramento diligenter examinarent, eorumque dicta, & atteſtationes in ſcriptis redigerent, & cuncta ſub eorum ſigillis clauſa ad eos remitterent. Cujus commiſſionis vigore dilectus filius Ludovicus de Adimaris (42) pręfati Epiſcopi Feſulan. Vicarius io ſpiritualibus Generalis, in cauſa Canonizationis hujuſmodi rite procedens, ſuper eiſdem miraculis centum quinquaginta, & uno (43) teſtibus coram eo, adhibito fidei procuratore hujuſmodi, deductis, juratis, & fideliter examinatis, eorumque dictis in ſcriptis redactis proceſſum per eum abſolutum, & ſuo ſigillo clauſum, ad eoſdem Jacobum, & Guillelmum Auditores per proprium nuncium remiſerat, ipſoque proceſſu per eoſdem Auditores recepto, & aperto, ac diligenter examinato, & facta per eos ſuper illum in ſecreto Conſiſtorio fideli relatione, idem Leo, Prędeceſſor, ipſius ulti-

ultimi proceſſus examen commiſerat eiſdem Bernardino Epiſcopo, & Innocentio Cardinali, ac dilecto filio noſtro, tunc ipſius Leonis Prędeceſſoris, Achilli (44) tituli S. Marię in transtiberim Presbytero Cardinali, quem ipſe Leo Prędeceſſor loco ejuſdem Leonardi Cardinalis vita functi in hujuſmodi cauſa ſubrogaverat, ipſique omnibus proceſſibus per eoſdem Bernardinum, & Achillem, ac Innocentium Cardinales de novo diligenter examinatis, facta per eos plena, & fideli relatione, ac ſcrutatis eorundem Cardinalium votis, in eandem ſententiam convenerunt, & Antonium Archiepiſcopum ipſum canonizandum cenſuerunt. Deinde alio tempore, videlicet dię quarta decima menſis Decembris Anni Milleſimi Quingenteſimi Vigeſimi ſcrutatis votis omnium, & ſingulorum Cardinalium, qui numero triginta ſeptem tunc in ſecreto Conſiſtorio aderant, una, & eadem omnium ſententia fuerat, ipſum videlicet Antonium Archiepiſcopum canonizandum fore. Quibus peractis idem Leo Prędeceſſor in Vigilia Pentecoſtes (45) Anni Milleſimi Quingenteſimi Vigeſimi primi publicum Conſiſtorium pro Sexta feria poſt feſtum ipſius Pentecoſtes indixerat, & teneri mandaverat, in quo idem Melchior publicam Orationem de vita, ſanctitate, moribus, ac virtutibus ipſius Antonii Archiepiſcopi, necnon miraculis, in vita & poſt mortem factis, & in proceſſibus hujuſmodi contentis, atque probatis, ut ea in ſecretis Conſiſtoriis relata, Prelatis Curię, ac Curialibus omnibus innoteſcerent, habiturus erat, ſed cum ante dictam ſextam feriam febre correptus (46) fuiſſet, Conſiſtorium illud pręfata ſexta feria teneri non potuerat. Deinde impedimentis, ac poſtremo obitu ejuſdem Leonis Prędeceſſoris ſupervenientibus, in Canonizationis hujuſmodi negotio ulterius proceſſum non fuerat; Idem Adrianus Prędeceſſor qui poſt ipſius Leonis Prędeceſſoris obitum, divina favente clementia, ad Summi Apoſtolatus apicem aſſumptus (47) fuerat, cum ad dictam Urbem, Domino concedente perveniſſet (48), & a Nobis tunc in minoribus conſtitutis, ut pręfertur, ac Thoma S. Sixti pręfato, ut (49) venerabile Fratre noſtro tunc ipſius Adriani Predeceſſoris, Nicolao (50) Epiſcopo Cardinali de Fliſco, dicti Ordinis Predicatorum Protectore, ac eiſdem Prioribus libertatis, & vexillifero juſtitię populi Florentini requiſitus fuiſſet, ut ad ulteriorem ejuſdem canonizationis expeditionem procedere dignaretur, etſi omnino ipſe Adrianus Prędeceſſor id facere intenderet, peſte (51) tamen in dicta Urbe tunc ultra modum ſęviente, id ipſum aliquantulum differre coactus fuerat. Poſtmodum verò cum peſtis ipſa per Dei miſericordiam ceſſaſſet, ipſe Adrianus Prędeceſſor Chriſtiani gregis univerſalem curam gerens, pro debito paſtoralis officii militantem Eccleſiam cęleſti, ac triumphanti Sponſo illius conformare, & pro ejus ędificationis implemento omnibus diligenter examinatis, ac mature diſcuſſis, ipſum Beatum Antonium in Catalogum Sanctorum referendum eſſe duxit. De cujus quidem Antonii Archiepiſcopi origine, vita, moribus, & fama, omiſſis imprę ſentiarum miraculis (52) pre multitudine illorum, quę libello (53) quodam impreſſo (54) ex ipſo Canonizationis proceſſu per cauſę procuratorem fideliter excerpta (55), & per ipſum fideliter reviſa, atque collata continentur, aliqua ex multis ipſe Adrianus Prędeceſſor duxit recenſenda. Antonius igitur ipſe Beatus in Civitate Florentię, quę inter eunctas Italię Civitates, cum multis aliis virtutibus, & dotibus, Urbes inſignes, & preclaras facientibus, tum maxime

S. Antonini vita paucis deſcribitur.

pietate, ac religione ſemper floruerat, e Nicolao (56), & Thomaſia (57) ſub timore Domini, pie, & caſte viventibus, tanquam ex bona arbore bonum fructum faciente, ortus, & ab eis bene, & pudice educatus, cum primum per ętatem Deum ſibi cognoſcere licuerat eligens ei ſoli ſervire, ac mundi pompis omnibus renunciare velle, ſe ſe ipſi Deo in totum dicaverat, ac in Oratorio horti S. Michaelis (58) dictę Civitatis ante Imaginem Crucifixi humiles, ac devotas preces porrexerat, ut virginitatem, quam illi voverat, uſque ad ultimum vitę ſpiritum illius dono, & gratia conſervare poſſet. Imitaturus enim Chriſtum ipſum, quem de Virgine natum, virginitatem perpetuo conſervaſſe conſtat, & ſecreta Dei contemplaturus, nullum gratius donum petere, atque impetrare potuiſſet, Virginitatem namque ſervanti tantum dabatur propius arcana, & cęleſtia contemplari, ac divinarum rerum veritatem cognoſcere, quantum ea virtus ſecretior erat, & a terrenis ſordibus, omnique corporis contagione, & fęditate longius abeſt. Deus, qui ſcrutator eſt cordium, ſinceram pueri mentem, purumque animum introſpiciens, humilem, & ſanctam ejus orationem exaudiverat, eumque inter illos commendandum elegerat, quos in Apocalypſi pręviderat Joannes ſequentes Agnum quocunque iret, cantantes canticum novum ante thronum Dei, quod ſoli modulantur, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, & labem carnis, atque Immunditiam execrati, amictuntur ſtolis albis, & corona immortalis glorię decorantur. Puer igitur ipſe a Deo electus, crebris jejuniis, continua ad Deum pręmeditatione, frequentibus circa orationem, & ſtudia vigiliis etiam illum modicum ętatis calorem extinguebat. Cumque tertium decimum attigiſſet annum, ut humanis illecebris poſthabitis, atque contemptis, ſoli Deo, ejuſque mandatis ſervire, ac penitus vacare poſſet, Religionem S. Dominici, quę per ardua tendit, ingredi ſtatuerat, & die quadam devotionis fervore accenſus ad Domum ejuſdem S. Dominici de Feſulis (59) dicti Ordinis pergens, a Priore (60) dictę domus habitum per Fratres dicti Ordinis geſtari ſolitum ſibi exhiberi magna cum humilitate petierat. Prior ipſe, quem pueri tenerior ętas, & religionis auſteritas ad habitum ipſum illi negandum, ejus vero fervor, & devotio ad exhibendum inducebat, ſecum ipſe cogitando, quonam modo prematurum pueri deſiderium differre poſſet, eum interrogaverat, quibus ſtudiis vacaret, qui cum reſpondiſſet ſe Decretorum lectioni operam dare, tunc Prior modum inveniſſe ratus, quo interponerentur anni, donec maturior illi ętas accederet, dixerat, non ſolere Canoniſtis habitum dicti Ordinis exhiberi niſi toto Decretorum libro memorię commendato. Quibus verbis fide adhibita, innocens, ſimplexque, ut columba, puer, a Priore diſcedens, & domum paternam repetens, Decretorum lectioni totis viribus incumbere, ac vacare cęperat, adeoque ſedula lectione, ac aſſidua oratione profecerat, ut cum Sapiente (61) merito dicere poſſet, optavi, & datus eſt mihi ſenſus, illuminatus enim ab eo qui illuminat omnem ſenſum, & qui lux, via, & veritas eſt, ejuſdem anni ſpatio Decretum Integrum memorię mandaverat, quod propter ſui magnitudinem tam brevi temporis ſpatio a quoquam vix legi poſſet. Quo peracto lętus, & alacer, quaſi ad victorię ſuę palmam accipiendam, properans Feſulas redierat, ac Priori aſſerens ſe integrum Decretorum librum mandaſſe memorię, dictum habitum illis qui librum hujuſmodi memorię mandaſſent dari ſolitum magna cum inſtantia poſtulaverat. Prior ſecum conſiderans, quam

eſſent mirabilla opera Dei, accitis patribus ipſius domus, factoque memorię periculo, illis rei miraculo ſtupentibus, ac inter ſe dicentibus, Quis putas puer iſte erit? de illorum unanimi conſenſu, eidem Antonio ipſum genubus flexis humiliter petenti cum benedictione Domini exhibuerat, in quo per quadraginta quatuor annos (62) tanta humilitate, ac vitę ſanctimonia perſeveraverat, talentum ſibi a Domino creditum non ſudario alligans, aut terrę infodiens, ſed ut providus diſpenſator in communem utilitatem convertens, ut qui ejus innocentiam, & puritatem noverant, dicere ſoliti fuerant, ſibi videri, quod in eo Adam non peccaſſet, adeoque ipſius Religionis ſervator fuerat, ut omnium Fratrum oculos in ſe tanquam lucidiſſimum exemplar, ac rectiſſimam normam converteret, ipſique Fratres eum tunc ętate juvenem aliorum regimini prępoſuerant, invitumque coegerant ut domorum (63) dicti Ordinis Italię gubernacula ſuſciperet, ac officium Generalis Vicariatus Congregationis Tuſcię regularis obſervantię exerceret, In quo ita ſe laudabiliter geſſerat, ac tantam animi, & corporis humilitatem oſtenderat, non ſolum doctrina, paterniſque monitionibus, ut officium illud prelationis exigebat, ſubditos regens, atque inſtruens, ſed corporali etiam ſervitio, & proprio ſervili miniſterio utens, ut verus Chriſti miles, ejuſque ſanctorum operum imitator ab omnibus judicaretur, & in eo Dominicum iſtud verbum (64) videretur impletum; Qui major eſt veſtrum ſit ipſe miniſter veſter, nonnullas dicti Ordinis domos, in quibus regularis obſervantia relaxata fuerat, viſitando, eas ad veram, & ſanctam obſervantiam regularem reduxerat, & ut ſe omnibus exemplar prębcret, ultra continuos animi, & corporis labores, ac pręter aſſiduas in orationibus, ſtudiiſque vigilias, a carnium uſu quaſi ſemper abſtinnerat, cilicium nunquam dimiſerat, ac ferreo ſuper nudam carnem cingulo cinctus, nudam terram, ſeu ligneas tabulas pro lecto habuerat, donec ad ſenectutis annos pervenerat, tunc enim ſtrato ex paleis uti cęperat, jejuniis, aliiſque corporis macerationibus ſupra tenues corpuſculi vires continue pęnitentiam agens, horas fere omnes diei, ac noctis ad arcana Dei contemplanda, ac verbum ejus evangelizandum, & ea ſcribendum, quę ad communem utilitatem, & chriſtianam religionem pertinent, ſedulo ac jugiter impendebat, nec ſolum viva voce prędicando tunc viventibus, ſed & poſteris plurima librorum (65) optimorum, tum in ſacris literis, tum in naturalibus, tum maxime in moralibus (66) ſcientiis monumenta utiliſſima relinquendo, prodeſſe ſtuduerat. Quarum tam grandium, atque adeo inſignium virtutum fama permotus pię memorię Eugenius PP. IV, etiam Prędeceſſor noſter, Eccleſię Florentin. tunc Paſtore carenti, de perſona ejus pręter omnem ſpem providerat (67), ipſumque illi pręfecerat in Archiepiſcopum, & Paſtorem, Quod cum ſibi nunciatum fuiſſet, haud quaquam hujuſmodi nuncio lętatus fuerat, ſed ut omni humilitate plenus tale onus humeris ſuis impar judicaverat, ac ſtatim cogitare cęperat, quo pacto poſſet illo abſolvi, ac liberari. Suis igitur, & amicorum literis eidem Pontifici ſupplicare non deſierat, ut ſe in minoribus inter confratres ſuos relinquere, ac dictę Eccleſię de perſona alterius, qui tantę dignitati magis idoneus eſſet futurus, providere dignaretur, Cogitaverat autem Sardiniam (68) petere, ac ibi tantiſper deliteſcere, donec alius eidem Eccleſię pręficeretur, ſed, ut dici conſuevit, homo cogitat, & proponit, Deus autem diſponit. Nam quanto magis reluctabatur, ne Archiepiſcopalis dignitatis ſibi onus imponeretur, tanto magis operabatur Deus, ne alius, quam ipſe Archiepiſcopus crearetur. Siquidem ipſi Eccleſię, & Civitati Floren. pariter conſulere volens, tum ipſum Eugenium PP., tum etiam Coſmum (69) Medices, qui tunc temporis in ipſa Civitate ingenio, opibus, & auctoritate ceteris prę ſtabat, ac inter egregias animi dotes, atque virtutes religionem imprimis colebat, inſpiraverat, ut hominem partim precum blanditiis, partim cenſurarum timore compellerent, ad conſentiendum proviſioni de ſe factę, qui cum illam Dei voluntatem eſſe cognoſceret, ne illi contumacius velle reſiſtere videretur, obedientię jugo collum ſubmiſerat, ac Pontificis mandatis, ac Coſmi (70) precibus, uti par erat, paruerat, obtemperaverat, ac non ſolum ipſi Eccleſię, ſed etiam univerſę Civitati Floren., illiuſque populo, & gregi ſibi commiſſo ita utiliter pręfuerat, ut inde omnes intelligerent, ipſum divino potius, quam humano conſilio ipſi Eccleſię pro illius populi ſalute in Archiepiſcopum pręfectum fuiſſe. Nam ſecum ipſe reputans ad hujuſmodi dignitates vocatos non luxui, ac deliciis deditos eſſe oportere, ſed omnibus, & pręſertim ſubditis, frugalitatis, ac virtutis exemplar eſſe debere, nihil prorſus de illo tenui, ac ſimplici victu, quo per quadraginta quatuor annos in Religione uſus fuerat, immutaverat, ipſamque paupertatem, quam veluti ſponſam cariſſimam ſemper dilexerat, conſtantiſſime retinuerat, etiam ſemper aliquid de neceſſariis uſibus ſuis detrahens, ut largior erga pauperes, ac liberalior eſſe poſſet. Octo familiaribus, inter quos unus erat Religioſus, utens, qui pro Archiepiſcopatus negotiis vix ſufficere poterant, caritatis, & miſericordię operibus ſemper intentus. Nam ut Hoſpitale, quod pauperum verecundorum dicitur, in dicta Civitate, in eoque confraternitas pro illius regimine inſtitueretur, pręfato Coſmo viro pientiſſimo (71) plurimum adjuvante auctor fuerat, ſolent enim ipſius Confraternitatis confratres egeſtate oppreſſis, ſeu mendicare erubeſcentibus, uberes, copioſaſque eleemoſynas elargiri. Et ut ipſe Beatus Antoninus omnia miſericordię opera pręſtaret, infirmos, ac etiam peſte laborantes viſitabat, illiſque interdum ſibi paratos cibos, cum aliter prandere non poſſet, inaudita caritate largiebatur, nudos etiam quandoque tunica, cum jam omnia erogaſſet, veſtiebat. Cumque omnes menſę ſuę Archiepiſcopalis fructus, redditus, atque proventus, in pauperum alimoniam, virginum dotes, atque Hoſpitalium ſuſtentationem, alioſque pios uſus erogaſſet, ac pro temporum anguſtiis eſſet pauperum copia, & nihil aliud ſupereſſet unde pauperibus ipſis, & indigentibus ſubveniri poſſet, a pręfato Eugenio, & recolendę memorię Nicolao Quinto (72), ac Calixto Tertio (73), & Pio Secundo (74) Romanis Pontificibus, ſimiliter Prędeceſſoribus noſtris, quibus ob vitę ſanctitatem carus erat, non parvas pecuniarum ſummas in hujuſmodi pios uſus convertendas recipiebat, eaſque pauperibus ipſis diſtribuebat, denique nullum caritatis, & miſericordię genus erga carceratos, viduas, & pupillos omittebat, memor ſcilicet verbi Pauli Apoſtoli dicentis (75), & ſi habuero omnem fidem, itaut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum. In adminiſtranda juſtitia nullus judicum eo tempore illi comparari poterat, itaut pręfatus Nicolaus Prędeceſſor appellationes, quas a ſuis ſententiis ad Sedem Apoſtolicam deferri contingeret, nulli alteri committi, ſed ad eum ipſum examinandas remitti mandabat, ratus homi-

hominem ab omni odio, amicitia, prece, pretio, aliiſque omnibus, quę judicantium animos in ſententiis dictandis perturbare, ac pervertere ſolent penitus alienum eſſe. Cauſas omnes ad eum delatas concordia componere, aut celeri ſententia definire ſtudebat. Cujus judicio fere omnes propterea acquieſcebant, quia id ab ore ſanctiſſimi viri, Deo ſic inſpirante, procedere exiſtimarent. In corrigendis vitiis, emendandiſque delictis, ingenti utebatur ſeveritate, ita tamen, ut in eo miſericordia cum juſtitia conjuncta eſſe videretur. Fidei, & eccleſiaſticę libertatis defenſorem ſe prębebat acerrimum, nec ullius minas formidabat. Cumque olim Cives quidam Florentini inſolentiores illi voluntatibus ipſorum ſe opponenti minati fuiſſent, ita reſponderat, ut oſtenderet, nihil ſibi ex bonis terreſtribus adimi poſſe, quo valde triſtaretur, & ſe Eccleſię ſuę ſpoliatum libenter ad Religionem, & Fratres ſuos redditurum fore, qui lęti, ac libentes eum variis curarum oneribus levatum exciperent. Clerum reformaverat, ac populum correxerat, pravoſque Civitatis mores emendaverat. Ludos omnes prohibitos, atque damnatos ſuſtulerat, ſuperfluos mulierum ornatus reſtrinxerat, ac fere omnium cordibus devotionem ſpiritualem infixerat, quandoque fręno, quandoque vero calcaribus, pro animarum, & temporum qualitate utens, ut ſemotis ſeditionibus ſub Dei timore, & caritatis zelo viverent, & in ſancta Religione perſiſterent. Quibus animi virtutibus in dicto Ordine quadraginta quatuor, in Archiepiſcopatu vero tredecim (76) annos continue abſque non ſolum culpa, ſed etiam culpę ſuſpitione uſus, cum annum ſeptuageſimum ageret, quod ſępius prędixerat, ſuſceptis de more ſumma cum devotione Eccleſię Sacramentis, bonis omnibus, ſi qua tunc illi remanſerant, inter pauperes Chriſti diſtributis, cum lachrymis Imagine Crucifixi amplexa, ac ſępius iis repetitis verbis: Servire Deo regnare eſt: ac, Sancta & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam neſcio: hilari, ac lęto animo, coram ſuis caris Religioſis Fratribus orantibus (77), & flentibus Sexto Nonas Maii (78) anni Milleſimi Quadringenteſimi Quinquageſimi Noni ita immaculatam animam reddiderat Creatori, ut cum Apoſtolo (79) dicere poſſet: bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitię. Poſtridie (80) pręfatus Pius Prędeceſſor cum viri ſanctitatem jampridem cognitam haberet (81), Florentiam ingreſſus, omnibus Chriſti fidelibus ejus corpus antequam ſepulcro conderetur viſitantibus, Indulgentiam Septem annorum, & totidem quadragenarum conceſſerat. Ex quo tanta non ſolum ipſius civitatis, ſed etiam circumvicinorum locorum multitudo confluxerat, ut ejus corpus per octo dies ſepulcro tradi non potuiſſet, omnibus id videre, atque oſculari volentibus, multiſque infirmis ejus interceſſione ſanitatem a Deo implorantibus, eamque miraculoſe conſequutis, qui licet ex ſanctis operibus ſuis, beatus, & ſanctus ab omnibus ejus vitam intuentibus, aut famam integerrimam audientibus, certiſſime crederetur, eam tamen opinionem auxerat, manifeſta, & oculata viſio Dominica cuidam Tuccio (82) Monacho Monaſterii Ciſtelli Floren., Ciſtercien. Ordinis, in Civitate ipſa Floren. & Conſtantio de Fabriano (83) tam ſanctitate vitę claro, quam ſcientia, & doctrina, in dicto Prędicatorum Ordine profeſſori in Civitate Aeſculana (84) oblata. Quorum uterque eadem noctis hora, qua dictus Beatus Antonius ad Dominum tranſivit, ejus animam ab angelis in cęlum viſibiliter portari viderunt. Eandemque opinionem fidemque poſtea confirmabat (85) magna & innumera miraculorum multitudo, quę omnipotens Deus ipſius Beati Antonii, inter cęleſtes Beatorum choros recepti, meritis, tam dum in hac miſera luce vixerat, quam vita functus, poſt mortem ipſam mundo manifeſtaverat. Siquidem ejus invocato nomine dęmoniaci a malis ſpiritibus liberati, diverſorum morborum generibus oppreſſi, a medicis omnino deſtituti, & mortui, & pro mortuis utique habiti revixerant, ac priſtinę ſanitati reſtituti, ac leproſi mundati fuerant. Pręterea claudi inceſſum, ſurdi auditum, muti loquelam, contracti motum liberum, cęci lumem recuperaverant, ejuſque Sanctitatis non modicę ipſi Adriano Prędeceſſori, & toti populo teſtimonium perbibere poterant verba, quibus vivente adhuc ipſo Beato Antiſtite Antonio idem Nicolaus (86) Prędeceſſor in Canonizatione S. Bernardini de Senis per eum facta uſus fuerat, aſſerendo, non minus ad Dei laudem Antonium vivum, quam Bernardinum mortuum inter Sanctos referendum putare. Quibus, & aliis multis, quę per eundem Adrianum Prędeceſſorem recenſeri poterant, jure, ac merito Prędeceſſor ipſe Adrianus ad ipſius B. Antonii venerationem inducebatur. Egitque omnipotenti Deo quantas potuit gratias, quod Prędeceſſorem Adrianum ipſum dignum reddiderat, per quem canonizatio ipſa celebraretur. Cujus celebratio ideo forſan eidem Leoni Prędeceſſori permiſſa non fuerat, ne ad eam, patrię potius affectione, quam juſto devotionis zelo motus videretur, aut non cuncta recte inſpicientibus judicaretur. Cumque pręter magna, & multiplicia ipſius B. Antonii merita, & mirabilia ſigna per divinam potentiam ad ejus interceſſionem mortalibus oſtenſa, quę in libellum, ut pręfertur, a diligenti, & fideli procuratore cauſę ex proceſſu, & teſtium dictis redacta, & impreſſa, adeo multa eſſent, & probatiſſima, & vera, ut per ſe Adrianum Prędeceſſorem hujuſmodi ad Canonizationem eandam faciendam facile peſuadere poſſent, ſciretque ipſe Adrianus Prędeceſſor, nihil nunquam (87) fere ab omnibus Regibus, & Principibus Chriſtianis, etiam a clarę memorię Maximiliano (88) in Imperatorem electo, tunc in humanis agente, majore inſtantia a pręfato Leone, & ab eodem Adriano, Prędeceſſoribus, poſtulatum, ac prope flagitatum fuiſſe, durum, & quodammodo impium ipſe Adrianus Prędeceſſor arbitratus fuerat, eos tam pio ac devoto deſiderio ſuo diutius fruſtrari. Ne igitur ipſe Adrianus Prędeceſſor tum pręfatis Principibus pie ſupplicantibus, ac Spiritui Sancto reſiſtere videretur, qui per os prophetę (89) laudare Deum in ſanctis ſuis jubet, Conſiſtorium publicum habuerat, in quo cum pro ulteriori executione pręfatus Melchior Advocatus omnia de ipſius B. viri, vita, moribus, & miraculis copioſe percenſuiſſet, ipſique Adriano Prędeceſſori pro parte eorundem Regum, Ducum, Principum, ac plurimorum Pręlatorum, Epiſcoporum, Capitulorum, ac Religionum humiliter ſupplicaſſent, ut ad ejuſdem Canonizationem matura deliberatione pręhabita procedere dignaretur; idem Adrianus Prędeceſſor de relatis coram eo imprimis humiliter Deo gratias agens, magna multitudine aſtante, in triduum orationes, jejuniaque indixit (90), ut Deus omnipotens ipſi Adriano Prędeceſſori, quod factu optimum in hac re foret, oſtendere dignaretur, nec pateretur militantem Eccleſiam ſuam errare (91) qui ſe triumphanti conformare conſueverat. Triduo deinde elapſo, omnes, qui in Romana Curia erant, Pręlatos juſſit in ſuo ſecreto Conſiſtorio convenire, qui proceſſibus ſuper ipſius Beati Antonii vita, moribus,

Ipſius mors.

Nota.

Nota.

Ipſius Canonizatio.

fama

fama, & miraculis editis per ipſum Melchiorem Advocatum breviter repetitis, ad unum interrogati, quid ſuper hujuſmodi negotio faciendum cenſerent, in eandem ſententiam convenerunt, Beatum videlicet Antonium Canonizandum eſſe. Ipſe ergo Adrianus Prędeceſſor Dei nutum, & voluntatem ſequens, attendenſque juſtam, ac debitum eſſe, ut quos Deus honorat in cęlis, venerationis officio laudarentur, & glorificarentur in terris, cum ipſe potius laudetur, & glorificetur in illis, qui eſt laudabilis, & glorioſus in ſecula, Diem illum Canoniaationis ipſius Beati Antonii in medio Baſilicę Principis Apoſtolorum de Urbe, quo maxima omnis generis, ordiniſque multitudo confluxerat, celebrandę ſtatuerat, ubi, ſtante populo, & univerſo Clero de vita, & fama, & miraculis ejuſdem Antonii humili devotioneque pleno ſermone per eundem Adrianum Prędeceſſorem, ut moris eſt, habito: Deinde litania & Hymno: Veni creator Spiritus: devote cantatis, ac reliquis omnibus legitime peractis, prędictus Ordinis Prędicatorum in cauſa Procurator in medio ſtans, dictumque illud B. Johannis (92) Apoſtoli clara voce proponens, videlicet, Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cęlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: Nota. probaverat ipſas beatę Trinitatis perſonas teſtimonium perhibere, quod B. Antonius in cęlis eſſet: Patrem videlicet in miraculorum potentia, Filium in doctrinę Sapientia, & Spiritum Sanctum in vitę ipſius bonitate. Et propterea non ſolum nominibus omnium, qui ante dictam Canoniaationem fieri ſupplicaverant, ſed etiam ex parte ipſius Sanctę ac Summę, & individuę Trinitatis, Patris, & filii, & Spiritus Sancti, quatenus ipſe Adrianus Prędeceſſor eundem B. Antonium Sanctum pronunciare dignaretur poſtulaverat. Ea propter Adrianus Prędeceſſor hujuſmodi, conſiderans, quod in eadem Canonizatione non permiſſurus eſſet Deus ipſum errare, qui omnia in ea quomodolibet requiſita obſervata fuiſſe cognoverat, & obſervari fecerat, prout obſervaverat, ſub data videlicet pridie Kalen. Junii, Pontificatus ſui Anno Primo (93), de eorundem Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium omniumque Pręlatorum in Romana curia exiſtentium unanimi conſenſu, & maturo conſilio, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſus, Beatę memorię Antoninum Floren., Sacrę Theologię profeſſorem, ex gremio Sacri Ordinis Prędicatorum, & ex officio Vicariatus Generalis Congregationis Tuſcię regularis obſervantię hujuſmodi, in Archiepiſcopum Floren. aſſumptum, ſanctum eſſe, & aliorum Sanctorum Catalogo aſcribendum, & aggregandum fore, ac fideliter firmiterque teneri debere decrevit, ipſumque Sanctorum Confeſſorum, & doctorum, quos Sancta Dei venerabatur Eccleſia conſortio ſolemniter aſcripſit, aggregavitque, ac eum tanquam Sanctum publice, privatimque colendum eſſe, declaravit, ac voluit, ſtatuitque, & mandavit univerſis venerabilibus Fratribus noſtris, tunc ſuis, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis dictorum, ac Patriarchalium, Metropolitan., & Cathedralium Eccleſiarum Capitulis, & quorumvis Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium profeſſoribus, necnon quibuſcunque Eccleſiaſticis perſonis, ut feſtum ipſius S. Antonii Secunda die menſis Maii (94), qua die nexu carnis ſoluta ejus anima pretioſa celos aſcenderat, ſingulis annis ſolemniter, & devote celebrarent divinum Officium veluti pro uno Confeſſore Pontifice, & Doctore (95), tam publice, quam privatim, prout contingeret perſolvendum. Dilectis vero filiis Fratribus dicti Ordinis Prędicatorum hujuſmodi Officium ſub duplici feſto, & majori (96) cum Octavis eo modo, quo aliorum dicti Ordinis Prędicatorum Sanctorum celebrare feſta tam in die quam in Octavis conſueverant, etiam in vacantiis feriarum hebdomadalium in Provincia juxta conſuetudinem Ordinis pręfati celebrandi conceſſit facultatem. Quibus debite peractis, inchoatoque per eundem Adrianum Prędeceſſorem, & decantato ac ad finem uſque a cantoribus proſecuto Hymno: Te Deum laudamus: in illius etiam fine Cardinali Diacono in cantu dicente: Ora pro nobis Beate Antoni, a Choroque reſponſo, ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti: Ipſe Adrianus Prędeceſſor illico propriam Orationem de eodem Sancto alta voce decantavit, quę talis eſt, videlicet: Gregem (97) tuum quęſumus Paſtor ęterne cuſtodi, & quos beati Pręſulis Antonii, a te Virginitatis, & pietatis ſpeciali prętogativa dotati, doctrina ſalutis illuſtras, ejuſdem etiam ſemper tuere prędiis. Per Dominum noſtrum Jeſu Chriſtum &c. Deinde vero a dicto Choro reſponſo. Amen. Solemnem illic Miſſam idem Adrianus Prędeceſſor celebravit de dicta tunc currente Dominica Trinitatis, collectas ſingulas ſub una concluſione terminans, additis etiam prędicta, ceteriſque ſpecialibus ejuſdem Sancti Antonii collectis immediate ſequentibus. Pro ſecreta videlicet: Munera, quę in ſalutiferę paſſionis filii tui memoriam ſacrificantes offerimus, quęſumus, ut B. Antonio Confeſſore tuo atque Pontifice Nota. aſſiſtente, nobis ad ſalutem provenire concedas. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c. Deinde vero poſt communionem ſubjunxit dicens: Quęſumus Domine Deus noſter, ut cęleſti, & admirabili Sacramento ſalutis noſtrę refecti B. Antiſtitis Antonii confeſſoris tui auxiliis ſemper adjuti, & abſtrahamur a noxiis, & ad ſalutaria dirigamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum qui tecum &c. cum ſimili concluſione, & ita Miſſam ipſam ad finem uſque cum ſolitis cęremoniis, juxta ordinarium Apoſtolicum illic debite terminavit. Indulgentiamque Plenariam omnibus officio hujuſmodi tunc aſſiſtentibus devote conceſſit. Quam etiam Plenariam Indulgentiam ſimiliter omnibus, & ſingulis fidelibus in die, qua contingeret (98) Translationem fieri Sacri corporis ejuſdem Beatiſſimi Antonii, de loco, ubi humiliter tunc jacebat in terra, in Eccleſia S. Marci Floren. Ordinis Prędicatorum, ad eminentiorem, & honorabiliorem locum, per Fratres dictę Eccleſię in eadem S. Marci Eccleſia, ad honorem & laudem Dei, & ipſius Sancti, convenientibus, & manus adjutrices porrigentibus, tam pro ſe ipſis viventibus, quam pro defunctis, & abſentibus, ſeu infirmis, aut corporaliter accedere impeditis, mittentibus pro ea conſequenda ad dictam Eccleſiam eleemoſynam a primis veſperis Translationis ipſius, & deinde per totam Octavam ejuſdem pro una vice tantummodo duraturam, volens, ut ad effectum prędictę Indulgentię conſequende, tam Prior domus ipſius Eccleſię Sancti Marci, quam alii duodecim Fratres per eundem ibidem Confeſſores deputandi, poſſent abſolvere omnes confitentes ab omnibus caſibus, & cenſuris a quibus de jure Epiſcopi, & Dięceſani poterant, & vota ſimiliter commutare. Ac etiam in loco Sepulturę (99) ejuſdem S. Antonii, in depoſitionis ſuę die, videlicet ſecunda Maii hujuſmodi perpetuo duraturam Quadraginta annorum, & totidem quadragenarum Indulgentiam (100) annuatim condonavit, Ne autem de

Ca-

Canonizatione, decreto, aſcriptione, aggregatione, declaratione, voluntate, ſtatuto, mandato, conceſſionibus, & condonatione prędictis, pro eo quod ſuper illis ipſius Adriani Prędeceſſoris literę, cjus ſupervenientc obitu, confectę non fuerunt, valeat quomodolibet hęſitari, volumus, & pręfata Apoſtolica auctoritate decernimus, quod Canonizatio, quam tam communitatis dictę Civitatis Floren., quam noſtris, qui eidem Eccleſię Florentinę pręeramus impenſis, ſummo deſiderio, ac diligentia fieri procuravimus, ac decretum, aſcriptio, aggregatio, declaratio, voluntas, ſtatutum, mandatum, conceſſiones, & condonatio prędictę, perinde a dicta die pridie Kal. Junii ſuum debitum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Adriani Prędeceſſoris literę ſub ejuſdem diei data confectę fuiſſent, prout ſuperius enarratur. Quodque pręſentes literę ad probandum plene Canonizationem, decretum, aſcriptionem, aggregationem, declarationem, voluntatem, ſtatutum, mandatum, conceſſiones, & condonationem Adriani Prędeceſſoris hujuſmodi, ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nota. Nos enim omnes, & ſingulos in dignitate conſtitutos, in virtute Sanctę obedientię requirimus, & monemus, quatenus univerſis clericis, & populis ſuarum civitatum, & Diœceſum, & Parochialium pręſentes noſtras literas ſolemniter publicantes, eoſdem hortentur, ut Deus ipſe, a quo bona cuncta procedunt, ipſius Sancti Doctoris, & Confeſſoris Antonii meritis, & precibus exoratus militantem Eccleſiam, Apoſtolicam fidem, & cunctos Chriſti fideles a paganorum, & aliorum infidelium, & hęreticorum tueatur incurſibus, & a periculis ſemper protegat, atque defendat, ac illam, quam nobis mundus dare non poteſt pacem, hoſtium omnium ſublata formidine, firma cum tranquillitate concedat. Utque poſt hujus vitę militiam, depoſitumque paſtoralis officii miniſterium una cum grege Nobis credito, ad ſempiterna tandem gaudia pervenire mereamur. Demum quia difficile foret pręſentes originales literas ad uniuſcujuſque notitiam deferri, volumus, ac decernimus, quod earum tranſumptis manu publici Notarii inde rogati ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę eccleſiaſticę in dignitate conſtitutę munitis, ea prorſus ubilibet fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitę vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę voluntatis, conſtitutionis, requiſitionis, & monitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Tertio, Sexto Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *S. Antoninum.*) Sic vulgo vocant *S. Antoninum* Archiepiſcopum *Florentinum*, uti dictum fuit in *Appendice ad Pontificatum Eugenii IV Tomo III pag.* 211, ubi laudantur nonnulli Scriptores, qui S. Præſulis *Antonini* vitam conſcripſere. Antiquiores excepit *Papebrochius* in *Actis Sanctorum Maii ad diem ſecundam à pag.* 310 *ad* 359. De ceteris meminit *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCCCLIX pag.* 817 *&c.* Adeas Auctores, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis loquuntur, & Hagiologos. Conſulendus quoque *Plodius* noſter de *Progenie S. Dominici*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum. Legitur apud *Uſuſmarem pag.* 190. In *Bullario Romano* eſt I. Eandem Conſtitutionem partim tranſcripſit *Daniel Papebrochius* in *Actis Sanctorum Maii ad diem II pag.* 352 *&c.*

3. *Docente.*) *Pſalmo LXXXVIII.* 1.

4. *Decere.*) *Uſuſmaris*, & *Cherubinus* in *Bullario Romano* locis mox laudatis mendoſe legunt: *Docere*.

5. *Particeps.*) Iidem ſcribunt: *Participes*.

6. *Ipſumque juſta ſuaderent.*) Sic ex figura, quam *Zeugma* vocant, cum accuſativo perſonæ reperitur nonnunquam verbum: *Suadeo*.

7. *Diceret.*) *Iſaias XII.* 6.

8. *Plurimorum.*) Optime ſic, ut apud *Ambroſium*, cujus eſt hæc ſententia. *Uſuſmaris*, & *Cherubinus* legunt: *plurimarum*.

9. *Antonius.*) *Uſuſmaris*, *Cherubinus*, *Papebrochius*, ceterique paſſim ſcribunt: *Antoninus*. *Hieronymus* autem *Raphaelis de Baldeſis* Judex, & Notarius, qui anno *MDLIV* Florentiæ ſcribebat exemplar hic tranſcriptum, initio quidem, & pluries poſtea, legit *Antonius*, quandoque tamen uſu victus ſcripſit *Antoninus*, & in hoc male, Sanctus enim, cujus hic mentio, luſtrali nomine dictus eſt *Antonius*. Sic etiam nominatur a *Franciſco Caſtillioneo*, *Leonardo Ser-Huberti*, *Vincentio Mainardo*, ac ceteris antiquis Scriptoribus.

10. *Cumque.*) *Papebrochius* legit: *Cum*.

11. *Oriundi.*) Hac de re conſulendus *Seraphinus* noſter *Maria Loddi* in opere, cui titulus: *Memorie della Genealogia &c. di Sant' Antonino &c. Florentiæ MDCCXXXI*, ubi hoc anno *MDCCXXXII* vulgavit idem Scriptor aliud opus inſcriptum: *Genealogia di S. Antonino &c.* Variis antiquis inſtrumentis evincit auctor *S. Antoninum* oriundum ex perilluſtri, ac nobili gente *de Forcillonibus*, non autem ex plebeia *Feillorum* familia, ut nonnullis excidit. Natus eſt enim, Patre viro clariſſimo *Nicolao Pierozzi*, Matre nobili muliere *Thomaſia Cenni*.

12. *Tituli S. Laurentii in Damaſo.*) Hic & alius *S. Sixti* tituli ſunt Presbyterorum Cardinalium: qua de cauſa numero plurali dicitur: *Presbyteri Cardinales*.

13. *Tunc S. Maria in Dominica.*) Tribus Titulis donatus fuit *Clemens VII*, tunc *Julius Medices*, primo *S. Mariæ in Dominica*, deinde *S. Clementis*, poſtea *S. Laurentii in Damaſo*.

14. *Præeſſe.*) Eccleſiæ *Florentinæ* præfuit *Julius Medices* ab anno *MDXIII* ad *MDXXIII*, quo Summus Pontifex renunciatus eſt.

15. *Thomas.*) *Cajetanus*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Leonis X*.

16. *Tunc.*) Ordini Fratrum Prædicatorum præfuit *Cajetanus* ab anno *MDVIII* ad *MDXVIII*.

17. *Fratri patrueli.*) *Leo* ſiquidem X Patrem habuit *Laurentium*, cujus frater erat *Julianus* Pater *Clementis VII*.

18. *Tunc.*) Id Anno *MDXVI*, quo *Florentia* tranſiit, *Bononiam* petens, contigiſſe, auctor eſt *Papebrochius*, in hoc emendandus, uti *Nota XXIII* dicetur. Die *XXX* Novembris *Florentiæ* fuit exceptus a *Petro Rodulpho Juſtitiæ Vexillifero*, *Baptiſta Donio*, *Laurentio Manuccio*, *Gannozio Salviato*, *Bonaroto Simonio*, *Coſmo Saſletto*, *Petro Tornabonio*, *Bartholomæo Panciatico*, ac *Bernardo Carneſecchio*, *Reipublicæ Florentinæ tunc temporis Prioribus*. Ughellus in additionibus ad Ciaconium in Leone X.

19. *Jacobo Symoneta.*) Sic etiam apud *Papebrochium pag.* 352, ubi tranſcribit hocce Diploma. *Pagina* vero 337 *col.* 1 apud eundem dicitur *Simonettus*.

20. *Guillelmo Caſſadoro.*) Ex eodem ibidem: *Caſſador*.

21. *Informarent.*) Adeas *Papebrochium pag.* 335 *&c.*

22. *Sexaginta duos teſtes.*) Quorum nomina referuntur in *Summario Proceſſuum &c.* de quo mox dicetur.

23. *Redire.*) Anno *MDXVI* ſtylo veteri, novo *MDXVII*, die *XVIII* Februarii *Leo* diſceſſit *Florentia Romam* rediturus. Et eodem menſe contigit, quod Diploma narrat. En Ughelli mox laudati verba: *Sexta die Februarii, qua cinerum erat*, anno ſcilicet MDXVII, ſtylo novo, *Leo*, redux Bononia Romam petens, *in Metropolitana Eccleſia, cum tota Curia ſolemnis Miſſæ celebrationi præfuit ...... ſacris peractis Florentinæ Reipublicæ Magiſtratus, qui celebritati adfuerant, ad Sanctiſſimi Pontificis pedes provoluti ſupplicarunt, ut B. Antoninum Archiepiſcopum Florentinum in Sanctorum numerum aſcriberet. Annuit illico pius Pater, ac ejus rei curam* Jacobo *Simoneta Rotæ Auditori commiſit. Demum decima octava ejuſdem Menſis e patria Romam petiturus diſceſſit, quo tempore Reipublicæ præerat Bernardus Morellus Vexillifer juſtitiæ, una cum Prioribus Baptiſta Cicciaporcio, Franciſco Ser-Franciſcho, Franciſco Gerardo,* Jacobo *Spino,* Johanne *Vivario, Paulo Bencio, ac* Juliano *Gagliano*.

24. *Abbatem.*) Generalem.

25. *Sacramorum.*) Sic etiam apud *Papebrochium pag.* 352 ex Bulla, *pag.* vero 337 *col.* 1 ex *Summario proceſſuum* legitur *Sacromorum*.

26. *Leo-*

Digitized by Google

26. *Leonardum de Guaſconibus.*) Diſtinguendus iſte a *Ludovico* Vicario Epiſcopi *Feſulani*, qui *Florentia Romam* miſit *Additiones de quibuſdam novis examinibus* eadem de ee factis, uti notat *Papebrochius*. Vide Notam *XLII*.

27. *Quadraginta octo.*) De teſtibus iſtis legendum *Summarium Proceſſuum &c.*

28 *Procuratoris fidelis.*) Seu Fidei, ut nonnunquam vocatur hoc in Diplomate.

29. *Bernardino.*) Cognomento *Caravagial*, ſeu *Carvajal*, vel *Caravaial*, natione *Hiſpano*. Ciaconius Vit. Pontif., & Cardinal. *Tomo III in Alexandro VI pag.* 170.

30. *Oſtien.*) Epiſcopus *Oſtienſis* renunciatus erat anno *MDXXI*. Obiit hoc anno *MDXXIII* Menſe Decembri. Adeas *Ughellum* in *Epiſcop. Oſtien. Tomo I Italia Sacra pag.* 78.

31. *Tunc Sabinen.*) Ad hanc Sedem promotus fuerat *Bernardinus*, non vero *Bernardus*, ut excidit librario *Ughelli*, anno *MDIX*. *Ughellus* in *Epiſcop. Sabinen. Tomo I Italia Sacra pag.* 183.

32. *In humanis agentibus.*) *Leonardus* enim obierat anno *MDXX* die *XXVII* Septembris, ut ex *MSS. Vaticanis* docet *Ciaconius* mox laudandus, *Bernardus* vero eodem anno Menſe Novembri mortem ſubierat. *Ciaconius*.

33. *Leonardo.*) Is erat *Groſſus de Ruvere*, patria *Savonenſis*. *Ciaconius Tomo III Vit. Pontif., & Cardinal.* in *Julio II pag.* 255.

34. *Bernardo.*) *Tarlato*, cognomento *Divitio*, cujus meminit *Ciaconius* in *Leone X ad an. MDXIII pag.* 329.

35. *Legatum.*) De hac Legatione conſulendus idem *Ciaconius pag.* 340.

36. *Innocentium.*) *Cybum*, *Genuenſem*. Ciaconius in *Leone X pag.* 342.

37. *Baldaſtino.*) Alii legunt: *Baldaſſino*.

38. *Commiſerat.*) Hunc tertium examen.

39. *Archiepiſcopi.*) *Johannis Piccolominei*. Ughellus in *Archiepiſcop. Senen. Tomo III Italia Sacra pag.* 579.

40. *Piſtorien.*) *Antonii* ſcilicet *Puccii*, de quo Ughellus in *Epiſcop. Piſtorien. Tomo III Italia Sacra pa.* 308.

41. *Feſulan.*) *Guilielmi Folchi*. Ughellus in *Epiſcopis Feſulan. Tomo III Italia Sacra pag.* 263.

42. *Ludovicus de Adimaris.*) Hinc firmatur *Nota XXVI*.

43. *Centum quinquaginta & uno.*) De teſtibus iſtis ſic habet *Summarium* ſæpius laudatum: *Fere omnes ſunt teſtes qualificati, & nobiles, ita ut ſint omni exceptione majores. Sunt enim ibi etiam Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Canonici, Prælati diverſi, Theologi, Religioſi fere omnium Religionum, & Ordinum, ac laicorum nobiles Equites, Doctores, Medici, & omnis generis antiquorum.*

44. *Achilli.*) *Graſſo*, ſeu *de Graſſis*. Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III in Julio II pag. 296.

45. *Vigilia Pentecoſtes.*) Die ſcilicet *XVIII* Maii. Hoc enim anno *MDXXI* fuit Paſcha die *XXXI* Martii.

46. *Febre correptus.*) Hoc eodem anno *MDXXI* Menſe Decembri diem ſupremum obiit *Leo*.

47. *Aſſumptus.*) Die *IX* Januarii *MDXXII*.

48. *Perveniſſet.*) Abſens enim, dum eſſet in *Hiſpaniis*, Summus Pontifex renunciatus eſt *Adrianus VI*.

49. *Ut.*) Seu: *Ac*.

50. *Nicolao.*) De quo ſæpius dictum fuit. Adeas *Ciaconium* in *Alexandro VI*.

51. *Peſte.*) Nota quod *Adrianus* quantumvis crebris, atque etiam domeſticis funeribus viſis adduci non potuit, ut ad loca ſalubriora ſecederet. *Oldoinus* in *Additionibus ad Ciaconium in Adriano VI*.

52. *Miraculis.*) Nota quod *præ multitudine* miſſa fiunt. Quædam refert *Papebrochius*.

53. *Libello.*) Seu *Summario Proceſſuum*. Legitur apud *Papebrochium pag.* 325 *&c.*

54. *Impreſſo.*) Ergo, vivente *Clemente VII*, ſemel & iterum publici juris factus eſt liber iſte. Anno ſiquidem *MDXIX* duntaxat typis editus eſt ille, quem vidit *Papebrochius*, ut ipſe fatetur *pag.* 324 *col.* 1.

55. *Excerpta.*) Optime ſic, nec audiendi, qui ſcribunt: *Excepta*.

56. *Nicolao.*) *Pierozzi*, de quo in *Nota XI*.

57. *Thomaſia.*) *Cenni*, *Nucci*, de qua ibidem dictum fuit. Anno *MCCCLXXXIX* (ſtylo veteri, novo *MCCCXC*) Kalendis Martii lucis uſuram accepit *S. Antoninus*. Hinc ſequens inſcriptio, quæ legitur apud *Seraphinum* noſtrum *Mariam Loddi pag.* 44.

DOMVM HANC ESSE DECORATAM
KALENDIS MARTII AN. D. MCCCLXXXIX (ſtylo veteri, novo MCCCXC)
ORTV SANCTI ANTONINI
EX NICOLAO PIEROZZI
ET THOMASIA CENNI NVCCI
FLORENTINIS CIVIBVS
NOBILISSIMI ORD. PRÆD. GERMINIS
FLORENTIÆ V ARCHIEPISCOPI
ROMANÆ ECCLESIÆ DOCTORIS EXIMII
DOMVM BEATÆ ÆTERNITATIS INGRESSI
VI NON. MAII MCCCCLIX
SANCTORVM ALBO
AB HADRIANO VI PONT. MAX. ADSCRIPTI
MDXXIII.
INNOTVIT ANNO MDCCXXXI
AD PERENNEM POSTERORVM MEMORIAM
ÆDILES ECCLESIÆ FLORENTINÆ
POSVERE.

58. *In Oratorio horti S. Michaelis.*) *In Eccleſia* ſcilicet *S. Michaelis in horto* (*ſic enim appellatur*). Verba ſunt *Franciſci Caſtilionenſis* in ejuſdem Sancti vita.

59. *De Feſulis.*) Vulgo *Fieſoli*, apud *Florentiam*, in proximo colle.

60. *Priore.*) *Johanne Dominici*, viro celeberrimo, S. R. E. poſtea Cardinale, uti videre eſt in *Appendice ad Pontificatum Gregorii X*.

61. *Sapiente.*) *VII. 7.*

62. *Quadraginta quatuor annos.*) Ut annorum S. Præſulis *Antonini* ſeries illuſtretur ex hac Pontificia Conſtitutione, & Scriptores hac de re, vel errantes, vel diffidentes emendentur, notandum, quod ex ipſo Diplomate *Cum ... tertium decimum attigiſſet annum ...... S. Antoninus habitum per Fratres ... Ordinis geſtari ſolitum, ſibi exhiberi .... petierat. .... unius anni ſpatio Decretum integrum memoriæ mandaverat .... quo* (anno) *peracto .... Prior ... eidem* habitum .... *exhibuerat .... in Ordine quadraginta quatuor, in Archiepiſcopatu vero tredecim annos conſumpſerat .... cum annum ſeptuageſimum* agens .... *Sexto Nonas Maii Anni MCCCCLIX* Cælos petiit. Hinc autem liquet, ut attentum lectorem non fugiet, quod *S. Antoninus* natus eſt anno

Digitized by Google

anno *MCCCXC*, ſeu, ut inter Auctores convenit, Kalendis Martii anno (ſtylo veteri) MCCCLXXXIX: Ordini Fratrum Prædicatorum fuit aſcriptus anno *MCCCCIII*, ætatis ſuæ *XIV*. Archiepiſcopus renunciatus eſt anno ætatis ſuæ *LVI*, æræ communis *MCCCCXLVI*, ſtylo novo, veteri *MCCCCXLV* die *X* Januarii (idem etiam conſtat ex Diplomatibus laudatis in *Appendice ad Pontificatum Eugenii IV Tomo III pag.* 211.)

63. *Domorum.*) *Cognita igitur hominis virtute*, inquit *Franciſcus Caſtilionenſis* Vitæ S. Antonini Capite I, *ſtatim a patribus Ordinis ad gubernationem aliorum Fratrum aſſumptus eſt, multiſque in locis Italiæ Prior effectus, Romæ, Neapoli, Cajetæ, Cortonæ, Senis, Florentiæ, Feſulis, poſtremo etiam generalis hujus Tuſciæ Provinciæ* (ſeu Congregationis, ut loquuntur) *Vicarius, ac Neapolitanæ factus eſt.* Addenda *Piſtorienſis* domus, cui etiam præfuit.

64. *Verbum.*) *Matth. XXIII.* 11.

65. *Librorum.*) De quibus conſulendus *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCLIX pag.* 818 *&c.*

66. *Maxime in moralibus.*) Edidit enim *Summam Theologiæ Moralis partibus IV diſtinctam.*

67. *Providerat.*) Anno *MCCCCXLVI*, ſtylo novo, veteri *MCCCCXLV*, die *X* Januarii, ut in *Appendice* mox laudata videre eſt.

68. *Sardiniam.*) Inſulam maris Mediterranei.

69. *Coſmum.*) Cognomento *Patrem Patriæ*. Conſulendi *Scipio Amiratus, Sanſovinus*, & *Paulus Jovius*.

70. *Coſmi.*) Nonnulli ſcribunt: *Coſmæ*.

71. *Pientiſſimo.*) Hæc vox barbara fertur, antiquis tamen Romanis familiaris fuit, ut ſexcentis inſcriptionibus probari poteſt. Quaſdam refert *Gruterus*, permultas vidi *Romæ*. Hæc una ſufficiat, quæ viſitur in aditu Villæ Principis *Zagaroli*. Sic vulgo vocant oppidum *Latii*.

SILIAE. EARINE
VIX. ANN. XXIX
DIEB. VI
MATER
PIENTISSIMA.

72. *Nicolao Quinto.*) Electo anno *MCCCCXLVII* die *VI* Martii.

73. *Calixto Tertio.*) Qui Summus Pontifex renunciatus fuit anno *MCCCCLV* die *VIII* Aprilis. Utrum ſcribendum ſit *Caliſtus*, ut ex ejuſdem Pontificis autographo dictum fuit *Tomo III pag.* 364 *Nota III in Conſtitutionem XXVI*, vel *Calixtus*, ut in hoc antiquo exemplari, aut *Callixtus*, uti nonnullis placet, lis eſt inter Auctores. Anno *MDCCXXXI* die *X* Octobris apud Villam *S. Paſtoris in Latio* reperta fuit ſepulcralis arca lateritia, in qua cadavera duo. Inſcriptiones ibi variæ. In una ſic legebam:

CALLISTUS
COCCEI NERVAE.

74. *Pio Secundo.*) Sedit a *XIX* Menſis Auguſti *MCCCCLVIII* ad *XV* Auguſti *MCCCCLXIV*.

75. *Dicentis.*) 1. *Corinth. XIII.* 2.

76. *Tredecim.*) Ab anno ſcilicet *MCCCCXLVI* ad *MCCCCLIX*.

77. *Orantibus.*) Audiendus hic *Franciſcus Caſtilionenſis* Cap. XII. *Cumque in die Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, ante crepuſculum, extremum unctionem, ſimulque plenariam Indulgentiam, aſtantibus Fratribus ſuis, qui ſanctum virum in ea ægritudine aſſidue, ac frequentes magna cum caritate obſervarunt, ſuſcepiſſet, cumque illi circumfuſi lecto matutinum officium decantarent, perveniſſentque ad laudes, tum vir ſanctus, in ipſa jam mortis anxietate poſitus, magno conatu in fervore ſpiritus initium aliis faciens dixit: Deus in adjutorium meum intende: Quod immenſæ pietatis ſignum magna fuit gemituum omnibus aſtantibus, ac lacrymarum redintegratio. Cum vero quaſi ad ipſum vitæ terminum deveniſſet &c.*

78. *Sexto Nonas Maii.*) *In vigilia Aſcenſionis*, uti notat *Caſtilionenſis*, & in hoc bene, hoc enim anno *MCCCCLIX* fuit Paſcha die *XXV* Martii.

79. *Apoſtolo.*) *II. Timoth. IV.* 7.

80. *Poſtridie.*) Quando ſcilicet *Florentia* tranſiit *Pius Mantuam* petens.

81. *Cognitam haberet.*) Conſulendus idem *Pius Commentariorum Lib. II*, ubi *S. Antoninum* ſummis laudibus ornat.

82. *Taccio.*) *Vir erat multæ devotionis, ac ſanctitatis, dicti Ordinis* (Ciſtercienſis) *Frater converſus, qui primus ad orationem ſemper, & ad vigilias fervens ſurgere, & in eis inſiſtere ſolitus erat.* Ex Summario Proceſſuum.

83. *Conſtantio de Fabriano.*) *Vir fuit magnæ ſanctitatis*, ut notat *Caſtilionenſis Cap. XII* Vitæ S. Antonini, ubi factum refert.

84. *Aeſculana.*) *Aſculana*, ut apud Auctorem mox laudatum, vulgo *Aſcoli*.

85. *Confirmabat.*) Cæteri legunt: *Confirmabant*.

86. *Nicolaus.*) Hujus nominis *V*. Anno *MCCCCL* Nono Kalendas Julii, die Pentecoſtes, *S. Bernardinum* Cælitibus annumeravit *Nicolaus V*. Bullam tranſcripſit *Waddingus Annal. Minor. Tomo V pag.* 575.

87. *Nihil nunquam.*) *Nihil unquam*, ut apud *Papebrochium pag.* 353.

88. *Maximiliano.*) Hujus nominis *I*.

89. *Propheta.*) *Pſalmo CL.* 1.

90. *Indixit.*) Idem nunc etiam obſervatum.

91. *Errare.*) Licet enim in hujuſmodi factis expers erroris omnino ſit Chriſti Vicarius, orat tamen, ſicut & ipſa Concilia Generalia preces fundunt, ne errent.

92. *Johannis.*) *I. Johan. V.* 8.

93. *Anno Primo.*) Chriſti *MDXXIII*.

94. *Secunda die Menſis Maii.*) Ex Decreto Summi Pontificis *Innocentii XI* dato die *XVII* Auguſti *MDCLXXXIII* feſtum *S. Antonini* tranſlatum fuit ad diem *X* Maii. Notandum tamen quod die ſecunda Maii feſtum *S. Antonini* nunc etiam celebratur *Florentiæ*. Mirum quod id fugeret *Papebrochium* ſic ſcribentem *pag.* 355 *col.* 1. *Nullum .... invenio iſtius temporis, ac ne poſterioris quidem ullius, Kalendarium, Breviarium, vel Miſſale, cui inſertum ſit S. Antonini nomen. Cur autem omiſſum fuerit, cauſam non poſſum divinando aſſequi.* Nec ego video, cur vir clariſſimus nullo numero habeat *Kalendaria, Breviaria, Miſſalia*, tum *Florentiæ* Metropolis, tum totius Ordinis Fratrum Prædicatorum.

95. *Et Doctore.*) *Ipſum* ſiquidem S. Antoninum *Sanctorum Confeſſorum, & DOCTORUM, quos Sancta Dei*, veneratur *Eccleſia Conſortio ſolemniter aſcripſit* Adrianus VI, ut ipſo Diplomate conſtat.

96. *Sub duplici feſto & majori.*) Seu *Toto Duplici*, ut vocant.

97. *Gregem.*) Aliam nos adhibemus quam Sacra *Rituum* Congregatio ratam habuit die *XI* Martii *MDCLXXXIV*.

98. *Contingeret.*) De tranſlatione corporis *S. Antonini* conſulendus *Papebrochius pag.* 355 *&c.*

99. *Loco ſepulturæ.*) Hac de re legendus liber nuper editus, cui titulus eſt: *Deſcrizione della Cappella di S. Antonino &c.* Hoc opus, *Florentiæ* vulgatum an. *MDCCXXVIII*, Summo Pontifici *Benedicto XIII* dicavit Eminentiſſimus *Alamannus Salviati*, nunc S. R. E. Cardinalis. Sacellum ſiquidem, in quo jacent Sacræ Reliquiæ *S. Antonini*, opus ſane magnificum, inſigni liberalitate nobiliſſimæ gentis *de Salviatis* fuit extructum. Huc refer ſequentes inſcriptiones.

S. ANTONINI. ARCHIEP. FLOR. QVEM ADRIANVS. VI. PONT. MAX. IN SS. NVMERVM RETVLIT DEMORTVI CORPVS EX PRIORE SEPVLCHRO IN QVO CXXX ANNIS ANTE CONDITVM FVERAT HOC IN SACELLVM QVOD AVERARDVS ET ANTONIVS PHILIPPI FF. AVERARDI. NN. SALVIATI MAGNIS SVMPTIBVS EXAEDIFICARVNT VT AVGVSTIOREM LOCVM TANTO DIVO EXORNARENT QVEM IPSI PIE SANCTEQVE IN PRIMIS COLERENT ALEXANDER MEDICES ARCHIEP. FLOR. ET S. R. E. PRESB. CARD. IVSSV AC DECRETO XYSTI. V. PONT. MAX. ET. SALVIATORVM FF. ROGATV ET PIETATE PRIVATIM SVA IMPVLSVS SVMMA CVRA ET DILIGENTIA CVM MVLTIS PENITVS RECOGNITVM AC PER VRBEM INSIGNI AC PIA POMPA CIRCVMLATVM. VII. ID. MAII CIↃ. IↃ. LXXXIX INCORRVPTVM INTEGRVMQVE VT A SE REPERTVM FVERAT INFERENDVM AC SVB IPSA ARA CONDENDVM CVRAVIT.

Extat in ædibus ſacris *Florentini* Cœnobii *S. Marci* ubi ſequens etiam reperitur.

QVISQVIS INGREDERIS SVPPLEX IN FACIEM PROCVMBE
VENERARE LIMEN FIGE OSCVLA PARIETIBVS
SANCTVM ANTONINVM
FLORENTIÆ DECVS ET PRÆSIDIVM
HVMI FVSVS ADORA
FILIVS PATRIAM DILIGIT PASTOR GREGEM DEFENDIT
IN EA A. S. MCCCLXXXVIIII INGENVO SANGVINE
PATRE NICOLAO PIEROZZI F. HONESTO CIVE ORTVS EST
EAM TREDECIM ANNOS REXIT ANTISTES
SEPTVAGENARIVS COELO RECEPTVS
AB ADRIANO VI. P. M. SANCTORVM ALBO ADSCRIPTVS
AB AVERARDO ET ANTONIO DE SALVIATIS PHILIPPI FF.
HVC INSIGNI MAGNIFICENTIA TRANSLATVS
ET IN TVTELARE NVMEN FAMILIÆ ADSCRIPTVS
MDLXXXIX.
EN SACERDOS MAGNVS ANTONINVS
HOSPES
ALTISSIMO QVI DEDIT ILLVM OFFER HOSTIAM LAVDIS
SIDERI BENEFICO IN PRÆDICATORVM FAMILIÆ COELO
RVTILANTI
ADOLE SABÆA THVRA
LILIIS LAPIDEM SPARGE
PLENIS MANIBVS DA ROSAS ILLIBATO CORPORI
SALVE CHARA DOMINICI SOBOLES
MAGNVM FLORENTINÆ GLORIÆ INCREMENTVM
SALVE PASTOR BONE
GEMINA PVDORIS AC SAPIENTIÆ GAVDENS ADOREA
HANC VRBEM QVAM OLIM ORNASTI MORIBVS
NVNC PATROCINIO TVERE
NIL DESPERANDVM AVSPICE ANTONINO.

100. *Indulgentiam.*) Nunc plenariam.

De Beneficiis uniendis Valliſoletano (1) Cœnobio.

Anno 1523 Die 26 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

II.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

RAtioni congruit, & convenit honeſtati &c.(3). Dudum ſiquidem cum dilectus filius Johannes Simonis de Capillas, Clericus Legionen. Diœceſis, liti, & cauſę, quę, ut aſſerebat, inter eum, ac dilectos filios Priorem, & Fratres Domus S. Pauli oppidi Valliſoleti Ordinis Fratrum Prędicatorum, Palentin. Diœceſis(4), ſuper uno, ſeu una de Buſtillo de Chanes, & alio, ſive alia Areabiceſa, ac alio, ſive alia dell' Andal; & reliquo, ſive reliqua de Corvillos locorum, Legionen. Diœceſis, prędtimoniis, ſive preſtimonialibus portionibus, aut ſimplicibus Beneficiis, que, ſeu quas, Prior, & Fratres Sacriſtię dictę Domus perpetuo unita fuiſſe. Johannes vero, prędati, ad ſe de jure ſpectare aſſerebant, coram certo Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditore, aut illius Locumtenente pendebat indeciſa, ac omni juri, ſibi in eiſdem prędtimoniis, ſeu prędtimonialibus portionibus, aut Beneficiis, vel ad illa quomodolibet competenti in manibus felicis recordationis Leonis PP. X. Prędeceſſoris noſtri, ſponte, & libere ceſſiſſet, ac pro parte dictorum Prioris, & Fratrum, aſſerentium Prędtimoniorum, ſeu prędtimonialium portionum, aut beneficiorum, inſimul fructus, redditus, & proventus, ſeptuaginta ducatorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum, non excedere, eidem Prędeceſſori, humiliter ſupplicatum fuiſſet, ut prędtimonia, ſeu prędtimoniales portiones, aut beneficia hujuſmodi eidem Sacriſtię perpetuo de novo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in prędmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaretur, dictus Prędeceſſor, qui dudum antea, inter alia voluerat, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica, aliis uniri, tenerentur, exprimere verum annuum valorem, ſecundum extimationem prędictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret, ad partes, vocatis quorum intereſſet, ceſſionem hujuſmodi admittens, & quemlibet ex Priore, & Fratribus prędictis a quibuſvis excommunicationis &c. fore cenſens, necnon verum, & ultimum prędtimoniorum, ſeu prędtimonialium portionum, aut beneficiorum prędictorum vacationis modum, etiamſi ex eo quęvis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa, reſultaret, & ſtatum litis, & cauſę hujuſmodi, ac fructuum, reddituum, & proventuum dictę Sacriſtię, verum annuum valorem pro expreſſis habens, cauſamque ad ſe advocans, & litem hujuſmodi penitus extinguens, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ſub data videlicet Quinto Kal. Septembris, Anno Septimo (5), prędtimonia, ſeu prędtimoniales portiones, aut beneficia hujuſmodi, quovis modo, & ex cujuſcunque per-

Digitized by Google

perſona vacarent, etiamſi tanto tempore vacaviſſent, quod eorum, vel earum collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii, ad Sedem Apoſtolicam, legitime devoluta, ac pręſtimonia, ſeu pręſtimoniales portiones, aut beneficia hujuſmodi diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervata, aut reſervatę exiſtant, & ſuper eis inter aliquos lis, cujus ſtatum, dictus Prędeceſſor haberi voluit pro expreſſo, penderet indeciſa, dummodo tempore dictę datę non eſſet in eis alicui ſpecialiter jus quęſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem Sacriſtię auctoritate Apoſtolica, perpetuo univit, annexuit, & incorporavit; ita quod liceret eiſdem Priori, & Fratribus, per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem pręſtimoniorum, ſeu pręſtimonialium portionum aut beneficiorum prędictorum, ac jurium, & pertinentiarum, poſſeſſionem propria auctoritate, libere apprehendere, & perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, & proventus in Sacriſtię, & pręſtimoniorum, ac pręſtimonialium portionum, aut beneficiorum prędictorum uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius, licentia ſuper hoc minime requiſita; Non obſtantibus voluntate priore ſua prędicta, ac pię memorię Bonifatii PP. VIII, etiam Prędeceſſoris noſtri, aliiſque conſtitutionibus &c. quibuſcunque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis, de pręſtimoniis &c. literas impetrarint &c. quas quidem literas &c. dictus Leo Prędeceſſor, ad pręſtimonia &c. hujuſmodi &c. voluit non extendi &c. & quibuslibet aliis privilegiis &c. Proviſo quod pręſtimonia &c. debitis non fraudarentur obſequiis &c. Et inſuper idem Leo Prędeceſſor, ex tunc irritum decrevit, & inane &c. attentari. Ne autem de abſolutione, poſterioribus, unione, annexione, incorporatione, ac decreto prędictis, pro eo quod ſuper illis, literę ipſius Leonis Prędeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, confectę non fuerunt, valeat quomodolibet hęſitari, dictique Prior, & Fratres, illarum fruſtrentur effectu, volumus, & Apoſtolica auctoritate, etiam decernimus, quod abſolutio, poſterioreſque unio, annexio, incorporatio, ac decretum Leonis Prędeceſſoris hujuſmodi, perinde a tempore dictę datę ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis, literę ipſius Leonis Prędeceſſoris ſub eadem data, confectę fuiſſent, prout ſuperius enarratur; quodque pręſentes literę ad probandum plene abſolutionem, poſteriores unionem, annexionem, incorporationem, ac decretum Prędeceſſoris hujuſmodi, ubique ſufficiant, neque ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Tertio, Sexto Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum,

1. *Valliſoletano.*) Vulgo *Valladolid*, in *Hiſpania Tarraconen.*
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, authenticum unum ex autographo *Valliſoletano*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXIX fol. 166.*
3. *Honeſtati &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Palentin. Diœceſis.*) Nunc Epiſcopalis Sedes eſt Urbs *Valliſoletana.*
5. *Septimo.*) Chriſti *MDXIX.*

Ut Cœnobii Montis Politiani (1) Fratres in ejuſdem Conventus ſacris ædibus exequantur, quæ ex teſtamento Benedicti Michaelis, in Eccleſia Plebe nuncupata facere tenebantur.

Anno 1523 Die 19 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

III.

Venerabili Fratri Epiſcopo Aretin., ſive ejus in ſpiritualibus Vicario Generali.

CLEMENS PP. VII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HOneſtis perſonarum omnium, pręſertim ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium, votis libenter annuimus, ac ea favoribus proſequimur gratuitis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus, ſeu Conventus S. Agnetis de Monte Politiano (3), Aretinę (4) Diœceſis (5), Ordinis Prędicatorum regularis obſervantię, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias quondam Benedictus Michaelis Fighi de Monte Politiano, Aretin. Diœceſis, pia devotione ductus, condens in ejus ultima voluntate teſtamentum, voluit, & ordinavit, corpus ſuum, cum eum ab humanis decedere contingeret, in Eccleſia Plebe nuncupata S. Marię de Monte Politiano apud Altare S. Dominici, ſeu Annunciatę ſitum in dicta Eccleſia ſepeliri, & pro dote, ſeu manutentione dicti Altaris, nonnulla ſua bona, ſeu prędia in dicto ſuo teſtamento, tunc expreſſa, Fratribus dicti Ordinis, qui in primordiis ſuę religionis exiſtentes, propriam Eccleſiam, & domum, nondum acquiſiverant, & ad quos prędictus Benedictus, ob eorum exemplarem vitam, ſingularem gerebat devotionis affectum, donavit, atque legavit, cum onere tamen, quod duo ex dictis Fratribus in Sacerdotio conſtituti, quorum alter idoneus ad prędicandum verbum Dei, diebus, & temporibus debitis, divinum officium apud dictum Altare, celebrare teneretur, & aliis oneribus in dicto teſtamento appoſitis, Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, cum tempore obitus dicti Benedicti, pręfati Fratres Eccleſiam propriam non haberent, ut pręfertur, & propterea neceſſe fuit ipſum Benedictum interim, aliam Eccleſiam pro ſua ſepultura, & aliis pręmiſſis adimplendis deſignare, qui, ut creditur, ſecus feciſſet ſi Eccleſia dictorum Fratrum tunc conſtructa fuiſſet, & ipſi Fratres, qui pro adimplenda dicti teſtatoris voluntate, ſolum nominati, & electi fuerunt, & quam hactenus adimpleverunt, poſtmodum ex Chriſti fidelium largitionibus, & eleemoſynis Eccleſiam cum Domo, ſeu Conventu, ſub invocatione S. Agnetis in qua commodius, & convenientius, quam in altera Eccleſia, onera ſibi injuncta exequi poſſunt, pręſertim cum non liceat eis per alienas Eccleſias concurſare, & a propriis deviare, acquiſiverunt, ac conſtrui, & ędificari fecerunt, & quod, ſi eiſdem Priori, & Fratribus, ut divinum officium hujuſmodi in ſua propria Eccleſia cele-

Diplomatis cauſa.

celebrare, & alia onera eis per dictum teſtatorem injuncta hujuſmodi exequi poſſint, concederetur, ac prędia, & bona pro pręmiſſis exequendis, & obſervandis, legata, & donata prędicta, alicui Altari, ſeu Capellę in dicta eorum Eccleſia conſiſtenti perpetuo applicarentur, & appropriarentur, & quoad hoc voluntas dicti teſtatoris commutaretur, ex hoc profecto animę ſaluti ipſius teſtatoris, necnon quieti, & tranquillitati eorundem Prioris, & Fratrum conſuleretur, ac tacitę menti dicti teſtatoris ſatisfieret. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per pręſentes committimus, atque mandamus, quatenus de pręmiſſis, & eorum circunſtantiis univerſis, te diligenter informes, &, ſi per informationem eandem ita eſſe reperieris, eiſdem Priori, & Fratribus, quod de cętero per duos ex eorum Fratribus in Sacerdotio conſtitutis, quorum alter ad prędicandum verbum Dei idoneus exiſtat in dicta eorum Eccleſia, apud aliquod Altare inibi ſitum, & conſiſtens divinum officium pro dicti teſtatoris animę ſalute celebrari, & alia onera in dicto teſtamento expreſſa ſupportari debeant, nec amplius ad dictam Eccleſiam B. Marię pro premiſſis exequendis accedere teneantur, nec ad id a quoquam inviti compelli poſſint, concedas, & indulgeas. Et nihilominus prędia, & bona per dictum teſtatorem pro pręmiſſorum executione, & obſervatione legata prędicta cum eorum redditibus, & juribus eidem Altari, ad quod divinum officium hujuſmodi pro tempore celebrabitur, applicata fore decernas, auctoritate noſtra voluntatem dicti teſtatoris, quoad pręmiſſa onera commutando. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIX Decembris MDXXIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Facultas,

1. *Montis Politiani*.) In *Hetruria*, Juris eſt Congregationis *S. Marci*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi pag.* 78.
3. *S. Agnetis de Monte Politiano*.) Nota quod *Sancta* nuncupatur hęc virgo licet in Sanctorum album nondum eſſet relata. Vide Notas ad *Conſtitutionem LVI Eugenii IV*. Legitur *pag.* 42 *Tomi III.*
4. *Aretin.*) In *Hetruria*.
5. *Diœceſis*.) Nunc Sedes Epiſcopalis eſt Civitas *Montis Politiani*.

Anno 1524 Die 29 Januarii.

Tropienſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

IV.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex ex injuncto ſibi deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio ad ea libenter intendit, per quę in ſingulis piis hoſpitalibus, & aliis piis locis chriſtiana Religio, & divinus cultus propagationem, & exinde fidelium animę ſalutem, & ſpiritualem conſolationem ſuſcipiant, ac ſecularium, ut aliorum temerariorum in aliis ex locis ipſis ſe illicite intromittentium nefarii conatus comprimantur, & ipſę Eccleſię ab illorum manibus injuſteque occupantibus eripiantur, ac his quę propterea provide facta fuiſſe dicuntur, ut firma perpetuo, & illibata perſiſtant, libenter cum ab eo petitur, Apoſtolici adiicit muniminis firmitatem, aliaque de novo concedit prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Sane pro parte Thomę Vicarii Generalis Congregationis Calabrię (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum ſecundum morem dicti Ordinis, nuncupati, & aliorum Fratrum Congregationis, & Ordinis prędictorum dilectorum filiorum Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim Petrus Paulus Bonſaulis, & Benedictus Guoarnes, Diœceſis Tropien., tunc in humanis agentes, Patroni Eccleſię Beatę Marię de la Recomodata extra, & prope muros Tropien. & Hoſpitalis illi contigui, qui tunc, & per multum tempus antea Eccleſię, & Hoſpitalis prędictorum fructus redditus, & proventus occupaverant, & uſurpaverant, ac occupabant, & uſurpabant ſeu illa adminiſtrabant, & gubernabant tunc, quamvis de facto, cupientes eorum conſcientias in quantum poterant ab occupatione, & uſurpatione, & aliis pręmiſſis exonerare, conſiderantesque, quod ipſi fructus prędictos uſurpare, & ſimilia perpetrare non debuerant, nec debebant, adminiſtrationem, gubernationem, & Juſpatronatus, ac alia jura ad eoſdem Laicos in Eccleſia, & hoſpitali prędictis quomodolibet ſpectantia ſponte, & ex eorum certa ſcientia, ſuo, & ſucceſſorum, ac hęredum ſuorum in perpetuum nominibus, intervenientibus ad id auctoritate, & decreto tunc Loci Ordinarii, quondam Conrado Mahonii in humanis tunc agenti donarunt, & conceſſerunt, illaque in eum tranſtulerunt. Cumque eadem Eccleſiam, & Hoſpitale prędicta tunc certo modo vacantia, vel Rectore carentia eidem Ordinario pręſentarunt, ipſeque Ordinarius ad pręſentationem hujuſmodi eundem Conradum in Rectorem, & gubernatorem Eccleſię & Hoſpitalis prędictorum inſtituit, ac Patroni ab uſurpatione fructuum, reddituum, & proventuum, ac jurium prędictorum ex tunc deſtiterunt, & abſtinuerunt hoc tamen adjecto, quod tam Patroni, & Conradus, & Ordinarius prędicti, & pro tempore exiſtentes Epiſcopus Tropien., ac hęredes, & ſucceſſores Patronorum prędictorum, qui etiam Eccleſię, & Hoſpitalis prędictorum futuri patroni erunt, tenerentur omnem diligentiam facere ad effectum, quod aliqui Sancti Auguſtini, vel Prędicatorum hujuſmodi de obſervantia nuncupatorum, Ordinum Fratres Eccleſiam, & Hoſpitale hujuſmodi ad illa regendum, & gubernandum, ac inibi ſuum Monaſterium, & habitationem conſtruendum, acceptarent, & ad illa ſe conferrent, & inibi Conventum eorum inſtituerent, & in eventum, in quem ad id ſe conferrent, & venirent, tunc tam Conradus ceſſioni, vel dimiſſioni Eccleſię, & Hoſpitalis prędictorum, quam Ordinarius prędicti acceptationi, habitationi, conſtructioni, & inſtitutioni prędictis in favorem eorundem tunc venientium, ac perceptioni fructuum reddituum & proventuum Eccleſię, & Hoſpitalis prędictorum per eoſdem Fratres inibi pro tempore habitantes faciendis, ad effectum introductionis Fratrum prędictorum, conſentire deberent, & tenerentur, prout ex tunc prout ex die adventus Fratrum eorundem, & e contra Patroni pro ſe eorumque hę-

Diplomatis cauſa.

hęredibus, & ſucceſſoribus pręfatis, reſervata tamen eis in ſignum juriſpatronatus hujuſmodi, illorumque recognitionis una Cabla corren. (4) unius uncię per dictos Fratres inibi pro tempore habitantes tunc Patronis quoad viverent, & deinde hęredibus, & ſucceſſoribus prędictis in perpetuum in feſto Purificationis Beatę Marię annuatim perſolvendę, conceſſerunt, & etiam medio eorum juramento, ac ſub certa pecuniaria pęna, & obligatione, etiam in forma Camerę, vel inſtrumenti guarentię, aut alia ſolita forma ſe, & ſua etiam Epiſcopalia, & alia bona ad id reſpective obligando, pręmiſſa omnia adimplere, & obſervare promiſerunt, quamvis eorum aliquo defuncto, prout in quodam publico Inſtrumento deſuper confecto plenius dicitur contineri; Et deinde eodem Conrado vita functo, Thomas pręfatus, & alii ejuſdem Ordinis profeſſores, poſtquam pręmiſſorum notitiam habuerunt, zelo devotionis accenſi, conſiderantes, quod Eccleſiam, & hoſpitale prędicta per multa tempora antea, ut pręmittitur, in laicorum, &, quod deterius erat, ruſticorum, & paſtorum, pro eorum pecudum, & aliorum animalium gregibus paſcendis, ac aliorum ſecularium manibus ab eis occupata tanquam Cortile diſcoperta, & diruta, illorumque fructus, redditus, & bona per ipſos laicos uſurpata fuerant, in vilipendium, & dedecus Religionis, & quod ſi ipſi juxta voluntatem Ordinis, & Patronorum, ac tenores Inſtrumentorum prędictorum, Eccleſiam, & Hoſpitale hujuſmodi ab eis regendum, gubernandum, & ei deſerviendum, acceptarent, & inibi ſuam domum pro eorum uſu, & habitatione conſtruerent, & inibi ſe ad habitandum conferrent, & Conventus inſtituerentur, profecto ex hoc Eccleſia, & Hoſpitale prędicta ex laicorum & aliorum ſecularium prędictorum manibus ſurriperentur, illorumque ędificia repararentur, reformarentur, & reędificarentur, illaque, & illorum fructus, redditus, & proventus, & bona ad Divini Nominis laudem adaugerentur, unde in eis divinus cultus, & Chriſti fidelium erga Eccleſiam, & Hoſpitale prędicta devotio magnum incrementum, ac chriſti fideles pręfati ſpiritualem conſolationem ſuſciperent. Quapropter Thomas, & Fratres prędicti, cupientes in agro Domini fructum ſalutiferum afferre, Eccleſiam, & Hoſpitale hujuſmodi pro eorum habitatione, & ad illa regendum, & gubernandum, ac eis in Divinis deſerviendum, & inibi Domum pro uſu, & habitatione Fratrum Ordinis Prędicatorum hujuſmodi conſtrui, & ędificari faciendum acceptare velle deliberarunt, quibus dilecti filii Hęredes corundem patronorum defunctorum, qui ad pręſens Eccleſię, & Hoſpitalis prędictorum patroni exiſtunt, etiam ſponte conſenſerunt, omneque ad illos inibi ſpectans, ad effectum introductionis Fratrum hujuſmodi, reſervata tantum eis dicta Cardella, alias juxta tenorem dicti Inſtrumenti domino Domus, prout in alio ſimili Inſtrumento, ſimiliter dicitur contineri &c. Quare pro parte Thomę, & aliorum Fratrum Ordinis Prędicatorum prędictorum, aſſerentium fructus, redditus, & proventus Eccleſię, & Hoſpitalis prędictorum octo Ducatorum auri . . . . . . ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum non excedere Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eis Eccleſiam, & Hoſpitale prędicta, reędificandi, & prope illa aliquod Monaſterium, ſeu Domum, pro uſu, & habitatione unius Prioris, & aliquorum Fratrum in numero competenti dicti Ordinis Prędicatorum introducendorum, conſtruendi, & ędificandi, ac poſtquam inibi Prior, & Fratres habitare cęperint, Eccleſiam, & Hoſpitale prędicta in Divinis regendi, licentiam concedere, Facultas. ac donationes, translationes, ceſſiones, conceſſiones, & conſenſus prędictos, confirmare, & approbare, illaque ſibi de novo concedere, aliaſque eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingulorum Chriſti fidelium, pręſertim Sacrorum Religioſorum Mendicantium nuncupatorum per quę Religio propagationem, & Divinus cultus augmentum ſalubriter ſuſcipere valeant, votis libenter annuimus, Thomam, & ſingulos Fratres Ordinis Prędicatorum hujuſmodi a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, Thomę, & Fratribus prędictis, ut ipſi de conſenſu, & ſine pręjudicio venerabilis Fratris Epiſcopi Tropien., ac hęredum prędictorum, & aliorum, quorum intereſt, Eccleſiam, & hoſpitale prędicta reędificare, ac prope illa aliquam Domum pro uſu, & habitatione unius Prioris, & aliquorum Fratrum, numero competenti dicti Ordinis Prędicatorum cum campanili humili, campana, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, clauſtro, & loco, Capitulo nuncupato, ac aliis officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione Prioris, & Fratrum Prędicatorum hujuſmodi conſtruere, & ędificare, ac poſtquam inibi dicti Prior, & Fratres Prędicatores cęperint ipſi Eccleſiam, & hoſpitale prędicta in Divinis regere, & gubernare, inibique officia Eccleſiaſtica miniſtrare, ac alia, ad inſtar aliarum Domorum dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, illorumque Eccleſiarum facere, & gerere, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, pręrogativis, conceſſionibus, pręeminentiis, exemptionibus, favoribus, indultis, & aliis conceſſionibus quibuſvis conſtitutionibus &c. quibus alię Domus dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum illorumque Priores, & Fratres utuntur, potiuntur, & gaudent, & uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, Domus conſtruenda, & illius pro tempore exiſtentes Priores, & Fratres prędicti uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, de ſpeciali gratia indulgemus, plenamque, & liberam ad id licentiam, & facultatem concedimus, & conſenſus, donationes, translationes, ceſſiones, commiſſiones, ac omnia, & ſingula alia in eiſdem Inſtrumentis contenta confirmamus, & approbamus, omneſque, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, ac potiori pro cautela Eccleſiam, & Hoſpitale hujuſmodi ad effectum pręmiſſorum Thomę, & Fratribus prędictis dicti Ordinis Prędicatorum prędictorum de novo concedimus de ſimili conſenſu, non obſtan. pręmiſſis, & felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri prohibente, ne Ordinis Mendicantium Fratres nova loca ad habitandum recipere, ſeu jam recepta mutare pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem faciente, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, ac dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon &c. quibuſcunque. Nulli &c. noſtrę abſolutionis. Indulti, conceſſionis, confirmationis, approbationis, & ſuppletionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo tertio (5) Quarto Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. Tro-

1. *Tropien.*) Aliis *Tropaen.*, & *Tropeen.*, vulgo *Tropea*, in *Calabria*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.XLVII fol.182*.

3. *Congregationis Calabriæ.*) Nunc Provinciæ titulo claræ.

4. *Caibla curren.*) *Cardella* poſtea vocatur, neutrum tamen intelligo. Nec enim loquitur de *candela*. Obſtat hæc vox *curren.*, vel *curren.*, quæ ſignificat hic agi de quadam monetæ ſpecie *calabris* familiari.

5. *Vigeſimo Tertio*.) Stylo Bullarum, ære communi *MDXXIV*.

Anno 1524 Die 18 Martii.

De electionibus (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

V.

Dilectis filiis Vicario Generali S. Marci de Florentia, ac Fratribus, ſeu Capitulo Generali (3) Congregationis Tuſcię, Provincię Romanę Ordinis Fratrum Prędicatorum.

CLEMENS PP. VII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum, ſicut nuper Nobis exponi feciſtis, a felicis recordationis Leone Papa X, Prędeceſſore noſtro, emanarunt literę in forma Brevis tenoris ſubſequentis. Leo Papa X univerſis, & ſingulis Fratribus Congregationis S. Marci, ſive Tuſcię Romanę Provincię Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Expoſuit &c. (4) Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, experimento compertum ſit, formam eligendi in pręinſerto Brevi datam potius ſcandalum inter Fratres generare, quam quietem, & tranquillitatem aliquam inter eos traducere, & quod ſi Fratres prędicti ad obſervantiam regulę reducerentur, quam juxta formam ſuarum Conſtitutionum ſervare promittunt, tutius Altiſſimo famularentur, & quietius inter eos viverent, ideo vos in duobus Capitulis per vos celebratis, per duo partita inter vos facta obtinuiſtis, & ordinaviſtis unanimiter, nemine diſcrepante, ut omnes dictę Congregationis electiones, omneſque actus legitimi, & contractus celebrarentur, & fierent ſecundum Conſtitutionum veſtri Ordinis ſeriem, & formam, caſſatis penitus, & remotis quibuſcunque aliis modis, aut formis, ſive per fabas, ſive per cedulas, & quod omnes Priores Conventuum veſtrę Congregationis, completo biennio, ipſo facto abſoluti eſſent, & officia eorum vacarent, etiamſi unus, vel duo, aut tres menſes tunc remanerent. Et quod Decretum, & alia pręmiſſa, etiam in pręſenti anno MDXXIV ſuum inciperet ſortiri effectum ita quod de eo pręſenti anno ſi biennium completum, vel quaſi completum eſſet, ipſo facto dicti Priores ſint abſoluti, cum hoc tamen, quod ſi aliquis Prior duraverit uſque ad Septuageſimam, nihilominus durare habeat uſque ad Capitulum Congregationis, prout in decreto, ſeu partitis deſuper factis plenius aſſeritis contineri. Quare vos, aſſerentes, pręmiſſa omnia in Capitulis Congregationis maturo conſilio, & deliberatione, & ad quietem, & tranquillitatem, ac dictorum Fratrum animarum ſalutem, & Dei ſervitium facta, & edita fuiſſe, Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut eiſdem pręmiſſis pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, quieti, & tranquillitati Congregationis, & Ordinis hujuſmodi, quantum cum Deo poſſumus conſulere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, decreta prędicta, in dictis duobus Capitulis facta, ut pręfertur, approbamus, & confirmamus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, decernentes decreta ipſa inviolabiliter obſervari debere, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Leonis Prędeceſſoris literis, quas ad effectum pręſentis gratię caſſamus, & annullamus, ac viribus vacuamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Martii MDXXIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

L. de Torres.

1. *Electionibus*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex autographo *Florentino*.

3. *Generali*.) *Provinciali*.

4. *Expoſuit &c.*) Ut in *Conſtitutione XXIX Leonis X*. Legitur *pag.* 316 hujus *IV* Tomi.

Anno 1524 Die 4 Aprilis.

Indulgentia (1) Confratribus SS. Roſarii conceſſa.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VI.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. COnſiderantes noſtrę mortalitatis fragilitatem, & humani generis conditionem, ac diſtricti ſeveritatem judicii, pie cupimus fideles quoslibet judicium ipſum piis, ac bonis operibus pręvenire, & eorum peccamina abolere, ut juxta eorum ſpem ęterna felicitate fruantur, & ea, quę propterea per Prędeceſſores noſtros Romanos Pontifices, & auctoritate Apoſtolicę Sedis provide conceſſa dicuntur, cum a Nobis petitur, ad alias uberiores gratias extendimus, & ampliamus, prout id in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem, poſtquam felicis recordationis Adrianus Papa VI, Prędeceſſor

Diplomatis cauſa. noſter, cupiens, ut ad Altare in Capella del Roſario nuncupata B. Marię Virginis, ſitum in Eccleſia Domus S. Dominici Oppidi de Victoria, Ordinis Fratrum Prędicatorum Regularis Obſervantię, Calaguritanenſis Dięceſis, ad quod venerabilis Confraternitas utriuſque ſexus Chriſti fidelium ſub invocatione

ejuſ-

ejuſdem Virginis inſtituta exiſtebat, & dilecti filii dictę Confraternitatis ſingularem gerebant devotionis affectum, per amplius veneraretur, ac Confratres ipſi eo libentius ad Altare hujuſmodi confluerent, & inibi Roſarium, ſeu Pſalterium ipſius Virginis devote dicerent, & recitarent, per quaſdam in forma Brevis literas (3) perpetuis futuris temporibus duraturas, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Confratribus prędictis, qui tunc erant, & forent in futurum, qui in Capella prędicta ſingulis diebus unam quinquagenariam, Roſarium, ſeu Pſalterium nuncupatam, pro qualibet die, qua id fecissent, quinquaginta annos de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxaverat, volens, quod Confratres prędicti, qui cum cereo benedicto dictę Confraternitatis in honorem ejuſdem Virginis in manibus tenentes ab hac luce migraſſent, & ante horam eorum obitus dictum Roſarium, ſeu Pſalterium, ſemel tantum recitaſſent, remiſſionem, & Indulgentiam omnium peccatorum in mortis articulo conſequerentur, eidemque Prędeceſſori pro parte dilectorum filiorum Dominici de Monte-mayor Prioris, & Fratrum dictę domus, expoſito, quod dicta Capella adeo anguſta exiſtebat, quod propter illius anguſtiam, & incapacitatem, dicti Confratres pro dicendo Pſalterio prędicto ad illam confluentes commode ſe inibi recipere non poterant, & propterea frequenter contingebat, quod plures ex dictis Confratribus prędictum Pſalterium in dicta Capella recitare negligerent, idem Prędeceſſor Prioris, & Fratrum prędictorum in ea parte ſupplicationibus inclinatus, Apoſtolica auctoritate, eiſdem Confratribus tunc, & pro tempore exiſtentibus, quod recitando, ſive dicendo prędictum Roſarium, ſeu Pſalterium etiam extra dictam Capellam, in quacunque parte ipſius Eccleſię, in qua dictum Altare conſpici poſſet, etiam dictam Indulgentiam quinquaginta annorum conſequerentur, in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi Roſarium, ſeu Pſalterium hujuſmodi intra prędictam Capellam recitaſſent. Quodque Prior pro tempore exiſtens, & Fratres domus hujuſmodi, ſeu ab eis deputandi, Chriſti fideles extra dictum Oppidum habitantes, & dictam Confraternitatem ingredi volentes, in illius Confratres etiam abſque conſenſu aliorum Confratrum Confraternitatis hujuſmodi recipere poſſent, indulſit. Necnon prędictas in forma Brevis literas, **Nota.**
ad hoc ut Confratres ipſi, etiam extra dictum Oppidum habitantes, qui in dicta Capella unam quinquagenariam, Roſarium, ſive Pſalterium nuncupatam, hujuſmodi devote recitaverint, pro qualibet die, qua id fecissent, quinquaginta annos, ipſique Confratres in dicto Oppido, & extra illud habitantes, qui cereum benedictum Confraternitatis hujuſmodi in honorem ejuſdem Virginis in manibus tenentes ab hac luce migraſſent, ſi ante eorum obitum, Roſarium, ſeu Pſalterium prędictum ſemel duntaxat recitaſſent, plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & Indulgentiam conſequerentur extendit, & ampliavit per alias ſuas ſub plumbo literas (4), prout in ſingulis literis prędictis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum, petitio continebat, nonnulli dictorum Confratrum, qui ad dictam Confraternitatem hactenus admiſſi fuerunt, & in poſterum admittentur, ſua domicilia extra dictum Oppidum de Victoria habeant, & propterea ipſi Confratres non valeant toties quoties vellent, ad dictam Eccleſiam cauſa recitandi Pſalterium, & conſequendi Indulgentiam hujuſmodi perſonaliter accedere, quare pro parte Prioris, & Fratrum eorundem Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut literas Adriani Prędeceſſoris hujuſmodi, etiam ad hoc, quod nunc, & pro tempore exiſtentes Confratres Confraternitatis hujuſmodi, qui dictum Pſalterium in aliqua Eccleſia, ſeu Oratorio cujuſvis loci, in quo eos pro tempore reſidere contigerit, devote recitantes prędictas Indulgentias conſequantur, extendere, & ampliare, aliaſque dictorum Confratrum animarum ſaluti in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus in- **Indulgentia.**
clinati, auctoritate Apoſtolica pręfata, tenore pręſentium literas Adriani Prędeceſſoris hujuſmodi etiam ad hoc, quod pręfati Confratres dictę Confraternitatis, nunc, & pro tempore exiſtentes, qui dictum Pſalterium in aliqua Eccleſia, ſeu Oratorio cujuſvis loci, in quo eos pro tempore reſidere contigerit, devote recitaverint, quoties id fecerint, Indulgentias prędictas conſequantur, quas conſequerentur, ſi in dicta Eccleſia S. Dominici juxta tenorem conceſſionis Prędeceſſoris hujuſmodi Pſalterium prędictum recitaſſent, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium extendimus, & ampliamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quę dictus Prędeceſſor in dictis ſuis literis voluit non obſtare, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Quarto, Pridie Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Indulgentia.*) Conſulenda *Diſſertatio II Tomo ultimum* pag. 70.
2. *Archivo.*) In quo triplex exemplar authenticum ex autographo aſſervato in Archivo Conventus *de Victoria*. Legitur in *Bullario Confraternitatum Ord. Fratrum Pradicatorum* pag. 70.
3. *Literas.*) Quæ deſiderantur.
4. *Literas.*) *Conſtitutionem* nempe *VII* ejuſdem *Adriani VI*. Legitur pag. 412.

Anno 1524
Die 4 Julii.

De reformando Recanatenſi (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VII.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum de Obſervantia.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. INter alia noſtrę ſolicitudinis onera ea pręcipue Nobis eſt cura, ut perſonas ſub Religionis diſciplina, divinis obſequiis mancipatas, in locis pręſertim ditioni noſtrę ſubjectis, curemus, talem ducere vitam, qualis, & eorum profeſſioni conveniat, & univerſo gregi, Nobis commiſſo, non in ruinam, aut ſcandalum, ſed in ędificationem, & ſanctitatis exemplum cedere poſſit, religioque ipſa in melius reformetur, ac divinus cultus amplificetur, quatenus hi, qui ſecularibus negotiis ſunt implicati, videntes ſpiritalem ędificationem, & glorificent communem Patrem, qui in cęlis eſt, & ipſi ad melioris vitę frugem provocentur. Sane exponentibus Nobis dilectis filiis Prioribus, & Conſilio Civitatis noſtrę Recanaten., non ſine magna animi noſtri diſplicentia, intelleximus, quod in eadem civitate, in Eccleſia, & Domo tui Ordinis, ſub invocatione S. Dominici conſtituta, regularis obſervantię diſciplina adeo enervata, & diſſipata exiſtit, ut Fratrum inibi degentium vita in non modicum, & eorum Ordinis dedecus vergat, & ſcandalum plurimorum, ac ipſius civitatis detrimentum. Nos igitur, qui, quantum cum Deo poſſumus, animarum noſtrę curę commiſſarum ſalutem procurare conamur, tuęque obſervantiam Regulę magis, atque magis augeri nitimur, felicis recordationis Eugenii PP. IV. Prędeceſſoris noſtri, a quo literę in forma Brevis pro reformatione Domus prędictę, veſtram ad obſervantiam reductionem hujuſmodi in ſe continentes, ut accepimus, emanarunt, licet illę, impedimentis tunc occurrentibus, executioni demandatę non fuerint, veſtigiis inhęrendo, pręfatorum Priorum, & Conſilii Recanaten. Civitatis prędictę ſupplicationibus inclinati, volentes in pręmiſſis de opportuno remedio, paterna diligentia providere, & divini Numinis cultum pro poſſe augmentari, ut tenemur, pręfatam Eccleſiam, & Domum S. Dominici hujuſmodi, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis ſpiritualibus, & temporalibus, tam mobilibus, quam immobilibus ex certa noſtra ſcientia, a Provincia illa Conventualium, ſub qua juxta dicti Ordinis diviſionem, & diſtributionem conſtituta exiſtit, & ab illius Prioris, Provincialis, qui pro tempore fuerit, cura, & regimine penitus abſolvimus, eximimus, amovemus, & ſeparamus, ac Congregationi tuę obſervantię perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, tuęque, & ſucceſſorum tuorum eidem Congregationi immediate pręſidentium curę, & regimini, tam in capitibus, quam in membris, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, Apoſtolica auctoritate, pręſentium tenore, ſubjicimus, & ſupponimus, ſalva tamen ſemper Generali Magiſtro ejuſdem Ordinis hactenus debita, ac exhiberi conſueta obedientia, & reverentia, & abſque ordinarię ipſius Magiſtri Generalis juriſdictionis pręjudicio, ac tibi in virtute S. Obedientię per Apoſtolica ſcripta diſtricte pręcipiendo mandamus, quatenus cum pro parte dictorum Priorum, & Conſilii dictę Civitatis Recanaten. fueris requiſitus, Fratres tuę congregationis obſervantię, quos opportunos judicaveris, per te, vel alium, cui committendum duxeris, in eandem Domum introducas, & introduci facias, excludendo exinde auctoritate noſtra, etiam, ſi opus fuerit, per cenſuras eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia compeſcendo, omnes alios, & ſingulos Fratres in dicta Eccleſia, & Domo nunc exiſtentes, niſi ſaniori ducti conſilio voluerint, ſeu aliquis eorum voluerit, ad quod hortamur in Domino plurimum, ac monemus, ſub regularis obſervantię prędictę norma in Congregatione tua religioſius, quam hactenus, Altiſſimo deſervire, quia hujuſmodi repelli non poſſe volumus, ſed quod eos in pręfata Domo relinquere valeas. Et inſuper etiam auctoritate Apoſtolica prędicta tibi concedimus, ut, non obſtante ſtatuto aliquo, ac conſuetudine dicti Ordinis, poſſis hac vice tantum pręfatę Domui de idoneo Priore, cum conſilio tamen aliquorum ex Patribus tuis, libere providere, qui eadem penitus poteſtate in ipſa Domo fungatur, qua & alii Priores per canonicam electionem promoti in aliis ejuſdem Congregationis Domibus fungi conſueverunt. Hortantes nihilominus eoſdem Priores, & Conſilium dictę Civitatis, ut te, ac Fratres tuos, benigne recipiant, & cum caritate pertractent. Confidimus ſiquidem in Domino, univerſum illum populum, per laudabilia tuorum Fratrum exempla, ac ſalubrem doctrinam, ac juges ad Deum preces utilitatis plurimum conſecuturum, & multiplices a Deo gratias reportaturum. Quod ut & tu, & ipſi Fratres tui, Patrum veſtrorum exempla prę oculis habentes, efficaciter implere ſtudeatis, hortamur propenſius, & ſuademus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, & indultis, ac Literis Apoſtolicis per pię memorię Pium Secundum, & Paulum etiam Secundum, ac alios Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem Apoſtolicam, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac per viam ſtatuti, & perpetuę ordinationis tibi, aut anteceſſoribus tuis, necnon prędictę Congregationi, & Ordini, vel ejus Magiſtro Generali, aut aliis Illius profeſſoribus, Domibus, aut Provinciis, in genere, vel in ſpecie, etiam ſub certis verborum formis, & expreſſionibus, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibus, & aliis Decretis, conceſſis, confirmatis, innovatis, & iteratis vicibus approbatis, illis pręſertim, quibus inter alia caveri dicitur expreſſe, quod pręfatę Congregationis Generalis Vicarius, qui pro tempore fuerit, vigore quarumcunque Literarum Apoſtolicarum ſibi directarum, ad receptionem, ſeu reformationem quorumvis Conventuum, quovis modo minime procedat, donec Sedem prędictam conſulat, & aliud ab ea habuerit in-

Mandatum.

man-

mandatis; necnon Ordinis, aut Congregationis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, quibus omnibus, etiamſi pro illarum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo, ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda foret, illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus; Ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die IV Julii MDXXIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Recanaten.*) Seu *Retinetenſi*, vulgo *Recanati*, in *Piceno*. Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Benonienſi* pag. 80.

Anno 1524
Die 29 Julii.

Franciſcus de Ferraria (1) Vicarius Generalis totius Ordinis renunciatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

VIII.

Dilecto filio Franciſco de Ferra (3) Ordinis Prędicatorum Sacrę Theologię Profeſſori, ac totius ejuſdem Ordinis Vicario Generali.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum nuper tui Ordinis Generalatus per aſſumptionem Garſyę de Loayſa (4), quondam ejuſdem Ordinis Magiſtri Generalis, ad Epiſcopatum Oxomenſem vacaverit, Nos ſoliciti de tranquillo, ac pacifico ſtatu dicti Ordinis, ne interim, uſque ad Capitulum veſtrum Generale, in quo de Magiſtri Generalis electione (5) agendum erit, ipſo Ordine, capite, & rectore carente, aliquod detrimentum patiatur, pręſertim cum duo quidam, quanquam ſpectatę fidei & probitatis, aſſerant, ſe Vicarios eſſe diverſis rationibus dicti Ordinis, unde poſſent mala zizaniorum, & diſcordię germina exoriri, volenteſque opportunis remediis adhibitis, ſaluti, & paci ejuſdem Ordinis, pro debita paſtoris vigilantia conſulere, perſpecta morum tuorum probitate (6), necnon eruditione (7), ac rerum uſu (8), te in Vicarium Generalem dicti Ordinis, uſque ad Generalis Capituli (9) juxta conſtitutiones veſtras celebrationem faciendam incluſive, pręſentium tenore, & Apoſtolica auctoritate conſtituimus, & creamus, cum auctoritate, & facultate providendi, ordinandi, & mandandi, ac omnia, & ſingula faciendi, & exercendi, quę hujuſmodi Vicarii Generales, uſque ad tempus prędictum, circa dictum Ordinem regendum, & gubernandum, facere, & diſponere, exequi, & exercere conſueverunt, ac debuerunt, interdicentes pręſentium tenore adminiſtrationem dicti Vicariatus cuicunque alteri, ad quem fortaſſe aliquo jure pertineret, mandanteſque in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis pęna omnibus, & ſingulis Fratribus prędicti Ordinis, ut in pręmiſſis, & in omnibus, quę ad dictum officium Vicariatus Generalis dicti Ordinis pertinent, tibi cum effectu pareant, & intendant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque eidem Ordini forſan conceſſis, quibus, illorum tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Hortantes te in Domino, ut hanc Vicariatus curam, & onus, prompte ſuſcipias, & ita juxta dicti Ordinis regularia inſtituta quieto, & tranquillo regimini incumbas, ut auctore Domino, apud Nos, & hanc ſanctam Sedem commendari merearis. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIX Julii MDXXIV, Pontificatus noſtri Anno Primo. Vicarius creatur.

Ja. Sadoletus.

1. *Franciſcus de Ferraria.*) Sic ex patria nuncupatur *Franciſcus* noſter oriundus ex illuſtri *Silveſtrorum* gente.

2. *Archivo.*) In quo autographum.

3. *Ferra.*) *Ferraria*, uti mox dictum fuit.

4. *Garſya de Loayſa.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

5. *Electione.*) Ipſemet *Franciſcus Silveſter Ferrarienſis* Magiſter Generalis renunciatus eſt.

6. *Probitate.*) Hic audiendus celeberrimus illius ævi Scriptor *Leander Alberti* de viris illuſtribus Ord. Præd. pag. 141. *Franciſcus Ferrarienſis noſtræ ætatis deliciæ .... unum, abſit invidia verbo, dixerim, rarus eſt, imo rariſſimus homo. Soleo dicere, in ipſum procreando omnes ſuas vires naturam congeſſiſſe*. Hæc vir integerrimus de *Silveſtro* noſtro, quicum illi magna familiaritas, & literarum neceſſitudo *Bononiæ* intercefferat, ſcribebat anno *MDXV*. Hoc enim opus *De viris illuſtribus* &c. *Bononiæ* vulgatum fuit anno *MDXVII*, typis *Hieronymi Platonis*, & *Johannis Baptiſtæ Lapi*.

7. *Eruditione.*) Egregiis enim Commentariis in *S. Thomæ Summam contra gentes*, aliiſque variis operibus claruit *Franciſcus*. Adeas *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXXV pag. 60 &c.*

8. *Rerum uſu.*) Priorem egerat *Ferrariæ*, ac *Bononiæ*. Totius etiam Congregationis *Lombardiæ* Vicarius Generalis fuerat.

9. *Capituli.*) *Romæ* coacti anno *MDXXV*.

Digitized by Google

Anno 1524 Die 31 Auguſti.

De Eccleſia S. Jacobi unita Lucenſi (1) Monaſterio S. Mariæ Novæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

IX.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gregorio Lupi Clerico Lucen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

RAtioni congruit &c. (3) Dudum ſiquidem cum tu, inter quem, & dilectas in Chriſto filias, tunc Prioriſſam, & Conventum Monaſterii Monialium, per Prioriſſam gubernari ſoliti, S. Marię Novę Lucen., Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, lis ſuper Parochiali Eccleſia S. Jacobi de V . . . . , Lucen. Dięceſis, quam dudum, tunc certo modo vacan. Prioriſſa, & Conventus pręfatę dicto Monaſterio, auctoritate ordinaria perpetuo unitam, annexam, & incorporatam, & de qua alias tunc per obitum quondam Nunii de Ribera, olim illius Rectoris, extra Romanam Curiam defuncti, vacante, Apoſtolica auctoritate tibi proviſum fuiſſe, aſſerebatis, in prima inſtantia, pendebat indeciſa, ad evitandum litium anfractus, parcendumque laboribus, & expenſis, & ad effectum certę honeſtę concordię inter vos deſuper, ſalvis felicis recordationis Leonis PP. X, Prędeceſſoris noſtri, & Apoſtolicę Sedis beneplacito, initę, ac ut unio, annexio, & incorporatio prędictę ſuum plenarium ſortiantur effectum, liti, & cauſę hujuſmodi, ac omnium jurium tibi in ipſa Eccleſia, vel ad illam, quomodolibet competen. in manibus ipſius Prędeceſſoris, ſponte, & libere ceſſiſſes, eaſdem Prioriſſam, & Conventum, in poſſeſſionem, ſeu quaſi unionis Eccleſię hujuſmodi, in qua exiſtebant, quantum in te fuerat, pacificam immittendo, ipſeque Prędeceſſor, ceſſionem ipſam duxiſſet admittendam, idem Prędeceſſor tibi &c. ne ex ceſſione hujuſmodi nimium diſpendium patereris, de alicujus ſubventionis auxilio providere &c. volens &c. ſub data videlicet pridie Kal. Februarii, Pontificatus ſui Anno Sexto (4), tibi penſionem annuam, ſex ducatorum auri de Camera &c. ſuper dictę Eccleſię fructibus, redditibus, & proventibus &c. quoad viveres &c. per tunc Prioriſſam, & Conventum, pro tempore exiſtentes hujuſmodi, in feſto Nativitatis D. N. J. Chriſti annis ſingulis in Civitate Lucen. integre perſolvendam, ipſarum tunc Prioriſſę, & Conventus ad hoc &c. expreſſo accedente conſenſu, dicta auctoritate Apoſtolica reſervavit, conſtituit, & aſſignavit, decernens &c. Prioriſſam, & Conventum pręfatas, ad integram ſolutionem penſionis hujuſmodi tibi faciendę &c. fore efficaciter obligatas, ac volens, & eadem auctoritate ſtatuens, quod ſi tunc, & pro tempore exiſtentes Prioriſſa, & Conventus pręfatę in dicto feſto, vel ſaltem infra triginta dies &c. penſionem pręfatam, non perſolviſſent &c. excommunicationis ſententiam incurrerent &c. Si vero per ſex Menſes &c. ſententiam ipſam animo ſuſtinuiſſent indurato &c. unio hujuſmodi diſſoluta eſſet &c. & liceret tibi ad dictam Parochialem Eccleſiam &c. liberum habere regreſſum, illiuſque corporalem poſſeſſionem &c. propria tua auctoritate libere apprehendere &c. eadem auctoritate Apoſtolica, de ſpeciali gratia indulſit, ac irritum decrevit, & inane &c. attentari. Non obſtantibus &c. quibuſcunque, aut ſi tunc, & pro tempore exiſtenti Prioriſſę, & Conventui &c. ab eadem eſſet Sede indultum, quod ad prętationem alicujus penſionis &c. Ne autem de abſolutione, reſervatione, conſtitutione &c. pro eo, quod ſuper illis ipſius Prędeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, literę confectę non fuerunt, valeat quomodolibet hęſitari, tuque illorum fruſtreris effectu, volumus, & Apoſtolica auctoritate pręfata decernimus, quod abſolutio &c. hujuſmodi Prędeceſſoris perinde, a data diei pridie Kal. Februarii hujuſmodi, ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis &c. prout ſuperius enarratur, quodque pręſentes literę ad probandum plene abſolutionem &c. Prędeceſſoris hujuſmodi, ubique ſufficiant &c. requiratur. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Secundo (5), Pridie Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Lucenſ.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXVI fol. 17.*
3. *Congruit &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Anno Sexto.*) Chriſti *MDXIX*.
5. *Vigeſimo Secundo.*) Eundem diem, eundemque annum adſcriptos habet ſequens Conſtitutio, & ex hoc crediderim, quod utrumque Diploma datum fuit ab *Adriano VI* non autem a *Clemente VII*. Id probant Annus, Menſis, & Dies hic inſcripti: Corona ſiquidem Pontificia redimitus eſt *Adrianus VI* hac die *XXXI* Auguſti *MDXXII*, *Clemens* autem *VII* coronatus fuit anno duntaxat *MDXXIII* die *XXVI* Novembris. Hæc ergo Conſtitutio data die *XXXI* Auguſti lata fuit ipſa die Coronationis *Adriani VI*: quod apprime reſpondet ſtylo Bullarum: ut enim ſæpius notatum fuit: Die qua Coronam ſuſcipit Summus Pontifex vulganda curat Diplomata, quæ Prædeceſſor morte præventus non edidit. Si quis contendat, quod hujus, & ſequentis Conſtitutionum *Clemens VII* auctor eſt, dicendum quod erravit amanuenſis in anno, & legendum: *Datum .... Anno .... MDXXIV*.

Anno 1524 Die 31 Auguſti.

Ut præcedens Conſtitutio executioni mandetur.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

X.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Caſertan. (2), & Wigornien. (3) Epiſcopis, ac dilecto filio Officiali Lucen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum felicis recordationis Leo PP. X, Prędeceſſor noſter dilecto filio Gregorio Lupi Clerico Lucen. Dięceſis familiari ſuo, penſionem annuam ſex ducatorum auri de Camera &c. ſuper Parochialis Eccleſię de Villardortelle dictę Dięceſis, dudum Monaſterio Monialium per Prioriſſam gubernari ſolito S. Marię Novę Lucen., Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, ordinaria aucto-

auctoritate, perpetuo unitę, annexę, & incorporatę, fructibus, redditibus, & proventibus &c. per dilectas filias tunc, & pro tempore exiſtentes, Prioriſſam, & Conventum dicti Monaſterii annis ſingulis &c. integre perſolvendam &c. Quo circa &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę literę vobis pręſentatę fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios, faciatis auctoritate noſtra penſionem prędictam &c. efficaciter perſolvi &c. Non permittentes eum per modernam, & pro tempore exiſtentem Prioriſſam, & Conventum pręfatas &c. quomodolibet moleſtari, & nihilominus modernam pro tempore exiſtentem Prioriſſam, & Conventum, & ſingulares perſonas hujuſmodi, ſi eas, dictam excommunicationis ſententiam, vobis incurriſſe conſliterit &c. tandiu Dominicis, & aliis feſtivis diebus in Eccleſiis &c. excommunicatas publice nuncietis, & faciatis ab aliis nunciari &c. donec &c. abſolutionis beneficium meruerint obtinere. Contradictores &c. Non obſtantibus &c. ſeu ſi modernę &c. Prioriſſę, & Conventus pręfatis &c. ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Secundo (4), Pridie Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXVI fol.* 20.
2. *Caſertan.*) In Regno *Neapolitano*.
3. *VVigornien.*) Seu *Vigornien.*, vulgo *VVorceſter*, in *Anglia*.
4. *Vigeſimo Secundo.*) Vide *Notas* ad præcedens Diploma.

Conchenſi (1) Cœnobio fundando confert eccleſiaſtica beneficia.

Anno 1524 Die 16 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XI.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Debitum paſtoralis Officii Nobis ex alto commiſſi, requirit, ac Nos ad id promptos excitat, ut piis devotarum perſonarum votis, ex quibus ſacra Religio propagari, & divinus cultus augeri, ac animarum ſalus ſubſequi poſſit, & perſonarum ſub regulari diſciplina, & perpetua mendicitate domino, in ejus beneplacitis, famulantium ſubveniatur, quantum Nobis ex alto conceditur, ad exauditionis gratiam admittamus, ac in his ejuſdem officii partes favorabiliter impertiamur prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. (Exordium.) Dudum ſiquidem omnia pręſtimonia, & pręſtimoniales portiones, ac ſimplicia, ceteraque beneficia eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura, apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura collationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. (Diplomatis cauſa.) Cum itaque poſtmodum perpetua Vicaria Parochialis Eccleſię de Provencio, Conchenſis Dięceſis, per liberam reſignationem dilecti filii Johannis del Poao, Canonici Conchen. nuper ipſius Eccleſię perpetui Vicarii, de illa, quam tunc obtinebat, per dilectum filium Magiſtrum Garaiam de Gibraleo Clericum Hiſpalen., Scriptorem, & familiarem noſtrum, procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, vacaverit, illaque, necnon parochialis Eccleſia de Valera de Juſo, ac unum, ſeu una in de Tragaacte, & aliud, ſeu alia in de Una, ac aliud, ſeu alia in de Beamud locorum dictę Dięceſis parochialibus Eccleſiis pręſtimonia, ſeu pręſtimoniales portiones, aut ſimplicia Beneficia, eodem Johanne procurante perpetuę Capellanię ad Altare Aſſumptionis, glorioſę Virginis Marię, ſitum in Eccleſia Conchenſi, per ipſum Johannem, jurepatronatus ſibi reſervato, fundatę, & dotatę, ac per quatuor Capellanos regi ſolitę, Apoſtolica auctoritate inter alia perpetuo unita, annexa, & incorporata, ex eo quod Nos unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi literis Apoſtolicis, deſuper confectis alias in ſuo pleno robore permanentibus, ejuſdem Johannis, necnon dilectorum filiorum Onuphrii de Roſas, & Didaci Xuarez, ac Bernardini de Alarte, & Petri de Torremocho ad dictum Altare perpetuorum Capellanorum, ad hoc per eundem Garziam procuratorem ſuum, ad id ab eis ſpecialiter conſtitutum, expreſſo accedente conſenſu, harum ſerie perpetuo diſſolvimus, per diſſolutionem hujuſmodi apud Sedem eandem vacent ad pręſens; nulluſque de illis pręter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Johannis, petitio continebat, idem Johannes pie ductus, animadvertens in Civitate Conchenſi, aut illius diſtrictu aliquam domum Fratrum Prędicatorum non exiſtere, & rarius exinde Verbi Dei prędicationes pro animarum fidelium ſalute in ipſa civitate fieri, ac cupiens ea in terris ſeminare, per quę (Nota.) ſalubrem frugem metens in Cęlis ſempiterna gloria perfrui poſſit, ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, & exaltationem orthodoxę fidei, ac in dicta civitate divini cultus augmentum, & Religionis propagationem, necnon pro ſua, ac civium, & incolarum civitatis, & diſtrictus prędictorum animarum ſalute, & ſpiritualium conſolatione unam domum Fratrum Prędicatorum ſub invocatione Sancti Pauli Apoſtoli cum officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione perpetuis, unius Prioris, & aliquorum Fratrum dicti Ordinis, quorum ſana doctrina, aſſidua verbi Dei prędicatione, ac ſalubribus monitis, Cives, & incolę pręfati cęleſti pabulo refici poſſint in dicta civitate, & ſolo, ſeu loco ad id per eum legitime acquiſito, de bonis ſibi a Deo collatis cupiat, conſtrui, & ędificari facere, ſi ad id ſibi dictę Sedis licentia ſuffragetur, ac propterea inter ipſum Johannem, & dilectum filium modernum Priorem Provincialem, ac Pręlatos Fratrum Ordinis hujuſmodi Provincię Hiſpanię ſecundum morem ejuſdem Ordinis in eorum Capitulo Provinciali nonnullę conventiones, & capitula inita fuerint, &, ſi Vicaria, reſervata ex ipſius Eccleſię de Provencio fructibus congrua portione pro uno perpetuo Vicario, illi in divinis deſervituro, necnon Eccleſia de Valera de Juſo, ac pręſtimonia, ſeu portiones hujuſmodi Sacriſtię ejuſdem domus perpetuo unirentur, annecterentur, & incorporarentur, profecto domus ipſa facilius conſtrui, & manuteneri, ac illius Eccleſia paramentis, & ornamentis eccleſiaſticis, divino cultui neceſſariis, decentius fulciri poſſet, pro parte tam Johannis, aſſerentis Vicarię centum, necnon qui omnes, & ſin-

& ſinguli eidem Johanni, per eum quoad vixerit percipiendi, Apoſtolica auctoritate reſervati exiſtunt, Eccleſię de Valera de Juſo, & preſtimoniorum, ſeu portionum hujuſmodi inſimul ducentorum, & viginti ducatorum fructus, redditus, & proventus, ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedere, quam Prioris Provincialis, & Prelatorum prędictorum Nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut eidem Johanni in Civitate, & loco, per eum acquiſito hujuſmodi unam domum, ut prefertur, conſtrui, & ędificari faciendi, licentiam concedere, necnon illius Sacriſtię Vicariam, ac Eccleſiam de Valera de Juſo, & preſtimonia, ſeu portiones, & beneficia prędicta, perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac alias in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Mandatum. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus, quod ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, quique Religionis propagationem, divini cultus augmentum, & animarum ſalutem, ſinceris deſideramus affectibus, prefati Johannis pium deſiderium in Domino commendantes, ipſumque Johannem a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum preſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Johanni, in Civitate prędicta, & loco per eum acquiſito hujuſmodi, unam domum ſub invocatione predicta cum Eccleſia, campanili humili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione perpetuis unius Prioris, aliorumque Fratrum Ordinis Prędicatorum hujuſmodi, qui inibi Domino famulentur, ſine alicujus prejudicio, conſtrui, & ędificari, faciendi, ac inibi Fratres dicti Ordinis introducendi, ipſiſque Fratribus locum hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi auctoritate, & tenore prędictis licentiam, & facultatem, concedimus, necnon eidem domui, poſtquam conſtructa ſuerit, illiuſque Priori, & Fratribus pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, Indulgentiis, conceſſionibus, & indultis, aliis domibus dicti Ordinis, ac illorum Fratribus per Sedem prędictam in genere conceſſis, & concedendis, & quibus illę de jure, vel conſuetudine utuntur, vel potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant, jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo, indulgemus. Et nihilominus Vicariam, reſervata tamen ex fructibus Eccleſie de Provencio hujuſmodi, ſimiliter, ſine alicujus prejudicio, pro uno ipſius Eccleſię de Provencio perpetuo Vicario, qui inibi in divinis laudabiliter deſerviat, & animarum curam dilectorum filiorum illius parochianorum exerceat, per Ordinarium loci inſtituendo, congrua portione, per eundem Ordinarium moderanda, ex qua ipſe Vicarius ſe ſuſtentare, & jura Epiſcopalia perſolvere poſſit, necnon Eccleſiam de Valera de Juſo, ac preſtimonia, portiones, aut beneficia prędicta, ſive premiſſis, ſive aliis quibuſvis modis, aut ex aliorum quorumcunque perſonis, ſeu per ſimilem reſignationem ipſius Johannis, vel cujuſvis alterius, de illis in dicta curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut Vicaria, & Eccleſia de Valera de Juſo hujuſmodi per conſtitutionem felicis recordationis Johannis PP. XXII, Prędeceſſoris noſtri, quę incipit. Execrabilis: vel aſſecutionem alterius Beneficii eccleſiaſtici quavis auctoritate collati vacent, etiam ſi tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio juxta Lateranenſis inſtituta Concilii ad Sedem prędictam legitime devoluta, ac Vicaria, & Eccleſia de Valera de Juſo, necnon preſtimonia, ſeu portiones, aut beneficia hujuſmodi diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter, vel alias generaliter reſervata exiſtant, & ſuper eis inter aliquos lis, cujus ſtatum preſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo eorum diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis Sacriſtię Domus hujuſmodi, poſtquam conſtructa ſuerit, ut prefertur, auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium, unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat eiſdem Priori, & Fratribus pro tempore exiſtentibus per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem Vicarię, & Eccleſię de Valera de Juſo, ac preſtimoniorum, ſeu portionum, aut Beneficiorum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, & proventus, qui ab omni decima, ſubſidio, & terceriis, ac quarta parte nuncupatis, & quibuſvis aliis juribus, & exactionibus eccleſiaſticis etiam pro fabrica Baſilicę Principis Apoſtolorum de Urbe, & Cruciata contra infideles per

Nota. Nos, & Sedem prędictam, & Epiſcopum pro tempore exiſtentem, & dilectos filios Capitulum Conchen., etiam ad inſtantiam Regum, & Reginarum impoſitis, & imponendis, liberi, & exempti exiſtant, in conſervationem, & manutentionem domus, ac fundamentum illius Eccleſię hujuſmodi, ac alias illarum, necnon de Provencio, & de Valera de Juſo Eccleſiarum, ac preſtimoniorum, ſeu portionum, & beneficiorum prędictorum uſus, & utilitatem convertere, ac eidem Eccleſię de Valera per Presbyterum idoneum ſecularem, ad eorum nutum ponendum, & amovendum, in divinis, ut prius deſerviebatur, deſerviri, & animarum curam dilectorum filiorum, illius Parochianorum exerceri facere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, non obſtantibus priori voluntate noſtra prędicta, ac pię memorię Bonifatii PP. VIII, etiam Predeceſſoris noſtri, etiam illa, qua cavetur, ne quivis Ordinis Mendicantium profeſſores, nova loca ad inhabitandum recipere preſumant abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali, ſaciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de hujuſmodi prohibitione mentionem, & quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de preſtimoniis, ſeu preſtimonialibus portionibus, hujuſmodi ſpeciales, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, per quas quidem literas, & proceſſus habitos per eoſdem, ac inde ſecuta quęcunque ad Vicariam unitam, & Eccleſiam de Valera, necnon preſtimonia, ſeu portiones, aut beneficia hujuſmodi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem preſtimoniorum, ſeu preſtimonialium portionum, aut beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuſvis aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel provincialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę preſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri,

& de

& de quibus, quorumque toto tenore de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem per pręſentes factas, prędictę Vicaria, & Eccleſia de Valera de Juſo, necnon pręſtimonia, ſeu portiones, aut beneficia hujuſmodi, debitis non fraudentur obſequiis, & animarum cura in Vicaria, & Eccleſia de Valera pręfatis nullatenus negligatur, ſed illorum, ac pręſtimoniorum, ſeu portionum, ac beneficiorum prędictorum congrue ſupportentur onera conſueta, ac quod fructus tercerii nuncupati pręfatę Vicarię, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum dicti loci de Provencio, in domo, in eodem loco de Provencio conſiſtente, ac per ipſum Johannem ſimiliter legitime acquiſita, & ad hoc deputata, quę ad alium uſum non ſerviat, reponantur, & Fratres dictę conſtruendę domus, ac alii in ipſa domo ſic deputati hujuſmodi fructus, tercerios nuncupatos reponentes, pro illius reparatione viginti ducatos auri largos, ſingulis annis procuratori dictę conſtruendę domus ſolvere teneantur, decernentes, quod, ſi contingat per Provincialem, & Pręlatos, ſeu Fratres prędictos, aut eorum Procuratores, ſeu de eorum conſenſu per quoſcunque alios Vicariam unitam, & Eccleſiam de Valera, ac pręſtimonia, ſeu portiones, aut beneficia hujuſmodi, etiam Apoſtolica auctoritate, & in caſibus a jure conceſſis, vel alias quomodolibet aliis Eccleſiis, Monaſteriis, & piis locis uniri, ſeu illorum fructus, vel proventus applicari, vel in alios uſus quam dictę domus conſtruendę converti, tunc illorum unionem, annexionem, & incorporationem per pręſentes factas, ac redintegratas, & illa pręfatę Capellę, ut prius, ac ſi ab ea diſmembrata minime fuiſſent, perpetuo unita eſſe cenſeri, & ſic per quoſcunque Judices, ſublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, necnon, prout eſt irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, conceſſionis, indulti, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Quarto, Sexto decimo Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Conchenſi.*) In *Hiſpania Tarraconenſi.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Conchenſi.*

Staviacenſi (1) Monaſterio conceſſa privilegia firmat.

Anno 1524 Die 19 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii per Prioriſſam gubernari ſoliti B. Marię Staviaci, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Lauſannen. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm a Nobis petitur, quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri, ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilectę in Domino filię, veſtris juſtis poſtulationibus, grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates, & immunitates a Prędeceſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus, ſive per privilegia, conceſſiones, & indulta, vobis, & Monaſterio veſtro conceſſas, necnon libertates, & exemptiones ſecularium exactionum a regibus, & principibus, ac aliis Chriſti fidelibus vobis, & Monaſterio veſtro rationabiliter indultas, ſicuti ea omnia juſte, & pacifice poſſidetis, vobis, & per vos eidem Monaſterio, auctoritate Apoſtolica confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Quarto, Decimo Tertio Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Staviacen.*) In *Helvetiis:*

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Staviacenſi.*

Specialis Indulgentia conceſſa Monialibus Florentini Monaſterii (1) S. Lucię.

Anno 1524 Die 29 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XIII.

CLEMENS PP. VII.

Dilectę (3) in Chriſto filię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VOlentes devotioni veſtrę, quam erga ſummum Deum geritis, & illi in virtute caſtitatis, & in odore bonorum operum, die, noctuque deſervitis, paterno etiam noſtro affectu conſulere, & cum vos pro pace, & catholicę fidei augmento, ac pro perſona noſtra eundem Altiſſimum quotidie oretis, ac orare paratę ſitis, aliquod donum ſpirituale, quod devotionis veſtrę incentivum ſit, ex Apoſtolica benignitate concedere, vobis, & veſtrarum cuilibet toties quoties ter Orationem Dominicam, ac Salutationem Angelicam devote dixeritis, ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum oraveritis, ut pacem chriſtiano populo, ac fidei ſuę ſanctę exaltationem, Nobis quoque ſalutem, & ad ea, quę ipſius Majeſtati placita ſunt, agen-

agenda, ſpiritum rectum, felicemque ſucceſſum donare dignetur, Septem annos, & totidem quadragenas de vera Indulgentia in forma Eccleſię conſueta damus, & concedimus. Ac inſuper vobis, & cuilibet veſtrarum, ut quadrageſimalibus, & aliis temporibus, quibus ſtationes in Eccleſiis almę Urbis celebrari, & Indulgentię ex iis percipi ſolent, ad Altaria, quę in Eccleſia veſtra ſunt, ſive unum, ſive plura coram Domino eaſdem, quas ſupra, Orationes effundendo, & Deum Omnipotentem pro eiſdem orando, ac B. Virginem Mariam, ut dignetur apud Dominum noſtrum intercedere deprecando, eaſdem Indulgentias, & remiſſionem peccatorum conſequamini, quas conſequeremini ſi Eccleſias Urbis, in quibus ſtationes celebrantur, viſitaretis, & in eis Deum oraretis, de ſpecialis dono gratię concedimus, & indulgemus, pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum (4) Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXIX Septembris MDXXIV Pontificatus noſtri Anno Primo.

Ja. Sadoletus.

1. *Monaſterii.*) De quo conſulendus *Fontana de Romana Provincia.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo aſſervato in *Florentino* Monaſterio *S. Luciæ*.

3. *Dilectæ.*) Inſcriptio deeſt.

4. *Datum.*) Alia Indulgentiarum Diplomata quæ *Clemens VII* conceſſit habes in Archivo Ordinis.

Anno 1526 Die 22 Aprilis. XIV.

PRo Cœnobio de *Victoria*. Conſtitutio ſic incipit: *Clemens PP. VII. Univerſis Chriſti fidelibus &c. Cum, ſicut accepimus, Eccleſia Domus, ſeu Conventus S. Dominici Oppidi de Victoria Ordinis Fratrum Prædicatorum Regularis Obſervantiæ Calaguritanæ Diœceſis non modica indigeat reparatione, ac fructus, redditus, & proventus ipſius Domus, & dilectorum filiorum illius Prioris, & Fratrum facultates non ſuppetant ad reparationem eandem, ſed ſint Chriſti fidelium ſuffragia ad id plurimum neceſſaria, & opportuna; Nos, cupientes ut illa Eccleſia, ad quam, ſicut accepimus, cariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Romanorum, & Hiſpaniarum Rex Catholicus, in Imperatorem electus, ſingularem gerit devotionis affectum, debite reparetur &c. ejuſdem Caroli Imperatoris electi ſupplicationibus ſuper hoc Nobis porrectis inclinati de Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ſeu ſtatutis a Jure temporibus confitendi propoſitum habentibus, qui dictam Eccleſiam in feſto Nativitatis B. Virginis Mariæ proxime futuræ, ab ortu ſolis Feſti uſque ad occaſum ſolis ſequentis diei, quæ in præſenti anno erit die Dominica &c. pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, indulgentiam, & remiſſionem conſequantur, elargimur, ac præſentes literas ſub quibuſvis revocationibus, limitationibus, modificationibus, & ſuſpenſionibus quarumcunque Indulgentiarum, etiam in favorem fabricæ Principis Apoſtolorum Baſilicæ de Urbe, aut Cruciatæ, ſeu expeditionis contra infideles factarum, ac conceſſarum, & faciendarum, ac concedendarum nullatenus comprehenſas, ſed ab illis ſemper exceptas, & in priſtinum ſtatum reſtitutas fuiſſe, & eſſe decernimus. Et ut fideles ipſi ad conſequendum Indulgentiæ hujuſmodi gratiam aptiores reddantur, eidem Priori pro tempore exiſtenti in dicta Eccleſia, per octo dies ante, & totidem poſt feſtum hujuſmodi aliquos idoneos Confeſſores ſeculares, vel prædicti, aut alterius Ordinis regulares, quos viderit expedire, qui fideles ipſos ad dictam Eccleſiam pro conſequenda Indulgentia hujuſmodi confluentes, ab omnibus, & ſingulis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis per eos incurſis, necnon eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, præterquam contentis in Bulla Cœnæ Domini, abſolvere, eiſque pœnitentiam ſalutarem injungere valeant, deputandi, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam concedimus, & etiam facultatem. At omnibus, & ſingulis locorum Ordinariis, Abbatibus, Prioribus, Guardianis, quarumcunque Eccleſiarum, Monaſteriorum, necnon Parochialium Eccleſiarum Rectoribus Caſtellæ, & Legionis Regnorum, & Dominiorum, in virtute S. Obedientiæ harum ſerie præcipimus, & mandamus, quatenus Indulgentiam prædictam in eorum Eccleſiis, & locis publicent, & publicari faciant abſque mora, & ſine aliqua pecuniarum exceptione. Volumus autem, quod eleemoſyna quæ per prædictos Chriſti fideles, ut præfertur, erogabitur, vel mittetur, ſolum, & duntaxat in reparationem dictæ Eccleſiæ, & non in alios uſus convertatur. Quodque tranſumptis præſentium manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, tanta fides adhibeatur, quanta adhiberetur præſentibus originalibus literis, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, præſentibus poſt feſtum Nativitatis Virginis, & diem Dominicum ſequentem præſentis anni hujuſmodi valituris. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII Aprilis MDXXVI Pontificatus noſtri Anno Tertio.*

Be: Eſ. Raven.

In Archivo Ordinis *Lib. B. fol. 29.* ex autographo aſſervato in Cœnobio *S. Dominici de Victoria*.

Anno 1527 Die 1 Julii. XV.

PRo Cœnobio Granatenſi. Conſtitutio ſic incipit. *Clemens Epiſcopus. Servus Servorum Dei, dilecto filio Officiali venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Granaten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ex Apoſtolicæ ſervitutis officio noſtræ ſolicitudinis ſtudium dirigimus ad ea, per quæ præſertim ad glorioſæ Virginis Dei Genitricis reverentiam ubique peraguntur &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Gaſparis Muños Civis Granaten., petitio continebat, quod ipſe ad Omnipotentis Dei, & ejuſdem B. Mariæ Virginis gloriam, & honorem, & ut terrena in cæleſtia, & tranſitoria in æterna, felici commercio commutare, valeat, ac pro divini cultus augmento, ac aliorum Chriſti fidelium animarum ſalute, nuper unam Capellam ſub invocatione ejuſdem B. Mariæ del Roſario, ad quam ſingularem gerit devotionis affectum, & S. Dominici in Eccleſia præfata extra muros Granaten. conſiſten., & ad ipſum Gaſparem legitime pertinen. &c. Quare pro parte dicti Gaſparis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut etiam unam Capellam ſub nomine, & invocatione, in dicta petia terræ fundare, ac conſtrui facere, licentiam concedere &c. de benignitate Apoſ-*

Digitized by Google

Apoſtolica dignaremur. *Nos igitur, qui divini cultus augmentum &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Capellam ſub invocatione prædicta in petia terræ hujuſmodi fundandi, & conſtrui faciendi, licentiam auctoritate noſtra, concedas, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque jure Parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo &c. Nos &c. de Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, vere pœnitentibus, & confeſſis, ſeu ſtatutis &c. confitendi propoſitum habentibus, qui Capellam prædictam in feſto Annunciationis ejuſdem B. Mariæ Virginis, a primis veſperis, uſque ad occaſum Solis diei ſequentis, devote viſitaverint annuatim, & ad conſtructionem, reparationem, & conſervationem ipſius Capellæ, manus porrexerint adjutrices, viginti annos de injunctis eis pœnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romæ in Arce S. Angeli Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Septimo, Kalendis Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. Ex Archivo Apoſtolico.

Anno 1527 Die 21 Septembris. XVI.

PRo Cœnobio Huetenſi. Conſtitutio ſic incipit. *Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui pro redemptione generis humani in ara Crucis in pretium immolari non abnuit, exempla ſectantes, oves gregis ſui curæ noſtræ divinitus commiſſas, ad devotionis ſinceritatem, ac pia, & meritoria opera exercenda, ſpiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, & peccatorum remiſſionibus libenter invitamus, ut per eorundem operum exercitium ſuorum abolita macula debitorum ad æternæ beatitudinis gaudia feliciter pervenire mereantur. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecta in Chriſto filia Eliſabeth de Alarcon, nobilis Mulier, Conchenſis Diœceſis, dilecti filii nobilis viri Ferdinandi etiam de Alarcon militis, dictæ Conchenſis Diœceſis, Soror Germana pie ducta, unam Capellam in Eccleſia domus S. Dominici oppidi de Huete Ordinis Fratrum Prædicatorum dictæ Diœceſis, de bonis ſibi a Deo collatis conſtrui, & ædificari faciat. Nos cupientes, ut Capella ipſa in debita veneratione habeatur &c. in die Paraſceves, videlicet Veneris Sancti Feria VI majoris hebdomadæ ab ortu uſque ad occaſum Solis ejuſdem diei devote viſitaverint annuatim, & ad manutentionem, reparationem, & fulcimentum prædicta, manus adjutrices porrexerint, omnes, & ſingulas quæ Chriſti fidelibus Eccleſias almæ Urbis, & extra muros ejus quadrageſimalibus, & aliis illarum ſtationum temporibus, & diebus perſonaliter viſitantibus conceſſæ ſunt, indulgentias, & peccatorum remiſſiones auctoritate Apoſtolica tenore præſentium miſericorditer in Domino elargimur, ac Priori dictæ domus pro tempore exiſtenti, aliquos Confeſſores idoneos ſeculares, ſeu prædicti, vel quorumvis aliorum etiam Mendicantium Ordinum regulares, qui die prædicta, ac per biduum ante illam Chriſti fidelium ad eandem Capellam pro hujuſmodi indulgentiis conſequendis accedentium in ipſa Eccleſia, & illius ambitu Confeſſiones audire, ac illis diligenter auditis, ipſos, & eorum ſingulos ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, exceſſibus, & delictis, in quibuſvis caſibus etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, exceptis contentis in literis in die Cœnæ Domini legi conſuetis, abſolvere, & eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungere, ac vota quæcunque, quatuor majoribus exceptis, in alia pietatis opera commutare poſſint, deputandi facultatem concedimus, præſentibus (quas ſub revocationibus ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum etiam in favorem Cruciatæ, ac Fabricæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ſeu aliarum Eccleſiarum, vel piorum locorum, vel perſonarum, ſeu Ordinum quorumcunque etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac quavis conſideratione, & in quibuſvis caſibus, ac quibuſcunque clauſulis, & decretis factis, & faciendis, nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum eo ipſo reſtitutas, & de novo conceſſas eſſe, & cenſeri, ac Chriſti fidelibus præfatis ſuffragari, necnon eleemoſynas, & oblationes occaſione indulgentiæ hujuſmodi provenientes in manutentionem, reparationem, & fulcimentum, ac alios uſus Capellæ hujuſmodi converti debere decernimus) perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ in Arce S. Angeli Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Septimo, Undecimo Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quarto*. In Archivo Ordinis ex autographo aſſervato in Cœnobio *Huetenſi*.

Anno 1530 Die 2 Decembris. XVII.

PRo Cœnobio Mexicano. Conſtitutio ſic incipit. *Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum itaque dilectus in Chriſto filius Franciſcus de Sancta Cruce Civis Burgen., pia devotione erga Virginem Mariam inductus. quandam Capellam ſub invocatione ejuſdem B Mariæ de Roſario, in Eccleſia S. Dominici Mexicanen. Ordinis Fratrum Prædicatorum, conſtrui, & ædificari facere, & ad ipſam Capellam, tam Franciſcus præfatus. quam etiam frater germanus illius dilectus etiam filius Alvarus de Sancta Cruce gerunt ſingularem erga Dei Genitricem devotionis affectum, cupientes, quod ipſa Capella, congruis frequentetur honoribus &c ſingulis in Nativitatum Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Annunciationis ejuſdem glorioſæ Virginis Mariæ, ac omnium Sanctorum, & S Dominici, ac S. Franciſci feſtivitatibus a primis veſperis, uſque ad occaſum Solis ſingulorum feſtorum eorundem hujuſmodi, devote viſitaverint, & manus porrexerint adiutrices &c. decem annos, & totidem quadragenas &c. præſentibus perpetuis, futuris temporibus &c. duraturis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo, Quarto Nonas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo*. In Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXI fol. XVII*.

Anno 1533 Die 30 Octobris. XVIII.

PRo Cœnobio Sangnoracenſi. Conſtitutio ſic incipit. *Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Paſtoris æterni, qui non vult mortem, ſed converſionem peccatoris &c. Cum itaque, ſicut accepimus, domus villæ Sangnorach Ordinis Fratrum Prædicatorum Tarben. Diœceſis juxta Pedem Montium cum ſingulis ſuis ſtructuris, vel ful-*

fulgura, & tempeſtates, totaliter devaſtata, & in ruinam redacta fuerit, prædictæ villæ, & aliorum locorum circumvicinorum pene omnes fructus conſumpti fuerunt, propter quod dilecti filii Fratres ipſius domus, qui numero plures exiſtunt ſuſtentari, & divino cultui, ac verbi Domini prædicationi vacare commode non poſſint. Nos igitur deſiderantes, ut dicta Eccleſia, ad quam, ſicut etiam accepimus, dilectus filius noſter Gabriel tit. S. Cæciliæ Preſbyter Cardinalis, qui etiam Eccleſiæ Tarben. ex diſpoſitione Apoſtolica præeſſe dignoſcitur, ſingularem gerit devotionis affectum in debita veneratione habeatur, ac Chriſti fideles ad eam libentius devotionis cauſa accedant, quo ex hoc ſuarum ſperaverint ſalutem facilius conſequi animarum, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, ac ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus per totam Aquitaniam degentibus, ac etiam in illam advenien. vere pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam annis ſingulis, in feſto Annunciationis B. M. Virginis a primis veſperis uſque ad occaſum Solis ejuſdem feſti, devote viſitaverint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, concedimus, & elargimur, præſentibus quatenus ſub quibuſvis revocationibus, & derogationibus ſimilium, vel diſſimilium Indulgentiarum, etiam per Nos, & Sedem Apoſtolicam, ac in futurum Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, aut aliorum piorum locorum quorumlibet ex quibuſvis cauſis pro tempore datis, & conceſſis, nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, ex quo literæ illæ emanabunt, in poſterum, in priorem ſtatum reſtituimus &c. Datum Maſſiliæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Tertio, Tertio Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo. In Archivo Ordinis ex Archivo Apoſtolico *Lib. CLXI fol.* 81. Quod in *Aquitania* fuerit Cœnobium cujus hic mentio, ex eo liquet quod Diœceſis *Tarbenſis* dicitur. Huic Diœceſi tunc jus dicebat *Gabriel de Grandmont*, de quo conſulendus *Ciaconius Vit. Pont. & Cardinal Tomo III in Clemente VII pag.* 519.

Anno 1524 Die 14 Octobris.

De Sacello S. Catharinæ fundato in Ædibus Sacris Cœnobii de Peñafiel (1):

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIX.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

Sincera, fervenſque devotio, quam dilectus filius Nobilis vir Johannes Manuel, Dominus in temporalibus de Belmonte, & Cenieo de la Torre oppidorum, Palentin. (3) Diœceſis, ad Nos, & Romanam Eccleſiam, ut peculiariter novimus, gerere comprobatur, necnon præclari nobilitas generis, & in agendo dexteritatis perſpicua providentia, aliaque multiplicium virtutum dona, quibus eum illarum largitor Altiſſimus decoravit, & quibus in noſtram, & Apoſtolicę Sedis conſpectu, id experientia docente, fulgere dignoſcitur, non indigne promeretur, ut petitionibus ſuis, illis pręſertim, per quas, ſicuti pie deſiderat, diem ſuę peregrinationis extremum ſalubri meditatione pręmeditans, ſibi, ſuiſque poſteris prudenti cura, circa futura provideat, favorabiliter annuamus, & iis, quę inter eum, & religioſas perſonas, provide facta fuiſſe dicuntur, ut firma perpetuo, & illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici adiicimus muniminis firmitatem, aliaque de novo ſibi concedimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sane pro parte ejuſdem Johannis Nobis nuper exhibita petitio, continebat, quod alias, cum ipſe ad Domum, Monaſterium nuncupatum S. Johannis Ordinis Fratrum Prędicatorum oppidi de Peñafiel, dictę Diœceſis, illiuſque Eccleſiam, tam ex eo quod, illas, quondam Johannes Manuel ejus proavus, vel prędeceſſor, olim tunc in humanis agens fundaverat, quam etiam ex eo quod genitorum ſuorum cadavera inibi ſepulta exiſtant, ac, poſtquam Altiſſimo placuerit, etiam eum ex hac luce migrare contigerit, etiam inibi corpus ſuum ſepeliri deſideraret, ac certis aliis ex cauſis ſingulariter geſſerit, ac gerit devotionis affectum, dilecti filii Prior, & Conventus dictę Domus, ac Prior Provincialis ejuſdem Ordinis, juxta illius morem nuncupatus, pręcedentibus deſuper inter eos nonnullis tractatibus, & matura deliberatione ejuſdem Johannis, pro ejus, & ſuorum, ex teſtamento, vel ab inteſtato, aut alias ſucceſſorum ſepultura, Capellam S. Catherinę, ſitam in eadem Eccleſia ad latus ipſius Capellę majoris ad hoc, ut ipſe Johannes, dictam Capellam S. Catherinę reędificare, reficere, ſeu reparare, & in ea ipſe, & ſucceſſores prędicti, ſuas ſepulturas ad eorum libitum, fabricare poſſent, & valerent, cum diverſis obligationibus, ſubmiſſionibus, promiſſionibus, ac juramentorum interpoſitionibus, & aliis cautelis tunc expreſſis, donaverint, conceſſerint, & aſſignaverint, ac dilectus filius de Loayſa Generalis ejuſdem Ordinis juxta eundem morem nuncupatus, donationem, conceſſionem, & aſſignationem prędictas, ſui Generalatus auctoritate, confirmavit, approbavit, & ratificavit, defectuſque ſi qui interveniſſent in eiſdem ſupplevit, prout in Inſtrumentis publicis deſuper confectis, plenius dicitur contineri. Quare pro parte dicti Johannis, qui cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Romanorum Regis Illuſtris, in Imperatorem electi, conſiliarius exiſtit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationi, confirmationi, approbationi, ratificationi, ſuppletioni, Inſtrumentis, & aliis pręmiſſis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolicę confirmationis robur adiicere, & dictam Capellam S. Catherinę, de novo ſibi pro ſe, & ſucceſſoribus pręfatis, concedere, & aſſignare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Mandatum.

Nos igitur, qui ſingularum pręſertim ſimilium perſonarum votis, per quę eis, & eorum poſteris, honor accreſcat, & devotio adaugeri valeat, libenter annuimus, laudabile deſiderium prędictum, plurimum in Domino commendantes, ac pręmiſſorum intuitu, eundem Johannem, ſpecialibus favoribus, & gratiis, proſequentes, & a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, ac tenores Inſtrumentorum prędictorum pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, donationem, conceſſionem, aſſignationem, confirmationem, approbationem, ratificationem, & defectuum ſuppletionem, cum obligationibus, ſubmiſſionibus, juramentis, & aliis cautelis pręmiſſis, ac prout illa concernunt, omnia, & ſingula in eiſdem contenta, confirmamus, & approbamus, ac preſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos,

tam

tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ac potiori pro cautela Capellam S. Catherinę hujuſmodi, Johanni pro ſe, & Succeſſoribus ſuis pręfatis, de novo concedimus, & aſſignamus, necnon eidem Johanni, ut una cum Priore, ac Conventu Domus hujuſmodi, quęcunque ſtatuta, ordinationes, pacta, & quietationes, ſuper ſervitio dictę Capellę & aliis neceſſariis, licita tamen, & honeſta, ac ſacris canonibus, non contraria faciendi, & illa revocandi, ac in melius reformandi, plenam, & liberam licentiam, & facultatem, concedimus, ſine tamen Rectoris Parochialis Eccleſię, Johannis, & Succeſſorum prędictorum, aut cujuſvis alterius pręjudicio. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac domus, & ordinis prędictorum, etiam juramento &c. roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiiſque, & indultis Apoſtolicis, illis ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, etiam inſolitis, ſeu talibus, & aliis Decretis conceſſis, confirmatis, & reiteratis vicibus innovatis, etiam Mari Magno nuncupatis, etiamſi in illis, inter alia caveatur expreſſe, quod Fratres dicti Ordinis, nullam donationem, ſeu conceſſionem rerum, ſeu locorum ſuorum, vel in eorum, & aliis conſiſtentium, vel alias ad eas, & eorum Monaſteria pertinentium facere poſſint, eiſque fruantur, illę nullius ſint roboris, vel momenti, nec illas, etiam per eos medio juramento firmatos, adimplere, teneantur, nec ad id a quoquam inviti compelli poſſint, quibus omnibus, & ſingulis, pro illorum ſufficienti derogatione, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, & individua, ac de verbo, ad verbum &c. pręſentibus insererentur, pro ſufficienter expreſſis, ac inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat harum ſerie, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, confirmationis, approbationis, communitionis, ſuppletionis, aſſignationis, conceſſionis, & derogationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Quarto, Pridie Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Peñafiel.*) Sic vulgo vocant *Rupem fidelem*, in *Caſtella veteri*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLVII fol.* 128.

3. *Palentin.*) Geographi paſſim ſcribunt *Palantin.* Strabo, Pomponius Mela, aliique, *Pallantin.* Hinc in *Seldeni MSS.* legitur *Pallantia*, vulgo *Palencia*, in *Hiſpania Tarraconenſi*.

Ut præcedens Conſtitutio executioni mandetur.

Anno 1524 Die 14 Octobris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XX.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Mindonien. (2), & dilectis filiis Pręceptori Monaſterii per Pręceptorem gubernari ſoliti Biemanit (3) de Mercede, ac Theſaurario Eccleſię ejuſdem Biemanit (4), Oppidi Valliſoleti, Palentin. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis: Clemens &c. Ad Perpetuam Rei Memoriam &c. Quo circa &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, auctoritate noſtra, literas prędictas, ubi, & quandò expedierit, ac quoties pro parte, Johannis, & ſuorum ſucceſſorum prędictorum, vel eorum cujuslibet, ac Fratrum Prędicatorum domus, Monaſterii nuncupati Sancti Johannis dicti Ordinis Oppidi de Peñafiel, fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque ſuper pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis donationem, conceſſionem, aſſignationem, confirmationem, approbationem, ratificationem, ſuppletionem, obligationem, juramenta, ac, poſtquam condita, & reformata fuerint, ſtatuta, pacta, & ordinationes hujuſmodi, juxta inſtrumentorum, & pręmiſſarum literarum continentiam, & tenores inviolabiliter obſervari, eoſque eiſdem literis, & inſtrumentis, ac in eis contentis, necnon Capella Sanctę Catherinę, ac jure ſepeliendi prędictis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos, & eorum quemlibet per pręfatos, & pro tempore exiſtentes Priores, etiam Generales, ac Conventum, Domus & Ordinis prędictorum, & illorum Superiores, contra tenores hujuſmodi indebite moleſtari, vel perturbari, contradictores quoslibet, & rebelles, per cenſuram eccleſiaſticam toties quoties opus fuerit, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus omnibus ſupradictis, ſeu ſi Priori, Generali, Provinciali Conventui, & Fratribus prędictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facien. plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Quarto, Pridie Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLVII fol.* 131.

2. *Mindonien.*) Vulgo *Mondonnedo*, in *Hiſpania*.

3. *Biemanit.*) Corrupta vox. Legerem: *Beata Maria*.

4. *Biemanit.*) *Beata Maria*.

Anno 1524 Die 1 Novembris.

Leowardienſis (1) Monaſterii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Provinciali Ordinis Prędicatorum Provincię Inferioris Germanię ejuſdem Ordinis.

XXI.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

CUm, ſicut dilectus filius Wybo Gerardi Burgimagiſter oppidi Lewardenſis partium Friſię, Trajectenſis Diœceſis, & dilecta in Chriſto filia Svorocha ejus Uxor Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi zelo devotionis, & Religionis ducti, pro ejuſdem Religionis propagatione, ac divini cultus augmento, in dicto oppido Lewardienſi, & loco ad id convenienti, & apto, unum Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, habitu, & inſtitutis Fratrum Ordinis Prędicatorum degentium cum Capella, ſeu Eccleſia, campanili humili, campana, ac ambitu, & omnibus officinis neceſſariis de licentia Ordinarii loci, ac eum conſenſu cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli (3) Romanorum, & Hiſpaniarum Regis Catholici, in Imperatorem electi, necnon dilecti filii moderni Rectoris Parochialis Eccleſię ipſius loci, de bonis eis a Deo collatis, conſtrui, & ędificari, ac ordinaria auctoritate erigi fecerint, & procuraverint, ac tunc Prior Provincialis Fratrum Ordinis Predicatorum hujuſmodi Provincię inferioris Germanię, ſecundum morem ejuſdem Ordinis, tuus prędeceſſor in Capitulo Provinciali partium illarum, in erectionem hujuſmodi conſenſum prebuerit, ac Monaſterium ipſum juxta privilegia, & indulta Apoſtolica ei conceſſa, de communi Definitorum vocalium voluntate, acceptaverit, & in eodem Monaſterio Moniales dicti Ordinis S. Auguſtini, ſub eorum cura, habitu, & inſtitutis degentes, intromiſerit, prout introductę fuerunt, quę inibi in humilitatis ſpiritu, & cum odore bonę famę gratum ſtudent exhibere Altiſſimo famulatum, Nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut erectioni, ampliationi, & introductioni hujuſmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiore robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui fidelium vota, per quę Religio propagari, & divinus cultus augeri, ac animarum ſalus ſubſequi poſſit, pii patris affectione libenter proſequimur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, erectionem, acceptationem, & introductionem prędictas ac prout illa concernunt, omnia, & ſingula in dicti Ordinarii, & aliis deſuper confectis, literis contenta, & inde ſecuta quęcunque, ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore prę- ſentium, approbamus, & confirmamus, ac illa perpetuę firmitatis robur obtinere, & ſuos effectus ſortiri, ac firmiter obſervari debere, decernimus, ſupplentes omnes & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus dicto Monaſterio, ac Prioriſſę illius, necnon Monialibus, nunc, & pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, & immunitatibus, exemptionibus, Indulgentiis, conceſſionibus, gratiis, favoribus, & indultis aliis Monaſteriis Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, habitu, & inſtitutis dictorum Fratrum Predicatorum degentibus, ac illius Prioriſſis, & Monialibus in genere conceſſis, & concedendis, ac quibus illa, & illę de jure vel conſuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti potiri, & gaudere libere, & licite valeant, jure parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, ſcientia, auctoritate, & tenore pręmiſſis, concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, & Ordinis Prędicatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die Prima Novembris MDXXIIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Facultas.

Evangeliſta.

1. *Leovvardien.*) In *Friſia Occidentali*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur apud *Bernardum noſtrum de Jonghe in Batavia deſolata pag.46.*
3. *Caroli.*) Hujus nominis *V.*

Anno 1524 Die 24 Novembris.

Ne Firmani Fratres militares viros hoſpitio recipiant (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filijs Priori, & Fratribus Conventus S. Dominici Firman. Ordinis Prędicatorum.

XXII.

CLEMENS PP. VII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXponi Nobis nuper feciſtis, quod Commiſſarii, vel alii officiales, & quandoque etiam dilecti filii Communitas Civitatis noſtrę Firman, minus prudenter, quam deceat, ſępeſępius vobis pręcipere, & mandare prędumpſerunt, ut in Clauſtro, & Cameris domus veſtrę ſeculares, & alias perſonas, etiam militiam exercentes, ad civitatem ipſam pro tempore accedentes, recipiatis, non attendentes, perſonas ipſas

ipſas in ipſa domo, ejuſque clauſtro, & interdum cantare cantilenas minus honeſtas, ac etiam ludere ludis prohibitis, aliaſque multas inſolentias perpetrare, ex quibus inhoneſta, variaque delicta, quandoque ſequuntur, ac eccleſiaſticum plerunque perturbatur officium in divinę majeſtatis offenſam, & aſtantium ſcandalum populorum, ad Eccleſiam ipſam confluentium, & non modicum veſtrum, & domus veſtrę prejudicium. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut omnibus, & ſingulis commiſſariis, & officialibus ſingularibuſque perſonis Communitatis hujuſmodi ſub excommunicationis latę ſententię, Vicelegato autem, etiam ſi Archiepiſcopali, vel Epiſcopali fulſerit dignitate, ſub interdicti ingreſſus Eccleſię, ac ſuſpenſionis a divinis, pęnis, ut a pręmiſſis abſtineant, pręcipere, & mandare, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, attendentes, non convenire in religioſis domibus perſonas laicales, pręſertim militares hoſpitari, & hoſpitium habere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, commiſſariis, & officialibus, ſingularibuſque perſonis dictę Communitatis, & Vicelegato pro tempore exiſtenti, ſub excommunicationis, & interdicti, & ſuſpenſionis, pęnis prędictis reſpective, per pręſentes pręcipimus, & mandamus, ne de cetero in clauſtro, & aliis locis domus veſtrę perſonas ſeculares, pręſertim militiam exercentes, ac arma deferentes introducere, ſeu eas ad inibi habitandum mittere, aut eis hoſpitium aſſignare quoquo modo pręſumant, &, ſi Vicelegatus, cum eum Provinciam viſitare, & ad dictam Civitatem ſe conferre contigerit, in domo veſtra pro eo tempore, quo in ipſa Civitate permanſerit, manſionem habere voluerit, in virtute ſanctę obedientię, ac ſub dictis interdicti ingreſſus Eccleſię, & ſuſpenſionis a divinis, pęnis inhibemus, ne armatos in ea teneat, nec cauſas audire, aut juriſdictionem exercere pręſumat. Quod ſi contrafecerint vobis per pręſentes etiam concedimus, ut liceat vobis tales contrafacientes, & propterea excommunicationis, ac interdicti, & ſuſpenſionis hujuſmodi pęnas incurrentes, in Eccleſia veſtra excommunicatos, ac interdictos, & ſuſpenſos reſpective publicare, & pęnis hujuſmodi irretitos eſſe populo nunciare, pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIIII Novembris MDXXIIII (3), Pontificatus noſtri Anno Primo. — Mandatum.

1. *Recipiant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 405, ex Autographo *Firmano*.

3. *MDXXIIII.*) Fortaſſis *MDXXIII*, *Clemens* enim *VII* electus fuerat anno *MDXXIII* die *XIX* Novembris: vel dicendum quod in Brevibus, ut in Bullis, *Clemens VII* annos Pontificatus quandoque numerabat a die Coronationis.

Romanam Provinciam, & Congregationem S. Marci privilegiis (1) ornat & earundem Conſervatores creat.

Anno 1525 Die 5 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. VII.

XXIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam. Venerabilibus Fratribus univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis perſonis in Eccleſiaſtica dignitate ubilibet conſtitutis, necnon Cathedralium, etiam Metropolitanarum, Eccleſiarum Canonicis, ac eorundem Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Spiritualibus, Vicariis Generalibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Dignum eſſe conſpicimus, & neceſſarium arbitramur, ut ſpeciali favore Sedis Apoſtolicę foveatur, qui conſanguineorum ſuorum ſpreto affectu, Dei, non hominis, pręlium pręliatur. Sane dilecti filii Philippi de Strotiis (3) Prioris Provincialis Provincię Romanę Ordinis Fratrum Prędicatorum noſtri ſecundum carnem affinis conqueſtione percepimus, quod nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique Eccleſiarum Pręlati, & Clerici, & alię perſonę tam eccleſiaſticę, quam ſeculares, necnon Duces, Marchiones, Barones, Comites, Principes, nobiles, milites, & laici, Communia Civitatum, Univerſitatum, Oppidorum, Caſtrorum, Villarum, & aliorum locorum, ac alię ſingulares perſonę Civitatum, & Dięceſum, ac aliarum partium diverſarum debitam ad ipſum Philippum Priorem Provincialem, ac alios Priores, & Fratres domorum ejuſdem Provincię Romanę propter Deum reverentiam non habentes, eos in perſonis, & rebus ipſorum, ac domorum prędictarum, pręſumunt indebite moleſtare. Ac in ipſum Philippum, & pro tempore exiſtentem Priorem Provincialem, necnon Priores, & Fratres, ac ſingulares perſonas domorum dictę Provincię hujuſmodi multiplices moleſtias, ac injurias inferunt, ac jacturas. Quare pro parte dicti Philippi, Prioris Provincialis, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum ſibi, necnon Prioribus, Fratribus, & perſonis domorum Provincię, & Ordinis hujuſmodi reddatur valde difficile pro ſingulis querelis ad Sedem eandem habere recurſum providere eis ſuper hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adverſus pręſumptores, moleſtatores, & injuriatores hujuſmodi illo volentes eiſdem Philippo, ac aliis Prioribus, Fratribus, & perſonis domorum Ordinis, & Provincię prędictorum remedio providere, per quod ipſorum compeſcatur temeritas, & aliis aditus ſimilia committendi pręcludatur, diſcretioni veſtrę tenore pręſentium diſtricte pręcipiendo committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios, etiam extra loca, in quibus deputati eſtis Conſervatores, & Judices, eiſdem Philippo Provinciali, & aliis Prioribus, Fratribus, & perſonis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, non permittatis eos ſuper his, ac aliis bonis, & rebus ad eorum domos hujuſmodi quomodolibet ſpectantibus, ab eiſdem, vel quibuſvis aliis, indebite moleſtari, vel eis gravamina, ſeu damna, vel injurias irrogari, facturi Philippo Provinciali, & aliis Prioribus, Pręſidentibus, ac Fratribus domorum Ordinis, & Provincię hujuſmodi pręfatis, cum ab eodem Provinciali ſolo, & a quolibet Priore, ſeu Pręſidente cum conſenſu Conventus domus, in qua

requirens Prior, ſeu Pręſidens fuerit, vel Procurator eorum, fueritis requiſiti, de prędictis, & aliis quibuslibet, & ſuper reſtitutione quorumcunque bonorum occupatorum, & ablatorum, necnon de quibuslibet injuriis, moleſtijs, atque damnis, pręſentibus, & futuris, in illis videlicet, quę judicialem requirunt indaginem, ſimpliciter, & de plano ſine ſtrepitu, & figura judicii, in aliis, prout qualitas negotiorum exegerit, juſtitię complementum, occupatores, detentores, pręſumptores, moleſtatores, & injuriatores hujuſmodi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, ordinis, conditionis, nobilitatis, & pręeminentię fuerint, quandocunque, & quotieſcunque expedierit, auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis, & nihilominus, legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos, quos cenſuras, & pęnas per vos pro tempore latas incurriſſe conſtiterit, quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggravare, & reaggravare curetis. Ceterum ſi per ſummariam informationem per vos deſuper habendam etiam vobis conſtiterit, quod ad loca, in quibus occupatores, pręſumptores, moleſtatores, & injuriatores hujuſmodi, ac alios, quos pręſentes literę concernunt, pro tempore morari contigerit, pro monitionibus ipſis, & citationibus de eis faciendis tutus non pateat acceſſus, vel eorum co-
Nota. pia commode haberi non poterit, Nos vobis monitiones, & citationes quaslibet, etiam ad effectum declarandi illos incurriſſe cenſuras hujuſmodi per edicta publica locis affigenda publicis in partibus illis vicinis, de quibus ſit veriſimilis conjectura, quod ad notitiam citandorum, & monendorum hujuſmodi pervenire valeant, faciendi, plenam, & liberam concedimus, tenore pręſentium, facultatem. Cupientes inſuper Fratres, & Ordinem hujuſmodi ad eorum inſtitutionem per Romanos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, declaratam reduci, atque ipſis per eoſdem Pontifices conceſſa, & confirmata, privilegia, & ſtatuta inviolabiliter obſervari, ut in vinea Domini quietius operari, & ſolitum inde fructum procreare poſſint, ſub anathematis latę ſententię pęna earundem pręſentium tenore ſtatuimus, atque decernimus, quod dictę Provincię Provincialis, vel ab eo ſubdeputati, & non alius, delicta, & exceſſus Fratrum ejuſdem Ordinis in dicta Provincia exiſtentium, tam in Urbe, quam extra, commiſſa, etiam ſine habitu in Urbe, vel alibi repertorum, punire poſſit, ac debeat, non obſtantibus noviſſimi Lateranen. Concilii ſtatutis, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo aliquis auctoritate preſentium ultra tres dietas non trahatur, aut quod de aliis, quam de manifeſtis injuriis, & violentiis Conſervatores ſe nullatenus intromittant, quodque Archiepiſcopi, Epiſcopi, aut alii Superiores, ſeu in eccleſiaſtica dignitate conſtituti duntaxat Conſervatores deputari poſſint, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, quibuſvis perſonis in contrarium forſan conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, etiam ſi de illis ſpecialis mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda foret, ad effectum pręmiſſum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ceterum etiam volumus, pręmiſſa omnia, & ſingula ad Vicarium Congregationis Sancti Marci Provincię Tuſcię ejuſdem Ordinis, necnon domos, & loca, ac Priores, ſeu Pręſidentes, Fratres, & perſonas ejuſdem Congregationis dictę Provincię Tuſcię reſpective extendi, quodque tranſumptis pręſentium manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Curię eccleſiaſticę, vel perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis ubique ſtetur, eaque fides adhibeatur, quę preſentibus adhiberetur ſi exhibite forent, vel oſtenſę, pręſentibus futuris temporibus valituris. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die V Aprilis MDXXV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Evangeliſta.

1. *Privilegiis*.) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex autographo *Reatino*.

3. *De Strotiis*.) Vulgo *Strozzi*, Gens eſt nobiliſſima, quæ nunc etiam floret.

Anno 1525 Die 19 Aprilis.

Avellinen. (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIV. Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectę in Chriſto filię, nobili mulieri, Suſannę de Gonzaga Comitiſſę Soliani, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. EXimię devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam Eccleſiam gerere dignoſceris, non indigne promeretur, ut votis tuis, illis pręſertim, quę divini cultus augmentum, & Religionis propagationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Dudum ſiquidem omnia beneficia eccleſiaſtica apud Sedem Apoſtolicam, tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi, & diſ-
Diplomatis cauſa. poſitioni noſtrę reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Cum itaque poſtmodum Eccleſia ruralis, Annunciatę nuncupata prope, & extra muros Avellin. ſita, per liberam reſignationem dilecti filii Cichetti de Iambo, nuper ipſius Eccleſię Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, per dilectum filium Petrum de Gonzaga Clericum Mantuan. Diœceſis, procuratorem ſuum, ad hoc, ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem prędictam vacaverit, & vacet ad pręſens, nulluſque de illa, pręter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, &, ſicut exhibita Nobis pro parte tua, petitio continebat, tu zelo devotionis accenſa, cupiens tranſitoria in ęterna, & temporalia in cęleſtia felici commercio commutare, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Prędicatorum, & eorum perſonas, propter eorum exemplarem vitam, ac uberes fructus, quos incolis locorum, in quibus degunt, aſſidua, & devota divinorum officiorum celebratione, verbi Dei prędicatione, & confeſſionum diſcreta auditione, afferre ſolent, geris devotionis affectum, de bonis tibi a Deo collatis unam domum prope dictam Eccleſiam pro perpetuis uſu, & ha-

& babitatione Fratrum Ordinis Prędicatorum hujuſmodi, inſtitui, & ędificari facere ſummopere deſideres, ſi tibi illam conſtrui, & ędificari faciendi, & Fratribus prędictis illam pro ipſorum perpetuis uſu, & habitatione, & Eccleſiam hujuſmodi pro eorum, & dictę domus Eccleſia recipiendi, per Sedem Apoſtolicam, licentia concedatur. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi apud Eccleſiam prędictam bujuſmodi domum prędictam, cum campanili humili, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, conſtrui, & ędificari faciendi, necnon Priori Provinciali, & Fratribus Provincię Terrę laboris dicti Ordinis, ſecundum illius morem, domum prędictam, poſtquam conſtructa fuerit, pro perpetuis ipſorum Fratrum uſu, & babitatione, ac Eccleſiam eandem pro eorum, & dictę domus Eccleſia recipiendi, ipſamque domum perpetuo inbabitandi, licentiam, & facultatem concedere, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui animarum ſalutem procurari, Religionem Fratrum propagari, & divinum cnltum adaugeri, noſtris potiſſime temporibus ferventibus deſideriis exopeamus, te, ac dictos Priurem, & Fratres a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jnre, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi apud Eccleſiam pręnarratam, domum prędictam cum campanili humili, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu, & babitatione Fratrum prędictorum, ſine cujuſquam pręjudicio, ſundandi, & conſtrui, & ędificari ſaciendi, necnon Fratribus ipſis, illam pro eorum perpetuis, uſu, & habitatione inhabitandi, ac illam, & Eccleſiam hujuſmodi, quę ſine cura eſt, & eorum fructus, redditus, & proventus, ſex ducatorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum, nt aſſeris, non excedunt, ſive pręmiſſo, ſivę alio quovis modo, aut ex alterins, cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem dicti Cichetti, vel cujuſvis alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem prędictam, legitime devoluta, ipſaque Eccleſia diſpoſitionj Apoſtolicę ſpecialiter, vel alias generaliter, reſervata exiſtat, dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, pro eorundem Fratrum, & dictę domus Eccleſia recipiendi, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam concedimus, ac ipſam Eccleſiam eiſdem Fratribus, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo, aſſignamus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qna cavetur, ne prędicti, vel cujuſvis alterius Ordinis Mendicantium profeſſores, ad inbabitandum nova loca recipere, ſeu jam recepta mutare, pręſumant, ſine dictę Sedis licentia ſpeciali, de prohibitione hujuſmodi, ſpecialem, & expreſſam faciente mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, contrariis quibuſcnnque, aut ſi aliqui, ſuper proviſionibus ſibi faciendis, de hnjuſmodi, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus, literas impetrarunt, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ad Eccleſiam prędictam, volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quod aſſecutionem beneficiorum aliorum pręjudicium generari, ſeu ſi venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Avellin.[1], & quibuſvis aliis, communiter, vel diviſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod ad receptionem, vel proviſionem alicujus, minime teneantur, & ad id compelli non poſſint, quodque de hujuſmodi, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis ad eorum collationem, proviſionem, pręſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem conjunctim, vet ſeparatim, ſpectantibus, nulli valeat provideri per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, effectus earum impedirl valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuſque tenore, habenda ſit in noſtris literis, mentio ſpecialis. Nos enim dictę domui, ſi illam per te vigore pręſentium, conſtrui, & ędificarl contigerit, ut pręfertur, & illius pro tempore Priori, ac Fratribus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, indulgentiis, exemptionibus, & gratiis, quibus alię domus dicti Ordinls, & illarum pro tempore Priores, & Fratres, in genere, eis, & dicto Ordini per Sedem prędictam conceſſis, utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potirl, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant, pręfata auctoritate, earundem tenore pręſentium, concedimus pariter, & indulgemus. Volumus autem, quod Eccleſia prędicta debitis propterea non fraudetur obſequiis, ſed ejus per ipſos Priorem, & Fratres congrua ſupportentur onera conſueta, & inſuper, prout eſt irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attemptatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attemptarl. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, aſſignationis, voluntatis, conceſſionis, indulti, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, indignationem Omuipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Quinto, Decimo tertio Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Facultas.

B. A. de Agazan. N. Aragon.
W. Soler N. Noiroti.
A. Cave. Regiſtr. apud me Hie. Torrella.

1. *Avellinen.*) Juris eſt Provinciæ *Regni Siciliæ*, in Regno *Neapolitano*.

2. *Archivo.*) In quo autographum. Plumbum ſericis filis appenditur.

Ut

Anno 1525 Die 23 Maii.

Ut ea quæ pro Cœnobio Montis Politiani ſancita ſunt (1) executioni mandentur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXV.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus S. Agnetis de Monte Politiano, Aretin. Diœceſis (3), Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolieam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXponi Nobis nnper feciſtis, quod licet ad executionem quarundam literarum noſtrarum in forma Brevis ſub Data Romę apud S. Petrum die decima nona Decembris MDXXIII Pontificatus noſtri Anno Primo, illarum forma ſervata per dilectum filium venerabilis Fratris Epiſcopi Aretin. in ſpiritualibus Vicarium Generalem, cui de narratis in dictis literis, per diligentem informationem deſuper factam legitime conſtitit, proceſſum, ac vobis, quod de cetero per duos ex veſtris Fratribus in Saeerdotio conſtitutis, quorum alter ad prędicandum idoneus exiſtat in veſtra Eccleſia apud aliquod Altare inibi conſiſtens, divinum officium pro Teſtatoris, in eiſdem Noſtris literis nominatim expreſſi, animę ſalute celebrare, & alia onera in pręfatis noſtris literis narrata, ſupportare deberetis, nec amplius ad Eccleſiam Beatę Marię de qua in eiſdem literis fit mentio, pro pręmiſſis exequendis aeeedere teneremini, conceſſum, necnon prędia, & bona per dictum Teſtatorem pro prœmiſſorum obſervatione ex teſtamento legata cum eorum redditibus, & juribus eidem Altari, ad quod divinum officium hujuſmodi pro tempore celebrabitur, applicata fore, decretum, & voluntas dicti Teſtatoris, quoad hoc commutata fuerit, prout in proceſſu ipſius Vicarii deſuper habito, ſeu Inſtrumento publieo, ſuper illo confecto, plenius dicitur contineri, nihilominus, cum poſtmodum compertum fuerit, certum Inſtrumentum publicum certi contractus circa tempus conditi Teſtamenti hujuſmodi inter ipſum teſtatorem, & Fratres veſtri Ordinis qui nedum tunc in terra Montis Politiani, Aretin. Diœceſis Eccleſiam habebatis, ſeu unum ex hujuſmodi Fratribus eum auctoritate ſui Superioris, videlicet Prioris Provincialis iſtius Provincię celebrati, per quod idem teſtator, dicto Altari, ac Fratribus veſtri Ordinis, certa alia bona immobilia conceſſit, ac donavit, & Fratres hujuſmodi ad eadem precise onera in dicto teſtamento contenta, teneri, ſeu obligatos eſſe voluit, de quo in prędictis literis mentio facta non extitit, ac propterea a nonnullis de viribus illarum, & inde ſecutorum, hęſitari poſſet. Quare pro parte veſtra, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis in prœmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui honeſtis perſonarum omnium, prœſertim ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium, votis libenter annuimus, ac ea favoribus proſequimur opportunis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, quod prędictę literę, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis, necnon proceſſus deſuper per dictum Vicarium habiti, & inde ſecuta quęcunque, valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, & vobis ſuffragentur, etiam ad hoc, ut etiam bona, tam per teſtamentum legata, quam per hujuſmodi inſtrumentum conceſſa, dicto Altari applicata, & appropriata, ac voluntas Teſtatoris hujuſmodi, etiam quoad hoc commutata ſint, & eſſe cenſeantur in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi in illis de dicto Inſtrumento, & contentis in eo, expreſſa mentio facta fuiſſet, ſic tamen, quod vos onera prędicta ſubire teneamini, ut prœfertur, concedimus, & indulgemus, & nihilominus venerabilibus Fratribus Aretin. (4), & Sen. (5), ac Cluſin. (6), Epiſcopis, ſeu eorum in ſpiritualibus Vicariis Generalibus, harum ſerie committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios auctoritate noſtra faciant vos conceſſione, & indulto hujuſmodi pacifice frui, & gaudere, nec permittant, vos contra tenorem prœſentium modo aliquo moleſtari, impediri, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles &c. quoſcunque, de quibus eis viſum fuerit, per cenſuras, & pęnas, ac alia juris remedia, appellatione remota, compeſcendo, cum poteſtate illos aggravandi, & reaggravandi, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus prœmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXIII Maii MDXXV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Mandatum.

1. *Sancita ſunt.*) Conſtitutione III data *XIX* Decembris *MDXXIII.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar in *Bullario Bononienſi pag.* 79.
3. *Diœceſis.*) Nunc Epiſcopalis Sedes eſt *Mons Politian.*
4. *Aretin.*) In *Hetruria.*
5. *Sen.*) Fortaſſis: *Senen.*, in *Hetruria.* Archiepiſcopalis tamen Sedes a *Pio II* jam creata fuerat *Senenſis* Eccleſia.
6. *Cluſin.*) In *Hetruria.*

Hagt

Digitized by Google

Hagæ Comitis (1) Cœnobii Fratres ſint in poſſeſſione ſupplicationem ſolemnem habendi die Octava Paſchæ in honorem S. Vincentii.

Anno 1525
Die 7 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXVI.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Ordinis Prędicatorum in Haga Comitis, Trajectenſis Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm a Nobis petitur, quod juſtum, & honeſtum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod vos, filii Prior, & Fratres Domus in Haga Comitis, Ordinis Prędicatorum, Trajectenſis Dięceſis, ac veſtri prędeceſſores, qui fuerunt pro tempore dictę domus Priores, & Fratres per annos quadraginta, & ultra conſuevistis, annis ſingulis die Dominica in Octavis Paſchę per loca Voerhout, & Viverboch Villę Hagenſis, ejuſdem Dięceſis, ad honorem S. Vincentii unam Proceſſionem facere, ac in poſſeſſione, ſeu quaſi juris proceſſionem hujuſmodi ſingulis annis faciendi fuiſti, ac eſtis de pręſenti, & ob hoc illam a Nobis Apoſtolico petiiſtis munimine roborari. Nos itaque, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis Proceſſionem prędictam, ut pręfertur, faciendi, ſicut in illius poſſeſſione, ſeu quaſi pacifica, & quieta fore dignoſcimini, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Quinto, Nonis Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

1. *Haga Comitis.*) Batavis *Sgravenhage*, Gallis *la Haie*, in *Hollandia*. Italis *Aja*.

2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur apud *Bernardum* noſtrum *de Jonghe* in *Batavia deſolata pag.* 167.

Declarat Fratres Grottolenſis (1) Cœnobii Sacramenta Parochianis adminiſtrare debere.

Anno 1525
Die 11 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXVII.

Dilectis (3) filiis Priori, & Fratribus Conventus Grottolenſis Ordinis Fratrum Prędicatorum.

CLEMENS PP. VII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

DUdum felicis recordationis Leoni Papę X, Prędeceſſori noſtro pro parte veſtra expoſito, quod licet olim pię memorię Julius PP. II etiam Prędeceſſor noſter ad inſtantiam incolarum, & habitatorum oppidi de Grottola, Acheruntin., & Matheran. Dięceſis, Eccleſiam Beatę Marię Majoris dicti oppidi, quę olim Eccleſia Collegiata, & Parochialis fuerit, ſuppreſſo, & extincto in illa titulo, & nomine Eccleſię Collegiatę conceſſiſſet, & donaſſet, ac licentiam eccleſiaſtica Sacramenta parochianis dictę Eccleſię miniſtrandi vobis tribuiſſet, voſque a tempore dictę conceſſionis, in quieta, pacificaque poſſeſſione Sacramenta hujuſmodi miniſtrandi fuiſſetis, tamen pro eo, quod alias dictus Leo Prędeceſſor in Concilio Lateranen. noviſſime celebrato decreverat, ne Religioſi cujuſvis Ordinis Sacramenta eccleſiaſtica parochianis laicis conferre poſſent, ab aliquibus aſſerebatur conceſſionem Julii Prędeceſſoris hujuſmodi revocatam eſſe, qui antea inſtante dilecto filio Magiſtro Thoma (4) tit. Sancti Sixti Presbytero Cardinali tunc veſtri Ordinis Generali vivę vocis oraculo declaraverat, per Decretum Concilii hujuſmodi privilegio, ſeu literis per dictum Julium Prędeceſſorem, vobis, ſeu dicto loco in particulari conceſſis, derogatum non eſſe, veſtris indemnitatibus pręcavere volens, per ſuas in forma Brevis literas denuo decrevit, per dictum decretum Literis Julii, Prędeceſſoris, vobis, ſeu loco prędicto in particulari conceſſis, in aliquo derogatum non eſſe, voſque literis ipſis ex tunc de cetero licite, & libere uti poſſe, & debere, prout in eiſdem literis dicitur plenius contineri. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut literas Leonis Prędeceſſoris hujuſmodi pro majori eorum obſervatione, approbare, & innovare, ac alias ſtatui veſtro in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui Religioni deditis Apoſtolici favoris pręſidium libenter impendimus, & ut ipſi a diſpendiis releventur noſtri miniſterii partes adhibemus, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, Decretum, & literas Leonis Prędeceſſoris hujuſmodi auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, approbamus, & innovamus, ac propterea roboris firmitate ſubſiſtere, & vobis ſuffragari debere decernimus; Et nihilominus pro potiori cautela declaramus, per Decretum Lateranen. Concilii hujuſmodi conceſſioni, per dictum Julium Prędeceſſorem vobis factę, & his deſuper confectis prędictis, in aliquo derogatum, aut pręjudicatum non eſſe, voſque, illo non obſtante, conceſſione, & Literis Julii Prędeceſſoris hujuſmodi uti, ac juxta illarum tenorem Sacramenta prędicta dictis parochianis conferre libere, & licite, nec deſuper impediri poſſe. Et ſic per quoſcunque cenſeri debere, ſublata quavis aliter interpretandi facultate, ac quicquid ſecus attentari contigerit, irri-

Declaratio.

Digitized by Google

irritum, & inane decernimus, mandantes venerabilibus Fratribus Inſulano (5), & Monorubino (6) Epiſcopis, ac dilecto filio Archipresbytero Eccleſię Andrin. (7), quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, vobis in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes faciant, vos auctoritate noſtra conceſſione, & decreto hujuſmodi pacifice gaudere, non permittentes vos deſuper, per quoſcunque quavis auctoritate fungentes deſuper quomodolibet indebite moleſtari, contradictores per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XI Julii MDXXV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Grottolenſis.*) Juris eſt Provinciæ *Apuliæ*. Conſulenda *Conſtitutio LXXIV Leonis X*. Legitur pag. 357 hujuſce *IV* Tomi.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Grottolenſi*.

3. *Dilectis.*) Deerat inſcriptio, quæ reſtituta fuit ex ipſo Diplomate.

4. *Thoma.*) *Cajetano*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Leonis X*.

5. *Inſulano.*) Sub Metropoli *S. Severina*, in *Calabria*.

6. *Monorubino.*) Fortaſſis *Monopolitano*, in *Apulia*, vel potius *Monorvino*. Sic vulgo vocant *Minervienſem* Sedem Epiſcopalem in *Apulia*.

7. *Andrin.*) *Andrien.*, vulgo *Andria*, ſub Archiepiſcopo *Tranenſi*.

Anno 1526 Die 5 Februarii.

Pruliani Monaſterii (1) privilegia firmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXVIII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori (3), & Fratribus, ac dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Sororibus Monaſterii B. Marię de Prulhiano, Ordinis Fratrum Pręedicatorum, S. Papuli Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm a Nobis petitur quod juſtum, eſt, & honeſtum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filii, & dilectę etiam in Domino filię, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras, & locum, in quo divino eſtis obſequio mancipati, & ſub eadem clauſura, ſeparatim tamen, degitis, cum omnibus bonis, quę impręſentiarum rationabiliter poſſidetis, & in futurum juſtis modis, pręſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub B. Petri protectione ſuſcipimus, atque noſtra. Locum quoque ipſum, in quo pręfatum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis in territorio Fani Jovis, necnon terras, poſſeſſiones, molendina, vento, & aqua molentia, ortos, prata, paſcua, redditus, juriſdictionem temporalem, & quicquid juris, tam ex dono quondam Simonis Comitis Gloceſtrię, & Montis fortis, quam alias, emptionis titulo, idem Monaſterium, noſcitur obtinere, necnon Eccleſiam Caſtri Fani Jovis, & Capellam de Forcia dependentem ab ea, cum terris, poſſeſſionibus, decimis, redditibus, ac omnibus pertinentiis earundem, ac etiam domos, poſſeſſiones, terras, redditus, dominium, & univerſa jura, quę in loco habetis prędicto, Eccleſiam de Inſula, cum decimis, & omnibus pertinentiis ſuis, domos, redditus, poſſeſſiones, & juriſdictionem temporalem, ac quicquid juris habetis ibidem, Eccleſiam de Venaſtruilla, cum Capella de Villa franca dependente ab ea, necnon decimis, & omnibus pertinentiis ſuis, domos, ortos, redditus, molendina, poſſeſſiones, dominium, & quicquid juris in eadem Villa franca, Monaſterium veſtrum noſcitur obtinere, Eccleſiam de Limoſo, cum decimis, & omnibus pertinentiis ſuis, domos, redditus, poſſeſſiones, & juriſdictionem temporalem, molendina, & alia jura, quę habetis ibidem, grangiam de Sauzechiis, cum pertinentiis ſuis, caſtrum de Fenocheto, cum hominibus, & omnibus appendentiis, & pertinentiis ſuis, caſtrum de Agaſſenchis cum hominibus, & omnibus appendentiis, & pertinentiis ſuis, terras, & poſſeſſiones, quas habetis in caſtro de Alzona, tertiam partem caſtri de Calavo cum hominibus, & omnibus appendentiis, & pertinentiis ſuis, locum, qui dicitur de Legnaco, & tertiam partem dominii caſtri de Caz, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, ſolarium de Venaſtruilla cum omnibus pertinentiis ſuis, viginti duo arpenta nemorum in foreſta Regis Francię de Sancto Romano, necnon molendinum, prata, & poſſeſſiones, quas habetis ibidem in foreſta ipſius Regis de Valleſio, duodecim ſextariatas nemorum, nemus de Ramundenchis cum pertinentiis ſuis, poſſeſſiones, & terras cultas, & incultas, ac paſcua, quę fuerunt quondam Guilhermi de Turre, Militis, poſſeſſiones, terras, & paſcua, quę fuerunt quondam Raymundi Yſarni, & alias poſſeſſiones, & quicquid juris in Narbonen., & Bituricen. Provinciis Monaſterium veſtrum noſcitur obtinere, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, uſuagiis, & paſcuis in boſco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & ſemitis, ac omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus ſuis, ac nonnulla alia bona ad Monaſterium veſtrum legitime ſpectantia, necnon omnes libertates, & immunitates a felicis recordationis Innocentio III, Honorio etiam III, Gregorio IX, Gregorio X, & aliis Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris, ſive per privilegia, vel alias indulgentias, ac indulta vobis, & Monaſterio veſtro conceſſas, necnon libertates, & exemptiones, ſecularium exactionum a Regibus, & Principibus, ac Baronibus, aliiſque Chriſti fidelibus, vobis, & Monaſterio veſtro rationabiliter indultas, ſicuti ea omnia, juſte, & pacifice poſſidetis, vobis, & per vos eidem Monaſterio veſtro, auctoritate Apoſtolica, confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno

Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Quinto (4), Nonis Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

B. Creſcentius.

B. Miranda.

Jo. Faignoy.

1. *Monaſterii.*) Conſulendæ *Notæ* in Conſtitutionem Innocentii III, legitur *Tomo I pag. I.*
2. *Archivo.*) In quo autographum. Plumbum ſericis filis appenditur.
3. *Priori.*) Hujus enim Monaſterii curam gerit Prior.
4. *Vigeſimo Quinto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXXVI.*

Altentenſis (1) Monaſterii Sorores maximis laudibus ornat.

Anno 1526 Die 27 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Monialibus domus SS. Petri, & Pauli in Altenhohenau, Ordinis Prędicatorum. XXIX.

CLEMENS PP. VII.

Dilectę in Chriſto filię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX plurium iſthinc fide dignorum, tam nunc, quam ſępe alias relatione, & literis intelleximus, vos in tanta veſtrorum Civium tumultuatione, & a ſancta fide, majorumque inſtitutis defectione, licet medias conſtitutas, tamen incorruptam Deo Omnipotenti, ac Beato Dominico, veſtri Ordinis Fundatori, mentem, atque vitam conſervaſſe, & quaſi roſas in agro Domini vernantes inter circumſtantium peccatorum ſpinas floruiſſe, in dieſque florere. Quę res Nobis ſingularem in Domino lętitiam attulit, ut debuit, reputantibus ex hoc Deum, licet Nobis iratum, non omnino averſum eſſe, qui tantam in ſexum fragilem vim, & conſtantiam contulerit, ut fortiſſimis Germanię viris eſſe queat exemplo. Benedictus igitur Dominus in ſanctis Virginibus ſuis, qui ex theſauro bonitatis, & miſericordię ſuę tale robur veſtris mentibus immiſit, ut ad continentię, paupertatiſque laudem, etiam vim patientię, & fortitudinis adiiceretis, ſcilicet beatę eritis, quę nunc ſuffertis tentationem, accepturę mox juſtitię coronam a Deo, vobis, & ſimilibus veſtri repromiſſam. Sic enim agendum eſt omnibus, maxime autem vobis, cum ex toto Deo dicatę ſitis ob profeſſionem, & hoc ad Cęlum pateat iter, quod vobis Redemptor noſter, Sancti ejus Apoſtoli, & Martyres, ipſeque Pater veſter Dominicus ab hęreticis multa mala perpeſſus, reliquerunt. Nos quidem, dilectę in Chriſto filię, hujus veſtrę pietatis admiratores effecti; contineri ex abundantia caritatis, paſtoralique officio non potuimus, quin ſcriberemus ad vos, veſtramque pietatem, & & laudaremus pręteritam, & accenderemus futuram, ſiquidem veſtra ſponte, cum tantum virtutis exemplum edideritis, nonnihil vos deinceps adjecturas ſperamus, Apoſtolica voce accedente, ſupereſt enim fere modicum hujus jam mali, & procellę, ac divina ira, quod perſpicitur, jam lenior, & ad miſericordiam ſuo more prolapſa eſt. Nam, & Sereniſſimus Cęſar, & pientiſſimus ejus Frater, Principeſque, & Prętſules Germanię in priſtinę vendicationem pietatis, pacationemque Provincię incumbunt, Noſque quantum poſſumus, coadjuvare, & eniti non deſiſtimus, nec unquam deſiſtemus, itaque cum proxima, Deo auctore, ſe oſtendat tranquillitas, ſperate Deo dicatę Virgines in Dei clementia, & patienter hos fluctus ſuſtinete, ut in pręſenti vita non mulieres modo, ſed viros virtute pręgreſſę, in altera cum lampadibus veſtrorum operum lucentibus, obvium cęleſtem ſponſum habeatis, qui vos benedicat, & protegat. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXVII Februarii MDXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Altenten.*) Vulgo *Altenhochenau*. Juris eſt Provinciæ *Saxoniæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Friſingæ* typis *Jo. Chriſtiani Caroli Immel* editum anno *MDCCXXI*.

Urbęvetanum (1) Monaſterium S. Pauli privilegiis, & indulgentiis donat.

Anno 1526 Die 28 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLEMENS PP. VII. XXX.

Dilectę (3) in Chriſto filię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm proximis diebus Eccleſiam Monaſterii veſtri, ac viridarium veſtrum viſitaremus, vos cum ſumma humilitate, & devotione ad pedes noſtros proſtratę, deoſculatis pedibus noſtris, ac percepta a Nobis benedictione, Nobis humiliter ſupplicaſtis, quod juxta privilegia Apoſtolica vobis, & Monaſterio veſtro conceſſa, exemptę ſitis a ſolutione decimarum, & ſubſidii, ac aliarum impoſitionum ab Apoſtolica Sede pro tempore impoſitarum, eo quod ſine Chriſti fidelium eleemoſynis vivere non poſſitis, tamen quotidie a Commiſſariis Camerę Apoſtolicę, & aliis exactoribus, occaſione decimarum (4) Papalium, & aliarum impoſitionum pro tempore impoſitarum, ac ſubſidii ratione duarum Eccleſiarum, quę in dicto viridario ſunt, & illi incorporatę exiſtunt, & ruinam minantur, & ſemper, excepta die, ſub cujus invocatione conſtructę fuerint, clauſę teneantur, & qua die illarum oſtium apertum tenetur, in eiſ-

Diplomatis cauſa.

eiſque Miſſę celebrantur, ex quibus parum annuatim percipitis, quotidie moleſtamini, & ad illarum, & ſubſidii hujuſmodi ſolutionem cogimini, deſideratiſque propterea, ut eum animi veſtri quiete orationibus veſtris liberius vacare poſſitis, ab hujuſmodi moleſtiis liberari, vobiſque, ac omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus in ſexta feria majoris hebdomadę, ac Paſchatis Reſurrectionis D. N. Jeſu Chriſti, & aliis duobus diebus ſequentibus, necnon Dominica, qua feſtum S. Pauli Apoſtoli venerit,

Privilegia.

tunc proxima Dominica ſubſequenti, devote viſitantibus, & manus adjutrices pro ſuſtentatione veſtra porrigentibus, indulgentias ſtationum Urbis concedi. Nos, quibus de paupertate veſtra extitit legitime facta fides, ac propriis oculis ſaltem unam ex eiſdem Eccleſiis, quę in viridario hujuſmodi exiſtunt demolitione dignam eſſe, alterius vero oſtium calce, & lapidibus claudi, & obturari debere, conſpeximus, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis unam ex eis Eccleſiis magis Monaſterio veſtro propinquam, in dicto viridario exiſtentem, demoliri, alterius vero oſtium calce claudi facere teneamini, dummodo duo Altaria in Eccleſia veſtri Monaſterii ſub Eccleſiarum Sanctorum invocatione, & apud dicta Altaria Miſſas, ſicut in dictis Eccleſiis facere conſueveratis, celebrari faciatis, & Altaria ipſa ſub ipſa Sanctorum invocatione conſtrui, & ędificari faciendi, licentiam, quodque de cetero ad ſolutionem decimarum Papalium, & aliarum quarumcunque impoſitionum, etiam Apoſtolica auctoritate pro tempore impoſitarum, & ſubſidii ratione quorumcunque bonorum, per vos pro tempore obtentorum, etiam ratione demoliendę, & alterius, Eccleſiarum in viridario exiſtentium, ut prefertur, nullatenus teneamini, nec ad id a quoquam cogi, aut compelli poſſitis, auctoritate Apoſtolica, tenore

Indulgentiæ.

pręſentium, concedimus, & indulgemus, Decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, & nihilominus pro aliqua ſubventione veſtra vobis, & ſingulis veſtrum, ac omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui in ſexta feria majoris hebdomadę, ac Reſurrectionis D. N., & aliis duobus diebus ſequentibus, ac in qua feſtum S. Pauli venerit, aut in ſequenti Dominica, ut pręfertur, Eccleſiam Monaſterii veſtri viſitaverint, & apud Altare majus ejuſdem Eccleſię ſepties Salutationem Angelicam, & toties orationem Dominicam recitaverint, & ad ſuſtentationem veſtram manus adjutrices porrexerint, omnes, & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones, quas conſequerentur, & conſequi poſſent, ſi eiſdem temporibus, & diebus, Baſilicas, & Eccleſias ſtationum Urbis, & extra muros hujuſmodi, ad id deputatas, viſitaretis, & viſitarent, conſequamini, & ipſi utriuſque ſexus Chriſti fideles conſequantur, auctoritate, & tenore pręmiſſis indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis quarumvis indulgentiarum ſuſpenſionibus, revocationibus, limitationibus per Nos, & Sedem eandem pro tempore factis, ſub quibus pręſentes literas nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas exiſtere decernimus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum in Civitate noſtra Urbevetana ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Februarii MDXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Bloſius.

1. *Urbevetanæ.*) Adeas *Fontanam de Romana Provincia.*
2. *Archivo*) In quo Exemplar ex autographo *Urbevetano.*
3. *Dilectæ.*) Inſcriptio deeſt, ex ipſo tamen Diplomate liquet quod *Urbevetanis* Monialibus Monaſterii *S. Pauli* conceſſum fuit.
4. *Decimarum.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*

Anno 1526 Die 26 Martii.

Ut Fratres quibus extra Domos degere licet ab aliis diſtingui (1) poſſint, cavet.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXI.

Dilecto filio Vicario Generali Fratrum Ordinis Pręedicatorum Congregationis Lombardię regularis obſervantię.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXpoſuit Nobis nuper venerabilis Frater noſter Laurentius (3) Epiſcopus Pręneſtin. Cardinalis SS. IIII (4) Ordinis Pręedicatorum Protector, quod quandoque Fratribus dicti Ordinis, a Sede Apoſtolica, vel ejus auctoritate conceduntur literę, quod ipſi extra domos dicti Ordinis habitu ſuo per eos retento degere poſſint. Quo fit, ut tales Fratres propter hujuſmodi literas ab Ordine exempti, & extra domos Ordinis degentes eodem habitu utuntur, quo Fratres ſub Pręlatorum ſuorum obedientia exiſtentes, & in domibus degentes, & cum habitu Fratrum in domibus degentium non diſtinguantur, & interdum aliqua committant, propter quę ſeculares de Fratribus in domibus bene viventibus, & in nullo culpabilibus obloquuntur, atque ſcandalizantur. Verum ſi ſtatueretur, & ordinaretur, quod tales Fratres extra domos Ordinis retento eorum habitu ſtandi licentiam habentes, dum eos in civitatibus, oppidis, ac villis, in quibus domos veſtrę Congregationis eſſe contigerit, pallium, & biretum nigrum, cum in publicum incedunt, deferre teneantur, ex hoc honori Fratrum dictę Congregationis plurimum conſuleretur, ac murmurationibus, & oblocutionibus, & Fratrum ipſorum detractionibus conſuleretur. Quare idem Laurentius Epiſcopus, etiam tuo nomine Nobis humiliter ſupplicavit, ut in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Fratres Congregationis hujuſmodi, tanquam peculiares filios in viſceribus gerimus caritatis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſtatuimus, & ordinamus, quod Fratres dicti Ordinis ex conceſſione ſtan-

ſtandi extra domos dicti Ordinis, habitu retento, licentiam pro tempore obtinentes, cum in civitatibus, & locis, in quibus domus dictę Congregationis fuerint, publice pallium, & biretum nigrum deferre teneantur, alioquin conceſſio, & literę Apoſtolicę, etiam ab officio Pęnitentiarię eis conceſſę, nullatenus ſibi ſuffragentur, poſſitque contra eos per earundem domorum Superiores, quacunque exemptione eis conceſſa non obſtante, procedi, ipſique capi, & carcerari, & juxta dicti Ordinis regularia inſtituta puniri, in omnibus, & per omnia ac ſi licentia, & literę prędictę ſibi conceſſę non fuiſſent. Ceterum quia difficile foret, pręſentes noſtras originales literas ad ſingula quęque opportuna loca deferri, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod earum tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, ea prorſus fides ubique adhibeatur, quę pręſentibus noſtris adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Martii MDXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Diſtingui.*) Ex hac Conſtitutione liquet quod Fratres reformati nec bireto nigro tunc utebantur, nec pallium deferebant cum incedebant in publicum.

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum *Lib. E. fol.* 19. Legitur apud *Uſuſmarem pag.* 200.

3. *Laurentius.*) *Puccius*, de quo *Ciaconius* in *Leone X.*

4. *IIII.*) *Quatuor* ſcilicet *Coronatorum*.

Parochialis Eccleſia S. Jacobi de Corneliano unitur Januenſi (1) Cœnobio S. Mariæ de Caſtello.

Anno 1526 Die 12 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXXII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

DIvini cultus augmento, & animarum ſaluti, necnon Chriſti fidelium omnium, pręſertim ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium, & preces jugiter porrigentium, opportunitatibus conſulere cupientes, votis omnium, qui ad hoc tendere dignoſcuntur, libenter annuimus, eaque ſavoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem omnia beneficia eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura, apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque poſtmodum Parochialis Eccleſia Sancti Jacobi de Corneliano, Januenſis Diœceſis, per liberam reſignationem dilecti filii Bartholomęi de Laurentinis de Tribiano, nuper ipſius Eccleſię Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, per dilectum filium Lucianum Palavicinum, Clericum Januen. procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem eandem vacaverit, & vacet ad pręſens, nulluſque de illa pręter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis; &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum moderni Prioris, & Fratrum Domus Beatę Marię de Caſtello, Januen., Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, fructus, redditus, & proventus dictę Eccleſię adeo ſint tenues, & exiles, ut valorem annuum duorum ducatorum auri de camera ſecundum communem extimationem non excedant, & ex illis Rector pro tempore dictę Eccleſię ſe commode ſuſtentare non poſſit, & ſi dicta Eccleſia eidem Domui perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto ipſius Domus opportunitatibus conſuleretur, ac ipſi Prior, & Fratres curarent diligentius eidem Eccleſię in divinis deſerviri, & illius parochianorum animarum curam exerceri, in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum extimationem prędictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, quemlibet ex moderno Priore, & Fratribus prędictis a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon fructuum, redditũum, & proventuum dictę Domus verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, Eccleſiam prędictam, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut, ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem dicti Bartholomęi, vel cujuſvis alterius reſignationem de illa in Romana curia, vel extra eam, etiam coram notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut Conſtitutionem felicis recordationis Johannis PP. XXII Prędeceſſoris noſtri, quę incipit: Execrabilis: vel aſſecutionem alterius beneficii eccleſiaſtici quavis auctoritate collati vacet, etiam ſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii ad Sedem prędictam legitime devoluta, ipſaque Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter, vel alias generaliter reſervata exiſtat, aut ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa; dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Domui perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus ita quod liceat eiſdem Priori, & Fratribus per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum prędictorum poſſeſſionem propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, ipſiuſque Eccleſię fructus, redditus, & proventus in earundem Domus, & Eccleſię uſus, & utilitatem convertere, necnon per Presbyterum idoneum ſecularem, ſeu dicti, vel cujuſvis alterius Ordinis regularem, ad eorum nutum ponendum, & amovendum, eidem Eccleſię in divinis deſerviri, ac illius Parochianorum animarum cura exerceri facere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, non obſtantibus dicta voluntate Prędeceſſoris noſtri, ac ultimi Lateranen. Concilii, & pię memorię Bonifatii PP. VIII, etiam Prędeceſſoris noſtri, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi fa-

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum, ejus literas impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum. Quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſecuta quęcunque ad dictam Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum prędjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Volumus autem quod Eccleſia prędicta debitis propterea non fraudetur obſequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur; ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta; & inſuper, prout eſt, irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, unionis, annexionis, & incorporationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo, Vigeſimo ſexto, Pridie Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Januenſi.*) In *Liguria*. Nota quod Domus iſta nunc Priorem habet.

2. *Archivo*,) In quo duplex Exemplar unum ex Autographo *Januenſi*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Libro XLVII fol.* 53.

Anno 1526 Die 20Junii,

De reformando Fanenſi (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Hieronymo de Lauda, Ordinis Fratrum Prędicatorum de Obſervantia Vicario Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. CUm, ſicut nuper Nobis pro parte dilectorum filiorum communitatis civitatis noſtrę Fani expoſitum extitit, Fratres Conventus Monaſterii S. Dominici ejuſdem Civitatis, Ordinis Fratrum Prędicatorum Conventualium, nimis licentioſe, quam religioſis perſonis conveniat, & fas ſit, ac in ſcandalum plurimorum inibi degant, & in diem, in pejus eorum vita tendere formidetur, cum a regula, & inſtitutis dicti Ordinis, vitam hujuſmodi ſuam penitus deviam ducant, prędicta communitas, Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ſuper his, & eidem Monaſterio de perſonis Religioſis bonę famę, & exemplaris vitę, & eiſdem acceptis, providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, prout noſtro incumbit officio, pręmiſſis ſalubre remedium adhibere volentes, cum noſtrę mentis ſemper fuerit, & ſit, ſcandalis obviare, honeſtis ejuſdem Communitatis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ac eorundem deſiderio annuentes, tibi motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia per preſentes committimus, & in virtute Sanctę obedientię ac ſub excommunicationis pęna diſtricte pręcipiendo mandamus, quatenus, viſis pręſentibus, abſque alia excuſatione, & dilatione prędictum Monaſterium per te, vel alium, ſeu alios, & prout tibi pro celeriori expeditione videbitur, Fratribus Conventualibus inibi nunc degentibus omnino per cenſuras eccleſiaſticas, & alia juris remedia exinde prius excluſis, & amotis, quos Nos per pręſentes etiam
Mandatum. excludimus, & ſub excommunicationis latę ſententię pena, ac privationis privilegiorum ſuorum, niſi mandatis tuis hujuſmodi paruerint, amovemus, niſi profeſſi ejuſdem Conventus, in Congregatione prędicta, vel eodem Conventu, voluerint remanere; Quod ſi noluerint, remittes eos ad ſuos Superiores, qui illis de Conventu provideant. Et ita per quoſcunque judicari, ſententiari, & definiri volumus, & mandamus, decernentes irritum, & inane quicquid ſecus etiam per Auditores S Palatii noſtri, & Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales attentari contigerit, recipias, & ſub tui cura, ac regimine, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, & pro tempore Vicarii Generalis hujuſmodi de obſervantia, regendum, & gubernandum perpetuis futuris temporibus ita quod in numero aliorum Conventuum Congregationis Lombardię de Obſervantia ſit, & eſſe cenſeatur, ſuſcipias, & deinceps retineas, Salvo tamen in omnibus jure, & reverentia, Magiſtro Ordinis pro tempore debita, necnon ad dictum Monaſterium, alios Fratres ejuſdem Ordinis de prędicta Congregatione probatę vitę numero competenti, prout tibi videbitur, qui ibidem pro tempore juxta Ordinis prędicti inſtituta, & Conſtitutiones reſideant, & quorum doctrina, & vita exemplari Civitati prędicte ſatisfiat, & quod Altiſſimo in candore, & odore bonę, & laudabilis vitę famulentur, & ex eo fructus ſperati, & optati prodeant, & ex aliis Monaſteriis de obſervantia prędictę Congregationis, a te nunc, & pro tempore Vicario Generali eligendos, tranſmittas, & tranſmittat, contradictores quoslibet, & rebelles, ac mandatis tuis, & dicti Vicarii pro tempore exiſtentis renitentes, illiſque conſilium, auxilium, vel favorem, quovis titulo, ſeu pretextu pręſtantes, eiſdem cenſuris, quavis appellatione poſtpoſita, compeſcendo; Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis ſuper quibus omnibus, & ſingulis tibi, & dicto Vicario pro tempore exiſtenti, amplam, & liberam facultatem, & auctoritatem per pręſentes concedimus, & impartimur, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, & indultis dicto Ordini, tam obſervantię, quam Conventualium conceſſis, confirmatis, ac etiam forſan per Nos innovatis, ſtatutis quoque, & ordinationibus eorundem Ordinum, necnon indulto de expectando in ſimilibus duo Brevia a Sede Apoſtolica, quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum pręſentibus insererentur, pro expreſſis haberi volumus, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe, hac vice duntaxat, derogamus, & derogatum omnino eſſe decernimus. Ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi ali-

ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, & excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas de indulto hujuſmodi non facientes mentionem. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XX Junii MDXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Fanenſi*.) Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi pag.* 82.

Anno 1526 Die 26 Junii.

XXXIV.

De Feſto B. Jacobi (1) Salomonii celebrando.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Chriſtophorus (3) Numajus (4), miſeratione divina tituli S. Marię Aracęli S. R. E. Presbyter Cardinalis, Forolivii (5) vulgariter nuncupatus, univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus has pręſentes inſpecturis, lecturis, pariter, & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam.

Fidem indubiam facimus & atteſtamur, qualiter, cum ſit, quod divina clementia varia, & diverſa ſanitatum, & gratiarum munera meritis B. Jacobi de Venetiis Ordinis Fratrum Pręedicatorum S. Dominici in ſacro Conventu S. Jacobi intra Civitatem Forolivien. conſiſten., multis eum pie invocantibus, indeficienter conferre non deſinat, propterea dictę Civitatis, & Conventus tam populus, quam Fratres ejuſdem Ordinis S. Dominici Congregationis Lombardie hujuſmodi B. Jacobi pia devotione inflammati ad Sedem Apoſtolicam, & ad Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Papę VII, clementiam recurrentes, eidem ſuę ſanctitati per Nos eorum nomine humiliter ſupplicari curarunt, quatenus, tam pro ipſius B. Jacobi gloria, quam pro ipſorum populi, & Fratrum plurima devotione augenda, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli auctoritate, & ſua, annis ſingulis perpetuis futuris temporibus, concedere, & indulgere dignaretur, & dicti B. Jacobi feſtum in die obitus ſui videlicet ultima Menſis Maii, necnon divinum officium, & Miſſarum ſolemnia pro ipſius B. Jacobi gloria edita, & facta ſub officio Feſti duplicis, ſolemniter celebrare valeant, infra annum vero, tam pro dictorum Fratrum, pro tempore ibidem degentium, quam pro aliorum ſecularium devotione, prout ipſorum devotio exegerit, toties, quoties opus fuerit, in Eccleſia ipſorum, ſeu etiam in Monaſterio Monialium ejuſdem Ordinis in dicta Civitate, & ſub eorundem Fratrum regimine conſiſtente, Miſſam dicere, aut cantare, ſeu dici, aut cantari, facere per Fratres dicti Ordinis Pręedicatorum duntaxat valeant, ſimiliter pręfati Jacobi commemorationem quandocunque ipſorum Fratrum ibidem degentium, ſeu aliorum advenientium devotio induxerit, ibidem in Eccleſia, & in Monaſterio ſupradicto, tam in Miſſis, quam in Divino officio facere poſſint. Et inſuper quod dictę Eccleſię S. Jacobi conſecrationem, quę ultima Maii celebrari conſuevit, ad ſextam Menſis Septembris transferre, & tali die illam celebrare poſſint. Et quoniam ſua ſanctitas fidelium piis votis libenter annuere conſuevit, vivę vocis oraculo Nobis deſuper facto Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Sexto die vero XXV Menſis Junii, & Pontificatus ſui Anno III, tam pro ipſorum populorum, & Fratrum, devotione, quam pro ipſius B. Jacobi gloria augendis, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Apoſtolorum, Petri, & Pauli auctoritate, & ſua, Nobis pro parte, & nomine ſupradictorum Communitatis, & Fratrum humiliter, ac pie ſupplicantium, omnia, & ſingula ſupradicta liberaliter, & benigne conceſſit, pariter, & indulſit ita quod ſupradicti Fratres ibidem pro tempore degentes hujuſmodi feſtum, necnon divini officii, ac Miſſarum ſolemnia, tam in die obitus ſui, quam infra annum, ut pręmittitur, celebrare, necnon conſecrationis feſtum transferre, & alia omnia, & ſingula ſupradicta facere, & explere libere, & licite, & abſque alicujus conſcientię remorſu, poſſint, & valeant, in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. In quorum omnium fidem has pręſentes noſtras literas exinde fieri, & noſtra, ac noſtri ſecretarii infraſcripti manibus ſubſcribi voluimus, necnon noſtri majoris oblongi ſigilli appenſione communiri juſſimus, & mandavimus. Datum Romę in ędibus noſtris ſub Anno Domini a Nativitate ejuſdem MDXXVI Indictione XIIII, Die vero XXVI Menſis Junii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis divina providentia Papę VII Anno ejus Tertio &c.

Chriſtoph. Cardinalis Aracęli manu propria &c.

Bartholomęus Bemuolus Secretarius mandato ſcripſit.

1. *B. Jacobi*.) Cujus vitam conſcripſere *Vicentius a Faventia*, *Hyacinthus Cumbert*, aliique quos laudat Echard Tomo *II Scriptorum Ordinis pag.* 988. Conſulendi quoque *Souegius* in *Anno Dominicano*, & *Bollandiani* in *Actis Sanctorum* ad diem *XXXI* Maii, qua Feſtum *B. Jacobi* celebratur.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar.

3. *Chriſtophorus*.) Ordinis Minorum, vitæ ſanctitate, ac doctrina clarus. Adeas *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III in Leone X pag.* 394.

4. *Numajus*.) *Numalius*, ut apud Scriptores quos *Ciaconius* laudat, vocatur.

5. *Forolivii*.) *Forolivienſis* nempe. Sic ex patria dictus fuit.

Ut

Anno 1526 Die 15 Septembris.

Ut Veronenſes (1) Fratres Monialium confeſſiones excipiant.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXV.

CLEMENS PP. VII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ACcepimus, non ſine admiratione, quod licet venerabilis Frater Johannes Matthęus (3) Epiſcopus Veronenſis, Datarius noſter, de noſtra voluntate, & mandato per Vicarium, ſeu Commiſſarium, ſuos diverſa Monaſteria Monialium, ſeu Sororum diverſorum Ordinum Veronen. Civitatis, & Dięceſis reformaverit, qua in re ejus pietatem, & Abbatiſſarum, & Monialium, quę reformationem ſuſceperunt, obedientiam plurimum in Domino commendamus, tamen vos a Vicario, & Commiſſario ejuſdem Johannis Matthęi Epiſcopi requiſiti, ut aliquos Sacerdotes Monaſteriorum, & domorum veſtrorum ad audiendum Confeſſiones Abbatiſſarum, ſeu Prioriſſarum, & Monialium Monaſteriorum hujuſmodi deputare velletis, id facere neglexiſtis, ſeu revelaſtis (4) Quare cum ad caritatem, & veſtrum officium, pertineat, in audiendis quarumcunque, pręſertim mulierum Deo dicatarum, Confeſſionibus pium laborem ſuſcipere, hortamur vos, & in Domino vobis nihilominus in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis latę ſententię pęna pręcipientes, ut uſque ad biennium a data pręſentium computandum, donec interim hęc melius ordinari queant, eos Sacerdotes veſtrorum Monaſteriorum vita, & doctrina probatos, quos a vobis Vicarius, ſeu Commiſſarius ejuſdem Johannis Matthęi Epiſcopi, & quotiens, totiens ad audiendum Confeſſiones Abbatiſſarum, & Prioriſſarum, & aliarum Monialium, ac mulierum incluſarum Monaſteriorum reformatorum hujuſmodi deputare debeatis, ipſique per vos deputati munus hoc eis demandatum exequi debeant, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac privilegiis veſtris Ordinibus, & Monaſteriis per Sedem Apoſtolicam conceſſis, confirmatis, & ſuperius pluries innovatis, quibus, illorum tenores pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum pręſentium derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Septembris MDXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Hier. Vaſion.

1. *Veronen.*) Inſcriptio quidem deeſt, Fratribus tamen *Veronenſibus* hocce Diploma ſcriptum fuiſſe, fertur, nec ſine fundamento.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol. 6* ex authentico *Veronenſi*.
3. *Johannes Matthæus.*) Adeas *Ughellum* in *Epiſcopis Veronen.*
4. *Revelaſtis.*) *Renuiſtis.*

Anno 1526 Die 12 Octobris.

Generalis Magiſter quoſcunque Priores, ac ceteros ab Apoſtolica Sede alicui officio præfectos, ab eiſdem officiis removere poteſt (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXVI.

Dilecto filio Fratri Franciſco (3) de Ferraria Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXponi Nobis nuper feciſti, quod nonnulli Ordinis Prędicatorum profeſſores, necnon ſub cura, habitu, & Inſtitutis ejuſdem Ordinis Sorores, ſeu Monaſteriorum Moniales, degentes, ſeu viventes, antea, vel poſtquam in priores, & Prioriſſas, aut ad alia officia domorum, & Monaſteriorum hujuſmodi eliguntur, aſſumuntur, ſeu deputantur, a Nobis, ſeu Sede Apoſtolica, vel ejus Legatis, aut noſtro majori Pęnitentiario, ſeu Superioribus dicti Ordinis, ſe in Priores, & Prioriſſas, vel pręſidentes, aut Officiales, perpetuos, aut perpetuas, dictarum domorum, & Conventuum, aliter quam in Conſtitutionibus, ac ſtatutis dicti Ordinis continetur, deputari, & confirmari nituntur, ex quo non ſolum ſequitur, quod ipſi per te a Prioratibus, & Prioriſſatibus, ac aliis Officiis hujuſmodi, etiam ſtante cauſa, ut moris eſt, amoveri non poſſunt, ſed, quod deterius eſt, ſcandala, inobedientię, lites, diſſenſiones quamplures, & turbatio Religionis in dies provenit. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, attendentes, quod ubi derogatur obedientię, quę Superioribus debetur, totius Ordinis ruina brevi ſuccedit, & propterea huic malo occurrere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, quaſcunque electiones, deputationes, inſtitutiones, commiſſiones, conceſſiones, proviſiones, commendas, pręfectiones, confirmationes, gratias, & quaſvis alias diſpoſitiones deputationum Priorum, & Prioriſſarum, & quorumcunque aliorum Officiorum, domorum, tam virorum, quam mulierum, ac Monaſteriorum Monialium ſub cura Fratrum hujuſmodi degentium, tam a Nobis, & Sede pręfata per literas Apoſtolicas, & in forma Brevis, vel alias ab ejus Legatis, aut majori Pęnitentiario noſtro, quam Superioribus ejuſdem Ordinis pro tempore exiſtentibus, & quibuſvis aliis, etiam ad id auctoritatem habentibus, perſonis, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & pręeminentię exiſtentibus, aliter quam in Conſtitutionibus, & ſtatutis hujuſmodi continetur, hactenus factas, & impetratas,

Mandatum.

ac

ac de cetero pro tempore faciendas, & impetrandas, cum omnibus inde ſecutis, & pro tempore ſecuturis, revocamus, caſſamus, & annullamus, revocataſque, caſſatas, & annullatas, nulliuſque roboris, vel momenti exiſtere, teque, & dicti Ordinis Generales, & Provinciales, Magiſtros, quam alios ſuperiores pro tempore exiſtentes ad parendum, & obediendum literis hujuſmodi, quaſcunque cenſuras, & pęnas in ſe continentibus etiamſi in illis de pręſenti conceſſione ſpecialis, & expreſſa mentio fieret, minime teneri, & propterea aliquas cenſuras Eccleſiaſticas incurrere, aut ab illis ligari non poſſe, ſicque per quoſcunque judices tam Ordinarios, quam delegatos, quacunque auctoritate fungentes, & functuros, ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales in quavis inſtantia interpretari, ſententiari, & judicari debere, ſublata eis, & eorum cuilibet, aliter interpretrandi, ſententiandi, & judicandi facultate, ac ex nunc irritum, & inane quicquid deſuper per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attemptari, decernimus. Et nihilominus omnibus, & ſingulis Superioribus, & Fratribus, Prioriſſis, & Monialibus ſub cura hujuſmodi exiſtentibus, pręter quam conſtitutiones, & ſtatuta hujuſmodi in Prioratibus, Prioriſſatibus, & aliis Officiis pręd ictis, pro tempore inſtitutis, ſeu deputatis, vel in poſterum inſtituendis & deputandis, ne commiſſionibus, & deputationibus, ſeu diſpoſitionibus ſuis hujuſmodi ſub excommunicationis latę ſententię, quam ſi non paruerint, ipſo facto incurrant, & privationis ac ſuſpenſionis actuum legitimorum pęnis utantur, diſtrictius inhibemus. Quocirca venerabilibus Fratribus noſtris Laurentio Epiſcopo Pręneſtino, dicti Ordinis Protectori, & Generali Camerę noſtrę Auditori, & pro tempore exiſtentibus mandamus, quatenus ipſi, vel alter eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, tibi, & pro tempore dicti Ordinis Generali Magiſtro, in pręmiſſis opportuno defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant, te & alios Magiſtros Generales hujuſmodi omnibus, & ſingulis pręmiſſis pacifice frui, & gaudere, non permittentes, vos deſuper per quoſcunque contra pręſentium literarum tenorem quomodolibet moleſtari, aut perturbari: contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die XII Octobris MDXXVI Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Evangeliſta.

1. *Poteſt.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum.

3. *Franciſco.*) De quo dictum fuit.

De Decimis (1), aliiſque tributis non ſolvendis.

Anno 1526 Die 4 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXVII.

Dilectis filiis Vicario Generali, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum Congregationis Lombardię regularis obſervantię.

CLEMENS PP. VII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, vos juxta privilegia, & indulta Apoſtolica, vobis per felicis recordationis Bonifatium VIII, & Martinum V, ac alios Romanos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, conceſſa, & approbata a quibuſcunque Decimis, & collectis, ex quibuſvis cauſis pro tempore impoſitis, exempti, & liberi eſſe cenſeamini, ac ſub mendicitate, redditus ultra ſeptem ducatos auri pro quolibet Fratre non poſſidentes, & circa divinorum celebrationem, verbi Dei prędicationem, aliaque ſalubria opera ad animarum Chriſti fidelium ſalutem intenti, gratum Altiſſimo famulatum exhibere ſtudeatis, Nos, ut liberius divinis beneplacitis vacare poſſitis, vos paterno affectu confovere volentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, quod ad ſolutionem Decimarum per Nos, pro inſtantis temporis neceſſitate impoſitarum, & imponendarum pro tempore, ac contributionem in illis faciendam, ſolum, & duntaxat de reſiduo fructuum bonorum per vos poſſeſſorum, qui demptis, & exceptis, ſeptem ducatis auri ſimilibus, pro quolibet ex Fratribus in ſingulis domibus veſtris degentibus deductis, ut pręfertur, ſupererit, & non alias teneamini, & ad decimas ipſas aliter, quam de reſiduo fructuum bonorum hujuſmodi minime compelli, nec propterea aliquibus cenſuris innodari, poſſitis, auctoritate Apoſtolica concedimus, & pariter indulgemus, diſtricte pręcipiendo inhibentes omnibus, & ſingulis dictarum decimarum collectoribus, & exactoribus, nunc, & pro tempore deputatis, ne vos, aut aliquem veſtrum, quovis pretextu, ad aliquam ſolutionem, ſeu contributionem decimarum hujuſmodi coarctare, vel deſuper moleſtare, aut inquietare, vel perturbare quoquomodo pręſumant, ac decernentes irritum, & inane quicquid ſecus attentari contigerit. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quę in literis impoſitionis Decimarum hujuſmodi voluimus, non obſtare, & in eis contentis, quę pręſentibus pro expreſſis haberi volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, decernentes pręſentium tranſumptis manu Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eandem prorſus fidem in judicio, & extra adhiberi debere, quę adhiberetur eiſdem pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IV Novembris MDXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Diplomatis cauſa.

Nota.

Mandatum.

1. *Decimis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultim. Tit. X.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum *Lib. E. fol.* 18. Legitur etiam *Lib. B. fol.* 5 ex autographo *Veronenſi*, & in *Bullario Bononienſi pag.* 82. Inter Bullas *Clementis VII* exemplar habes ex autographo *Cremonenſi*.

Ut

Digitized by Google

Anno 1527 Die 11 Februarii.

Ut Poloniæ Provinciæ Fratres Officium, ſeu diurnas preces, nomine B. Hyacinthi (1) perſolvere, & ejuſdem feſtum celebrare poſſint.

Ex Odorico Raynaldo in Annal. Eccleſiaſt. ad an. MDXXVII num.CV.

Dilectis filiis Prioribus, & Fratribus Domus S. Dominici Cracovienſis Ordinis Prędicatorum.

XXXVIII.

CLEMENS PP. VII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXponi Nobis nuper feciſtis, quod alias felicis recordationis Leo Papa X, Prędeceſſor noſter, ad inſtantiſſimas preces cariſſimi in Chriſto filii noſtri Sigiſmundi Polonię Regis Illuſtris, certis Epiſcopis tunc expreſſis, ut ad generalem inquiſitionem vitę ſanctitatis, & miraculorum B. Hyacinthi Fratris Ordinis veſtri, ac ſocii S. Dominici, olim Inſtitutoris dicti Ordinis, procederent, mandavit (2) ipſeque proceſſus per unum ex Fratribus domus veſtrę clauſus, & ſigillis obſignatus Nobis nuper pręſentatus, illiuſque examinatio tribus ex S. R. E. Cardinalibus, ac duobus Rotę Auditoribus per nos commiſſa fuit, & licet ipſe Hyacinthus, dum in humanis egit, ac tempore quo Creatori ſuo ſpiritum reddidit, ac poſteaquam vita functus fuit, plurimis miraculis coruſcarit, ac propterea magna Chriſti fidelium iſtius Regni multitudo ad Eccleſiam veſtram, in qua ipſius Beati corpus requieſcit, aſſidue confluant, pluresque ejuſdem Beati interceſſione preces ſuas, quas ad Deum effundunt, exaudiri firmiter credant, ipſumque pro Beato teneant, & venerentur, quia tamen in catalogo Sanctorum annumeratus non eſt, dubitatur an ſibi facere liceat. Quare venerabilis Frater noſter Laurentius (3) Epiſcopus Pręneſtinus, Cardinalis Sanctorum quatuor Coronatorum nuncupatus, dicti Regni Protector, tam pręfati Sigiſmundi Regis, quam veſtro nomine Nobis humiliter ſupplicavit, ut pro ęterni Regis laude, & gloria, ac ipſius Beati reverentia, & honore, necnon Eccleſię decore, ac Catholicę religionis ſplendore, populique devotione, & ſalute vobis, ſingulis annis, etiam priuſquam ad illius Canonizationem proceſſum fuerit, Feſtum & Officium ejuſdem Hyacinthi de uno Confeſſore cum Oratione unius Confeſſoris ſub nomine B. Hyacinthi in Eccleſiis, & domibus veſtri Ordinis dicti Regni, ac Provincię celebrandi, & celebrari faciendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui fideles quoslibet ad Sanctorum Dei venerationem, & jugem erga eos devotionem, ut ei, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum procedit, placere ſtudeant, prout poſſumus libenter excitamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, & aliis aliarum Domorum, necnon Monaſteriorum Monialium, ſeu Sororum veſtri Ordinis, in dicto Regno, & Provincia conſiſtentium, Fratribus, ac monialibus, ſeu ſororibus, ut de cetero perpetuis temporibus in Eccleſiis Domorum, & Monaſteriorum veſtri Ordinis hujuſmodi Officium, & Miſſas in memoriam ejuſdem Hyacinthi de uno Confeſſore ſub nomine B. Hyacinthi annis ſingulis altera die poſt Feſtum Aſſumptionis B. Virginis immediate ſequente, ejuſque imaginem depingi facere in Eccleſiis Domorum, & Monaſteriorum dicti Regni, & Provincię, depictam tenere, libere, & licite valeatis, Ordinariorum locorum, & cujuſvis licentia ſuper hoc minime requiſita, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium licentiam, & facultatem concedimus (4), non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod propter pręmiſſa dictus Beatus Hyacinthus canonizatus, & catalogo prędicto Sanctorum adſcriptus non cenſeatur. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XI Februarii MDXXVII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Facultas.

1. *Hyacinthi.*) Quem *Clemens VIII* in Sanctorum numerum retulit, uti poſtea dicetur. Adeas *Severinum* noſtrum in *Vita S. Hyacinthi*.

2. *Mandavit.*) Conſulendus Auctor mox laudatus. Hoc autem *Leonis X* Diploma deſideratur. Partim tranſcribitur a *Severino pag.162*. Datum fertur die *XXIX* Auguſti *MDXXI*, Pontificatus *Leonis X* anno *IX*.

3. *Laurentius.*) *Fliſcus* De quo ſæpe diximus, & quem Ordinis Protectorem beneficentiſſimum hæc Apoſtolica Diplomata ſæpius declarant.

4. *Concedimus.*) Illud idem conceſſit *Clemens VII* die *XV* Junii *MDXXX* variis Eccleſiis *Poloniæ* Regni, uti videre eſt ex *Severino pag.233*, & ex *Dominico Frydrchowicz* in *S. Hyacintho &c. Poloniæ Patrono pag.54*, ubi hæc habes *Feſtum, Miſſa, & Officium ejuſdem Sancti Hyacinthi in omnibus Eccleſiis Domorum Ordinis, & Regni ut celebrari poſſent a Summo Pontifice Clemente VII conceſſum fuit Die 15. Junii 1530. Anno ex Sanctitatis ſuæ beneplacito, & arbitrio, collata auctoritate Sereniſſimo Sigiſmundo III nominandi, & eligendi certas Eccleſias, in quibus Miſſa, & Officium cum Oratione de uno Confeſſore in honorem Divi Hyacinthi peragerentur. Quas Sereniſſimus ac Pientiſſimus ergo Patronum ſuum Rex de expreſſo Conſenſu Archiepiſcopi, & Epiſcoporum Provinciæ Gneznenſis duxit nominandas, ſcilicet Metropolitanam Gneznenſem, Cathedrales Cracovienſem, Uladiſlavienſem, Poſnanienſem, Plocenſem, omneſque Collegiatas quæ Metropolitanæ & Cathedralibus nominatis ſubſunt &c.*

Mo-

Monaſterium Prulianum (1) ſolius Generalis Magiſtri juriſdictionis eſt.

Anno 1527 Die 17 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. VII.

XXXIX.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex, ad importunam precum inſtantiam, nonnulla interdum concedit, quę alias, veritate comperta, concedenda non eſſent, ſicque, rebus cognitis, illa revocat, & annullat, prout in Domino conſpicit ſalubrite expedire. Dudum ſiquidem pro parte tunc Prioris, & dilectorum filiorum Fratrum, ac tunc Prioriſſę, & dilectarum in Chriſto filiarum Monialium Monaſterii B. Marię de Prulhiano Ordinis S. Auguſtini, Sancti Papuli (3), olim Toloſanę (4), Diœceſis, expoſito, quod alias, poſtquam tunc Prioriſſa, & Moniales dicti Monaſterii, quę B. Dominici Magiſtri, & Inſtitutoris Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſacris monitis, & exemplis inductę, relicta pompa ſeculari, elegerant Domino famulari, in pręfato Monaſterio B. Marię, fuerant collocatę, & idem S. Dominicus pia diſpoſitione providerat, ut unus Prior, & quatuor Fratres clerici ejuſdem Ordinis Prędicatorum, in ſpiritualibus, & temporalibus earundem Prioriſſę, & Monialium curam gererent, & id diutius fuerat obſervatum. Et cum Prior, & Fratres, qui ſecundum proviſionem hujuſmodi illis pręerant occaſione certę conſtitutionis tunc editę in Capitulo Generali ipſius Ordinis Prędicatorum, videlicet ne Fratres ejuſdem Ordinis Prędicatorum ex tunc deinceps curam mulierum haberent, Prioriſſę, & Monialibus pręfatis, pręeſſe recuſaſſent, felicis recordationis Gregorius PP. IX (5) Prędeceſſor noſter, ne propterea ab ipſarum Prioriſſę, & Monialium manibus fructus laboris preteriti evaneſcerent, tunc Magiſtro Generali dicti Ordinis Prędicatorum, quatenus Prioriſſę, & Conventui, quas primas omnium ad dictum Ordinem Prędicatorum converſarum, idem S. Dominicus doctrinę ſacrę retibus ex fluctibus ſeculi ad litus deduxiſſe dignoſcebatur, in quo mentalis quietis ęternę ſuavitas deguſtabatur, Fratres, qui pręmiſſam curam de ipſis haberent, ſicut eatenus habuerant, deputare procuraret, per ſuas literas mandaverat, & tandem Prioriſſa, & Moniales prefatę, quę ſub obedientia Generalis Magiſtri ſolummodo erant, ſub cura nedum Generalis Magiſtri, verum etiam Prioris Provincialis ejuſdem Ordinis Prędicatorum, non ſine earum, & dicti Monaſterii B. Marię interdum detrimento, poſitę fuerant. Cum penultimus (6) Generalis Magiſter dicti Ordinis Prędicatorum, ad ſupplicationem tunc Prioris, & Fratrum, ac Prioriſſę, & Monialium ipſius Monaſterii B. Marię, necnon preces tunc Francorum Regis (7) volens, ne eidem Monaſterio B. Marię deteriora (8) contingerent, providere, prefatum Monaſterium B. Marię per dilectum filium Adrianum de Nulli ipſius Ordinis Prędicatorum profeſſorem, viſitari mandaſſet, idem Generalis, de pręmiſſis, per eundem Adrianum plenius informatus, officii ſui, & ſibi ab Apoſtolica Sede indulta auctoritate, Monaſterium ipſum B. Marię, ac illius Priorem, & Fratres, necnon Prioriſſam, & Moniales pro tempore exiſtentes a viſitatione, & juriſdictione Prioris Provincialis Provincię Toloſanę, & cujuſcunque alterius exemerat, & liberaverat, necnon ejuſdem Monaſterii B. Marię, curam, regimen, & adminiſtrationem, ſibi ſoli reſervaverat, ita quod ex tunc deinceps nullus Prior Provincialis, aliquam juriſdictionem, ſuperioritatem, & dominium, in Monaſterium B. Marię, ac illius Priorem, & Fratres, necnon Prioriſſam, & Moniales hujuſmodi quoquomodo habere, & exercere poſſet, ſed illorum viſitatio, correctio, & reformatio, ſolum eidem Magiſtro Generali, & per eum deputando, immediate pertineret, prout in ipſius Magiſtri Generalis deſuper confectis literis, dicebatur plenius contineri. Nos, tunc Prioris, & Fratrum, ac Prioriſſę, & Monialium prędictorum in ea parte ſupplicationibus inclinati, viſitationem, reformationem, ac exemptionem, & liberationem prędictas, necnon prout illas concernebant, omnia, & ſingula in literis penultimi Generalis contenta hujuſmodi, & inde ſequuta quęcunque licita, & honeſta, ex certa ſcientia, per noſtras literas approbavimus, & confirmavimus, ac illis perpetuę firmitatis robur adjecimus, eaque ſuos effectus ſortiri, & firmiter obſervari debere, decrevimus, ſupplentes omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus pro potiori cautela, Monaſterium ipſum B. Marię, ac pręfatos, tunc, & pro tempore exiſtentes illius Priorem, & Fratres, necnon Prioriſſam, & Moniales a cura, & viſitatione Prioris Provincialis ejuſdem Provincię Toloſanę penitus, & omnino eximimus, & totaliter liberavimus, ac Magiſtro Generali dicti Ordinis Prędicatorum pro tempore exiſtenti, ejuſque curę, & viſitationi, ut prius, commiſimus, & ſubjecimus ita quod Magiſter Generalis Ordinis hujuſmodi pro tempore exiſtens, Monaſterium B. Marię, ac illius Priorem, & Fratres, necnon Prioriſſam, & Moniales hujuſmodi, tam in capite, quam in membris per ſe, dum perſonaliter, & abſens per alium ſui Ordinis Fratrem reformatum corrigendi, & reformandi, liberam poteſtatem haberet, ac Prior Provincialis Provincię Toloſanę hujuſmodi pro tempore exiſtens, aut alius quicunque, quavis auctoritate ſuffultus, niſi dictus Magiſter Generalis, cum pręſens foret, & cum abeſſet, alius Frater reformatus, ullam prorſus juriſdictionem, auctoritatem, poteſtatem, viſitationem, reformationem, & correctionem in Monaſterium B. Marię, ac illius Priorem, & Fratres, necnon Prioriſſam, & Moniales hujuſmodi, gerere, & exercere, ſeu illas, aliquibus ſententiis, cenſuris, & pęnis innodare nequirent, ſed ipſi Prior, & Fratres, ac Prioriſſa, & Moniales ſolum, & duntaxat mandatis, viſitationibus, correctionibus, & reformationibus Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum hujuſmodi, per ſe, ſi pręſens foret, vel per alium ſui Ordinis Fratrem reformatum, ut pręfertur, cui vices ſuas committeret, & non dicti Prioris Provincialis, & alterius, parere, & obedire tenerentur, ac quicquid per Priorem Provincialem Provincię Toloſanę hujuſmodi, & quoſcunque alios, quavis auctoritate, & poteſtate fulgentes, pręterquam per

Diplomatis cauſa.

Nota.

ipſum Generalem Magiſtrum, ſeu Capitulum ejuſdem Ordinis generaliter celebratum, poſt-
quam pręfatus penultimus Magiſter Generalis curam, & adminiſtrationem dicti Monaſterii
ſibi ſoli, ut pręmittitur, reſervaverat, tanquam nulliter, & abſque juriſdictione, ob-
ſiſtentibus exemptione, & liberatione, ac reformatione prędictis, factum, caſſavimus, &
annullavimus, illaque, necnon omnes, & ſingulos proceſſus, ac excommunicationis, ſuſ-
penſionis, & interdicti, aliaſque ſententias, cenſuras, & pęnas, quos, & quas per Priorem Provin-
cialem Provincię Toloſanę hujuſmodi contra Monaſterium B. Marię, ac pro tempore exiſtentem illius
Priorem, & Fratres, necnon Prioriſſam, & Moniales hujuſmodi, haberi, & promulgari contingeret,
nullius eſſe roboris, vel momenti, & ſic in pręmiſſis, per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos,
ſublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debe-
re, ac quicquid ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attenta-
ri, irritum, & inane decrevimus. Et inſuper electionem, de tunc Priore, ac tunc Prioriſſa pręfatis,
per Fratres, & Moniales Monaſterii B. Marię hujuſmodi approbavimus, & confirmavimus, ac eiſdem
Priori, & Fratribus, necnon Prioriſſę, & Monialibus, tunc, & pro tempore exiſtentibus, quod ex tunc
de cetero perpetuis, futuris temporibus occurrente, Prioratus, & Prioriſſatus Monaſterii S. Marię hu-
juſmodi, ſimul, vel ſucceſſive vacatione, ipſi Fratres, & Moniales ad Prioris, & Prioriſſę Monaſterii
B. Marię hujuſmodi electionem juxta privilegia, & Indulta Apoſtolica per pię memorię Honorium III,
& Gregorium IX Romanos Pontifices, etiam Prędeceſſores noſtros, ſibi conceſſa, quę & dicti tunc Prior,
& Fratres, ac tunc Prioriſſa, & Moniales, aſſerebant in uſu exiſtere, procedere valerent, & earundem
electionum confirmatio, & electorum inſtitutio, ad dictum Magiſtrum Generalem pro tempore exiſten-
tem pertineret, conceſſimus, & indulſimus, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſi-
cut dilectus filius Franciſcus (9) modernus Magiſter Generalis dicti Ordinis Prędicatorum, Nobis nu-
per exponi fecit, pręfatus Adrianus, qui pro Priore dicti Monaſterii B. Marię ſe gerebat, & literas
prędictas a Nobis extorqueri, procuravit, ac per Capitulum Generale ejuſdem Ordinis Prędicatorum,
in noſtra alma Urbe celebratum (10) ab officio Prioratus Monaſterii B. Marię hujuſmodi abſolutus, &
amotus, ac ſibi etiam ſub excommunicationis latę ſententię pęna, ut de dicto Monaſterio B. Marię, ſeu
pertinentibus ad illud quoquomodo ſe intromitteret inhibitum, & ſub eadem pęna, ut infra menſem, a
die habitę deſuper notitię redditis integre computis, ab eodem Monaſterio B. Marię recederet, & ad
ſuam Congregationem rediret, pręceptum fuiſſet, Noſque (11) abſolutionem, & amotionem, per Ca-
pitulum Generale factas hujuſmodi, ſupplendo omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan
intervenerant in eiſdem, per alias noſtras in forma Brevis literas approbaviſſemus, eiſdem Adriano ſub
dicta excommunicationis latę ſententię pęna, ne ex tunc de cetero ſe Priorem dicti Monaſterii B. Marię
nominare, aut de eo abſque ſpeciali licentia Generalis Magiſtri Ordinis Prędicatorum hujuſmodi contra
abſolutionem, & amotionem prędictas, ſe intromitteret, inhibuiſſemus, & de his in dictis literis, Prio-
ri, & Fratribus, ac Prioriſſę, & Monialibus pręfatis, conceſſis, nulla mentio, facta extiterit, ipſę-
que literę inſcio Magiſtro Generali, & non ſupplicantibus dictis Monialibus cum viginti quatuor ex
illis, mediam, ſeu magnam, & forſan ultra mediam partem earum conſtituentes, contradicant, & ſe
dicto Adriano, minime parituras aſſerant, extortę fuerint, ac inſtitutis regularibus dicti Ordinis Prę-
dicatorum, juxta quę illius Fratres, ac Sorores ſub eorum cura degentes, non perpetuum, ſed ad nu-
Notâ. tum ſuperiorum ſuorum amovibilem, Priorem habere debent, prout habent, contrarientur, & ſi illę
ſubſiſterent non ſolum monſtrum in Ordinem, ſed etiam ſciſſuram in Monaſterium hujuſmodi inducerent,
pręfatus Franciſcus Magiſter Generalis Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut pro ſalubri dicti Monaſterii
Mandatum. B. Marię quiete in hac parte conſulere, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſ-
tolica dignaremur. Nos igitur, attendentes, veris exiſtentibus pręmiſſis, Nobis per dictum Magiſtrum
Generalem expoſitis, primo dictas literas ſubreptitias merito cenſendas eſſe, ac volentes dicti Monaſte-
rii, & illius perſonarum profectui, & quieti providere, ac, quantum cum Deo poſſumus, futuris in-
convenientibus obviare, ac geſta per Capitulum Generale, quoad abſolutionem, & amotionem Adriani
hujuſmodi, de novo approbantes, & confirmantes, necnon omnes, & ſingulos juris, & facti defectus,
ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplentes, ipſumque Adrianum ab officio Prioratus Monaſterii
B. Marię hujuſmodi de novo abſolventes, & amoventes, ſibique ſub privationis omnis gradus Magiſterii
ac dignitatis, & officii per eum habiti, necnon inhabilitatis ad illa habenda, ac gravioris culpę, a qua,
niſi per Magiſtrum Generalem dicti Ordinis, ſi, ſe humiliter gerendo, abſolvi meruerit, abſolvi non poſ-
ſit, pęnis, ſi contrarium fecerit, eo ipſo incurrendis, ne ſe Priorem Monaſterii B. Marię hujuſmodi no-
minare, aut de illo, directe, vel indirecte, quoquomodo ſe intromittere pręſumat, diſtrictius inhiben-
tes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, literas Priori, & Fratribus, ac Prioriſſę, & Monialibus Mo-
naſterii B. Marię per Nos conceſſas hujuſmodi, omniaque, & ſingula in eis contenta, necnon proceſſus
habitos per eaſdem, & inde ſequuta quęcunque auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, revocamus,
caſſamus, irritamus, & annullamus, nulliuſque roboris, vel momenti exiſtere, ac pro infectis, & non
conceſſis haberi, illiſque nullam in judicio, & extra, fidem adhiberi debere decernimus, necnon Mo-
naſterium B. Marię, ac pro tempore exiſtentes illius Priorem, & Fratres, ac Prioriſſam, & Moniales
adverſus primo dictas literas, necnon in priſtinum, & eum, in quo antequam illę emanarent, quomo-
dolibet erant, ſtatum reſtituimus, reponimus, & plenarie redintegramus, ac reſtitutos, repoſitos, &
plenarie redintegratos, necnon juriſdictioni, curę, viſitationi Franciſci moderni, & pro tempore exiſ-
tentis Magiſtri Generalis dicti Ordinis, & ab eo pro tempore ad curam Monaſterii B. Marię, ac illius
Fratrum, & Sororum deputatorum ſubjectos fore, & ſic in pręmiſſis omnibus per quoſcunque judices,
quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & aucto-
ritate, judicari, & definiri debere, decernimus, illoſque pro potiori cautela juriſdictioni, curę, & vi-
ſitationi pro tempore Generalis Magiſtri Ordinis Prędicatorum, & ab eo pro tempore, ut pręfertur,
de-

deputandorum de novo ſubmittimus, ac etiam ſubiicimus, diſtrictius inbibentes prefato Adriano, ac pro tempore exiſtentibus Priori, & Fratribus, necnon Prioriſſę, & Monialibus Monaſterii B. Marię hujuſmodi, ſub dicta latę ſententię excommunicationis pęna, quam ſi ſecus fecerint, eos, & eorum quemlibet, eo ipſo, abſque aliqua declaratione incurrere volumus, ne de cetero primo dictis literis, ac in illis contentis uti, aut illis in aliquo ſe juvare, quoquomodo pręſumant. Ac decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper hiis a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Necnon mandamus, ven. Fratribus noſtris Apamiarum (12), & Condomien. (13), ac Philadelphien. Epiſcopis, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, prędentes literas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Magiſtri Generalis, & ab eo, ut prefertur, deputandorum prędictorum, ſeu alicujus eorum, deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis prędidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra prędentes literas, & in eis contenta hujuſmodi, firmiter obſervari, ipſoſque Magiſtrum Generalem, & ab eo deputandos, ac alios, quos literę ipſę concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos deſuper contra earundem prędentium tenorem per Adrianum, & pro tempore exiſtentes Priorem, & Fratres, necnon Prioriſſam, & Moniales Monaſterii hujuſmodi, ſeu quoſcunque alios, quomodolibet moleſtari, impediri, ſeu perturbari, impedientes, moleſtantes quoslibet, & rebelles, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtant, per cenſuras eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac literis revocatis, & aliis pręmiſſis, necnon Monaſterii, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque, aut ſi Adriano, Priori, ac Fratribus, necnon Prioriſſę, & Monialibus prędatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę Apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII Martii MDXXVII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Prulianum.*) Aliis *Prullianum*, & *Prulbianum*. De hoc Monaſterio dictum fuit in Notis ad Conſtitutionem *Innocentii III Tomo I pag.* 1.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar unum authenticum typis impreſſum, & aliud in membrana conſcriptum. Iſtud exſcripſi, accuratius enim eſt.
3. *S. Papuli.*) Vulgo *S. Papoul*, in *Occitania*.
4. *Olim Toloſana.*) Hujuſce mutationis auctor fuit *Johannes XXII*.
5. *IX.*) Sic in exemplari *membraneo*, in alio deeſt.
6. *Penultimus.*) *Garſias* ſcilicet *de Loayſa*,
7. *Francorum Regis.*) *Franciſci* nempe *I*.
8. *Deteriora.*) Deeſt in exemplari typis edito.
9. *Franciſcus.*) *Silveſter*, de quo ſępius dictum fuit.
10. *Celebratum.*) Anno *MDXXV* die *IV* Junii.
11. *Noſque.*) In exemplari typis impreſſo mendoſe legitur. *Hoſque*.
12. *Apamiarum.*) *Appamienſi* videlicet Epiſcopo, aliis *Apamenſi*, vulgo *Pamiers*, in *Occitania*.
13. *Condomien.*) Vulgo *Condom*, in *Occitania*.

Ne qui reformant Aragoniæ Provinciæ Conventus leges hac de re ſancitas violent.

Anno 1527 Die 8 Septembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XL.

CLEMENS PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

HOneſtis petentium votis, illis prędertim, per quę ſingularum perſonarum ſuavi Religionis jugo mancipatarum, quieti, & tranquillitati conſuli poſſit, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. *Exordium.* Sane pro parte dilectorum filiorum Provincialis, & Priorum, ac Conventuum ſingulorum Monaſteriorum, & Domorum Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Aragonię, juxta morem dicti Ordinis nuncupatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet in ſtatutis, & *Diplomatis cauſa.* conſuetudinibus, ac Ordinationibus Provincię, & Ordinis prędictorum inter alia caveatur expreſſe, quod nulla Monaſteria, Domus, vel Conventus dicti Ordinis de una Provincia ad aliam Provinciam illorum transferri, ſeu reformari, poſſint, niſi de conſenſu, & deliberatione trium Capitulorum ejuſdem Ordinis, ut moris eſt, celebratorum, tamen dudum dilecti filii Provincialis & alii Priores ejuſdem Ordinis reformatorum Provincię Caſtellę, & juxta eundem morem nuncupatorum, vel eorum ſubditi, eorundem exponentium adverſarii, quamplura domos, Conventus, & Monaſteria, Provincię Aragonię hujuſmodi ſub prętextu reformationis, vel alia occaſione, non ſervatis ſtatutis, & ordinationibus Ordinis hujuſmodi, immo contra illa, & expreſſis aliquibus falſis ſuggeſtionibus, non ſolum abſque conſenſu trium Capitulorum prędictorum, verum etiam quandoque diſſentientibus vocalibus vel eorum majori parte reformare, & ſibi ipſis aggregare prędumpſerunt, & prędumunt: ex quibus, & illorum occaſione, inter illos ſcandala, & diſſenſiones, ac alia pericula.... eorundem Fratrum, aſperiorem vitam, quam profeſſi fuerant, gerere non valentes, apoſtatantur, evagantur per ſeculum propriis abjectis habitibus, aliaque pejora perpetrant, in eorum animarum periculum, pernicioſum exemplum, & ſcandalum plurimorum. Quare pro parte Provincialis, Priorum, & Fratrum Provincię Aragonię hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus, ne pręmiſſorum occaſione tot mala oriantur, eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, eiſdem Fratribus de oppor- *Inhibitio.* tuno remedio providere volentes, Provinciali, & Prioribus, ac aliis Fratribus Provincię Caſtellę hujuſmodi ſub excommunicationis latę ſententię pęna, eo ipſo, ſi contra fecerint, incurrenda inhibemus, ne ali-

Digitized by Google

aliqua Monaſteria, Domus, vel Conventus Provincię Aragonię hujuſmodi reformare, vel ſuis Monaſteriis aggregare, aut alias de illis ſe quoquo modo intromittere pręſumant, abſque conſenſu, & deliberatione trium Capitulorum hujuſmodi, & nihilominus eiſdem Provinciali, Prioribus, & Fratribus Provincię Aragonię hujuſmodi, quod, etiamſi Provincialis, Priores, Fratres, & Conventus Provincię Caſtellę hujuſmodi, aut alii eorum adverſarii ſuper reformatione, vel aggregatione ſimilibus aliquas literas Apoſtolicas, vel in forma Brevis impetraverint, & illarum prętextu, ſeu alias quomodolibet reformationes, & aggregationes prędictas facere pręſumpſerint, illi obedire minime teneantur, nec ad id compelli poſſint, nec ob inobedientiam hujuſmodi aliquas ſententias, cenſuras, & pęnas in eiſdem literis contentas, incurrere cenſeantur, indulgemus. Ac ex nunc quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus Provinciarum, & Ordinis prędictorum, privilegiiſque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, & ejuſdem Ordinis Generali pro tempore exiſtenti conceſſis, confirmatis, & innovatis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę in Arce S. Angeli (2) ſub annulo Piſcatoris die VIII Septembris MDXXVII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Archivo.*) In quo Autographum.

2. *In Arce S. Angeli.*) Ubi *Clemens* erat obſeſſus exercitu.

Anno 1527 Die 28 Novembris.

Confraternitatem (1) S. Catharinæ in Cœnobio Barchinonenſi conſtitutam privilegiis ornat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLI.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

IN Sacra Beati Petri Sede, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione conſtituti, ad ea, per quę noſtrę proviſionis auxilio divinus cultus cum animarum Chriſti fidelium ſalute, & ſpirituali conſolatione ubique ſuſcipiat incrementum, libenter intendimus, & his, quę propterea pia fidelium devotione geſta, ac etiam Apoſtolica auctoritate conceſſa dicuntur, ut firmius perpetuo illibata perſiſtant, cum a Nobis petitur, Apoſtolici muniminis pręſidium propenſius impartimur; & alia fidelibus ipſis de novo concedimus, per quę conſcientiarum pacem, & animarum ſuarum ſalutem, Deo propitio, conſequi poſſint. Sane pro parte dilectorum filiorum univerſorum modernorum Confratrum Confraternitatis utriuſque ſexus chriſti fidelium ſub invocatione Sanctę Catharinę in Eccleſia Domus ejuſdem Sanctę Catharinę Barchinonen. Ordinis Fratrum Prędicatorum inſtitutę, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim nonnulli cives, & incolę civitatis Barchinonen. pia devotione ducti Confraternitatem prędictam ſub dicta invocatione in Eccleſia prędicta inſtituerunt, & ordinarunt, ac ex tunc confratres ipſius Confraternitatis qui pro tempore fuerunt, a tempore cujus initii hominum memoria non exiſtit, in dicta Eccleſia ſingulis diebus in aurora, ne Chriſti fideles pręſertim laborantes, & victum propriis manibus quęrentes, auditione Miſſę carerent, illis, ac aliis chriſti fidelibus ad Eccleſiam ipſam confluentibus unam Miſſam candelis, & cereis magnis accenſis, eorum ſumptibus, & expenſis honorifice celebrari fecerunt, prout dicti moderni confratres faciunt, aliaque pietatis, & caritatis opera in dies exercent. Et dudum felicis recordationis Martinus Papa V, Prędeceſſor noſter tunc Confratribus ratione Confraternitatis inter alia facultatem eligendi Confeſſorem, ſub certis modo, & forma, ſic quod ipſi Confratres per unum annum a tempore, quo ejuſdem Martini Prędeceſſoris deſuper confectę literę ad eorum notitiam pervenirent, computandum, ſingulis ſextis feriis impedimento legitimo ceſſante, jejunarent, &, ſi prędictis feriis ex pręcepto Eccleſię, regulari obſervantia, injuncta pęnitentia, voto, vel alias, jejunare tenerentur, una alia feria ſingularum ſeptimanarum ejuſdem anni, qua ad jejunandum, ut pręmittitur, non eſſent aſtricti, jejunarent; Et, ſi in dicto anno, vel aliqua ejus parte eſſent legitime impediti, anno ſequenti, vel alias quam primum poſſent, modo ſimili jejunium hujuſmodi ſupplere tenerentur. Et, ſi forſan alias prelibatum jejunium in toto, vel in parte quandocunque commode adimplere non poſſent, eo caſu Confeſſor, quem ad hoc elegerint, jejunium ipſum in alia pietatis opera, prout animarum eorum ſaluti expedire videret, commutare valeret, quę ipſi Confratres pari modo adimplere deberent, alioquin dicta eorum confeſſio nullius eſſet roboris, vel momenti: Et, ſi ex tunc deinceps Civitatem prędictam eccleſiaſtico forſan ſupponi contingeret interdicto, ne propterea hujuſmodi celebratio valeret impediri, liceret eiſdem Confratribus in Eccleſia pręfata clauſis januis, interdictis, & excommunicatis excluſis, ſummiſſa voce, non pulſatis campanis, Miſſam ipſam in eorum, qui de Confraternitate hujuſmodi forent duntaxat pręſentia, facere celebrare, per diverſas ſuas: Et deinde pię memorię Eugenius Quartus, tunc, & pro tempore exiſtentibus confratribus Confraternitatis hujuſmodi, ut ſi, & quoties ex tunc civitatem ipſam ſimili ſupponi contingeret interdicto, liceret eis in Eccleſia prędicta ſimiliter Miſſas, & alia Divina officia in eorum pręſentia duntaxat celebrari facere; Ac eiſdem tunc exiſtentibus Confratribus, ut Confeſſor per ſingulos eorum eligendus, dictum annuale jejunium in eiſdem ſextis feriis in alia pietatis opera commutare poſſet, ſimiliter inter alia per diverſas ſuas: Ac poſtmodum recolendę memorię Pius Secundus, ſimiliter prędeceſſor noſter, Confratribus Confraternitatis hujuſmodi, tunc, & pro tempore exiſtentibus, ut ſi, ac quoties dictam civitatem ſimili interdicto ſupponi contingeret, liceret eis in dicta Eccleſia Miſſas, & alia divina officia in eorum pręſentia duntaxat ſimiliter celebrari facere. Ipſique Martinus, & Eugenius tunc Confratribus prędictis, ut Confeſſor idoneus, quem ducerent eligendum, om-

Diplomatis cauſa.

omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi forent, ſemel duntaxat in mortis articulo: Ac ſimilis memorię Sixtus Papa Quartus, etiam Prędeceſſor noſter, eiſdem confratribus, ut Confeſſorem, qui eos ſemel in vita, & in mortis articulo, ab omnibus, & ſingulis eorum criminibus, & exceſſibus, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicę reſervatis, abſolvere, & eis Plenariam remiſſionem concedere poſſet, eligere valerent: Ac forſan diverſi alii Romani Pontifices, Prędeceſſores noſtri, diverſa alia privilegia, & indulta eis, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, & ad certum, ſeu certa tempora ſimiliter tunc expreſſa, quę, vel quorum aliqua jam ſunt elapſa per diverſas eorundem Prędeceſſorum literas, per quas tamen, & alia pręmiſſa ipſi Prędeceſſores Confraternitatem ipſam aliquatenus approbare non intendebant, conceſſerunt, prout in eiſdem literis dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ipſi moderni Confratres, an inſtitutio Confraternitatis hujuſmodi ordinaria, vel Apoſtolica auctoritate confirmata fuerit, ad pręſens docere nequeant, pro parte eorundem modernorum Confratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut inſtitutioni, & ordinationi Confraternitatis hujuſmodi pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę Confirmationis adiicere, ac alias in pręmiſſis eis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingulos chriſti fideles ad pia caritatis opera libenter excitamus, modernos Confratres prędictos, ac eorum ſingulos, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, inſtitutionem, & ordinationem Confraternitatis hujuſmodi, ac prędicta, & alia illius Confratribus pro tempore exiſtentibus conceſſa privilegia, & indulta, necnon ejuſdem Confraternitatis ſtatuta, ordinationes, ac in eis contenta omnia, & ſingula, licita tamen, & honeſta, ac ſacris canonibus non contraria, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, confirmamus, & innovamus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui in inſtitutione Confraternitatis, & editione ſtatutorum hujuſmodi forſan intervenerint, ſupplemus. Et nihilominus modernis, & pro tempore exiſtentibus utriuſque ſexus Confratribus Confraternitatis hujuſmodi, ac eorum ſingulis, ut Confeſſorem idoneum ſecularem, vel cujuſvis Ordinis Regularem eligere, qui eorum Confeſſionibus diligenter auditis, eos, & eorum ſingulos, ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, in ſingulis caſibus Sedi Apoſtolicę non reſervatis, quoties fuerit opportunum: in aliis vero eidem Sedi Apoſtolicę reſervatis, ſemel duntaxat in vita, & in mortis articulo, quoties ille ingruerit, etiamſi mors ipſa ſequuta non fuerit, abſolvere, & eis pro commiſſis pęnitentiam ſalutarem injungere; necnon vota quęcunque, ultra marino, liminum Apoſtolorum Petri, & Pauli de Urbe, Sancti Jacobi in Compoſtella, caſtitatis, & Religionis votis duntaxat exceptis, in pios uſus ad opus Confraternitatis hujuſmodi commutare, & relaxare, se in eodem mortis articulo, quoties ille ingruerit, ut pręfertur, Plenariam remiſſionem eis, in ſinceritate fidei, & unitate Romanę Eccleſię, ac obedientia, & devotione noſtra, & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonicę intrantium perſiſtentibus, dicta auctoritate Apoſtolica concedere poſſit, ſic tamen, quod idem Confeſſor de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam eis per eos, ſi ſupervixerint, vel per alios, ſi tranſierint, faciendam injungat, quam ipſi, vel illi facere teneantur, ipſique Confratres, nunc & pro tempore exiſtentes, Miſſam prędictam, etiam quoties, & quandocunque civitas, & Eccleſia prędictę interdicta eccleſiaſtico, etiam vigore Concilii Provincialis Tarraconenſis, Ordinis Sancti Auguſtini, loci Metropolitan., ſeu aliarum conſtitutionum, appoſito, ſuppoſitę fuerint, dummodo, aliquis ipſorum cauſam eidem interdicto non dederit, clauſis jannis, excommunicatis, & interdictis excluſis, ac ſummiſſa voce, in ipſorum nunc, & pro tempore exiſtentium Confratrum, inibi pro tempore confluentium, pręſentia, per Presbyterum idoneum celebrari facere: necnon etiam tempore ejuſdem interdicti non excommunicati, nec interdicti in eadem Eccleſia Miſſas, & alia divina officia audire, & illis intereſſe, ac Sacramentum Euchariſtię etiam in die Paſchatis, de licentia Rectoris, vel Ordinarii loci petita, & obtenta ac quoties voluerint in ipſa Eccleſia, & qui ex eis infirmi fuerint, & pro illo ſuſcipiendo ad dictam Eccleſiam ſe conferre nequiverint, in eorum Domibus a Priore pro tempore exiſtente, vel aliquo ex Fratribus Domus hujuſmodi recipere, ac Prior, & Fratres prędicti illud eis miniſtrare, necnon, ut idem Confratres nunc & pro tempore exiſtentes, omnibus, & ſingulis privilegiis prerogativis immunitatibus, exemptionibus, favoribus, libertatibus, gratiis, conceſſionibus, & indultis, quibus Confratres Confraternitatis ſub invocatione Sancti Nicolai in Eccleſia Domus Sancti Franciſci dictę Civitatis Ordinis Minorum canonice inſtitutę, & eorum ſinguli utuntur, potiuntur, & gaudent, se uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, uti, & potiri, gaudere libere, & licite valeant, ac eidem Presbytero, ut dictam Miſſam, ut pręfertur, libere, & licite celebrare poſſit, auctoritate, & tenore prędictis concedimus, & pariter indulgemus. Et inſuper quod moderni, & pro tempore exiſtentes confratres Confraternitatis Sanctę Catherinę hujuſmodi loco dicti anni, quo ſingulis ſextis feriis prędictis jejunare tenentur, ut pręfertur, una tantum cujuslibet anni totius temporis eorum vitę ſexta feria, qua nulla vigilia ab Eccleſia indicta fuerit, ſimili ceſſante impedimento, jejunare debeant, & ad jejunandum aliis ſextis feriis totius anni hujuſmodi minime teneantur, nec ad id inviti valeant coarctari eiſdem auctoritate, & tenore ſtatuimus, & ordinamus, & quoad hoc literas eorundem Prędeceſſorum commutamus. Decernentes pręſentes literas ſub quibuſvis ſimilium gratiarum, & literarum revocationibus, derogationibus, ſuſpenſionibus, & limitationibus, generalibus vel ſpecialibus per Nos, & Sedem prędictam, ſub quacunque forma, & verborum expreſſione, ac cum quibusvis clauſulis, & decretis factis, & faciendis, nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis penitus exceptas exiſtere, & eſſe cenſeri, ſicque per quoſcunque judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſcunque Apoſtolicis, necnon etiam Tarraconen. hujuſmodi, & aliis in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis conſtitutionibus, & or-

Privilegia.

Nota.

& ordinationibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis; necnon privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, Eccleſię Tarraconen., & Ordini prędictis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis irritantibus, & aliis decretis, conceſſis, & approbatis. Quibus omnibus, etiamſi in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus, aut non niſi ſub certis, inibi forſan expreſſis, modis, & formis derogari poſſit, illorum omnium tenores, formas, modos, & datas, ac ſi de verbo ad verbum insererentur, & exprimerentur, pro ſufficienter expreſſis, & inſertis, ac modos, & formas hujuſmodi pro individue obſervatis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, harum ſerie, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Et ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam, vel conceſſionem eligendi Confeſſorem, Confratres ipſi reddantur procliviores ad illicita committenda, volumus, quod ſi ipſi, vel eorum quilibet a ſinceritate fidei, & unitate Sanctę Romanę Eccleſię, ac obedientia, & devotione noſtra, & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium deſtiterint, aut ex confidentia ejuſdem conceſſionis, vel remiſſionis aliqua commiſerint, conceſſio, & remiſſio, ac quoad illas pręſentes literę eis nullatenus ſuffragentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, innovationis, ſuppletionis, conceſſionis, indulti, ſtatuti, ordinationis, commutationis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romę in Arce Sancti Angeli Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Septimo, Quarto Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Confraternitatem*.) De qua ſępius dictum fuit.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar *Lib. B, fol. 613*, ex autographo *Barchinonen.*

Anno 1528 Die 27 Martii.

F. Deſiderius Inquiſitor Tullenſis (1) creatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Deſiderio Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, in Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CONſiderantes tuę circumſpectionis induſtriam, in multis & arduis ſępius approbatam, ac alia grandia virtutum inſignia, quibus perſonam tuam bonorum dator Altiſſimus decoravit, ea, quę gravis ſunt ponderis, tuę fiducialiter curę committimus, ſperantes firmiter, quin potius pro certo tenentes, quod ad ea efficaciter exequenda ferventer intendas, intentum animi dirigas, & operoſę ſolicitudinis ſtudio proſequaris. Hinc eſt, quod Nos, qui deſideramus, & in votis gerimus, ut fides Catholica noſtris proſperetur temporibus, & pravitas perverſorum hominum in Dięceſi Tullen. vigentium, de finibus fidelium extirpetur, circa extirpationem eandem ſalubriter, & utiliter providere intendentes, te, qui, ut aſſeritur, Inquiſitor hęreticę pravitatis auctoritate Sedis Apoſtolicę deputatus exiſtis, in dicta Dięceſi cum omnibus, & ſingulis immunitatibus, privilegiis, gratiis, & libertatibus, Inquiſitoribus dictę pravitatis a jure, vel conſuetudine hactenus conceſſis, in cauſis hęreſum, Inquiſitorem facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, dantes, & concedentes contra prędictas hęreticę pravitatis credentes, receptores, fautores, & defenſores eorum, tam eccleſiaſticas quam ſeculares utriuſque ſexus perſonas, exemptas & non exemptas, cujuſcunque etiam dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, necnon infamatos, vel ſuſpectos de hęreſi, aut erroribus prędictis, procedendi, & officium Inquiſitionis tibi commiſſum exequendi, juxta canonicas ſanctiones, necnon alia faciendi, quę de jure, vel conſuetudine, Inquiſitores pravitatis prędictę quomodolibet facere conſueverunt, ſeu etiam potuerunt, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus facultatem. Per conceſſionem autem hujuſmodi non intendimus poteſtati ac juriſdictioni aliorum Inquiſitorum a Nobis, vel aliis ad hoc auctoritatem habentibus deputatorum, in aliquo derogare. Datum . . . . Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Octavo, Sexto Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno 6 (3).

1. *Tullenſis*.) In *Lotharingia*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXX fol. 213.*

3. *6.*) Quinto, vel ſcribendum *Sexto Decimo Kalendas Aprilis*, ut ex ſe patet.

Con-

Anno 1528 Die 17 Aprilis.

Congregationem Lombardiæ variis privilegiis (1) ornat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLIII.

Dilecto filio Dominico de Caſtanedulo, Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum Regularis obſervantię.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſti te deſiderare aliqua Congregationi Lombardię Ordinis Prędicatorum regularis obſervantię, cujus Vicarius Generalis exiſtis, valde utilia, & neceſſaria per Nos concedi, Nos vero, qui Fratres Congregationis hujuſmodi, propter eorum exemplarem vitam gerimus in viſceribus caritatis tuo hujuſmodi deſiderio libenter annuimus, & primo cum quandoque accidat, quod Vicarius iſtius Congregationis pro tempore electus, propter locorum diſtantiam, vel bellorum, ſeu alia impedimenta, ſtatim, ut neceſſe foret, & Conſtitutiones Ordinis diſponunt, ab ipſius Ordinis Generalis confirmari non poteſt, ne propterea Congregatio, & Fratres ipſi interim detrimentum patiantur, concedimus, quod Vicarius legitime electus, terminato ſecundo Capitulo Congregationis, in qua ejus electio facta fuit, officium ſui Vicariatus exercere valeat, ac ſi confirmatus fuiſſet, & prioris Vicarii tempus, & auctoritas expirata ſit, & eſſe cenſeatur, ipſeque Vicarius, ſic, ut pręfertur electus, cum primum commode poterit a pręfato Generali, ſeu ejus Vicario, ſolemniter, ut moris eſt, confirmari debeat, & ut Fratribus Congregationis hujuſmodi tollatur occaſio delinquendi, eis, ſub excommunicationis, & privationis vocis activę, & paſſivę ad triennium, & annualis carceris, ac aliis in ipſius Ordinis conſtitutionibus contentis, pęnis eo ipſo incurrendis, inhibemus, ne a pęnitentiis per ſuos ſuperiores injunctis, & pęnis impoſitis ad aliquem dicti Ordinis judicem, ſeu extra ipſum Ordinem appellare, aut querelam juridice interponere pręſumant. Ne tamen ſubditi plus debito graventur, volumus, quod dictę Congregationis Vicarius Generalis pro tempore exiſtens ejuſdem Congregationis definitorum correctioni, & emendationi ſubiiciatur, eorum conſcientias onerando, ſi emendanda, & corrigenda, corrigere, & emendare neglexerint. Et quia nonnunquam in futurorum eventibus ſic humani fallitur incertitudo judicis, ut quod conjectura probabili interdum utile videtur, id poſtmodum contingat inutile reperiri, volumus, quod in dicti Vicarii Generalis poteſtate, ſit Definitorum prędictorum, ſaltem ubi majoris partis eorundem expreſſus acceſſerit aſſenſus, Conſtitutiones per quoſcunque Pręlatos, tam ordinis, quam alios, extra Congregationem exiſtentes, hactenus factas, & in poſterum faciendas, in dicta Congregatione, acceptare, & obſervare, vel eas, quoad ipſam Congregationem, & Fratres ejus reiicere, & abrogare, ac Regulam, & Conſtitutiones ipſius, gloſare, & interpretari, necnon dubia quęcunque circa illas occurrentia, prout ſibi pro conſervatione regularis obſervantię viſum fuerit expedire, declarare. Et quia ſemen bono in agro ſeminatum, parum fructum affert, niſi a vepribus, & zizaniis mundetur, ea propter ordinamus ejuſdem Congregationis Vicario Generali, ſaltem ubi medietatis eorundem Definitorum acceſſerit aſſenſus, Fratres illos, quos judicaverit regularis obſervantię, Ordinis, & Congregationis hujuſmodi corruptores, & violatores, etiam Ordinem ipſum jam expreſſe profeſſos, & etiam invitos, extra dictam Congregationem libere expellere licere. Et pro celeriori domorum Congregationis hujuſmodi proviſione, ac diſpendii vitatione, volumus, quod Vicarius ipſe Generalis, de conſenſu majoris partis Definitorum eorundem cuicunque domui, & Conventui Congregationis hujuſmodi concedere poſſit, quod appropinquante Capitulo, etiam antequam Prioris ejuſdem Domus, & Conventus tempus effluxum, ipſeque Prior abſolutus fuiſſet, ad novi Prioris electionem, & poſtulationem, quam a ſocio Prioris ad Capitulum ipſum pro ſolita poſt pręcedentis Prioris abſolutionem confirmatione deferri debeat, procedere poſſint, & debeant. Et quia ſępe numero accidit, quod nonnulli Fratres eundem Ordinem, & regularem dictę Congregationis obſervantiam expreſſe profeſſi, contra profeſſiones, & vota per eos emiſſa, vario ſub prętextu, & fucato colore, a Sede Apoſtolica, vel aliis, privilegia, & diſpenſationes adverſus regularem obſervantiam, & dicti Ordinis Conſtitutiones extorſiſſe, & extorquere velle dicuntur, propterea auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, omnia, & ſingula privilegia, exemptiones, & diſpenſationes, tam Apoſtolica, quam alia quacunque auctoritate alicui Fratri dictę Congregationi ſubjecto, prętarquam de Vicarii Generalis, vel majoris partis Definitorum prędictorum in ſcriptis apparente conſenſu, ſub quibuſvis verborum formis hactenus conceſſa, vel in poſterum concedenda, revocamus, irritamus, & annullamus, ac pro nullis, & non conceſſis, etiam ſi in illis, de pręſentibus ſpecifica, & expreſſa mentio fieret, & clauſulę preſentium derogatorię, vel Decreta irritativa, quantumlibet efficacia apponerentur. Et ut Fratres, ſaltem metu pęnę intra regularis obſervantię tramitem contineantur, volumus, quod Fratres jejunia Quadrageſimę Adventus Domini, vigiliarum de pręcepto, & quatuor temporum, etiam ex legitima cauſa, ſine Superioris ſui licentia frangentes, pęna in dicti Ordinis Conſtitutionibus, de graviori culpa taxata, ſine ulla tergiverſatione puniantur. Pręlati vero, qui ad hujuſmodi licentiam concedendam fuerint faciles, a ſuis officiis in pęnam abſolvantur. Et inſuper, quia Vicarius Generalis prędictus, quaſi in continuo motu pro ipſius Congregationis opportunitatibus eſſe cogitur, nec ſemper commode poſſit Epiſcopo Civitatis, ad quam ipſe declinare contigerit, ſe pręſentare, volumus, quod Vicarius ipſe, qui perſona egregia, & exemplaris eſſe conſuevit, ubicunque eum eſſe contigerit, ad Confeſſiones Chriſti fidelium audiendum, pro pręſentato eidem Epiſcopo habeatur, nec ad id alicui Epiſcopo, ſe ulterius pręſentare teneatur, eidemque Vicario, quod in abſolvendo a peccatis, & cenſuris, etiam quoad votorum commutationem Epiſcopali auctoritate uti, & Nota.

can-

Digitized by Google

eandem auctoritatem abſolvendi hujuſmodi etiam committendi, uni Sacerdoti in qualibet domo, & Conventu, necnon in quolibet loco nondum Collegiato dictę Congregationis committere, & concedere poſſit auctoritate, & tenore pręmiſſis, de ſpeciali gratia indulgemus, tibique, fili Vicarie, etiam pro tempore exiſtenti, aliiſque Fratribus Congregationis hujuſmodi omnibus privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ante ultimum Lateranenſe Concilium conceſſis, & quibus tunc utebamini, uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſitis, eadem auctoritate concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus, & in dictis Lateranen., & aliis Conciliis, & Synodis editis ſpecialibus, vel generalibus, necnon literis Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis Ordini, & Congregationi prędictis, vel aliis quibuſcunque ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibus, & aliis decretis, etiam quod illis nullatenus, aut nonniſi ſub certis modo, & forma in eis expreſſis, derogari poſſit, diſponentibus, etiamſi motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, aut de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, etiam iteratis vicibus, etiam forſan per Nos conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum derogatione illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo, ad verbum, non autem per generales clauſulas mentio, ſeu quęvis alia expreſſio fieri oporteret, tenores hujuſmodi, ac illorum formas, & datas, necnon Decreta in eis appoſitas, ac cauſas, propter quas conceſſa fuerint, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita, obſervata, & inſerti forent, pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum pręſentium duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & ſufficienter derogatum eſſe decernimus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum in Civitate noſtra Urbevetana ſub Annulo Piſcatoris Die XVII Aprilis MDXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Evangeliſta.

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo.*

2. *Archivo.*) In quo duplex ſxemplar, unum in *Bullario Bononienſi pag.* 83, aliud ex autographo *Cremonenſi*.

Anno 1528
Die 13 Julii.

Epiſcopo, & Inquiſitori Brixien., contra hæreticos (1).

XLIV.

Ex Bullario (2) Romano in Clemente VII Conſtitutione XXII.

Venerabili Fratri Paulo (3) Zanę Epiſcopo Brixien., & dilecto filio Inquiſitori (4) hęreticę pravitatis in Civitate Brixien., & eorum alteri.

CLEMENS PP. VII.

Venerabilis Frater, & dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Placuit intelligere, quod non ſolum Fraternitas tua, ſeu (5) ejus dilecti filii Communitas iſtius Civitatis Brixien. nolentes negligentia, aut deſidia eorum amittere illud optimum nomen, eis a parentibus, & anteceſſoribus ſuis relictum, omni diligentia curarint, ne hęreſes his temporibus de novo pullulare poſſint, ſed omnibus remedia adhibuerint, ut ſi quę ſint in ipſa Civitate extirpentur. Et propterea eum ad ipſorum communitatis notitiam perveniſſet, nonnullos in ipſa civitate ſuę ſamę, & honoris prodigos, ita nefarios Dei Sanctęque Matris Eccleſię rebelles exiſtere, ut non erubeſcerent Lutheranam doctrinam publice declarare, & quę palam non auderent, ſcorſum ſecreto docerent, pleroſque inducentes a recta ſemita declinare, ne ob id forte contra eos ira Dei magis provocaretur, in publico eorum conſilio ſtatuerunt, tres ejuſdem Civitatis Cives eligi debere, quorum cura, diligentia, & vigilantia Lutheranę diabolicę hęreſes a Civitate ipſa, ejuſque territorio prorſus extirparentur, & earum auctores, & ſeminatores condigna pęna plecterentur, cum poteſtate etiam comparendi per procuratorem coram Sede Apoſtolica, & quibuſcunque aliis judicibus eccleſiaſticis, & ſecularibus, & pro pręmiſſorum executione exponendi ex publico quaſcunque pecunias neceſſarias, quod ut merito ex hoc illi laudari, & plurimum commendari debent, ita etiam vos, prout veſtro incumbit officio, circa hęreſes hujuſmodi in Civitate, & Diœceſi Brixien. idem facere prout ſperamus, & deſideramus, omni diligentia curabitis. Cupientes igitur, errores, & perverſa dogmata in Civitate, & Diœceſi tuis hujuſmodi penitus extirpari, & illorum ſectatores debita correctione reprimi, ac debitis pęnis puniri, vobis, & alteri veſtrum, etiam cum a pręfatis electis requiſiti fueritis, & alter veſtrum requiſitus fuerit, omnes, & ſingulas cauſas hujuſmodi hęreſim ſapientes, etiam criminales, tam dicta Lutherana, quam alia, & erronea, & perverſa doctrina, in Civitate, & Diœceſi prędictis exortas, & quas etiam contra quendam Johannem Baptiſtam Palavicinum Ordinis Fratrum Carmelitarum, qui Verbum Dei in proxima Quadrageſima in Eccleſia Brixien. prędicando, publice nonnulla erronea, & a fide Catholica deviantia prędicavit, adeo, quod pias hominum aures plurimum ſcandalizavit, ſi in Civitate, ſeu Diœceſi prędictis extiterit, movere, ſeu exoriri contigerit, cum omnibus, & ſingulis illis annexis, dependentibus, & emergentibus ab eis ſimpliciter, & de plano ſine ſtrepitu, & figura judicii, prout in ſimilibus procedi conſuevit, audiatis. Nos enim vobis, ut auditis hinc inde propoſitis, etiam uſque ad definitivam ſententiam incluſive, ſublato quovis diffugii obſtaculo, & prout ſacri Canones volunt, etiam appellatione qualibet remota, decidendi, & fine debito terminandi, ac ſententias deſuper per vos, & alterum veſtrum latas, & quibuſvis appellationibus, etiam ad Nos, & Sedem prędictam interpoſitis, penitus rejectis, perinde ac ſi tres ſententię conformes in noſtrę Rotę Auditorio latę eſſent, debitę executioni demandandi. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſuras eccleſiaſticas, appellatione ceſſante, com-

compellendi veritatis teſtimonium perbibere, ac monitiones, & citationes quaslibet, conſtito, de non tuto acceſſu, ſeu quod pro monitionibus, & citationibus hujuſmodi faciendis ipſorum monendorum, & citandorum pręſentia commode haberi nequiret, per edicta publica locis publicis affigenda, quę perinde ipſos arctent, ac ſi eis perſonaliter intimata fuiſſent faciendi, ac contra quoſque cujuſque ſtatus, gradus, ordinis, religionis, vel conditionis, ſeu pręeminentię fuerint, & quacunque eccleſiaſtica, ſeu mundana dignitate prefulgeant, vel exemptione, ipſius Martini, & aliorum erroneorum dogmatum ſectatores, ſequaces, fautores, defenſoreſque, ac illis auxilium, conſilium, vel favorem directe, vel indirecte, publice, vel occulte pręſtantes, inquirendi, & procedendi, ac hujuſmodi labe, & aliis hęreſibus infectos capiendi, & carceribus mancipandi, ac juxta canonicas ſanctiones, & Sanctorum PP. inſtituta, prout qualitas exceſſuum exegerit, vel conſcientię veſtrę expedire viſum fuerit, puniendi, & pęnis debitis plectendi, & ad cor redire nolentes, a dictę Eccleſię communione, velut putrida membra, ſeparatos, & diviſos, ac damnationi ęternę cum ſatana, & angelis ejus addictos, ac perpetuo infames, ac inteſtabiles eſſe, necnon bona eorum quęlibet mobilia, & immobilia cuicunque fidelium libere, & licite invadere, occupare, & ſibi acquirere licere, perſonas eorum captivare, & in perpetuam ſervitutem adducere, corpora eorum poſtquam defuncti fuerint ſepultura eccleſiaſtica carere etiam debere, decernendi, denunciandi, & declarandi, & qui ad veritatis lumen redire, & hujuſmodi hęreſes abjurare voluerint, poſtquam errorem ſuum depoſuerint, idque humiliter petierint, ſi alias relapſi non fuerint, recepta ab eis prius abjuratione hęreſis, & errorum hujuſmodi legitime, & publice facienda, pręſtandoque per eos juramento, quod talia deinceps non committent, nec talia, vel alia his ſimilia committentibus, ſeu adhęrentibus, conſilium, auxilium, vel favorem per ſe, vel alium, ſeu alios pręſtabunt, ab omnibus, & ſingulis excommunicationis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, etiam in literis felicis recordationis Leonis Papę X, Prędeceſſoris noſtri, contra dictum Martinum (6) editis, contentis, quas pręmiſſorum occaſione quomodolibet incurriſſent, & ab hujuſmodi delictis, exceſſibus, & criminibus, necnon alias in forma eccleſię conſueta abſolvendi, & ſuper irregularitate, propterea quomodolibet contracta, diſpenſandi, omnemque inhabilitatis, & infamię maculam, ſive notam penitus abolendi, eoſque rehabilitandi, & ad noſtrum, & ejuſdem Sedis gremium, necnon gratiam, & benedictionem reſtituendi, & reponendi, omniaque, & ſingula alia, quę ad hujuſmodi peſtem reprimendam, & radicitus extirpandam neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna fuerint, faciendi, gerendi, ordinandi, coercendi, & exequendi, ac auxilium brachii ſecularis, ſi opus fuerit, invocandi. Et ad pręmiſſa omnia, & ſingula, ſi, & quando expedire vobis, & alteri veſtrum viſum fuerit, viros aptos, & idoneos, cum ſimili, vel limitata poteſtate ſubdelegandi, & deputandi, ipſoſque, quoties opportunum vobis, & alteri veſtrum videbitur, revocandi, ac loco ipſorum alios ſimiliter deputandi, auctoritate Apoſtolica, plenam, & liberam poteſtatem, auctoritatem, facultatem, concedimus per pręſentes. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quę idem Leo Prędeceſſor in ſuis literis voluit non obſtare, & quę pro expreſſis haberi volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, etiamſi in eis eſſent clauſulę aliquę derogatorię derogatoriarum, & de quibus oporteret fieri ſpecialis, & individua mentio, & de verbo ad verbum, quas pro expreſſis haberi volumus, & eis derogatum eſſe cenſemus, & intendimus. Datum Viterbii ſub Annulo Piſcatoris die XIII Julii MDXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Hereticos.*) Adeas *Fontanam Monumen. Dominican. Parte IV Cap. II ad an. MDXXVIII pag.* 442.
2. *Bullario.*) Legitur etiam apud *Peñam ad calcem Directorii Inquiſit. pag.* 136.
3. *Paulo.*) Cujus meminit *Ughellus in Epiſcop. Brixien.*
4. *Inquiſitori.*) Is erat *F. Petrus de Cathaneis a Provaglio*, uti docet *Fontana Theatro Dominicano Parte III Cap. III Tit. XXI pag.* 560.
5. *Seu.*) Sed:
6. *Martinum.*) *Lutherum.*

In Fratres extra domos Ordinis commorantes (1).

Anno 1528 Die 26 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Zenobio Vicario Congregationis S. Marci Tuſcię Ordinis Prędicatorum regularis obſervantię.

XLV.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſti, quod ſi ſtatueretur, & ordinaretur, quod Fratres Domorum Congregationis S. Marci Tuſcię, Regularis Obſervantię, quibus a Vicario ejuſdem Congregationis extra illius domos, aut per literas in forma Brevis, aut Sacrę Pęnitentiarię permanendi licentia conceſſa eſſet, infra decem a Civitate Florent., & quinque miliaria a Domibus ejuſdem Congregationis permanere non poſſent, decori, & honori ipſius Congregationis, ac illius Fratrum paci, & quieti plurimum conſuleretur. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręmiſſa ſtatuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui Congregationem iſtam, & illius Fratres, tanquam peculiares filios noſtros, gerimus in viſceribus caritatis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod Fratres dictę Congregationis a Vicario ejuſdem pro tempore exiſtente, aut per literas in forma Brevis, aut Sacrę Pęnitentiarię hujuſmodi extra Domos ipſius Congregationis permanendi licentiam hactenus, & in poſterum obtinentes, infra decem a Civitate Florentina, & infra quinque miliaria a domibus ejuſdem Congregationis permanere non poſſint; & ſi a Vicario ipſius Congregationis pro tempore exiſtente moni-

moniti non receſſerint, tam Vicario quam Prioribus Domorum pro tempore exiſtentibus Congregationis hujuſmodi licentiam concedimus, eos capiendi, carceribus mancipandi, & juxta regularia inſtituta ejuſdem Congregationis etiam puniendi, ad hoc, ut alii eorum exemplo diſcant ſtatutum hujuſmodi pro honore, & decore ejuſdem Congregationis per Nos editum inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus &c. Datum Viterbii ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Julii MDXXVIII Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Evangeliſta.

1. *Commorantes.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Florentino.*

Anno 1528 Die 2 Augusti.

Cardinalis Cajetanus (1) præficitur Monaſterio (2) S. Johannis ad Pirum.

Ex Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II pag. 349.

Dilecto filio noſtro Thomę tituli S. Sixti Presbytero Cardinali Cajetano.

XLVI.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ex conceſſione noſtra fructus Monſteril S. Johannis ad Pirum Policaſtren., vel alterius Diœceſ., perceperis, & adminiſtraveris, omniaque ad juriſdictionem Abbatis ſpectantia inibi exercueris, non obſtan. quod literas Apoſtolieas Commendę dicti Monaſterii ſub plumbo nondum expediveris, Nos uberiorem gratiam tuę circunſpectioni facere volentes, tibi, ut poſſeſſionem dicti Monaſterii vigore preſentis brevis capere poſſis, concedimus, & indulgemus. Mandantes œconomo Camerę Apoſtolicę per Nos inibi deputato, & dictum Monſterium nomine dictę Camerę poſſidenti, ut dictam poſſeſſionem tibi tradat cum effectu, perinde ac ſi literas Apoſtolicas ſub plumbo prędictas infra ſex menſes in prioribus literis noſtris prefixos, & deinde prorogatos expediviſſes. Et nihilominus tibi omnia, quę in pluribus literis noſtris ſuper dicti Monaſterii adminiſtratione, & fructuum perceptione conceſſimus, de novo per preſentes concedimus: volentes te in omnibus, & per omnia in dicto Monaſterio haberi, ac ſi literas Apoſtolicas hujuſmodi infra ſex menſes, ut prefertur expediviſſes. Non obſtantibus eiſdem Literis noſtris, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod dictas literas infra ſex menſes a dat. preſentium inchoandos omnino expedire tenearis; aliter preſentes nullę ſint, & Commenda dicti Monaſterii ceſſare cenſeatur eo ipſo. Datum Viterbii ſub Annulo Piſcatoris die II Auguſti MDXXVIII Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Bloſius.

1. *Cajetanus.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Leonis X.*

2. *Monaſterio.*) In Regno *Neapolitano* ſito.

Anno 1528 Die 17 Augusti.

De Cœnobiis Aretin. (1), & Cortonen. (2), aliiſque Provinciæ Romanæ reformandis.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Dilecto filio Bonino Salviani Ordinis Fratrum Predicatorum, & Theologię Profeſſori, ac Provincię Romanę Provinciali.

XLVII.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm temporibus noſtris deſideramus, ut domus virorum, ac Monaſteria Monialium, & alia loca Religioſa ſecundum regularia inſtituta Ordinum, quorum illa extiterint reformentur, ac Religioſi, & Moniales in eis cum odore bonę famę in exemplari vita vivant, & Altiſſimo ita preces effundant, ut ſeculares perſonę potius ędificentur, quam ſcandalizentur, & hujuſmodi deſiderio ducti, nuper per alias noſtras Literas dilecto filio Zenobio de Pieriis Vicario Congregationis Sancti Marci Tuſcię Regularis obſervantię mandavimus, ut ad S. Dominici Aretin., & ejuſdem S. Dominici Cortonen. domos Fratrum Conventualium dicti Ordinis ſe conferret, & illas reformaret, & ad regularem obſervantiam reduceret ità quod illę ex tunc de cetero per Priores temporales, ſicut alię domus dictę Congregationis, regerentur, & gubernarentur, dummodo Generalis, ſeu Protectoris, ejuſdem Ordinis expreſſus accederet aſſenſus. Et licet, ſicut nobis nuper exponi feciſti, venerabilis Frater noſter Laurentius (4) Epiſcopus Preneſtinus Cardinalis Sanctorum IIII (5) dicti Ordinis Protector eidem Vicario conſenſum ad premiſſa per eum exequenda conceſſerit, tamen prefatus Vicarius ad Aretin., & Cortonen. domos hujuſmodi reformandum adhuc ſe non contulit, cumque dictę domus ſint de Provincia tua Roman., & illarum reformatio ad te pertineat, ſiſque paratus non ſolum illas, ſed etiam omnes alias ejuſdem Provincię Roman. de Fratribus bonorum morum, & vitę exemplaris ita reformare, ut ſeculares non minus ex illis ędificentur, & eorum vitam,

vitam, & mores approbent, & laudent, quam laudarent mores, & vitam Fratrum dictę Congregationis. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eidem Vicario in executione dictarum literarum noſtrarum, uſque ad reditum Generalis dicti Ordinis ſuperſedeat, ad hoc ut videri poſſit, ſi per te facta fuerit reformatio per Nos deſiderata, mandare, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, quorum mentis eſt, reformationem domorum dicti Ordinis juxta illius regularia inſtituta per illos, ad quos illam immediate ſpectat fieri, bujuſmodi ſupplicationibus inclinati, dilecto filio Paulo Boticellę (6) dicti Ordinis profeſſori, & totius Ordinis Procuratori mandamus, ut dilectum filium Seraphinum Priorem domus Beatę Marię de Quercu extra muros Viterbien. dictę Congregationis moneat, ut eidem Vicario per ſuas literas noſtro nomine ſignificet, ut in executione noſtrarum literarum hujuſmodi uſque ad reditum dicti Generalis (7) ſuperſedeat, ut per ipſum videri poſſit, an reformatio tam illarum dictarum, quam aliarum domorum Provincię tuę Romanę per te facta, ſit taliter facta, ut domus ipſę reformatione non indigeant. Non obſtan. literis noſtris prędictis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod niſi infra tres menſes prędicti duo Conventus, ad regularem obſervantiam reformati fuerint, illorum reformatio, prout per alias noſtras literas commiſimus, & quos ordinavimus, executioni omnino demandetur. Datum Viterbii ſub annulo Piſcatoris die XVII Auguſti MDXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Evangeliſta.

1. *Aretin.*) Conſulendus *Fontana de Romana Provincia Cap. II Tit. X, pag. 115 &c.*
2. *Cortonen.*) Idem ibidem *Tit. XVI pag. 138.*
3. *Archivo.*) In quo autographum.
4. *Laurentius.*) De quo dictum fuit.
5. *IIII.*) *Sanctorum* ſcilicet *Quatuor Coronatorum.*
6. *Boticella.*) Qui poſtea Generalis Magiſter creatus eſt.
7. *Generalis.*) *Garcia* nempe *de Loayſa.*

Ut Frater aliquis Congregationis S. Marci præficiatur Hoſpitali majori pauperum Piſan. (1).

Anno 1528 Die 12 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Zenobio de Pieriis Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori Congregationis S. Marci Tuſcię dicti Ordinis regularis obſervantię Vicario Generali.

CLEMENS PP. VII. XLVIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, Hoſpitale majus pauperum Piſan. quod de jurepatronatus noſtri, ratione Domus, & familię noſtrę de Medicis (3) deſcendentium, ex quondam Petro Coſmi de Medicis, & quod quondam Johannes Baptiſta de Salviatis (4) illius Rector, dum viveret, gubernabat, per obitum ejuſdem Johannis Baptiſtę, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, rectore careat ad pręſens; Nos, ne, donec ille, cui dictum Hoſpitale commiſimus, illius poſſeſſionem adipiſcatur, ac ipſius hoſpitalis pauperes interim aliquod detrimentum patiantur, providere volentes, ac de perſona tua ſpecialem in Domino fiduciam obtinentes, tibi per pręſentes committimus, & mandamus, ut viſis pręſentibus aliquem Religioſum Sanctę Catherinę Piſan. ſeu alterius Domus Congregationis tuę, ſeu aliam perſonam idoneam, de qua tibi videbitur, ad regimen dicti Hoſpitalis auctoritate noſtra deputes, illique regimen, & adminiſtrationem dicti Hoſpitalis, & bonorum ejuſdem committas, donec ille, cui dictum Hoſpitale commiſimus ad illud ſe perſonaliter contulerit, & ejuſdem Hoſpitalis poſſeſſionem adeptus fuerit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XII Octobris MDXXVIII Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Bloſius.

1. *Piſan.*) In *Hetruria.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Florentino.*
3. *De Medicis.*) Gens eſt nobiliſſima, quæ nunc etiam floret.
4. *De Salviatis.*) De hac perilluſtri familia dictum fuit in Notis ad Conſtitutionem *I* ejuſdem *Clementis VII.*

Ut Eugubin. (1) Cœnobium juris ſit Congregationis Lombardiæ.

Anno 1528 Die 5 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Vicario totius Congregationis Lombardię, & Priori Domus Fanen. Ordinis Prędicatorum, & Congregationis ejuſdem, & eorum cuilibet.

CLEMENS PP. VII. XLIX.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Ducifſa Urbini Nobis ſuis literis ſignificavit, quod dilecti filii Communitas Civitatis Eugubin. Fratres Conventuales Domus Eugubin. dicti Ordinis ex-

expulerunt, nec ſpes eſt, quod tolerare velint, quod de cetero in dicta Domo Fratres Conventuales dicti Ordinis habitent. Et ad obviandum ſcandalis, quę propterea inter Fratres Conventuales, & dictam Communitatem exoriri poſſent, Nobis bumiliter ſupplicavit, ut vobis ſub excommunicationis latę ſententię pęna mandare dignaremur, nt ad dictam Domum Eugubinam, una cum nonnullis Fratribus Congregationis Lombardię Regularis obſervantię dicti Ordinis, vos conferatis, dictamque Domum recipiatis, & in ejus Eccleſia divina officia celebretis, ac Chriſti fidelium utriuſque ſexus dictę Civitatis peccata ſua vobis, & Fratribus in ea degentibus confiteri volentium Confeſſiones audire, & eorum Confeſſionibus diligenter auditis, eos ab eorum peccatis, de quibus ore confeſſi, & corde contriti fuerint, abſolvere, eiſque ſalutarem pęnitentiam injungere poſſitis. Nos itaque ipſius Duciſſę piis, & honeſtis ſupplicationibus inclinati, tibi, fili Prior, in virtute S. obedientię, ac ſub hujuſmodi excommunicationis latę ſententię pęna diſtricte prępipiendo mandamus, quatenus viſis pręſentibus, omni excuſatione, & dilatione remotis, ad dictam Domum Eugubinam, te cum nonnullis Fratribus dictę Congregationis Lombardię hujuſmodi regendam, & gubernandam perpetuis futuris temporibus recipias ita quod de numero aliarum domorum Congregationis Lombardię hujuſmodi ſit, & eſſe cenſeatur, & in ea tot Fratres, quot ibi erunt neceſſarii, reſideant, ac juxta regularia inſtituta dictę Congregationis vivant ita quod ex eorum doctrina, ac exemplari candore, & odore bonę, & laudabilis vitę famulatu, fructus exinde ſperati, & optati proveniant, ac toti populo Eugubino ſatisfiat. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, necnon privilegiis, & indultis Ordini, ac Fratribus, tam de obſervantia, quam Conventualibus, per Sedem Apoſtolicam, etiam Congregationi Lombardię, quibus forſan caveri dicitur quod non teneamini parere, niſi ſecundis, vel tertiis literis Brevis Apoſtolici, quibus mandaretur, ut apprehenderetis Domos Conventualium Ordinis veſtri, conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus, etiamſi ad illorum derogationem, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis ſpecifica, expreſſa, individua, ac de verbo, ad verbum, non autem per generales clauſulas id importan, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, illorum omnium tenores pręſentibus pro expreſſis, & inſertis habentibus, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die V Decembris MDXXVIII Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Eugubin.*) Vulgo *Gubbio*, *Gubio*, & *Eugubio*, in *Urbinatenſi Ducatu Italia*.

2. *Archivo.*) In quo exemplar in *Bullario Bononienſi* pag. 85.

Anno 1529 Die 23 Februarii.

Confirmat privilegia Congregationis Lombardiæ (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Vicario Generali, ac Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum regularis obſervantię Congregationis Lombardię.

I.

CLEMENS PP. VII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

CUm, ſicut Nobis nuper exponi feciſtis, alias poſtquam Nos pro ſalubri directione, & quiete, ac felici ſucceſſu Congregationis veſtrę, ac illius perſonarnm certę literę in forma Brevis Vicario ipſius Congregationis veſtrę Lombardię directa tenoris tunc expreſſi a Nobis emanaverant, & ſuper illis, & circa illas in Capitulo ejuſdem Congregationis noviſſime in Civitate Placentina celebrato per definitores, & diſcretos Patres ipſius Congregationis nonnullę limitationes, & diſpoſitiones factę fuerant, dilectus filius Franciſcus (4) Silveſter Ferrarienſis totius Ordinis veſtri Prędicatorum Generalis Magiſter, omnes, & ſingulas conceſſiones, gratias, privilegia, & immunitates a prędeceſſoribus ſuis prędictę Congregationis veſtrę quomodolibet conceſſa auctoritate ſui Generalatus officii per ſuas patentes literas confirmavit, &, quatenus opus eſſet, omnes, & ſingulas conceſſiones, gratias, privilegia prędicta de novo conceſſit, ac illa ſingula, ac ſi in dictis ſuis literis de verbo ad verbum inſertę forent, pro confirmatis, & conceſſis habuit, necnon ad vitandas turbationes, quę evenire poſſent, noluit, qnod aliquis eo inferior, etiam Vicarius, ſeu Vicarii ſui, tam ſpeciales, quam Generales, ſub prętextu literarum ſuarum quarumcunque, aut auctoritatis ſuę, literis, ſeu vivę vocis oraculo conceſſę, vel concedendę, etiam cum hac clauſula, etiamſi forent alia, quę ſpeciale mandatum exigerent, aut ſub alia quacunque clauſula, & mandato ſive expreſſione verborum generali, vel ſpeciali, poſſet quomodocunque de pręfata Congregatione ſe intromittere, vel aliqua juriſdictione uti circa illam, vel ejus membra, nec poſſet mandare, neque pręcipere, nec aliud attentare, ſeu innovare circa eam, & ejus membra, niſi quantum viſum foret expedire Vicario dictę Congregationis pro tempore exiſtenti. Quo caſu aliquid a quocunque ipſo Generali inferiore, etiam Vicario, vel Vicariis ſuis, tam Generalibus, quam particularibus, tunc inſtitutis, aut in poſterum inſtituendis per ipſum Generalem, & cum auctoritate ſua cum clauſulis generalibus, & ſpecialibus quomodocunque tam circa pręfatam Congregationem, aut ejus membra, tam in communi, quam in particulari, ut pręfertur, attentatum foret, aut mandatum, vel juſſum, niſi de expreſſo conſenſu Vicarii Generalis dictę Congregationis, ut pręfertur, ex tunc, & ex ea die declaravit id attentatum, mandatum, & juſſum, totum eſſe irritum, & inane, nullius roboris, vel momenti, prout in literis patentibus Magiſtri hujuſmodi dicitur plenius contineri, Nobis nuper ſupplicari feciſtis, ut prę-

prǫmiſſis, & aliis, vobis, & Congregationi hujuſmodi conceſſis, gratiis, & privilegiis pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur noſtrǫ approbationis adiicere, ac alias ſtatui veſtro in prǫmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Congregationis veſtrǫ ſtatum proſperum, & tranquillum paterno zelantes affectu, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, limitationes, & diſpoſitiones ſuper, & circa literas Brevis in Capitulo noviſſime celebrato ſactas hujuſmodi, ac prǫdictas per dictum Franciſcum, ut prǫfertur, necnon quaſcunque, alias conceſſiones, gratias, immunitates, ac privilegia, & indulta quǫcunque, a quibuſcunque aliis Prǫdeceſſoribus ſui dicti Ordinis Generalibus Magiſtris, necnon a Sede Apoſtolica, tam per literas ſub plumbo, & in forma Brevis, quam vivǫ vocis oraculo, etiam ipſius Sedis Majori Pǫnitentiario, ac ejuſdem Ordinis Protectoribus, qui hactenus fuerunt, quocunque, & qualitercunque factas, conceſſa, & approbata, necnon deſuper confectas literas, quorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent prǫſentibus haberi volumus pro expreſſis, auctoritate Apoſtolica, tenore prǫſentium, approbamus, confirmamus, & innovamus, ac illis perpetuǫ firmitatis robur adiicimus, & illa firmiter obſervari, ac vobis ſuffragari, voſque illis gaudere poſſe, & debere decernimus, ſupplentes omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus pro potiori cautela, ea omnia prout conceſſa ſunt, de novo concedimus, ac quicquid contra illa attentari contigerit, irritum, & inane decernimus, mandantes dilectis filiis Vicariis venerabilium Fratrum Archiepiſcopi Mediolanenſis, Bononienſis (4), ac Veronenſis, Epiſcoporum, in ſpiritualibus generalibus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, vobis in prǫmiſſis efficacis defenſionis prǫſidio aſſiſtentes, faciant prǫſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, voſque illis pacifice gaudere, non permittentes, vos deſuper quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, & pǫnas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus prǫmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, quǫ in literis conceſſionum, gratiarum, & privilegiorum hujuſmodi conceſſa ſunt, volumus non obſtare, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romǫ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXIII Februarii MDXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Confirmatio.

Evangeliſta.

1. *Lombardia.*) De hac celeberrima Congregatione ſæpe dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, ex alio aſſervato in Archivo *Faventini* Cœnobii *S. Andrea*. Legitur etiam in *Bullario Bononienſi pag.* 86, & inter Bullas *Clementis VII* ex autographo *Cremonenſi*.

3. *Franciſcus.*) Anno *MDXXV* Generalis renunciatus erat.

4. *Bononien.*) Tunc Epiſcopalis Sedes erat *Bononia*, nunc Archiepiſcopalis eſt.

F. Paulum (1) Butigellam Vicarium Generalem Ordinis creat.

Anno 1529 Die 23 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Paulo Butigellǫ, Ordinis Fratrum Prǫdicatorum Vicario Generali,

CLEMENS PP. VII.

LI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, quondam Franciſcus de Ferraria (3) Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prǫdicatorum, dum Ordinem ipſum, ut ejus incumbebat officio, viſitaret, in domo S. Dominici Civitatis Redonen. (4), Provinciǫ Britanniǫ, febre correptus, fuiſſet vita functus (5), & propterea quidam Priores Provinciales aſſererent, vigore Conſtitutionum Fratrum Prǫdicatorum ad ſe pertinere Vicariatum Ordinis, donec Magiſter prǫfati Ordinis electus foret, Nos, attendentes diſcordias, & contentiones, inter Religioſos non eſſe tolerandas, cupienteſque Ordinem ipſum, quem propter uberes fructus, quos in Eccleſia Dei produxit, in viſceribus gerimus caritatis, prǫclariſſimorum, & ſaniorum virorum prǫfati Ordinis conſilio inhǫrentes, ac Prǫdeceſſorum noſtrorum veſtigia ſequentes, ſalubriter regi, & feliciter gubernari, & ne Ordo ipſe Magiſtro Ordinis orbatus detrimenta ſuſtineat, providere volentes, nullumque ex prǫfatorum Provincialium Prioribus hujuſmodi vices Magiſtri Ordinis obtinere debere decernentes, eiſque ſub pǫna gravioris culpǫ ipſo facto incurrendǫ, ac privatione omnium gratiarum Ordinis, & privilegiorum, inhibentes, ne pro Vicegerente Magiſtri Ordinis, quavis cauſa, & ratione ſe gerere prǫſumant, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicǫ poteſtatis plenitudine, te ejuſdem Ordinis, & Congregationis Lombardiǫ regularis obſervantiǫ, jam pluribus annis profeſſorem, & Ordinis Procuratorem, apud Nos de Religionis zelo, vitǫ munditia, honeſtate morum, ſacrarumque literarum doctrina, aliiſque multiplicibus virtutum donis fide dignorum teſtimoniis commendatum, Vicarium Generalem prǫfati Ordinis, auctoritate Apoſtolica, tenore prǫſentium conſtituimus, & deputamus, donec Magiſter Ordinis hujuſmodi electus (6) fuerit, cum plena, libera, & omnimoda poteſtate, facultate, & auctoritate, omnia & ſingula, quǫ mortuo Magiſtro Generali Vicarii Generales prǫfati Ordinis pro tempore exiſtentes tam de jure, & conſuetudine, quam juxta ipſius Ordinis regularia inſtituta, & alias quomodolibet facere, diſponere, exequi, & exercere potuerunt, ſeu poſſunt, faciendi, exequendi, & exercendi, etiam quǫ ab aliis quibuſcunque a die obitus prǫfati Magiſtri facta fuerint innovandi, retractandi, & irritandi, &, quia, ſicuti a viris fide dignis accepimus,

Ca-

Capitulum in Provincia Francię, ubi aſſignatum rite ſuerat cum beneplacito Chriſtianiſſimę Regię Majeſtatis, non potuit celebrari, & nunc propter urgentia bella, ac rerum omnium penuriam, & perturbationes, propter quas itinera peregrinantibus clauſa eſſe videntur, itaut ex hoc, & aliis rationabilibus cauſis expedire videatur, Congregationem Capituli Generalis pro ſuturi Magiſtri Generalis electione ad tempus differre, & illius Congregationem ad annum a feſto Pentecoſtes proxime futuro computandum prorogare, ut interim de ipſius Capituli Generalis loci deputatione, & aſſignatione, ac Generalis electione, dictęque Conſtitutionis recta, & vera intelligentia mature diſcuti, & deliberari, poſſit, Capitulum ipſum eadem auctoritate prorogamus. Mandantes in virtute ſanctę obedientię, ac excommunicationis latę ſententię pęna omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Religioſis, & perſonis, ut tibi in his, quę ad officium Vicariatus hujuſmodi pertinent, tanquam ipſius Ordinis Vicario Generali efficaciter, & humiliter pareant, & intendant. Concedentes tibi ſacultatem, non parentes, & inobedientes per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, Nos enim ſententias, ſive pęnas, quas rite tuleris, ſeu ſtatueris, ratas, & gratas habebimus, & ſaciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus pręfati Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtoliea, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon quibuſvis privilegiis, & literis Apoſtolicis Ordinis, & illius Prioribus, & perſonis pręfatis ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis irritantibus decretis, etiam motu, & ſcientia ſimilibus per Sedem Apoſtolicam conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus, etiamſi ad illorum derogationem, de illis, eorumque tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda ſit, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, contrariis quibuſeunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Februarii MDXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Evangeliſta.

1. *Paulum.*) Virum celeberrimum, de quo conſulendus *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXXX pag. 77.*

2. *Archivo.*) In quo autographum.

3. *Franciſcus de Ferraria.*) *Franciſcus* ſcilicet *Silveſter, de Ferraria* ex patria nuncupatus.

4. *Redonen.*) Vulgo *Rennes*. Hinc, ut optime notat *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXXV pag. 59*, liquet, *quam allucinentur illi qui Rutenis ſepultum volunt* Franciſcum noſtrum.

5. *Vita functus.*) Anno *MDXXVIII*.

6. *Electus.*) Ipſemet *Paulus Butigella* Generalis Magiſter renunciatus fuit Anno *MDXXX*.

Anno 1529 Die 26 Februarii.

Reſcindit literas in gratiam Peruſini Capituli datas contra Priorem, & Fratres Ordinis Prædicatorum circa ſupplicationem (1) ſolemnem, quæ fit die feſto Corporis Chriſti.

LII.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. VII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Prior, & Fratres domus S. Dominici Peruſin., Ordinis Fratrum Prędicatorum, quod licet ab immemorabili tempore citra, de quo memoria hominum non exiſtit, feſtum Corporis Chriſti in Eccleſiis dictę domus celebratum fuerit, prout etiam eelebratur de pręſenti, in eujus feſti die, omnes Fratres tam Conventuales, quam de obſervantia Ordinum quorumcunque in dicta Eccleſia congregati, ae ex ea bini, & bini ſuo ordine proceſſionaliter procedere, & divina canendo Venerandum Euehariſtię Saeramentum magna omnium Magiſtratuum Civitatis Peruſinę, & popularium multitudine, cum intortitiis, & candelis accenſis comitante, per ipſius Civitatis digniores vias, & plateam ad Cathedralem Eccleſiam Peruſinam per Legatum, ſeu ejus Vicelegatum, aut Epiſcopum Peruſinum, ſeu ejus Vicarium in ſpiritualibus Generalem pro tempore exiſtentem, illis vero a Civitate ipſa abſentibus, vel pręſentibus, aliaſque legitima cauſa impeditis, per Priorem dictę domus, aut Pręlatum, ſeu in Theologia Magiſtrum dicti Ordinis, ſacris veſtibus indutum deferri, ac mox eodem ordine, & proceſſione a Cathedrali Eccleſia ad Eccleſiam domus hujuſmodi, unde proceſſionis initium fuerat, Saeramentum ipſum referri, & in ipſius Eccleſię domus Altari inornato auro, gemmiſque tabernaculo, a fidelibus infra octavam ejuſdem feſti adorandum, reponi, & eollocari, & ita ſingulis annis conſervari conſuerit, tamen Anno Primo noſtri Pontifieatus ex nonnullorum relatione per Nos accepto, quod propter delationem Saeramenti hujuſmodi inter dilectos filios Capituli Priorem, & Canonicos Eccleſię Cathedralis, ac Priorem, & Fratres domus hujuſmodi altercationes, & diſcordię, ac etiam ſcandala gravia exorta fuerant, motu proprio, ac ex certa ſcientia ſtatuimus, & ordinavimus, quod ex tunc perpetuo in futurum pręſentibus illis, qui eatenus Euchariſtię Sacramentum hujuſmodi deferre conſueverant, ipſi, illis vero die feſti hujuſmodi ab eadem Civitate abſentibus, aut aliter legitime impeditis, Vicarius, Archipresbyteri, aut alius dicti Capituli, qui poſt Vicarium, ſeu Canonicus ipſius Eccleſię Cathedralis, ſive alius fuerit, illum locum tenuerit, & non Fratres dictę domus cum in dignitate conſtituti non eſſent, Euchariſtię Sacramentum devote cum ſolemni pompa ab Eccleſię dictę domus levaret, & ad eandem reponeret, decrevimuſque ſtatutum noſtrum hujuſmodi ſub excommunicationis latę ſententię

pęna

Digitized by Google

pęna inviolabiliter obſervari debere, ac Legato, Vicelegato, Epiſcopo, & pręfatis, & cuilibet eorum
mandavimus, ut decretum ipſum obſervarent, & ab aliis per cenſuras, & pęnas, etiam pecuniarias,
eorum arbitrio moderandas, obſervari facerent, invocato etiam ad id auxilio brachii ſecularis, ac privi-
legiis, & indultis Apoſtolicis, eiſdem Fratribus conceſſis derogavimus, prout in noſtris deſuper in for-
ma Brevis confectis literis, plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ſolem-
nitas, & feſtivitas Sacramenti hujuſmodi non in Cathedrali, ſed in domus hujuſmodi Eccleſia a tempore,
cujus initii memoria non habetur, celebrata fuerit, & forſan ea ratione celebretur, quia Eccleſia dictę Nota.
domus eſt ceteris dictę Civitatis Eccleſiis amplior, & ornatior, & ad tantę ſolemnitatis celebrationem
magis idonea, illique magis convenire viſum fuerit, cum officium dicti feſti a Beato Thoma Aquinate ipſius
Ordinis profeſſore inſtitutum fuerit (3), ipſiuſque ſolemnitatis omnis cura ornandi Eccleſiam dictę domus Nota.
ac pręparandi omnia ad ſolemnitatem ipſam celebrandam neceſſaria, & opportuna eiſdem Fratribus de-
mandata, & cuſtodię ipſius Sacramenti, quod per octavam ipſam cum luminaribus continue accenſis ſu-
per dictum Altare conſervatur, aliquis ex Fratribus dictę domus continue juxta dictum Altare ad majo-
rem tanti feſti Sacramenti venerationem ſemper exiſtat, & propterea ęquum, & juſtum eſſe cenſetur,
quod Legato, & Vicelegato, ac Epiſcopo, & ejus Vicario abſentibus, vel impeditis, Sacramentum ip-
ſum, per Priorem, aut Fratres dictę domus, prout ab immemorabili tempore citra obſervatum fuerat,
& non per alium, deferatur, cum minime mutanda eſſe videantur, quę tanto tempore ſervata fuerunt,
ex quorum mutatione non ſolum inter Capitulum, & illius ſingulares perſonas, ac Fratres hujuſmodi,
ſed etiam Cives, & alias ſeculares perſonas dictę Civitatis in die celebrationis dicti feſti gravia ſcandala
veriſimiliter exoriri poſſent, quare pro parte Prioris, & Fratrum hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſuppli-
catum, ut eis in pręmiſſis opportune providere, & literas prędictas revocare, de benignitate Apoſtolica
dignaremur. Nos, attendentes, ex tali caſu deferendi Sacramentum, per Priorem, ſeu Fratrem dictę
domus, in cujus poſſeſſione, ſeu quaſi, Prior, & Fratres prędicti ab immemorabili tempore citra fuiſſe
dicuntur, tale jus quęſitum fuiſſe, cui cum mentis noſtrę nunquam fuit derogari velle, eorundem Prio-
ris, & Fratrum quorum Ordinem, propter uberes fructus, quos in Eccleſia Dei produxit in viſceribus Nota.
gerimus caritatis, ſupplicationibus inclinati, Priori, & Fratribus domus hujuſmodi concedimus per
pręſentes, quod ipſi in ſolemnitate Corporis Chriſti Sacramentum Euchariſtię in Legati, ac Epiſcopi,
& ejus Vicarii abſentia, aut illis legitima cauſa impeditis ab Eccleſia eorum domus ad Cathedralem Eccle-
ſiam proceſſionaliter deferre, & inde ad eorum Eccleſiam referre libere valeant in omnibus, & per om-
nia, ac ſi literę noſtrę prędictę a Nobis nullatenus emanaſſent. Non obſtantibus conſtitutionibus, & or-
dinationibus Apoſtolicis, ac literis prędictis, quas eiſdem Capitulo, & Canonicis, ac Archipresbytero,
& ejus Vicario nullatenus ſuffragari volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud
S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Februarii MDXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Evangeliſta.

1. *Supplicationem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Peruſino*.
3. *Inſtitutum fuerit.*) Vide Notas ad *Conſtitutionem XCVIII Sixti IV.* Legitur *pag.* 555 *Tomi III.*

Anno 1529 Die 26 Martii.

Confirmatio concordiæ inter Fratres Ordinis Conventus Sanctæ Mariæ del Roſario Oppidi de Carrieres (1) ex una, ac Univerſitatem ejuſdem Oppidi ex altera parte, Caurien. Diœc. ſuper redditibus (2) poſſidendis ab eodem Conventu.

LIII.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EA, quę concordia &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus S. Marię del
Roſario, Oppidi de Carrieres, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Caurien. Dięceſis, ac Univerſi- Diplomatis
tatis dicti Oppidi, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias poſtquam Fratres dicti Ordinis, cauſa.
Provincię Hiſpanię, ſecundum morem dicti Ordinis, domum prędictam conſtrui facere inceperant, ac
dicti Univerſitas, prętendentes privilegio Regio caveri, quod Fratres non poſſent redditus ſeculares
in dicto Oppido habere, conſtructioni hujuſmodi, ſe oppoſuerunt, Prior, & Fratres, ac Univerſitas
hujuſmodi, inter ſe concordarunt, quod ipſa domus conſtrueretur, & perficeretur, illius vero Prior,
& Fratres nunc, & pro tempore redditus ſeculares, in dicto Oppido, uſque ad ſummam viginti millium
Morapetinorum monetę illarum partium annuatim aſcendentes, & non ultra, habere poſſent, prout in
Inſtrumento publico, deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioris, &
Fratrum, ac Univerſitatis prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut concordię hujuſmodi, pro
illius ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in pręmiſſis opportune
providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur quemlibet ex Priore, & Fratribus, ac
Univerſitate prędictis a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, ac Inſtrumenti prędicti, ac quarum- Confirmatio.
cunque aliarum ſcripturarum, occaſione pręmiſſorum, quomodolibet confectorum, tenores pręſentibus
pro ſufficienter expreſſis habentes, ac de verbo ad verbum inſertis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati,
auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concordiam hujuſmodi, ac prout illam concernunt, omnia,
& ſingula in dicto Inſtrumento contenta, & inde ſequuta quęcunque, quatenus alias ſint licitia, & ho-
neſta, approbamus, & confirmamus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus,
ſi qui intervenerint in eiſdem, illaque perpetuę firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari, &
ſic

ſic per quoſcunque tam ordinaria, quam delegatorum, & Apoſtolica auctoritate fungentes, Judices, & perſonas ubique judicari, atque decidi, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, cognoſcendi, & decidendi facultate, necnon irritum, & inane quicquid ſecus &c. attentari. Non obſtantibus &c. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Nono, Septimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Carrieres.*) *Carrionenſis* nempe, in *Hiſpania*.
2. *Redditibus.*) Conſulendus *Tractatus de Cenſu* *Bullarum Tomo ultimo Tit.* I.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* *Lib. XIII fol.* 311.

Anno 1529 Die 13 Maii.

Confirmat omnia privilegia conceſſa Congregationi Gallicanæ (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LIV.

Dilecto filio Claudio Salin. Vicario Generali Fratrum Ordinis Prędicatorum regularis obſervantię Congregationis Gallicanę.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. CIrca regularis obſervantię profeſſores eo ſtudioſius intendimus, quo fęcundius illorum Religio in eis fructum afferat ſalutarem. Cum itaque, ſicut nuper Nobis exponi feciſti, licet pro divini cultus augmento, & Ordinis Fratrum Prędicatorum ſalubri ſtatu, & incremento, quam plura, & diverſa privilegia, exemptiones, immunitates, libertates, indulgentię, conceſſiones, gratię, & indulta Congregationi Gallicanę Fratrum dicti Ordinis Regularis obſervantię, ac ipſius Congregationis Domibus, & locis, necnon Vicariis, Prioribus, Fratribus, & perſonis pro tempore exiſtentibus, tam per Romanos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam, quam etiam Reges, & alios Principes, conceſſa fuerint, tamen, ut illa uberiorem obtineant roboris firmitatem, nec infringi, neque ipſius Congregationis profeſſores, per locorum Ordinarios, & Pręlatos, & alios, contra illa indebite moleſtari poſſint, cupis tamen ea, quam ordinationem per quondam Franciſcum Silveſtrum de Ferraria, dicti Ordinis Generalem Magiſtrum, circa pręſentationem Baccalaureorum in Conventu, & Domo dicti Ordinis Univerſitatis ſtudii Pariſien. in viſitatione Congregationis tuę Gallican. factam, per Nos Apoſtolica auctoritate
Confirmatio. approbari, & confirmari. Nos igitur, qui religioni deditis, Apoſtolici favoris pręſidium libenter impendimus, ac illorum quieti, & profectui, quantum cum Deo poſſumus, conſulimus, privilegiorum, exemptionum, libertatum, immunitatum, Indulgentiarum, conceſſionum, gratiarum, & indultorum, ac ordinis prędictorum, & deſuper confectarum literarum tenores, ac ſi de verbo, ad verbum inſererentur, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis babentes, bujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula privilegia, exemptiones, immunitates, libertates, Indulgentias, conceſſiones, gratias, & indulta Ordini, & Congregationi, ac ipſius Congregationis Domibus, locis, Vicariis, Prioribus, Fratribus, & perſonis bujuſmodi pro tempore exiſtentibus, conjunctim, vel diviſim, tam per quoſcunque Romanos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, quam, quatenus ſint rationabilia, & honeſta, per quoſcunque Reges, & Principes, conceſſa, necnon ordinationes Magiſtri Generalis hujuſmodi, & deſuper confectas literas, omniaque, & ſingula in eis contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, approbamus, innovamus, & confirmamus, illaque perpetuę firmitatis robur obtinere, & firmiter obſervari debere decernimus, ſupplentes omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan in conceſſionibus regum, & Principum, ac ordinatione Magiſtri Generalis hujuſmodi intervenerint. Et nihilominus ea omnia, & ſingula, quę per Nos conceſſa, & ordinata ſunt, de novo concedimus, & ordinamus; Mandantes univerſis, & ſingulis perſonis in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ac Ordinariorum locorum Officialibus, & Vicariis in ſpiritualibus Generalibus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, Vicariis, Prioribus, Fratribus, & perſonis Congregationis bujuſmodi, in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra hujuſmodi privilegia, exemptiones, libertates, immunitates, Indulgentias, conceſſiones, gratias, indulta, & ordinationes hujuſmodi firmiter obſervari, necnon illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos, contra illorum tenorem, per locorum Ordinarios, & Pręlatos, aut alios quoſcunque, quavis auctoritate fungentes, quomodolibet indebite moleſtari; Contradictores quoslibet, & rebelles, per cenſuras eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; invocato, etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, & quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quę in ſingulis prędictis conceſſa ſunt non obſtare; ac quę pręſentibus, pro expreſſis, & repetitis baberi volumus, contrariis quibuſcunque: Aut ſi Ordinariis, vel Pręlatis pręfatis, vel quibuſvis aliis, communiter, vel diviſim, a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem; Decernentes pręſentium tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in Dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eandem prorſus fidem ubique in judicio, & extra exhiberi debere, quę adhiberetur eiſdem pręſentibus literis, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę ſub Annulo Piſcatoris die XIII Maii MDXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Gallicana.*) De qua ſæpius dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum.

In-

Inquiſitores (1) privilegiis ornat.

Anno 1530 Die 25 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Paulo (3) Butigellę totius Ordinis Fratrum Prędicatorum Vicario (4) Generali, in Ferrarien., & Mutinen. Civitatibus, & Diœceſibus hęreticę pravitatis Inquiſitori. LV.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

CUm, ſicut ex relatione pro parte tua Nobis facta, cum gravi noſtrę mentia moleſtia innotuit, in diverſis Italię partibus adeo peſtifera hęreſis Lutherana non tantum apud ſeculares perſonas, ſed etiam eccleſiaſticas, & regulares, tam mendicantes, quam non mendicantes, invaluerit, ut aliquando nonnulli ex eis ſuis ſermonibus, & verbis, & quod deterius eſt, publicis prędicationibus, tali labe pleroſque inficiant, & Chriſti fideles ſub obedientia S. Romanę Eccleſię viventes, & pręcepta ejuſdem Eccleſię ſervantes, non leviter ſcandalizent, in hęreſum augmentum, puſillorum ſcandalum, atque catholicę fidei non mediocre detrimentum. Nos, attendentes, Arium (5) unam modicam ſcintillam fuiſſe in Alexandria (6), ſed, quoniam non mox oppreſſus eſt, grande per totum orbem incendium exſuſcitaſſe, ac cupientes huic veneno, hęreſique nefarię, & labi peſtiferę, quam ſupremis extingui affectibus anhelamus, omni ſalubri, quo poſſumus, remedio occurrere, &, ne hujuſmodi morbus excreſcat ulterius, ſed, operante Domino, paſſim evellatur, ſalubriter providere, tibi, necnon omnibus, & ſingulis aliis dictę hęreticę pravitatis Inquiſitoribus ex Ordine Fratrum Prędicatorum, maxime Congregationis utriuſque Lombardię, per univerſam Italiam conſtitutis, & deputatis, ac conſtituendis, & deputandis, eorumque Vicariis in virtute S. Obedientię, & in remiſſionem peccatorum veſtrorum, diſtricte pręcipiendo, mandamus, quatenus omnibus, & ſingulis etiam Carmelitarum, & aliorum Ordinum Mendicantium Religioſis, vel non Mendicantibus, de hujuſmodi peſte diffamatis, aut aliter ſuſpectis, pręcipueque tales errores in ſuis ſermonibus, verbis, ſeu prędicationibus diſſeminantibus, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, ſuper hujuſmodi, & qualibet alia hęreſi ſilentium imponatis. Et poſtquam per vos, ſive Vicarios veſtros, aut veſtrum, vel eorundem Vicariorum aliquos, ſive aliquem, pręſidentes Monaſteriorum, Conventuum, & aliorum locorum, ubi hęreſes hujuſmodi vel errores ſeminati forent, aut inibi propinquorum pręmoniti fuerint, niſi tales infra menſem, a die admonitionis computandum, debita proviſione, remedia cum effectu adhibuerint, ac digna pęnitentia caſtigaverint, de quibus admonenti fidem facere teneantur; &, ſi Pręſidentes ipſi talia prędicarent, admonitionem pręſidenti vicinioris conventus, vel loci reſpective facere ſufficiat, contra hujuſmodi exemptos uſque ad ſententiam diffinitivam, ad quam ferendam, ſi fuerit condemnatoria, cum conſenſu Ordinarii, procedatis: Contra Carmelitas tamen confeſtim poſſitis etiam ad capturam, dum prędicant populo, vel publice diſputant erroneas concluſiones: adverſus non exemptos vero de tali labe diffamatos, aut ſuſpectos veluti contra alios hęreticos, prout jura diſponunt, libere inquiratis, atque procedatis. Decernimus inſuper, ut veſtros Vicarios, ſive Commiſſarios inſtituere valeatis, viros veſtra ſententia providos, aptos, & idoneos, dummodo ętatis trigeſimum annum attigerint. Vobis etiam, ac Vicariis pręfatis, extrajudicialiter Lutheranos occultos, & non inquiſitos per Ordinarium, ſive alios judices, ac alios quoſcunque hęreticos, fautores, credentes, defenſores, & receptatores, necnon a S. Fide apoſtatas eos, qui contra inhibitionem Sedis Apoſtolicę tenuerunt, vel legerunt libros Martini Lutheri, vel aliorum, aut eidem, ſive eiſdem quomodolibet adhęſerunt, ſi ad cor reverſi, pęnitentes id humiliter petierint, poſtquam hęreſim, qua polluti, & infecti erant, abjuraverint, & medio juramento promiſerint de cetero ab hujuſmodi hęreſi penitus abſtinere, abſolvendi, illiſque pro pręmiſſis pęnitentiam injungendi ſalutarem, eoſque ad gremium ſanctę matris Eccleſię reſtituendi, & reducendi, & cum clericis ſecularibus, ac perſonis Religioſis cujuſvis Ordinis, ſtatus, conditionis, ſuper quavis irregularitate, quam tamen ex hęreſi, quam ex apoſtaſia a fide, ſeu etiam ex eo, quod cenſuris, & pęnis eccleſiaſticis, tam a jure, quam ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, & promulgatis, quomodolibet incurrerint, aut ligati, ſeu innodati, divina celebrando contraxerint, ac etiam ſuper irregularitatibus quas Clerici cruce ſignati ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, etiam quavis occaſione, vel cauſa latis, ligati, ſeu irretiti, ac etiam ex eo quod in locis eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitis, Miſſas, & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, incurrerint, diſpenſandi. Et quia Inquiſitores pręfati in Civitatibus ſeu aliis locis Societates, ſeu Confraternitates ad extirpandum hęreſes, & ad capiendum hęreticos, juxta conceſſionem a Romanis Pontificibus eis factam, inſtituunt, & in eis confratres recipiunt, qui in eorum receptione votum in eorundem Inquiſitorum, ſeu Vicariorum manibus emittunt, & voto ſe aſtringunt, dum pro parte ipſorum Inquiſitorum ad capiendos ipſos hęreticos requiſiti fuerint, auxilium, conſilium, & favorem pręſtare, ut eis tempore cujuſvis localis interdicti divinis intereſſe, & eis decedentibus eorum corpora eccleſiaſticę ſepulturę, ſine tamen funerali pompa, tradi poſſint, dummodo cauſam non dederint hujuſmodi interdicto, nec eis id contigerit ſpecialiter interdici: Ipſiſque cruce ſignatis per ipſos Inquiſitores, ſeu Vicarios, dum in eorum manibus votum, hęreticos ipſos perſequendi emiſerint, ut ſemel ex tunc, & in mortis articulo a reſervatis, & in Bulla cęnę Domini contentis caſibus, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerit, aut propoſitum confitendi debito tempore per Eccleſiam ſtatuto, habuerint, ab-

Nota.

abſolvi, ac Indulgentia plenaria, & omnium peccatorum remiſſio hujuſmodi concedi; eiſque, ut ſingulis diebus anni quinque Altaria Eccleſię, ſi tot ibi fuerint, aut unum loci, in quo eos eſſe contigerit, pſalmum unum genibus flexis recitando, vel quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam in quolibet Altari, Indulgentias Stationum Urbis conſequi valeant, etiam concedendi, & elargiendi auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam, & facultatem concedimus. Et nihilominus conceſſionem per Romanos Pontifices, forſan vivę vocis oraculo, ſeu alias eiſdem Inquiſitoribus, & Vicariis factam (7) ſeu licentiam conceſſam hujuſmodi approbamus, & confirmamus, ac omnia, & ſingula alia privilegia, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta quibuſcunque Inquiſitoribus aliis hęreticę pravitatis quorumvis Ordinum, & Congregationum, & officio Inquiſitionis hujuſmodi, in quibuſcunque Regnis, & Provinciis, ſive locis, ac terris, hactenus deputatis, conceſſa, & in poſterum concedenda, vobis communicamus, atque jam vobis alias conceſſa approbamus, confirmamus, & innovamus, univerſoſque, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan in illorum conceſſione intervenerint, ſupplemus. Mandantes omnibus, & ſingulis venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, necnon dilectis filiis eorundem Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Vicariis in ſpiritualibus Generalibus, quatenus pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte veſtra, ſeu Vicariorum veſtrorum prędictorum, aut alicujus veſtrum, ſive illorum deſuper ſuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, ac vobis in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant pręſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, voſque illis pacifice gaudere. Non permittentes, vos deſuper per quoſcunque, quovis modo, indebite moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pęnas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Ordinum etiam juramento, & confirmatione Apoſtolica roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon privilegio (8), quod incipit: Sacer ordo: per felicis recordationis Sixtum PP. IV Predeceſſorem noſtrum Ordini Carmelitarum conceſſo, fortaſſiſque poſt aliis communicato, & quibuſcunque aliis privilegiis, & indultis Apoſtolicis, illi, ac quibuſcunque aliis etiam Mendicantium Ordinibus, etiam ſub quibuſvis tenoribus, & verborum formis, ac cum quibuſcunque clauſulis, & decretis conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus tenores illorum, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent pręſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes hac vice ſpecialiter, & expreſſe derogamus, necnon quibuſcunque exemptionibus, oppoſitionibus, & appellationibus forſan deſuper faciendis, & interponendis, quę adverſus pręmiſſa nullatenus ſuffragari poſſe volumus, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Decernentes pręſentium tranſumptis manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eandem prorſus fidem in judicio & extra adhibendam fore quę eiſdem pręſentibus adhiberetur ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Bononię ſub Annulo Piſcatoris die XV Januarii MDXXX, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Evangeliſta.

1. *Inquiſitores.*) Conſulendus *Fontana Monument. Dominican. Parte IV Cap. III ad an. MDXXX pag. 444.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum. Legitur etiam *Lib. H. fol. 1.*, apud *Uſuſmarem pag. 201.* In *Bullario Romano* eſt *XXVII.*

3. *Paulo.*) De quo legendus *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad an. MDXXX pag. 77.*

4. *Vicario.*) Generalis Magiſter renunciatus fuit hoc eodem anno *MDXXX.*

5. *Arium.*) Impium hæreſiarcham, ſeculo Chriſtiano *IV* notiſſimum. Nonnulli ſcribunt *Arrium*, & in hoc emendandi, græce ſiquidem dicitur ἄρειος, non [illegible].

6. *Alexandria.*) Cujus Eccleſiæ Presbyter erat *Arius*.

7. *Factam.*) Huc etiam ſpectat ſequens vivæ vocis oraculum,

NOs Laurentius miſeratione divina Epiſcopus Prænestinus Cardinalis Sanctorum Quatuor, ac major Pœnitentiarius, univerſis, & ſingulis præſentes has noſtras patentes literas inſpecturis, fidem facimus, & atteſtamur, quatenus Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus D. noſter Clemens divina providentia Papa Septimus cujus præcordiis defenſio ac tutela fidei continue eſt affixa, ne ex defectu gratiarum ſpiritualium ipſa Fides aliquod detrimentum patiatur, cum contra ipſam maxime noſtris temporibus in diverſis mundi partibus continue hæreſes ſuccreſcere videantur juxta illud per Apoſtolum Paulum antea prævisum: Neceſſe eſt hæreſes eſſe; vivę vocis Oraculo ſuper hujuſmodi nobis facto declaravit, ac obſervari mandavit, quod omnes, & quęcunque Indulgentię, & peccatorum remiſſiones, gratiæ, immunitates, ac privilegia Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis Ordinis Prædicatorum Congregationis Lombardiæ pro tempore exiſtentibus, & perſonis utriuſque ſexus per dictos Inquiſitores, ſeu eorum Vicarios cruceſignatis juxta facultatem per Romanos Pontifices, & Sedem Apoſtolicam eis deſuper conceſſam, præſertim per Sanctitatem ſuam nuper Bononię die Quintadecima Januarii præſentis Anni conceſſa, nunquam comprehendantur, ſive intelligantur revocata, ſive ſuſpenſa per quaſcunque clauſulas ſuſpenſivas, ſive revocatorias, etiam ſi tales clauſulæ eſſent ampliſſimæ, fortiores, & inſolitæ, & ſub quibuſvis verborum formis conceſſis, vel in poſterum concedendis ab eodem Sanctiſſimo Domino noſtro, vel Succeſſoribus ejus Romanis Pontificibus, & Sede prædicta concedendis, niſi de præfatis Inquiſitoribus, ac perſonis cruceſignatis fiat ſpecialis, & expreſſa mentio, non autem per clauſulas Generales id importantes mentio facta fuerit.

Et hoc idemmet, ac eodem vivę vocis Oraculo ſuper hujuſmodi nobis ſpecialiter facto intelligi voluit de Indulgentiis, gratiis, conceſſionibus, tam vivæ vocis Oraculo, quam quocunque alio modo a Romanis Pontificibus conceſſis, & concedendis, his qui ſunt, vel erunt de Societate Roſarii Beatæ Virginis, quas Sanctitas Sua etiam de novo confirmavit, approbavit, & innovavit, vetans ne ſint revocatæ, nec ſuſpenſæ, niſi facta de eiſdem

ſpe-

ſpeciali mentione, cum talis Societas non ſit fundata in quæſtu, nec in pecuniis, ſed in ſola communicatione bonorum ſpiritualium. In quorum fidem præſentes manu noſtra propria ſubſcriptas per infraſcriptum Secretarium noſtrum fieri, ſigillique noſtri magni appenſione communiri juſſimus. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico in Camera noſtræ ſolitæ reſidentiæ die XXVII Aprilis MDXXX, Pontificatus Præfati Sanctiſſimi Domini noſtri Anno VII.

Ita eſt Laurentius Card. Sanctorum Quatuor qui manu propria ſubſcripſit.

Ambroſius Cicero.

Ex authentico exemplari aſſervato in Archivo Cœnobii *Mutinenſis*.

8. *Privilegio.*) Legitur in *Bullario Carmelitano Conſtitutione XXV Sixti IV Tomo I pag.* 352.

De Decimis (1) non ſolvendis.

Anno 1530. Die 16 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. VII.

LVI.

Univerſis, & ſingulis Commiſſariis, Collectoribus, & Subcollectoribus Decimarum per Nos impoſitarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ALias emanarunt literę a Nobis, tenoris videlicet ſubſequentis. Dilectis filiis Vicario Generali, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum Congregationis Lombardię regularis obſervantię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum, ſicut accepimus, vos juxta privilegia, & indulta &c. (3) Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die IV Novembris MDXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Cum autem Vicarius, & Fratres prędicti Nobis conqueſti fuerint, quod licet vobis inhibuerimus, ne Fratres domorum dictę Congregationis, quovis prętextu ad aliquam ſolutionem, ſeu contributionem Decimarum hujuſmodi, contra tenorem pręinſertarum literarum coarctare, vel deſuper moleſtare, aut inquietare, vel perturbare pręſumeretis, ac decreverimus irritum, & inane quicquid ſecus attentari contigerit, tamen quotidie eos, ac Moniales Monaſteriorum eorum curę commiſſorum, ex eleemoſynis, & laboribus ſuis viventes, moleſtare pręſumitis, in grave eorundem Vicarii, Fratrum, & Monialium prędjudicium, & gravamen, pro parte ipſorum Vicarii, Fratrum, ac Monialium hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut de opportuno remedio in pręmiſſis ſubvenire, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pręinſertas literas, Vicario, & Fratribus conceſſas, innovantes, & approbantes, illaſque inviolabiliter obſervari volentes, & ad Moniales ſub cura eorundem Fratrum degentes quoad hoc, ut detractis ex fructibus ſeptem ducatis pro qualibet Moniali, Decimam fructuum ſolvere teneantur, extendentes, & ampliantes vobis, ac pręſentibus, & pro tempore exiſtentibus Commiſſariis, Collectoribus, & Subcollectoribus, ſub excommunicationis latę ſententię, ac quingentorum ducatorum auri de Camera, partim eiſdem Vicario, & Fratribus, partim vero Camerę Apoſtolicę applicandis, pęnis mandamus, quatenus eoſdem Fratres domorum, ac Moniales Monaſteriorum, eorundem Fratrum curę commiſſorum, contra pręinſertarum literarum tenorem, nullatenus moleſtare pręſumatis, Non obſtantibus omnibus, quę in pręmiſſis literis voluimus non obſtare, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Decernentes pręſentium tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eandem prorſus fidem in judicio, & extra illud, adhiberi debere, quę adhiberetur eiſdem pręſentibus, ſi forent originaliter exhibitę, vel oſtenſę. Datum Bononię ſub Annulo Piſcatoris Die XVI Januarii MDXXX, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Decimis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.* X.

2. *Archivo.*) In quo varia Exemplaria, unum in *Bullario Bononienſi pag.* 88, aliud ex *Cremonenſi*, tertium ex *Veronenſi*, quartum ex *Veneto* exemplaribus.

3. *Indulta &c.*) Ut in Conſtitutione *XXXVII*.

Ut expleto biennii interſtitio (1) poſſit eadem Prioriſſa eidem Monaſterio præeſſe:

Anno 1530 Die 8 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CLEMENS PP. VII.

LVII.

EXpoſuit Nobis venerabilis Frater noſter Laurentius (3) Epiſcopus Pręneſtin. Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum nuncupatus Ordinis Prędicatorum Protector, quod licet juxta ſtatutum, & pręceptum felicis recordationis Julii Papę Secundi, Prędeceſſoris noſtri, fuerit hactenus ſervatum, ut Prioriſſę Monaſteriorum Monialium ſub cura Fratrum veſtrę Congregationis Lombardię degentium, per quadriennium, non poſſint in eiſdem Monaſteriis reeligi, & eiſdem Monaſteriis pręeſſe, nihilominus tibi Vicario dictę Congregationis grave fore videtur, ut tanto tempore, una, atque eadem Monialis, non poſſit in hujuſmodi Monaſterii Prioriſſam reaſſumi. Quare idem Laurentius Epiſcopus, & Protector, Nobis humiliter ſupplicavit, ut in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, ut in Monaſteriis dictarum Monialium, illarum Prioriſſę, poſtquam per biennium vacaverint

ab alicujus ipſius Monaſterii Prioratu, poſſint in eodem Monaſterio Prioriſſę eſſe. Non obſtantibus literis Julii Prędeceſſoris hujuſmodi, cum omnibus in eis contentis, & clauſulis, quibus, illarum tenores pro ſufficienter expreſſis, & inſertis, habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad hoc ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Bononię ſub Annulo Piſcatoris Die VIII Februarii MDXXX, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Evangeliſta.

1. *Interſtitio.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar in *Bullario Bononienſi* pag. 89, & *Lib. E. fol.* 20. Aliud habetur in Archivo Ordinis inter Bullas *Clementis VII* ex exemplari *Cremonenſi*.

3. *Laurentius.*) De quo ſæpius dictum fuit.

Anno 1530 Die 23 Martii.

Indulgentias (1) Sanctiſſimi Roſarii Confraternitati Conventus de Victoria conceſſas firmat.

LVIII.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. INeffabilia glorioſę Virginis, Dei Genitricis Marię meritorum inſignia devotę conſiderationis indagine perſcrutantes, & intra mentis noſtrę arcana, quod ipſa caſtiſſimo ejus utero, prout noſtri ſtatus exigebat neceſſitas, humanę ſalutis protulit auctorem, & apud eum, quem maternis lactavit uberibus, ſedulas pro noſtrę fragilitatis expiatione preces effundit, dignum, quin potius debitum reputamus, ut fraternitates ad celebrandas ejus laudes inſtitutas gratioſis proſequamur conceſſionum impendiis, & ſpiritualibus muneribus foveamus. Dudum ſiquidem poſtquam felicis recordationis Adrianus (3) Papa Sextus, Prędeceſſor noſter, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Confratribus Confraternitatis ſub invocatione Beatę Marię Virginis in Capella del Roſario ejuſdem Beatę Marię, ſita in Eccleſia domus Sancti Dominici, Oppidi de Victoria, Ordinis Fratrum Prędicatorum regularis obſervantię Calagurritanenſis Dięceſis, canonice inſtitutę tunc, & pro tempore exiſtentibus, qui in quacunque parte dictę Eccleſię, ex qua Altare ſitum in dicta Capella conſpici poſſit, ſingulis diebus unum quinquagenarium Roſarium, ſeu Pſalterium nuncupatum recitarent, pro qualibet die, qua id fecerint, quinquaginta annos de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxaverat, volens, quod ille ex dictis Confratribus, qui cereum benedictum dictę Confraternitatis in honorem ejuſdem Virginis in manibus tenens ab hac luce migraſſet, & ante horam obitus ejus dictum Roſarium, ſeu Pſalterium ſemel tantum recitaſſet, remiſſionem, & indulgentiam omnium peccatorum ſuorum in mortis articulo conſequeretur, Nobis expoſito, quod Confratres dictę Confraternitatis extra oppidum habitantes non valebant toties, quoties volebant ad Eccleſiam prędictam cauſa recitandi Pſalterium, & conſequendi Indulgentiam hujuſmodi perſonaliter accedere, Nos, quod Confratres Confraternitatis hujuſmodi, tunc, & pro tempore exiſtentes, qui dictum Pſalterium in aliqua Eccleſia, vel Oratorio cujuſvis loci, in quo eos pro tempore reſidere contigerit, devote recitarent, quoties id fecerint, indulgentias prędictas conſequerentur perinde, ac ſi in dicta Eccleſia S. Dominici prędictum Pſalterium recitaſſent, conceſſimus per noſtras literas (4), prout in illis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris moderni, & Fratrum dictę domus, petitio continebat, in ſtatutis, & conſuetudinibus dictę Confraternitatis, inter alias caveatur expreſſe, quod volentes ad ipſam Confraternitatem admitti, & in ea inſcribi, certam pecuniarum quantitatem hujuſmodi perſolvant, & exinde annis ſingulis, etiam ad certę pecuniarum quantitatis ſolutionem teneantur, & quamplurimi Chriſti fideles propter exceſſum pecuniarum in admiſſione ſolvendarum hujuſmodi ab eadem Confraternitate, & illi benefaciendo retrahantur, &, ſi Priori dictę domus pro tempore exiſtenti, liceret dictam pecuniarum quantitatem moderari, & ad mediocritatem reducere, ex hoc profecto dictę domus commodo, & utilitati, & Chriſti fidelium animarum ſaluti, non parum conſuleretur, ac pro parte dictorum Prioris moderni, & Fratrum Nobis fuerit humiliter ſupplicatum, ut relaxationem, voluntatem, & conceſſionem prędictas approbare, & innovare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Confirmatio. Nos, qui ſalutem cupimus animarum, quemlibet ex Priore moderno, & Fratribus prędictis, a quibuſvis excommunicationibus, ſuſpenſionibus, & interdictis, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa, latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, relaxationem, voluntatem, & conceſſionem prędictas, ac prout illas concernunt, omnia, & ſingula in noſtris prędictis, & quibuſvis aliis Adriani Prędeceſſoris hujuſmodi, literis quomodolibet contenta, confirmamus, & approbamus, illaque perpetuę firmitatis robur obtinere, & quod de dictorum Confratrum conſenſu Prior domus dictę pro tempore exiſtens pecuniarum pro admiſſione, & inſcriptione prędictis, ſolvendarum, quantitatem hujuſmodi ejus arbitrio moderari, & ad mediocritatem reducere, & quilibet ex dictis Confratribus, qui ad loca eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto ordinaria auctoritate ſuppoſita declinaverit, in illis, clauſis januis, non pulſatis campanis, & ſubmiſſa voce, excommunicatis, & interdictis excluſis, dummodo ipſe cauſam hujuſmodi interdicto non dederit, nec per illum ſtet, quo minus interdictum hujuſmodi obſervetur, & illi pareatur, Miſſas, & alia divina officia in ſua, & familiarum ſuarum, ac domeſticorum ſuorum pręſentia, per ſe ipſum, ſi Presbyter fuerit, aut proprium, vel alium Sacerdotem, celebrare facere, libere, & licite valeat. Quodque ſi, hujuſmodi interdicto durante, in loco, ubi illud appoſitum fuerit, eum contingat ab humanis diſcedere, illius corpus cum modeſta funerali pompa eccleſiaſticę ſepulturę tradi poſſit,

poſſit, concedimus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, & qnibuſvis ſuſpenſionibus, revocationibus, probibitionibus, mandatis, privilegiis, atque indultis, & literis Apoſtolicis per quoſcunque Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, & Nos, ac Sedem Apoſtolicam, etiam conſiſtorialiter, & per viſm generalis legis, & ſtatuti perpetui, ac motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, & cum quibuſvis irritativis, annullativis, caſſativis, revocativis, pręſervativis, exceptivis, reſtitutivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, etiam in favorem Jubilęi (5), & alias quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis, ſub quibus indulgentias Confraternitati conceſſas hujuſmodi nullatenus comprehendi, ſed ab illis exemptas, & exceptas fore, & eſſe decernimus, eiſque, niſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ſervanda foret, & in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſſit, illorum omnium tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modos, formas ad id ſervandas pro individuo ſervatis, habentes, bac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, confirmationis, approbationis, conceſſionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Panli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Nono (6), Decimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Nota.

1\. *Indulgentias.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2\. *Archivo.*) In quo triplex Exemplar authenticum ea autographo aſſervato in Archivo Conventus *de Victoria*. Legitur etiam *Lib. B. pag. 136*, ex autographo *Hiſpalenſi*, & in *Bullario Confraternitatum Ord. Præd. pag. 73.*

3\. *Adrianus.*) Conſtitutione VII.

4\. *Literas.*) *Conſtitutionem VI.*

5\. *Jubilæi.*) Nota quod hic conceſſas Indulgentias Sanctiſſimi Roſarii Confratres aſſequi poſſunt etiam anno Jubilæi.

6\. *Vigeſimo Nono.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXXX.*

Luchentenſe (1) Cœnobium eccleſiaſtico beneficio donat.

Anno 1530 Die 27 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LIX.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX Injuncto Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officio &c. Cum itaque, Parochialis Eccleſia Oppidi de Luchent., Valentin. Dięceſis, quę de jure patronatus laicorum nobilium, videlicet Domini in temporalibus dicti Oppidi pro tempore exiſtentis, exiſtit, per liberam reſignationem dilecti filii Bartholomęi Rippol, nuper ipſius Eccleſię Rectoris, de illa, qnam tunc obtinebat per dilectum filium Franciſcum Belenguer Clericum Cęſaraugustanum, Procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, vacaverit, & vacet ad pręſens, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus ſacratiſſimi Corporis Chriſti, Oppidi prędicti, Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, Capellę trium parvorum locorum a dicto Oppido, per duo millaria, vel circa, diſtantium, eidem Eccleſię, ſint annexę, & locorum hujuſmodi parochianorum, quorum aliqui noviter converſi ad fidem exiſtunt, copioſus numerus exiſtit, & in eadem Eccleſia, unus tantum Rector reſidet, cui difficile eſſet, pręſertim ſi literarum ſacrarum peritus non eſſet, noviter converſos prędictos pręcepta Orthodoxę fidei inſtruere, & tot parochianorum animarum curam exercere, ac alia Eccleſię, & annexis hujuſmodi incumbentia onera ſupportare, ut decet, unde aut omnis, vel major pars parochianorum hujuſmodi, ad prędictam domum, tam pro divinis officiis, quę inibi ad Dei laudem, & bonorem quotidie decantantur, quam Verbi Dei prędicationibus, & aliis ſpiritualibus monitionibus audiendis, & confeſſionibus faciendis, & quandoque eccleſiaſticis ſuſcipiendis Sacramentis, confluit, adeo, quod, ſi eidem Prior, & Fratres prędicti deeſſent, parochianorum hujuſmodi animę, & conſcientię detrimenta, ſuſtinerent, & propterea, ſi dicta Parochialis Eccleſia eidem domui perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, omnium parochianorum animarum ſaluti, &, qui egeſtatem patiuntur, ac ex Chriſti fidelium eleemoſynis vivunt, Prioris, & Fratrum prędictorum, ſubventioni, opportune conſuleretur, ipſique Prior, & Fratres, commodius animarum curam hujuſmodi exercerent, ex quo etiam divinus cultus, & parochianorum hujuſmodi ſalus, miniſtrorumque eccleſiaſticorum numerus, notabile augmentum ſuſciperent. Quare, tam pro Prioris, & Fratrum prędictorum, quam dilecti filii nobilis viri, Petti Maca de Licana, moderni Oppidi Domini in temporalibus, & Parochialis Eccleſię prędictorum patroni, aſſerentium, fructus, redditus, & proventus Parochialis Eccleſię, & annexorum hujuſmodi, triginta ducatorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem valorem annuum, deductis oneribus, non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi facere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui dudum, inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica, aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum extimationem prędictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis, quorum intereſſet, quemlibet ex Priore, & Fratribus, ac Petro prędictorum, a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, Parochialem Eccleſiam prędictam, ſive pręmiſſo, ſive

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Digitized by Google

ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem dicti Bartholomęi, vel cujuſvis alterius, reſignationem, de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut Conſtitutionem felicis recordationis Johannis PP. XXII, Prędeceſſoris noſtri &c. cum annexis hujuſmodi, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, de expreſſo conſenſu dicti Domini, ſeu patroni, eidem domui perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus ita quod liceat eiſdem Priori, & Fratribus, per ſe, vel alium, ſeu alios, Parochialis Eccleſię, ac annexorum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, corporalem poſſeſſionem propria auctoritate, libere apprehendere, & perpetuo retinere, ipſorumque Parochialis Eccleſię, & annexorum, fructuum, reddituum, & proventuum in eorundem Parochialis Eccleſię, ac domus, uſus, & utilitatem convertere, & per Vicarium idoneum, ad eorundem Prioris, & Fratrum, nutum ponendum, & amovendum, eidem Parochiali Eccleſię in divinis deſerviri, ac illius parochianorum animarum curam exerceri facere, Dięceſani loci, & cujuſvis licentia ſuper hoc, minime requiſita. Non obſtantibus voluntate noſtra priori prędicta, ac pię memorię Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque, aut ſi aliqui, ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi &c. literas impetrarint &c. quas quidem literas &c. ad ipſum Parochialem Eccleſiam, volumus non extendi &c. & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis &c. Proviſo quod ipſa Parochialis Eccleſia, debitis propterea non fraudetur obſequiis. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo, Sexto Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Luchenten.*) Juris eſt *Aragoniæ* Provinciæ.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXI fol.* 265.

Anno 1530
Die 8 Julii.

LX.

Provincialis Provinciæ Regni Neapolitan. curam gerat Monaſterii Nucerini (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

UT Religioſę, prędertim fęminei ſexus, perſonę ſublatis obſtaculis univerſis Chriſto Sponſo, cui ſe voluntarie dedicarunt, quietius valeant reddere ſua vota, opem, & operam, quantum cum Deo poſſumus, impendimus efficaces. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum, Prioriſſę, & Sororum Domus Sanctę Annę Nucerin. Ordinis Sancti Auguſtini ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum degentium Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum Domus prędicta, quę antea Priori Provinciali Provincię Regni Neapolitan. ſecundum morem dicti Ordinis Prędicatorum ſubjecta erat, & deinde ſub cura, & ſubjectione Epiſcopi Nucerin. pro tempore exiſtentis poſita extitit, illiuſque Sororum curam ipſe Epiſcopus, vel ejus Vicarius in ſpiritualibus Generalis minus diligenter exerceat, ipſęque Prioriſſa, & Sorores, ut ſub jugo regularis obſervantię divinis beneplacitis acceptius, & liberius vacare valeant, cupiunt Prioris Provincialis Provincię hujuſmodi obedientię ſubjacere. Quare pro parte dictarum Prioriſſę, & Sororum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur quamlibet ex Prioriſſa, & Sororibus prędictis a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodata exiſtit, ad effectum prędentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutam fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore prędentium, Domum prędictam, ac illius Prioriſſam, & Sorores nunc, & pro tempore exiſtentes, necnon Fratres dicti Ordinis Prędicatorum eis pro tempore deſervientes a cura, viſitatione, & ſuperioritate Epiſcopi Nucerini, & ejus Vicarii, ac aliorum officialium quorumcunque pro tempore exiſtentium, itaut de cetero Epiſcopus, Vicarius, & Officiales prędicti nullam in Domum, illiuſque Prioriſſam, & Moniales, ac Fratres deſervientes prędictos, juriſdictionem, viſitationem, aut ſuperioritatem quoquo modo exercere poſſint, penitus, & omnino eximimus, ac totaliter liberamus, & eximimus, omnes, & ſingulos proceſſus, ac excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliaſque ſententias, cenſuras, & pęnas, quas in Domum, Prioriſſam, Sorores, ac Fratres deſervientes prędictos per Epiſcopum, aut Vicarium, & Officiales prędictos haberi, & promulgari, necnon quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, nullius roboris, vel momenti exiſtere decernimus. Necnon Domum, Prioriſſam, Sorores, ac deſervientes Fratres prędictos, eidem Priori Provinciali, illiuſque curę, viſitationi, & protectioni perpetuo ſubjicimus, ac eidem Priori Provinciali, ut ad requiſitionem majoris partis Sororum dictę Domus, Domum, ac Prioriſſam, & Sorores, ac deſervientes Fratres prędictos viſitare, &, prout expediens fuerit, corrigere, & punire, ac aliquos Fratres dicti Ordinis Prędicatorum, qui in Eccleſia dictę Domus Miſſas, & alia Divina Officia celebrent, & unum ex eis in Priorem dictę Domus inibi deputare, &, ſi honori, ac utilitati dictę Domus expedierit, ipſos deputatos inde amovere, ac eorum loco alios idoneos Fratres ejuſdem Ordinis Prędicatorum inibi deputare, & canonice electam in Prioriſſam dictę Domus confirmare, procuret, mandamus, & quod Prior pro tempore dictę Domus Sorores, ac deſervientes Fratres prędictos a quibuſvis excommunicationis, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pęnis eccleſiaſticis, ac eorum peccatis a quibus dictus Prior Provincialis abſolvere poſſet, abſolvere, ipſeque, ac Prioriſſa pro tempore dictę Domus, Sorores, ac deſervientes Fratres prędictos corrigere, & caſtigare, prout Priores, & Prioriſſę canonice electi, & confirmati aliarum Domorum in eiſdem Domibus ſolent, libere, & licite, valeant, ac Fratres in dicta Domo Sanctę Annę pro tempore deputati non cenſeantur ſtare extra dictum Ordinem, concedimus. Non obſtantibus premiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Domus Sanctę Annę, & Ordinis prędictorum etiam juramento, confirmatione Apoſ-

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Noct.

Apoſtolicæ, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, per quoſcunque Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, & nos, ac Sedem Apoſtolicam, etiam per viam generalis legis, & ſtatuti perpetui, ac motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, & cum quibuſvis irritativis, annullativis, caſſativis, revocativis, pręſervativis, exceptivis, reſtitutivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis quomodolibet, etiam pluries, conceſſis, confirmatis, & innovatis, etiam diſponentibus, quod ex tunc deinceps aliqua in Sororem dictę Domus non reciperetur, ut Sororibus in dicta Domo Sanctę Annę tunc exiſtentibus extinctis, dicta Domus, illiuſque bona menſę Epiſcopalis Nucerin. eſſent, quibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut exquiſita forma ſervanda foret, & in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſſet, illorum omnium tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modum, & formam, ad id ſervandos pro individuo ſervatis habentes, hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, exemptionis, liberationis, decreti, ſubjectionis, mandati, conceſſionis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo, Octavo Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Nucerini.*) Vide *Notas* ad Conſtitutionem *XVII B. Benedicti XI.* Legitur *Tomo II pag.* 90.

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Nucerino.*

Ut executioni mandetur præcedens conſtitutio.

Anno 1530 Die 8 Julii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXI.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Triventino (2), & dilectis filiis Cimiliarcę (3) Eccleſię Neapolitanę, ac Vicario etiam Fratris noſtri Archiepiſcopi Neapolitani in Spiritualibus generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Ut Religioſę, pręſertim fęminei ſexus, perſonę &c. (4) Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo, Octavo Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios auctoritate noſtra faciatis pręinſertas literas, & in eis contenta quęcunque plenum effectum ſortiri illiſque omnes, & ſingulos, quos quomodolibet concernunt, pacifice frui, & gaudere, nec permittatis quemquam contra illarum tenorem, quomodolibet moleſtari, impediri, aut inquietari, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus omnibus ſupradictis, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo, Octavo Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Nucerino.*

2. *Triventino.*) *Trivento.* in Regno *Neapolitano*, in *Aprutii* limite.

3. *Cimiliarca.*) Ex Græco Κειμηλιάρχης. Sic eum vocant qui theſauris, & rebus ſacris præficitur. In *Sacro Dictionario Dominici Macri* notatur, quod *Cimeliarcha ... Neapolitana Eccleſia in celebrationibus divinorum officiorum, & in proceſſionibus fert baculum.* Ex Senatus conſulto *Sacra Congregationis Rituum XIX Januar. MDCXIX.*

4. *Perſona &c.*) Ut in præcedenti ad finem uſque.

Prior Hiſpalenſis Conventus ejuſdem Cœnobii ſacras Ædes pollutas reconciliare poteſt (1).

Anno 1530 Die 16 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXII.

Franciſcus (3) Quinnones miſeratione Divina Tituli S. Crucis in Jeruſalem Sacroſanctę Romanę Eccleſię Presbyter Cardinalis.

VObis Religioſis viris dominis Priori, ſeu Pręſidenti Monaſterii S. Pauli Hiſpalen. Ordinis Prędicatorum S. Dominici pręſentibus, & futuris, fidem facimus, & atteſtamur, qualiter Sanctiſſimus in Chriſto Pater, ac D. N. D. Clemens divina providentia PP. VII vivę vocis oraculo Nobis facto, ad humilem ſupplicationem reverendi in Chriſto Patris, & D. Balthaſaris del Rio Epiſcopi Scalen., ac Alberti de las Caſas (4), & Michaelis de Arcos (5), Fratrum ejuſdem Ordinis, ac Sacrę Theologię profeſſorum, ante Sanctitatis ſuę pedes perſonaliter conſtitutorum, vobis, & ad perpetuam rei memoriam, pro tem-

Digitized by Google

tempore futuris dicti Monaſterii Prioribus, ſeu Pręſidentibus, aut veſtras vices, aut loca tenentibus; quoties Eccleſiam, Conventum, & Monaſterium veſtrum S. Pauli hujuſmodi, aliqua ſanguinis effuſione, ſeu alia quavis re, ſeu modo pollui contigerit, toties cum aqua, per aliquem catholicum Antiſtitem a Sede Apoſtolica gratiam, & communionem habentem, ſemel benedicta (6) & quę Gregoriana nuncupatur, Domum, Eccleſiam, quę conſecrata eſt, & Monaſterium ipſum reconciliare poſſitis, licentiam conceſſit, & facultatem perinde, ac ſi minime polluta fuiſſet, eo ſcilicet modo, quo Eccleſię non conſecratę, ſed tantum benedictę reconciliantur. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. In quorum fidem, & teſtimonium, pręſentes manu noſtra propria ſubſcripſimus, & noſtri ſigilli impreſſione communiri fecimus. Datum Romę in Palatio Apoſtolico die XVI Julii Anno a Verbo Incarnato MDXXX, Pontificatus pręfati Sanctiſſimi D. N. PP. Anno Septimo.

F. Card. S. Crucis.

De Mandato ejuſdem Reverendiſſimi Domini mei
D. Conchano Sec.

1. *Poteſt.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 174 ex autographo *Hiſpalenſi.*

3. *Franciſcus.*) De quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III in Clemente VII pag.* 496.

4. *Alberti de las Caſas.*) Vir natalibus, pietate, ac doctrina clarus, qui Generalis Magiſter poſtea renunciatus fuit.

5. *Michaelis de Arcos.*) Cujus meminit *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 824 *col. II.*

6. *Benedicta.*) Videas *Decretal. Gregor. IX Lib. III Tit. XL Cap. IV.*

Anno 1530
Die 16 Julii.

De officio (1) SS. Corporis Chriſti celebrando feria V in Provincia Bætica, & de transferendis quibuſdam feſtis.

LXIII.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Franciſcus (3) Quinnones miſeratione divina tituli S. Crucis in Jeruſalem Sacroſanctę Romanę Eccleſię Presbyter Cardinalis.

UNiverſis, Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, & pręſertim Prioribus, & Conventibus; tam Fratrum, quam Monialium Ordinis Prędicatorum S. Dominici, ſinguliſque piis locis pręfati Ordinis Provincię Bętice, tantum, fidem facimus, & atteſtamur, qualiter Sanctiſſimus D. N. D. Clemens divina providentia PP. VII, vivę vocis oraculo Nobis facto, omnibus, & ſingulis Fratribus, & Monialibus Monaſteriorum, & piorum locorum quocunque nomine nuncupatorum, dicti Ordinis, pręfatę Provincię Bętice, perpetuis futuris temporibus, ſingulis quintis feriis ſingularum hebdomadarum totius anni, pręterquam in Quadrageſima, vel ſi feſtum duplex, vel ſemiduplex, in illis occurrerit, officium Sacratiſſimi Corporis D. N. J. C., tam publice, quam occulte, tam in eorum choris, quam extra, perpetuo, dicendi, cantandi, aut recitandi, eo ſcilicet modo, quo in Sabbatis ſecundum dicti Ordinis veſtri morem, de B. Virgine agitur, auctoritate Apoſtolica conceſſit, & benigne impartitus eſt. Conceſſit etiam, quod quandocunque feſtum ſimplex, vel trium lectionum in ſuo proprio die aliquo obſtante impedimento, non celebrabitur, poſſit etiam, ultra, vel poſt octo dies, ad alium diem transferri, conſtitutis, & id humiliter petentibus, ad ſanctitatis ſuę pedes proſtratis Reverendo in Chriſto Patre, ac D. Balthaſare del Rio, Epiſcopo Scalenſi, ac Alberto de las Caſas, & Michaele de Arcos Fratribus ejuſdem Ordinis, & Provincię, ac Sacrę Theologię profeſſoribus, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, & Monaſteriorum, ac piorum locorum hujuſmodi ſtatutis, & conſuetudinibus, ac uſibus, & ſtylis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. In quorum fidem, & teſtimonium, pręſentes manu noſtra propria ſubſcripſimus, & noſtri ſigilli impreſſione communiri fecimus. Datum Romę in Palatio Apoſtolico die XVI Julii Anno a Verbo Incarnato MDXXX, Pontificatus pręfati Sanctiſſimi D. N. PP. Anno VII. Ita atteſtamur, & fidem facimus. Franciſcus Card. S. Crucis. De mandato ejuſdem Reverendiſſimi D. mei D. Conchano Secretarius.

1. *Officio.*) Nunc eodem modo ab omnibus Fratribus Ordinis recitatur.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, ex autographo *Cordubenſi.*

3. *Franciſcus.*) De quo in præcedenti Diplomate, ubi de aliis Fratribus, cujus hic mentio.

Cæ-

Cœnobium (1) S. Mariæ ſupra Minervam de Urbe juris ſit Congregationis Lombardiæ.

Anno 1530 Die 10 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Vicario Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum.

LXIV.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD hoc circa regularis obſervantię profeſſores eo diligentius paterna ſolicitudine vires impedimus, quo ferventius illorum Religio fructum in eis afferat ſalutarem, & laudabilibus in Domino poſſint jugiter proficere incrementis. Cupientes igitur, ut Prior, & Fratres domus S. Marię ſupra Minervam Almę Urbis noſtrę, mundanis ſpretis oblectationibus, juxta ſalutaria ejuſdem Ordinis inſtituta ſub illius regulari obſervantia vivant, & ſub caritatis, & obſervantię ipſius unione, virtutum Domino jugiter famulentur, ad Divini Nominis laudem, & ſingulare, & pręcipuum ſalutis plurimorum exemplum, eapropter motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac poteſtatis plenitudine, domum ipſam, cum omnibus illius ędificiis, bonis, & juribus, & pertinentiis ſuis, Congregationi veſtrę Lombardię, jure tamen Magiſtri Generalis dicti Ordinis pro tempore exiſtentis, quod in domibus Fratrum Prędicatorum ſecundum tenorem conſtitutionum hujuſmodi Ordinis habet, & in dicta domo, habere conſuevit, in omnibus ſemper ſalvo, unimus, annectimus, & incorporamus, ita, quod dicta domus de cetero perpetuis, futuris temporibus per Fratres Congregationis veſtrę, ſicuti alię illius domus reguntur, regatur, & gubernetur, ac omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, gratiis, & exemptionibus, quibus dictę veſtrę Congregationis domus utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſit, & debeat, tibi, fili Vicarie, in virtute S. obedientię, & excommunicationis latę ſententię pęna, omni penitus mora, exceptione, & excuſatione remotis, & ſi forſan Vicario, ſeu Congregationi hujuſmodi, ab Apoſtolica Sede conceſſum foret, quod in ſimilibus liceret eis, abſque metu alicujus cenſurę non parere, ſeu Sedem ipſam Apoſtolicam, ſemel, ſeu pluries conſulere, & expectare diverſas juſſiones cum intervallo temporis, pręcipimus, quatenus dictam domum recipias, illamque ex Fratribus tibi ſubjectis reformes cum effectu, itant infra medietatem Menſis Octobris, vel circa, proxime futuri in ſupradicta domo ſint Prior, & Fratres in convenienti numero, ac merito ſufficientes, ad divinum ibidem cultum celebrandum, cum totius Romani populi ſpirituali conſolatione, & ſi Fratres in dicta domo reformanda, ad pręſens Conventuales, voluerint ſub regulari obſervantia, una cum Fratribus dictę Congregationis vitam ducere, poteris illos ibidem, vel alibi aſſignando retinere. Et ut hujuſmodi reformatio celerius fieri valeat, pro hac vice duntaxat, & abſque electione per modum proviſionis, modernum dictę domus Priorem, de conſilio tamen, & aſſenſu moderni Generalis Ordinis abſolvere, & alium inibi Priorem ponere, & inſtituere poſſis, & valeas, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium concedimus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus domorum, Congregationis, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis Apoſtolicis, illis forſan conceſſis, quibus, illorum omnium tenores pręſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die X Auguſti MDXXX, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Cœnobium*.) Nunc juris eſt *Romanæ Provinciæ*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi* pag. 89.

De reformando Papienſi Cœnobio S. Thomæ, cui unit S. Apollinaris Conventum etiam Papien. (1).

Anno 1530 Die 20 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Vicario Generali Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum.

LXV.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut dilectus filius nobilis Franciſcus (3) Sfortia, Dux Mediolani nuper Nobis exponi fecit, domus S. Apollinaris extra muros Papien., Ordinis Prędicatorum, Congregationis Lombardię, cum illius Eccleſia ob bella, quę in Ducatu Mediolanenſi jam pluribus annis viguerunt, adeo eſt diruta, quod Fratres inibi amplius habitare non valent, nullaque ſpes ſit, ut domus, & illius Eccleſia hujuſmodi ob Civitatis Papienſis intolerabilia infortunia, ac ipſorum Fratrum paupertatem reędificari poſſint. Sitque in dicta Civitate domus S. Thomę dicti Ordinis Fratrum Conventualium, quę etſi materiali reſtauratione quoad parietes indigeat, multo tamen magis ſpirituali proviſione, & reformatione quoad vitam,

Diplomatis cauſa.

ac Fratrum converſationem indigere dignoſcitur. Et propterea pręfatus Dux zelo honoris Dei, quem cunctis rebus in ſuis Civitatibus pręſervari exoptat, cuperet prędictam domum S. Thomę per Fratres dictę Congregationis vitę regularis reformari, & Fratribus ipſis S. Thomę reformationem acceptantibus, ibi, vel in aliis domibus dictę Congregationis, prout convenit, provideré. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ejus pio deſiderio annuere, aliaſque in prémiſſis opportune providere de benignitata Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui vitam regularem, & divinum cultum noſtris potiſſime temporibus ubi-

Mandatum.

que vigere, & adaugeri intenſis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex certa noſtra ſcientia, & poteſtatis noſtrę plenitudine, pręfatam domum S. Thomę ab auctoritate Provincialis Provincię Lombardię juxta morem dicti Ordinis in omnibus bonis, juribus, & pertinentiis ſuis eximimus, & Congregationi Lombardię, & ejus Vicario pro tempore exiſtenti, jure tamen Magiſtri dicti Ordinis, quod in domibus Fratrum Prędicatorum vigore conſtitutionum hujuſmodi babet, & in dicta domo habere conſuevit, in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate Apoſtolica unimus, annectimus, & incorporamus, ita, quod dicta domus de cetero perpetuis futuris temporibus per Fratres Congregationis Lombardię, ſicut alię illius domus, regatur, ac gubernetur, ac omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, gratiis, ac exemptionibus, quibus dictę veſtrę Congregationis domus utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, & gaudere poſſit, tibique, ac pro tempore exiſtenti Vicario dictę Congregationis in virtute ſanctę obedientię, ac ſub pęna excommunicationis latę ſententię, omni penitus mora, & exceptione, atque excuſatione ſemotis, etiamſi forſan Vicario Congregationis hujuſmodi pro tempore exiſtenti eſſet ab Apoſtolica Sede conceſſum, quod in ſimilibus mandatis Apoſtolicis liceret ei abſque metu alicujus cenſurę non parere, ſeu Sedem ipſam Apoſtolicam ſemel, ſeu pluries ſuper iis conſulere, & expectare diverſas juſſiones cum intervallo temporis, per pręſentes prę cipimus, & mandamus, quatenus dictam domum S. Thomę recipias, illamque ex Fratribus tibi ſubjectis reformes cum effectu, ita ut infra menſem ab harum pręſentatione ſint Prior, & Fratres in debito numero, ac merito, ad divinum ibidem cultum cum totius illius populi ſpirituali conſolatione ſufficientes, & Fratres dictę domus Sancti Thomę filii profeſſi, qui hujuſmodi reformationem acceptaverint, & ſub regulari obſervantia Congregationis vivere voluerint, benigne retineas, & eis ibi, vel ſi eis placuerit alibi de domo hujuſmodi Congregationis provideas, & ut commodius hujuſmodi reformatio fieri valeat, pro hac vice duntaxat, ut abſque electione per modum proviſionis modernum dictę domus Priorem abſolvendo, alium de conſenſu tamen moderni Generalis inſtituere poſſis, ac valeas, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus. Et quia in dicta domo juxta ordinationes Capitu-

Nota.

lorum Generalium Ordinis ſemper viguit ſtudium Generale ad majorem Fratrum profectum ſpiritualem, & ſacrarum literarum exercitium, & ipſius Civitatis decus, tibi mandamus, ut congruo tempore, cum domus ipſa ad pinguiorem ſortunam pervenerit, ac Civitas ipſa reſpirare cęperit, juxta Generalis Capituli, ſeu Magiſtri Generalis decretum, inibi de ſtudio Generali ad inſtar aliarum domorum, in quibus vigore Conſtitutionum Ordinis Prędicatorum viget ſtudium Generale, cum effectu provideas. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus domorum Congregationis, & Ordinis Prędicatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, & indultis Apoſtolicis illis forſan conceſſis, quibus, illorum omnium tenores pręſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX Septembris MDXXX, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Papien.*) Hinc Cœnobium *SS. Thomę, & Apollinaris* vocatur. Juris eſt Provincię *Lombardię*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Papienſi*. Legitur etiam in *Bullario Bononien.* pag. 90.
3. *Franciſcus.*) Hujus nominis *II* e gente *Sfortia*.

Anno 1530 Die 24 Octobris.

LXVI.

Galiſteenſe (1) Cœnobium beneficiis eccleſiaſticis donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

EX commiſſo deſuper paſtoralis Officii debito &c. (3). Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus B. Marię de Fuentes Sancta (4), prope oppidum de Saliſter (5), Ordinis Fratrum Prędicatorum, Caurien. (6) Dięceſis, petitio continebat, dicta Domus de novo conſtructa fuit, fructuſque, redditus, & proventus illius Sacriſtię adeo tenues, & exiles exiſtant, ut ad luminariorum, & paramentorum, ac aliorum divino cultui neceſſariorum, emptione, & manutentione, non ſuppetant, ſed ad hoc ipſi Prior, & Fratres aliorum pia ſubventione plurimum indigere, noſcantur, nec neceſſitatibus ipſius Sacriſtię opportune providere poſſint, ipſumque Priorem, & Fratres, ac eorum ſingulos, a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, eiſdem Priori, & Fratribus &c. medietatis omnium, & ſingulorum pręſtimonii ſeu pręſtimonialis portionis, aut ſimplicis in S. Johannis de K. . ., etiam perpetui ſimplicis ſervitorii, in B. Marię de A. . . . Palentin., & Oxomen. Dięceſ. Parochialibus Eccleſiis, quę Johannes Roderici de Sancto Lalla, & Ludovicus Coronel, in ipſa Eccleſia B. Marię perpetui beneficiati Clerici, dilecti filii obtinent, fructuum, qui centum, & duorum ducatorum auri, de camera, valorem annuum, ut dicti Prior, & Fratres, aſſerunt, non excedunt, ſibi per Johannem Roderici, & Ludovicum pręfatos, quorum ad hoc per venerabilem Fratrem noſtrum Baldaſſarem Epiſcopum generalem procuratorem eorum, ad hoc ab eis reſpective ſpecialiter conſtitutum, accedat aſſenſus, ac Succeſſorum, hujuſmodi pręſtimonium, ſeu portionem, aut ſimplex, ac Servitorium beneficium prędictum pro tempore obtinentes, pro una, videlicet in D. N. J. Chriſti, & alia mediate pen-

penſionis hujuſmodi, in S. Johannis Baptiſtę Nativitatum feſtivitatibus, annis ſingulis, quoad pręſtimonii, ſeu portionis, aut ſimplicis ad ſex, quoad ſervitorii vero beneficiorum fructus &c. annis ſingulis perſolvendam, & per eos in emptionem paramentorum, & aliorum ornamentorum eccleſiaſtieorum, etiam alios uſus dictę Domus eonvertere, eadem auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, reſervavimus, eonſtituimus, & aſſignavimus, decernentes Johannem Roderici, & Ludovicum, ac Sueceſſores pręfatos, ad integram ſolutionem penſionis hujuſmodi Priori, & Fratribus prędictis, faciendam, juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis prędictorum tenorem, fore efficaciter obligatos, ac volumus, & eadem auctoritate ſtatuimus, quod illi, ex Johanne Roderiei, & Ludovico, ac Suceeſſoribus pręfatis, qui in decem ſequentibus, vel ſaltem infra triginta dies illarum Feſtivitatum immediate ſequentibus, penſionem prędictam, per eos, tunc debitam, non perſolverit, eum effectu, lapſis diebus eiſdem, excommunicationis ſententiam incurrant, a qua donec Priori, & Fratribus pręfatis &c., niſi in mortis articulo conſtituti, abſolutionis beneficium nequeant obtinere. Si vero per ſex menſes &e. aut ſi Johanni Roderiei, & Ludovieo, aut Succeſſoribus, ab Apoſtolica ſit Sede indultum quod ad pręſtationem, ſeu ſolutionem penſionis alicujus, minime teneantur &c. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Inearnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo, Nono Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Galiſteen.*) Juris eſt Provinciæ *Hiſpaniæ*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXVI fol.* 14.
3. *Debito &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *De Fuentes Sancta.*) Seu *de Fonte Sancto*.
5. *Saliſter.*) *Galiſteen.*
6. *Caurien.*) Vulgo *Coria*, in *Hiſpania*, ubi ceteræ Civitates de quibus hoc in Diplomate.

Ut præcedens conſtitutio executioni mandetur.

Anno 1530 Die 24 Octobris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXVII.

Clemens Epiſeopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Caſtelli . . . ., ac Caſertan. Epiſeopis, ae dilecto filio officiali Converren., Salutem, & Apoſtolieam Benedictionem.

HOdie dilectis filiis Priori, & Fratribus domus Beatę Marię de Saliſter (2) Ordinis Fratrum Prędicatorum, Caurien. Dięeeſis, penſionem annuam medietatis omnium, & ſingulorum fructuum, & proventuum pręſtimonii, ſeu portionis pręſtimonialis, aut ſimplicis in Sancti Johannis de K. . . . & perpetui, & ſimplicis ſervitorii beneficiorum, eccleſiaſtieorum in ejuſdem Beatę Marię de A. . . . Palentin. & Oxomen. Dięceſis eeeleſiis, quę Johannes Roderici de Sancto Lalla, & Ludovieus Coronel in ipſa eccleſia B. Marię perpetui beneſieiati, Clerici, dilecti filii obtinent, ſibi per Johannem Roderici, & Ludovicum pręfatos, ac Succeſſores ſuos pręſtimonium, ſeu portionem, aut ſimplex, etiam ſervitorium beneficium prędictum pro tempore obtinentes, annis ſingulis uſque ad eertum tempus tunc expreſſum ſub excommunicationis ſententia &c. integre perſolvendam ipſorum Johannis Roderiei, & Ludoviei per certum procuratorem eorum ad id ab eis ſpeeialiter conſtitutum expreſſo aeeedente conſenſu auctoritate Apoſtolica reſervavimus, conſtituimus, & aſſignavimus, prout in noſtris inde eonfectis literis plenius continetur. Quo eirca &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę literę vobis pręſentatę fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios faeiatis auctoritate noſtra penſionem prędictam Priori, & Fratribus, vel eorum procuratori pręfatis juxta reſervationis, eonſtitutionis, & aſſignationis prędictarum, & decreti noſtri in eiſdem literis appoſiti continentiam, & tenorem integre perſolvi, & nihilominus quemlibet ex Johanne Roderiei, & Ludoviei, ac Sueceſſoribus pręfatis, quem hujuſmodi excommunicationis ſententiam vobis ineurriſſe conſtiterit, quoties ſuper hoc pro parte Prioris & Fratrum prędictorum fueritis requiſiti, tandiu Dominieis, & aliis feſtivis diebus in Eccleſiis, dum major inibi populi multitudo ad divina convenerit, excommunicatum nuncietis, & faciatis ab aliis nunciari, donee Priori, & Fratribus, aut procuratori prędicto de penſione hujuſmodi tunc debita integre ſatisfactum fuerit, & ab exeommunicationis hujuſmodi &c. abſolutionis beneficium meruerint obtinere: contradictores &c. Seu ſi Johanni Roderiei, & Ludovico, ae Sueceſſoribus &e. ab eadem ſit Sede indultum quod interdici &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominieę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo, Nono Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXVI fol.* 15.
2. *Saliſter.*) *Galiſteen.*

Anno 1531 Die 25 Februarii.

De bonis alienandis (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXVIII. Dilectis filiis Magiſtro Generali, & Provinciali Romano reformato Ordinis Prędicatorum.

CLEMENS PP. VII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Thomas (3) de Strozziis Ordinis Prędicatorum profeſſor, quod licet alias felicis recordationis Leo PP. X, Prędeceſſor noſter, per ſuas in forma brevis literas tam Magiſtro Generali, quam Vicario Congregationis S. Marci de Florentia Ordinis prędicti pro tempore exiſtentibus facultatem ſibi ſubditis in Italia Conventibus, Fratribus, monaſteriis, Sororibus, ſeu Monialibus, necnon Collegiis, ac perſonis utriuſque ſexus de Pęnitentia dicti Ordinis nuncupatis, ut bona immobilia pro evidenti utilitate ipſorum locorum, ac perſonarum permutare, & vendere poſſent, licentiam dandi ſub data diei vigeſimę quintę Julii Pontificatus ejuſdem Anno Secundo conceſſerit (4), quia tamen a nonnullis in dubium revocari poſſet, an literę prędictę cenſeantur revocatę, eo quod Nos nuper certis ex cauſis tunc expreſſis Congregationem ipſam S. Marci ſuppreſſerimus (5), ac penitus extinxerimus, Domoſque & loca, necnon utriuſque ſexus perſonas quaſcunque Congregationis ſuppreſſę, ac extinctę hujuſmodi ſub Provincia Romana perpetuo exiſtere, ac per Provincialem dictę Provincię Romanę reformatum perpetuo regi, per noſtras ſub plumbo literas, ſub dat. VI Kal. Novembris Pontificatus noſtri Anno Septimo inſtituimus, & voluimus. Nos ad hujuſmodi dubium tollendum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, ut pro tempore exiſtens tam Magiſter Generalis, quam Provincialis Provincię Romanę reformatę hujuſmodi, ſibi ſubditis in Italia Conventibus, Fratribus, Monaſteriis, Sororibus, ſeu Monialibus, necnon Collegiis, ac perſonis utriuſque ſexus de Pęnitentia dicti Ordinis, nuncupatis, dicta facultate uti poſſint, videlicet, licentiam concedendi bona Conventuum, & locorum hujuſmodi ad certum tempus, & in perpetuum locandi, vel in emphyteoſim ad lineam maſculinam concedendi, ſive commutandi, aut vendendi, vel quocunque alio titulo alienandi, bona immobilia, & pretioſa mobilia minus utilia, quę nunc habent, & in poſterum juſto titulo habituri ſunt, tam pro ſatisfactione debitorum alias pro neceſſitate, ſeu utilitate Conventuum, & locorum prędictorum contractorum, aut eadem utilitate ſuggerente contrahendorum, quam alia evidenti utilitate ipſorum Conventuum, Monaſteriorum, vel Collegiorum, proviſo tamen quod pretium ipſorum bonorum immobilium, ſi vendantur, vel alias quovis modo alienentur, centum ducatorum auri de camera ſecundum communem extimationum valorem annuum non excedat, & in emptionem, reparationem, aut augmentum aliorum immobilium, aut neceſſariorum bonorum, ſeu pręfatorum debitorum realem ſolutionem, cum effectu, convertatur, & ad hoc accedat conſenſus duarum partium vocalium Conventus, Monaſterii, vel Collegii, cujus ſunt, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ſpecialiter felicis recordationis Pauli II Prędeceſſoris noſtri, contra alienantes res eccleſiaſticas, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXV Februarii MDXXXI Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Bloſius.

1. *Alienandis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum *Lib. B. fol. 71.* Legitur apud *Confettium pag. 144. Uſuſmarem pag. 203.*
3. *Thomas.*) Ex antiqua Gente de *Strozziis* quæ nunc etiam floret in *Italia*.
4. *Conceſſerit.*) Conſtitutione *XIX* ſupra *pag. 307*, ubi data dicitur die *XV Junii*.
5. *Suppreſſerimus.*) Die *XXVII* Octobris *MDXXX*.

Anno 1531 Die 17 Martii.

Quod Barulenſis (1) Eccleſia B. Mariæ Magdalenæ Fratribus Ordinis Prædicatorum conceſſa fuerit, ratum habet.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXIX. Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus olim domus S. Dominici prope, & extra muros Oppidi Baruli Ordinis Prędicatorum, Tranen. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa. EXpoſcit veſtrę devotionis ſinceritas &c. (3) Sane pro parte veſtra exhibita, petitio continebat, quod ſuperiori anno, domus veſtra S. Dominici prope, & extra muros Oppidi Baruli Ordinis Prędicatorum, Tranen. Diœceſis, ac illius Eccleſia, & cetera ędificia omnia, ob bellorum tunc inibi vigentium, tumultus, penitus demolita, & ad terram diruta fuerunt, nec ſpes ſit, quod in futurum in eodem loco, amplius ędificari poſſit, & cum vos amplius, propter pręmiſſa, in eadem domo, habitare non poſſetis, nec impręſentiarum poſſitis, dilectus filius Robertus de Grophis, Rector, Abbas nuncupatus, Eccleſię B. Marię Magdalenę dicti Oppidi, Romanę Eccleſię, immediatę ſubjectę, poſtquam tres, aut quatuor Capellanos, qui omnes preter unum peſte perierunt, ad divinum cultum, in eadem Eccleſia peragendum, deputaverat, Eccleſiam ipſam, ac certas domos, prope illam conſiſtentes cum hortis, & aliis illis adja-

adjacentibus vobis pro conſtructione unius domus, pro veſtris nſu, & habitatione perpetuis, ac divinis in eadem Eccleſia, loco dictorum defunctorum Cspellanorum celebrandis, ſalvo tamen noſtro, & Sedis Apoſtolicę beneplacito, eum certis conditionibus, tunc expreſſis, perpetuo conceſſit, & aſſignavit. Quare pro parte veſtra Nobis fuit bumiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, & aſſignationi bnjuſmodi, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, & ut inibi liberius Altiſſimo famulatum exhibere poſſitis, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religioſorum, & cultum divinum, ubique vigere, & augeri, ſinceris deſideramus affectibus, vos, & quemlibet veſtrum a quibuſvis excommunicationis &c. cenſeutes, ac dictarum conventionum tenores, pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſine alicujus pręjudicio, conceſſionem, & aſſignationem, cum conventionibus hujuſmodi, auctoritate, & tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ſupplentes omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ac vobis apud dictam Eccleſiam, unam domum, pro veſtris, & aliorum dicti Ordinis Fratrum uſu, & habitatione perpetuis, conſtrui, & ędifieari faciendi, necnon Eecleſiam prędictam, pro Eccleſia ipſius eonſtruendę domus, recipiendam, & ad inſtar aliarum domorum dicti Ordinis, reformandi, & ampliandi, ac ipſius demolitę domus, libros, & ornamenta eccleſiaſtica, necnon alia, res, & bona mobilia, & immobilia, relicta, ſeu legata, ad domum conſtruendam hnjuſmodi, transferendi, & illam perpetuo inhabitandi, necnon corpora, & oſſa defunctorum in dicta Eecleſia demolita, ſeu in illius cęmeterio ſepulta exhumari, & illa ad conſtruendam Eecleſiam hujuſmodi, ſimiliter transferendi, ac inibi inhumari, ſeu ſepeliri, faciendi, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam, & facultatem concedimus, omniaque, & ſingula, libros, ornamenta, res, & bona mobilia, & immobilia, ad dictam domum dirutam ſpectantia, prędictę conſtruendę domui, auctoritate, & tenore prędictis, perpetuo applicamus, & appropriamus. Et nihilominus eidem conſtruendę domui, poſtquam conſtructa fuerit, ac Priori, & Fratribus, qui illam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, pręrogativis, conceſſionibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus alię domus dicti Ordinis, ac eorum Fratres, de jure, vel conſuetudine, utuntur, potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere, libere, & licite valeant, auctoritate, & tenore prędictis, indulgemus, jure Parochialia Eccleſię, & cujuslibet alterius, ſemper ſalvo, & ne interim bona ipſius dirutę domus, ab aliquibus occupari poſſint, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum dicti Ordinis Provincię S. Thomę ſecundum morem dicti Ordinis, veſtro ſuperiori, ut bona dictę domus dirutę, ac illorum fructus, redditus, & proventus ad manus ſuas recipiat, & apprehendat, & pro dicta domo conſtruenda, conſervet, & cuſtodiat, ac vobis conſignari faciat, committimus, & mandamus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, ſuppletionis, conceſſionia, applicationis, appropriationis, indulti, commiſſionis, & mandati infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Primo (4), Sexto Deeimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Facultas.

1. *Barulen.*) *Barletta*, in agro *Bariano*, in Regno *Neapolitano*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LIII fol.* 152.
3. *Sinceritas &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Trigeſimo Primo.*) Legendum *Trigeſimo*, ſtylo Bullarum, æræ communis *MDXXXI*.

Ut pręcedens conſtitutio executioni mandetur.

Anno 1531 Die 17 Martii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXX.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Inſulan. (2), ac dilectis filiis Abbati Monaſterii S. Samuelis, ac Arebidiacono Eccleſię S. Marię Nazareth, Tranen. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis: Clemens &c. Dilectis filiis Priori, & Fratribus olim Domus S. Dominici, prope, & extra muros oppidi Baruli, Ordinis Prędicatorum, Tranen. Dięceſis, Salutem &c. Expoſcit veſtrę &c. (3). Quo circa &c. Mandsmus, quatenus vos, vel duo, ant unns veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, literas prędictas, & in eia eontenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum, deſuper fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis, efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra, literas, & in eis contenta, hujuſmodi firmiter obſervari, ipſoſque Priorem, & Fratres, illia pacifice gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcunque contra earundem literarum tenorem, quomodolibet moleſtari. Contradictores &c. non obſtantibus omnibus ſupradictis. Aut ſi aliquibus &c. ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici &c. non poſſint per literaa Apoſtolicas non facientes &c. mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Primo (4), Sexto decimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtolico*.
2. *Inſulan.*) In Regno *Neapolitano*, ſub Metropoli *S. Severina*.
3. *Veſtra &c.*) Ut in præcedenti Diplomate ad finem uſque.
4. *Trigeſimo primo.*) Vide *Notam IV* ad præcedens Diploma.

Unit

Anno 1531
Die 1 Aprilis.

Unit eccleſiaſticum beneficium Cœnobio Valliſoletano (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXI. Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Ad Perpetuam Rei Memoriam.

AD Apoſtolicę dignitatis apicem divina diſpoſitione vocati &c. (3). Cum itaque prętimonium, ſeu prętimonialis portio, aut ſimplex Beneficium eccleſiaſticum in Parochiali Eccleſia de Fuente L. . . Oxomen. Diœceſis, quod, ſeu quam dilectus filius Jacobus Bruſſo Frater Militię S. Jacobi de Spata (4) ſub Regula S. Auguſtini, ex conceſſione, & diſpoſitione Apoſtolica, in commendam, nuper obtinebat, commenda hujuſmodi, ex eo quod dictus Jacobus illi hodie in manibus noſtris ſponte, & libere ceſſit, Noſque ceſſionem ipſam duximus admittendam, modo vacare noſcatur ad pręſens, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii moderni Prioris, & Fratrum Domus S. Pauli Valliſoleti Ordinis Prędicatorum, Palentin. Diœceſis, petitio continebat, cum fructus, redditus, & proventus Sacriſtię dictę Domus, non adeo uberes exiſtant, ut ad eorum, & pro tempore exiſtentium dictę domus, Prioris, & Fratrum ſuſtentationem, & luminarium, paramentorum, & aliorum ad divinum cultum in Eccleſiis ipſius Domus neceſſariorum, fulcimentum, & aliorum onerum, eis pro tempore Incumbentium, ſupportationem, commode ſuppetant, ſi prętimonium, ſeu prętimonialis portio, aut ſimplex beneficium hujuſmodi, eidem Sacriſtię, cui etiam nuper unum, ſeu unam in de Pedroſa, & aliud, ſeu aliam in de A. . . . , Zamoren. Diœceſis, locorum Parochialibus eccleſiis prętimonia, ſeu prętimoniales portiones, aut ſimplicia beneficia, tunc certis modis vacantia, ſub certis modis, & forma, Apoſtolica auctoritate perpetuo univimus, annexuimus, & incorporavimus, ſimiliter perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto eiſdem Priori, & Fratribus, pro eorum indigentiis uberior ſuccederet proviſio, & ipſi onera prędicta, facilius perferre poſſent, pro parte moderni Prioris, & Fratrum prędictorum, aſſerentium, fructus, redditus, & proventus prętimonii, ſeu portionis, aut beneficii hujuſmodi, ſexaginta ducatorum auri de camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prętimonium, ſeu portionem, aut beneficium hujuſmodi, Sacriſtię perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de

Mandatum.

benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes, Beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum extimationem prędictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio, non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, modernum Priores, & Fratres, ac eorum ſingulos prędictos a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, & fructuum, reddituum, & proventuum dictę Sacriſtię, ac prędictorum, & aliorum illi annexorum, verum annuum valorem, necnon verum, & ultimum prętimonii, ſeu portionis, aut Beneficii hujuſmodi vacationis modum, etiamſi ex illo quęvis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa reſultet, pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prętimonium, ſeu portionem, aut Beneficium hujuſmodi, quovis modo, & ex cujuſcunque perſona vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ac prętimonium, ſeu portio, aut beneficium hujuſmodi, diſpoſitioni Apoſtolicę reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore datę pręſentium, non ſit in eo, vel ea alicui ſpecialiter jus quęſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem Sacriſtię auctoritate prędicta, tenore pręſentium, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus ita, quod liceat Priori, & Fratribus prędictis, per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem prętimonii, ſeu portionis, aut Beneficii, juriumque, & pertinentiarum prędictorum propria auctoritate, libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus, in eorum ſuſtentationem, & paramentorum, & aliorum neceſſariorum prędictorum ſulcimentum convertere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus priori voluntate noſtra prędicta, ac Lateranen. Concilii noviſſime celebrati &c. necnon felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis, de prętimoniis &c. literas impetrarint &c, quas quidem literas &c., ad prętimonium &c. hujuſmodi volumus non extendi &c. & quibuslibet aliis privilegiis &c. Proviſo quod, propter unionem, annexionem, incorporationem &c. prętimonium, ſeu portio &c. debitis, non fraudetur obſequiis &c. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo primo, Kalendis Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Valliſoletano.*) Juris eſt Provincię *Hiſpanię*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Libro CXIX fol. 107.
3. *Vocati &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *S. Jacobi de Spata.*) Ordo eſt Militaris, de quo dictum fuit.

Ut

Ut Sacræ Domus (1) Lauretanæ curam Fratres Congregationis Lombardiæ ſuſcipiant.

Anno 1531 Die 13 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Moderno Vicario Generali, & Capitulo Congregationis Ordinis Fratrum Prędicatorum de obſervantia Congregationis Lombardię. LXXII.

CLEMENS PP. VII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Illecti odore inclytę famę, & virtutum veſtrarum, in quibus Deo Altiſſimo pium, & laudabilem, in pura Religione exhibetis famulatum, decrevimus in animo noſtro curam, & regimen noſtrę Almę Domus Lauretan. vobis demandare; firmiter in Domino ſperantes, quod ex veſtra inibi manſione, & exemplari vita, fructus a Nobis optati tum divini honoris, tum eo confluentium populorum devotionis ſuccedent. Quamobrem, cum venerabili Ftatri Johanni Matthęo Epiſcopo, Pręlato noſtro Domeſtico, ipſius Domus moderno Gubernatori, noſtram ſuper hoc voluntatem diffuſius ſcribi fecerimus, ad ejus, vel quem is ad vos mittet, ſermonem, Nos referentes, vobis in virtute Sanctę Obedientię, & niſi parueritis, quod non credimus, etiam ſub excommunicationis latę ſententię pęna, mandamus, ut ipſius Epiſcopi, vel quem is ad vos mittet verbis plenam fidem, & mandatis obedientiam haud aliter in hoc omninoque effectualiter prębeatis, ac ſi ex ore noſtro proprio audiretis. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII Aprilis MDXXXI Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Domus*.) *In Piceno*.

2. *Archivo*.) In quo exemplar in *Bullario Bononienſi pag.* 91.

Fratres Papienſis Cœnobii S. Thomæ ſint in poſſeſſione bonorum dirutæ domus S. Apollinaris etiam Papien. (1).

Anno 1531 Die 22 Augusti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLEMENS PP. VII. LXXIII.

Dilecti filii (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Devotionis, & religionis adminicula vobis provenire, Deo propitio, confidimus, ſi ſuper illis, quę Exordium.
veſtri ſtatum, & profectum conſpiciunt, noſtros vobis ſuffragari ſenſeritis gratiam, & favores.
Cum itaque, ſicut Nobis nuper exponi feciſtis, ſuperioribus annis propter bella, quę in agro Papien. vi-
guerunt, domus veſtra S. Apollinaris prope, & extra muros Papien., Ordinis Fratrum Prędicatorum
regularis vitę Congregationis Lombardię cum illius Eccleſia demolita, & ſolo ęquata fuerit, nec ſpes ſit, Diplomatis cauſa.
quod in futurum, propter prohibitiones Principum, reędificetur, & domus S. Thomę Papien. dicti Or-
dinis, in qua ſtudium viget Generale, vobis per noſtras in forma Brevis literas conceſſa fuerit, ipſaque
domus S. Thomę etiam propter bella prędicta, ac penurias, necnon devaſtationes Civitatis, & territorii
Papien. ad non modicam paupertatem reducta ſit, Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, quatenus ſtatui veſ-
tro ſuper iis, & ut congruus Fratrum numerus in ipſa domo S. Thomę ad divini cultus, & ſtudii conſer-
vationem, & augmentum manuteneri, & illius Prior, & Fratres eorum neceſſitatibus facilius provide-
re poſſint, opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religioni de-
ditis Apoſtolici favoris prędidium libenter impendimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & Mandatum.
ſingula bona mobilia, & immobilia, jura, redditus, & proventus, livellos, ſeu affictus, & annuas
eleemoſynas, relicta, & legata, ac omnia alia, quę ad dictam demolitam domum S. Apollinaris ante
tempus, & tempore illius demolitionis hujuſmodi, quovis modo, & quacunque cauſa, & ratione quomo-
dolibet pertinebant, & ſpectabant, pręfatę domui S. Thomę ita quod vos, & pro tempore exiſtentes il-
lius Prior, & Fratres omnia onera, tam celebrationis Miſſarum, ſive pro vivis, ſive pro defunctis,
quam officiorum, & tam Anniverſariorum, quę Prior, & Fratres ipſius domus S. Apollinaris in illa ſu-
bire tenebantur, in Eccleſia ipſius domus S. Thomę ſubire, & ſi aliqui in dicta domo S. Apollinaris pro
Miſſis dicendis, & officiis celebrandis, ſeu quacunque alia de cauſa aliqua ſolvere tenebantur, illa, etiam
ſi haberent conditionem devolutionis ad alia loca, ob ipſius domus S. Apollinaris demolitionem, dictę do-
mui S. Thomę, ac illius Priori, & Fratribus prędictis ſolvere, & de illis ſatisfacere, voſque, & Prior, Nota.
& Fratres, ſi in particulari ad aliquod Altare in ipſa demolita Eccleſia S. Apollinaris ad aliquas celebra-
tiones Miſſarum, & divinorum officiorum obligati eſſetis, unum Altare in Eccleſia domus S. Thomę hu-
juſmodi ad quod vos Miſſas, & alia divina officia juxta obligationes hujuſmodi celebrare teneamini,
prout Prior, & Fratres dictę domus S. Apollinaris pro tempore exiſtentes celebrare tenebantur, aſſigna-
re debeatis, & aſtricti ſitis auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium perpetuo concedimus, & aſſigna-
mus, & ad dictam domum S. Thomę transferri mandamus, ac eidem domui S. Thomę perpetuo applica-
mus, & appropriamus, ac conceſſa, & aſſignata, translata, applicata, & appropriata eſſe, & ad ean-
dem domum pertinere, Ipſamque domum S. Thomę, & illius Eccleſiam in memoriam demolitę domus,
& ap-

& applicationis illius bonorum hujuſmodi domum S. Thomę, & S. Apollinaris nuncupari debere, ac in omnibus ſub cura, & regimine Vicarii Generalis Congregationis Lombardię, prout alię domus ejuſdem Congregationis exiſtunt, & ab omni alio Prelato Ordinis exemptam exiſtere, ac omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, & immunitatibus dictę Congregationis Lombardię, & illius domibus quęſitis, & quęrendis, uti, potiri, & gaudere poſſe, & debere, & quandocunque domus predicta S. Thomę a cura, & regimine Fratrum Congregationis Lombardię hujuſmodi eximeretur, tunc, & eo caſu conceſſionem, aſſignationem, translationem, applicationem, & appropriationam prędictas nullius roboris, vel momenti exiſtere, ac omnia mobilia, & immobilia bona, jura, redditus, affictus, & proventus prędicta ad Fratres Congregationis Lombardię hujuſmodi reverti, & ipſos Fratres de illis omnibus, prout ante conceſſionem, translationem, & applicationem hujuſmodi poterant, & conſueverant, diſponere poſſe. Et ſic in pręmiſſis omnibus per quoſcunque judices quavis auctoritate ſungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac quicquid ſecus ſuper iis attentari contigerit, irritum, & inane decernimus. Mandantes dilectis filiis Abbati S. Salvatoris extra muros Papien., & Vicario venerabilis Fratris Epiſcopi Papien. in ſpiritualibus generali, quatenus ipſi, vel alter eorum per ſe, vel alium, ſeu alios pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte veſtra, & pro tempore exiſtentium dictę domus Prioris, & Fratrum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, vobiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra literas, & in eis contenta hujuſmodi, firmiter obſervari, voſque illis pacifice gaudere, non permittentes, vos deſuper per quoſcunque quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pręmiſſis, & felicis recordationis Boniſatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate pręſentium non trahatur, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ac Monaſterii, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis Apoſtolicis dicto Ordini, ac illius Magiſtris, & Provincialibus, ceteriſque perſonis, ſub quibuſvis tenoribus, & formis, at cum quibuſvis clauſulis, & decretis conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, tenores illorum, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, quoad pręmiſſa ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII Auguſti MDXXXI, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Papien.*) Conſulenda Conſtitutio LXV.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Papienſi*.
3. *Dilecti filii.*) Inſcriptio deeſt.

Anno 1531 Die 2. Septembris.

Ex Congregatione Lombardiæ duas Provincias reformatas conſtituit (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIV.

CLEMENS PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. Officii noſtri debitum exigit, ut opem, & operam omnem, quantum poſſumus, impendamus, quod ſtatus Religioſarum perſonarum quarumlibet, pręſertim in humilitatis ſpiritu Altiſſimo famulantium, non ſolum ubique floreat, ſed, auctore Domino, felicibus proficiat incrementis. Sane cum, ſicut Nobis innotuit, olim nonnullę Domus Ordinis Fratrum Prędicatorum, tam S. Dominici, quam S. Petri Martyris Provinciarum (3), ſecundum morem ejuſdem Ordinis ab obedientia ſuorum Priorum Provincialium, qui de laxiori vita erant, reformationis cauſa, & ut in eis regularia obſervarentur instituta, Diplomatis cauſa. Apoſtolica auctoritate, ſubtractę fuerunt, & ex eo quod ſub capite primum deformato cetera membra reformari non poterant, & multitudo irreformatorum, qui tunc plurimi erant, religioſum propoſitum impedire, & multis modis perturbare valuiſſet, una Congregatio Lombardię nuncupata inſtituta extitit, ac poſtmodum, auxiliante Domino, reformatio in dictis Provinciis multorum ipſius Ordinis patrum laboribus plurimis adeo crevit, ut vice verſa reformati Fratres, non reformatos, non virtute ſolum, ſed numero etiam ſuperent, ac in dictis Provinciis majores, & principaliores Domos obtineant, & ad ceteras reformandas ſufficientes exiſtant. Nos, quibus Militantis Eccleſię ſuperna diſpoſitione gubernacula commiſſa ſunt, conſiderantes in dicto Ordine reformationem, ſemper proſpere proceſſiſſe, cum capita, & Prelati ex reformatis inſtituti ſint, & Provinciarum gubernatio viris in obſervantię moribus educatis commiſſa ſit, & quod Capitula Generalia deſiderare Nobis (4) reformatione univerſi ipſius Ordinis ſincere, & abſque fictis ceremoniis, donec omnes, vel ſaltem major pars Priorum Provincialium, qui in Capitulis ejuſdem Ordinis definire, ac ordinationes, Leges, & ſtatuta condere ſolent, reformati, ac propterea obſervantię, & reformationis zelatores exiſtant, veriſimiliter nunquam incumbent; ac quod dicta Congregatio Lombardię adeo tam in S. Dominici, & S. Petri Martyris, quam Romana, Regni Sicilię, & terrę Peregrinationis (5) Provinciis, ſecundum morem ejuſdem Ordinis adeo dilatata eſt, quod per unum caput regi non ſolum alię non reformatę Domus, ut expediens eſſet, aut reformari nequeunt, verum etiam vix, & commode, tam a ſe diſtantes Domus, etiam reformatę viſitari, & in obſervantia

con-

conſervari poſſint, ac propterea nonnulli etiam dictę Congregationis patres, & Religioſi deſiderent, ut vita regularis in omnibus Domibus Ordinis hujuſmodi non ſolum conſervetur, ſed per novam etiam reformationem, augeatur, ac cupientes, quantum cum Deo poſſumus, univerſam Eccleſiam, & pręſertim Prędieatnriam Religinnem, quam propter uberes fructus, quos in vinea Domini afferre dignoſcitur, ſpeciali dilectione in viſceribus caritatis proſequimur, ad melioris vitę inſtitutionem, & regularem obſervantiam adducere, volenteſque futuris inconvenientibus obviare, & ex dicta Congregatione S. Dominici, & S. Petri Martyris Provincias prędictas paulatim reformare; motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra mera deliberatione, & ex certa ſeientia, Congregationem Lombardię prędictam, cum omnibus exemptionibus, gratiis, ac privilegiis, & juribus ſuis auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, penitus, & omnino ſupprimimus, & extinguimus, ac Angelum de Faventia, modernum dictę ſuppreſſę congregationis Vicarium Generalem, necnon Gabrielem Patavinum S. Dominici, amoto Provinciali Provincię, Vicarium, a Vicariatus, ac Johannem Baptiſtam de Axereto S. Petri Martyris Provineię Priorem Provinealem a Provincialatus, officiis auctoritate, & tenore prędictis abſolvimus, neenon Angelum olim ſuppreſſę Cangregationis vicarium S. Dominiei, & dilectum filium Hieronymum Fornarium (6) Papienſem dicti Ordinis, & Theolngię profeſſorem cujus religionis zelum, morum integritatem, & in regimine prudentiam ex eo conjieimus, quod in Capitulis reformatorum, Bononię primum, & Faventię noviſſime, celebratis, a majori Patrum multitudine, poſt electos (7) in Vicarium Generalem deſideratus, & canonice poſtulatus extitit, S. Petri Martyris Provinciarum prędictarum Priores Provinciales, & in S. Dominici Gabrielem, & in S. Petri Martyris Provinciis prędictis Johannem Baptiſtam pręfatos vicarios (8) Provincialium, & utrumque ipſorum Gabrielem, & Johannem Baptiſtam in Domibus non reformatis ſuę Provincię, pro tanto tempore, quanto ſuis Provincialibus pro tempore exiſtentibus, videbitur expedire, eiſdem auctoritate, & tenore inſtituimus, & deputamus, ac utrique Angelo, & Hieronymo in ſua Provincia plenam auctoritatem, quam in dicto Ordine Priores Provinciales habere ſolent, tam ſuper Dnmos non reformatas, qnam ſuper reformatas in dictis Provinciis: necnon Gabrieli, & Johanni Baptiſte pręfatis omnem auctnritatem ſuper Fratres, & Sornres dicti Ordinis ſuę curę ſubjectos, quam habent Vicarii Provinciarum in ſuis Provineiis juxta conſtitutiones dicti Ordinis concedimus, ac ipſorum Angeli, & Hieronymi, ſic per Nos inſtitutorum Priorum Provincialium officia prędicta ad biennium duntaxat a tempore, quo dictus Angelus fuit in vicarium Generalem electus, inchoandos, hoc eſt uſque ad Capitulum Provinciale utriuſque Provincię Anno Domini MDXXXIII incluſive celebrandum, ita quod in fine Capituli Priores; & Fratres ſingularum Provinciarum eligant unum Provincialem per duos item annos duntaxat in officio Provincialatus permanſurum prout juxta dictę ſuppreſſę Congregationis olim conceſſa privilegia Vicarius Generalis, non niſi per biennium in vicariatus officio permanebat, & prout impręſentiarum in quibuſdam ejuſdem Ordinis Provinciis circa ſuos Provinciales obſervatur. Quod etiam Provincialatus officii tempus, ad faciliorem reformationis conſervationem in Provincia Romana ejuſdem Ordinis, nuper a Nobis ſimiliter reformata, obſervari volumus, & eiſdem auctoritate, & tenore ſtatuimus, ita quod, tam modernus, qnam perpetuis futuris temporibus dictę Romanę Provincię reformatę Provinciales tranſacto biennio a die ſuę aſſumptionis, ad illud officium a dicto Provincialatus offieio abſoluti eſſe intelligantur, ſieut in Congregatione olim Tuſcię a Nobis ſimiliter ſuppreſſa Vicarii Generalis per biennium tantum, juxta conceſſa ab Apoſtolica Sede privilegia, in vicariatus officio permanebant, & inſuper auctoritate, & tenore prędictis, ſtatuimus, & ordinamus, quod dicti Angelus, & Hieronymus Provinciales, quilibet in ſua Provincia, Domos, & loca alia quęcunque, tam Fratrum, quam Sororum, reformatorum, vel eorum, de quibus hactenus Fratribus reformatis cura commiſſa eſt, Fratres, & Sorores, etiam Tertii habitus B. Dominici per ſe ipſos gubernent, Domos vero, & loca alia quęcunque tam Fratrum, quam Sororum, non reformatorum, vel Sororum, de quibus hactenus curam habuerunt Fratres non reformati, etiam Tertii habitus B. Dominici, gubernent per Gabrielem, & Johannem Baptiſtam vicarios per Nos, hac vice, ut pręfertur, inſtitutos, ac quod Priores Provinciales prędicti, in ſua quiſque Provincia, Domos, etiam non reformatas viſitare, reformare, & omnem Provincialis auctoritatem, tam in vicario ſuo, ac reliquis Capitibus, quam in membris exercere, plene poſſit, & S. Dominici, ac S. Petri Martyris Provincię prędictę, ſicut & omnes alię in pręfato Ordine, in omnibus ſubjaceant auctoritati Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis, ac ejuſdem Vicarii prout ipſi Magiſtro Generali videbitur expedire. Quodque Domus dictę ſuppreſſę Congregationis Lombardię in limitibus exiſtentes Romanę Provincię juxta antiquam dicti Ordinis inſtitutionem ad ipſam Romanam Provinciam attineant, ac deinceps ſub obedientia moderni Provincialis Romani, ac ejus in officio ſucceſſorum permaneant; Mandantes eidem Provinciali dictę Romanę Provincię reformatę ſub pęna excommunicationis latę ſententię, quatenus indilate ab harum pręſentatione, abſque alia tergiverſatione, dictos omnes, & ſingulos Conventus ſub ſua cura ſuſcipiat, & in eis Fratres reformatos ponat, qui in ipſis reformationem conſervent, & augeant: Prioribus vero, & ceteris Fratribus omnibus, & ſingulis in dictis Conventibus aſſignatis diſtricte pręcipiendo, mandamus ſub eiſdem pęnis, ne ulla ratione diſcedant a dictis ſuę aſſignationis Conventibus, etiamſi eſſent profeſſi in alia Provincia, antequam dictus Romanus Provincialis pręfatos Conventus viſitaverit, quod omnino intra ſex menſes fieri volumus abſque expreſſa dicti Romani Provincialis conceſſione in ſcriptis obtenta: Alię vero Domus Regni Sieilię, ac Terrę Peregrinationis, & aliarum Provinciarum, quę hactenus ſub cura fuerunt dictę ſuppreſſę Congregationis, ſub cura Prioris Provincialis S. Dominici remaneant, donec per dilectum filium modernum Magiſtrum, vel ejus in officio ſucceſſores, aliter fuerit ordinatum, & ut redintegratio S. Dominici, & S. Petri Martyris Provinciarum hujuſmodi juxta cordis noſtri deſiderium facilius, & celerius effectum ſortiatur, volumus, quod omnes Fratres profeſſi in una ex eis S. Dominici, S. Petri Martyris, & Romana, Provinciis, vel in aliqua domorum prędictarum, in illa ſtatim a pręſentium pręſentatione cenſeantur, & ſint aſſignati, & ſubjecti illi Provinciali, cui cura ſuarum Provinciarum

Ordinis commendatio.

commiſſa eſt, & a quacunque Domo revocati, ac ab omni officio abſoluti, quod in ea Domo exercerent; in qua prius aſſignati fuerunt infra limites alterius Provinciç vel domorum alteri Provinciali ſubjectarum, A Fratribus ipſis, ad eorum Provinciam, & Domum reverſis, eorum Prior Provincialis, de domibus, & officiis, juxta ſingulorum conditiones, & merita providere teneatur; Fratrum vero, qui, ut prçfertur, amoti ſunt ex Conventibus alienç Provinciç, receſſum ex dictis Conventibus, ultra dies octo, niſi ſcandalum ſecularium ex viduatione Domorum ſubita timeatur, in quo eorundem Fratrum, & Prçlatorum Conventuum, Conſcientias aggravamus, prorogari nolumus; Mandantes omnibus, & ſingulis Fratribus dicti Ordinis, quorum intereſt, in virtute S. Obedientiç, ſub excommunicationis latç ſententiç pçna, a qua prçterquam a Romano Pontifice, preterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi nequeant, ac etiam privationis omnium dignitatum, officiorum, graduum, & privilegiorum, tam dicti Ordinis, quam Sedis Apoſtolicç, necnon inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, quatenus ſuppreſſionem, extinctionem olim Congregationis Lombardiç, & redintegrationem S. Dominici, & S. Petri Martyris Provinciarum, necnon inſtitutiones, deputationes, voluntates, ſtatuta, & alia prçmiſſa, inviolabiliter obſervent; Ac decernentes, tranſgreſſores hujuſmodi prçcepti, favorem, & auxilium in hoc prçſtantes, vel etiam eiſdem, quaſi Prçlatis ſuis obedire, vel quomodolibet obſequi prçſumentes, eo ipſo cenſuras, & pçnas prçdictas incurrere, necnon per prçfatum Hieronymum Priorem Provincialem Provinciç S. Petri Martyris, cui eo, quod Domui determinatç in Civitate Placentina nunc prçſideat, hç literç facile poterunt prçſentari, tot prçſentium tranſumpta manuſcripta, vel impreſſa, ac ſubſcriptione, & ſigno Notarii publici, ac ſigillo alicujus perſonç in Dignitate eccleſiaſtica conſtitutç munita, quç ubique plenam fidem faciant, & omnes Fratres Provinciarum, & locorum prçdictorum, obedientiç vinculo aſtringant, ac ſi ipſç originales literç eis exhibitç forent, infra quatuor dies a prçſentium prçſentatione cumputandos, fieri, quot ſunt loca ſibi ſubjecta hujuſmodi, ſingulis locis ſibi ſubjectis prçdictis, ſingula tranſumpta per fideles Nuncios, ita quod infra unum Menſem ab omnibus Fratribus prçdictis in Italia recipiantur, dirigi, originales vero Literas hujuſmodi ſtatim poſt dictos quatuor dies per proximum fidelem nuncium deſtinari ad Angelum Priorem Provincialem Provinciç S. Dominici, ac per ipſum Angelum illis receptis ſtatim infra idem tempus quatuor dierum ſingula tranſumpta ſingulis locis, & locorum Prçſidentibus ſibi ſubjectis infra Menſem per certos nuncios tranſmitti, & ex nunc irritum, & inane decernentes quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Congregationis, & illius Domorum prçdictarum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis Apoſtolicis, illis forſan conceſſis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo, ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quçvis alia expreſſio habenda eſſet, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores illarum pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romç apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die II Septembris MDXXXI Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Conſtituit.*) Nota quod Generalis Capituli *Romæ* anno *MDXXXII* coacti Patres hæc habent Denunciatione I. *Denunciamus Sanctiſſimum D. N. Clementem Papam VII Congregationem Lombardiæ extinxiſſe, & erexiſſe in Provinciam utriuſque Lombardiæ reformatam.* Vide Conſtitutionem *LXXVII* qua *Clemens VII* iſtam moderatur.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononien. pag.92.*

3. *Tam S. Dominici, quam S. Petri Martyris Provinciarum.*) Notandum quod ibi ſermo non eſt de Provincia cui nunc a *S. Petro Martyre* nomen eſt. Iſta ſiquidem ſequenti duntaxat ineunte Seculo *XVII* conſtituta fuit.

4. *Deſiderare Nobis.*) Turbatus locus: legendum credidetim: *& quod Capitula Generalia, ſicuti deſideratur a Nobis, reformationi univerſi ipſius Ordinis &c. Donec &c. zelatores exiſtant, veriſimiliter nunquam incumbent.*

5. *Terra Peregrinationis.*) De Fratribus peregrinantibus ſæpius dictum fuit.

6. *Fornarium.*) Seu *de Fornariis*. Ipſius mentio in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

7. *Poſt electos.*) Legendum putant: *a majori Patrum multitudine, in Vicarium Generalem deſideratus, & canonice poſtulatus extitit, poſt electos S. Dominici, & S. Petri Martyris Provinciarum prædictarum Priores Provinciales.*

8. *Vicarios.*) Hinc acta Capitulorum Generalium ſæpius deinde loquuntur De Vicariis *S. Dominici*, & *S. Petri Martyris.*

Præcedentem Conſtitutionem ſuſpenſam declarat.

Anno 1531 Die 11 Septembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CLEMENS PP. VII.

LXXV.

Univerſis, & ſingulis, ad quos prçſentes noſtrç literç pervenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper certis rationabilibus ad id animum noſtrum moventibus cauſis per alias noſtras in forma Brevis ad Perpetuam Rei Memoriam ſub data videlicet, II prçſentis Menſis, motu proprio, & ex mera deliberatione, & ex certa ſcientia noſtra Congregationem Lombardiç Ordinis Prçdicatorum ſecundum morem ejuſdem Ordinis penitus, & omnino extinximus, & ſuppreſſimus, ac dilectum filium Angelum de Faventia modernum dictç Congregationis Lombardiç Vicarium Generalem, a Vicariatus hujuſmodi officio abſolvimus, illamque in duas Provincias, videlicet S. Dominici, & S. Petri Martyris diviſimus, illiſque in Priores Provinciales dictum Angelum S. Dominici, & dilectum filium Hieronymum Fornarium ejuſdem Ordinis profeſſorem S. Petri Martyris, Provinciis hujuſmodi prçfecimus, ac nonnulla alia inſtituimus, conceſſimus, voluimus, & ordinavimus, prout in dictis noſtris literis, quarum tenores pro

pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem dicto Angelo ſignificari fecerimus per Fratres ipſius Ordinis, ut ſi quid contra dictam noſtram intentionem dicere prętendebat, ad Nos infra certum tempus ei per Nos pręfixum, veniret, & dicto termino, ac aliis pluribus diebus tranſactis, non veniſſet, Nos dictas literas conceſſimus. Sed cum poſtmodum dictus Angelus Vicarius cum tribus ejuſdem Ordinis, & Congregationis profeſſoribus ad Nos venerit, ac pręſente etiam dilecto filio Bartholomęo de Piſis dicti Ordinis profeſſore, ac Magiſtri Generali ejuſdem Ordinis Vicario (2) nonnulla Nobis expoſuerit, & ſuper pręmiſſis Nos longioribus informare paratus ſit, Nobiſque humiliter ſupplicaverit, ut donec ipſe ea Nobis aperuerit, literas prędictas ſuſpendere de benignitate Apoſtolica dignaremur, Nos, qui omnibus aures libenter prębemus, ne alicui injuria inferatur, attendentes parvam moram hujuſmodi non eſſe in conſiderationem, literas noſtras prędictas ſuſpendimus, donec ulterius per Nos ordinatum fuerit, ita tamen quod res dictę Congregationis in eo ſtatu remaneant, in quo nunc repertę fuerint. Mandantes omnibus, & ſingulis, ad quos literarum prędictarum executio ſpectat, ſeu ſpectare poterit, in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis latę ſententię pęna, ut pręſentes noſtras literas obſervent, & obſervari faciant, non obſtantibus pręmiſſis, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod tranſumptis pręſentium manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę pręſentibus literis noſtris Originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XI Septembris MDXXXI, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Evangeliſta.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi pag.* 95 ex autographo *Bononienſi*, & *Lib. B. folio* 316 ex autographo *Urbevetano*.

2. *Vicario.*) Ab Ordinis ſiquidem Magiſtro *Paulo Butigella* Socius allectus fuerat, *Terrę Sanctę* Provincialis, ac Vicarius Generalis tandem conſtitutus erat *Bartholomęus Spina*, *de Piſis* nuncupatus ex patria. Adeas *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXLVI pag.* 126.

Literas Apoſtolicas vitæ regulari contrarias reſcindit (1).

Anno 1531 Die 13 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Univerſis, & ſingulis Prioribus Provincialibus, & Conventualibus Hiſpanię, Aragonię, ac Portugallię nuncupatarum Provinciarum, eorumque Vicariis pro tempore ſecundum morem Ordinis Fratrum Prędicatorum, & eorum cuilibet.

CLEMENS PP. VII.

LXXVI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

SEdis Apoſtolicę providentia circunſpecta, indulta, & alias gratias, a Religioſis utriuſque ſexus perſonis inadvertenter, vel per importunitatem extorta, quę plerumque vagandi occaſionem prębuiſſe noſcuntur, ſecundum varietatem temporum reformare, moderare, reſtringere, & limitare conſuevit, prout animarum ſaluti, & Religionis honori, conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut accepimus, nonnulli veſtri Ordinis Fratres, ac quę ſub cura, & inſtitutis veſtris, degunt Moniales, vel Sorores Provinciarum veſtrarum, vigore indultorum Apoſtolicorum per literas Confeſſionales particulariter conceſſas, alios quam per vos, ad id pro tempore deputatos, abſque licentia veſtra, ſibi in Confeſſores eligere, & alii, quibus magis expediret viam Domini non agnoviſſe, ad ſeculum, retento habitu, remeare cupientes, nonnunquam ſe ęgros, aut corporum, & animi languoribus vexari ſimulantes, alii parentum ſuorum inopię ſubveniendi quęſito colore, alii ſapientię avidos ſe fingentes, ad ſtudiorum Univerſitates, citra ſuorum ſuperiorum licentiam, ſeu illa eis expreſſe revocata, accedentes, ac privilegiis, & exemptionibus ſcholarium abutentes, reliqui beneficia eccleſiaſtica per clericos obtineri ſolita aſſequi, alii ad prędicationem Apoſtolicam, etiam pro miniſterio prędicandi indulgentias Cruciatę contra infideles in ſubſidium terrę ſanctę pugnaturi, eligi, & aſſumi, ac nonnulli alii ſe Acolytos, Notarios Palatii, & Aulę Lateranen. Comites, & Capellanos noſtros creari, & ad noſtram, vel alicujus ex Fratribus noſtris, S. R. E. Cardinalibus, ſeu Principis, vel alterius Domini temporalis, aut Archiepiſcoporum, Patriarcharum, Epiſcoporum, ac aliorum inferiorum Pręlatorum, & perſonarum, quarumcunque, familiaritates recipi, & admitti, ac ad deſerviendum in divinis beneficiis ſecularibus deputari, reliqui vero, qui habitum veſtri Ordinis in totum dimiſerunt, ſeu dimittere intendunt, quorum vel aliqui ſimulantes, ſe regularia inſtituta ſervare, & ſub jugo veſtro ulterius vivere non poſſe, vel ſe in dicto Ordine, profeſſionem nunquam, aut infra pubertatis annos, ſeu per vim, & metum renitenter, nulliter emiſiſſe, ſeque ad dictum Ordinem, & illius regularem obſervantiam, in genere, vel in ſpecie, minime teneri, Apoſtolica auctoritate declarari, & alii ad S. Auguſtini Canonicorum Regularium, & alium, Ordines transferri, aut numero, & conſortio Fratrum Hoſpitalis noſtri S. Spiritus in Saxia de Urbe aggregari obtinuerunt, & aliſs diverſimode libertatum, & exemptionum literas Apoſtolicas per veri ſuppreſſionem, & falſi ſuggeſtionem, inadvertenter, aut per importunitatem, extortas, a Sede prędicta impetraſſe noſcantur, & illarum prętextu Religionis laxatis habenis, in parentum, & conſanguineorum, ac aliorum domibus per ſeculum vagari, non vereantur, in animarum ſuarum periculum, Religionis opprobrium, pernicioſum quoque exemplum, & ſcandalum plurimorum, Nos, qui Paſtoris, ęterni vices, licet immeriti, in terris gerimus, cupientes, gregem Nobis divina diſpoſitione creditum, ſecundum propriam cujuſque vocationem ad ovile reduci, motu proprio, non ad alicujus

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Nobis ſuper boc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de mera deliberatione, ac ex certa ſcientia, & de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, noſtris, vobis, & veſtrum ſingulis, per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus vos, & quilibet veſtrum per vos, ac ſingulos domorum Provinciarum veſtrarum, Priores, eorumque pro tempore Vicarios, Pręſidentes, ac procuratores, ſi, & poſtquam aliquę literę Apoſtolicę, ad ipſorum Fratrum, vel aliorum inſtantiam, ſive ſub Annulo Piſcatoris, aut ſub plumbo, vel per Pęnitentiariam, vel alias ſuper pręmiſſorum aliquo, ſingula pręmiſſa concernentes, aut aliqua alia, veſtris regularibus inſtitutis, quomodolibet derogantia, ſeu repugnantia, in ſe continentes, etiamſi in illis clauſula de licentia ſui Superioris petita, & obtenta, non reperiatur, a Nobis, vel Sede prędicta, aut pro tempore illius majori Pęnitentiario, etiam motu proprio, & cujuſvis, etiam Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, ac Comitum, etiam utriuſque ſexus perſonarum intuitu, vel contemplatione, ſub quacunque verborum forma, ſive bullatę, aut ſub Annulo Piſcatoris, etiam ſuper quibuſvis ſupplicationibus a Romano Pontifice quomodocunque pro tempore emanatę, ſeu impetratę, vobis pręſentatę fuerint, ipſas, ac in eis contenta quęcunque ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſola facti veritate inſpecta diligenter examinetis, & illis minus veris, aut inſufficientibus compertis, literas prędictas, cum falſo impetratę fuerint, ac etiamſi bene, recteque impetratę eſſent, in foro conſcientię duntaxat, non in foro contentioſo, nec contra Religionis conſuetudinem valere, ſed eas tanquam ſubreptitias, & obreptitias, ac intentionis defectui ſubjacentes, cum omnibus inde ſequutis, nullas, & invalidas fuiſſe, & eſſe, illaſque eiſdem impetrantibus nullatenus ſuffragari debere, auctoritate, & tenore prędictis, declaretis, ipſoſque Fratres, & Moniales, quos falſo impetraſſe, aut literis ſibi, ut pręfertur, conceſſis, contra tenorem pręſentium, ubi repereritis, ablatis ab eis, etiam violenter, dictis literis, capi, & ad domos, ac Monaſteria propria redire omnino manu executiva cogatis, alioquin cauſis hujuſmodi, veris, & comprobatis exiſtentibus, illarum impetratores cum eiſdem literis ſuis, a gremio veſtro eiiciatis. Et quatenus ipſi Fratres, & Moniales, retento habitu, extra obedientiam veſtram, vivere maluerint, ut alium prorſus a veſtro diſtinctum habitum diverſorum colorum, cęſurę, longitudinis, & latitudinis, arbitrio veſtro ſub excommunicationis majoris latę ſententię, quam Nos ex tunc, & e contra, in eos, & ipſorum ſingulos, tanquam in apoſtatas ab habitu, ſi contrafecerint, auctoritate, & tenore pręmiſſis, ferimus, & promulgamus, tam extra, quam intra domum, & publice deferre teneantur, & deferant, eadem auctoritate noſtra, ſtatuatis, & ordinetis, & inſuper univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus, tam eccleſiaſticis, quam ſecularibus perſonis, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtentibus, quatenus abſque conſenſu Priorum Provincialium, & ipſis mortuis, vel amotis, de licentia Vicariorum hujuſmodi Provinciarum reſpective, prętextu aliquarum literarum Apoſtolicarum in Monaſteriis Monialium dicti Ordinis, etiam de licentia illius pro tempore Prioriſſę, & Monialium conſenſu, etiam conventualiter pręſtito, intrare, aut per ipſam pro tempore Prioriſſam, & Conventum, nullatenus recipi, vel admitti poſſint, ſub excommunicationis, aliiſque eccleſiaſticis cenſuris, & pęnis, arbitrio veſtro imponendis, quas contrafacientes eo ipſo, non expectata alia declaratione, aut conſultatione, noſtris, incurrere volumus, diſtrictius inhibendo, mandetis. Decernentes pręſentes literas ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, reſtrictionibus, & modificationibus gratiarum utriuſque ſexus Religioſis, & ſecularibus perſonis, hactenus conceſſarum, & in poſterum concedendarum nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties emanaverint, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, & plenarie reintegratas fuiſſe, & eſſe, & in dictis gratiis, pręterquam quod ad forum conſcientię, ſalvis pręſentibus, ac de licentia ſuperiorum, petita, & obtenta, etiamſi expreſſe non apponantur, clauſulas ſub intelligi: Inhibentes diſtrictius locorum ordinariis ſub ingreſſus Eccleſię, & ſuſpenſionis a regimine, & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, inferioribus vero, etiam univerſitatum Rectoribus, ac illarum conſervatoribus, & aliis quibuſcunque ſub excommunicationis latę ſententię, & privationis Parochialium Eccleſiarum, & omnium aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum, quę obtinent, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, pęnis, eo ipſo, ſi contrafecerint, incurrendis, ne vos, quo minus Fratres dicti Ordinis ſub indultorum, exemptionis, gratiarum, ac aliarum Apoſtolicarum prędictarum ſpecie, extra domos, & obedientiam veſtram vagantes juxta tenorem pręſentium capere, & apprehendere, etiam violenter, illoſque ad domos, & loca, unde receſſerint, reducere, & carceribus mancipare volentes, & mandantes, quovis modo, per ſe, vel alium, ſeu alios, directe, vel indirecte impedire pręſumant, nec quemcunque talium, ad exercitium curę animarum parochianorum ſuorum, & adminiſtrationem Sacramentorum ſolis Curatis ſpectan., abſque eo quod illis de licentia prędicta, legitime conſtiterit, admittant, nec eoſdem Fratres exemptos de cetero in diſtrictu parochiarum ſuarum ſuperpellicium ſuper habitum ipſorum geſtare permittant. Necnon mandantes pro tempore exiſtenti Almę noſtrę Urbis in ſpiritualibus Vicario, & quibuſvis aliis Curię prędictę Ordinariis, ac omnibus, & ſingulis ubique terrarum exiſten. reſpective Judicibus, necnon univerſis, & ſingulis in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, aut Metropolitanę, vel alterius Cathedralis Eccleſię Canonicis, ac Inquiſitoribus hęreticę pravitatis, ut quoties pro parte alicujus Prioris Provincialis, vel Conventualis, aut Pręſidentis, ſive procuratoris alicujus Conventus domorum dictarum Provinciarum, & Ordinis reſpective, deſuper requiſiti fuerint, nemini deferentes, ſeu indulgentes, pręſentes literas, ubi, & quando opus fuerit, publican. & eis in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant pręſentes literas, & in eis contenta, ſub prędictis ſententiis, cenſuris, & pęnis, non obſtantibus literis, contra tenorem pręſentium impetratis, firmiter ab omnibus inviolabiliter obſervari. Contradictores &c. de quibus tibi Priori Provinciali vel Conventuali, ſive Pręſidenti, aut Procuratori ſupradictis reſpective videbitur, appellatione &c. invocato &c. ſicque per quoſcunque Judices, & Palatii noſtri Apoſtolici cauſarum Auditores judicari, definiri, & interpretari debere, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, & auctoritate, irritum quoque &c. a quocunque, & per Nos, & Sedem prędictam quavis auctoritate contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Apoſtolicis, necnon in Pro-

Non,

Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quibuſvis indultis, literis Apoſtolicis, etiam ſub plumbo, aut in forma Brevis, vel per Pęnitentiariam, aut alias prędictis Fratribus conceſſis, aut in poſterum concedendis, etiamſi expreſſe in eis caveatur, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, privilegiis quoque, etiam Scholarium, aut Oppidorum univerſitatibus, Hoſpitalibus, Capitulis, Collegiis, necnon Regibus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis inferioribus Pręlatis, ceteriſque utriuſque ſexus perſonis, etiam Dominis temporalibus, libertates, immunitates, & exemptiones ipſorum Religioſorum quomodolibet concernentibus, cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, ac inſolitis clauſulis irritantibus, & aliis decretis, ſub quacunque verborum forma, etiam motu proprio, conceſſis, quibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus, ac datis, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, & non per clauſulas generales id importantes, mentio fieri deberet, illorum omnium tenores, & formas, pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, deliberatione, & ſcientia ſimilibus, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe, harum ſerie, derogamus, nullique in prejudicium pręmiſſorum ſuffragari volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volentes, & decernentes quod hujuſmodi ſtatuto, & voluntati, nullatenus derogari poſſit, pręterquam, ſi pręſentes, de verbo ad verbum inſertę fuerint, proceſſuſque ſi facti ſunt, vel fient in poſterum, ſuper literis a Fratribus hujuſmodi obtentis, & obtinendis, in quibus vobis, aut aliis quibuſcunque ſub quibuſvis excommunicationis latę ſententię pęnis, pręcipiatur, ne contra eorum tenorem, Fratres ipſos, inquietare pręſumatis, ſi contra tenorem pręſentium fuerint, nullius eſſe, & fore roboris, vel momenti, & eos, qui juxta earundem pręſentium tenorem, Fratres ipſos, ad Ordinis diſciplinam revocant, & revocare curaverint, hujuſmodi ſententiis, cenſuris, & pęnis, non ligari. Ne igitur tantę peſtis morbus, in Eccleſia undique pullulet, hoc noſtrum decretum fecimus. Prę̨ſentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis. Harum autem literarum tranſumptis, manu Notarii publici, aut alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę, vel Priorum Provincialium, aut Conventualium ſigillo munitis, non minorem fidem adhiberi volumus, quam ſi preſentes eſſent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die XIII Septembris MDXXXI, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Reſcindit.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Cordubenſi*.

Anno 1531 Die 23 Septembris.

Utriuſque Lombardiæ Provinciam conſtituit (1) ex Provinciis S. Dominici, & S. Petri Martyris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXVII.

CLEMENS PP. VII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium ab Ordinis laude.

SAcro Prędicatorum Ordini, religione vitę, excellentia doctrinę, & Prędicationis munere inter ceteros conſpicuo, ſalubriter dirigendo, prout ex paſtorali tenemur officio, incumbentes, ea libenter providemus, per quę idem Ordo, a ſui initio ſemper in vinea Domini fructuoſus, & celebris, ſolita virtutum fęcunditate, exuberet, & in veterem Religionis cultum, ſi qua ſui parte deflexerit, paulatim, Domino concedente revocetur. Nuper ſiquidem intendentes reformationi Conventuum Italię Ordinis Prędicatorum, literas in forma Brevis edidimus dividendo Congregationem Lombardię in duas Provincias, multis adhibitis proviſionibus, ac cautelis, prout in dictis literis die II pręſentis Menſis, Pontificatus noſtri Anno VIII, datis, plenius continetur. Cum autem nonnulla, quę facta ſunt, Nobis fuerint poſtea intimata, quę tunc ignorabamus, minus quidem conſona reformationis augmento, eaque diligenter diſcuſſerimus, moderandas duximus dictas literas, in meliorem redigendo formam, in favorem vitę regularis, facilius, atque nunc ſuavius conſervandę, & extendendę ad reformandos Conventus non reformatos. Eapropter imprimis dilectos filios Angelum de Faventia, ab officio Vicariatus Congregationis Lombardię, & Gabrielem Patavinum, ab officio Vicariatus Provincię S. Dominici, & tam Johannem Baptiſtam de Garrexio (3), quam Hieronymum Fornarium ab officio Provincialatus Provincię S. Petri Martyris abſolventes, Congregationemque Lombardię, ac Provincias S. Dominici, & S. Petri Martyris prędictas, penitus extinguentes, & in priſcam unitatem reducentes, ex eiſdem Provinciis unicam Provinciam, utriuſque Lombardię nuncupandam, duraturam donec reformatis Conventibus utriuſque Lombardię omnibus, per Apoſtolicam Sedem, petente Capitulo Provinciali, dividenda cenſebitur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, facimus, & creamus, decernentes, ut Provincialis Provincię utriuſque Lombardię eligatur ſecundum formam Conſtitutionum dicti Ordinis a Conventibus pro tempore reformatis, eorumque Prędicatoribus Generalibus duntaxat, & quod ipſe Provincialis regat omnes utriuſque Lombardię Conventus, Monaſteria, Collegia, loca, ac utriuſque ſexus perſonas, etiam Tertii habitus, reformatos quidem per ſe ipſum, non reformatos autem per ſuos Vicarios. Et nihilominus poſſit per ſe ipſum omni juriſdictione Provincialis cum non reformatis uti, diligenterque ſtudeat Conventus non reformatos ad reformationem paulatim trahere. Et, ne ex abuſu poteſtatis Superiorum dicti Ordinis, contingat, aliquid fieri minus conſonum vigori vitę regularis, limitandam duximus in dicta Provincia eorum poteſtatem, quoad infraſcripta, videlicet, ut nullus promoveri poſſit quacunque dicti Ordinis auctoritate, tam ad Baccalaureatus, quam Magiſterii in Theologia gradum, niſi expoſitus per Provinciale Capitulum dictę Provincię, nulluſque Prior Conventualis, a Magiſ-

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

a Magiſtro dicti Ordinis, ſeu Generali Capitulo, abſolvi, ſeu removeri, aut ſuſpendi, niſi in pęnam demeritis ſuis id judicialiter exigentibus, poſſit, nulluſque reformatus dictę Provincię poſſit ad Conventus non reformatos aſſignari, aut deputari invitus a Magiſtro Ordinis, literiſque ipſius, aut mandatis quibuſcunque in favorem Fratrum punitorum, aut puniendorum, non teneantur Pręſidentes reformatorum parere, & demum nullus maſculus ex ejus, aut cujuſvis alterius licentia, poſſit ingredi in Monaſteria Monialium dictę Provincię, pręcipientes ſub excommunicationis pęna, ut nec Magiſter Ordinis, nec Provincialis, nec quicunque alius, ingrediatur ipſa Monaſteria dictę Provincię, caſibus in earum Conſtitutionibus expreſſis duntaxat exceptis, niſi viſitator, tam ad primum, quam ad ſecundum Capitulum viſitationis, ſemel in Anno. Et ne Conventus in Regno Neapolitano extinctę Congregationis ſine proprio capite reformato remaneant, idcirco Nos inſtituentes Provincialem Provincię utriuſque Lombardię
Nota. Vicarium illorum Conventuum, volumus, ut pro tempore, & Provincia carente Provinciali, Vicarius Provincię gubernet illos Conventus cum omni plena auctoritate, quam habet ſuper Conventus Provincię ſuę, idemque ordinamus de Conventu Inſulę Chii ejuſdem Congregationis extinctę. Conventus autem dictę extinctę Congregationis in Provincia Romana conſiſtentes ſubmittimus pleno jure Provinciali Romano, mandantes in virtute ſanctę obedientię omnibus Fratribus filiis iſtorum Conventuum Provincię Romanę, ut infra Menſem Provinciali Romano ſe pręſentent, manſuri ſub illius obedientia in Conventibus, ubi aſſignabuntur. Et ut hac vice electio Provincialis utriuſque Lombardię citius fiat, decernimus, ut in die S. Clementis proxime futuro, eligatur dictus Provincialis a Prioribus Conventuum reformatorum dictę Provincię, cum uno duntaxat ex ſingulis Conventibus a Capitulo illius Conventus ad hoc electo, & Magiſtris in Theologia ejuſdem extinctę Congregationis pręſentibus, fiatque electio pro-
Nota. xima hujuſmodi in Conventu S. Dominici Bononię, ubi Corpus B. Dominici requieſcit, pręficimuſque in Vicarium dictę Provincię Priorem dicti Bononien. Conventus donec Prior Provincialis ſit electus, confirmatus, & pręſens in Provincia, & ne tam ſancta, tamque ſalutifera in favorem reformationis diſpoſitio impediri queat, pręcipimus in virtute ſanctę obedientię omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Fratribus, ut devote pareant, ac executioni celeri cuncta hęc demandari curent. Non obſtantibus pręmiſſis literis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Congregationis, & illius domorum pręditarum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis Apoſtolicis illis forſan conceſſis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda eſſet, aut aliqua alia exquiſita forma, ad hoc ſervanda foret, tenores illorum pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus inſuper, pręſentium tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, plena fides ubique, tam in judicio, quam extra perinde adhibeatur, ac ſi originales literę exhiberentur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Septembris MDXXXI, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Bloſius.

1. *Conſtituit.*) Vide Notas ad Conſtitutionem *LXXIV* &c.
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar unum ex autographo *Bononienſi*, aliud ex *Cremonenſi*.
3. *De Garrexio.*) In ejuſdem Conſtitutionis alio exemplari vocatur *de Axerello*: in Conſtitutione LXXIV mox laudata dicitur *de Axereto*: in LXXXIV infra *de Aſſareto*.

Anno 1531 Die 8 Octobris.

Quonam modo ſit eligendus (1) Provincialis utriuſque Lombardiæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXVIII.

CLEMENS PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Ordinis laus. PRo paſtorali cura, quam cum erga omnes Religionem profitentes Ordines, tum pręcipue erga Sacrum Ordinem Pręedicatorum, Religione, ſimulque Doctrina inſignem, gerere debemus, ad ejuſdem Ordinis felicem directionem in Domino intendentes, hac ſalubri ſanctione in perpetuum duratura decernimus, & ſtatuimus, quod electio Prioris Provincialis Provincię utriuſque Lombardię ejuſdem Ordinis Pręedicatorum, niſi fiat per communem inſpirationem, fiat per viam compromiſſi limitati ad eligendum illum, qui per Electores pręſentes, per proprias cedulas, tacitis nominibus eligentium, unumque duntaxat eligentium ſingilatim continentes, fuerit, convenientibus in eum decem ad minus ſupra medietatem omnium eligentium, nominatus; Eligatur autem ſic nominatus a primo inter Scrutatores, ſi voluerit, ſin autem a ſecundo, vel tertio, ſi ſecundus renuerit. Quocirca omnibus, & ſingulis in hujuſmodi Conventibus proxime, & pro tempore celebrandis, juxta morem dicti Ordinis interventuris in virtute S. Obedientię pręcipimus, ut ad electionem Prioris Provincialis pręedicti, ſervata proxime dicta forma, & non aliter, procedatur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictique ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon privilegiis, & literis Apoſtolicis per Sedem Apoſtolicam eis pro tempore conceſſis, confirmatis, & ſępius innovatis; ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus etiam, quod pręſentium tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, ſigilloque alicujus perſonę in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, ea prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur originalibus, ſi eſſent exhibitę, vel oſten-

oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die VIII Octobris MDXXXI, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Eligendus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Beneventi* pag. 95.

F. Johannes de Fenario (1) Vicarius (2) Generalis Ordinis conſtituitur.

Anno 1531 Die 15 Octobris.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Dilecto filio Johanni de Fenario Vicario Generali Ordinis Prędicatorum.

LXXIX.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm acceperimus, quondam Paulum Butticellam (4) Ordinis Prędicatorum Magiſtrum Generalem Neapoli ab humanis deceſſiſſe (5), Nos, qui nuper rationabilibus de cauſis, plures noſtras literas, & ordinationes ad ſalubrem dicti Ordinis directionem edidimus, de quibus, & noſtra in hoc mente, tu pro tuo Generalis Procuratoris ejuſdem Ordinis Officio, plene informatus es; propterea, & aliis de cauſis noſtrum animum moventibus, ut quamprimum dicto Ordini, de Vicario Generali, provideamus, ad tuam ſingularem doctrinam, probitatem, & animi Religionem, noſtrę dirigentes contemplationis intuitum, te Vicarium Generalem dicti Ordinis, uſque ad Generale ejuſdem Ordinis Capitulum proxime celebrandum, cum ſolitis jurisdictionibus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, pręficimus, creamus, & deputamus. Mandantes omnibus, & ſingulis Fratribus dicti Ordinis, ut tibi interim tanquam Vicario Generali plene obediant, & pareant cum effectu, non obſtantibus Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis Conſtitutionibus, ſtatutis, & privilegiis per Sedem Apoſtolicam confirmatis, conceſſis, & innovatis, quibus, illorum tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum pręſentium duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Octobris MDXXXI Pontificatus noſtri Anno Octavo. Bloſius.

1. *Johannes de Fenario.*) *Gallus*, alumnus Provincię *Toloſana*, pietate, ac doctrina celeberrimus.
2. *Vicarius.*) Generalis Magiſter renunciatus fuit ipſe Johannes anno *MDXXXII.*
3. *Archivo.*) In quo autographum.
4. *Paulum Butticellam.*) Aliis *Butigellam*.
5. *Deceſſiſſe.*) Die IX Octobris *MDXXXI.*

Quędam pro Provincia Romana decernit.

Anno 1531 Die 19 Octobris.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CLEMENS PP. VII.

LXXX.

Dilecte fili (2), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VOlentes electioni Prioris Provincialis Romanę Provincię reformatę ſalubriter providere, prout paſtorali tenemur officio, ſtatuimus, & ordinamus, quod Provincialis Provincię Romanę reformatę eligatur ſecundum formam Conſtitutionum dicti Ordinis a Conventibus reformatis duntaxat pro hac vice tantum. Et quod ipſe Provincialis regat omnes Conventus Provincię, tam reformatos, quam reformandos, Monaſteria, Collegia, loca, ac utriuſque ſexus perſonas, etiam Tertii habitus, reformatos quidem per ſe ipſum, non reformatos autem per ſuos Vicarios; Et nihilominus poſſit per ſe ipſum omni juriſdictione Provincialis cum reformatis uti, diligenterque ſtudeat Conventus non reformatos ad reformationem paulatim trahere, & ne ex abuſu poteſtatis Superiorum dicti Ordinis contingat aliquid fieri minus conſonum vitę regulari, limitandam duximus in dicta Provincia Romana poteſtatem quoad infra ſcripta, videlicet; Ut nullus promoveri poſſit quacunque dicti Ordinis auctoritate, tam ac Baccalaureatus, quam ad Magiſterii in Theologia Gradum, niſi expoſitus per Provinciale Capitulum dictę Provincię; nulluſque Prior Conventualis a Magiſtro dicti Ordinis, ſeu Generali Capitulo abſolvi, ſeu removeri, aut ſuſpendi, niſi in pęnam, demeritis ſuis id judicialiter exigentibus, poſſit; Nulluſque reformatus dictę Provincię poſſit extra Conventus reformatos aſſignari, ſeu deputari invitus a Magiſtro Ordinis, literiſque ipſius, ac mandatis quibuſcunque in favorem Fratrum punitorum, ac puniendorum, non teneantur Pręſidentes reformatorum parere. Et demum nullus maſculus ex ejus, aut cujuſvis alterius licentia, poſſit ingredi Monaſteria Monialium dictę Provincię; pręcipientes ſub excommunicationis pęna, ut nec Magiſter Ordinis, nec Provincialis, nec quicunque alius ingrediatur ipſa Monaſteria dictę Provincię, caſibus in earum Conſtitutionibus duntaxat exceptis; niſi viſitator, tam ad primum, quam ad ſecundum Capitulum, ſemel in anno. Quocirca mandamus in virtute S. Obedientię, tibi, & Fratribus dictę Provincię, ut pręſentes literas, & noſtram voluntatem inviolabiliter obſervetis. Contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIX Octobris MDXXXI, Pontificatus noſtri Anno Octavo. Bloſius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.
2. *Dilecte fili.*) Inſcriptio deeſt.

De

Anno 1531 Die 20 Octobris.

De Generali Capitulo celebrando (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilectis filiis Vicario Generali, Provincialibus Ordinis Prędicatorum, ac ceteris celebraturis Generale dicti Ordinis Capitulum.

LXXXI.

CLEMENS PP. VII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Licet, ſicut accepimus, in Conſtitutionibus veſtri Ordinis Prędicatorum, caveatur, ut ſi contingat Magiſtrum Generalem dicti Ordinis poſt Feſtum B. Michaelis, quod celebratur penultima Septembris, ex vita decedere, vel amoveri, in illo anno a Capituli Generalis celebratione ſuperſedeatur, proptereaque cum quondam Paulus Bottigella (3), Magiſter Generalis dicti Ordinis, nuper poſt dictum Feſtum B. Michaelis, videlicet nona Octobris mortuus fuerit, propterea que juxta dictas Conſtitutiones a Capituli Generalis celebratione ſuperſedendum eſſet (4); Nihilominus attendentes, quod idem Paulus Magiſter Generalis paucis admodum diebus poſt dictum Feſtum Michaelis, obiit, ne Ordo prędictus, tamdiu ſine Generali Magiſtro, maneat, volumus, ac decernimus, quod Generale Capitulum veſtri Ordinis, omnino celebretur in proximo Feſto Pentecoſtes (5), ad eligendum Generalem Magiſtrum dicti Ordinis, pręcipientes vobis in virtute S. Obedientię, ut noſtram hanc voluntatem firmiter exequamini, pręmiſſis, ac ceteris contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Et inſuper decernimus, pręſentium tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, plenam fidem in judicio, & extra ubique adhiberi perinde, ac ſi originales literę exhiberentur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX Octobris MDXXXI, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Bloſius.

1. *Celebrando.*) Adeas *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad an. MDXXXII pag.83 Col.II.*
2. *Archivo.*) In quo autographum.
3. *Bottigella.*) In alio autographo Conſtitutionis dicitur *Butticella*;
4. *Superſedendum eſſet.*) Anno ſiquidem duntaxat *MDXXXIII* celebrandum erat juxta leges Ordinis.
5. *Pentecoſtes.*) Fuit hoc anno die *XIX* Maii.

Anno 1531 Die 2 Decembris.

Toletani (1) Cœnobii S. Petri Martyris privilegia firmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXXII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Sancti Petri Martyris Toletan. Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum a Nobis petitur quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, juſtis poſtulationibus veſtris grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates, & immunitates a Prędeceſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus, ſive per privilegia, vel alia indulta vobis, & Domui veſtrę Sancti Petri Martyris Toletan. Ordinis Fratrum Prędicatorum conceſſa, necnon libertates, & immunitates ſecularium exactionum a Regibus, & Principibus, ac aliis Chriſti fidelibus, vobis, & eidem Domui veſtrę rationabiliter indulta, ſpecialiter autem decimas, primitias, oblationes, jura, juriſdictiones, cenſus, fructus, redditus, proventus, domos, hortos, oliveta, prata, paſcua, nemora, ſylvas, lacus, ſtagna, piſcarias, molendina, poſſeſſiones, ac alia bona, & membra, tam in civitate Toletana, ac in Majaſul, Villamiel, Torryos, Aliman, Almonacir, della Albuera, reſpective nuncupatis Toletanę Diœceſis, quam aliis oppidis, & locis conſiſtentibus. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo primo, Quarto Nonas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Toletani.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib.B. fol.394* ex autographo *Toletano*.

Ut

Ut Generale Capitulum (1) Romæ celebretur Anno MDXXXII.

Anno 1531 Die 5 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Magiſtro Johanni de Fenario (3) Vicario Generali Ordinis Prędicatorum.

LXXXIII.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ſuperioribus diebus, ne Ordo veſter diu maneret capite deſtitutus, de multorum conſilio pręceperimus omnibus ad quos attinet, uti Generale veſtri Ordinis Capitulum hoc proxime ſequenti feſto Pentecoſtes celebretis. Et, ſicut accepimus, Fratres Conventus Avinionen. Ordinis veſtri, in quo pręfatum Capitulum fuerat aſſignatum, illud celebrare recuſaverint, Nos, conſiderantes, quod tempus breve remanet, pro matura, ac diligenti dicti Capituli diſpoſitione, quę tamen fieri nequit, quouſque certum fuerit, in quo loco Capitulum ſit celebrandum, & aliis etiam cauſis noſtrum animum moventibus, ſaniorum, ac pręclariſſimorum virorum prędicti Ordinis conſilio inherentes, tibi, ac ceteris omnibus ad quos attinet, diſtricte pręcipiendo mandamus, in virtute ſanctę obedientię, uti dicto proxime ſequenti feſto Pentecoſtes, Generale prędicti Ordinis Capitulum pro futuri Generalis electione, bic Romę apud S. Mariam ſupra Minervam celebretis, ubi etiam veriſimile eſt, res veſtras, propter pręſentiam noſtram majori pace, & concordia proceſſuras, mandantes Provincialibus omnibus dicti Ordinis veſtri, uti cum ſociis conſuetis, opportuno tempore, ſe ad Urbem transferant, ibi dicta Capitulum, & electionem celebraturi, juxta Conſtitutionum Ordinis veſtri tenorem. Non obſtantibus etiam Conſtitutionibus veſtris, quibus hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die V Decembris MDXXXI, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Bloſius.

1. *Capitulum.*) Vide Conſtitutionem *LXXXI.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Johanni de Fenario.*) Qui Generalis Magiſter renunciatus fuit ab eodem Capitulo.

Provinciæ Lombardiæ Conventus non reformatos eximit a Provincialis (1) juriſdictione.

Anno 1531 Die 13 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLEMENS PP. VII.

LXXXIV.

Ad Futuram Rei Memoriam.

LIcet ſuperioribus diebus dilectos filios Angelum de Faventia Congregationis Lombardię, & Gabrielem Patavinum Provincię Venetiarum, & tam Johannem Baptiſtam de Aſſareto, quam Hieronymum Fornarium Ordinis Fratrum Prędicatorum a Provincialatus Provincię S. Petri Martyris dicti Ordinis officiis abſolventes, Congregationemque, ac Provincias prędictas penitus extingnentes, & in priſtinam unitatem reducentes, ex iiſdem Provinciis unicam Provinciam utriuſque Lombardię nuncupandam, donec illa, reformatis Conventibus utriuſque Lombardię per Apoſtolicam Sedem, Capitulo Provinciali petente, dividenda cenſeretur, duraturam, Apoſtolica auctoritate, inter alia per quaſdam noſtras in forma Brevis literas fecerimus, & creaverimus, decernentes, quod Provincialis utriuſque Lombardię ſecundum formam Conſtitutionum dicti Ordinis a Conventibus pro tempore reformatis, eorumque Prędicatoribus Generalibus duntaxat eligeretur. Quodque ipſe Provincialis omnes utriuſque Lombardię Conventus, Collegia, domos, loca, ac utriuſque ſexus perſonas, etiam Tertii habitus, reformatos per ſe ipſum, non reformatos autem per ſuos Vicarios regeret, ac gubernaret, & nihilominus per ſe ipſum omni juriſdictione Provincialis cum non reformatis uti poſſet, prout in dictis literis plenius continetur. Quia tamen, ſicut deſuper dilecti filii univerſi S. Dominici, & S. Petri Martyris olim Provinciarum prędictarum, Fratres Conventuales Nobis exponi fecerunt, ipſi celerius per ſe ipſos, quam per dictum utriuſque Lombardię Provincialem reformari ſperent, ac dictam reformationem ſe infra biennium facturos promiſerint, magiſque animorum ſuorum quieti conducere aſſerunt, ſi ipſi, eorumque domus, Conventus, Collegia, loca, & utriuſque ſexus perſonę ab omni ſuperioritate dicti Provincialis eximantur, & per Vicarium ſibi a totius Ordinis prędicti Generali Magiſtro, vel ejus Vicario ad Magiſtrorum, & Priorum Conventualium congregatorum electionem duntaxat dandum, regantur, & gubernentur, ipſi Fratres Conventuales Nobis fecerunt humiliter ſupplicari, ut eorum pacis amęnitati conſulere, & alias ſibi in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui cum dilecto filio noſtro Thomą tituli Sancti Sixti Presbytero Cardinali, totius Ordinis hujuſmodi Protectore (3), pręmiſſa mature examinavimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, univerſos, & ſingulos S. Dominici, & S. Petri Martyris olim Provinciarum dicti Ordinis Fratres Conventuales, eorumque domos, Conventus, Collegia, loca, & utriuſque ſexus perſonas dictis Fratribus ante dictarum literarum datam ſubjecta, & ſubjectas, ab omni viſitatione, reformatione, caſtigatione, correctione, & ſuperioritate Provincialis utriuſque Lombardię eximimus per pręſentes, & liberamus, auctoritate Apoſ-

Apoſtolica, coſque, & ea per duos Vicarios juxta extinctarum Provinciarum numeroſitatem, cum plenaria Prioris Provincialis auctoritate, & facultate a Magiſtro Generali totius Ordinis hujuſmodi, ſeu ejus Vicario ſibi ad Magiſtrorum, & Priorum Conventualium congregatorum, promittentium infra biennium proxime futurum ſe reformaturos, petitionem duntaxat dandos, qui ab ipſo Provinciali utriuſque Lombardię pariformiter ſint exempti, donec in Capitulo Generali, ſeu per ipſum Magiſtrum Generalem aliter ſit diſpoſitum, regi, & gubernari, ac reformari volumus, & mandamus, diſtrictius inhibentes in virtute ſanctę obedientię prefato Provinciali utriuſque Lombardię, ut dictos Fratres Conventuales contra pręſentium tenorem moleſtare, aut perturbare, vel de eis, ſeu eorum domibus, Conventibus, Collegiis, locis,& utriuſque ſexus perſonis ſe intromittere quoquomodo pręſumat,ac decernentes ex nunc irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus literis ſupradictis, quibus quoad hoc harum ſerie derogamus, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII Decembris MDXXXI, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Provincialis.*) Conſulendæ Conſtitutiones *LXXIV*, & *LXXVII*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 477.

3. *Protectore.*) Vices ſcilicet gerente Protectoris.

Anno 1532 Die 3 Januarii.

De tranſactione (1) inter Fratres, & Capitulum Vapincen. (2) facta.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

LXXXV.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Grationopolitan. (4), & Aquen. (5) in Provincia Provincię officialibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

HUmilibus &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus S. Dominici Vapincen. Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, cum alias quinquaginta quinque, ſeu ſexaginta annis proxime decurſis, vel circa, inter tunc Priorem, & Fratres dictę domus ex una, & dilectos filios Capitulum Eccleſię Vapincen., ex altera, partibus, ſuper delatione Stolę (6) per dictos Fratres, in exequiis mortuorum Civitatis Vapincen., & ampliatione ędificiorum dictę domus uſque ad certos limites tunc expreſſos, augmento bonorum ejuſdem, & rebus aliis tunc expreſſis, ſuborta fuiſſet materia queſtionis, idem tunc Prior, & Fratres non valentes potentię eorundem Capituli reſiſtere ad certam compoſitionem, ſive tranſactionem ſimiliter tunc expreſſam, per quam dicta domus enormiſſime dignoſcitur eſſe lęſa, cum eiſdem Capitulo, auctoritate Superioris dicti Ordinis ſuper his minime interveniente, ut dicitur, devenerunt, Capitulumque prefati compoſitionis, & tranſactionis earundem vigore modernos Priorem, & Fratres ad illarum obſervantiam, quamvis illę in uſu non exiſtant,contra formam privilegiorum eidem ordini auctoritate Apoſtolica conceſſorum,de facto compellere non erubeſcunt. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus prędictę domui ſuper hoc reſtitutioni in integrum ſubvenire, aliaſque eis ſuper illis opportune providere paterna diligentia curaremus. Quocirca &c. mandamus quatenus vos, ſive alter veſtrum vocatis dicto Capitulo, & aliis, qui fuerint evocandi, eiſque, & quibuſvis aliis quibus inhibendum fuerit, ſicut juſtum fuerit, per vos inhibito, ſi vobis conſtiterit domum prędictam ex compoſitione, & tranſactione prefatis enormiter lęſam, illa, ac Priori, & Fratribus prędictis adverſus compoſitionem, & tranſactionem hujuſmodi, ſicut juris extiterit, per vos, in integrum reſtitutis, auditiſque hinc inde propoſitis quod juſtum fuerit appellatione remota decernatis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem &c. non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua inter alia caveri dicitur expreſſe, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Diœceſim &c. ſeu ne judices &c. ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque ſeu ſi eiſdem Capitulo &c. ab eadem ſit Sede indultum quod interdici &c. & qualibet alia dictę Sedis indulgentia &c. quam quoad hoc nolumus eis aliquatenus ſuffragari. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Primo (7), Tertio Non. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Mandatum.

1. *Tranſactione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Vapincen.*) Vulgo *Gap*, in *Delphinatu*.

3. *Archivo.*) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVIII fol.* 185.

4. *Grationopolitan.*) Aliis *Gratianopolitan.*, vulgo *Grenoble*, in *Delphinatu*.

5. *Aquen.*) Vulgo *Aix*, in *Gallo-Provincia*.

6. *Delatione Stolæ.*) Conſulendus *Tractatus* mox laudatus.

7. *Trigeſimo Primo.*) Stylo Bullarum æra communis *MDXXXII*.

Ut

Ut ægrotantium Monialium Confeſſiones excipiant, Confeſſores ingredi (1) poſſunt Monaſteria.

Anno 1532. Die 5 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Magiſtro Johanni (3) de Fenario Vicario, ac Procuratori Generali Ordinis Prędicatorum. LXXXVI.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXpoſuiſti Nobis, quod in Conſtitutionibus Sororum ſub cura, & habitu Fratrum Ordinis Prędicatorum Domino famulantium, nulla habetur mentio de ingreſſu Confeſſoris pro confeſſione infirmarum, ſed duntaxat pro Communione, & Extrema Unctione. Et ideo multi dubitant ingredi pro ęgrotantium confeſſione. Nos igitur, cupientes fragilis ſexus devotioni, & conſcientię pariter Confeſſorum conſulere, tenore pręſentium, ut Confeſſor per ſuperiores deſignatus ad dictarum Sororum curam pro Confeſſione ęgrotantis, ita quod mors inde credatur, & dubitetur ſecutura, ingredi poſſit, auctoritate Apoſtolica decernimus, proviſo tamen, ne facile ingreſſus multiplicentur, quod non pro confeſſione, & poſtea pro communione, ſed ſi fieri commode poteſt unico ingreſſu utrumque fiat. Et inter caſus in Conſtitutionibus earum expreſſos hunc haberi volumus in futurum, non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, vel earundem etiam Sororum, ac ceteris quibuſcunque in contrarium facientibus, quibus omnibus, etiamſi de eorum totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio habenda eſſet, tenores illarum pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum harum duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die V Januarii MDXXXII, Pontificatus noſtri Anno Nono,

Bloſius.

1. *Ingredi.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar unum in *Bullario Bononienſi pag. 96*, aliud ex *Cremonenſi*.
3. *Johanni.*) De quo ſæpius dictum.

Utriuſque Lombardiæ Provincialis curam gerat Monaſteriorum quibus præerat Vicarius Congregationis Lombardiæ.

Anno 1532. Die 25 Januarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Dilecto filio moderno, & pro tempore exiſtenti Fratrum Ordinis Prędicatorum utriuſque Lombardię Provinciali. LXXXVII.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut nuper accepimus, nonnulla Monaſteria Monialium tui Ordinis nunc exiſtentium, quę per olim Vicarium Generalem Congregationis Lombardię Ordinis Prędicatorum pro tempore exiſtentem, regi, & gubernari ſolita erant, eo quia per alias noſtras in forma brevis Literas (2) ſub data videlicet die XXIII Septembris MDXXXI Pontificatus noſtri Anno VIII, dictum vicarium a ſuo vicariatus officio abſolvimus, Congregationemque Lombardię pręfatam in Provinciam utriuſque Lombardię ereximus, prout in illis plenius continetur, impręſentiarum Rectore, & gubernatore carere dignoſcantur, Nos igitur, quorum intentionis ſemper fuit, ut omnia, & ſingula Monaſteria Monialium quę dicto Vicario Generali, ante abſolutionem, & erectionem prędictas ſubjecta erant, tibi quoque, & pro tempore exiſtentibus Provincialibus ſubjecta exiſtant, motu proprio, & de mera voluntate, non autem ad tuę, vel alterius pro te ſuper hoc Nobis oblatę petitionis inſtantiam, & ex certa noſtra ſcientia, te omnium, & ſingulorum Monaſteriorum Monialium hujuſmodi, cujuſcunque ordinis (3) exiſtentium, quę per Vicarium Generalem pręfatum regi, & gubernari conſueverant, cum facultate, auctoritate, & poteſtate dicto Vicario Generali per Sedem Apoſtolicam conceſſa, necnon omnibus illis, quibus ipſe Vicarius Generalis in regimine dictorum Monaſteriorum, tam de jure, quam de conſuetudine utebatur, ſeu uti poterat, Rectorem, & gubernatorem auctoritate Apoſtolica conſtituimus, & deputamus per pręſentes, Monaſteriaque ipſa, eorumque Moniales tuę curę, & regimini, eo modo, quo Vicario Generali prędicto ſubjecta, & ſuppoſita erant, ſubjicimus, atque ſupponimus; mandantes nihilominus Abbatiſſis, Prioriſſis, & Monialibus dictorum Monaſteriorum in virtute S. Obedientię, ut viſis pręſentibus, te in eorum Rectorem, & gubernatorem recipiant, & admittant, tibique plenam, & debitam obedientiam, & eam, quam Vicario Generali pręfato prętare ſolebant, aut debebant, tanquam earum ſpirituali paſtori prętent, exhibeant, & continuent. Contradictores inobedientes quoslibet, & rebelles, per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, cenſuras,

& pęnas ipſas aggravando, ac interdictum Eccleſiaſticum apponendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictorum Monaſteriorum, & Ordinum Privilegiis, & indultis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Hortamur itaque devotionem tuam in Domino, eique injungimus, ut officium Rectoris, & gubernatoris prędictum, libenter, & prompte ſuſcipiat, illudque ita, bene, recteque exerceat, ut Moniales prędictę rectori, & gubernatori utili, & fructuoſo gaudeant ſe commiſſas. Volumus autem, quod tranſumptis pręſentium authenticis, tuo ſigillo munitis, eadem fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum (4) Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXV Januarii MDXXXII, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Evangeliſta.

1. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, unum in *Bullario Bononienſi pag. 96*, aliud ex *Cremonenſi* exemplari.
2. *Literas.*) *Conſtitutionem* ſcilicet *LXXVII.*
3. *Cujuſcunque Ordinis.*) Ut enim ſæpius dictum fuit, ambiebant etiam Moniales aliorum Ordinum curæ Fratrum Congregationis *Lombardiæ* committi. Ipſis etiam nunc Ordinis S. *Benedicti* quædam Monaſteria ſubſunt.
4. *Datum.*) Huc etiam ſpectat vivæ vocis oraculum cujus exemplar authenticum habes in archivo Ordinis ex autographo *Faventino*. Hujus tenoris eſt.

Nos Laurentius miſeratione Divina Epiſcopus Preneſtrinus, S. R. E. Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum Major Penitentiarius Univerſis, & ſingulis præſentes literas noſtras patentes inſpecturis fidem facimus, & atteſtamur; Quatenus Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter Dominus Clemens Divina providentia Papa Septimus, ad humiles preces, & ſupplicationes noſtras, qui Ordinis Prædicatorum Protector ſumus, omnes gratias, & privilegia quæcunque per Sanctitatis Suæ Prædeceſſores Congregationi Lombardiæ dicti Ordinis, ſive in ſcriptis, ſive vocis oraculo, uſque ad hunc diem conceſſa, confirmavit, conceſſitque, quod Domus omnes, & Fratres dictæ Congregationis, omnibus gratiis, Privilegiis, & Indulgentiis Religioſis quorumvis, aliorumque ordinum de obſervantia hactenus conceſſis gaudere poſſint, quodque non teneantur ſervare interdictum quacunque auctoritate impoſitum, niſi dum, & quando Cathedralis, ſeu Matrix Eccleſia illarum Civitatum, & locorum in quibus ipſi Fratres Prædicatorum de obſervantia Domos habent, illud ſervaverit, facto Nobis deſuper vivæ vocis oraculo. In quorum fidem dictas patentes literas fieri, ac parvi ſigilli noſtri impreſſione per infraſcriptum ſecretarium noſtrum communiri fecimus, manuque noſtra propria ſubſcripſimus. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico in Camera noſtræ ſolitæ reſidentiæ, die quinta Decembris MDXXIIII Pontificatus prædicti Sanctiſſimi Domini noſtri Anno Secundo.

Laurentius Epiſcopus Præneſtinus Cardinalis Sanctorum Quatuor manu propria.

P. Bombaſius.

Anno 1532 Die 10 Martii.

Monaſterii Nucerini (1) privilegia firmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXVIII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Decet ex Romani Pontificis benignitate provenire, ut Prędeceſſorum ſuorum geſta innovet, & innovata reſtauret, ac Apoſtolico munimine fulciat reſtaurata. Dudum ſiquidem felicis recordationis Benedictus Papa XI. Prędeceſſor noſter, tunc Prioriſſę, & Sororum Monaſterii S. Annę de Nuceria Chriſtianorum per Prioriſſam gubernari ſoliti Ordinis Sancti Auguſtini ſecundum inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium precibus inclinatus per ſuas literas eaſdem Prioriſſam, & Sorores, ac dictum Monaſterium Magiſtro dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Priori Provinciali Regni Sicilię ejuſdem Ordinis Fratrum Prędicatorum pro tempore exiſtentibus auctoritate Apoſtolica commiſit, eadem auctoritate nihilominus ſtatuens, ut ſub Magiſtro, & ejus, ac dicti Prioris doctrina ex tunc in antea permanerent, & illis privilegiis, gratiis, & Indulgentiis, quę ipſi Ordini Prędicatorum erant conceſſa, vel in poſterum concederentur, gauderent, ipſique Magiſter, & Prior animarum earundem Prioriſſę, & Sororum ſollicitudinem gererent, & curam, ac ipſis Prioriſſę, & Sororibus de Inſtitutionibus ejuſdem Ordinis illas, quę eis competebant exhiberent, ac eidem Monaſterio per ſe, vel alios Fratres ipſius Ordinis Fratrum Prędicatorum, quos ad id idoneos viderent, quoties expediret, officium viſitationis impenderent, corrigendo, ac reformando ibidem tam in capite, quam in membris, quę correctionis, & reformationis officio viderent indigere, electio tamen Prioriſſę libere pertineret ad Conventum dicti Monaſterii, ac nihilominus inſtituerent, & deſtituerent, mutarent, & ordinarent, prout ſecundum Deum viderent expedire. Confeſſiones ipſarum Prioriſſę, & Sororum audirent, & eccleſiaſtica Sacramenta eis miniſtrarent; liceretque eiſdem Prioriſſę, & Sororibus redditus, & poſſeſſiones recipere, & eos libere retinere. preterea ad preſtandum decimas de quibuſcunque poſſeſſionibus, & aliis omnibus bonis earundem Monaſterii, Prioriſſę, & Sororum, quę tunc habebant, & juſtis modis pręſtante Domino in futurum acquirerent, vel ſubventionem quamcunque, aut ad exhibendum annuum redditum, ſive quartam mortuariorum, aut contribuendum in exactionibus, vel collectis, aut decimis, ſeu ſubſidiis aliquibus per literas Apoſtolicę Sedis, aut Legatorum ejus, vel Ordinariorum, aut Nunciorum ipſorum, ſeu Rectorum terrarum, vel regionum quaſcunque impetratas, vel etiam impetrandas, minime tenerentur, nec ad id cogi poſſent, etiamſi in hujuſmodi Sedis ejuſdem contineretur literis quod ad quęvis exempta, vel non exempta loca, vel Monaſteria ſe extenderent, & aliqua eis, cujuſcunque tenoris exiſteret, ipſius Sedis indulgentia non obſiſteret, niſi forſan literę ipſę dictę Sedis de indulto hujuſmodi, & Monaſterio prędicto plenam, & expreſſam facerent mentionem, indulſit. Ipſum quoque Monaſterium, & Sorores ejuſdem cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis ab Epiſcopi Nucerin., & cujuſcunque alterius juriſdictione, ac poteſtate prorſus exemit, decrevitque irritas, & inanes, interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis,

ſen-

ſententias, ſi quas in Conventum, & illius ſingulares perſonas, aut aliquas earum, ant Monaſterium ipſum, ſeu quoſcunque alios earum occaſione, pręmiſſorum pretextu, contra commiſſionis, ſtatuti, licentię, conceſſionis, & exemptionis Benedicti Pędeceſſoris hujuſmodi tenorem, per quemcunque ex tunc de cetero contingeret promulgari, & deinde quondam Bonifatius qui in ſua Obedientiâ, de qua illę partes tunc erant VIIII vocabatur, volens tunc Prioriſſam, & dilectas in Chriſto filias Conventum dicti Monaſterii favoribus proſequi gratioſis, ac earum in ea parte ſupplicationibus inclinatus, privilegium prędictum, quod in Cancellaria Apoſtolica diligenter inſpici fecerat ratum babens, illud etiam per ſuas literas confirmavit, prout in ſingulis literis prędictis plenius continetur. Quare pro parte dilectę in Chriſto filię modernę Prioriſſę, & pręfatarum Conventus, aſſerentium, ſe pauperrimas exiſtere, & orationibus, meditationibus, jejuniis, vigiliiſque jugiter inſiſtendo, Deo gratum famulatum reddere, ac in dies evenire, quod contra pręmiſſa nonnulli clerici, & forſan laici, ac eccleſiaſticę perſonę, etiam dignitate Pontificali fulgentes, ac etiam pro Nunciis Sedis prędictę ſe gerentes, Prioriſſam, & Conventum prędictas indebite moleſtant, & ad ſolvendum decimas etiam per Nos impoſitas compellunt injuſte, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut literas prędictas, ac privilegia, & indulta in eis contenta approbare, confirmare, & innovare, ac perpetuę firmitatis robur obtinere, decernere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, literas prędictas, ac privilegia, & indulta in eis contenta, quatenus ſint in uſu, auctoritate Apoſtolica pręfata, tenore pręſentium, approbamus, confirmamus, & innovamus, ac perpetuę firmitatis robur obtinere debere, decernimus; non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & ordinis prędictorum, juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis etiam noſtris, & dictę Sedis Nunciis, & aliis quibuſvis etiam, nt pręfertur, qualificatis perſonis, etiam per Nos, & dictam Sedem, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter, & ſub quibuſvis verborum formis, & cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam ad nullius inſtantiam, & ſupplicationem conceſſis, ac etiam per Nos, Sedemque prędictam, etiam iteratis vicibus approbatis, innovatis, & de novo etiam conceſſis, qnibns, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus plena, expreſſa, ſpecialis, ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbnm, non autem per clauſnlas generales id importantes mentio, ſen quęvis alia expreſſio babenda foret, aut alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, auctoritate, & tenore prędictis, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, necnon omnibus illis, quę Benedictus Prędeceſſor, & Bonifatius pręfati in ſuis literis voluerunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę approbationis, confirmationis, innovationis, Decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Primo (3), Sexto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Confirmatio.

1. *Nucerini.*) Vide *Notas ad Conſtitutionem XVII B. Benedicti XI.* Legitur *pag.*90 *Tomo II.* Et Conſtitutionem *CXV. Bonifacii IX* ibidem *pag.*379.

2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar authenticum unum ex autographo *Nucerino*; aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. XCVIII fol.*225.

3. *Trigeſimo primo.*) Stylo Bullarum, ęræ communis *MDXXXII.*

Ut præcedens Conſtitutio executioni mandetur.

Anno 1532 Die 10 Martii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Clemens Epiſcopus, Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Caſertan., & Nolan. Epiſcopis, ac dilecto filio Vicario venerabilis etiam Fratris noſtri Archiepiſcopi Neapolitan. in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LXXXIX.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis: Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Decet ex Romani Pontificis benignitate provenire &c. (2) Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Primo, Sexto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Nono. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios pręmiſſa, ubi, quando, & quoties expedire cognoveritis, fueritiſque deſuper pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictarum legitime requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſdem in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra, literas prędictas, ac omnia, & ſingula in eis contenta perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari. Non permittentes, eaſdem Prioriſſam, & Conventum per Nuncios, & perſonas prędictos, aut alios quoſcunqne contra tenorem earundem literarum quomodolibet moleſtari, turbari, vel inquietari, contradictores, injuriatores, & perturbatores, moleſtatores, & rebelles quoſcunque per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, auctoritate noſtra pręfata, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opns fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus omnibus, quę dictis literis decretum eſt non obſtare, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſit per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Primo (3), Sexto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Ar-*

1. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Nucerino*.
2. *Provenire &c.*) Ut in præcedenti Diplomate ad finem uſque.
3. *Trigeſimo Primo*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXXXII*.

Anno 1532 Die 10 Martii.

Alvianen. (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Johanni (3) de Fenario Vicario Generali Ordinis Prędicatorum.

XC.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

Faculcas.

EXponi Nobis fecisti, quod licet dilecta in Chriſto filia Pentheſilea, relicta quondam Bartholomęi de Alviano, domina temporalis Oppidi Alviani, Amerin., ſeu Tudertin. Dięceſis, devotione ducta erga tuum Ordinem Fratres tui Ordinis Prędicatorum Provincię Romanę reformatę, in quandam domum Sanctę Nominatę Martyris, prope, & extra muros dicti Oppidi, quę conventu caret, & Fratribus penitus vacua exiſtit, inducere cupiat, tamen dicti Fratres tui Ordinis, & Provincię prędictorum, dictam domum recipere non audent, ſine Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali. Quamobrem Nobis, tam pro tua, quam dictę Pentheſilę parte, fuit humiliter ſupplicatum, ut licentiam ſuper hoc, vobis concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ne dicta domus, cum ejus Eccleſia ſit vacua, & cultus divinus in ea deſertus remaneat, hujuſmodi precibus inclinati, tibi dictam domum cum ejus Eccleſia, refectorio, dormitorio, hortis, & hortalitiis, & aliis membris, & partibus ejus pro tuis Fratribus, Ordinis, & Provincię prędictorum, recipiendi, & in illam eoſdem Fratres inducendi, qui Deo Altiſſimo famulantes, jugum Religionis inibi jugiter ducant, & tam ſuarum, quam dicti Oppidi Chriſti fidelium animarum ſaluti incumbant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſine cujuſcunque pręjudicio, concedimus, & indulgemus. Et inſuper, eiſdem Fratribus pro te in dictam domum inducendis, quod omnibus privilegiis, & gratiis tui Ordinis, ſicut alię ipſius Ordinis domus potiuntur in genere, potiantur pariter concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis. necnon privilegiis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini conceſſis, confirmatis, & ſępius innovatis. Quibus, illorum omnium tenores pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum pręſentium, quatenus obſtent, derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X Martii MDXXXII, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Bloſius.

1. *Alvianen.*) In *Umbria*,
2. *Archivo*.) In quo Autographum.
3. *Johanni*.) De quo ſæpius dictum fuit.

Anno 1532 Die 21 Martii.

De reformando Monaſterio Parmenſi (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Priori Provinciali (3) utriuſque Lombardię Ordinis Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum.

XCI.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ACcepimus, quod licet tu Monaſterium Monialium S. Dominici Parmen., Ordinis ejuſdem Sancti, quod inter cetera Civitatis Parmen. Monaſteria notabile, & inſigne exiſtit, & a Magiſtro Generali dicti Ordinis regi conſuevit, reformare, & ad veram vivendi normam reducere tentaveris, illius tamen Prioriſſa, & Moniales, te ad reformationem hujuſmodi, de eis faciendam admittere denegarunt, & denegant de pręſenti, in animarum ſuarum periculum, & ſuę Religionis contemptum. Nos igitur decorem caſtitatis, & obſervantiam Religionis in ſacratis Virginibus Deo florere, ut par eſt, cupientes, tibi in virtute ſanctę obedientię pręcipimus, & mandamus, ut onus hoc pium in caritate ſuſcipiens, ac ad dictum Monaſterium juxta morem tui Ordinis viſitandum, iterum te accingens, ipſum Monaſterium in capite, ac membris reformes, abducendas inde abducas, & alias ex reformatis Monaſteriis, introducas, prout tibi ſalubriter viſum fuerit expedire. Nos enim tibi, quęcunque de reformationem dicti Monaſterii tibi neceſſaria viſa faciendi, pręcipiendi, ordinandi, & exequendi, contradictoreſque per cenſuras eccleſiaſticas, & alia juris remedia, brachiique ſecularis invocationem cogendi, & compellendi, plenam, & omnimodam, auctoritate Apoſtolica, per pręſentes concedimus facultatem, mandantes Prioriſſę, & Monialibus Monaſterii hujuſmodi, ſub excommunicationis latę ſententię pęna, ipſo facto, ſi, & quoties contravenerint, incurrenda, ut tuis ſalubribus pręceptis, & ordinationibus, in hoc pareant, & obediant, dilecto autem filio Antonio de Sanctis, Provincię Ciſpadan. Vicelegato, in Civitate pręadicta commoranti, ut tibi in pręmiſſis opportunos favores impendat; non obſtantibus conſtitutionibus, & or-

& ordinationibus Apoſtolicis, dictique Monaſterii ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon privilegiis, & literis Apoſtolicis, Monaſterio, & Ordini pręfatis per Sedem Apoſtolicam etiam ſępius conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus, illorum tenores pro expreſſis, & totaliter inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, ſeu ſi Prioriſſę, & Monialibus prędictis, aut quibuſvis aliis ab eadem ſit Sede indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint, niſi per literas Apoſtolicas, facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXI Martii MDXXXII, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Parmen.*) In *Longobardia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononien.* *pag. 98*.
3. *Provinciali.*) Is erat *F. Angelus Faventinus*, ut videre eſt ex præcedentibus Conſtitutionibus, & ex *Serie Chronologica Provincialium, & Vicariorum Generalium Provinciæ utriuſque Lombardiæ &c.* Ipſam *Auguſtinus* noſter *Thomas Ricchini* vulgavit hoc anno *MDCCXXXII*.

Ut Conſentini (1) Fratres veniant in poſſeſſionem Monaſterii B. Mariæ, & SS. Ægidii, & Bernardi.

Anno 1532 Die 18 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus domus Sancti Dominici Cuſentin. Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis ſinceritas, in qua, ſub voluntaria paupertate militantes, in humilitatis ſpiritu devotum, & ſedulum impenditis Domino famulatum, & vitę regularis, ſub qua degitis honeſtas, promerentur, ut petitionibus veſtris, divini cultus augmentum, & Religionis propagationem, ac veſtram commoditatem, & corporum ſanitatem concernentibus, quantum cum Deo poſſumus, ſalubriter annuamus. Sane pro parte veſtra exhibita Nobis nuper, petitio continebat, quod cum alias dilecti filii Communitas Civitatis Cuſentin., conſiderantes, quod Monaſterium Monialium Beatę Marię, ac Sanctorum Ægidii, & Bernardi de Mezzo Cuſentin., Ciſtercien. Ordinis, cauſantibus bellorum turbinibus, & aliis ſiniſtris caſibus in ſuis ſtructuris pro majori parte diruptum, & collapſum, ac illius fructus, redditus, & proventus alteri Monaſterio etiam Monialium, de Virginibus nuncupato, etiam Cuſentin. ejuſdem Ciſtercien. Ordinis pro illius dote, & ędificiorum conſtructione, applicati exiſtebant, & in eodem dirupto Monaſterio aliquę Moniales non habitabant, nec habitare poterant, quodque in dicta Civitate, quę Metropolitanę Eccleſię honore decorata, ac inſignis, & ſatis ampla exiſtebat, domus veſtra Sancti Dominici, Ordinis Fratrum Prędicatorum, unica domus dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum exiſtebat, & Fratres in eadem domo in numero copioſo pro tempore degentes, ut plurimum, pręſertim ęſtivo tempore, ob aeris intemperiem, infirmabantur, ſummopere deſiderarent, ut inibi literarum ſtudiis, & divinis beneplacitis uberius, ac commodius vacare poſſitis, corporum veſtrorum ſanitati conſuli, ac propterea Eccleſiam dicti Monaſterii cum omnibus illius ſtructuris, vobis, & inibi unam domum pro uſu, & habitatione perpetuis, veſtrum, & aliorum Fratrum Prędicatorum conſtrui, & ędificari facere poſſetis, concedi, & aſſignari concederetur, & aſſignaretur, quantum in eis erat, conceſſiſſent, tunc Superiores dicti Monaſterii de Virginibus Eccleſiam dirupti Monaſterii cum illius ſtructuris, & ędificiis hujuſmodi, & unam poſſeſſionem Celſo, vel Siromorum nuncupatam, prope dictum diruptum Monaſterium, juxta ſuos confines, tunc expreſſos, exiſtentem, & ad ipſum diruptum Monaſterium legitime pertinentem, vobis cum onere, quod vos ſingulis hebdomadis tres Miſſas, quas Moniales dirupti Monaſterii hujuſmodi celebrari facere tenebantur, celebraretis, alioquin poſſeſſio ad dictum Monaſterium de Virginibus reverteretur, conceſſerunt, & aſſignarunt, & ſucceſſive dilecti filii noſtri Auguſtinus S. Adriani Diaconus Cardinalis dicti Ciſtercien. Ordinis in Romana Curia Protector, & Johannes Abbas Monaſterii Sanctorum Fabiani, & Sebaſtiani ad catecumbas prope, & extra muros Urbis, ejuſdem Ciſtercien. Ordinis, & omnium illius Monaſteriorum virorum, & Monialium partium Italię Generalis Procurator, conceſſionem, & aſſignationem prędictas, illarumque habita notitia, laudarunt, approbarunt, eiſque conſentiendo, auctoritates ſuas interpoſuerunt, prout in diverſis inſtrumentis, ſive literis, deſuper confectis, plenius dicitur contineri. Quare pro parte veſtrum, aſſerentium, fructus, redditus, & proventus dictę poſſeſſionis quinque ducatorum auri de Camera ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam dirupti Monaſterii cum illius ſtructuris, & ędificiis, necnon cum onere celebrandi, & reverſionis pęna, prędictam poſſeſſionem hujuſmodi vobis pro conſtructione unius domus pro veſtris, & aliorum Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum perpetuis uſu, & habitatione concedere, & aſſignare, & alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ut devotio veſtra eo ferventius invaleſcat, quo noveritis, vos amplius Apoſtolicę Sedis ubertate foveri, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Eccleſiam dirupti Monaſterii cum omnibus, & ſingulis illius ſtructuris, & ędificiis, necnon cum onere celebrandi, & reverſionis pęna, prędictam poſſeſſionem hujuſmodi vobis, ut inibi unam domum ſub invocatione Beatę Marię de Succurſu, cum cęmeterio, campanili humili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, & aliis officinis neceſſariis, pro uſu, & habitatione veſtris, & aliorum Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum conſtrui, & ędificari, ac Eccleſiam ipſam, ad inſtar Eccleſiarum aliarum domorum ipſius Ordinis Prędicatorum, reformari, & ędificari facere poſſitis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, & aſſignamus, ac eidem conſtruendę domui, necnon Priori, & Fratribus in

Diplomatis cauſa.

Facultas.

ea

eis pro tempore degentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, conceſſionibus, indulgentiis, & indultis, quibus alię domus ipſius Ordinis Prędicatorum, ac Prioriſſę, & Fratres in eis pro tempore degentes de jure, & conſuetudine, utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeatis auctoritate, & tenore prędictis de ſpeciali gratia indulgemus, jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII, qua cavetur, ne quivis Ordinis Mendicantium profeſſores nova loca ad inhabitandum accipere prędumant abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, necnon Clementis V, & Julii II, Romanorum Pontificum, Prędeceſſorum noſtrorum, ſuper Monaſteriis, & domibus aliorum Ordinum Mendicantium non conſtruendis editis conſtitutionibus, quibus, illarum veriores tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur prędentibus, pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe, derogamus, necnon dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, aſſignationis, indulti, & derogationis infringere &c. Si quis autem hoc attentare prędumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Secundo, Quarto Decimo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Conſentini.*) *In Calabria.* Vulgo Coſenza.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. III fol.* 266. Legitur etiam *Lib. B. fol.* 73 ex autographo *Conſentino*.

Anno 1532 Die 18 Aprilis.

Ut præcedens Conſtitutio executioni mandetur.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XCIII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Caſtelli Maris, & Ariminen. Epiſcopis, ac dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Cuſentin. in Spiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Clemens &c. Datum Romę apud S. Petrum &c. Quo circa &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam, dictę literę vobis prędentatę fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios, literas prędictas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando expedierit, ac quoties pro parte Prioris, & Fratrum Prędicatorum fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in prędmiſſis, efficacis defenſionis prędſidio aſſiſtentes, faciatis eos auctoritate noſtra, conceſſione, aſſignatione, & indulto prędictis, pacifice gaudere; non permittentes eos deſuper, contra earundem literarum tenorem, per quoſcunque quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus &c. aut ſi aliquibus &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominice Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Secundo, Quarto decimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. III fol.* 269.

Anno 1532 Die 24 Maii. XCIV.

Hoſpitale Leproſorum unitur Andreapolitano (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

REgimini Univerſalis Eccleſię, licet immeriti, diſponente Domino, prędſidentes, ea quę pro fidelium, prędſertim Religioſorum, ac aliorum locorum quorunlibet felici ſtatu, & ſubventione per locorum ordinarios provide geſta fuiſſe dicuntur, ut firma perpetuo, & illibata permaneant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus, aliaſque proviſiones congruas deſuper adhibemus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sane pro parte dilecti filii Johannis Greſon. (3), Ordinis

Diplomatis cauſa.

Fratrum Prędicatorum, & Theologię profeſſoris, Fratrum Ordinis hujuſmodi Provincię Regni Scotię ſecundum morem ejuſdem Ordinis Prioris Provincialis Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias, poſtquam in civitate Sancti Andreę pro Religionis propagatione, & Divini nominis exaltatione una Domus pro uſu, & habitatione dicti Ordinis piis venerabilis Fratris tunc Jacobi Archiepiſcopi totius dicti Regni Primatis, & Legati nati, ac forſan ſuorum Prędeceſſorum, ac aliorum elargitionibus forſan pro majori parte conſtructa, & ędificata fuerat, dictus Jacobus Archiepiſcopus ſingularem ad Ordinem prędictum in Regno prędicto ſalubriter reformatum, & uberes fructus in eodem Regno & agro dominico afferentem, gerens devotionis affectum, & exoptans, ut Fratribus dictę Domus, prędſertim Theologię ſtudio operam daturis, in eorum indigentiis, & opportunis commoditatibus, ſuccederet proviſio, Hoſpitale pauperum Leproſorum Sancti Nicolai prope, & extra muros dictę Civitatis, ad omnimodam ipſius Jacobi Archiepiſcopi diſpoſitionem pertinens, & cujus fructus, redditus, & proventus, & emolumenta in indebitos uſus convertebantur, cum omnibus illi annexis, ac illius terris, prędiis, fruc-

fructibus, redditibus, proventibus, & emolumentis, quibuſcunque eidem Domui, ita, quod ceden-
te, vel decedente tunc ipſius Hoſpitalis Rectore, liceret Priori, & Fratribus ipſius domus pro tempore
exiſtentibus, illorum corporalem poſſeſſionem, per ſe, vel alium, ſeu alios, propria auctoritate, libe-
re apprehendere, dilectorum filiorum Capituli Eccleſię S. Andreę, Ordinis S. Auguſtini, ad id tunc ex-
preſſo accedente conſenſu, ordinaria auctoritate primo, & deinde cum dilectus filius Georgius Martius,
tunc dicti Hoſpitalis Rector hujuſmodi unioni per certum ejus procuratorem ad id ab eo ſpecialiter conſti-
tutum, conſenſiſſet, denuo, ac demum ad id idem Georgius regimini, & adminiſtrationi ejuſdem Hoſpi-
talis, quod tunc regebat, in manibus ipſius Jacobi Archiepiſcopi ſimiliter per certum ſuum procurato-
rem, ad id ab eo ſpecialiter conſtitutum, extra Romanam Curiam ſponte, & libere ceſſiſſet, & idem Ja-
cobus Archiepiſcopus ceſſionem prędictam extra dictam Curiam dicta auctoritate admiſiſſet, Hoſpitale
ipſum per ceſſionem ipſius tunc vacans eidem domui de novo eadem auctoritate perpetuo univit, anne-
xuit, & incorporavit, ac Priori, & Fratribus in eadem domo pro tempore degentibus, ut pro eodem
Jacobo Archiepiſcopo, ut ſpeciali ipſius domus fundatore, ac prędeceſſoribus, & ſucceſſoribus ſuis Ar-
chiepiſcopis S. Andreę pro tempore exiſtentibus, Altiſſimum exorarent, conceſſit, & aſſignavit, ipſamque
domum cum illi annexis, ſub ſua, & ſuorum ſucceſſorum prędictorum protectione perpetuo ſuſcepit,
ac voluit, quod ipſi Prior, & Fratres, ex redditibus, & emolumentis dicti Hoſpitalis leproſis in eodem
Hoſpitali pro tempore degentibus, & per eoſdem Priorem, & Fratres admittendis, & recipiendis qua-
tuor bollas (4) farinę avenaticę, unum corpus bovis, quatuor bollas carbonum, unum modium ſalis,
& unum modium lentię, & viginti ſex ſolidos, & octo denarios pro vaſibus, ſingulis annis in perpetuum
ut a ſexaginta annis citra per ipſius Hoſpitalis rectores diſtribuebantur, dare, & diſtribuere, necnon ſin-
gulis diebus Dominicis per unum ex Fratribus dictę domus, vel alium ſecularem ſacerdotem unam Miſ-
ſam in Eccleſia ipſius Hoſpitalis pro ipſius Archiepiſcopi, & fundatorum ejuſdem Hoſpitalis animarum
ſalute, celebrare, necnon fabricam Hoſpitalis hujuſmodi, ſecundum quod Priores pro tempore exiſten-
tes fieri viderent, manutenere deberent, & tenerentur, prout in diverſis ipſius Archiepiſcopi deſuper
confectis literis dicitur plenius contineri, ac Prior, & Fratres ejuſdem domus unionis hujuſmodi vigore
poſſeſſionem dicti Hoſpitalis, ac illius bonorum aſſecuti fuerunt. Quare pro parte dicti Prioris, aſſeren-
tis fructus, redditus, & proventus dicti Hoſpitalis, & illi annexorum quinque librorum ſterlingorum
ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum,
ut unioni, annexioni, incorporationi hujuſmodi, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę
firmitatis adiicere, dictumque Hoſpitale eidem domui de novo perpetuo unire, annectere, & incorpo-
rare, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Confirmatio.
dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere ve-
rum annuum valorem ſecundum extimationem prędictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alio-
quin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet,
ac idem ſervari volumus in confirmationibus jam factarum, pręfatumque hujuſmodi Priorem a quibuſ-
vis &c. cenſentes, ac dictę domus, ac illi annexorum fructuum, redditum, & proventuum verum an-
nuum valorem pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, unionem, anne-
xionem, & incorporationem prędictas, ac prout illas concernunt, omnia, & ſingula in dictis literis con-
tenta, licita, & honeſta, auctoritate Apoſtolica approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuę firmi-
tatis robur adiicimus, ſupplentes omnes, & ſingulos juris, & facti defectus ſi qui forſan intervenerint
in eiſdem, & nihilominus pro potiori cautela Hoſpitale prędictum, ſive, ut pręmittitur, ſive alias quo-
vis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona vacet, etiam ſi diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervatum
exiſtat, & ſuper illo inter aliquos lis cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat in-
deciſa, dummodo tempore datarum pręſentium non ſit alicui jus quęſitum, cum illi annexis, fructibus,
redditibus, proventibus, emolumentis univerſis prędictę domui perpetuo, auctoritate noſtra, tenore-
que pręſentium unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat ipſius domus Priori, & Fratri-
bus pro tempore exiſtentibus per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem, Hoſpitalis, annexo-
rum terrarum, & prędiorum prędictorum propria auctoritate apprehendere, & perpetuo retinere, il-
liuſque fructus, redditus, & proventus, in ſuos, & Hoſpitalis prędicti uſus, & utilitatem convertere,
Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus priori volunta-
te noſtra prędicta, ac Lateranen. ſtatuto Concilii noviſſime celebrati, uniones perpetuas nonniſi in caſibus
a jure permiſſis fieri prohibente, necnon felicis recordationis Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri,
& aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper commiſſionibus ſibi fa-
ciendis in hujuſmodi, vel aliis &c. in illis partibus ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legato-
rum ejus literas impetraverint, etiam ſi per eaſdem ad inhibitionem, reformationem, & decretum,
vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus, & inde ſecuta quęcunque ad
dictum Hoſpitale volumus non extendi, ſed nullum quoad hoc eis quoad aſſecutionem aliorum Hoſ-
pitalium aliquod pręjudicium generari, & quibuslibet aliis indultis, privilegiis, indulgentiis, ge-
neralibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel tota-
liter non inſerta, effectus earum impediri valeret quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque
totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Proviſo quod propter
unionem, annexionem, incorporationem hujuſmodi Hoſpitale prędictum debitis non fraudetur obſequiis,
ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta &c. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi-
ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Nulli er-
go omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę unionis, annexionis, & incorporationis, voluntatis, &
decreti infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Do-
minicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Secundo, Nono Kalendas Junii, Pontificatus noſtri An-
no Nono.

1. *Andreapolitano.*) Vulgo *S. Andrevvs*, in *Scotia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXVIII fol. 99*.
3. *Johannis Greſon.*) Aliis *Griſſon*, ut apud *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDLXI pag. 187*.
4. *Bollas.*) Genus eſt menſuræ, de qua *Robertus III* Rex *Scotiæ* hæc habet in ſtatutis Cap. XXII: *Bolla debet continere ſextarium, videlicet XII lagenas, & debet eſſe in profunditate IX pollicum, cum ſpiſſitudine ligni utrinſque partis, & in rotunditate ſuperiore continebit LXXII pollices, in medio ligni ſuperioris, in rotunditate inferiore LXXI pollices*.

Anno 1532 Die 28 Maii.

Ut Fratres, & incolæ Montis Politiani B. Agnetem (1) cultu publico venerari poſſint.

XCV.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Univerſitati, & hominibus oppidi Montis Politiani nullius Dięceſis (3).

CLEMENS PP. VII

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Romanus Pontifex Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti Vicarius, ipſius Domini Electos, quos vitę puritas, & excellentia meritorum commendat, laudibus perſonare pręcipuis, & ſpiritualibus honoribus venerari diſponit, ut Chriſti fideles eos invocantes, ipſorum precibus, & meritis adjuti, regni cęleſtis participes facilius effici mereantur. Exponi ſiquidem Nobis nuper feciſtis, quod cum Beata, ut pie creditur, Agnes de Monte politiano, Monialis Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum, Supplex petitio. dum in humanis ageret, exemplari vita, odore bonę famę, & ſanctimonia plurimum claruerit, ac etiam nunc in Domo Ordinis eorundem Fratrum oppidi Montis Politiani nullius Dięceſis (3), in qua ſepulta exiſtit, cooperante Altiſſimo, quamplurimis fulgeat miraculis, & propterea cuperetis ad Divini nominis laudem, & gloriam, eandem Beatam Agnetem, ad quam ſingularem geritis devotionis affectum, licet inter ſanctos relata, & Canonizata (4) nondum exiſtat, colere, & venerari. Nos igitur, qui fideles Facultas. ſingulos ad devotionis actus libenter incitamus, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ut dictam Beatam Agnetem, licet canonizata non ſit, in Eccleſia Domus prędicti Ordinis, & aliis dicti oppidi Eccleſiis, & dicto Oppido tantum, privatim, & publice, ac ſolemniter, venerari, & colere, necnon de illa Officium proprium celebrare, & ſolemne Feſtum facere, libere, & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXVIII Maii MDXXXII, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Bloſius.

1. *Agnetem.*) Vide Notas ad Conſtitutionem *LVI Eugenii IV*. Legitur *pag. 42 Tomi III*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur etiam inter acta Canonizationis ejuſdem Sanctæ.
3. *Nullius Diœceſis.*) Nunc Sedes eſt Epiſcopalis.
4. *Canonizata.*) Ipſam in album Sanctorum retulit S. M. *Benedictus XIII*.

Anno 1532 Die 3 Junii.

Ut Parmen. (1) Monaſterium reformetur, & Provinciæ Lombardiæ juris ſit.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XCVI.

Dilecto filio Priori Provinciali utriuſque Lombardię Ordinis Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Accepimus, Prioriſſam, & Moniales Monaſterii Monialium S. Dominici Parmen. Ordinis Predicatorum, quod inter cetera civitatis Parmen. Monaſteria notabile, & inſigne exiſtit, licet reformatione indigere noſcatur, ſub pretextu, quod a ſolo Magiſtro Generali dicti Ordinis reformari debeat, ad reformationem de eis faciendam, te admittere denegaſſe, & denegare de pręſenti. Nos itaque attendentes, quod propter univerſalem curam, quam toti Ordini impendere cogitur, ipſe Magiſter Generalis non ita poteſt ſingulorum ſibi ſubditorum correctioni per ſe ipſum invigilare, & quod Magiſter dicti ordinis per ſuas Literas patentes ſubjecit dictum Monaſterium gubernationi tuę, & pro tempore exiſtenti Provinciali utriuſque Lombardię, ac cupientes, decorem caſtitatis, & obſervantiam Religionis in Sacratis Deo Virginibus noſtris potiſſime temporibus florere, tibi in virtute S. Obedientię pręcipimus, & Mandatum. mandamus, ut onus hoc pium in caritate ſuſcipiens, ac ad dictum Monaſterium juxta morem dicti Ordinis viſitandum iterum te accingens ipſum Monaſterium viſites, idque in capite, & membris, etiam de reformatis Monaſteriis, aliquas Moniales exemplaris, & probatę vitę aſſumendo, & in ipſum reformandum introducendo, prout tibi ſalubriter viſum fuerit expedire, auctoritate noſtra reformes. Nos enim tibi, & pro tempore exiſtenti iſtius Provincię Provinciali, prefatum Monaſterium, etiam per alios viſitandi, & reformandi, ac quęcunque ad reformationem dicti Monaſterii neceſſaria, juxta tamen ipſius Ordinis Re-

Regulam, & inſtitutionem faciendi, pręcipiendi, ordinandi, & executioni demandandi, ac contradictores quoslibet, & rebelles, per Cenſuras eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, brachiique ſecularis invocationem cogendi, & compellendi, plenam, & omnimodam, auctoritate Apoſtolica, per pręſentes concedimus facultatem; mandantes, pręfatis Prioriſſę, & Monialibus ſub excommunicationis latę ſententię pęna, ut te, & pro tempore exiſtentem dictę Provincię Provincialem, ad eas viſitandas, & reformandas admittant, dilecto autem filio Antonio de Sanctis, moderno, & pro tempore exiſtenti Provincię Lombardię Ciſpadan., in qua dictum Monaſterium exiſtit, Vicelegato in Civitate prędicta commoranti, ut tibi in pręmiſſis opportunos favores impendat. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictique Monaſterii ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, necnon privilegiis, & literis Apoſtolicis, Monaſterio, & Ordini pręfatis per Sedem Apoſtolicam, etiam ſępius conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, illorum tenores per eaſdem pręſentes pro expreſſis, & totaliter inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cęteriſque contrariis quibuſcunque, ſeu ſi Prioriſſę, & Monialibus prędictis, aut quibuſvis aliis, etiam communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo, ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & aliis indultis, etiam ſpecialibus, vel generalibus, etiam in corpore juris clauſis, cęteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die III Junii MDXXXII, Pontificatûs noſtri Anno Nono.

1. *Parmen.*) In *Longobardia*. Vide *Conſtit. XCI.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi pag. 97.*

S. Dominici, ac S. Petri Martyris Congregationes conſtituit (1).

Anno 1532 Die 10 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. VII.

XCVII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

Dudum ex certis cauſis, tunc expreſſis univerſorum Fratrum Conventualium nuncupatorum olim Provinciarum Sancti Dominici, & Sancti Petri Martyris Ordinis Prędicatorum per Nos extinctarum, in ea parte ſupplicationibus inclinati eos, & eorum ſingulos, illorumque Domos, Conventus, Collegia, loca, & utriuſque ſexus perſonas dictis Fratribus ante extinctionem prędictam ſubjecta, & ſubjectas, ab omni viſitatione, reformatione, caſtigatione, correctione, & ſuperioritate Provincialis utriuſque Lombardię Apoſtolica auctoritate per alias noſtras in forma brevis literas eximimus, & liberavimus, ac voluimus, eos, & ea per duos Vicarios cum plena Prioris Provincialis auctoritate, & facultate, a tunc Magiſtro Generali totius Ordinis hujuſmodi, ſive ejus Vicario ſibi ad Magiſtrorum, & Priorum Conventualium nuncupatorum congregatorum, petitionem duntaxat dandos, qui ab ipſo Provinciali utriuſque Lombardię pariformiter eſſent exempti, donec in Capitulo Generali tunc proxime celebrando, ſeu per tunc Magiſtrum Generalem aliter eſſet diſpoſitum, regi, & gubernari, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum Fratrum Conventualium nuncupatorum dictarum extinctarum Provinciarum, petitio continebat, in Capitulo Generali proxime celebrato ſuper pręmiſſis per idem Capitulum, aut per dilectum filium modernum Magiſtrum Generalem quidquam diſpoſitum non ſit; nec valeant ipſi Fratres Conventuales nuncupati, qui, ut aſſerunt, hactenus poſt dictarum literarum datam per Vicarios eis, ut pręfertur, datos, recti, & gubernati fuerunt, ſub obedientia dicti Provincialis utriuſque Lombardię cum eorum ſana conſcientia degere, & propterea Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eorum quieti, & tranquillo ſtatui paterne conſulere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, univerſis, & ſingulis dictarum extinctarum Provinciarum Fratribus Conventualibus nuncupatis pręſentibus, & futuris, ut Capitula, & Congregationes juxta morem dicti Ordinis celebrare, & in ipſis capitulis, ſive Congregationibus, videlicet Sancti Dominici unum, & Sancti Petri Martyris extinctarum Provinciarum Fratres Conventuales nuncupati, alterum, Vicarios, de biennio in biennium canonice eligere, & omnia, & ſingula alia agere, & diſponere, quę illi omnes ante extinctionem prędictam in ſimilibus Capitulis, ſive Congregationibus de jure, vel conſuetudine agere, & diſponere poterant, ipſique ſic electi Vicarii poſtquam a dicti Ordinis Magiſtro Generali, vel ejus Vicario confirmati fuerint, cum pari Prioris Provincialis auctoritate omnia, & ſingula Conventualium nuncupatorum Domos, Monaſteria, Conventus, loca, & utriuſque ſexus perſonas, olim pręfatis Fratribus Conventualibus nuncupatis ante extinctionem prędictam ſubjectos, & ſubjecta regere, & gubernare, ac eos, & ea juxta poſſibilitatem, & profeſſionem emiſſam, ac ejuſdem Ordinis conſuetudinem ad regularem vitam reducere debeant, quique interim Fratres Conventuales nuncupati, ac domus, monaſteria, Conventus, loca, & utriuſque ſexus perſonę hujuſmodi ab omni cura, viſitatione, ſubjectione, juriſdictione, auctoritate, gravamine, onere, & impoſitione Provincialis utriuſque Lombardię pro tempore exiſtentis, ipſius Ordinis Magiſtri Generalis, vel ejus Vicarii protectioni, curę, & obedientię ſubjecti, & ſubjecta ſint, & eſſe cenſeantur, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium concedimus, & indulgemus; diſtrictius inhibentes in virtute Sanctę Obedientię, & ſub majoris excommunicationis pęna prę-

Mandatum.

pręfato Provinciali utriuſque Lombardię, ne dictos Fratres Conventuales nuncupatos, vel utriuſque ſexus perſonas hujuſmodi inſuper moleſtare, ſeu perturbare, aut de eis, ſeu eorum domibus, Monaſteriis, Conventibus, Collegiis, vel locis directe, vel indirecte quovis quęſito colore ſe intromittere pręſumat: ac decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis etiam in forma Brevis contra conceſſionem, & indultum noſtrum hujuſmodi per Nos, & Apoſtolicam Sedem, nunc, & pro tempore conceſſis, ac pluries confirmatis, quibus, eorum tenores pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, quoad pręmiſſa ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim, cum primum Magiſter Generalis reductionem per Vicarios eligendos faciendam, ut pręfertur, duxerit confirmandam, ipſis Fratribus Conventualibus nuncupatis Provincialatus officium concedere harum ſerie intendimus, quod ſi non fecerint, Nos aliter in futurum diſponemus. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X Junii Anno MDXXXII Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Conſtituit.*) Conſulenda Conſtitutio *LXXXIV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum. Aliud aſſervatur in Archivo Cœnobii *SS. Johannis, & Pauli Venetiarum.*

Anno 1532 Die 14 Junii.

De Statutis pro Collegio Cordubenſi (1) condendis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCVIII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus S. Pauli Corduben. Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

LIterarum ſtudia ubique florere, illorumque directioni, ac felici ſtatui conſulere cupientes, votis &c. (3) opportunis. Sane pro parte veſtra, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum in Domo veſtra S. Pauli Corduben. Ordinis Fratrum Prędicatorum unum Collegium Scholarium pro duodecim Collegialibus Fratribus dicti Ordinis, qui inibi literis operam darent, inſtitutum, Apoſtolica auctoritate fuerit, ſi Provinciali Provincię Bęticę ſecundum morem ejuſdem Ordinis ſub cura (4) dictę Domus conſiſtere, ac dictę Domus Prioribus, & Collegii Regenti, facultas condendi Statuta, quibus Collegium, & Collegiales hujuſmodi regi, & gubernari deberent, concederetur, ex hoc profecto directioni, & felici ſtatui dicti Collegii plurimum conſuleretur. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut facultatem hujuſmodi concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur veſtrum quemlibet a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, Provinciali, ac Domus Prioribus, & Regenti hujuſmodi, ut ipſi, vel duo ex eis, quęcunque ſtatuta, & Ordinationes licita, & honeſta, ac ſacris canonibus non contraria, Collegium, ac Studium, & Collegiales hujuſmodi concernen., quomodolibet voluerint, auctoritate Apoſtolica condere, alterare, & mutare, ac quaſcunque pęnas in contraventionem apponere, aliaſque executioni debitę demandare, libere, & licite valeant, concedimus, & quod ſtatuta, & Ordinationes hujuſmodi, perpetuę firmitatis robur obtineant, & per Collegiales ipſos, ac alios quoſcunque in eis quomodolibet comprehenſos, inviolabiliter obſervari debeant, & ſic per quoſcunque, ubique judicari, cognoſci, & decidi debere, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, cognoſcendi, ac decidendi facultate, necnon irritum &c. attentari decernimus, non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & Domus, & Ordinis prędictorum &c. derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, conceſſionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Apoſtolorum ejus Petri, & Pauli, ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo ſecundo, Decimo octavo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Facultas.

1. *Corduben.*) In *Hiſpania.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CVIII fol. 58.*

3. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

4. *Sub cura.*) Legerem: *Sub cujus cura dicta domus conſiſtit.*

Anno 1532 Die 14 Junii.

Ne Moniales Nucerini (1) Monaſterii Decimas (2) ſolvant.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XCIX.

Dilecto filio Fabio (4) Arcellę electo Biſignanen. (5) Camerę Apoſtolicę in Regno Neapolitano (6) Generali Collectori.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

DUdum felicis recordationis Benedictus PP. XI, Predeceſſor noſter, tunc Prioriſſę, & Sororibus Monaſterii, per Prioriſſam gubernari ſoliti, Sanctę Annę de Nuceria Chriſtianorum, Ordinis S. Auguſtini ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, ut redditus, &

poſſeſ-

poſſeſſiones recipere, & libere retinere poſſent, ac ad prӕſtandum decimas de quibuſcunque poſſeſſionibus, & aliis omnibus bonis earundem Monaſterii, Prioriſſę, & Sororum, quę tunc habebant, ac in futurum juſtis modis acquirerent, vel ſubventionem quamcunque, aut ad exhibendum annuum redditum, ſive quartam mortuariorum, aut contribuendum in exactionibus, vel collectis, aut decimis, ſeu ſubſidiis aliquibus per literas Apoſtolicę Sedis, aut Legatorum ejus, vel ordinariorum, ſeu Nunciorum ipſorum, aut Rectorum terrarum, vel regionum impetratis, ſeu etiam impetrandis, minime tenerentur, nec ad id cogi poſſent, etiamſi in eiſdem literis, quod ad quęvis exempta, vel non exempta, loca, vel Monaſteria ſe extenderent, & aliquę cujuſcunque tenoris exiſterent, ipſius Sedis indulgentię eis non obſiſterent, niſi literę ipſę de indulto, & de Monaſterio hujuſmodi plenam, & expreſſam facerent mentionem, per quaſdam ſuas indulſit (7), & deinde quondam Petrus Tomacellus (8), qui in ſua obbedientia, de qua partes illę erant, Bonifatius nonus nominabatur, indultum prędictum gratum habens, illud per alias ſuas literas (9) confirmavit. Noſque poſtmodum literas, & indulta in eis contenta hujuſmodi, quatenus eſſent in uſu, per alias noſtras literas (10) approbavimus, confirmavimus, & innovavimus, ac perpetuę firmitatis robur obtinere debere, decrevimus, prout in ſingulis literis prędictis plenius continetur. Cum autem, ſicut Nobis nuper Prioriſſa, & Sorores dicti Monaſterii exponi fecerunt, tempore Pontificatus pię memorię Sixti Papę Quarti, etiam Prędeceſſoris noſtri, certo tunc Camerę Apoſtolicę in partibus illis decimarum Collectori, ut prętendebatur, quondam Dominicus factor, ſeu procurator dicti Monaſterii quartam duarum Decimarum tunc in eiſdem partibus impoſitarum, licet tunc Prioriſſa, & Monialibus ignorantibus, perſolverit, de quo in eiſdem literis, nulla mentio facta extitit, & propterea Prioriſſa, & Sorores prӕfatę dubitant, ſibi, quominus indulto literarum hujuſmodi uti poſſint, prӕjudicium generari, ſeque deſuper moleſtari poſſe tempore prędicto (11), Nos, attendentes, quod, prout Prioriſſa, & Moniales prędictę Nobis exponi fecerunt, licet poſt ſolutionem per Dominicum prędictum, ut prӕfertur, factam, pluries decimę ab Apoſtolica Sede in dicto Regno impoſitę fuerint, ac Prioriſſa, & Moniales dicti Monaſterii tunc exiſtentes a ſolutione decimarum hujuſmodi vigore prӕfati privilegii liberatę fuerunt, ne Prioriſſa, & Sorores prędictę dictarum literarum fruſtrentur effectu, providere, ipſaſque, & dictum Monaſterium ſpeciali gratia proſequi volentes, earum in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi in virtute ſanctę obedientię per prӕſentes committimus, & mandamus, ut ſi prӕmiſſa vera eſſe repereris, Prioriſſam, & Moniales prędictas contra tenorem privilegii prędicti nullo modo moleſtari, facias, prӕmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cӕteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XIV Junii MDXXXII, Pontificatus noſtri Anno Nono. Mandatum.

1. *Nucerini.*) De Monaſterio *Nucerino* dictum fuit in Notis ad Conſtitutiones de quibus in ſeqq. annotationibus.
2. *Decimas.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Nucerino.*
4. *Fabio.*) Conſulendus *Ughellus in Epiſcopis Biſinianen. Tomo I Italiӕ Sacrӕ pag. 523 editionis Venetӕ.*
5. *Biſignanen.*) *Biſinianen.*, in Calabria.
6. *In Regno Neapolitano.*) Ex eodem Regno oriundus erat *Fabius.*
7. *Indulſit.*) Conſtitutione XVII, quӕ legitur *Tomo II hujuſce Bullarii pag. 90.*
8. *Quondam Petrus Tomacellus.*) Nec ex verbis iſtis, vel ex Conſtitutione *LXXXVIII* licet inferre, *Clementem VII* in dubium revocaſſe ſeriem Summorum Pontificum in *Italia* ſedentium ab *Urbano VI* ad *Johannem* vulgo *XXIII*: Ut enim notat eruditus *Antonius Pagi in Breviario Romanorum Pontificum in Urbano VI num. IV*, Clemens, aſſumpto nomine *Septimi*, ſummo jure determinaſſe viſus eſt, ex albo Pontificum Romanorum expungendos *Robertum Gebennenſem*, & *Petrum de Luna.*
9. *Literas.*) Conſtitutionem ſcilicet CXV eodem Tomo II pag. 379.
10. *Literas.*) Conſtitutionem nempe LXXXVIII.
11. *Prӕdicto.*) *Precedente.*

Magiſtrum Generalem ad Ordinis viſitationem ſeſe accingentem variis privilegiis ornat (1).

Anno 1532 Die 21 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

C.

Dilecto filio Magiſtro Johanni (3) de Fenario Ordinis Fratrum Prędicatorum Generali Magiſtro, ac Theologię profeſſori.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum pro injuncto tibi munere Generalis Magiſterii Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſicut Nobis humiliter exponi feciſti, domos, & loca, ac Fratres ipſius Ordinis viſitare, & labentem ubique Religionem relevare, ac priſtino decori pro viribus reſtituere, Domino favente, ſtatueris, & ad id faciendum, non ſolum ad loca Italię, ſed etiam ultra montes, non ſine incommodo tuo, te transferre intendas, & ut id facilius ad effectum perducere valeas, benedictione noſtra muniri, humiliter ſupplicaveris, Nos, qui nihil ęque cupimus, quam ut amputatis vitiorum ſentibus, virtutum flores in univerſa Eccleſia, prӕſertim in Ordine Prędicatorum, quem ob uberes ejus fructus in vinea Domini paterna caritate diligimus, colligantur, inſtitutum hoc tuum, & viſitandi ſanctum propoſitum plurimum in Domino commendantes, Apoſtolicam tibi, & Noſtram Benedictionem elargimur, &, ut facilius dictam reformationem proſequi, & omnia, quę ad pacem, bonorum morum, & ſtudiorum promotionem conducunt, libere agere, & exequi valeas, utque in rebus agendis ſcrupulus tibi, aut obex opponi non poſſit, volumus, quod dum in Generalatus hujuſmodi officio manſeris, ſuper Romanam, & omnes ſingulas alias Diplomatis cauſa. Privilegia.

dicti

Digitized by Google

dicti Ordinis Provincias, tam ultra, quam citra montes, etiam Regnorum Hiſpaniæ, ac utriuſque Lom-
bardię, necnon Gallicanam, Francię, & Raguſinam, ac quaſcunque alias ejuſdem Ordinis Congregatio-
nes, necnon ipſarum Provinciarum, & Congregationum in Conventus, loca, domos, ac bona quęcun-
que, ac utriuſque ſexus perſonas, Fratres, ſive Sorores, etiam Tertii habitus B. Dominici, ad dictas
Provincias, ſeu Congregationes, ſeu aliter quomodocunque ad dictum Prędicatorum Ordinem perti-
nentes, ſeu quovis modo ejus curę commiſſas, cujuſcunque gradus, & conditionis exiſtant, tam in tem-
poralibus, quam in ſpiritualibus pleniſſima, & ea auctoritate, quam Magiſtri Generales dicti Ordinis
juxta ejuſdem Ordinis instituta, ſeu conſtitutiones, vel ex jure ordinario, ſive ex vi privilegiorum, aut
indultorum Sedis Apoſtolicę in dicto Ordine habent, & habere, vel fungi poſſunt in omnibus, & per om-
nia fungi poſſis. Quodque cum acciderit reformatio facienda alicujus, ſive aliquorum Conventuum
dicti Ordinis, etiam nulla pręcedente alia electione, quam tua, pro prima vice tantum cum Conventus
reformabuntur, Priorem, ſeu Priores ad id idoneos noſtra auctoritate inſtituere, in Provinciis vero,
quę tuę diſcretioni non ſatis reformatę videbuntur, cum fuerit Prioris Provincialis electio facienda, tres,
aut quatuor probatę vitę Fratres dicti Ordinis Electoribus, ex quibus aliquem pro ſuę Provincię refor-
matione eligant in Provincialem, proponere poſſis, quibus, ſi nullum ex iis, qui a te propoſiti fuerint,
eligere voluerint, illico caſſata eorum electione, virum aliquem probatę ſimiliter Religionis ex ejuſdem
Provincię gremio duntaxat, noſtra ſimiliter auctoritate in hujuſmodi Provincię legitimum Provincialem,
abſque alia electione dare, & inſtituere valeas, ſi vero in dictis reformandis Conventibus Fratres ali-
quos forſan inveneris, qui reformationi repugnent, ac recuſent vivere ſecundum regularia dicti Ordi-
nis inſtituta, eos, ſi incorrigibiles fuerint, habitu dicti Ordinis juxta conſtitutiones ipſius privare poſſis,
exemptos etiam quoſcunque dicti Ordinis Fratres, ſive Sorores etiam per literas Apoſtolicas, ſive ſub
Annulo Piſcatoris, aut ſub plumbo, vel per Pęnitentiariam, vel alias aliqua veſtris regularibus inſtitu-
tis quomodolibet derogantia, ſeu repugnantia continentes, etiam ſi in eis clauſula, de ſui ſuperioris li-
centia petita, & non obtenta, appoſita foret, ad hujuſmodi literas a Sede Apoſtolica ſub quacunque ver-
borum forma, etiam motu proprio emanatas, exhibendum cogere, &, ſi ipſas literas obreptitias, vel
ſubreptitias legitime procedendo repereris eas eadem auctoritate revocare, Fratreſque, ſeu Sorores, in
quorum favorem literę revocatę hujuſmodi emanaverint, ad domos eorum redire, ſeu reduci facere,
narratis vero in dictis literis noſtris veris, & a te comprobatis exiſtentibus, eos, vel eas ad portandum ha-
Nota. bitum a veſtro diſtinctum, ac diverſorum coloris, cęſurę, longitudinis, & figurę, ſub excommunica-
tionis majoris latę ſententię pęna, quam Nos ex nunc prout ex tunc, & contra, in eos, & eorum ſingu-
los, tanquam apoſtatas ab habitu, ſi contrafecerint, ferimus, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, au-
xilio brachii ſecularis, cogere, electionum etiam quarumcunque in dicto Ordine, dummodo tibi conſtet
de voluntate eligentium, omnes, & ſingulos defectus ſupplere, necnon ſuper permanentia Priorum,
tam Provincialium, quam Conventualium, ac Prioriſſarum Monaſterium etiam ultra biennium, vel
quadriennium aliqua rationabili, pręſertim ſervandę, vel augende vitę regularis, cauſa ſubſiſtente,
diſpenſare. Sorores dicti Ordinis curę quomodolibet commiſſas de Monaſterio in Monaſterium religioſe
tranſmittere, Conventus vero, & Monaſteria dicti Ordinis de una Provincia, ſeu Congregatione ad
aliam Provinciam, ſeu Congregationem juxta morem dicti Ordinis transferre poſſis, & valeas. Ut autem
ad novam reformationem, & divina munera ſuſcipienda Fratres, & Sorores prędicti paratiores invenian-
tur, Fratribus omnibus, ac Sororibus dicti Ordinis, etiam Tertii habitus B. Dominici, contritis, &
confeſſis, vel propoſitum ſtatutis temporibus confitendi habentibus, quando ipſis juxta morem dicti Or-
dinis in viſitatione generalem in forma Eccleſię conſueta abſolutionem feceris, plenariam omnium pecca-
torum ſuorum remiſſionem, & indulgentiam de benignitate Apoſtolica concedimus, & elargimur. Non
obſtantibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis conſtitutionibus, & ordinationibus, omnibuſque, ac ſingulis
gratiis, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, & indultis, eorumque confirmationibus, Apoſto-
licis quoque literis in forma Brevis quibuſcunque dicti Ordinis Provinciis, ſive Congregationibus, aut
eorum Conventibus, Domibus, pręſertim Provinciis utriuſque Lombardię, & Romanę dicti Ordinis,
etiam per Nos forſan ſub quibuſvis verborum clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus,
ac inſolitis, conceſſis, ac concedendis, ac in eiſdem deputatis, & deputandis conſervatoribus, etiamſi
de illis, eorumque totis tenoribus, non autem per clauſulas generales, etiam ſpecialem mentionem im-
portantes, ſed expreſſa, ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, ſeu quęvis alia mentio haben-
da eſſet. Quibus, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum harum duntaxat ſpecialiter, & ex-
preſſe derogamus, & nemini contra pręmiſſa ſuffragari volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque,
Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXI Junii MDXXXII, Pontificatus noſtri An-
no Nono.

1. *Ornat.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar.

3. *Johanni.*) De quo ſæpius dictum fuit.

Quid

Quid ex decimis (1) ſolvendum ſit a Fratribus, & Sororibus Romanæ Provinciæ.

Anno 1532 Die 30Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CI.

CLEMENS PP. VII.

Dilecti filii (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Priorum, & Fratrum, ac dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſarum, & Monialinm domorum, & Monaſteriornm Ordinis Prędicatorum Provinci, Romanę, ſub cura, & regimine Provincialis Romani exiſtentium, petitio continebat, quod cum eorum domus, & Monaſteria adeo ob agrorum ſterilitatem, bellorumque tumultus, ac alias malas temporum calamitates in eorum facultatibus diminutę exiſtant, ut vix earum fructus, redditus, & proventus pro Fratrum, & Monialium in illis pro tempore exiſtentium ſuppetant alimentis, ad ſolvendum decimas in ſubſidium Sedis Apoſtolicę impoſitas aſtringantur, neceſſe eſt, ut ſolitus Fratrum, & Monialium numerus in domibus, & Monaſteriis hujuſmodi in tantum diminuatur, quod non poſſint ibi divina officia, ut par eſt, recitari. Cum antem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ſi hujuſmodi decimę ad aliquam minorem ſummam reducerentur, & moderarentur, poſſet in domibus, & Monaſteriis bujuſmodi decens Fratrum, & Monialium numerus nutriri, pro eorundem Priorum, & Fratrum, ac Prioriſſarum, & Monialium parte Nobis fuit bumiliter ſupplicatum, ut in prěmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, volentes, ut par eſt, majorem cultus divini, quam ſubventionis neceſſitatum hujuſmodi ſanctę Sedis incumbentium, licet, & ipſę tales ſint, ut poſtponi non poſſint, rationem haberi, dictorum Priorum, Fratrum, & Prioriſſarum, ac Monialium in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis per pręſentes ſub indignationis noſtrę pęna committimus, & mandamus, quatenus cum hujuſmodi decimarum in poſterum ſolutio, qnomodocunque ingruerit, deductis prius ex ſingulis decimis ducatis ſeptem pro qualibet perſona in eiſdem domibus, & Monaſteriis pro tempore commorante, quos ſibi pro eorum neceſſitatibus omnino dimitti volumus, de eo ſolnm, quod ſupereſſe cognoveritis, juxta ſolitam taxam decimas prędictas exigere procuretis. Non obſtantibus quibuſvis literis ſuper decimarum hujuſmodi impoſitionibus, quibus, earum tenores, ac ſi de verbo ad verbum pręſentibus infererentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, ad effectum validitatis pręſentium harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod pręſentes, poſtquam vobis pręſentatę fuerint, pręſentanti, dimiſſa vobis copia, reſtituantur, quodque earundem pręſentium tranſumptis manu alicujus Notari publici ſubſcriptis, ſigilloque alicujus curię eccleſiaſticę, ſeu perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę eiſdem pręſentibus adhiberetur, ſi originaliter eſſent exhibitę, vel oſtenſę. Datum (4) Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die ultima Junii MDXXXII, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Mandatum.

Bloſius.

1. *Decimis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Peruſino*.
3. *Filii.*) Inſcriptio deeſt. Ex ipſo autem Diplomate, ſcriptum videtur *Decimarum Collectoribus*.
4. *Datum.*) Huc etiam ſpectat ſequens Diploma pro alia tamen Provincia datum.

Petrus miſeratione divina S. Mariæ in Coſmedin Diaconus Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus. Venerabilibus in Chriſto Patribus Epiſcopis, & dilectis in Chriſto Decanis, & Capitulis Zamorrenſi, & Salamantino, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUeruloſa Prioriſſæ, & Sororum Monaſterii Sancti Spiritus de Tauro Zamorenſis Diœceſis Ordinis S. Auguſtini ſecundum inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prædicatornm viventium inſinnatione Nobis facta, percepimus, quod licet ipſæ per Privilegia eis a Sede Apoſtolica conceſſa, a ſolutione impoſitionum, talliarum, & exactionum Regibus, & perſonis ſeenlaribus, necnon procurationum Legatis, & Nunciis Apoſtolicæ Sedis facienda, quibuſcunque, ſint, & eſſe conſueverunt exemptæ, liberæ, & immunes, tamen vos, ſeu nonnulli veſtrum quaſdam pecuniæ quantitates de pecuniis per nos primo ratione procurationum noſtrarum, & deinde per Sereniſſimum Principem Dominum Johannem Regem Caſtellæ, & Legionis Illuſtrem ratione expenſarum per eum in declaratione barum factarum, vobis Epiſcopis, & Capitulis; ac perſonis eccleſiaſticis Civitatum, & Diœceſum Zamorrenſis, & Salamantinæ ſucceſſive impoſitis, per eas ſolvendis taxaſtis, dimiſiſtis, & diſtribuiſtis, fuitque Nobis humiliter ſupplicatum pro parte Prioriſſæ, & Sororum prædictarum, ut providere eis ſuper hoc de opportuno remedio dignaremur. Quo circa vos omnes, & ſingulos ſupradictos tenore præſentium requirimns, & monemus primo, ſecundo, tertio, & peremptorie, vobiſque nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis in ſingulares perſonas vobis venerabilibus Patribus Epiſcopis Zamorrenſi, & Salamantino duntaxat exceptis, & ſuſpenſionis in Capitula, & interdicti in Eccleſias Zamorren., & Salamantinam pœnis, & ſententiis, quas ferimus in his ſcriptis, ſi non feceritis, quæ mandamus, diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus de præmiſſis per teſtes idoneos, & alias probationes legitimas, diligentius vos informetis, &, ſi per informationem repereritis dictas Prioriſſam, & Sorores in ſimilibus impoſitionibus, & exactionibus alias contribuere non conſueviſſe, eas ſuper ſolutione dictarum pecuniarum per nos, & dictum Dominum Regem, ut præfertur, impoſitarum, nullatenus de cetero immutetis, turbetis, ſeu moleſtetis, quin immo ipſas Deo in pace famulari permittentes, taxationem, & diſtributionem quamcunque de dictis pecuniis per vos eis factam in irritum revocetis, & ipſis per vos, vel alterum veſtrum, quibus infraſcripta faciendi tenore præſentium poteſtatem concedimus, de abſolutionis beneficio ab

ex-

excommunicationis ſententia, ſi quam ob non ſolutionem dictarum pecuniarum eis per vos, ut præmittitur, taxatarum, & diſtributarum forſitan incurrerunt, pręvieque ſuſpenſionis, & interdicti ſententias circa ipſas, ac ipſarum Monaſterium, & Eccleſiam, ſi indigent, relaxetis, niſi cauſam rationabilem allegare volueritis, quare præmiſſa fieri non debeant, ad quam allegandam coram Nobis decimam diem poſt publicationem præſentium vobis factam immediate ſequentem vobis, & cuilibet veſtrum aſſignamus. Mandantes univerſis, & ſingulis Archipresbyteris, Presbyteris, Clericis, Notariis, & Tabellionibus publicis per Civitates, & Diœceſes Zamorrenſem, & Salamantinam, ac alias ubilibet conſtitutis, ſub pœnis, & ſententiis ſupradictis, quatenus ipſi, vel eorum alter, qui ſuper hoc fuerint requiſiti, aut fuerit requiſitus, ita quod in iis exequendis alter eorum alterum non ſpectet, nec unus pro alio ſe excuſet, quatenus premiſſa omnia, & ſingula vobis univerſis, & ſingulis in Eccleſia Zamorrenſi, & Salamantina, aut aliis locis publicis, ubi ad veſtram notitiam veriſimiliter pervenire potuerint, publicent, & intiment, & fideliter publicare, ac ſuper omnibus, & ſingulis per literas ipſorum qui præmiſſa fuerint executi, eorum ſigillis munitas, ac inſtrumentum publicum harum ſeriem, aut deſignationem in ſe continentes, remiſſis præſentibus nos certificare procurent. Datum Abulæ 8 Idus Januarii, Pontificatus Domini noſtri Domini Clementis Papæ VII Anno Quarto.

Anno 1532 Die 11 Julii.

Ex una Provincia S. Crucis, duas, S. Crucis ſcilicet, & S. Jacobi Provincias conſtituit (1).

CII.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. VII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. PAſtoralis officii, Nobis, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione commiſſi, debitum ſalubriter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, quę Religionem, & illius propagationem, & manutentionem, necnon ejus profeſſorum commoditatem decent, libenter ſtatuimus, & ad id ejuſdem officii partes interponimus, prout rationabiles cauſę ſuadent, & id conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Magiſtri Generalis (3) Ordinis Fratrum Pręedicatorum, petitio continebat, quod, cum Provincia Sanctę Crucis (4) juxta morem ejuſdem Ordinis in Hiſpaniola (5), & aliis Oceani maris Inſulis, & Terra firma, ſeu nova Hiſpania nuncupatis a duobus annis citra erecta, & Apoſtolica auctoritate confirmata, propter Inſularum earundem a dicta nova Hiſpania notabilem diſtantiam, & Fratrum dicti Ordinis in ea augmentum per unum Priorem Provincialem commode viſitari nequeat, eandem Provinciam in duas Provincias dividere, & unam ſub Sanctę Crucis, aliam vero ſub Sancti Jacobi (6) invocationibus per duos Priores Provinciales (7) regendas, & gubernandas, erigere, & inſtituere intendit, modo ad id noſtra, & Sedis Apoſtolicę auctoritas accedat. Quare pro parte dicti Magiſtri Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut auctoritatem noſtram circa dicta interponere, ac alias

Mandatum. in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, attendentes plures miniſtros facilius plurium ſubditorum curam habere poſſe, ipſoſque ſubditos ſecurius ſub diverſis paſtoribus degere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati dictam Provinciam Sanctę Crucis in duas ipſius Ordinis Provincias, quarum una Sanctę Crucis, ut prius, alia vero in nova Hiſpania Sancti Jacobi Provincia nuncupetur, & quę ab intermedio mari ſeparantur dividimus, & ſeparamus, ac quod Prior Provincialis ipſius Provincię Sancti Jacobi per ſingulos vocales Domus (8) Sancti Dominici de Mexico, & unum ex ſingulis aliis Domibus Ordinis, & Provincię Sancti Jacobi hujuſmodi ab aliis illarum Fratribus deputandum Fratres, donec in ipſa Provincia Sancti Jacobi ſeptem Domus dicti Ordinis, Ordinarios Priores habentes, quas eo ipſo quod inibi ſeptem Fratres aſſignati reſederint, eſſe, & intelligi debere, decernimus, fuerint: Et deinde juxta Conſtitutionum ipſius Ordinis tenorem eligi, & per definitorium Capituli caſſari, aut confirmari, ad Officium ipſum acceptandum cenſuris eccleſiaſticis compelli poſſit: & ſi contingat definitorium in partes ęquales dividi tunc eligatur ab eiſdem definitoribus unus alius Religioſus de dicta Provincia, & ea pars definitorii, cui talis electus adhęſerit, Provincialem caſſet, aut confirmet, prout videbitur expedire, quodque Domos, vel nova loca in dictis partibus, donec ibidem Septem Domus, ut pręfertur, conſtitutę fuerint, acceptare, ac omnia, & ſingula alia, quę alii Priores Provinciales dicti Ordinis in eorum Provinciis facere, & exercere poſſunt, necnon omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, pręeminentiis, gratiis, favoribus, & indultis, quibus ipſi Priores de jure, conſuetudine, privilegio, ac aliis quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaude ſe libere, & licite valeat, ipſiuſque Provincialis non ultra quatuor, & aliorum Priorum Conventualium ejuſdem Provincię Officia, non ultra tres annos durare poſſint, nec ad idem Officium reſpective immediate reeligi valeant, auctoritate, & tenore prẹmiſſis ſtatuimus, & ordinamus; necnon S. Crucis, & S. Jacobi Provinciarum earundem Prioribus, & Fratribus, ut ad Capitulum Generale ipſius Ordinis alternatis vicibus tranſmittere, & deſtinare, & ad obſervationem Ordinationum inibi pro tempore editarum, poſtquam eis plene intimatę fuerint duntaxat, teneantur, nec ad id aliter cogi, ſeu compelli, aut propterea aliquas Cenſuras, ſeu pęnas incurrere poſſint, indulgemus. Mandantes venerabili Fratri Epiſcopo Marrochitano (9), & dilectis filiis Priori Eccleſię Iſpalen. (10), ac Officiali Iſpalen., ut ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quatenus pro tempore (11) exiſtentis Provincialis Prioris dictę Provincię Sancti Jacobi fuerint requiſiti, ſolemniter pu-

publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, literas prędictas inviolabiliter obſervari, non permittentes eos, quos literę ipſę concernunt, contra illarum tenorem indebite moleſtari. Contradictores, moleſtatores quoslibet, & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus cenſuras ipſas, quoties opus fuerit, aggravando, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, ne quivis mendicantium Ordinis Fratres nova loca ad habitandum acquirere, ſeu acquiſita mutare pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, & de una, ac Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate pręſentium non trahatur, ac quibuſvis aliis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Ordinis, & Provincię Sanctę Crucis eorundem juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, Ordini, & Provincię Sancti Jacobi pręfatis, eorumque ſuperioribus, & perſonis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, etiam in forma Brevis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, eorum tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum (12) Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XI Julii MDXXXII, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Conſtituit.*) Conſulendus *Fontana* in libro cui titulus: *Conſtitutiones &c. Parte II Tit. XXVI pag. 203. &c.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *Magiſtri Generalis.*) Is erat *Johannes de Fenario.*
4. *Provincia S. Crucis.*) De qua Capitulum Generale *Romæ* celebratum anno *MDXXX* hæc habet Acceptatione VIII. *Acceptamus Conventus novos jam conſtructos & in poſterum conſtituendos in Inſulis occidentalibus repertis ab anno Domini MCCCCXCII, & in nova Hiſpania & terra firma noviter inventa pro Provincia ſub nomine S. Crucis, declarantes hujuſmodi Conventus eſſe ſeparatos a Provincia Bætica, & poſſe eligere Provincialem &c.*
5. *Hiſpaniola.*) Sic vocant Inſulam *S. Dominici*, vulgo *S. Domingo*, in *America*.
6. *S. Jacobi.*) Provincias ſcilicet *S. Crucis Indiarum*, & *S. Jacobi de Mexico*. De iſta loquitur *Fontana* mox laudatus *Tit. XXVIII pag. 217 &c.*
7. *Provinciales.*) Provinciæ *S. Crucis* præfectus fuerat *F. Thomas de Berlanga.*
8. *Domus.*) In Metropoli Regni *Mexicani*.
9. *Marrochitano.*) In *Africa*.
10. *Iſpalen.*) *Hiſpalen.*, in *Hiſpania Bætica*.
11. *Pro tempore.*) *Pro parte pro tempore exiſtentis.*
12. *Datum.*) Huc etiam ſpectat ſequens Diploma.

Antonius Miſeratione Divina tituli SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis; dilecto in Chriſto moderno Priori Provinciali Provinciæ S. Crucis nuncupatę ſecundum morem Fratrum Prædicatorum Salutem in Domino.

OBlatæ Nobis nuper pro parte tua petitionis ſeries continebat; quod licet de antiqua, & approbata conſuetudine Domus Ordinis Fratrum Prædicatorum in partibus Inſularum Fortunatarum nuncupatarum conſiſtentes, & illarum Fratres, per Vicarium Provincialem pro tempore exiſtentem Provinciæ Bæticæ, regi, & gubernari conſueverunt; nihilominus dilectus Nobis in Chriſto venerabilis Religioſus Johannes de Fenario, Theologiæ profeſſor, ac dicti Ordinis Generalis Magiſter in Capitulo Generali Fratrum dicti Ordinis nuper in Alma Urbe celebrato, de conſilio Reverendi in Chriſto Patris Garſiæ, Tituli S. Suſannæ S. R. E. Presbyteri Cardinalis, Seguntin., ac Hiſpaniæ, & Aragoniæ Provinciarum, Priorum Provincialium, & Diffinitorum ejuſdem Ordinis, omnes, & ſingulas Domos Fratrum Prædicatorum in eiſdem Inſulis Fortunatis conſiſtentes, de Provincia Bæticæ ad Provinciam S. Crucis ejuſdem Ordinis, cum omnibus ad eas pertinentibus ſuæque curæ quomodocunque commiſſis, tranſtulit, ſive transferri mandavit, & decrevit, dummodo Bæticæ, & S. Crucis Provinciarum hujuſmodi Provincialium, & majoris partis Fratrum Domorum, quæ transferuntur, ad id expreſſus accederet aſſenſus, & inſuper talem tibi in dictis Domibus, qualem in aliis tuæ Provinciæ Domibus, Priores Provinciales in dicto Ordine habere conſueverunt, auctoritatem conceſſit per ſuas patentes literas, ſigillo ſui officii munitas, prout in illis plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem ſubjungebat petitio, cupias, translationem, & conceſſionem prædictas, pro illarum ſubſiſtentia firmiori Apoſtolicæ confirmationis munimine roborari, ſupplicari feciſti humiliter, tibi ſuper his per Sedem eandem, de opportuno remedio, miſericorditer provideri. Nos igitur, attendentes, quod propter temporum variationem expedit interdum, quod Statuta quoque mutentur humana, dictarum literarum tenores, præſentibus pro expreſſis habentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato, ſuper hoc vivæ vocis oraculo Nobis facto, translationem, & conceſſionem prædictas, ac prout eas concernunt, omnia, & ſingula in dictis literis contenta, licita tamen, & honeſta, ac juri canonico non contraria, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, omneſque, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan in premiſſis intervenerunt, veris exiſtentibus præmiſſis, ſupplemus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ordinis, & Provinciarum prædictarum ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub ſigillo Officii Pœnitentiariæ Quinto decimo Kalendas Auguſti, Pontificatus D. Clementis PP. VII Anno Nono.

Julius Cardellus.

Anno 1532
Die 12 Auguſti.

Bona (1) Pœnitentiariorum Baſilicæ S. Petri, aliorumque nonnullorum Fratrum attribuit Conventui S. Mariæ ſupra Minervam de Urbe.

CIII.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLEMENS PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa. — Nota. — Mandatum. — Nota.

LIcet dubium non ſit, ea, quę per Religioſos paupertatem profitentes acquiruntur, poſt emiſſam profeſſionem, Monaſteriis, ſeu Domibus, in quibus profeſſio emittitur, aut Religioni, quam profitentur, etiam ſi ipſi Religioſi, extra eorum Religionem, ſeu ordinem Apoſtatando vagentur (3), quia tamen ad notitiam noſtram devenit, nonnullos Ordinis Prędicatorum profeſſores, ſub prętextu Officii minoris Pęnitentiarii in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, alios ſub prętextu exercitii curę animarum, in aliqua parochiali Eccleſia, ſeu divini ſervitii in aliqua Capella prędicti, acquiſita, non ad Domum, in qua profeſſionem emiſerunt, vel Ordinem, quem profeſſi ſunt, ſpectare, ſed de eis, tanquam de proprio peculio, etiam in ultimis voluntatibus diſponere poſſe; Nos abuſum bujuſmodi, ac vagandi materiam tollere, ac aliis inconvenientibus, quę facile inde provenire poſſunt, occurrere, ac dilectorum filiorum Prioris pro tempore exiſtentis, & Fratrum Domus B. Marię ſuper Minervam de Urbe, quos tum ob numerum Religioſorum, qui ibi, pręſertim ratione ſtudii, ſunt, tum ut divinus cultus, ut par eſt, ibi exercere, poſſint, multas expenſas ſubire, & redditus eorum, etiam eleemoſynis conſideratis, ad hęc, non ſufficere, novimus, neceſſitatibus ſubvenire volentes, ipſis Priore, & Fratribus, ut bona quęcunque per Fratres dicti Ordinis poſt profeſſionem per eos emiſſam acquiſita in Urbe, aut locis, ultra unam dietam ab ipſa diſtantibus exiſtentia, modo dicti Fratres in Urbe, aut locis prędictis, abſque eo quod, ibi, pro dicti Ordinis negotiis moram traberent, obierint, etiamſi ipſi Fratres, de eis in ultima eorum voluntate, abſque Sedis Apoſtolicę licentia, diſpoſuerint, capere, & in ſuos, ac Studentium in dicta Domo, ac pro Divini cultus in Eccleſia pręfata B. Marię celebratione convertere, libere, & licite poſſint, & valeant, plenam, & liberam per preſentes concedimus facultatem, ac poteſtatem. Mandantes, dilectis filiis modernis, & pro tempore exiſtenti Curię Cauſarum Camerę Apoſtolicę Generali Auditori, & dictę Urbis Vicario, quatenus dd. Prioribus, & Fratribus in pręmiſſis efficacis auxilii pręſidio aſſiſtentes, faciant eos conceſſione noſtra hujuſmodi, pacifice frui, & gaudere. Non permittentes per quoſcunque cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, prętextu officii Pęnitentiarii hujuſmodi, aut familiaritatis cujuſvis, etiam S. R. E. Cardinalis, vel alias, quomodolibet moleſtari, aut impediri. Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, etiam Collegio Penitentiariorum, conceſſis; quibus ad effectum pręſentium derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XII Auguſti MDXXXII, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Bona.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *Vagentur.*) Adde: *Spectare*.

Anno 1532
Die 8 Septembris.

Ratum habet, & firmat Collegium conſtitutum in Cœnobio S. Jacobi de Pallas (1):

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CIV.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. — Diplomatis cauſa.

SUperna diſpoſitione, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in Apoſtolicę dignitatis apice ſublimati, ad ea, per quę religioſę perſonę quęlibet, ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantes, profugatis ignorantię tenebris, ſcientiam, margaritam, & theſaurum immarceſcibilem ſibi acquirere, & alios Chriſti fideles quomodo in via mandatorum, & domo Domini converſari debeant, informare poſſint, noſtrę circunſpectionis intuitum, libenter convertimus, & quę propterea provide facta dicuntur, ut illibata perſiſtant, Apoſtolico munimine roboramus, ac alias ad hoc officii noſtri partes favorabiliter impertimur, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus S. Jacobi de Pallas Ordinis Fratrum Prędicatorum, Urgellen. (3) Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias ipſi, provide attendentes, quod ad prędicationem verbi Dei incolis, & habitatoribus, ac perſonis utriuſque ſexus partim illarum, qui humani generis hoſtis ſuggeſtionibus ſeducti variis erroribus, orthodoxę fidei repugnantibus, impliciti exiſtebant, plurimum expediebat, inibi veros Religioſos ſacrarum literarum profeſſores, quorum doctrina, & exemplo, ipſi incolę, & habitatores, ac perſonę ad veritatem cognoſcendam propius, invitarentur proficue, illiſque pro ſuis uſu, & habitatione locum ſtudioſum, ab omni perturbatione ſemotum aſſignare, quę habita deſuper inter eos matura deliberatione, & communicato tractatu, necnon de conſilio, & aſſenſu tunc Magiſtri Provincialis Provincię Aragonię ſecundum morem ejuſdem Ordinis, infra cujus limites domus ipſa conſiſtit, inibi unum Collegium ſcholarium, Scholam Chriſti (4) nuncupatum, pro uſu, & habitatione nonnullorum ipſius Ordinis Fratrum ſacris literis incumbentium, ſub cer-

certis modo, & forma tunc expreſſis, erexerunt, & fundarunt, ac pro illius erectione, & manutentione, necnon ſcholarium inibi introducendorum inſtructione nonnullas inſtitutis regularibus dicti Ordinis conformes conſtitutiones, & ordinationes per eoſdem ſcholares, ſub excommunicationis, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pęnis eccleſiaſticis inviolabiliter obſervandas ſtatuerunt, & ordinarunt, ac dilecti filius Johannes de Fenario (5) Magiſter Generalis, & Definitores, ac alii Fratres dicti Ordinis in illius Capitulo (6) Generali, nuper in Alma Urbe celebrato capitulariter congregati, & de pręmiſſis informati, erectionem, fundationem, ſtatuta, & ordinationem hujuſmodi confirmarunt, & approbarunt, ut in eorum patentibus deſuper confectis literis, plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, fructus, redditus, & proventus ipſius Collegii pro ſcholarium inibi reſidentium ſuſtentatione, nullatenus ſufficiant, & ſi inibi una Confraternitas utriuſque ſexus Chriſti fidelium, quorum ſuffragiis ipſi ſcholares in eorum ſuſtentatione relevari poſſent, perpetuo erigeretur, & inſtitueretur, profecto, tam Chriſti fidelium animarum ſaluti, quam ſcholarium eorundem commoditatibus, plurimum conſuleretur. Quare pro parte Prioris, & Fratrum eorundem Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut erectioni, & fundationi prędictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, necnon in dicto Collegio, unam Confraternitatem aliquorum Chriſti fidelium ſub invocatione ejuſdem ſcholę Chriſti, erigere, & inſtituere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, quorum intereſt, quę ad ſalutem animarum Chriſti fidelium pertinent, favore proſequi benevolo, Priorem, & Fratres pręfatos, ac eorum quemlibet a quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fundationem, & erectionem prędictas, ac prout illas concernunt, omnia, & ſingula in dictis literis contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, necnon omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, ac in dicto Collegio, unam Confraternitatem utriuſque ſexus Chriſti fidelium ſub dicta invocatione, ſine alicujus prejudicio, auctoritate, & tenore pręmiſſis erigimus, & inſtituimus. Et ut ipſi Chriſti fideles ad ingrediendum eandem Confraternitatem, eo facilius inducantur, quo ex hoc ſuarum ſe ſperaverint ſalutem animarum adepturos, eiſdem Priori, & Fratribus, ut quod omnes, & ſinguli Confratres dictę Confraternitatis pro tempore exiſtentes aliquem Presbyterum idoneum ſecularem, vel cujuſvis Ordinis regularem in eorum poſſint eligere Confeſſorem, qui vita eis comite, in caſibus Apoſtolicę Sedis reſervatis, pręterquam contentis in literis die Cęnę Domini legi conſuetis, ac offenſę eccleſiaſticę libertatis, criminum hęreſis, rebellionis, aut conſpirationis in perſonam, vel ſtatum Romani Pontificis, ſeu Sedis prędictę, falſitatis literarum Apoſtolicarum, ſupplicationum, & commiſſionum, invaſionis, deprędationis, occupationis, aut devaſtationis terrarum, & maris Romanę Eccleſię, mediate, vel immediate ſubjectorum, offenſę perſonalis in Epiſcopum, vel alium Pręlatum, prohibitionis devolutionis cauſarum ad Romanam Curiam, delationis armorum, & aliorum prohibitorum, ſemel duntaxat in vita, in aliis vero quoties fuerit opportunum, confeſſionibus eorum diligenter auditis, pro commiſſis eis, debitam abſolutionem impendat, ac injungat pęnitentiam ſalutarem. Quodque Confeſſor, quem quilibet ipſorum, duxerit eligendum, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, etiam ſemel in vita, & mortis articulo, plenariam remiſſionem eis in ſinceritate fidei, unitate Romanę Eccleſię, ac obedientia, & devotione noſtra, & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, perſiſtente dicta auctoritate Apoſtolica concedere poſſit, ſic tamen, quod idem Confeſſor, de eis, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda eam ipſis per eos, ſi ſupervixerint, vel per alios, ſi forte tunc tranſierint, faciendam injungat, quam ipſi Confratres, vel illi facere teneantur, liceatque eis habere Altare portabile cum debitis reverentia, & honore, ſuper quo in locis ad hoc congruentibus, & honeſtis, etiam non ſacris in eorum, ac familiarium ſuorum domeſticorum pręſentia, per ſe ipſos, qui Presbyteri fuerint, aut proprios, vel alios ſacerdotes idoneos, Miſſas, & alia divina officia celebrare, ſeu celebrari facere poſſint. Quodque ſingulis Quadrageſimalibus, & aliis anni temporibus, & diebus Stationum Baſilicarum, & Eccleſiarum Almę Urbis, & extra illius muros, Eccleſiam dicti Collegii devote viſitando, omnes, & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones, quas conſequerentur, & conſequi poſſent, ſi eiſdem temporibus, & diebus Baſilicas Eccleſias Almę Urbis, & extra muros hujuſmodi, formaliter viſitarent, ac omnia, & ſingula alia, pro indulgentiis hujuſmodi conſequendis, quomodolibet requiruntur, adimplerent, ac ſinguli Chriſti fideles, qui pro Prioris, Fratrum, & Scholarium eorundem ſuſtentatione, aliquam honeſtam eleemoſynam, Prioris, & Fratrum eorundem arbitrio, prout in ſimilibus Confraternitatibus fieri conſuevit, ordinatam, pie erogaverint, ſingulis annis, peccata ſua confitendo infra Quadrageſimam, & octavas Reſurrectionis Domini incluſive, prout maluerint, Sacramentum Euchariſtię recipere libere, & licite valeant. Qui vero in eorum teſtamentis, aut alias eidem Collegio, aliquod legatum fecerint, etiam Presbyteros, idoneos, ſeculares, & regulares in ſuos poſſint eligere confeſſores, qui illos in mortis ſuę articulo, etiamſi mors tunc non ſubſequatur, ab omnibus, & ſingulis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, & promulgatis, quibus quomodolibet irretiti fuerint, ac eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, plenariam abſolutionem, & remiſſionem impendere, & ſi eos, tempore interdicti, etiam Apoſtolica auctoritate appoſiti, ab humanis decedere contingat, dummodo cauſam non dederint hujuſmodi interdicto, nec per eos ſteterit, quominus in eis, propter quę illud appoſitum fuerit, paritio fiat, eorum corpora, cum modica funerali pompa, eccleſiaſticę ſepulturę tradi poſſint, ac Confratres, & alii Chriſti fideles, omnibus, & ſingulis honoribus, pręeminentiis, gratiis, pręrogativis, & indulgentiis S. Catherinę, & S. Crucis Barchinon. (7) Hoſpitalibus, ac Confraternitatibus in illis inſtitutis, illorumque Confratribus, officialibus, & perſonis, necnon Prior, & Fratres, ac ſcholares pręfati eiſdem, ac etiam omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, prerogativis, immunitatibus, conceſſionibus, & gratiis aliis domibus, & Collegiis in Perpignan. (8), Elnen. (9), Dięc., & Ilerden. (10), ac quibuſvis aliis univerſitatibus ſtudiorum generalium, ac ubique locorum exiſ-

Confirmatio.

exiſtentibus, illorumque Prioribus, Fratribus, & ſcholaribus in genere conceſſis, & quibus utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum pariformiter, & abſque ulla differentia uti, potiri, & gaudere, ac Prior, & Fratres pręfati de ordinariorum locorum, & Dominorum temporalium, & aliorum, quorum intereſt, licentia, quoſcunque ordinarios (11), ſeu officiales ad eleemoſynas nomine dicti Collegii petendum, ponere, & amovere, libere, & licite valeant, indulgemus, & inſuper de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui eiſdem vacinariis, ſeu officialibus, pro Collegio, manus adjutrices porrexerint, quoties id fecerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus, ac prędictas indulgentias, ſub quibuſvis revocationibus, & ſuſpenſionibut ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum, aut aliis diſpoſitionibus per Sedem ipſam, etiam pro expeditione contra infideles, vel fabrica Baſilicę Principis Apoſtolorum de Urbe pro tempore factis, nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illę emanabunt, toties in priſtinum, debitum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie redintegratas eſſe decernimus. Quocirca venerabilibus Fratribus noſtris Caſtelli Maris (12), & Urgellen. Epiſcopis, ac dilecto filio Abbati Monaſterii de A..... dictę Dięceſis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Prioris, & Fratrum eorundem fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis, efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, eaſdem pręſentes inviolabiliter obſervari, non permittentes eos, quos ipſę pręſentes concernunt, deſuper quomodolibet indebite moleſtari, contradictores, moleſtatores quoslibet, & rebelles, per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia appellatione poſtpoſita, compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis, ſervatis proceſſibus, cenſuras ipſas, quoties opus fuerit aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus quibuſcunque contrariis, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Et, ne, quod abſit, Confratres, aut alii fideles pręfati propter hujuſmodi indulgentias eligendi Confeſſorem, reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod ſi a ſinceritate fidei, unitate ejuſdem Romanę Eccleſię, ac obedientia, & devotione noſtra, & ſucceſſorum noſtrorum canonice intrantium, hujnſmodi deſiſterent, aut ex confidentia, ejuſdem conceſſionis, vel remiſſionis, aliqua forſan commiſerint, conceſſio, & remiſſio, quoad illas pręſentes literas eis nullatenus ſuffragentur. Nulli ergo omnino hominnm, liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, ſuppletionis, erectionis, inſtitntionis, indulti, relationis, decreti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si qnis autem hoc attentare pręſnmpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum (13) Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Secundo, Sexto Idns Septembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *S. Jacobi de Pallas.*) Hujus Cœnobii meminit *Franciſcus Diago Hiſtor. Provin. Aragoniæ Lib. II Cap. XCIX pag. 285.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo aſſervato in Archivo Cœnobii *S. Jacobi de Pallas.*
3. *Urgellen.*) In *Hiſpania Tarraconenſi.*
4. *Scholam Chriſti.*) Adeas *Franciſcum Diago* loco mox laudato.
5. *Johannes de Fenario.*) De quo ſæpius dictum fuit.
6. *Capitulo.*) Hoc eodem anno *MDXXXII* die *XIX* Maii *Romæ* celebrato.
7. *Barchinon.*) In *Catalonia.*
8. *Perpignan.*) *Perpinianen.*, vulgo *Perpignan.*, in *Gallia Narbonenſi.*
9. *Elnen.*) Nunc *Perpinianum* translatus eſt Epiſcopatus.
10. *Ilerden.*) Vulgo *Lerida*, in *Hiſpania Tarraconen.*
11. *Ordinarios.*) *Vacinarios*, ut in ipſo Diplomate poſtea legitur. Scribendum *Baſſinarios*, vel *Vaſſinarios*, ut Hiſpani pronunciant. Sic autem ex pelvi, Gallice *Baſſin*, ſeu lance quam deferunt, vocantur illi, qui mendicando corrogant pecuniam.
12. *Caſtelli maris.*) Hujus nominis Epiſcopalis Sedes eſt in *Campania felici.*
13. *Datum.*) Nec omittendum ſequens Diploma, quod maximi momenti videtur.

Johannes Lunelinus permiſſione divina Abbas inclyti Monaſterii ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Sancti Sebaſtiani ad Catecumbas, prope, & extra muros Almæ Urbis, Ciſtercien. Ordinis, univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, præſentes literas inſpecturis, Salutem, in Domino ſempiternam.

INiunctum Nobis ex Apoſtolicæ Sedis clementia ſervitutis officium, Nos admonet, & inducit, ut votis illis, per quæ potioribus laudum præconiis veneretur Altiſſimus, & divinus cultus, & congruus Chriſti Miniſtrorum numerus, ad Dei laudem, & Chriſti fidelium ſpecialem conſolationem, ſuſcipiant incrementum, libenter annuamus, & illa, quæ ex ſinceræ devotionis affectu prodire conſpicimus, cum dicti cultus augmento, quantum cum Domino poſſumus, favoribus proſequamur opportunis. Cum itaque omnes Orbis Eccleſiæ ſub Sanctorum invocationibus inſtitutæ, pia ſint devotione a Chriſti fidelibus venerandæ, illas tamen, quæ in honorem Chriſtianiſſimi Martyris S. Sebaſtiani pro tempore dicatæ noſcuntur, ea maxima convenit veneratione decorari, quo melioris creditur meriti apud Deum extitiſſe Martyr ipſe Chriſti athleta, qui theſauros divinæ ſapientiæ ſibi deſuper infuſos, & creditos, Chriſtianorum animos inter varia tormentorum genera forte deficientes confortando, diſperſit, ſibique poſt maxima pro Chriſti fide perpeſſa certamina glorioſior contigit de tyrannis triumphus. Dignum itaque arbitramur, & congruum, in honorem ſui nominis Eccleſias, & Capellas, ac in eiſdem Confraternitates erigere, & erectas, ac Confratres, & perſonas ad eaſdem Confraternitates admiſſos gratioſis conceſſionum impendiis, ac privilegiorum, & indulgentiarum, muneribus decorare. Hinc eſt, quod exhibita Nobis nuper pro parte ven., & Religioſi viri Domini Prioris, Conventus, & Monaſterii S. Jacobi de Pallas ſub invocatione ſcholæ Chriſti Urgellen.

Diœ-

Diœceſis; petitionis ſeries continebat, ipſum in aliquo fundo, ſive ſolo in dicto Monaſterio, ſeu Eccleſia dicti Monaſterii, ubi magia, & melius ſibi videretur expedire, ſuis finibus confinato, dicto Monaſterio S. Sebaſtiani, & Nobis per eum prius donando, unam novam Capellam ſub vocabulo S. Sebaſtiani ab omni prorſus, præterquam Sedis Apoſtolicæ, & noſtra ſuperioritate exemptam, cum campanili, campanis, cœmeterio, Altaribus, aliiſque omnibus, & ſingulis membris, officinis, ornamentis, domibus, & habitationibus opportunis, neceſſariis, ſolitis, & conſuetis, fundare, erigere, & ædificare, & in ea, ſi, & poſtquam ædificata foret, ſeu dedicata, Confraternitatem clericorum, & laicorum utriuſque ſexus Chriſti fidelium inſtituere, ſtatuta a jure permiſſa pro Confratribus facere, Capellanum, vel Capellanos, unum, vel plures ad nutum ſuum, & ſucceſſorum ſuorum pro tempore exiſtentium amovibiles libere, & licite abſque aliquorum aliorum quorumcunque, Diœceſani, vel aliorum licentia, & requiſitione ponere, qui Miſſas, ibidem, & alia divina officia, etiam cum cantu, & ſolemni pompa celebrare, confeſſiones audire, communicare, ſepelire, eleemoſynas petere, verbum Dei prædicare, indulgentias, & privilegia publicare, ac omnia, & ſingula eccleſiaſtica Sacramenta, ſalvo jure Parochialis Eccleſiæ, poſſent miniſtrare deſideraret, necnon omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, indultis, & gratiis dicto noſtro Monaſterio, & Eccleſiæ S. Sebaſtiani, & Nobis ex indultis Romanornm Pontificum conceſſis, quibus utimur, potimur, & gaudemus, eandem Capellam ſub dicto vocabulo S. Sebaſtiani, per ipſum Priorem erigendam, ac ipſum, & Confratres, Capellanos, & Miniſtros ibidem degentes pro tempore exiſtentes, uti, potiri, & gaudere poſſe concederemus, & propterea, ut ad hujuſmodi ſunm deſiderium, accedere dignaremur, pro parte ſua per venerabilem, & religioſum virum D. Raphaelem Caſtell. Barb. Ordinis S. Dominici Prædicatorum profeſſum, ac ejuſdem Ordinis Provinciæ Aragon. apud S. Sedem Procuratorem Generalem, dicti Prioris procuratorem aſſertum, Nobis humiliter ſupplicatum extitit. Nos igitur, qui votis illorum libenter intendimus, per quos piæ elargitiones, Eccleſiæ, Capellæ, & alia pia loca propagantur, ejus ſupplicationibus annuere cupientes, per quas divinus cultus, etiam ſuſciperet incrementum, una cum venerabilibus, & religioſis Fratribus Nicolao de Bochetis Priore, Nicaſio Moraobert Sacriſta, & Nicolao Carbonier, Deſiderio Maſelti de Villari loco, & Gregorio Forunier Religioſis dicti noſtri Monaſterii ad ſonum campanæ, ut moris eſt, capitulariter congregatis, eidem Priori Monaſterii S. Jacobi de Pallas abſenti, dicto Fratri Raphaeli præſenti, & pro eo ſupplicanti, in dicto aliquo fundo, ſive ſolo ſito in dicta Eccleſia, ſeu Monaſterio S. Jacobi de Pallas, ubi magis, & melius, ſibi videbitur expedire, ſuis finibus confinato, & terminato, S. Sebaſtiani Eccleſiæ, & Nobis, ex donatione, quæ dicitur inter vivos, & irrevocabiliter per eundem Fratrem Rapbaelem, nomine ſuo proprio donando, unam novam Capellam ſub vocabulo S. Sebaſtiani, ab omni prorſus, præterquam Sedis Apoſtolicæ, & noſtra ſuperioritate exemptam, cum campanili, campanis, cœmeterio, Altaribus, ceteriſque omnibus, & ſingulis membris, officinis, ornamentis, domibus, & habitationibus opportunis, neceſſariis, ſolitis, & conſuetis, fundare, erigere, & ædificare, ſeu dedicare, & quatenus ædificata fuerit, in ea, ſi, & poſtquam ædificata, ſeu dedicata fuerit, Confraternitatem clericorum, & laicorum utriuſque ſexus Chriſti fidelium inſtituere, quodque ſtatuta a jure, permiſſa pro Confratribus facere, Capellanum quoque, vel Capellanos, unum, vel plures ad nutum ſuum, & ſucceſſorum ſuorum dicti Monaſterii de Pallas Priorum pro tempore exiſtentium amovibiles, libere, & licite abſque aliquorum aliorum quorumcunque Diœceſan., vel aliorum licentia, & requiſicione ponere, qui Miſſas ibidem, & alia divina officia, etiam cum cantu, & ſolemni pompa celebrare, confeſſiones audire, communicare, ſepelire, eleemoſynas petere, verbum Dei prædicare, privilegia, & indulgentias infraſcriptas publicare, & omnia, & ſingula eccleſiaſtica Sacramenta poſſint, & valeant miniſtrare, ſalvo tamen in prædictis jure Parochialis Eccleſiæ necnon eandem Capellam ſub prædicto vocabulo S. Sebaſtiani per eum erigendam, & dedicandam, ac ipſum, & Confratres, & Capellanos, & Miniſtros ibidem impræſentiarum degen., & pro tempore exiſten. omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, indultis, & gratiis, quibus dictæ noſtræ Eccleſiæ, ſeu Monaſterio S. Sebaſtiani, & Nobis, conceſſis, utimur, potimur, & gaudemus, uti, potiri, & gaudere poſſit, ut præmittitur, concedimus, & elargimur, ſignanter ex indultis Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Domini Clementis divina providentia PP. VII innovatis, & pluribus aliis Romanis Pontificibus, quod nullus in Capellam prædictam, ac clericos, vel laicos ipſius Confraternitatis poteſt excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias promulgare, & ſi aliquas promulgaverit abſque mandato Sedis Apoſtolicæ, illas irritas, & inanes eſſe. Volumus autem, quod pro recognitione ſoli, & dominii noſtri annis ſingulis, in vigilia feſtivitatis S. Johannis Baptiſtæ ipſe Prior de præſenti, & ſucceſſive in perpetuum, unam libram ceræ albæ laboratæ hic Romæ in manibus noſtris, vel noſtrorum commiſſariorum alibi pro tempore exiſtentium, in cenſum annuum, ſolvere in poſterum teneantur, & poſtquam hujuſmodi Capella ædificata, ſeu dedicata fuerit, ut ad hujuſmodi novam Capellam fundandam, ædificandam, ſeu dedicandam, calicibus, & aliis eccleſiaſticis ornamentis decorandam, & ornandam, eo libentius Chriſti fideles manus porrigant adjutrices, quo ex hoc dono cæleſtis gratiæ conſpexerint ſe refectos, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, pro hujuſmodi fundatione, ædificatione, & ornamentis, manus quotieſcunque per ſe, vel alios porrigen. adjutrices, & grata impenden. ſubſidia, omnes, & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones per felicis recordationis Leonem PP. X, Gregorium, Silveſtrum, Alexandrum, Nicolaum, Pelagium, Honorium, & Johannem, ac quoſcunque alios Romanos Pontifices, & ejus dictæ noſtræ Eccleſiæ S. Sebaſtiani de Urbe, illiuſque Monaſterio, & Nobis conceſſas, cum ſtationibus omnium Eccleſiarum in Urbe, & extra, aliaſque indulgentias, juxta devotionis affectum ſubſidii quantitatem, & præſertim in feſto S. Sebaſtiani, & omni die Dominico, cum dicti Confratres conſequuntur remiſſionem tertiæ partis omnium ſuorum peccatorum, necnon in die conſecrationis, ſeu dedicationis Altaris ejuſdem S. Sebaſtiani pridie Kalendas

No-

Novembris celebrari ſolitæ, remiſſionem ſeptem millium annorum, & quadraginta dierum, a prima die poſt feſtum S. Gregorii, quæ eſt vigeſima tertia Martii trium annorum, per Cornelium PP. conceſſam, item multas alias indulgentias infinitas eiſdem Eccleſiæ, & Monaſterio conceſſas, quæ duplicantur in Quadrageſima, & omnibus feſtis duplicibus triplicantur, ex indultis prælibatorum Romanorum Pontificum dictæ Eccleſiæ, & Monaſterio, ac Nobis conceſſis, & innovatis, miſericorditer conſequi ſignificamus. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium, præſentes literas manu propria ſubſcriptas exinde fieri, & per Notarium publicum infraſcriptum ſubſcribi mandavimus, ſigilliqne noſtri Juſſimus, & fecimus appenſione communiri, Datum, & actum in dicto noſtro Monaſterio S. Sebaſtiani Anno a Nativitate Domini 1533. Indictione tertia, die vero quinta Menſis Januarii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Clementis, divina providentia PP. VII Anno X. Præſentibus ibidem ven. viris D. Gerardo Pelicier, & Ludovico Lebreton. clericis Matiſconen., & Cenomanen. reſpective Diœceſum, ae Sebaſtiano Bianneno laico Saluciarum teſtibus ad præm.ſſa, vocatis ſpecialiter, atque rogatis. Ita erigimus, concedimus, & elargimur Nos Frater Johannes Lunelinus Abbas, ut ſupra manu propria ſubſcribimus.

Anno 1532 Die 9 Octobris.

In Epiſcopum Venuſinum (1) qui Fratres moleſtiis afficiebat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CV.

Venerabilibus Fratribus Melphiten. (3), & Inſularum (4) Epiſcopis, ſeu eorum in ſpiritualibus Vicariis Generalibus, & eorum cuilibet.

CLEMENS PP. VII.

Venerabiles Fratres, ſeu dilecti filii, Salntem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper ſecerunt dilecti filii Prior, & Fratres Domus S. Dominici Venuſin. Ordinis Fratrum Prędicatorum, quod licet juxta privilegia, & indulta Apoſtolica dicto Ordini ac illius locis, & perſonis, per diverſos Romanos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, conceſſa, & approbata, ac in viridi obſervantia exiſtentia, Epiſcopus Venuſin. pro tempore exiſtens in dictam domum, ac illius Priorem, & Fratres pro tempore exiſtentes nullam juriſdictionem ordinariam exercere, aut excommunicationis, vel alias cenſuras, & pęnas promulgare poſſit, ſed ipſi Prior, & Fratres viſitationi, & correctioni ſuorum ſuperiorum dicti ordinis ſolum ſubeſſe dignoſcantur, nihilominus venerabilis Frater Ferdinandus (5) modernus Epiſcopus Venuſin., cauſam, quam contra Priorem, & Fratres prędictos, ac nonnullos alios Religioſos civitatis, & Dięceſis Venuſin. ſuper eo quod ad Proceſſiones, & alios actus publicos accedere, ac mandatis ipſius venerabili Epiſcopi obedire minime curarent, & quibuſdam aliis rebus tunc expreſſis movere intendebat, per quaſdam noſtras in forma Brevis literas, ſupplicatione deſuper in pręſentia noſtra ſignata, introcluſa, in partibus illis committi procuravit, & pętextu commiſſionis hujuſmodi, ſeu alias eoſdem Priorem, & Fratres, quo minus plures campanas habere, & pro ſalutatione glorioſę Virginis, aut Miſſarum celebratione, & veſperarum decantatione antequam Campanę Majoris Eccleſię pulſarent &c. pulſari facere, ac dictam Domum ante nonam, ſeu poſt veſperas exire, ac per Civitatem incedere, ac eleemoſynas panis more ſolito quęrere poſſint, impedire, eoſque quoties ſibi placeret viſitare, & eos ſuper his & aliis multipliciter moleſtare, nixus fuit & nititur, ac nuper ipſius Ferdinandi Epiſcopi Vicarius ad Eccleſiam dictę Domus ſe conferens, ſub excommunicationis pęna omnibus ſecularibus, ut Eccleſiam ipſam exirent, & ne ad Miſſas, & Veſperas audiendas ad illam accederent, mandavit, in ipſorum Prioris, & Fratrum, ac privilegiorum, & indultorum, & conceſſorum pręjudicium, & perturbationem, ac populi ſcandalum. Quare pro ipſorum Prioris, & Fratrum parte nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, attendentes uberes fructus quos Fratres ipſius Ordinis in Militanti Eccleſia hactenus produxerunt. & producturos in poſterum ſpe firma tenemus, ac propterea eos paterno affectu confovere ac privilegia, & indulta eis conceſſa illęſa pręſervari; & ut tranquillum Domino reddere valeant famulatum, omnem inquietudinis, & turbationis materiam ab eis ſubtrahi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum eiſdem Priori, & Fratribus in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, non permittatis, eos per Epiſcopum, & Vicarium pręfatos, aut alium, ſeu alios quoſcunque contra privilegia, & Indulta eis conceſſa, & in viridi obſervantia exiſtentia, ſuper viſitatione ipſius Domus, ac eorundem Prioris, & Fratrum Campanarum uſu, & pulſatione, dummodo ipſi Fratres ſtatuta ſuper hoc in noviſſimo Lateranen. Concilio ſervent, & egreſſu dictę Domus, ac inceſſu per Civitatem necnon quęſtu eleemoſynarum hujuſmodi, & aliis eorum exemptionibus, & privilegiis, quę ſunt in uſu, aut illorum, vel aliorum occaſione directe, vel indirecte quovis quęſito colore per ſe, vel alium, ſeu alios impediri, aut citando, monendo, pręcipiendo, excommunicando, ſeu alias quomodolibet moleſtari, perturbari, ſeu inquietari, aut eis gravamina, ſeu injurias irrogari, ſed eos privilegiis, & Indultis prędictis, pacifice gaudere faciatis, contradictores, moleſtatores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pęnas Eccleſiaſticas, & etiam pecuniarias veſtro arbitrio moderandas, & applicandas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac cenſuras, & pęnas ipſas iteratis vicibus aggravando, & interdictum eccleſiaſticum apponendo, illudque ſtrictiſſime obſervari faciendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi de una, & Concilii Generalis, de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas auctoritate pręſentium aliquis non trahatur; & qui-

Nota.

Nota in Ordinis commendationem.

Mandatum.

quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis literis eidem Epiſcopo forſan conceſſis, quas adverſus premiſſa nullatenus ſuffragari poſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi Epiſcopo & Vicario prefatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IX Octobris MDXXXII Pontificatus noſtri Anno Nono.

Bloſius.

1. *Venuſinum.*) Vulgo *Venoſa*, in Regno *Neapolitano*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum *Lib. B. fol.* 453 ex autographo *Venuſino*.
3. *Melphiten.*) Vulgo *Melfetta*, in agro *Bariano*, in Regno *Neapolitano*.
4. *Inſularum.*) In *Calabria*.
5. *Ferdinandus.*) De quo *Ughellus in Epiſcopis Venuſinis*.

Eadem de re.

Anno 1532 Die 9 Octobris.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Venerabilibus Fratribus Melphiten., & Inſularum Epiſcopis, ſeu eorum in ſpiritualibus Vicariis Generalibus, & eorum cuilibet.

CVI.

CLEMENS PP. VII.

Venerabiles Fratres, ſeu dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nobis fecit dilectus filius Magiſter Seraphinus (2) Ordinis Fratrum Prędicatorum Vicarius Generalis, quod licet dilecti filii Prior, & Fratres Domus Sancti Dominici Venuſin. dicti Ordinis nulla pacta, aut conventiones, cum venerabile Fratre Epiſcopo Venuſin. inierint; quia tamen ipſe Epiſcopus dictos Priorem, & Fratres nonnulla pacta, aut conventiones ſecum feciſſe, eoſque ad ipſarum obſervationem teneri, prętendit, & jactitat, Nobis ipſe Vicarius humiliter ſupplicari fecit, ut quam, & quas ipſe Vicarius ſuper jactationibus Epiſcopi hujuſmodi contra ipſum Epiſcopum habet, & movet, habereque, & movere vult, & intendit cauſam, & cauſas aliquibus probis viris in partibus illis committere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ipſius Vicarii in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę, cum de pręmiſſis certam notitiam non habeamus, per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus ſi vocato dicto Epiſcopo, & aliis qui fuerint evocandi, & eis aliquo competente termino veſtro arbitrio pręfixo, nulla inter Epiſcopum, & Priorem, ac Fratres prędictos, pacta, aut conventiones inita fuiſſe, aut ſi aliqua inita fuiſſe compereritis, ipſaque illicita extitiſſe, & eſſe, inveneritis, ipſos Priorem, & Fratres deſuper per dictum Epiſcopum nullo modo moleſtari, aut inquietari permittatis. Contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pręmiſſis, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus Dietis, dummodo ultra tres Dietas aliquis auctoritate pręſentium non trahatur, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die IX Octobris MDXXXII Pontificatus noſtri Anno Nono.

Bloſius.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Venuſino*,
2. *Seraphinus.*) Diſtinguendus iſte ab ejuſdem nominis viro celeberrimo, qui floruit eodem Seculo, & Ordini præfuit Magiſter Generalis creatus anno *MDLXXI*.

Cœnobii Bayden. (1) fundandi facultas.

Anno 1532 Die 18 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Zamoren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CVII.

SAcrę Religionis ſub qua dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum devotum, & fidelem exhibent Altiſſimo famulatum &c. (3). Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Auguſtini de Zergnuti de Bayda, & Cęſarii de Plarcur Ordinis de obſervantia Prędicatorum profeſſorum, necnon univerſitatis hominum oppidi Bayda Zamoren. Diœceſis petitio continebat, quod alias ipſa Univerſitas, ob ſingularem, quam erga Fratres dicti Ordinis de obſervantia nuncupatos gerunt, devotionis affectum, cupientes in dicto oppido, pro eorum ſpiritualibus conſolationibus, unam domum pro uſu, & habitatione Fratrum ordinis de obſervantia hujuſmodi, qui inibi Miſſas, & alia divina Officia celebrarent, ac eos verbum Dei prędicando, bonis moribus inſtruerent, conſtrui, & ędificari &c. ad infraſcriptorum inſtantiam, cum ipſis Auguſtino, & Cęſario, ſalvo noſtro, & Sedis Apoſtolicę beneplacito, dilecti filii vicarii Generalis, ac Definitorum Ordinis, & obſervantię hujuſmodi, etiam in hoc pro eis patentes literas fieri, & ordinare dignaremur &c. Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tractatui hujuſmodi, pro ſubſiſtentia illius firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, & eis in

in dicto Oppido, unam Domum pro uſu Fratrum ordinum de obſervantia hujuſmodi, ut prefertur, conſtrui, & ędificari faciendi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui religionis zelo &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati &c. eiſdem Auguſtino, & Cęſario, & univerſitati in ipſo oppido, necnon Ordinis pręfatorum, unam Domum, pro uſu, ac habitatione Fratrum Ordinis de obſervantia prędictorum cum Eccleſia, campanili humili, campana, cęmeterio, refectorio, dormitorio, horto, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis pro Fratribus ejuſdem ordinis de obſervantia, conſtrui, & ędificari facere, licentiam concedimus, & elargimur &c. necnon ſingulis privilegiis &c. libertatibus, exemptionibus, juribus, quibus alii aliarum Domorum Fratres Ordinis, & obſervantię hujuſmodi, quomodolibet potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum &c. non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam ejuſdem Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus &c., & quibuſcunque. Datum Bononię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Secundo, Decimo Quinto Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Bayden.*) In *Hiſpania*. *Libro CXXXIV fol.45.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolica*
3. *Famulatum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Anno 1533 Die 17 Maii.

Ne Fratres Hiſpani, Superioribus Ordinis inſciis, Indiam (1) petant.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Provinciali Ordinis Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum, & Conventualibus Prioribus Provincię Hiſpanię ſecundum morem dicti Ordinis, eorumque pro tempore Vicariis, & eorum cuilibet.

CVIII.

CLEMENS PP. VII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum per Nos accepto, quod nonnulli Fratres Ordinis Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum ad ſeculum redire, inibique, & contra voluntatem ſuorum ſuperiorum libere remanere poſſe deſiderantes, animo, & intentione eorum deſiderium adimplendi, & a jugo ſuperioritatis hujuſmodi, etiam ſuperioribus eorum invitis, & contradicentibus ſe ſubtrahendi, & eximendi, ad Sedem Apoſtolicam habuerunt recurſum, & eorum aliqui, aſſerentes, ſe ante annum probationis, nulliter, & invalide proDiplomatis cauſa. feſſionem emiſiſſe, & infra dictum tempus reclamaſſe, ac habitum depoſuiſſe; Alii vero ſe retento hujuſmodi habitu ſub velamine prędicationis Apoſtolicę ad prędicandum indulgentias in favorem Cruciatę contra infideles Apoſtolica auctoritate conceſſas aſſumptos, & electos fuiſſe, ſuper ſingulis pręmiſſis, & forſan aliis tunc expreſſis, diverſas tam Apoſtolicas, quam a Summo Pęnitentiario noſtro ſub honeſtis tamen, & coloratis verborum narrationibus, exemptionum literas, quibus mediantibus ab hujuſmodi ſuperioritate, & obedientia, exquiſitis mediis ſe tueri, & in ipſo ſeculo remanere valerent, per ſe, vel alium, ſeu alios, impetraverant, & procuraverant, quin potius per importunitatem, aut alias extorſerant, Nos motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa ſcientia, univerſis, & ſingulis, tam Provincialibus, quam Conventualibus Hiſpanię, Beticę, Aragonię, ac Portugallię nuncupatarum Provinciarum, Prioribus, ſecundum morem Ordinis Fratrum Prędicatorum, eorumque pro tempore Vicariis, per alias noſtras in forma Brevis literas (3), ſub data die XIII Septembris, Pontificatus noſtri Anno VIII confectas, inter alia dedimus in mandatis, quatenus ipſi, & eorum quilibet pro parte ipſorum Fratrum, ſeu aliarum perſonarum, ut prefertur, impetratas, & in eis contenta, quęcunque diligenter examinarent, & de illorum veritate inquirerent, & illis minus veris, aut ſufficientibus compertis, illas, quę falſo impetratę fuerint, nullo modo, ſi vero bene, recteque impetratę fuiſſent, in foro conſcientię duntaxat, & non in foro contentioſo, neque contra Religionis conſuetudinem valere, ſed eas tanquam ſubreptitias, & obreptitias, ac intentionis defectui ſubjacere cum omnibus inde ſecutis nullas, & invalidas fuiſſe, & eſſe, illaſque iiſdem impetrantibus minime ſuffragari debere declararent, & etiam cauſis ipſis veris, & comprobatis exiſtentibus illarum impetratores cum eiſdem literis ſuis ab eorum gremio eiicere licite valerent, & ſi literę ipſę motu ſimili, intuitu, vel contemplatione Imperatoris, Regum, Principum, cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis a Nobis emanaſſent, conceſſimus, & indulſimus, prout in ipſis literis, quarum tenores pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, plenius continetur. Cum autem, ſicut nuper accepimus, aliqui dicti Ordinis Fratres iſtius Provincię forte minus capaces gratię, quam a Domino ſic vocati receperant, ſub pretextu zeli prędicandi, ſeu docendi ſanctum Evangelium, etiam vobis inconſultis, & irrequiſitis, ac forſan, quod deterius eſt, invitis, & contradicentibus, prętextu quarundam aliarum noſtrarum ſub data XIX Octobris, Pontificatus noſtri Anno IX emanatarum literarum, nulla in Provinciali Capitulo habita deſuper conſultatione, ſeu deliberatione, ab eorum propriis domibus, aut Provincia recedere, & ſimulatę prędicationis hujuſmodi zelo, aut forſan aliis de cauſis, ad Indos, aut
Mandatum. alia loca ire, ac tranſire, ibique ſtare, ſeu habitare, aut permanere velle ſe pręparaverint, & in dies pręparare ſtudeant, in obedientię regularis diſſolutionem, ac religionis denigrationem, non modicam, Nos, volentes ſcandalis, quę hinc oriri poſſent, opportune providere, motu ſimili, non ad alicujus No-

Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac deliberatione, vobis per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alios, ſeu alium univerſos, & ſingulos iſtius Provincię Fratres dicti Ordinis, qui ab ipſorum propriis domibus ſub dictis pręcextibus, vel aliis, ſine ſuorum ſuperiorum licentia recedere tentaverit, ſub pęnis contra inobedientes per conſtitutiones dicti Ordinis ſtatutis ex parte noſtra moneatis, & requiratis, ut ab ipſorum domibus, & Provincia Hiſpanię nullatenus recedant, & ſi inde receſſiſſent, quamprimum commode poterint, redeant. Alioquin ſi requiſitionibus, & monitionibus veſtris hujuſmodi parere recuſaverint in pęnas prędictas incidiſſe declaretis. Nos enim vobis, & veſtrum cuilibet contra inobedientes prędictos, uſque ad executionem procedendi, eoſque carcerandi, & ad eorum proprias Provincias, & domos reſpective etiam invitos reducendi, ceteraque in pręmiſſis, & circa ea, quę Religionis honori, ac ipſorum Fratrum conſcientię, quieti, & tranquillitati videritis in Domino ſalubriter expedire, faciendi, gerendi, & exequendi, omnimodam per pręſentes facultatem pari motu concedimus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac quibuſvis Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis pręſertim, quibus inter alia caveri dicitur expreſſe, quod Pręſides, & Auditores Conſulatus Indiarum, vel alii quicunque dicti, vel alterius Ordinis Fratres ad prędicandum etiam apud Indos, & alios quoſcunque, & forſan eorum ſuperioribus invitis, & contradicentibus, nominare, & deputare poſſint. Quibus omnibus, & ad inſtantiam, vel contemplationem Archiepiſcoporum, Patriarcharum, vel Epiſcoporum, aut aliorum Pręlatorum, etiam S. R. E. Cardinalium, Regum, Principum, ſeu aliorum Dominorum, necnon quarumcunque aliarum tam eccleſiaſticarum, quam ſecularium perſonarum, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, aut conditionis exiſtentium, etiam cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, & revocationibus hujuſmodi pręſervativis, etiam motu proprio conceſſis, & in poſterum concedendis, etiamſi in illis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus, aut non alias, quam de expreſſo illorum, quorum intereſt, conſenſu derogari poſſit, illorum omnium tenores, & formas pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis in ſuo robore alias permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe, harum ſerie, & motu ſimili, derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod pręſentium literarum tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis eadem ubique fides prorſus adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XVII Maii MDXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Bloſius.

1. *Indiam.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 41 ex autographo *Salmanticenſi.*
3. *Literas.*) Conſtitutionem ſcilicet *LXXVI.*

Eccleſiaſticum beneficium confert Monaſterio de Villanova (1).

Anno 1533 Die 7 Auguſti.

CIX.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX injuncto Nobis deſuper, meritis licet &c. (3) Cum itaque Parochialis Eccleſia S. Nicolai de M. . . . . ., Portugallen. (4), Diœceſis, quę de jure patronatus Regis Portugallię pro tempore exiſtentis exiſtit, per liberam reſignationem dilecti filii Ruſtanii Pinto, nuper ipſius Eccleſię Rectoris de illa, quam tunc obtinebat, in manibus noſtris, ſponte, & libere factam, Noſque reſignationem hujuſmodi admittentes, & per Nos admiſſam, vacaverit, & vacet ad pręſens. Et, ſicuti exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſę, & Conventus Monaſterii S. Dominici de Villanova de Aya, prope, & extra muros Portugallen. Ordinis S. Auguſtini ſub Fratrum Prędicatorum cura degentium, petitio continebat, ipſę adeo pauperes exiſtant, quod niſi eis de alicujus ſubventionis auxilio provideatur, onera ſubire nequeant, & propterea, ſi dicta Eccleſia eidem Monaſterio perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto earum, & dicti Monaſterii neceſſitati plurimum conſuleretur. Quare Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unionem, & incorporationem &c. aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem eorum, cui illa uniri contingeret, hujuſmodi unionem, dicto Monaſterio, & incorporationem approbamus, & elargimur &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Tertio, Septimo Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Villanova.*) In *Luſitaniæ* Regno.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIII fol.* 31.
3. *Licet &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Portugallen.*) Seu *Portucalen.*, vulgo *Portugallo*, in *Luſitania*, ſeu *Portugalliæ* Regno.

Anno 1533
Die 24 Octobris.

De Sacramento Euchariſtiæ miniſtrando (1) etiam die feſto Reſurrectionis Dominicæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CX.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus domus S. Dominici Tolonen. (3) Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Sacrę Religionis ſinceritas, in qua ſub voluntarię paupertatis habitu militantes, in humilitatis ſpiritu devotum, & ſedulum Domino impenditis famulatum, promeretur, ut petitionibus veſtris, quietem, & tranquillitatem veſtras, ac animarum Chriſti fidelium ſalutem concernentibus, quantum cum Deo poſſumus, ſalubriter annuamus. Diplomatis cauſa. Sane pro parte veſtra exhibita Nobis nuper, petitio continebat, quod licet alias felicis recordationis Julius II Generali Correctori pro tempore exiſtenti, & Fratribus Ordinis Minimorum, ante alia conceſſerit, quod Fratres ipſi in eorum Eccleſiis, curialibus, mercatoribus, peregrinis, & tranſeuntibus, ac aliis quibuslibet perſonis Euchariſtię Sacramentum, quoties opus fuerit, miniſtrare, & miniſtrari facere poſſint, & pię memorię Leo X, Romani Pontifices, Prędeceſſores noſtri, omnia, & ſingula gratias, conceſſiones, indulgentias, facultates, privilegia, & indulta tam ſpiritualia, quam temporalia dicto Ordini, & illius Eccleſiis, domibus, Fratribus, & Monialibus a Prędeceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus conjunctim, vel diviſim, in genere, vel in ſpecie conceſſa, Ordini veſtro, & illius Eccleſiis, domibus, Fratribus, & Monialibus, & aliis dicti Ordinis veſtri perſonis, communicaverit, & de novo conceſſerit, illaque eis perinde, ac ſi eiſdem nominatim conceſſa fuiſſent ſuffragari voluerit, prout in Julii in forma Brevis, & Leonis Prędeceſſorum hujuſmodi deſuper confectis literis dicitur plenius contineri, & propterea vos in Eccleſia domus veſtrę curialibus, & aliis perſonis prędictis Sacramentum hujuſmodi libere miniſtrare poſſitis, nihilominus nonnulli, nimirum forſan ſcrupoloſi, jactant, vobis non licere Sacramentum in die Paſchatis Reſurrectionis Dominicę miniſtrare in maximam quietis veſtrę perturbationem, ac Chriſti fidelium illarum partium non modicam trepidationem. Quare pro parte veſtra, aſſerentium in Civitate Tolonen. unicam tantum Parochialem Eccleſiam exiſtere, & illius Rectores, ſeu Vicariarum ejuſdem Eccleſię Vicarios perpetuos, qui duo duntaxat exiſtunt, miniſterio Sacramenti hujuſmodi in die prędicto vix ſufficere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis in Eccleſia domus veſtrę hujuſmodi curialibus, mercatoribus, peregrinis, & tranſeuntibus, ac aliis quibuſvis perſonis ad illam propterea confluentibus in Cęnę Domini, & dicto Paſchatis Reſurrectionis, diebus, Euchariſtię Sacramentum miniſtrandi, & miniſtrari faciendi licentiam concedere, & aliter in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Facultas. Nos igitur, ut devotio veſtra eo ferventius invaleſcat, quo amplius Apoſtolicę Sedis ubertate vos foveri conſpexeritis, vos, & veſtrum ſingulos, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati eſtis, ad effectum duntaxat prędentium conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut in Eccleſia domus veſtrę hujuſmodi, curialibus, mercatoribus, peregrinis, & tranſeuntibus, ac quibuſvis aliis perſonis, ad eandem Eccleſiam propterea confluentibus, in Cęnę Domini, & Paſchatis Reſurrectionis, diebus hujuſmodi, Euchariſtię Sacramentum prędictum miniſtrare, & miniſtrari facere, libere, & licite valeatis, Apoſtolica auctoritate tenore prędentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis Prędicatorum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis, quoque, indultis, literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, quibuſvis perſonis in contrarium quomodolibet forſan conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi prędentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliter in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Maſſilię (4) Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Tertio, Nono Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Miniſtrando.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Tolonenſi.*
3. *Tolonen.*) In *Gallo-Provincia.*
4. *Maſſilia.*) Vulgo *Marſeille*, in *Gallo-Provincia.*

Sac-

Anno 1534 Die 27 Februarii.

CXI.

Saccenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX injuncto Nobis deſuper, meritis licet imparibus, Apoſtolicę ſervitutis officio votis &c. (3). Sane pro parte dilectorum filiorum moderni Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Thomaſii Fuxelli (4) Fratris dicti Ordinis Magiſtri in Theologia, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias, poſtquam eidem Thomaſio per literas Officii Pęnitentiarię noſtrę, ut de ſui Superioris licentia in oppido Sarten. (5) Agrigentin. Dięceſis, in loco ad hoc per dilectos filios Univerſitatem, ſeu officiales, Rectores, & juratos nuncupatos dicti oppidi ſibi oblato, quamvis ipſe locus a Domo Annunciate dicti oppidi Ordinis Fratrum Carmelitarum, per centum quinquaginta cannas, non diſtaret, dummodo ab eadem Domo, per octuaginta cannas, vel circa, diſtaret unam Domum ſub invocatione S. Dominici, cum Eccleſia, clauſtro, refectorio, dormitorio, Capitulo, & aliis Officinis opportunis, pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum, conſtrui, & ędificari facere, libere, & licite valeret, conceſſum fuerat, ipſe Thomaſius, in loco prędicto, Domum S. Dominici hujuſmodi ędificari facere incepit, & maximam pecuniarum ſummam inibi expoſuit. Quare pro parte Generalis, & Thomaſii prędictorum, aſſerentium, quod Fratres Domus Annunciatę hujuſmodi, aſſerentes, quod juxta privilegia eis a Sede Apoſtolica conceſſa, ex quo dictus locus, per centum quinquaginta cannas a dicta Domo Annunciatę non diſtat, inibi dicta Domus S. Dominici conſtrui non poteſt, conſtructioni, & literis Pęnitentiarię hujuſmodi, ſe oppoſuerunt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicto loco Domus S. Dominici hujuſmodi, conſtrui faciendi, facultatem concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, quemlibet ex Generali, & Thomaſio prędictis a quibuſvis excommunicationis &c. fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritatę Apoſtolica, tenore pręſentium, eidem Generali, ac Thomaſio, ut in dicto loco, unam Domum ſub invocatione S. Dominici cum Eccleſia, campanili, campanis, dormitorio, refectorio, ſacrario, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum Ordinis Prędicatorum hujuſmodi conſtrui, & ędificari, ac cęptam, ut pręfertur, perfici facere, quodque Domus S. Dominici hujuſmodi, illiuſque Eccleſia, Prior, Conventus, Fratres, perſonę, res, & bona quęcunque nunc, & pro tempore, omnibus, & ſingulis immunitatibus, Indulgentiis, exemptionibus, facultatibus, prerogativis, indultis, & gratiis, quibus alię quęcunque domus dicti Ordinis Prędicatorum, illarumque Eccleſię, Priores, Conventus, Fratres, res, & bona quęcunque, quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt, in futurum, uti, potiri, & gaudere, ac Fratres Ordinis Prędicatorum hujuſmodi dictam Domum S. Dominici acceptare, & perpetuo inhabitare, libere, & licite valeant, concedimus, ipſoſque deſuper moleſtari, impediri, aut inquietari per Fratres Domus Annunciatę hujuſmodi, aut alias quoſcunque, directe, vel indirecte, dummodo locus pręfatus a dicta Domo Annunciatę per octuaginta cannas, vel circa diſtet, nullatenus poſſe, & ſic per quoſcunque, tam Apoſtolica, & ordinaria, quam delegata, & mixta auctoritate fungentes judices, & perſonas ubique judicari, cognoſci, ac decidi debere, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, cognoſcendi, & decidendi facultate, necnon irritum, & inane &c. attentari decernimus, ſine alicujus pręjudicio, non obſtantibus pręmiſſis, ac Apoſtolicis, & in provincialibus &c. privilegiis quoque, indultis &c. ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Tertio (6), Tertio Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Facultas.

1. *Saccenſis.*) In Provincia *Trinacria*, ſeu Inſulæ *Siciliæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.III fol.90.*
3. *Votis &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Thomaſii Fuxelli.*) Ipſum *Plodius de Progenie S. Dominici in Italia Lib.I Cap.XIX pag.71* vocat *Thomam Fazellum*.
5. *Sarten.*) *Saccen.*
6. *Trigeſimo Tertio.*) Stylo Bullarum ætæ communis *MDXXXIV.*

Anno 1534 Die 27 Februarii.

CXII.

Ut præcedens Diploma executioni mandetur.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Caſertan. (2) & Tricarien. (3) Epiſcopis, & dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Agrigentin. in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis: Clemens &c. (4). Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno &c. Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo tertio, Tertio Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo. Quocirca &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, auctoritate noſtra faciatis prędictas literas, & in eis contenta quęcunque plenum effectum ſortiri, illiſque omnes, & ſingulos, quos quomodolibet concernunt pacifice frui, & gaudere, nec permittatis Priorem, & Fratres Domus Sancti Dominici in oppido Sarten. (5) Ordinis Fratrum Prędicatorum, Agrigentin. Dięceſis, a quoquam contra illarum tenorem quomodolibet moleſtari, impediri, aut inquietari. Contradictores &c. & auxilium brachii ſecularis ad hoc, ſi opus fuerit, invocando,

& omnia & ſingula in premiſſis & eirea ea quomodolibet neceſſaria & opportuna faciendo. Non obſtantibus omnibus ſupradictis, ſeu ſi aliquibus &c. ab eadem ſit Sede indultum quod interdici &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo tertio (6), Tertio Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Archivo*.) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. III fol. 93*.
2. *Caſertan.*) In Regno *Neapolitano* vulgo *Caſerta*.
3. *Tricarien.*) In eodem Regno, vulgo *Tricarico*.
4. *Clemens &c.*) Ut in præcedenti Diplomate ad finem uſque.
5. *Sarten.*) *Saccen.*
6. *Trigeſimo tertio.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXXXIV*.

Anno 1534 Die 8 Maii.

Societatis (1) SS. Roſarii Indulgentias firmat & auget.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXIII.

CLEMENS PP. VII.

Motu Proprio &c.

Exordium.

ETſi temporalium cura nos ſollicite angat, tanto accuratius aciem conſiderationis extendere Nos decet, quanto divina humanis, & perpetua temporalibus digniora cognoſcimus. Conſiderantes igitur, quam Religioni noſtrę ſalubre, & fructuoſum fuerit Roſarii inſtitutum, quantaque exinde provenerint, & quotidie proveniant bona, quam ob rem tum clerici, tum laici, tam maſculi, quam feminę, ad tantum devotionis fervorem devenerint, quod Deus, & ipſa Virgo, ad cujus honorem fuit originaliter inſtitutum, eoſdem non ſolum gratiis decorare, verum etiam miraculis, & ſignis quamplurimis illuſtrare, non dedignatur.

Commendat Roſarii fructus.

Idcirco cum ad notitiam noſtram devenerit, quod dicti Roſarii confratres, & Sorores a felicis recordationis Sixto IV, & Leone X, Prędeceſſoribus noſtris, ne dum confirmationem, & augmentum, ſed & Indulgentias quamplures, & privilegia non immerito obtinere meruerint; prout per Apoſtolicas literas in forma Brevis expeditas Nobis manifeſtiſſime conſtat. Nos igitur eorum veſtigiis inhęrendo, motu ſimili, & eodem devotionis affectu divinitus excitati, dictam Confraternitatem, Indulgentias, & privilegia omnia per Prędeceſſores prędfatos eidem Societati quomodolibet conceſſas, & conceſſa, approbamus, confirmamus, & roboramus, firmum, ac robur perpetuum habere volumus, & intendimus. Sed quoniam Sixtus in literis prędictis, quas hic pro expreſſis haberi volumus, inſtituendo confirmavit, quod dicti Roſarii confratres, & ſorores, ad conſequendas, adipiſcendas, & Indulgentias

Indulgentiæ.

prędictas integraliter obtinendas, & pro earum totali aſſecutione tenerentur, & obligarentur ſemel in die ad honorem Virginis integrum Pſalterium B. Marię Virginis perfeciſſe, propter quod nonnulli multitudine ac negotiorum varietate impediti, hoc ſibi difficillimum fore putantes, ab hujuſmodi ſępius retrahebantur, & in amore ac eorum devotione tepeſcebant; Ad aperiendum igitur cęlorum ſemitas, & ut ferventius inducantur, quo exinde facilius animarum ſuarum ſalutem conſequi ſperaverint, volumus, & ordinamus, quod ſpatium unius diei, ad ſpatium integrę hebdomadę amplietur, & dilatetur, & quod in una die, & una vice fortaſſe tenebantur, pro die dies, pro vice vices aſſignamus, & nihilominus illud idem conſequantur, ac ſi ritus antiquus integraliter ſervaretur. Et quia Leo X ordinando inſtituit, ac benigne conceſſit, quod quilibet ex dictis Fratribus ubicunque exiſtentibus viſitando quinque Altaria cujuſcunque Eccleſię, vel unum, aut duo, quinquies, ſi quinque defuerint, eaſdem Indulgentias integraliter conſequeretur, ac ſi omnes Almę Urbis ſtationes peregrinando circuiret, hoc idem auctoritate

Nota.

Apoſtolica tenore prępſentium approbamus, & confirmamus, ac pro firmis & approbatis eſſe, & haberi, volumus, & decernimus. Et quia Nos decet Religiones, & Sanctorum Patrum inſtituta potiſſimum ampliare, ſupradictis etiam addendo, volumus, quod cum prędfatus Sixtus IV, omnibus prępſentibus & futuris ſupranominatum Roſarium in tres partes illud dividendo, id eſt in tres quinquagenas ſingulis diebus, pro qualibet quinquagena quinque annos & totidem quadragenas Indulgentiarum miſericorditer relaxaverit, ex Apoſtolica benignitate, ut prędicti confratres ad hujuſmodi devotionis opera ferventius inducantur, pręter hujuſmodi Indulgentias, omnibus confratribus, & conſororibus prędictum Pſalterium modo ſupra expoſito, & per Nos conceſſo recitantibus, annos duos verę Indulgentię concedimus; Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, Synodalibus, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque, Et ita Motu proprio, ac ex certa animi deliberatione volumus, & mandamus.

Fiat ut petitur.

Et cum abſolutione a cenſuris ad effectum prędictorum, & cum derogatione privilegiorum, & indultorum quorumcunque. Et quod literę expediri poſſint in forma brevis vel ſub Plumbo prout dictis confratribus videbitur opportunum.

Fiat. J. (3)

Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Octavo Idus Maii Anno Undecimo.

1. *Societatis*.) De qua in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV*.
2. *Archivo*.) In quo duplex Exemplar authenticum, unum inter Bullas *Clementis VII*, aliud *Lib. B. fol.* 37 ex autographo *Hiſpalenſi*. In *Bullario Romano* eſt *XL*. Legitur etiam apud *Uſuſmarem pag.* 204, & in *Bullario Confraternitatum Ordinis Prædicatorum pag.* 77.
3. J.) *Julius* ſcilicet. Sic vocabatur *Clemens VII*. Et notandum, quod Diplomatibus hujuſce ſpeciei Summus Pontifex nomen quod ipſi erat ante Pontificatum aſcribit manu propria.

F. Tho-

F. Thomas (1) de Vio Cajetanus teſtamentum (2) facere poſſit. Anno 1534 Die 28 Julii.

Ex Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. I pag. 349.

Dilecto filio noſtro Thomę Tit. S. Sixti Presbytero Cardinali.

CXIV.

CLEMENS PP. VII.

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DE benignitate Apoſtolicę Sedis provenire dignum eſt, ut Eccleſiarum Pręlatis pręſertim Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalibus, qui pro ejuſdem Eccleſię ſtatu ſalubriter, & proſpere dirigendo, aſſidue laborare non ceſſant, diſponendi de bonis, quę viventes poſſident, libera ſit tam in ultima voluntate, quam alias attributa poteſtas, ut ordinata per eos, perpetua roboris firmitate ſubſiſtant. Hinc eſt quod nos volentes te, qui pro eadem Romana Eccleſia, cujus honorabile membrum exiſtis, hactenus plurimum laboraſti, & in dies laborare non ceſſas, &, ſicut accepimus, extremum tuę peregrinationis diem teſtamentaria, aut alia diſpoſitione deſideras pręvenire, favore proſequi ſpeciali, Motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, tibi de quibuſcunque rebus immobilibus in urbe, & extra, domibus, Palatiis, vineis, hortis, campis, & aliis, & alias ubilibet exiſten., ac bonis mobilibus, etiam pretioſis, ac ſe moventibus, ſupellectilibus localibus, pecuniarum ſummis, nominibus debitorum, & quovis alio vocabulo nuncupatis, ac juribus, & actionibus quibuſcunque, quocunque titulo, jure, modo, via, forma, & cauſa, ac occaſione ad te nunc, & pro tempore ſpectan. cujuſcunque qualitatis, ſeu conditionis exiſtentibus, & quibuſcunque rebus conſiſtant, etiam ſi illa, aut illorum pars ex proventibus Eccleſiaſticis quarumcunque Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & titular. Cardinalium Eccleſiis, Monaſteriorum, Prioratuum, Prępoſiturarum, Canonicatuum, & Prębendarum, dignitatum, & officiorum, ceterorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque, Secularium, & Regularium, quę in titulum, commendam, administrationem, aut alias obtinuiſti, & obtines, de prę ſenti, ac in futurum obtinebis, ac quorumcunque fructuum dictarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, & beneficiorum reſervatorum, & reſervandorum, ac quarumcunque penſionum annuatim tibi ſuper quibuſvis fructibus, redditibus, proventibuſque Eccleſiaſticis aſſignatorum, & aſſignandorum, etiam ratione Cardinalatus honoris, quo pro tuorum excellentia meritorum pręfulgere dignoſceris, aut alia quavis occaſione, vel cauſa, aut contemplatione, ad te pervenerint, & in poſterum pervenient, & qualitercunque, quomodocunque, & undecunque per te acquiſita fuerint, & acquirentur, quorum omnium qualitates, quantitates, veros annuos valores, ſpecificationes, & vocabula, cauſaſque, & occaſiones bujuſmodi, ac ſi ſpecifice, & ſigillatim exprimerentur, ac notarentur, & nuncuparentur; etiam ſi bona ipſa talia fuerint, quod in generali appellatione bonorum, & rerum, ſeu ſupellectilium non venirent, & ſpecialibus indigerent vocabulis; prę ſentibus haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, & ſpecificatis quę tamen bona non fuerint altaris, ſeu altarium eorundem Eccleſiaſticorum beneficiorum tibi commiſſorum, & committendorum miniſterio, ſeu alicui earundem Eccleſiarum uſui, ſeu divino cultui deputata, aut ipſis Eccleſiis, ſeu beneficiis applicata, per viam teſtamenti nuncupativi, ſeu in ſcriptis, aut codicillorum, vel Epiſtolarum, ſeu donationis, tam inter vivos, quam cauſa mortis aut alio quovis modo, ac in quaſvis pias, & non pias cauſas, & quoſcunque, etiam non pios, alias tamen licitos, uſus, necnon in unam, vel plures, & quaſcunque, etiam ſecula res perſonas, ſive ſint conſanguinei, ſervitores, aut alii, etiam in Literis felicis recordationis Sixti Papę Quarti Prędeceſſoris noſtri ſuper facultate teſtandi de domibus, & Palatiis urbis, quibuſvis etiam Officialibus Romanę Curię conceſſis comprehendi; deducto tamen ęre alieno, uſque ad ſummam octo millium ducatorum auri de Camera, teſtandi, relinquendi, ordinandi, erogandi, dandi, donandi, legandi, diſponendi, prout tibi videbitur, aut duxeris faciendum: omiſſa etiam quacunque juris ſolemnitate, plenam, liberam, & omnimodam, & irrevocabilem, auctoritate Apoſtolica, tenore prę ſentium & ex certa noſtra ſcientia concedimus facultatem: decernentes hęredes, Legatarios, ac perſonas, quibus bona bujuſmodi quomodocunque relinques, necnon executores tuos, aut alios quoſcunque, quibus negotium executionis tuę ultimę voluntatis commiſeris, ad ſolvendum tertiam, vel aliam partem bonorum per te relictorum, quę forſan per conſtitutiones Apoſtolicas, aut alias de jure, vel conſuetudine poſt tui obitum ad Cameram Apoſtolicam, ſeu ad nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices pertinere, ſeu in pios, vel alios uſus, etiam contra infideles, aut pro fabrica Baſilicę Principis Apoſtolorum converti deberet, quam partem bujuſmodi pro recompenſa laborum, quos hactenus pro dicta Romana Eccleſia pertuliſti, tibi ac hęredibus, ſe quoquo titulo ſucceſſoribus tuis, liberaliter concedimus, remittimus, & donamus, minime teneri, ac ex nunc, motu, ſcientia, & auctoritate prędictis, teſtamentum, ordinationes, diſpoſitiones, erogationes, donationes, legata, & quicquid ſuper his per te fieri, teſtari, relinqui, erogari, donari, diſponi, & ordinari contigerit, necnon jam forſan ore tenus per te quomodolibet factas donationes, erogationes, diſpoſitiones, ordinationes, etiam in favorem perſonarum in literis Sixti Prędeceſſoris noſtri comprehenſarum, ac omnia, & ſingula, quę inde ſequentur, valida, & efficacia fore, ac perpetua roboris firmitate perſiſtere, ac prę ſentes noſtras ſub quibuſvis revocationibus, ſpecialibus, vel generalibus, etiam per Conſtitutiones noſtras, aut alias quomodolibet pro tempore factas, nullo modo comprehendi, ſed ab eis ſemper exempta fore: Et quoties illa revocari, limitari, aut modificari viderentur, toties illas in priſtinum ſtatum ex nunc reſtituimus, & reintegramus, ac reſtitutas, & reintegratas fore decernimus. Et ſic in pręmiſſis omnibus, & ſingulis ab omnibus cenſeri, & reputari,

ac

Exordium.

Facultas.

ac per quoſcunque Judices, & Commiſſarios, etiam per Palatii Apoſtolici Auditores, & ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinales, in Romana Curia, & extra eam, in quacunque inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter interpretandi facultate, ſententiari, & judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis editis, & edendis, præmiſſis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXVIII Julii MDXXXIIII Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Bloſius.

1. *Thomas.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Leonis X.*

2. *Teſtamentum.*) Conſulendus *Fontana* loco laudato à

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Clemente VII Summo Pontifice, Promotos exhibens.

CARDINALIS.

Anno 1530. F. Garſias de Loayſa, Epiſcopus Oxomenſis, ut in hac *Appendice* dicetur, S. R. E. Cardinalis tituli S. Suſannæ. *Ciaconius in Clemente VII Vit. Pontif., & Cardinal. Tomo III pag. 517. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II num. XXIX pag. 31. Cavalerius Tomo I pag. 376 num. CVIII, & Tomo II pag. 217 num. II. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad an. MDXVIII pag. 39.*

PATRIARCHA.

Anno 1524. F. Hieronymus Quirinus, nobilis Venetus, Pariarcha Venetiarum. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. VII pag. 49. Cavalerius Tomo I pag. 388 num. CXXXIV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDLIV pag. 153. Ughellus in Patriarchis Venetiarum Tomo V Italiæ Sacræ pag. 1316 edit. Venetæ.* Integritate vitæ, ſcientia, & rebus præclare geſtis ſpectabilis fuit *Hieronymus*, cujus hoc Epitaphium.

Hieronymus Quirinus
Ne ſervi cadaver inferretur
Ubi corpus conficitur Domini
Hic voluit humari.
Qui adoleſcens in Thomæ Donati verba
Primum juravit,
Quem in Monaſtica dignitate ſubſequutus
Et Patriarcha Patriarchæ
Juſti tenax imitatus
Obiit anno ſalutis MDLIV
Id. Decemb.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1525. F. Philippus de Strozzis, nobilis Florentinus, Archiepiſcopus Surrentinus, *Sorrento*, in Regno Neapolitano. *Ughellus in Archiep. Surrentin. Tomo VI Italiæ Sacræ pag. 620 edit. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XCV pag. 102. Cavalerius Tomo I pag. 374 num. CV.*

Anno circiter 1526. F. Ambroſius, Archiepiſcopus in Cochinenſi Regno Aſiæ. *Fontana Monumen. Dominican. Parte IV Cap. II ad annum MDXXVI pag. 439, ex Monumen. aſſervatis in Archivo Congregationis de Propaganda Fide. Cavalerius Tomo I pag. 342 num. XXXVI.*

Anno 1528. F. Hieronymus de Hypolyto, Monopolitanus, Archiepiſcopus Tarentinus, in Regno Neapolitano. *Ughellus in Archiep. Tarentin. Tomo IX Italiæ Sacræ pag. 145 edit. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XCVIII pag. 102. Cavalerius Tomo I pag. 345 num. XLII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXXVIII pag. 76.*

F. Gui-

F. Guido Brunellus, Cortonenſis, Archiepiſcopus Nicoſienſis, in Regno Cypro. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXIX pag. 91, ex Monumen. Conventus Cortonenſis. Cavalerius Tomo I pag. 349 num. LII.* Anno circiter 1530.

F. Marcus Cathaneus, Genuenſis, Archiepiſcopus Coloſſenſis, ſeu Rhodius, in ejuſdem nominis Inſula. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXXI pag. 97, ex Actis Conſiſtor., ex Regeſtis Cancellariæ, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 378 num. CIX. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXLVI pag.* 130. Nota quod Archiepiſcopum iſtum remittunt iſti Scriptores ad *XXIV* Januarii *MDXXX*, & in hoc emendandi. *Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Marco Cathaneo Electo Coloſſen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Leonardo Epiſcopo Coloſſen. regimini Eccleſiæ Coloſſen. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Leonardi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & Theologiæ Magiſtrum; cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Bononiæ Anno &c. Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Nono, Nono Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CIV fol.* 233. Anno 1529 Die 24 Auguſti.

F. Bernardus Belga, Archiepiſcopus Roſſanenſis, in Regno Neapolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXXIII pag. 97, ex Actis Conſiſtorial. Clementis VII. Cavalerius Tomo I pag. 382 num. CXVII.* Anno 1533.

EPISCOPI.

F. Petrus Taſſardi, Epiſcopus Criſpolitanus, ſeu Chryſopolitanus, vel in Arabia majori, ſub Archiepiſcopo Boſtrenſi, vel in Macedonia, ſub Philippenſi. Hujus Epiſcopi meminit *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 25. Omittunt. *Fontana, Cavalerius &c.* Hinc ſequens Diploma transcribendum. *Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Taſſardi electo Criſpolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem Eccleſia Criſpolitan., certo modo vacante, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, Theologiæ profeſſorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſia de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Quarto, Idibus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXIX fol.* 109. Anno 1524 Die 13 Aprilis.

F. Vincentius Pedrazza, Epiſcopus Panamanus, *Panama*, in America, ſub Archiepiſcopo Limano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCL pag. 259, ex Luſitano, Plodio, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag. 337 num. XXIV.* Anno circiter 1524.

F. Antonius Beccaria, ſeu de Beccariis, Ferrarienſis, Epiſcopus Scodrenſis, *Scutari*, in Albania, ſub Archiepiſcopo Antibarenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXXVIII pag. 292, ex Actis Conſiſtorial. Clementis VII. Cavalerius Tomo I pag. 337 num. XXV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXLIII pag.* 120. Anno 1524.

F. Jo-

Anno 1524. F. Johannes Jolvi, Epiſcopus Ebronenſis, in Palæſtina, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. Epiſcopi Maurianenſis Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Johannes. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXXI pag.* 188, *ex Actis Conſiſtorial. Clementis VII. Cavalerius Tomo I pag.* 339 *num. XXVIII.*

Anno circiter 1524. F. Mauritius Baxanum, Epiſcopus Laghlinien., ſeu Leglinen., vulgo *Laghlin.*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Dublinenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 340 *num. XXX.* Incertum, inquit *Cavalerius* ex *Aroldo*, num *Mauritius* iſte ſit Ordinis Fratrum Minorum, vel Ordinis Prædicatorum alumnus.

Anno 1524. F. Garſias de Loayſa, Epiſcopus Oxomenſis, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXLIV pag.* 254. *Cavalerius*, aliique ſupra laudati, ut enim dictum eſt in hac *Appendice*, S. R. E. Cardinalis fuit. Ad *Seguntinam* Sedem translatus eſt, uti mox dicetur.

Anno 1525. F. Thomas de Albiziis, ex Epiſcopo *Callienſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Leonis X* videre eſt, Epiſcopus Bethleemitanus, in Judæa, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXXVIII pag.* 141. *Ughellus*, *Cavalerius*, *Echard &c.* ſupra laudati.

Anno 1525. F. Franciſcus de Corduba, ex familia Marchionum de Priego, Epiſcopus Malacitanus, *Malaga*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Granatenſi. *Lopez in Epiſcopis Hiſpanis. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXIX pag.* 31. *Cavalerius Tomu I pag.* 340 *num. XXXII.* Notandum, quod Sedes iſta *Velandicen.* dicitur a *Fontana*, & a *Malacitana* diſtinguitur. Hinc multum laborat *Cavalerius*, nec attendit, quod hallucinatus eſt *Fontana* Sedem Epiſcopalem conſtituens in *Exitana* Urbe, quæ vulgo *Velez Malaga* dicitur. Proxima eſt *Malacæ*, a qua quinque leucis diſtat.

Anno 1525 Die 20 Martii. F. Petrus Ferdinandi, de Haen, vel Jaen, uti legitur apud Auctores mox laudandos, Epiſcopus Drivaſten., ſeu Trivaſten., *Drivaſto*, in Albania, ſub Archiepiſcopo Antibarenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXV pag.* 187, ex Decreto in Conſiſtorio ſancito, cujus hæc verba: *Die Lunæ* 20 *Maii* (Legendum *Martii*, ut in ſequenti Diplomate: & ſane cum Litera Dominicalis fuerit hoc anno *A*, dies *XX* Maii Sabbatum fuit: dies vero *XX* Martii fuit feria ſecunda, ut attentum lectorem non fugiet) *referente Cardinale Vicecancellario F. Petrus Ferdinandi de Jaen ſit Epiſcopus Eccleſiæ Divaſten.* (Drivaſten.) *in Epyro, vacante per obitum Gundiſalvi de Obeda: ita tamen quod teneatur in ſua Eccleſia reſidere, cu quo Eccleſia habet populum Chriſtianum, & proventus.* Fontanam excepit *Cavalerius Tomo I pag.* 340 *num. XXXI.* Hac de re legendum ſequens Diploma. *Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Ferdinandi de Haen. electo Drivaſten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ...* (Gundiſalvo de Obeda) *Epiſcopo Drivaſten. regimini eccleſiæ Drivaſten. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem.... Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem quam de præficiendo ipſi eccleſiæ, perſonam, utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, expreſſe profeſſum & in Sacerdotio conſtitutum, ac Theologiæ profeſſorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus &c. plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. volumus autem quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo quarto,* (Stylo Bullarum, æræ communis MDXXV) *Tertio decimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. II Prælatorum fol.* 15.

Anno circiter 1525. F. Johannes a Pedrazza, Hiſpanus, ex illuſtriſſima Ducum de Inſantado familia, Epiſcopus Canarienſis, in ejuſdem nominis Inſulis, ſub Archiepiſcopo Hiſpalenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXIX pag.* 153, *ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 347 *num. XLVIII.*

Anno 1525. F. Sebaſtianus Salmanticenſis, Epiſcopus Cubenſis, in ejuſdem nominis Inſula Americæ, ſub Archiepiſcopo S. Dominici. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXI pag.* 183, *ex Ægidio, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 345 *num. XLI.*

F. Ja-

F. Jacobus Mantuanus, Epiſcopus Litterenſis, *Lettere*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Amalphitano. Sic docent *Fontana Monumen. Dominican. Parte IV Cap. II ad annum MDXXVI pag.* 439, *ex Actis Conſiſtorialibus, & Cavalerius Tomo I pag.* 342 *num. XXXVII*, verum crediderim *Jacobum* iſtum non diſtinguendum a *Jacobo Mantuano* Epiſcopo *Leſinenſi*, de quo mox dicetur. Anno circiter 1526.

F. Johannes Petrus Bonus, Panormitanus, Epiſcopus Minorenſis, *Minori*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Amalphitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXC pag.* 237. *Ughellus in Epiſcop. Minoren. Tomo VII pag.* 614 *edition. Venetæ. Cavalerius Tomo I pag.* 314 *num. XXXI*. Anno 1526.

F. Jacobus Mantuanus, Epiſcopus Leſinen., *Leſina*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Ughellus in Epiſcop. Leſinen. Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.* 448 *editionis Romanæ*. Omittitur a *Fontana, Cavalerio &c.* Succeſſit *Lucæ Matthæi*, ut ex hoc Diplomate conſtat. *Clemens Epiſcopus. Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo electo Leſinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Luca Matthæi Epiſcopo Leſinen. regimini eccleſiæ Leſinen. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Lucæ Matthæi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſum, & Theologiæ profeſſorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibenter direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ, de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Sexto, Quinto Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XIII fol.* 119. Anno 1526 Die 27 Aprilis.

F. Guillelmus Parvi, ex Epiſcopo *Trecenſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Leonis X* dictum fuit, Epiſcopus Sylvanectenſis, *Senlis*, in Gallia, ſub Archiepiſcopo Rhemenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLI pag.* 296, *ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius, Echard*, aliique ſupra laudati. Anno 1527.

F. Dominicus Malochovius, Epiſcopus Laodicienſis, in Syria, ſub Archiepiſcopo Damaſceno. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXIII pag.* 210, *ex Actis Conſiſtorial., & Bzovio. Dominicus Frydrycowicz in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag.* 218. *Cavalerius Tomo I pag.* 373 *num. XCVI*. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit *Cracovienſis* Epiſcopi. Anno 1527.

F. Illephonſus, ſeu Idelphonſus, de Victoria, *Luſitanus*, Epiſcopus Tucumanenſis, *Tucuman*, in America Meridionali, ſub Archiepiſcopo Limano. *Cavalerius Tomo I pag.* 344 *num. XXXIX, ex Plodio*. Anno circiter 1527.

F. Franciſcus Puteus, Raguſinus, Epiſcopus Mercanen., & Tribunen, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Raguſino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXX pag.* 234, *ex Actis Conſiſtorial. Clementis VII, & Tit. DXCVIII pag.* 312. *Cavalerius Tomo I pag.* 350 *num. LV*. Idem conſtat ex *Monumen. Conventus Raguſini*. Anno 1528.

F. Paulus ex Turribus, Hiſpanus, Epiſcopus Panamanus, in America, ſub Archiepiſcopo Limano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCL pag.* 259, *ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 346 *num. XLIII*. Anno circiter 1528.

F. Vincentius Cevola, Lombardus, Epiſcopus Hierapolitanus, in Arabia, ſub Archiepiſcopo Petracenſi. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Epiſcopi Mutinenſis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXCVI pag.* 204, *ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag.* 346 *num. XLIV*. Anno 1528.

F. Petrus Stoll, Epiſcopus Darien., ſeu Derrien., Derien., & Deren., vulgo *Derry*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Armachano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXIX pag.* 185, *ex Bull. O.P. Tom. IV*. Anno 1529 Die 15 Martii.

Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius Tomo I pag. 347 num. XLVI. Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag. 422. Notandum, quod a *Cavalerio* præficitur *Petrus* iſte *Kildarienſi* Sedi, & *Itoli* cognomento dicitur. Sic etiam vocatur a *Fontana*. Addunt quod die *XV Maii* renunciatus fuit Epiſcopus. Hæc emendat ſequens Conſtitutio. *Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Stoll Electo Darien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia Darien. certo modo vacante, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo Eccleſiæ perſonam utilem, & fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, & Theologiæ Magiſtrum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Octavo* (Stylo Bullarum, æræ communis MDXXIX) *Idibus Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CIV fol.* 204.

Anno 1529. F. Thomas Ortiz, Epiſcopus S. Marthæ, in America, ſub Archiepiſcopo S. Dominici. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag. 83, & in addendis pag. 997. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXI pag. 287, ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag. 361 num. LXXVII.* De anno inter ipſos non convenit.

Anno circiter 1529. F. Johannes de Witte, ex Epiſcopo *Salubrienſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Leonis X* dictum fuit Epiſcopus Cubenſis, in ejuſdem nominis Inſula Americæ, ſub Archiepiſcopo S. Dominici. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXI pag. 183, ex Fernandez, Ægidio, & Actis conſiſtorialibus. Cavalerius*, aliique ſupra laudati, Legendus *Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag. 188. &c.*

Anno 1529. F. Gaſpar Hungarus, Epiſcopus Canonien., ſeu Canovien., in Albania, ſub Archiepiſcopo Durracenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CC pag. 178, ex Actis Conſiſtorialibus Clementis VII. Cavalerius Tomo I pag. 347 num. XLVII.*

Anno 1530. F. Deſiderius Apis, Gallus, Epiſcopus Chriſtopolitanus, ſeu Chriſtinopolitanus, vulgo *Leondari*, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Corinthio. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Epiſcopi Tullenſis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXXIII pag. 199, ex Actis Conſiſtorialibus Clementis VII. Cavalerius Tomo I pag. 375 num. CVI. Echard Tomo II Scriptor. Ordinis pag. 25 Indicis Epiſcoporum.*

Anno 1530. F. Garſias de Loayſa, Hiſpanus, ex Epiſcopo *Oxomenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Seguntinus, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXLI pag. 294, ex Fernandez & Actis Conſiſtorialibus Clementis VII. Cavalerius Tomo I pag. 376 num. CVIII.* Ad *Hiſpalenſem* Archiepiſcopatum translatus fuit, ut in *Appendice* ſequenti dicetur.

Anno 1530. F. Michael Ramirez, Salmanticenſis, Epiſcopus Cubenſis, *Cubæ*, in ejuſdem nominis Inſula Americæ, ſub Archiepiſcopo S. Dominici. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXI pag. 183, ex Actis Conſiſtorialibus Clementis VII, & Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius Tomo I pag. 354 num. LXIII.*

Anno 1530 Die 8 Julii. F. Felix Caſmurianus, Epiſcopus Caſſen., ſeu Caphen., non autem Caſten., ut excidit amanuenſi, vulgo *Caffa*, in Taurica Cherſoneſo, ſub Archiepiſcopo Soltanienſi. *Polonus* aſſeritur a *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXXIV pag. 154*, ubi Præpoſitus *Briſtiecenſis*, & Suffraganeus, ſeu Vicarius Epiſcopi *Vilnenſis* dicitur, ex *Actis Conſiſtorialibus Clementis VII.* Idem docet *Cavalerius Tomo I pag. 389 num. CXXXV, & CXXXVI.* Ejuſdem meminit *Dominicus Frydryeowicz in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag 219.* Succeſſit cuidam *Jacobo*, ut habetur ex ſequenti Diplomate. *Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Felici Caſmuriano electo Caſten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Jacobo Epiſcopo Caſten., regimini Eccleſiæ Caſten., præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem J. . . Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi, fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longa vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ, perſonam, utilem, & etiam fructuoſam, cum Fra-*

Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem & Theologiæ Magiſtrum cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. volumus autem quod quam primum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ retributionis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo, Octavo Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXXV fol.* 164.

F. Adrianus Szahaowſtki, Polonus, qui Sigiſmundo Regi a confeſſionibus erat, Epiſcopus Enneuſis, ſeu Æneuſis, vulgo *Eno*, Turcis *Ygnos*, in Thracia, ſub Archiepiſcopo Trajanopolitano. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit *Poſnanienſis* Epiſcopi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXVII pag.* 190, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ, & Bzovio. Cavalerius Tomo I pag.* 362 *num. LXXIX. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXXXIX pag.* 107. *Dominicus Frydrycowitez in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag.* 220.
Anno 1531.

F. Johannes Salmanticenſis, Epiſcopus Canarienſis, in ejuſdem nominis Inſulis, ſub Archiepiſcopo Hiſpalenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXIX pag.* 153, *ex Fernandez, & ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius Tomo I pag.* 354 *num. LXI.*
Anno 1531.

F. Alfonſus de Talavera, Hiſpanus, Epiſcopus Trugillenſis, in America, ſub Archiepiſcopo S. Dominici. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCVI pag.* 314, *ex Actis Conſiſtorialibus Clementis VII. Cavalerius Tomo I pag.* 350 *num. LVII.*
Anno 1531.

F. Hieronymus Balbus, Venetus, Epiſcopus Gurcenſis, *Gurch*, in Carinthia, ſub Archiepiſcopo Saliſburgenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 350 *num. LVI. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad an. MDXXX pag.* 78, ex variis monumentis, & Scriptoribus quos laudat.
Anno circiter 1532.

F. Thomas Cerva, aliis de Cervia, Raguſinus, Epiſcopus Mercanenſis, & Tribunenſis, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Raguſino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXX pag.* 234, *ex Actis Conſiſtorialibus Clementis VII, & Tit. DXCVIII pag.* 312. *Cavalerius Tomo I pag.* 355 *num. LXIV. Monumen. Conventus Raguſini.* Epiſcopus etiam *Stagnenſis* fuit, ut in *Appendice ad Pontificatum Pauli III* videre eſt.
Anno 1532.

F. Michael Fortinus, Epiſcopus Lancianenſis, ſeu Anſanenſis, *Lanciano*, in Regno Neapolitano. Nunc Archiepiſcopalis Sedes eſt. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LIV pag.* 81, *ex Regeſtis Cancellariæ, & ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III*, docet enim *Fontana* quod *Michael* anno duntaxat *MDXXXV* Epiſcopus renunciatus fuit. Idem cenſet *Cavalerius Tomo I pag.* 361 *num. LXXVIII pag.* 361. Adeas *Ughellum* in *Epiſcop. Lancianen. Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 790 *edition. Veneta.*
Anno 1533.

F. Vincentius de Valleviridi, Salmanticenſis, Epiſcopus Panamanus, in America, ſub Archiepiſcopo Limano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCL pag.* 259, *ex Actis Conſiſtorialibus Clementis VII*, aliique mox laudandi.
Anno . . . Die . . . .

IDem Epiſcopus Cuſcanus, *Cuſco*, in America, ſub Archiepiſcopo Limano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXV pag.* 184, *ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag.* 370 *num. XCIV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXLIII pag.* 121.
Anno 1533.

F. Hieronymus de Fornariis, Papienſis, Epiſcopus Bellicaſtrenſis, *Belcaſtro*, in Calabria, ſub Archiepiſcopo S. Severinæ. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXIX pag.* 138, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ, Plodio, & Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 369 *num. XCIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXLII pag.* 118, *& in Addendis pag.* 997.
Anno 1533.

Anno 1533. **F.** Bernardus Gentilis, Epiſcopus Boſanen., *Boſa*, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Turritano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. C pag. 145, ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius Tomo I pag. 351 num. LVIII.*

Anno 1533 Die 3 Septembris. **F.** Paſchaſius Maupair, Epiſcopus Salubrienſis in Thracia, ſub Archiepiſcopo Heracleenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DVIII pag. 283, ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius Tomo I pag. 351 num. LIX. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 28 Indicis Epiſcoporum.* Notandum, quod a Scriptoribus iſtis *Paſchaſius* noſter cognomento dicitur *Maupata*, & *Maupayet*. In ſequenti Diplomate *Maupair* nuncupatur. *Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Paſchaſio Maupair Electo Salubrien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Sane eccleſia Salubrien. ad præſens certo modo Paſtoris ſolatio deſtituta &c. nos verum, & ultimum ipſius eccleſiæ vacationis modum etiam ſi ex illo quavis generalis reſervatio etiam in corpore Juris clauſa reſultet, præſentibus pro expreſſo habentes, & ad proviſionem præfatæ Eccleſiæ celerem, & felicem, ne ipſa eccleſia longa vacationis exponatur incommodis &c. poſt deliberationem quam de præficiendo eidem eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum & Theologiæ profeſſorem in presbyteratus ordine conſtitutum, cui apud nos de vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta præfatæ eccleſiæ de eorundem Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, firma ſpe fiduciaque conceptis &c. Jugum igitur Domini &c. teque præter æternæ retributionis præmium &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo tertio, Tertio Non. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. III fol. 318.*

Anno 1533. **F.** Thomas de Thoro, Hiſpanus, Epiſcopus Carthaginis novæ, in America, ſub Archiepiſcopo S. Dominici. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXLI pag. 156, ex Actis Conſiſtor. Clementis VII. Cavalerius Tomo I pag. 357 num. LXVII.*

Anno 1534. **F.** Johannes a Sarvia, Epiſcopus Canarienſis, in ejuſdem nominis Inſulis, ſub Archiepiſcopo Hiſpalenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXIX pag. 153, ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag. 364 num. LXXXIV.*

Anno 1534. **F.** Thomas de Berlanga, Epiſcopus Caſtellæ Aureæ, in America, ſub Archiepiſcopo Limano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXLVII, pag. 159, ex Actis Conſiſtorialibus, & ex Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 382 num. CXVIII.* Ad Epiſcopatum *Panamanum* tranſlatus fuit, uti dicetur in ſequenti *Appendice*.

LEGATUS.

Anno. . . . **F.** Nicolaus a Scomberg, Archiepiſcopus Capuanus, ut in *Appendice ad Pontificatum Leonis X* dictum fuit, Legatus in Galliam miſſus, *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag. 358. Cavalerius*, aliique ſupra laudati.

PAU-

PAULUS III,

Alexander Farneſius, Romanus, electus (*a*) eſt anno MDXXXIV die XII Octobris. Coronatus (*b*) fuit eodem anno die III Novembris. Obiit (*c*) die X Novembris MDXLIX. Sedit annos XV, dies XXIX.

(a) *Ciaconius in Paulo III.*
(b) Idem.
(c) Idem.

Indulgentias Societati (1) Sanctiſſimi Roſarii a Prædeceſſoribus ſuis conceſſas firmat, & auget.

Anno 1534 Die 3 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

I.

PAULUS PP. III.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

RAtioni congruit, & convenit honeſtati, ut ea, quę de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet, ejus ſuperveniente obitu, literę deſuper expeditę non fuerint, ſuum debitum conſequantur effectum. Dudum ſiquidem, cum ad notitiam felicis recordationis Clementis Papę VII, Prędeceſſoris noſtri deveniſſet, quod dilecti filii Confratres ntriuſque ſexus Confraternitatis ſub invocatione Roſarii Beatę Marię Virginis, in quibuſvis domibus Ordinis Fratrum Prędicatorum canonice inſtitutę, a pię memorię Sixto IV, & Leone X, Prędeceſſotibus noſtris, nedum confirmationem ejuſdem Confraternitatis, & augmentum, ſed & indulgentias quamplures, & privilegia, non immerito obtinere meruerant, idem Clemens Prędeceſſor, eorundem Prędeceſſorum veſtigiis inhęrendo, dictos Confratres a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati eſſent, ad effectum illarum duntaxat conſequendum, abſolvens, & abſolutos fore cenſens ſub data videlicet octavo Idus Maii, Pontificatus ſui Anno Undecimo (3), dictam Confraternitatem, ac indulgentias, & privilegia omnia per Prędeceſſores pręfatos eidem Confraternitati quomodolibet conceſſas, & conceſſa, Apoſtolica auctoritate approbavit, confirmavit, & roboravit, & firmum, & robur perpetuo habere voluit. Cum autem dictus Sixtus in ſuis literis, quas idem Clemens Prędeceſſor habere voluit pro expreſſis, inſtituendo confirmaviſſet, quod pręfati utriuſque ſexus Confratres ad conſequendum, & integraliter obtinendum prędictas indulgentias, pro earum totali aſſecutione, tenerentur, & obligarentur ſemel in die, in honorem ejuſdem Beatę Marię Virginis integrum illius Pſalterium perfeciſſe, propter quod nonnulli multitudine, ac varietate negotiorum impediti, id ſibi difficillimum fore putantes, ab ingreſſu dictę Confraternitatis, ſeu dicti Pſalterii recitatione, ſępius retrahebantur, & in amore Chriſti, ac eorum devotione tepeſcebant, idem Clemens Prędeceſſor ad aperiendum cęlorum ſemitas, & ut ipſi Confratres ad id ferventius inducerentur, quo exinde animarum ſuarum ſalutem conſequi ſperarent, voluit, ac etiam ordinavit, quod ſpatium unius diei ad ſpatium integrę hebdomadę ampliaretur, & dilataretur, & ad id, ad quod in una die, & in una vice fortaſſe tenebantur, pro die, dies, & pro vice, vices aſſignavit, & nihilominus idem illud conſequerentur, ac ſi ritus antiquus integraliter ſervatus fuiſſet. Cumque idem Leo ordinando inſtituiſſet, & benigne conceſſiſſet, quod quilibet ex prędictis Confratribus ubicunque exiſtentibus, viſitando quinque Altaria cujuſcunque Eccleſię, aut unum, vel duo quinquięs, ſi quinque deeſſent, eaſdem indulgentias integraliter conſequerentur, ac ſi omnes Almę Urbis Stationes peragendo circuiſſent pręfatus Clemens Prędeceſſor, hoc idem dicta auctoritate Apoſtolica ſimiliter approbavit, & confirmavit, ac pro firmo, & approbato haberi voluit, & decrevit. Ac idem Clemens Prędeceſſor ſupradictis etiam addendo, cum dictus Sixtus Prędeceſſor omnibus pręſentibus tunc, & futuris ſupra nominatis Confratribus, Roſarium in tres partes dividendo, videlicet in tres quinquagenas ſingulis diebus pro qualibet quinquagena quinque annos, & totidem quadragenas indulgentiarum miſericorditer relaxaviſſet, ex Apoſtolica benignitate, ut ſupra dicti Confratres ad hujuſmodi opera ferventius inducerentur, pręter hujuſmodi indulgentias, omnibus utriuſque ſexus Confratribus Pſalterium prędictum, modo ſupra dicto, per eundem Clementem Prędeceſſorem conceſſum, recitantibus, annos duos verę indulgentię, eadem auctoritate conceſſit. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ne autem de abſolutione, approbationibus, confirmationibus, roboratione, voluntatibus, ordinatione, decreto, conceſſione, & aliis pręmiſſis, pro eo quod ſuper illis dicti Clementis Prędeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, literę confectę non fuerint, valeat quomodolibet hęſitari, ipſique Confratres illarum fruſtrentur effectu, volumus, & ſimiliter Apoſtolica auctoritate prędicta decernimus, quod pręſentes literę ad probandum plene eaſdem, abſolutionem, approbationes, confirmationem, roborationem, voluntates, ordinationem, decretum, & conceſſionem, & alia prędicta ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Novembris MDXXXIIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Indulgentiæ.

A. Acurrius.

1. So-

1. *Societati.*) De qua in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo lit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar authenticum ex autographo *Vaticano*, unum typis editum *Romæ apud hæredes Antonii Bladii Impreſſores Camerales*, hoc ſcilicet anno *MDXXXIV*, & aliud authenticum *Lib. B. pag.* 4. Legitur apud *Uſuſmarem pag.* 205, in *Bullario Confraternitatum Ord. Præd. pag.* 80. Aſſervantur autographa in Cœnobiis *Viterbien.*, & *Hiſpalen.*

3. *Anno Undecimo.*) Motu proprio, ſeu *Conſtitutione CXIII.*

Anno 1534 Die 3 Novembris.

De Bugienſi (1) Cœnobio perficiendo.

Ex Archivo (2) Ordinis.

II. Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. ROmanorum geſta Pontificum, ſalutem animarum præſertim concernentia, ſuper quibus illorum ſupervenient:e obitu, literę Apoſtolicę confectę non fuerunt, recenſere, juſtum reputamus, & rationi conſonum, ut illa univerſis chriſti fidelibus innoteſcant. Dudum ſiquidem poſtquam cariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus (3), Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, qui etiam tunc Hiſpaniarum Rex exiſtebat, ſuo, & dilecti filii Didaci de Carranza (4) Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris nominibus felicis recordationis Clementi PP. VII Prędeceſſori noſtro, exponi fecerat, quod cum Civitas Bugię ſub ipſius Caroli Regis temporali ditione, in Africę partibus, & Saracenorum faucibus conſtituta, clarę memorię Ferdinandi (5) Caſtellę, Legionis, & Aragonum Regis exercitu, & auſpiciis ab ipſorum Infidelium manibus, ultra alia Civitates, & loca ibi conſiſtentia, erepta, & Chriſtianis tunc ſubjecta fore, dignoſceretur, & inibi habitantes Chriſtiani, qui pro dictę civitatis, & illius portus defenſione contra finitimos Saracenos ejuſdem civitatis muros, paſſim invadentes, noctes ipſas juxta muros prętereuntes inſomnes, famemque, & alias calamitates patientes, ſolis herbis, quandoque loco panis vivendo, continuum gerebant bellum, eorum extenuatis viribus ab incepto deſiſtere, neve Civitatem, & portum prędictos, quibus ſi infideles pręfati potirentur, exinde momentis ſingulis, potiſſimum Italię partes, ſuis maritimis incurſionibus, offendere non ceſſarent, deſerere cogerentur, de celeri frequenti tribuendo ſubventionis auxilio providendum erat, & ſi in certo fundo intra, vel extra muros Civitatis hujuſmodi juxta ſuos confines conſiſtenti, alias per quondam Guillermum Ferrer dicti Ordinis benefactorem, ad effectum unius inibi conſtruende Domus dicto Didaco, nomine totius Ordinis prędicti, in ultima ejus voluntate donato, in quo pręfatus Didacus ad Dei laudem, unam Capellam de licentia Generalis Magiſtri ipſius Ordinis, jam conſtrui facere cęperat, & illius fabricam jugiter continuari procurabat, una Domus ejuſdem Ordinis conſtrueretur, & ędificaretur, profecto ex hoc Chriſti fidelium, illarum partium habitatorum, animarum ſaluti, & ſpirituali conſolationi, opportune conſuleretur, & Pręlatus, ac Fratres in ipſa conſtruenda Domo, pro tempore degentes, eleemoſynis per eos, etiam ex longinquis partibus, ubi calamitates hujuſmodi innoteſcerent, collectis, eiſdem Chriſtianis ſubvenire poſſent, & ne dum Civitas prędicta ſub ditione Chriſtiana conſervaretur, verum etiam Chriſtianis ipſis exinde circumvicinis Saracenorum partes expugnandi pręberetur occaſio. Quare pręfatus Prędeceſſor, dicti Caroli Regis, qui ſuo, & ejuſdem Didaci nominibus prędictis eidem Prędeceſſori, ſuper eo bumiliter ſupplicari fecerat, ſupplicationibus tunc inclinatus, pręfato Didaco, & pro tempore exiſtenti conſtruendę domus hujuſmodi Pręlato in fundo prędicto unam ejuſdem Ordinis domum ſub invocatione S. Vincentii Ferrer de la victoria cum Eccleſia, cęmeterio, ſacrario, fonte Baptiſmali, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis pro perpetuis, uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis, conſtrui, & ędificari; Et cum nullus Epiſcopus in dicta Civitate reſideret, illi, Eccleſiam hujuſmodi benedicendi, & tam eidem Didaco, & pro tempore exiſtenti Pręlato, quam Fratribus inibi pro tempore degentibus, baptiſmi, matrimonii, communionis, etiam in Feſto Paſcatis, & extremę unctionis, aliaque eccleſiaſtica Sacramenta quibuſcnnque Chriſti fidelibus miniſtrandi, plenam, & liberam, per ſuas in forma Brevis literas (6) facultatem conceſſit, ac eidem conſtruendę domui, quę Provincię Będicę duntaxat exiſteret, & illius Eccleſię, necnon Pręlato, Fratribus, miniſtris, perſonis, rebus, & bonis quibuſcunque, & illius benefactoribus pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis, ac illis eiſdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, & indultis, quibus quęcunque dicti Ordinis domus, necnon Cęſarauguſtanum, Valentinum, Barchinonenſe (7), & S. Spiritus in Saxia, ac S. Jacobi Incurabilium de Urbe Hoſpitalia, illorumque Eccleſię, Priores, Pręceptores, Officiales, Fratres, Confratres, benefactores, infirmi, perſonę, res, & bona quęcunque utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poſſent quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere, ęque principaliter, & abſque ulla penitns differentia in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi illa conſtruendę Domui, ac ejus Pręlato, Fratribus, & aliis pręmiſſis a principio conceſſa fuiſſent, indulſit. Et nihilominus, cupiens, ut Eccleſia conſtruende domus hujuſmodi in ſuis ſtructuris, & ędificiis, repararetur, manuteneretur, & conſervaretur, libriſque, calicibus, & aliis divino cultui neceſſariis ornamentis fulciretur, & decoraretur, & Chriſti fideles, eo libentius devotionis cauſa, ad ipſam Eccleſiam, confluerent, & ad illius fabricam, ac Chriſtianorum ſubventionem, ac alia pręmiſſa, manus adjutrices porrigerent, quo pro temporalibus donis, quę contulerint, ac pugnantes Chriſtiani pro fide Orthodoxa eiſdem periculis eo audaciores ſe offerrent, quo ex pugna hujuſmodi pręmia Regni cęleſtis cognoſcerent ſe adipiſci, univerſis, & ſingulis utriuſque Sexus Chriſti fidelibus, vere pęnitentibus, & confeſſis, qui locum Eccleſię conſtruendę domus hujuſmodi, vel Capellam jam inibi conſtructam in Cęnę Domini, ex tunc proxime futurę, ac in ſequenti anno, altera per ipſum Didacum, ſi ſuperviveret, alioqnin eo vita functo per dictę conſtruendę domus Priorem pro tempore exiſtentem, nominandis diebus ab ortu ſolis vigilię ſingularum prędictarum

Diplomatis cauſa.

feſti-

feſtivitatum, uſque ad mediam noctem ſequentium dierum incluſive, devotè viſitarent, & ad fabricam,
ſubventionem, ac alia prędicta per ſe ipſos, qui pręſentes forent, juxta taxam pręfati Didaci in humanis
agentis, & eo decedente, pro tempore exiſtentis dictę conſtruendę Domus Prioris, arbitrio moderandam,
manus porrigerent adjutrices, abſentes vero, qui per alios eleemoſynas, juxta taxam prędictam, ad
pręmiſſa, tranſmitterent, ad biennium dnntaxat a die publicationis hujuſmodi Indulgentiarum compu-
tandum, qui vero de cetero ab infidelibus ipſis, contra eos pugnando, occiſi forent, etiamſi inter vulnus, Nota.
& mortem tempus ad confitendum non interveniret, perpetuo, tam Plenariam omnium peccatorum ſuo-
rum in forma pleniſſimi Jubilei, quam omnes, & ſingulas alias Indulgentias, & peccatorum remiſſiones,
etiam Plenarias, ac gratias in literis pię memorię Leonis PP. Decimi etiam Prędeceſſoris noſtri, ſuper
indicenda contra infideles Cruciata editis quomodolibet contentas, ad muros autem ejuſdem Civitatis pro
defenſione hujuſmodi pro tempore vigilantes, vel contra infideles expugnantes, qnoties id facerent, to-
ties etiam perpetuo, qnatuor annorum remiſſionem &c. miſericorditer in Domino elargitus fuit, ac pręfato
Didaco, quoad viveret, & deinde Priori dictę conſtruendę Domus pro tempore exiſtenti, qui Plenarię
in forma Jubilei, & aliarum Indulgentiarum, gratiarumque eidem conſtruendę Domui, quomodolibet
conceſſarum, & concedendarum Generales Commiſſarii eſſent, & eſſe cenſerentur in dicta Civitate, ac
loco Regno Aragonum (9), duntaxat alios Commiſſarios, prędicti, ac aliorum quorumcunque Ordi-
num Religioſos, in Prędicatores, qui Plenariam in forma Jubilei, & alias Indulgentias hujuſmodi ad dic-
tum biennium duntaxat publicarent, & manns adjutrices porrigentibus, vel per alios eleemoſynas tranſ-
mittentibus, literas, ſeu Bullatas impreſſas, vel Commiſſariorum, aut ſubcommiſſariorum manu ſcriptas,
vel ſubſcriptas, aut ſuo ſigillo munitas, ſummarium Indulgentiarnm hujuſmodi continentes pręberent, &
per ſe, vel alios, ut fideles ipſi ad Indulgentias hujuſmodi conſeqnendas aptiores redderentur, quoſcun-
que idoneos Presbyteros ſeculares, vel quorumvis Ordinum regulares in confeſſores idoneos, quotquot
neceſſarii forent, qui per octo dies ante, & poſt Cęnę Domini, & alteram, ut pręfertur, nominandam,
dies prędictos, Chriſti fidelium ad Eccleſiam conſtruendę Domus hujuſmodi pro Plenarię, & aliarum
Indulgentiarnm prędictarum conſecutione accedentium, vel eleemoſynas hujuſmodi tranſmittentium,
Confeſſiones audirent, eoſque, & eorum quemlibet in quibuſcunque etiam Sedi Apoſtolicę reſervatis,
caſibus, exceptis in literis, quę in eadem die Cęnę Domini publicari ſolent contentis, abſolverent, & pro
commiſſis, pęnitentiam ſalutarem injungerent, necnon vota quęcunque, ultramarino, viſitationis limi-
num BB. Petri & Pauli de Urbe, ac S. Jacobi in Compoſtella, religioniſque, & Caſtitatis votis dunta-
xat exceptis, in alia pietatis opera commntarent, & juramenta quęcunque ſine alieni juris pręjudicio,
relaxarent, deputandi, ipſiſque Commiſſariis quęcunque dubia, quę deſuper quandocunque emerge-
rent interpretandi, facultatem impartitus fuit, & inſuper, tam Commiſſarios, quam Subcommiſſarios, &
Prędicatores, ac erogandarum eleemoſynarum hujuſmodi collectores, & exactores, aliaſque perſonas
in eiſdem eleemoſynis ſe immiſcentes, eorum officiis durantibus Sedi prędictę immediate ſubjecit, ita
quod illi interim, etiam ratione delicti, vel contractus, aut quaſi, ſeu rei, de qua ageretur, ubicunque
committeretur delictum, aut iniretur contractus, vel res ipſa conſiſteret, commiſſarii coram alio, quam
Romano Pontifice, Subcommiſſarii vero, Predicatores, Collectores, & Exactores, ac perſonę pręfati
pro tempore exiſtentes, coram aliis, quam Commiſſariis pro tempore exiſtentibus, de juſtitia reſponde-
re, minime tenerentur; decernens eleemoſynas pro tempore Collectas, & exactas, quę in Ipſius Domus,
& illius Fratrum, necnon chriſti fidelium dimicantium prędictorum, & non alios, uſus, & ulilitatem
converterentur, per Priorem dictę conſtruendę domus pro tempore exiſtentem, & nullum alium cujuſ-
vis dignitatis, ſtatus, gradus, vel conditionis exiſteret, & ordinaria, ſeu Apoſtolica, vel alia quacun-
que dignitate, & auctoritate prefulgeret, converti deberent, necnon literas prędictas, ſub quibuſvis
etiam in favorem ſabricę Principis Apoſtolorum de Urbe, & Cruciatę, ac expeditionia contra infideles,
& alias quomodolibet ab ipſo Prędeceſſore, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice, a Sede prędicta
quomodolibet emanatis, & emanandis, revocationibus, ſuſpenſionibus, modificationibus, limitationi-
bus, annullationibus, & derogationibus minime comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties
illę emanarent, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, & de novo conceſſas exiſtere, nec quaſcuuque lite-
ras Apoſtolicas, quę in ſavorem fabricę, & Cruciatę, ac expeditionis hujuſmodi quę eatenus quomodo-
libet emanaverant, & in poſterum emanarent, ac in eis contenta quęcnnque eiſdem pręſentibus, aliquod
pręjudicium ullo modo afferre, ſicque per quoſcunque judices, & Commiſſarios, etiam Cauſarnm Palatii
Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, in Romana Curia, & extra eam, judicari, ſententiari, &
definiri debere, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, interpretandi, & decidendi fa-
cultate, & auctoritate, irritumque, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis Auctoritate,
ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Cum autem pręfatus Carolus Imperator eidem Prędece-
ceſſori exponi feciſſet, quod dicta Domus S. Vincentii jam conſtrui cępta erat, & in ea Verbum Dei prę-
dicabatur, ac Miſſę, & alia Divina officia celebrabantur, cum divini cultus augmento, & animarum ſa-
lute, & quod ex pręmiſſis, converſio infidelium, ac redemptio Captivorum fidelium, multaque bona
opera ſperabantur, quodque, cum dicta Domus in terris infidelium conſtrueretur, & queſtę in dicto Reg-
no Aragonum faciendę ad pręmiſſa, pręſertim propter Indulgentias, aut Cruciatę, & Baſilicę Principis
de Urbe, aut Hoſpitalis Cęſaraugnſtani, non ſufficerent, alii queſtus ratione Indulgentiarum hujuſmodi
ubicunque terrarum, ubi Chriſti fideles inveniebantur, requirendi erant, pręſatus Predeceſſor cupiens, Indulgentiis.
ut Domus prędicta in hujuſmodi ędificiis perficeretur, & Chriſti fideles ipſi, ad pro pręmiſſis manus adjutri-
ces porrigendnm, & pro fide prędicta pugnandum, ac ſe periculis pręfatis exponendum, devotiores, &
promptiores redderentur, quo ſe per hoc pro animarum ſuarum ſalute, majora ſpiritualia dona adipiſci
poſſe cognoſcerent, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Paull Apoſtolorum, ejus aucto-
ritate confiſus, ſub data videlicet nono Kal. Septembris, Pontificatus ſui Anno Undecimo, omnibus, &
ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, vere pęnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam Domus hujuſmodi
in

in uno feſto per Prelatum ipſius Domus eligendo ab ortu Solis vigiliç ejuſdem Feſti, uſque ad mediam noctem dici ſequentis, devote viſitarent annuatim, & ad premiſſa manus porrigerent adjutrices, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam miſericorditer in Domino auctoritate Apoſtolica perpetuo clargitus fuit. Et ut fideles prçfati hujuſmodi Indulgentiam facilius conſequi poſſent Prçlato pro tempore exiſtenti, & Fratribus dictç domus, aliquos Presbyteros idoneos prçdicti, ſeu aliorum, etiam Mendicantium, Ordinum Regulares, aut ſeculares, qui chriſti fidelium corundem ad Eccleſiam prçdictam pro hujuſmodi Indulgentia conſequenda accedentium, Confeſſiones audirent, & illis diligenter auditis, ipſos, & corum ſingulos, ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, in ſingulis, etiam Sedi prçdictç reſervatis, exceptis contentis in dictis literis in die Cçnç Domini legi conſuetis, abſolvere, & eis pro commiſſis pçnitentiam ſalutarem injungere, necnon vota quçcunque per eos emiſſa, ultramarino, viſitationis liminum BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum, ac S. Jacobi in Compoſtella, necnon Religionis, & Caſtitatis votis, duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare poſſent, deputandi facultatem conceſſit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, contrariis quibuſcunque. Ne autem de poſterioribus elargitione, & conceſſione hujuſmodi, pro eo quod ſuper illis dicti Clementis Prçdeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, literç confectç non fuerint, valeat quomodolibet hçſitari, volumus, & ſimiliter auctoritate Apoſtolica decernimus, quod poſteriores elargitio, & conceſſio prçdictç perinde, a die nono Kal. Septembris, ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Clementis Prçdeceſſoris literç ſub ejuſdem dici data confectç fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodque prçſentes literç ad probandum plene poſteriores elargitionem, & conceſſionem hujuſmodi, ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Datum Romç apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicç Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo quarto, Tertio Nonas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Bugienſi.*) Seu *Saldenſi*, vulgo *Bugia*, in *Africa* ad oram maris Mediterranei, in *Algerii* Regno.
2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ea autographo *Cordubenſi*.
3. *Carolus.*) Hujus nominis *V.*
4. *Didaci de Carranza.*) Cujus meminit *Echard* Tomo *II* *Scriptorum Ordinis ad an. MDL pag. 136*, is ipſe ſiquidem videtur qui ſalutem animarum ſitiens *Americam* poſtea petiit, & floruit in Regno *Mexicano*.
5. *Ferdinandi.*) Cognomento *Catholici*.
6. *Literas.*) Quæ deſiderantur.
7. *Cæſarauguſtanum, Valentinum, Barchinonenſe.*) Tria hæc in *Hiſpania Tarraconenſi*, alia duo ſunt *Romæ*. De privilegiis Hoſpitalis *S. Spiritus* conſulendæ Conſtitutiones *VII Innocentii III*, & *XII*, ac *XIV Sixti IV*: De alio vero *S. Jacobi* legenda Conſtitutio *XV Leonis X*, quas refert *Cherubinus* in *Bullario Romano*.
8. *Loco Regno Aragonum.*) Turbatus locus; fortaſſis *toto Regno Aragonum*.

Anno 1534 Die 13 Novembris.

Abbas Oſſunenſis (1) Eccleſiæ conſtituendus a Priore Prædicatorum, & a Guardiano Fratrum Minorum Oſſunen.

Ex Archivo (2) Ordinis.

III. Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. SAcri Apoſtolatus miniſterio, meritis licet imparibus, ſuperna diſpoſitione prçſidentes, inter certas curas, quibus rerum, negotiorumque occurrentium varietate diſtrahimur, illam libenter amplectimur, per quam noſtrç proviſionis ope, minores Eccleſiç dignioribus titulis attollantur, ac miniſtrorum idoneorum, qui in eis, diu, noctuque Deo debitas, & devotas laudes perſolvant, numero decorentur, ut ad id tendentia fidelium vota, optatum ſortiantur effectum, opem, & operam, quantum Nobis ex alto conceditur, efficaces impendimus, prout ad divini cultus augmentum, & fidelium devotionis excitationem, ac animarum ſalutem, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Diplomatis cauſa. Sane pro parte dilecti filii Nobilis viri Johannis de Teller Giron, Comitis de Utina, Nobis exhibita, petitio continebat, quod cum ipſius Johannis, qui etiam de Oſſuna, Hiſpalen. Diçceſis, & ceterorum aliorum oppidorum, & locorum in eadem Diçceſi conſiſtentium, Dominus in temporalibus exiſtit, prçdeceſſores de Oſſuna, & aliorum oppidorum, ac locorum prçdictorum in temporalibus Domini, qui pro tempore fuerunt a tanto tempore, cujus initii hominum memoria non exiſtit, &, ut creditur, ex privilegio Apoſtolico, olim Dominis in temporalibus ipſorum oppidorum, & locorum, qui, antequam Regnum Granatç expugnaretur, & in ditionem Chriſtianorum reduceretur, contra ipſius Regni Mauros infideles, quibus oppida, & loca prçdicta, propinqua erant, bella gerebant, ac eos expugnabant, & antemurale Chriſtianorum erant, conceſſo, & veriſimiliter ante Concilium Lateranenſe in pacifica poſſeſſione, ſeu quaſi decimas omnium fructuum, reddituum, & proventuum, in de Oſſuna, & aliis oppidis, & locis prçdictis excreſcentium, percipiendi, & parochialibus Eccleſiis, tam de Oſſuna, quam aliorum oppidorum, & locorum prçdictorum, per Capellanos ad eorum nutum amovibiles in divinis deſerviri faciendi, fuerint, & idem Johannes Comes exiſtat, ac dilectus filius modernus Rector Parochialis Eccleſiç Aſſumptionis Beatç Mariç dicti oppidi de Oſſuna, Vicarius in eodem oppido exiſtat, & de certis cauſis, uſque ad certam ſummam cognoſcat, prout plures Vicarii oppidorum, & locorum dictç Diçceſis, cognoſcunt, ſi dicta Eccleſia Beatç Mariç in Collegiatam Eccleſiam cum ſigillo, & area communibus, ac aliis collegialibus inſigniis, & in illa, una Abbatia, quç principalis eſſet pro uno Abbate, qui inibi prçeminentiam, & juriſdictionem haberet, ac una Cantoria pro uno Cantore, & una Scholaſtica, pro uno Scholaſtico, necnon unus Archidiaconatus pro uno Archidiacono, & una Theſauraria, non principales inibi dignitates pro uno Theſaurario, necnon decem Canonicatus, & totidem Prçbendç pro decem Canonicis, qui ſimul cum Abbate, Cantore, Scholaſtico, Archidiacono, & Teſaurario prçfatis, Capitulum ipſius Eccleſiç facerent, & conſtituerent, ac decem portiones, pro totidem Portionariis, qui omnes in eadem Eccleſia ho-

horas canonicas diornas, & nocturnas, ac Miſſas, & alia divina officia, juxta morem aliarum collegia-
tarum Eccleſiarum Regni Caſtellę decantare, & celebrare tenerentur, & erigerentur, & inſtituerentur,
ac jus patronatus, & pręſentandi perſonas idoneas ad Abbatiam, Cantoriam, Scholaſticam, Archidia-
conatum, & Teſaurariam, ac Canonicatus, & Prębendas, necnon portiones hujuſmodi, tam hac prima
vice, cum ab eorum prima erectione, quam poſtea, quoties vacaverint, eidem Johanni, & ſucceſſori-
bus ſuis dicti oppidi de Oſſuna in temporalibus Dominis pro tempore exiſtentibus, perpetuo reſervaretur,
& concederetur, ipſe Johannes, eandem Eccleſiam de bonis ſibi a Deo collatis, competenter dotaret,
ac libris, calicibus, & ornamentis divino cultui neceſſariis ſulciret, ex quo tam Eccleſia, qnam oppi-
dum de Oſſuna hujuſmodi, non parum decorarentur, & divinus cultus, cum animarum ſalute, & inco-
larum, & habitatorum ipſius oppidi devotione, necnon pro Miſſis, & aliis divinis officiis audiendis,
ſpirituali conſolatione, non parum augeretur. Quare pro parte dicti Johannis Comitis deſiderantis, nt
aſſeruit, ad Eccleſiam ipſam, ad quam ſingularem gerit devotionis affectum, ſuorum Patris, & Matris
oſſa in Capella arcis dicti oppidi de Oſſuna depoſitata transferri, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut
dictum Eccleſiam, in Collegiatam, ac in ea, unam Abbatiam principalem pro uno Abbate, & unam Can-
toriam pro uno Cantore, ac unam Scbolaſticam, pro uno Scbolaſtico, necnon unum Arcbidiaconatum
pro uno Arcbidiacono, & nnam Theſaurariam, non principales inibi dignitates, pro uno Theſaurario,
ac decem Canonicatus, & totidem Prębendas, pro decem Canonicis, necnon decem portiones pro toti-
dem Portionariis, ut pręfertur, erigere, & inſtituere, ac illius capitulari menſę pro Dignitatum, Ca-
nonicatuum, & Prębendarum, & portionum prędictorum dote bona per ipſum Jobannem Comitem ad
hoc aſſignanda, perpetuo applicare, necnon jus patronatus, & pręſentandi perſonas idoneas ad dignita-
tes, necnon Canonicatus, & Prębendas, ac portiones hujuſmodi, cum, ut pręfertur, vacaverint, Jo-
hanni Comiti, & ſucceſſoribus pręfatis, perpetuo reſervare, & concedere, aliaſque in pręmiſſis oppor-
tune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Eccleſiarum quarunlibet deco-
rem, & in melius earum directionem, ac in illis divinnm cultum noſtris potiſſime temporibus, vigere,
& augeri, ſinceris exoptamus affectibus, pręfatum Johannem Comitem, a quibuſvis excommunicationis,
ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jnre, vel ab homine,
quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium dun-
taxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationi-
bus inclinati Eccleſiam prędictam in Collegiatam cum ſigillo, & arca communibus, ac aliis Collegiali-
bus inſigniis, necnon in ea unam Abbatiam principalem pro uno Abbatę, qui inibi pręeminentiam, & om-
nimodam juriſdictionem in ſpiritualibus, tam civiliter, quam criminaliter, & mixtim in perſonas Eccle-
ſię hujuſmodi cumulative cum ordinario loci habeat, & illas corrigere, caſtigare, & punire, ac eorum
culpis, & demeritis exigentibus, ac juſtitia mediante, ad ipſius Johannis Comitis, & ſucceſſorum ſuo-
rum ejuſdem oppidi in temporalibus Dominorum pro tempore exiſtentium inſtantiam Dignitatibus, Ca-
nonicatibus, & Prębendis, necnon portionibus dictę Eccleſię per eos obtentis privare, & alias perſonas
idoneas in illis ad pręſentationem Johannis Comitis, & ſucceſſorum eorundem inſtituere, nec-
non de cauſis illorum civilibus, & criminalibus in prima inſtantia cognoſcere, libere, & licite valeat,
ac unam Cantoriam pro nno Cantore, & unam Scholaſticam pro uno Scholaſtico, necnon unum Archi-
diaconatum pro uno Archidiacono, & unam Theſaurariam, non principales inibi dignitates, pro nno
Theſaurario, necnon decem Canonicatus, & totidem Prębendas pro decem Canonicis, qui ſimnl, cum
Abbate, Cantore, Scholaſtico, Arcbidiacono, & Theſaurario pręfatis, Capitulum ipſius Eccleſię fa-
ciant, & conſtituant, ac decem portiones, pro totidem Portionariis, qui omnes in ipſa Eccleſia horas
canonicas, diurnas, & nocturnas, ac Miſſas, & alia divina officia, juxta morem aliarum Collegiata-
rum Eccleſiarum Regni Caſtellę hujoſmodi decantare, & celebrare teneantur, ſine alicujus pręjudicio,
auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium erigimus, & inſtituimns, ac illius Menſę Capitulari pro dig-
nitatum, Canonicatuum, & Prębendarum, ac Portionum hujuſmodi dote bona, per ipſum Johannem
Comitem propterea aſſignanda, cum aſſignata fuerint, auctoritate, & tenore prędictis, perpetuo appli-
camus, & appropriamus, necnon eidem Johanni Comiti, ac ejus hęredibus, & ſucceſſoribus dicti oppi-
di de Oſſuna in temporalibus Dominis pro tempore exiſtentibus pręfatis jus patronatus, & pręſentandi
perſonas idoneas Priori S. Dominici, & Guardiano S. Franciſci domorum dicti oppidi de Oſſuna Prędi- **Mandatum.**
catorum, & Minorum Ordinum pro tempore exiſtentibus ad Abbatiam, necnon Abbati ejuſdem erectę
Eccleſię ad Cantoriam, Scholaſticam, Archidiaconatum, & Theſaurariam, ac ſingulos Canonicatus, &
Prębendas, necnon ſingulas Portiones hujuſmodi, tam hac prima vice ab eorum primęva erectione hu-
juſmodi vacantes, quam quoties de cetero per obitum, reſignationem, privationem, contractum Ma-
trimonii, regularis profeſſionis emiſſionem, vel aliis quibuſvis modis, & ex quorumcunque etiam Apoſ-
tolicę Sedis Notariorum, Acolytorum, Capellanorum, & S. R. E. Cardinalinm familiarinm, conti-
nuorum commenſalium perſonis, etiam apud Sedem Apoſtolicam, vacaverint, per Priorem, & Guar- **Nota.**
dianum, Abbatia, & per Abbatem pręfatos in Cantoria, Scholaſtica, Archidiaconatu, Theſauraria,
ac Canonicatibus, & Prębendis, necnon portionibus prędictis, ad pręſentationem hujuſmodi, reſpecti-
ve inſtituendas, eiſdem auctoritate, & tenore, perpetuo concedimus, & aſſignamus, necnon Abbati,
& Capitulo ipſius Eccleſię, cum ipſę perſonę ad Abbatiam, & alias dignitates, ac Canonicatus, & Prę-
bendas prędictos pręſentatę, & inſtitutę fuerint, pro felici ſtatu, & ſalubri directione ejuſdem Eccleſię,
ac illius perſonarum, & divinorum officiorum in illa celebratione, quęcunque ſtatuta rationabilia, &
ſacris Canonibus non contraria cum conſilio, & voluntate ipſius Jobannis Comitis, & pro tempore exiſ-
tentis in temporalibus Domini oppidi de Oſſuna hujuſmodi facere, & edere, illaque, prout qualitas tem-
porum id exegerit, aut eis pro utilitate dictę Eccleſię videbitur, reformare, immutare, & alia de novo
concedere, quę poſtquam facta, edita, reformata, immutata, & de novo condita fuerint, & ipſa Apoſ-
tolica auctoritate, prędicta approbata, & confirmata ſint, & eſſe cenſeantur, & ab omnibus obſervari
debeant, plenam, & liberam, pręfata auctoritate, earundem pręſentium tenore facultatem concedimus,

 & in-

& inſuper eidem Eccleſię, ac illius Abbati, Cantori, Scholaſtico, Archidiacono, Theſaurario, Canonicis, & Perſonis, ac Miniſtris pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, prerogativis, libertatibus, gratiis, facultatibus, & indultis, aliis Collegiatis Eccleſiis, & illarum dignitates obtinentibus, necnon Canonicis, Portionariis, perſonis, ac Miniſtris conceſſis, a quibus illę, & illi, de jure, vel conſuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, necnon eidem Johanni Comiti, ut corpora parentum ſuorum prędeceſſorum, & cujuſvis alterius, ſeu prędeceſſoris depoſitata exhumari, & ad ipſam Eccleſiam erigendam deferri, & in ea inhumari facere, libere, & licite valeant, eadem auctoritate, etiam pręſentium tenore, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus quibuſvis ſpecialibus, vel generalibus reſervationibus pro dignitatibus in Collegiatis Eccleſiis principalibus per Sedem prędictam pro tempore factis, & quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, erectionis, inſtitutionis, applicationis, appropriationis, conceſſionis, aſſignationis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Quarto, Idibus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Oſſunen.*) Seu *Orſonen.*, vulgo *Oſſuna*, & *Oſſona*, in *Hiſpania Bætica*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Oſſunenſi.*

Anno 1534 Die 13 Novembris.

Ut præcedens Conſtitutio executioni mandetur.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

IV. Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, ven. Fratri Epiſcopo, Caſertanen. (2), & dilectis filiis Hiſpalen. (3), & Corduben. officialibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis: Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Sacri Apoſtolatus Miniſterio, meritis, licet imparibus ſuperna &c. (4) Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Quarto, Pontificatus noſtri Anno Primo. Quo circa diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, literas prędictas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Johannis Comitis, & ſucceſſorum, ac Abbatis, & Capituli prędictorum, ſeu alicujus eorum, deſuper fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis prępſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra, literas, & in eis contenta quęcunque firmiter obſervari, & ſingulos, quos ipſę literę concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes, eos deſuper per quoſcunque contra illorum tenorem quomodolibet moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles, per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac cenſuras, & pęnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus omnibus ſupradictis, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam; ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Quarto, Idibus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Oſſunenſi.*
2. *Caſertanen.*) In Regno *Neapolitano*.
3. *Hiſpalen.*) In *Hiſpania Bætica*, ubi *Cordubenſis* Diœceſis.
4. *Superna &c.*) Ut in præcedenti Conſtitutione ad finem uſque.

Anno 1534 Die 8 Decembris.

Provinciæ Lombardiæ Provincialis eligendus (1) quolibet biennio.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

V. Dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Prędicatorum Regularis Obſervantię utriuſque Lombardię.

PAULUS PP. III.

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſti, quod in Capitulo Provinciali iſtius Provincię, nuper in Domo, ſeu Conventu S. Dominici Brixien. Ordinis Fratrum Prędicatorum celebrato, fuit ſtatutum, & ordinatum pro conſervatione pacis, & vitę Regularis in iſta Provincia, quod nullus poſſet eſſe Prior Provincialis dictę Provincię, ultra quam per biennium, & ejus officium in principio ſecundi Capituli, ſecundi anni ſui Provincialatus quod tempore Paſcatis Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti celebratur, finiri, & terminari intelligeretur, ac ex dicto principio, quouſque futurus Provincialis ejuſdem Provincię electus, & confirmatus, ac pręſens eſſet in dicta Provincia, remaneret Vicarius dictę Provincię. Quod ſi ipſe

ipſe Prior Provincialis infra tempus ſui Provincialatus decederet, vel amoveretur, tunc, & eo caſu Prior Conventus, ſeu Domus Bononien. dicti Ordinis, qui pro tempore foret, vices ipſius Provincialis, donec alius Provincialis electus, & confirmatus, ac pręſens in dicta Provincia eſſet, in omnibus & per omnia obtineret, prout in ſcripturis deſuper confectis plenius dicitur contineri. Quare ſupplicari feciſti Nobis humiliter, ut ſtatuta, & ordinationes hujuſmodi approbare, & confirmare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatuta, & ordinationes hujuſmodi, auctoritate Apoſtolica, per pręſentes approbamus, & confirmamus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, illaque perpetuę firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari debere. Et quod nullus Frater dictę Provincię etiam Prędicator Apoſtolicus, vigore quorumcunque Literarum, & Brevium Apoſtolicorum, hactenus forſan creatus, & deinceps creandus, ſermones ad populum facere poſſit, abſque eo quod, prius quid in ſermonibus hujuſmodi dicturus ſit, Provinciali dictę Provincię pro tempore existenti, expoſuerit, eadem auctoritate decernimus; concedentes eidem Provinciali, quod ſi dicti Pręœdicatores, erronea, vel ſcandaloſa pręedicare voluerint, id illis ſub pęnis, de quibus ſibi videbitur, prohibere poſſit; Non obſtantibus pręmiſſis, & conſtitutionibus, ac ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, ac literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, quibus, illorum tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modos, & formas ad id ſervandos, pro individuo ſervatis habentes, hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die VIII Decembris MDXXXIV, Pontificatus noſtri Anno Primo. Nota.

1. *Eligendus.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar in *Bullario Bononienſi* pag.99; ex autographo *Bononienſi*. Aliud aſſervatur in Cœnobio *Cremonenſi*.

Ne Fratres Urbevetani moleſtiis afficiantur, cavet.

Anno 1534 Die 18 Decembris.

Ex Archivo (1) Ordinis.

VI.

Dilecto filio Locumtenenti Gubernatoris Civitatis noſtrę Urbis veteris.

PAULUS PP. III.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INtelleximus, quod iſta nobis dilecta Communitas minatur propria auctoritate, & per vim velle eiicere Fratres Ordinis Pręedicatorum de obſervantia nuncupatorum Provincię Romanę reformatę ex Domo S. Dominici ipſius Civitatis. Quod audire Nobis non parum diſplicuit, multoque magis diſpliceret, ſi quod minantur, auderent. Quamobrem tibi mandamus, ut eos & ex parte noſtra moneas, ac ſub pęnis tibi viſis, etiam graviſſimis eis pręcipias, prout Nos etiam monemus, & pręcipimus per pręſentes, ne quid Nobis inconſultis, & ſine noſtra ſpeciali licentia, ſuper hoc innovent: ſed ſi quid pretendant, Nobis referri curent, qui pro qualitate negotii, & juſtitia opportunum remedium adhibebimus. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XVIII Decembris MDXXXIV Pontificatus noſtri Anno Primo.

Bloſius.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 325, ex autographo *Urbevetano*.

Cœnobium (1) S. Sabinæ, & Monaſterium S. Sixti de Urbe juris ſint Provinciæ Lombardiæ.

Anno 1534 Die 23 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VII.

PAULUS PP. III.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ROmani Pontificis circumſpecta providentia nonnunquam per ejus Pręedeceſſores ordinata, ſive conceſſa revocat, & annullat, dum rationabiles cauſę id expoſcunt, & ipſa in alterius pręjudicium tendere noſcuntur. Dudum ſiquidem, ſicut nuper accepimus, felicis recordationis Clemens Papa Septimus, Pręedeceſſor noſter, Monaſterium Sanctę Sabinę de Urbe Ordinis Fratrum Pręedicatorum a Congregatione Lombardię dicti Ordinis regularis obſervantię, cujus tunc erat, ſeparavit, & diſmembravit, ipſamque Congregationem in Provinciam utriuſque Lombardię erexit, prout in ejuſdem Pręedeceſſoris literis (3) deſuper confectis, plenius continetur, quarum vigore Fratres Congregationis, & Provincię hujuſmodi, Monaſterium pręedictum, illiuſque mobilia, & immobilia jura quęcunque aliis Fratribus dicti Ordinis in eiſdem literis contentis, ut eidem Pręedeceſſori obedirent, conſignarunt, &, ſicut etiam accepimus, Fratres Congregationis hujuſmodi Monaſterium Monialium Sancti Sixti etiam de Urbe Ordinis Sanc- Exordium. Diplomatis cauſa.

Sancti Dominici, in quo plures nobiles Romanę fuerunt, & ſunt, laudabiliter uſque ad ſeparationem hujuſmodi, & etiam poſt gubernaverunt, prout etiam de pręſenti gubernant, expeditque Populo Romano, ut Monaſterium Sancti Sixti pręedictum, ſub dicta gubernatione exiſtat, nec Fratres dictę Congregationis Lombardię poſſunt pro honore Religionis in Urbe commorari abſque aliquo Conventu. Quare dilecti filii ejuſdem Urbis Conſervatores, ac Raymundus, de Capiteferro, & Raphael Caſalius, ac Antonius Frangepanis (4), & Jacobus de Nigris Cives Romani, & dicti Monaſterii adminiſtratores,

Mandatum. Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium ſeparationem, & extinctionem hujuſmodi, ac, prout illas concernunt, omnia, & ſingula in literis pręfati Clementis contenta, & inde ſecuta revocamus, caſſamus, & annullamus, ac nullius roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe, ac pro penitus infectis quoad omnia, haberi debere. Necnon Monaſterium Sanctę Sabinę prędictum, prout ante ſeparationem, & diſmembrationem hujuſmodi erat, ipſius Congregationis, aut Provincię utriuſque Lombardię perpetuo, ac Prior, & Fratres in dicto Monaſterio Sanctę Sabinę ad pręſens degentes Monaſterium Sanctę Sabinę prędictum, ac omnia, & ſingula bona mobilia, & immobilia, ac ſe moventia, & res quaſcunque dicti Monaſterii Sanctę Sabinę Provinciali (5) dictę Provincię, vel pro eo in Romana Curia exiſtenti, ad omnem ejus requiſitionem integre conſignare, & tradere, omni mora poſtpoſita realiter, & cum effectu debeant, & quod pro conſervatione vitę regularis in dicto Monaſterio Sancti Sixti Monaſterium Sanctę Sabinę prędictum Priori Generali dicti Ordinis nullatenus ſubſit, ſed ab eo penitus ex nunc, prout ex tunc, & e contra exemptum exiſtat, prout ante ſeparationem, & diſmembrationem prędictas erat, & ſi contrafecerint excommunicationis latę ſententię pęnam eo ipſo incurrant, ſicque per quoſcunque judices, quavis auctoritate fungentes, ſublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon quicquid ſecus a quocunque quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus, mandantes venerabilibus Fratribus Caſſanen. (6), & Thelaſen. Epiſcopis, ac dilecto filio Archipresbytero Eccleſię, coram quibus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios Fratres Congregationis Lombardię hujuſmodi &c. in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant eos pręſentibus literis, & in eis contentis pacifice gaudere, non permittentes eos per Priorem Generalem, & Fratres Ordinis Prędicatorum hujuſmodi, ſeu quoſcunque alios contra pręſentiom tenorem quomodolibet moleſtari, inquietari, ſeu perturbari, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac cenſuras, & pęnas ipſas iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pręmiſſis, & Apoſtolicis, ac Provincialibus, & Capitularibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibos, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, dicto Ordini, illiuſque ſuperioribus conceſſis, quibus omnibus, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, quoad pręmiſſa, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Decembris MDXXXIIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

L. de Torres.

G. de Serlupis.

1. *Cœnobium.*) Vide Notas ad Conſtitutionem *XXIX Honorii III*. Legitur *Tomo I pag.* 15.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, ex autographo *Faventino*. Aliud aſſervatur in Archivo Cœnobii S. *Sabinæ de Urbe*.

3. *literis.*) Conſtitutione *LXXIV*. Legitur *pag.* 488 hujuſce Tomi.

4. *Frangepanis.*) Gens eſt antiquiſſima. Ex ipſa mater ſanctæ memoriæ *Benedicti XIII* originem duxit.

5. *Provinciali.*) Is erat Frater *Angelus de Faventia*.

6. *Caſſanen.*) In *Calabria*, ſub Archiepiſcopo *Rhegienſi*.

7. *Thelaſen.*) In alio exemplari legitur *Thelesin.*, ſeu *Teleſin.* in Provincia *Terræ Laboris*, in Regno *Neapolitano*.

Anno 1535 Die 16 Januarii.

Unit eccleſiaſticum Beneficium Monaſterio B. Mariæ de las Duennas (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VIII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. AD Apoſtolicę dignitatis apicem divina diſpoſitione vocati, ex ſuſceptę ſervitutis officio, votis illis, per quę Monaſteriorum quorumlibet, & perſonarum pręſertim fęminei ſexus ſub regulari caſtimonia ſtudio pię vitę Altiſſimo famulantium, ſtatui, & perſonarum earundem commoditati, valeat ſalubriter provideri, libenter annuimus, ac etiam, prout expedire conſpicimus, favoribus proſeqoimur opportunis.

Diplomatis cauſa. Dudum ſiquidem omnia beneficia eccleſiaſtica &c. Attamen cum poſtmodum quędam perpetua ſimplex ſervitorium nuncupata in Parochiali Eccleſia oppidi de Canta la quadra, Salamantin. Dięceſis, per liberam reſignationem dilecti filii Ferdinandi Malenardo Clerici nuper in dicta Eccleſia perpetui Beneficiati, de illo, quod tunc obtinebat per dilectum filium Didacum de Ollarte Canonicum Salamantin. Procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem prędictam, vacaverit, & vacet ad pręſens, nulluſque de illo preter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis; Et, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Aldonzę Enriquez modernę Prioriſſę, & Conventus Monaſterii per Prioriſſam gubernari ſoliti B. Marię de las Duennas nuncupati, Salamantin. Ordinis

S. Au-

S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, petitio continebat, cum Prioriſſa, & Moniales dicti Monaſterii pro tempore exiſtentes, ſub regulari caſtimonia, & humilitatis ſpiritu, odore bonę famę, gratum Altiſſimo famulatum exhibere ſtudentes, ac Monaſterium dictum penurię, & ęgeſtatis incommoda, ſuſtinere dignoſcuntur, & earum pręſertim, quę pro tempore infirmitate detinentur indigentiis ex facultatibus ipſius Monaſterii admodum exilibus, de facili, providere nequeant, ſi dictum beneficium pręſato Monaſterio perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, profecto Prioriſſa, & Moniales ipſę in eo exiſtentes, aliquod ſublevamen, ac auxilium ſuſciperent, & ipſis infirmis, ac earum neceſſitatibus facilins ſubvenire, diviniſque beneplacitis liberius vacare poſſent, pro parte Aldonzę Enriquea Prioriſſę, & Conventus prędictarum, aſſerentium redditus, & proventus dicti beneficii ſexaginta ducatos anri de Camera ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut beneficium prędictum pręfato Monaſterio, perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Mandatum.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annnum valorem, ſecundum extimationem prędictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret, ad partes, vocatis, quorum intereſſet, Aldonaam, Prioriſſam, ac Conventum prędictas, & earum ſingulas a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, necnon fructus, redditus, & proventus, etiam Monaſterii, & illi annexorum, verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſis habentes, bujuſmodi ſupplicationibus inclinati, beneficium prędictum, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem ipſius Ferdinandi, vel cujuſvis alterius de illo in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, etiam ſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateran. ſtatuta Concilii, ad Sedem prędictam, immediate devoluta, ipſumque beneficium diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter, vel alias generaliter reſervatum exiſtat, & ſuper eo, inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo &c. pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad Nos huc vice pertineat, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita, quod liceat Aldonzę, & pro tempore exiſtenti Prioriſſę, & Conventui pręfatis per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem beneficii, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, auctoritate noſtra, libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in infirmarum Monialium ſublevamen, & alios ſuos, & Monaſterii, ac Beneficii prędicti, uſus, & utilitatem convertere, necnon omnia onera conſueta dicti beneficii per Presbyterum idoneum, ad earum nutum ponendum, & amovendum in divinis deſerviri facere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus priori voluntate noſtra prędicta, & Lateranen. Concilii noviſſime celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus a jure permiſſis fieri prohibentis, necnon felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, & aliis etiam conſtitutionibus, ac gratiis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper pręmiſſis ſibi faciendis de bujuſmodi, vel aliis beneficis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetraverint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, aut alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſequuta quęcunque, ad dictum beneficium, volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quod aſſecutionem beneficiorum aliorum pręjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, & ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus eorum impediri valeret quomodolibet, vel diferri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, Volumus autem, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas dictum beneficium, debitis non fraudetur obſequiis, ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta, decernimus etiam, prout eſt, irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his &c. attentari. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Quarto (3), Decimo ſeptimo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *De las Duennas.*) Seu *de las Doñas*, in *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXIII Ad Perpetuam fol.* 236.
3. *Trigeſimo Quarto.*) Stylo Bullarum, ęra communis *MDXXXV*.

Anno 1535 Die 1 Martii.

Dertuſenſis (1) Collegii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

IX.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

CIrcunſpecta conſideratione perſerutantes, quam neceſſarium in hac temporali vita bonum a rerum omnium Creatore hominibus conceſſum exiſtit, ut per literarum ſtudia, profugatis ignorantię tenebris, ipſi in via mandatorum, & domo Domini converſari diſcant; ad ea libenter noſtrę ſolicitudinis partes convertimus, per quę ſtudia ipſa ubilibet incrementa ſuſcipiant, & perſonis in illis inſiſtentibus, facultates non deſint, & quę propterea proceſſiſſe dicuntur, ut firmius perſiſtant, potiſſimum cum a Nobis petitur, libenter Apoſtolico munimine roboramus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Diplomatis cauſa.

Sane pro parte dilectorum filiorum Capituli Provincię Dertuſen. S. Auguſtini, & moderni Prioris Provincialis Provincię Aragonię Fratrum Prędicatorum ſecundum morem ejuſdem Ordinis, & Balthaſaris Sorio (3) profeſſoris ejuſdem Ordinis Fratrum Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod

quod alias ipſi Capitulum, Capitulariter ad hoc congregati, & provide attendentes dictum Balthaſarem modernum ipſius Provincię Lectorem, quandam Domum dictę Eccleſię olim pro habitatione unius Lectoris dictę Eccleſię, qui tam illius Canonicis, quam quibuſvis aliis perſonis legendo, & prędicando, verbum Dei explicare, & in illo, ipſos inſtruere teneretur, & ejus ſocii etiam Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſoris deputatam jam forſan vetuſtate collabentem, ſuis propriis ſumptibus quaſi a fundamentis, reędificaſſe, ac ampliſſimis dilataſſe incrementis, ad ſummam chriſti fidelium utilitatem, ſacrarum literarum exercitium, ampliare, ac unum Collegium pro uſu, & habitatione aliquorum Fratrum dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, qui in Theologię, Logicę, & Phyſicę facultatibus legere, & docere deberent, conſtruere, & fundare quodque dicti Fratres in dicta Domo pro tempore degentes, prę͏ter fructus ejuſdem Beneficii, olim eidem Domui, pro ipſius Rectoris ſuſtentatione applicatos nullos alios fructus, & redditus, nec etiam eleemoſynas, unde ſe ſuſtentare poſſent, habebant, ex certis tunc expreſſis eleemoſynis per prę͏fatos Capitulum, & alias perſonas dictę Eccleſię inter pauperes incertos annis ſingulis diſtribuendis viginti quinque Ducatos auri annis ſingulis pro ſuſtentatione duorum Fratrum dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum per eos nominandorum, & in dicto Collegio reſidentium, aſſignarunt, & applicarunt, prout in Inſtrumento publico, deſuper confecto, plenius dicitur contineri. Quare pro parte Capituli, & Prioris Provincialis, & Balthaſaris prę͏fatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut aſſignationi, & applicationi prędictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, necnon in ipſa Domo, unum Collegium pro uſu, & habitatione Fratrum ejuſdem Ordinis Fratrum Prędicatorum erigere, ac alias in premiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religioſorum locorum propagationem, & exercitii bonarum artium, ſinceris deſideramus affectibus, incrementum, ſingulares perſonas Capituli, & Priorem, ac Balthaſarem prę͏fatos, & eorum quemlibet a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, necnon eleemoſynarum earundem quantitateni prę͏ſentibus, pro expreſſa habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſine alicujus
Facultas. prę͏judicio, approbationem, & aſſignationem prędictas auctoritate Apoſtolica, tenore prę͏ſentium approbamus, & confirmamus, omneſque, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, necnon in prędicta Domo, unum Collegium pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, qui inibi in facultatibus prędictis, legere, & docere teneantur, ipſorumque Capituli, & Baltbaſaris ad boc expreſſo accedente conſenſu, auctoritate Apoſtolica, ac tenore prę͏miſſis erigimus, & inſtituimus, illique annuum redditum vigintiquinque Ducatorum hujuſmodi pro ſuſtentatione duorum Fratrum per ipſos Capitulum nominandorum eorundem, de novo perpetuo applicamus, & appropriamus, ac ipſi Balthaſari, ut donec ipſum Collegium completum fuerit, ad aliquod officium ejuſdem Ordinis Fratrum Prędicatorum acceptandum, invitus cogi, ſeu compelli, aut ab eodem Collegio amoveri non poſſit, ſed ille, & pro tempore exiſtens Lector ejuſdem Collegii habitationem in eo pro ipſo Lectore conſtructam, & ędificatam habere, & omnia, & ſingula, quę de Luxent (4), Valentin. Dięceſis, & aliorum Domorum, & Collegiorum ejuſdem Ordinis Fratrum Prędicatorum Lectores, ſeu Regentes in illis facere, & exercere, necnon tam ipſi, quam alii Fratres, in dicto erecto Collegio, pro tempore reſidentes, omnibus, & ſingulis juribus, & pertinentiis, privilegiis, libertatibus, Indulgentiis, gratiis, & indultis, quibus de Luxent prędictum, & S. Jacobi de Tremps (5), alias de Pallas, & Sancti Dominici de Victoria Calaguritan. Dięceſis, & aliorum Collegiorum, ſeu Domorum ejuſdem Ordinis Fratrum Prędicatorum Priores, & Fratres in generali, quomodolibet ntuntur, potiuntur, & gaudent, ac nti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, indulgemus, non obſtantibus felicis recordationis Boniſatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua prohibetur, ne quivis Ordinum Mendicantium Fratres, nova loca ad habitandum acquirere, aut nunquam mutare prę͏ſumant abſque Sedis Apoſtolicę auctoritate ſaciente plenam, & expreſſam de probibitione hujuſmodi mentionem, ac quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſię Dertnſen., & Ordinis Fratrum Prędicatorum eorundem, jnramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis dicto Ordini Fratrum Prędicatorum, & quibuſvis illius Superioribus, Prę͏latis, & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibus, & aliis Decretis, motu proprio conceſſis, confirmatis in forma Brevis, & alias quomodolibet iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, & individua, ac de verbo, ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut certa exquiſita forma, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo, ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita, obſervata, inſerti forent, prę͏ſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, ſuppletionis, erectionis, inſtitutionis, & appropriationis infringere. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo quarto (6) Kalendis Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Dertuſenſis.*) Vulgo *Tortoſa*, in *Hiſpania Tarraconenſi*.
2. *Arcbivo.*) In quo duplex Exemplar, unum ex *Arcbivo Apoſtolico Lib. XXIII Ad Perpetuam fol.* 335: aliud authenticum ex autographo *Dertuſenſi*.
3. *Baltbaſaris Sorio.*) Viri celeberrimi, de quo conſulendus *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad ann. MDLVII pag.* 159. Adeas etiam *Franciſcum Diago Hiſtor. Provinciæ Aragoniæ Lib. II Cap. XCVI pag.* 278 *&c.*
4. *Luxent.*) Seu *Lucenten.*, vulgo *Luchent*. Legendus *Diago* mox laudatus.
5. *Tremps.*) *Tremp*, ut apud *Diago Cap. XCIX pag.* 285 *&c.*
6. *Trigeſimo Quarto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXXXV*.

Ut

Ut præcedens Conſtitutio executioni mandetur.

Anno 1535 Die 1 Martii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

X.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Caſertino (2), & dilectis filiis Abbati Monaſterii Sancti Petri Ageren. nullius Diœceſis, ac Archidiacono Eccleſię Tarraconen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis: Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Circunſpecta conſideratione perſcrutantes &c. (3). Quo circa diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios prędictas literas, & in eis contenta quęcunque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Lectoris pro tempore exiſtentis, & Fratrum erecti Collegii hujuſmodi fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in prœmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra literas prędictas, & in eis contenta quęcunque inviolabiliter obſervari, non permittentes, eos, quos literę ipſę concernunt, deſuper quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus omnibus ſupradictis, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo quarto (4), Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, authenticum unum ex autographo *Dertuſenſi*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Libro XXIII. Ad Perpetuam fol.*337.
2. *Caſertin.*) *Caſertan.*, in Regno *Neapolitano*. In exemplari *Vaticano* legitur: *Caſtren.*
3. *Perſcrutantes &c.*) Ut in præcedenti Conſtitutione ad finem uſque.
4. *Trigeſimo quarto.*) Stylo Bullarum æræ communis *MDXXXV.*

Monaſterium (1) S. Sixti de Urbe curæ Provincialis Lombardiæ committit.

Anno 1535 Die 10 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XI.

PAULUS PP. III.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

DUdum felicis recordationis Leoni Papę X Prędeceſſori noſtro pro parte tunc Prioriſſę, & Monialium Monaſterii Sancti Sixti de Urbe expoſito, quod cum Monaſterium ipſum eſſet ſub cura Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum immediate, ac Vicarius Congregationis Lombardię dicti Ordinis regularis obſervantię providebat eis de Confeſſoribus, & timebant, ne forte bonę memorię Thomę (3) olim tituli Sancti Sixti Presbytero Cardinali, tunc in minoribus conſtituto Magiſtro Generali dicti Ordinis, qui reformationi ipſius Monaſterii dederat, dabatque indefeſſam operam, aliquis ex vita communi ſuccederet, ſub quo regularis dicti Monaſterii vita relaxaretur, & ingreſſus in Monaſterium de licentia Pręlatorum frequens periculum, aut famę notam eiſdem Monialibus induceret, dictus Prędeceſſor ad ſupplicationem Thomę Generalis, ac Prioriſſę, & Monialium pręfatorum, conceſſit Prioriſſę, & Monialibus Monaſterii hujuſmodi, ut quandocunque perpetuis futuris temporibus contingeret, eſſe Magiſtrum Generalem de vita communi, eſſet in poteſtate ipſarum Prioriſſę, & Monialium advocare Vicarium Generalem Congregationis Lombardię ad viſitandum, regendum, & curam habendam dicti Monaſterii, tam in Capitibus, quam in membris, cum plena poteſtate Prioris Provincialis, tam ex Conſtitutionibus dicti Ordinis, quam indultis Apoſtolicis, ita tamen, quod non niſi perſonaliter Monaſterium pręfatum viſitare poſſit, & ne clauſura, quę tunc ſervabatur, relaxaretur, decrevit, & ſub excommunicationis pęna pręcepit, ne maſculus aliquis Monaſterium ipſum ingrederetur, niſi in infraſcriptis caſibus, videlicet, viſitator ſemel in anno, cauſa Viſitationis ſolemnis bis, ſeu pro primo, & ſecundo Capitulo, cum uno tantum ſocio honeſtę converſationis, adminiſtrator Viatici, vel extremę Unctionis, ſeu Sacramenti Pœnitentię in periculo mortis, aut Paſchali Confeſſione, & infirmorum Communione, Medicus, operarii, vectores rerum, Cives Romani, quibus cuſtodia Monaſterii eſſet commiſſa cum Magiſtro Generali, vel illius Vicario, ita tamen, ut non minus quam tres ſimiles computato dicto Generali, vel ejus Vicario ingrederentur. Pręcepit quoque ſub excommunicationis pęna ſingulis dicti Monaſterii pro tempore Monialibus, ne unquam cum aliquo maſculo in Monaſterio abſque duabus ad minus Monialibus videntibus maneret, nec in hoc Confeſſori, aut Pręlato cuique deferretur, niſi forte arctitudo loci id non permitteret, in periculo mortis conſtituta moniale confitente peccata ſua; tunc enim cum Confeſſore januis illius loci apertis poterit admitti, ut melius fieri poſſet in loco ſit arcto prout in dicti Prędeceſſoris in forma Brevis deſuper confectis literis (4) plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut dilecti filii Raymundus de Capoferro, & Raphael de Caſalibus, ac Jacobus del Nero, & Antonius de Frangipanibus Cives Romani, quibus cuſtodia Monaſterii hujuſmodi eſt commiſſa, Nobis nuper exponi fecerunt, caſus advocandi Vicarium Generalem Congregationis Lombardię hujuſmodi, vel ejus loco Priorem Provincialem Provincię utriuſque Lombardię loco dicti Vicarii Generalis per pię memorię Clementem Papam Septimum, & jam Prędeceſſorem noſtrum conſtitutum, ac deputatum, jam advenerit, Nota.

dictique Raymundus, ac Raphael, & Jacobus, ac Antonius Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſaluti animarum Prioriſſę, & Monialium dicti Monaſterii, illarumque, ac earum conſanguinearum, & affinium, ac Monaſterii hujuſmodi honori conſulentes, Monaſterium prętatum Priori Provinciali Provincię utriuſque Lombardię regularis obſervantię dicti Ordinis ſubiicere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Mandatum.

Nos, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore prętentium Monaſterium prętatum, illiuſque nunc, & pro tempore Prioriſſam, Moniales, perſonas, res, & bona quęcunque a juriſdictione, & poteſtate Prioris Provincialis Provincię Romanę, infra cujus limites exiſtunt, eximimus, & liberamus, ac Provinciali Provincię utriuſque Lombardię regularis obſervantię dicti Ordinis, illiuſque correctioni, viſitationi, ſuperioritati, & juriſdictioni in omnibus, & per omnia, prout alia Monaſteria Monialium Provincię utriuſque Lombardię, & Ordinis prętati illi ſubjecta quomodolibet ſubſunt, penitus, & omnino ſubiicimus, & quod ipſe Prior Provincialis Provincię utriuſque Lombardię per ſe, vel per alium, ab eo ad hoc ſpecialiter deputatum Monaſterium S. Sixti prętatum viſitare, ac omnia, & ſingula, quę in aliis Monaſteriis ſibi ſubjectis facere quomodolibet poteſt, facere libere, & licite valeat, & quod Magiſter Generalis dicti Ordinis nunc, & pro tempore exiſtens Monaſterium S. Sixti prętatum, niſi in cauſa neceſſitatis, ac de expreſſo conſenſu Quatuor Civium Romanorum, cuſtodiam dicti Monaſterii, nunc, & pro tempore habentium, & eum duobus ſociis honeſtę vitę ingredi, ipſeque, ſeu quiſquam alius pręter Romanum Pontificem, facultatem eligendi Confeſſorem, aut retinendi pecunias, vel alia faciendi, quę regulari obſervantię ſint contraria, concedere nullatenus poſſit, & ſic per quoſcunque tam ordinaria, quam delegata, & mixta auctoritate fungentes judices, & perſonas ubique judicari, cognoſci, atque decidi debeat, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, cognoſcendi, atque decidendi facultate, necnon irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his a quocunque quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, ac Priori Provinciali Provincię utriuſque Lombardię hujuſmodi, & ejus ſubſtituto in Romana Curia exiſtenti, quatenus eorum alter prętentibus literis ei prętentatis infra ſpatium triginta dierum curam Monialium S. Sixti debeat acceptare, ac eis de Confeſſore ętatis provectę diſcreto, & idoneo curam habente tantum ſupradicti Monaſterii S. Sixti in ſpiritualibus, qui immediate eidem Provinciali, vel ſubſtituto, & non Generali ſit ſubjectus, providere teneatur, ſub excommunicationis latę ſententię pręcipimus, & nihilominus venerabilibus Fratribus Vigonienſi (5), & Caſſanenſi (6), ac Theleſin. (7) Epiſcopis per prętentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel per alium, ſeu alios auctoritate noſtra faciant prętentes literas, & in eis contenta quęcunque plenum effectum ſortiri, illiſque omnes, & ſingulos, quos quomodolibet concernunt, pacifice frui, & gaudere. Nec permittant quemcunque contra tenorem prętentium quomodolibet moleſtari, vel inquietari, & impediri. Contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per quaſcunque, de quibus eis placuerit, cenſuras, & pęnas appellatione poſtpoſita compeſcendo, & auxilium brachii ſecularis ad hoc, ſi opus fuerit, invocando, ac omnia, & ſingula in pręmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna faciendo. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac Provincialibus, & Synodalibus, & Capitularibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac prędicti Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, ac literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, & Bulla aurea, & mare magnum, ac aliis quomodolibet nuncupatis, per quoſcunque Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, & Nos, & Sedem Apoſtolicam etiam per viam generalis legis, & ſtatuti perpetui, ac initi, & ſtipulati contractus, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut exquiſita forma ſervanda foret, & in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſſit, illorum omnium, & quarumcunque ſcripturarum, occaſione pręmiſſorum quomodolibet confectarum, tenores prętentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modos, & formas ad id ſervandos pro individuo ſervatis habentes, hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum (8) Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X Aprilis MDXXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Lud. de Torres.

1. *Monaſterium.*) Vide Notas ad *Conſtitutionem XXIII Honorii III.* Legitur pag. 19 *Tom. I.*
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, unum ex autographo aſſervato in Monaſterio *S. Dominici Sixti*, aliud ex autographo quod habetur in Archivo Cœnobii *S. Sabinæ de Urbe.*
3. *Thomæ.*) *Cajetani* de quo in *Appendice ad Pontificatum Leonis X.*
4. *Literis.*) Quæ deſiderantur.
5. *Vigonien.*) *Vigornien.*, in *Anglia*, ſub Archiepiſcopo *Cantuarienſi*.
6. *Caſſanen.*) In *Calabria*.
7. *Theleſin.*) In Provincia *Terra Laboris*.
8. *Datum.*) Huc etiam ſpectat ſequens Diploma.

NOs Hieronymus de Grinieiis Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Vigornien., curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius ad inſtantiam, & requiſitionem Prioriſſæ, & Monialium Monaſterii S. Sixti de Urbe, omnes, & ſingulos ſuam, communiter, vel diviſim intereſſe putantes, eorumque Procuratores, ſi qui ſunt in Romana Curia, ad videndum, & audiendum produci literas Apoſtolicas Sanctiſſimi D. N. D. Pauli divina providentia PP. III in forma Brevis, in dictarum Prioriſſæ, & Monialium dicti Monaſterii, fore expeditas, & illas tranſumi, & exemplari, mandari, auctoritatemque, & decretum deſuper interponi, vel dicendum cauſam, ſi quam haberent, vel habere prætendant, quare hoc fieri non debeat allegandam in Audientia literarum contradictarum D. N. Papę ad certum peremptorium terminum competentem infraſcriptum, citari fecimus, & mandavimus. Quo adveniente, comparuit in judicio legitime coram No-

Nobis D. Hieronymus Miſſinus de Urbe veteri Procurator dictarum DD. Prioriſſæ, & Monialium Principalium, & nomine Procuratoris pręmiſſo, data citatione in dicta Audientia literarum contradictarum, hodie lecta, citatorum in eadem contentorum non comparentium contumaciam accuſavit, ipſos contumaces reputari, & in eorum contumacia dictas literas Apoſtolicas, ſuperius deſignatas, facto realiter, & in ſcriptis infraſcripti tenoris exhibuit, atque produxit, quas tranſumi, & exemplari mandari, auctoritatemque, & decretum noſtrum, deſuper interponi per Nos, debita cum inſtantia poſtulavit. Nos tunc Hieronymus Auditor præfatus, dictos citatos non comparentes, & in eorum contumacia, dictas literas Apoſtolicas, hic tranſumptari, & in hanc publicam formam redigi mandavimus. Volentes, & dicta auctoritate noſtra, & dictæ Curiæ decernentes, quod huic noſtro tranſumpto plena, & indubia fides, ubique locorum in judicio, & extra adhibeatur, ac talis, & tanta, qualis, & quanta ipſis literis originalibus adhiberetur, ſi in medium adducerentur, & oſtenderentur. Tenor vero dictarum literarum Apoſtolorum ſequitur, & eſt talis: Paulus PP. III. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Dudum felicis recordationis Leoni PP. X &c. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris 1535, Pontificatus noſtri Anno Primo. L. de Torres. Quibus omnibus, & ſingulis præmiſſis, tanquam rite, & legitime peractis, noſtram, & dictæ Curiæ duximus interponendam auctoritatem, atque decretum, & interpoſuimus per præſentes. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum, præſentes literas, ſive præſens publicum tranſumpti inſtrumentum, exinde fieri, ac per noſtrum, & dictæ Curiæ noſtræ Notarium infraſcriptum ſubſcribi, & publicari fecimus, ſigillique ejuſdem Curiæ, juſſimus impreſſione muniri. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Anno a Nativitate Domini 1535. Indictione 8. Die vero 26 Menſis Aprilis, Pontificatus prælibati Sanctiſſimi D.N.D. Pauli divina providentia PP. III Anno Primo. Præſentibus ibidem DD. Johanne Jacobo Bucca, & Antonio de Grangia teſtibus ad hoc vocatis &c.

Provinciæ Dalmatiæ Provincialis eligendus (1) quolibet quadriennio.

Anno 1535 Die 8 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis univerſis, & ſingulis Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Dalmatię ſecundum morem ejuſdem Ordinis.

PAULUS PP. III.

XII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

INter multiplices Nobis ex Apoſtolatus officii deſuper commiſſi debito imminentes curas, illa libenter amplectimur, per quę noſtrę proviſionis auſpiciis religioſarum perſonarum quarumlibet ſtatus floreat, & ubique ſalubriter dirigatur. Cum itaque, ſicut accepimus, Provincia Dalmatię, ſecundum morem veſtri Ordinis Fratrum Prędicatorum in partibus ultramarinis, & multum remotis conſiſtens, retroactis temporibus, per Priorem Provincialem ad Magiſtri Generalis dicti Ordinis nutum amovibilem gubernari conſueverit, & quandoque ob Priorum Provincialium dictę Provincię diuturnitatem, aliquando vero frequentem mutationem, quam plurima damna ſupportaverit, majoraque veriſimiliter ſubſequi poſſent, niſi deſuper de congruo remedio provideatur, Nos, veſtrum, & ejuſdem Provincię proſperum, & tranquillum ſtatum, ac ut quietius, & liberius Altiſſimo vota veſtra perſolvere poſſitis, paterno zelantes affectu; ac propterea volentes ſuper his congruę proviſionis remedium miniſtrare, & futuris inconvenientibus, quantum poſſumus obviare, Motu proprio, & ex certa ſcientia, quod de cetero officium Prioris Provincialis ejuſdem Provincię, quatuor annis a die acceptationis ipſius officii computandis duntaxat duret, & dicto quadriennio elapſo, idem Prior ab officio Prioratus Provincialis, eo ipſo abſolutus ſit, & niſi per Magiſtrum Generalem pro tempore exiſtentem, aliter ordinatum fuerit, donec ejus loco futuri Provincialis electio, & confirmatio, in ipſa Provincia intimata fuerit, dictę Provincię Vicarius remaneat, nec ad ipſum Prioris Provincialis officium, denuo aſſumi valeat, niſi octo annis, poſt ceſſationem ſui officii computandis elapſis, & ſi aliquando dictum officium, tempore autumni, ſeu hyemis, quo vos ob maris tempeſtates, inſimul de facili convenire non valetis, ceſſaverit, vicarius ejuſdem Provincię de illius diſcretorum conſilio Congregationem Capituli Provincialis pro futura Prioris electione celebrandam, uſque ad principium menſis Maii, tunc immediate ſequentis prorogare, & interim Provinciam ipſam regere, & gubernare valeat; Ita tamen, quod idem Magiſter, eundem Priorem Provincialem, etiam dicto quadriennio durante, ab ipſo Prioratu Provinciali, ſi ſibi ex aliqua cauſa rationabili videatur, amovere valeat, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium ſtatuimus, & ordinamus; necnon Conſtitutionem felicis recordationis Julii PP. II, Prędeceſſoris noſtri, circa dicti Prioris Provincialis electionem, & illius tempus, dudum editam, innovamus, illamque perpetuo obſervari volumus, & mandamus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provincię prędictę, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis, quoque indultis, & literis Apoſtolicis Ordini, & Provincię prefatis, eorumque ſuperioribus prefatis, & perſonis, per pię memorię Clementem VII, & alios Romanos Pontifices, etiam Prędeceſſores noſtros, ac Sedem Apoſtolicam, etiam in forma Brevis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & Decretis, ac cum conſtitutionis Julii, Prędeceſſoris hujuſmodi, revocatione, ac alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis quę adverſus pręmiſſa, nullatenus ſuf-

ſuffragari poſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die VIII Junii MDXXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Bloſius.

1. *Eligendus.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Jaderenſi*.

Anno 1535 Die 5 Julii.

Quæ Prædeceſſores Julius II, Leo X, & Clemens VII Grottulenſi (1) Cœnobio conceſſere confirmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Vicario, & Fratribus Domus Sanctæ Marię Majoris oppidi de Grottula Ordinis Pręadicatorum.

XIII.

PAULUS PP. III.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ALias felicis recordationis Julius Papa II, Pręadeceſſor noſter, ad inſtantiam incolarum, & habitatorum Oppidi de Grottula, Acherontin., & Materan. Diœceſis titulo, & nomine in Eccleſia Beatę Marię majoris dicti Oppidi, quę antea Collegiata, & Parochialis erat, ſuppreſſis, & extinctis vobis licentiam, & facultatem Eccleſiaſtica Sacramenta ejuſdem Eccleſię parochianis miniſtrandi, per quaſdam (3) ſub plumbo conceſſit, & deinde pię memorię Leo Papa X, etiam Pręadeceſſor noſter, poſtquam in Concilio Lateranen. noviſſime celebrato voluerat, ne cujuſvis Ordinis Religioſi eccleſiaſtica Sacramenta parochianis miniſtrare poſſent, cum ab aliquibus aſſereretur conceſſioni hujuſmodi per dictam voluntatem pręjudicatum fuiſſe, per quaſdam (4) in forma Brevis vos literis Julii Pręadeceſſoris hujuſmodi, voluntate prędicta non obſtante, libere, & licite uti poſſe, & debere, decrevit; ſucceſſive autem ſanctę memorię Clemens Papa VII, ſimilis Pręadeceſſor noſter, literas Julii, & Leonis Pręadeceſſorum hujuſmodi per quaſdam (5) etiam in forma Brevis literas approbavit, & confirmavit, prout in ſingulis literis prędictis plenius continetur. Cum autem, ſicut exponi Nobis nuper feciſtis, cupiatis literas Julii, Leonis, ac Clementis Pręadeceſſorum hujuſmodi pro illarum ſubſiſtentia firmiori per nos approbari, & confirmari, & propterea nobis humiliter ſupplicari feceritis, ut votis veſtris annuere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos veſtris ſupplicationibus hujuſmodi inclinati, literas Julii, & Leonis, ac Clementis Pręadeceſſorum prędictas, quarum tenores hic pro ſufficienter expreſſis habere volumus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, voſque illis uti poſſe decernimus, mandantes venerabilibus Fratribus Andrien. (6), & Inſulan. (7), ac Minervin. (8) Epiſcopis quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios vobis in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant, vos prędictis per Nos confirmatis literis, ac omnibus, & ſingulis in eis contentis, prout conſueviſtis pacifice frui, & gaudere; non permittentes vos deſuper per quoſcunque quomodolibet moleſtari, impediri, inquietari, vel perturbari: contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, ac pecuniarias eorum arbitrio imponendas, & applicandas pęnas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII etiam Pręadeceſſoris noſtri de una, & Generalis Concilii de duabus dietis dummodo ultra tres dietas quis vigore pręſentium ad judicium non trahatur, ac aliis Apoſtolicis, in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generaliter vel ſpecialiter Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die V Julii MDXXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Confirmatio.

1. *Grottulen.*) In Regno *Neapolitano*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Grottulenſi*.
3. *Quaſdam.*) Conſtitutionem ſcilicet *LVI*. Legitur *pag.* 259 hujus *IV* Tomi.
4. *Quaſdam.*) Conſtitutionem nempe *LXXIV*. Legitur *pag.* 337.
5. *Quaſdam.*) *Conſtitutionem XXVII*. Legitur *pag.* 447.
6. *Andrien.*) In Regno *Neapolitano*, ſub Archiepiſcopo *Tranenſi*.
7. *Inſulan.*) ſub Metropoli *S. Severinæ*, in *Calabria*.
8. *Minervin.*) Aliis *Minerbin.*, ſub *Barenſi* Metropoli in Regno *Neapolitano*.

De

De fundando Neapolitano Collegio S. Thomæ de Aquino.

Anno 1535
Die 14 Julii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Dilecto filio Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſeu ejus Vicario Generali.

XIV.

PAULUS PP. III.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut dilectus filius Alfonſus de Avalos (2) de Aquino, Marchio Vaſti Aymonis, & Comes Laureti, noſter ſecundum carnem affinis, Nobis nuper exponi fecit, alias ipſe ob ſingularem, quam ad Sanctum Thomam de Aquino gerit devotionis effectum, & ut teſtamento alias per clarę memorię Ferdinandum (3) Franciſcum etiam de Avalos de Aquino, Piſcarię Marchionem ejus Fratrem patruelem, cujus ipſe Alſonſus hęres eſt, condito, quo inter alia mandavit unam Eccleſiam ſub invocatione Beatę Marię de Fide, & ejuſdem Sancti Thomę conſtrui debere, quo ad hoc ſatisfaceret, quoddam Monaſterium olim per quondam in Civitate Neapolitana Lauram Sanſeverinam de Avalos ejus genitricem miro, & ſumptuoſo opere conſtrui cęptum, cum omnibus, & ſingulis illius ſtructuris, & ędificiis Ordini prędicto ad effectum, ut inibi una domus ejuſdem Ordinis ſub invocatione prędicta, cum Eccleſia, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, & hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione perpetuis aliquorum Fratrum Ordinis hujuſmodi, regularis obſervantię nuncupatorum, conſtruatur, & ędificetur, & tam Eccleſia, quam domus hujuſmodi per dilectos filios Stephanum (4) de Caſſano, & Ambroſium (5) de Balneolo ejuſdem Ordinis, & Theologię profeſſores quoad vixerint regantur, & gubernentur, & cuique ſuperiori, pręterquam tibi, tuiſque ſucceſſoribus parere non teneant, donaverit, & gratioſe conceſſerit, prout in ipſius Alfonſi deſuper confectis patentibus literis dicitur plenius contineri. Et idem Alſonſus Marchio Nobis humiliter ſupplicari fecerit, ut tibi per te, aut ſupradictos Stephanum, & Ambroſium, vel alterum eorum, Monaſterium, & ſtructuras hujuſmodi recipiendi, & inibi domum prędictam ſub eadem invocatione conſtruendi, ſive conſtrui faciendi, ac illam juxta ritus, & mores dicti Ordinis tui per eoſdem Stephanum, & Ambroſium quoad vixerint, regendi, & gubernandi, ita quod cuique ſuperiori, pręterquam tibi, tuiſque ſucceſſoribus, parere non teneantur, licentiam concedere, & alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui Religionem noſtris pręſertim temporibus ubique propagari ſinceris deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi per te, aut Stephanum, & Ambroſium prędictos, vel alter eorum, quem tu nominaveris, Monaſterium, & ſtructuras, ac ędificia hujuſmodi recipiendi, & inibi unam domum ſub invocatione prędicta cum Eccleſia, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, & opportunis, pro uſu, & habitatione aliquorum Fratrum dicti Ordinis regularis obſervantię nuncupatorum, ſine alicujus pręjudicio conſtruendi, ſive conſtrui faciendi, ac illam ſub regulari obſervantia juxta ritus, & mores Ordinis tui prędicti per alterum ipſorum Stephani, & Ambroſii, quem tu de conſenſu dilecti filii noſtri Johannis (6) Sanctorum Coſmę, & Damiani Diaconi Cardinalis de Salviatis nuncupati ipſius Ordinis Protectoris, nominaveris ad triennium a die notitię talis nominationis computandum duntaxat, & deinde per alterum eorundem Stephani, & Ambroſii alio triennio, & ſic ſucceſſive, donec Fratres ibibi introducendi bonę famę, & ſufficientis doctrinę extiterint, ac Priorem ad biennium cum ceſſatione ad eodem officio juxta conſtitutionem felicis recordationis Julii Papę Secundi, Prędeceſſoris noſtri electum, & per te confirmatum habuerint, cum omni auctoritate, juriſdictione, & ſuperioritate tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, quam Priores Provinciales in domibus ipſius Ordinis Provinciarum ſuarum tam de jure, & conſuetudine, quam ex ipſius Ordinis ſtatutis, & conſtitutionibus, ſeu illis conceſſis privilegiis habent, & habere poterint quomodolibet in futurum, regendi, & gubernandi, ita quod altero ex Stephano, & Ambroſio prędictis extra Provinciam Regni Sicilię exiſtente, ſeu defuncto alter ſolus in pręmiſſis omnibus, niſi juſtis de cauſis videbitur tibi aliter diſponendum, omnimodam habeat poteſtatem, & quoſcunque ipſius Ordinis profeſſores ad dictam domum tranſire, & inibi ſub regulari obſervantia virtutum Domino famulari volentes, ſi ejuſdem Provincię, vel in eadem juxta morem ipſius Ordinis acceptati fuerint, licentia ab illius Provinciali petita, licet non obtenta, ſi vero alterius Provincię extiterint licentia ipſa a ſuo Provinciali petita, & obtenta uſque ad numerum denarium pro nunc, ac deinde ſecundum domus capacitatem, & diſpoſitionem cum tui licentia in domo prędicta recipiendi, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium licentiam concedimus, & tam ipſi Stephanus, & Ambroſius, quam ceteri ipſius Ordinis profeſſores, in eadem domo pro tempore recepti ab omni poteſtate, & juriſdictione quorumcunque Pręlatorum ipſius Ordinis pręterquam tua, tuique ſucceſſoris pro tempore, liberi ſint, & exempti, & tibi tantum, tuiſque ſucceſſoribus, & non alicui alteri Pręlato parere teneantur, quodque Prior Provincialis illius Provincię in ipſa domo aliquem Fratrem aſſignare, vel inde removere, domum ipſam viſitare, aut quicquid immutare, vel juriſdictionem aliquam, in eoſdem Fratres inibi introducendos directe, vel indirecte minime exercere, ſed tantum cum eum ad ipſam domum declinare contigerit, loci pręeminentiam, & reliqua que dignitatis ſunt retinere poſſit. Et nihilominus tam ipſi, quam Prior, & ceteri vocales dictę domus debitam contributionem Priori Provinciali pro tempore exiſtenti, portionemque contingentem pro euntibus ad Generale Capitulum ſolventes in Capitulis Provincialibus, tam quoad Provincialatum, quam Diffinitoriatum, ac alia quęcunque ad Provinciam Regni Sicilię diſpoſitionem ſpectantia, vocem activam, & paſſivam habeant, ipſeque Prior ſic canonice electus, & per te, ac per tuos ſucceſſores in futurum confirmatus, eandem auctoritatem, & poteſtatem, quam ceteri aliarum domorum dicti Ordinis Priores, ex ejuſdem Ordinis conſ-

conſtitutionibus, ſeu privilegiis habere conſueverunt, prȩterquam circa ȩdificationem prȩdictȩ domus, in qua abſque conſenſu Stephani, & Ambroſii prȩdictorum quoad vixerint, vel alterius eorum quicquam diſponere non poſſit, eo ipſo habeat. Et inſuper eoſdem Stephanum, & Ambroſium, ac ipſius Ordinis profeſſores, in domo prȩdicta pro tempore commorantes domum Sanctȩ Crucis Caſtri maris de Stabiis ejuſdem Ordinis pro hoſpitio ipſius conſtruendȩ domus habere, & in illa omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, gratiis, exemptionibus, libertatibus, & indultis aliis Fratribus dicti Ordinis in genere conceſſis, & concedendis, etiam mare magnum nuncupatis, uti, potiori, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate, & tenore prȩdictis indulgemus. Quo circa venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Neapolitano, & Epiſcopo Inſulano, ac dilecto filio Vicario ejuſdem Archiepiſcopi Neapolitani in ſpiritualibus Generali per prȩſentes mandamus, quatenus ipſi, aut duo, vel unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, tibi & prȩdictis Stephano, & Ambroſio, vel alteri eorum in prȩmiſſis omnibus, & ſingulis efficacis defenſionis prȩſidio aſſiſtentes, prȩſentes literas ubi, & quando, & quotiens opus fuerit, ac pro parte eorundem profeſſorum Ordinis hujuſmodi in prȩdicta domo pro tempore commorantium requiſiti fuerint ſolemniter publicantes, faciant, te, ac Stephanum, & Ambroſium, ac profeſſores prȩfatos, & alios, quos literȩ ipſȩ quomodolibet concernunt, conceſſionibus, facultatibus, & indultis prȩdictis pacifice frui, & gaudere, non permittentes te, aut illos deſuper indebite quomodolibet moleſtari, Contradictores quoslibet, & rebelles cujuſcunque dignitatis, gradus, ſtatus, & conditionis exiſtant, per cenſuras eccleſiaſticas, & alias pȩnas, etiam pecuniarias, eorum arbitrio moderandas, appellatione remota, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papȩ VIII Prȩdeceſſoris noſtri, qua prohibetur, ne quivis Ordinum Mendicantium Fratres loca ad habitandum de novo recipere prȩſumant abſque Sedis Apoſtolicȩ licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de hujuſmodi prohibitione mentionem, & quibuslibet aliis Apoſtolicis, ac ipſius Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis conſtitutionibus, & ordinationibus, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam in forma brevis, in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, cȩteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romȩ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris Die XIV Julii MDXXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar. Legitur inter Bullas *Julii III.*

2. *De Avalos.*) Gens eſt celeberrima, de qua conſulendus *Paulus Jovius* in *Vita Ferdinandi Franciſci de Avalos.*

3. *Ferdinandum.*) Quem ſexti decimi ſeculi Scriptores laudibus ornant. Diem ſupremum obierat *Ferdinandus* anno *MDXXV.* En ipſius Epitaphium.

Quis jacet hoc gelido ſub marmore? Maximus ille
Piſcator, belli gloria, pacis honos.
Numquid & hic piſces cepit? Non. Ergo quid? Urbes,
Magnanimos Reges, Oppida, Regna, Duces.
Dic quibus hȩc cepit Piſcator retibus? Alto
Conſilio, intrepido corde, alacrique manu.
Qui tantum rapuere Ducem? Duo numina, Mars, Mors.
Ut raperent quidnam compulit? Invidia.
Nil nocuere ipſi, vivit nam fama ſuperſtes,
Quȩ Martem, & Mortem vincit, & Invidiam.

4. *Stephanum.*) *De Caſſano* nuncupatur ex patria. Ipſius meminerunt auctores quos laudat *Echard Tomo II ſcriptorum Ordinis ad annum MDXXXIV pag. 91.*

5. *Ambroſium.*) Epiſcopus *Neritonenſis* poſtea fuit iſte, ut poſtea dicetur.

6. *Johannis.*) De quo *Ciaconius* in *Leone X ad annum MDXIII pag. 382 Tomo III Vit. Pontif., & Cardinal.*

Anno 1535 Die 18 Julii.

Firmat compoſitionem incolas inter, & Moniales Monaſterii de la Torre (1) factam.

XV.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX ſolita Sedis Apoſtolicȩ clementia, ad ea libenter intendimus &c (3) Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum modernȩ Priorisſȩ, & Conventus Monaſterii Monialium per Prioriſſam gubernari ſoliti, B. Mariȩ de la Piedad, Oppidi de la Torre de Mormojon, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prȩdicatorum degentium, Palentin. Diȩceſis, & dilectorum filiorum Univerſitatis dicti Oppidi, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias, cum inter tunc Prioriſſam, & Conventum Monaſterii ex una, ac Univerſitatem hujuſmodi ex altera, partibus, controverſiȩ, ſeu differentiȩ ſuper infraſcriptis, ortȩ eſſent, aut oriri formidarentur, partes ipſȩ inter ſe pro bono pacis, inter alia, quod Prioriſſa, & Conventus hujuſmodi, de cetero in perpetuum, in dicto Oppido, & ejus diſtrictu, ſeu terminis, plures, quam tunc expreſſas Domos, ac ultra centum lanzadas vinearum, ac centum, & quinquaginta indagas nuncupatas menſuras terrȩ habere, aut cenſum perpetuum luibile, vel bona aliqua immobilia, inibi acquirere non poſſent, niſi loco domorum, ac bonorum ſtabilium, per eas Prioriſſam, & Conventum tunc poſſeſſorum per viam permutationis, aut venditionis, ita tamen, quod bona permutatione acquiſita, aut loco venditorum empta hujuſmodi, non excederent valorem bonorum ſtabilium per eaſdem Prioriſſam, & Conventum tunc poſſeſſorum, &, ſi excederent, Prioriſſa, & Conventus prȩfatȩ, illa, quoad eorum exceſſum hujuſmodi, vendere tenerentur, &, ſi bona eidem Monaſterio in permutatione data minoris valoris, quam bona ipſius Monaſterii forent, Prioriſſa, & Conventus hujuſmodi bona ſtabilia inibi, quȩ cum eis in permutatione data ad valorem bonorum, quȩ dictum Monaſterium antea habebat, aſcenderent, emere, & acquirere poſſent, &, ſi ratione dotis, aut ſucceſſionis hȩreditariȩ alicujus Monialis dicti Monaſterii, aliqua bona immobilia in oppido, ac termino prȩdictis conſiſtentia, ad Monaſterium prȩdictum devenirent, tunc, & eo caſu Prioriſſa, & Moniales prȩdictȩ illa infra annum conſanguineis, vel affinibus ipſius Monialis, aut eiſdem Univerſitati, ſeu Domino

Nota.

dicti

dicti Oppidi, vel volentibus illa emere pretio per unum a Prioriſſa, & Conventu, & alium ab Univerſitate, ſeu Magiſtratu, Decurionatum nuncupatum Oppidi hujuſmodi, ac tertium non incolam dicti Oppidi a dictis duobus nominandum, probos viros, vel unum ex primo dictis duobus, ac tertium hujuſmodi taxando vendere, & ſi alius emptor non reperiretur, pręfati Univerſitas illa pretio taxato hujuſmodi emere tenerentur, quodque Prioriſſa, & Conventus hujuſmodi in terminis, & Monte dicti Oppidi, octuaginta oves, arietes, agnos, & agnas, & non plures tenere, ac paſci facere eo tempore, quo alii incolę dicti Oppidi id facerent, libere, & licite poſſent, ac propterea illarum paſtor, necnon dicta Prioriſſa, & Conventus, damnis, datiis, & pęnis, quibus alii incolę dicti Oppidi ſubjacebant, ſubjacerent, & quia fundator dicti Monaſterii, dum viveret, pro facultate tenendi, & paſcendi animalia hujuſmodi, & habendi tantam quantitatem lignorum ex monte dicti Oppidi, quantam duo ex incolis ipſius Oppidi, haberent, unum prędium valoris triginta millium morapetinorum monetę illarum partium eiſdem Univerſitati conſignare, & tradere promiſerat, Prioriſſa, & Conventus prędictę ſummam triginta millium morapetinorum hujuſmodi eiſdem Univerſitati tradere, & Univerſitas hujuſmodi, ſummam eandem penes aliquam, fide, & facultatibus idoneam, perſonam, quouſque ex dicta ſumma prędium hujuſmodi emeretur, deponere deberent, ac ex tunc, & ante emptionem prędii hujuſmodi, Prioriſſa, & Conventus prędictę, facultate paſcendi animalia, & habendi ligna hujuſmodi uti poſſent, concordarunt, prout hęc, & alia in inſtrumentis publicis, deſuper confectis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte modernę Prioriſſę, & Conventus, ac Univerſitatis prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręmiſſis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in pręmiſſis opportune, providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, Prioriſſam, & Conventum, ac Univerſitatem prędictos, & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, ac bonorum, & domorum qualitates, quantitates, ſituationes, confines, vocabula, ac valorem etiam annuos, & quarumcunque ſcripturarum, occaſione pręmiſſorum, quomodolibet confectarum, tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pręmiſſa omnia, & ſingula, ac inde ſecuta quęcunque, licita tamen, & honeſta, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ſupplentes omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, illaque perpetuę firmitatis robur obtinere debere; & inviolabiliter obſervari, & partes ipſas ad illorum obſervationem ſub pęnis in ipſa concordia expreſſis, ac aliis cenſuris, & pęnis, necnon opportunis juris remediis obligatas eſſe, & teneri, & ſic per quoſcunque, tam ordinaria, quam delegata, & mixta auctoritate fungentes, judices, & perſonas ubique judicari, cognoſci, ac decidi debere, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, cognoſcendi, & decidendi facultate, necnon ſi ſecus ſuper his &c. attentari, irritum, & inane decernimus, non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Quinto, Decimo Septimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo. Confirmatio.

1. *Torre.*) In *Hiſpania.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro I fol.* 45.
3. *Intendimus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Ut præcedens Conſtitutio executioni mandetur.

Anno 1535 Die 16 Julii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XVI.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Cajetan., & dilectis filiis Decano, & Cantori Eccleſię Palentin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis Paulus &c. (2). Quocirca &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, prędictas literas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Monialium B. Marię de la Piedad, oppidi de la Torre, Ordinis S. Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Palentin. Dięceſis, ac Univerſitatis dicti oppidi, ſeu alicujus eorum fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra pręmiſſa, omnia, & ſingula, inviolabiliter obſervari, ac omnes, & ſingulos, quos literę ipſę, quomodolibet concernunt, eis pacifice frui, & gaudere, non permittentes, unam partium prędictarum, per alteram, vel e contra, aut partes ipſas, deſuper per quoſcunque quomodolibet indebite moleſtari, contradictores &c. Non obſtantibus ſupradictis, ſeu ſi aliquibus, communiter, vel diviſim &c. Datum, Romę apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo quinto, Decimo ſeptimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. I fol.* 46.
2. *Paulus &c.*) Ut in pręcedenti Conſtitutione ad finem uſque.

De

Anno 1535 Die 9 Auguſti.

De electione Prioris Provincialis Provinciæ Lombardiæ.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XVII.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum Provincię utriuſque Lombardię in Electione Provincialis vocem habere ſolitis.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ut accepimus, juxta veſtri Ordinis inſtituta, tempus immineat Provincialem iſtius Provincię eligendi, Nos, cupientes, ut ipſa electio ita celebretur, ut exinde quies, & tranquillitas veſtri Ordinis ſubſequatur, vos in Domino hortamur, & monemus, vobis nihilominus in virtute S. Obedientię injungimus, ut cum dictum tempus advenerit, abſque particulari aliquo reſpectu, ſolum Deum prę oculis habentes, ad electionem Provincialis hujuſmodi procedatis. Ne autem inter vos ob capitis defectum aliqua confuſio oriatur, ut modernus Provincialis veſter, etiamſi officio ſuo renunciaverit in Capitulo, pro Provincialis hujuſmodi electione celebranda faciendo, Vicarii officium exercere, ac alia, quę tales vicarii in hujuſmodi occaſionibus facere ſolent, facere poſſit, & valeat, ſtatuimus per pręſentes. Volentes, ut ſi quid in hujuſmodi Capitulo, antequam Definitores creati fuerint, emerſerit, quod declaratione indigeat, declaratio hujuſmodi per dictum modernum Provincialem, una cum tribus Prioribus Conventualibus iſtius Provincię, qui ſeniores, & in dicto Capitulo, pręſentes fuerint, fiat. Verumquia, ut ſimiliter accepimus, a nonnullis, in dubium revocatur, an dilectus filius Stephanus Foſcararius de Bononia, veſtri Ordinis profeſſor, Prior ſit Domus, ſeu Conventus Bononien. veſtri Ordinis, id antequam ad electionem novi Provincialis, & Definitorum procedatur, per eos, qui in dicto Capitulo, juxta inſtituta prędicta, vocem habere conſueverunt, declarari volumus; in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die IX Auguſti MDXXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi pag.* 99.

Anno 1535 Die 17 Octobris.

Auguſtinus (1) de Recuperatis Generalis Vicarius (2) Ordinis creatur.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

XVIII.

Dilecto filio Auguſtino de Recuperatis, de Faventia Ordinis Fratrum Prędicatorum Procuratori, & Vicario.

PAULUS III.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LIcet, ſicut accepimus, dilectus filius Johannes (4) de Fenario Magiſter Generalis tui Ordinis in remotis agens, & noſtrę de te in Procuratorem, & Vicarium ejuſdem Ordinis deputationis ignarus, alium Procuratorem, & Vicarium inſtituerit, tamen ſicut eidem Magiſtro Generali ſcripſimus, volumus, & tibi in virtute Sanctę obedientię, mandamus, ut in dictis officiis remaneas, illaque exerceas cum eadem auctoritate, quam tibi antea conceſſimus, donec aliud ſuper hoc decreverimus. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII Octobris MDXXXV (5) Pontificatus noſtri Anno Primo.

Bloſius.

1. *Auguſtinus.*) Adeat *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXXXIX pag.* 106.
2. *Vicarius.*) Generalis Magiſter poſtea renunciatus fuit, anno ſcilicet *MDXXXIX.*
3. *Archivo.*) In quo autographum.
4. *Johannes.*) De quo conſulendus *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXXXII pag.* 83.
5. *MDXXXV.*) Hinc liquet quod etiam in Apoſtolicis literis quas Brevia vocant, annos Pontificatus a Coronationis die nonnunquam numerabat *Paulus III.*

Utriuſ-

Utriuſque Lombardiæ Provinciam ornat privilegiis conceſſis Congregationi Lombardiæ.

Anno 1536. Die 17 Aprilis.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Dilectis filiis Prioribus Provincialibus, & Conventualibus, necnon Fratribus Ordinis Prędicatorum regularis obſervantię nuncupatis utriuſque Lombardię juxta morem ipſius Ordinis, & dilectis in Chriſto filiabus Sororibus, etiam Tertii Ordinis ſub cura dictorum Fratrum degentibus.

XIX.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, & dilectę in Chriſto filię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAcrę Religionis ſinceritas, in qua ſub voluntarię paupertatis habitu militantes in humilitatis ſpiritu devotum, & ſedulum impenditis Domino famulatum, promeretur, ut votis veſtris, per quę ſalubris ſtatus veſtri directioni conſulitur, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuamus. Exponi nobis ſiquidem nuper feciſtis, quod cum alias felicis recordationis Paulus Papa Secundus, & diverſi alii Romani Pontifices, etiam Prędeceſſores noſtri, Fratribus Ordinis Prędicatorum Congregationis utriuſque Lombardię, & illius Vicario Generali, ac Prioribus Conventualibus, ſeu ipſius Congregationis domibus, locis, & aliis quovis modo Pręſidentibus, necnon Sororibus, etiam Tertii habitus, ſub cura dictorum Fratrum degentibus, & eis earum peccata confiteri ſolitis, necnon hęreticę pravitatis Inquiſitoribus de eadem Congregatione exiſtentibus, diverſa conceſſerunt privilegia, exemptiones, immunitates, gratias, & libertates, vos, qui Congregatione prędicta auctoritate Apoſtolica ſuppreſſa, & extincta, domos, & loca ejuſdem Congregationis ſub nomine Provincię utriuſque Lombardię retinetis, cupitis, quod privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, & libertatibus hujuſmodi uti valeatis, vobis concedi, necnon quaſcunque ſuper illis confectas literas, & pręſertim ejuſdem Pauli Prędeceſſoris incipientes; Ad fructuoſa (2) innovari, & propterea Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut in pręmiſſis vobis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, omnium veſtrum ſalubrem directionem ſincero deſiderantes affectu, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula privilegia, exemptiones, gratias, immunitates, & libertates per Paulum, & quoſcunque alios Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros Fratribus, & Sororibus etiam de Tertio habitu Ordinis, & Congregationis prędictorum, & ejuſdem Congregationis Vicario Generali, ac Prioribus Conventualibus, ſeu ipſius Congregationis domibus, locis, & aliis quovis modo Pręſidentibus, necnon hęreticę pravitatis Inquiſitoribus de eadem Congregatione exiſtentibus ſub quibuſvis verborum formis conceſſas, vobis, & veſtrum ſingulis, auctoritate Apoſtolica per pręſentes concedimus, necnon quaſcunque ſuper illis confectas, & pręſertim Pauli Prędeceſſoris literas hujuſmodi, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis juxta illarum tenorem in his, quę quibuſdam pię memorię Clementis Papę Septimi etiam Prędeceſſoris noſtri, ac certis aliis noſtris vobis, & in favorem veſtrum conceſſis literis, non adverſantur, innovamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac domorum, & locorum, necnon ordinis hujuſmodi, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, eiſdem domibus, ac locis, & Ordini ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis per quoſcunque Romanos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & nemini adverſus pręſentes ſuffragari poſſe volumus; ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod tranſumptis pręſentium noſtrarum manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigilli alicujus perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę impreſſione munitis, eadem prorſus fides adhibeatur quę pręſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XVII Aprilis MDXXXVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Diplomatis cauſa.

Indultum.

Bloſius.

1. *Archivo*.) In quo exemplar ex autographo *Cremonenſi*. Legitur etiam in *Bullario Bononienſi pag.* 100.

2. *Ad Fructuoſa*.) Conſtitutionem nempe *VIII Pauli II.* Legitur *pag.* 443 Tomi *III* hujuſce Bullarii.

Anno 1536 Die 30 Junii.

De electione (1) Provincialis utriuſque Calabriæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XX.

Johannes (3) miſeratione divina SS. Coſmę, & Damiani Diaconus Cardinalis de Salviatis vulgariter nuncupatus, Ordinis Prędicatorum Protector.

UNiverſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, pręſentes noſtras literas inſpecturis, lecturis, pariter, & audituris, notum facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, qualiter hodie Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Paulus divina providentia Papa III, ad preces, & requiſitiones noſtras, vivę vocis oraculo, Nobis deſuper facto, conceſſit, quod pro pace, & quiete Provincię Calabrię Ordinis Prędicatorum, liceat illis, & teneantur, ubi tempus eligendi ſibi Provincialem advenerit, ſi tamen voluerint, unum de ſua Provincia eligere, ſemel unum ex partibus Calabrię ſuperioris, qui duobus annis, pręeſſe tantum poſſit, deinde alium ſequentem ex partibus Calabrię inferioris, & ſic ſucceſſive, de biennio in biennium, quouſque ab Apoſtolica Sede aliter fuerit ordinatum. Quod tamen biennium, ſemper in ſecundo Paſchate, Dominica ſecunda, poſt octavas Paſchę intelligatur eſſe finitum, & tunc Provincialis ipſe ſit abſolutus ipſo facto, & remaneat Vicarius Generalis Provincię quouſque alius Provincialis fuerit confirmatus, & pręſens in Provincia, cum auctoritate ſolita dari hujuſmodi Vicariis, ſecundum conſtitutiones Ordinis Prędicatorum, cetera autem omnia ſecundum conſtitutiones ejuſdem Ordinis fiant, & tractentur. In quorum fidem pręſentes manu noſtra ſubſcriptas fieri, & per infraſcriptum Secretarium noſtrum ſubſcribi, noſtrique ſigilli, quo in ſimilibus utimur, juſſimus appenſione muniri. Datum Romę in Burgo S. Petri in Ædibus noſtrę ſolitę reſidentię, Die ultima Menſis Junii MDXXXVI, Pontificatus Sanctiſſimi D. N. Anno Secundo.

Jo. Card. de Salviatis manu propria.

Al. Recorda.

1. *Electione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo aſſervato in *Montis Leonis* Cœnobio *S. Antonii Abbatis.*
3. *Johannes.*) De quo *Ciaconius* in *Leone X*,

Anno 1536 Die 25 Augusti.

Provinciæ Lombardiæ Fratres non ſecus, ac alii morem gerant (1) Generali Magiſtro.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXI.

Dilecto filio Johanni de Finario (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſtro Generali.

PAULUS PP. III.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

DUdum pro parte dilectorum filiorum Priorum, Provincialis, & Conventualium, ac Fratrum Ordinis Fratrum Prędicatorum regularis obſervantię nuncupatorum, Provincię utriuſque Lombardię juxta morem ipſius Ordinis, ac dilectarum in Chriſto filiarum Sororum, etiam Tertii habitus ſub cura dictorum Fratrum degentium, Nobis expoſito, quod cum alias felicis recordationis Paulus PP. II, & diverſi alii Romani Pontifices Prędeceſſores Noſtri Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum Congregationis utriuſque Lombardię, & illius Vicario Generali, ac Prioribus Conventualibus, ſeu ipſius Congregationis domibus, & locis aliis quovis modo Pręſidentibus, necnon Sororibus, etiam Tertii habitus ſub cura Fratrum degentibus, & eis eorum peccata confiteri ſolitis, necnon hęreticę pravitatis Inquiſitoribus de eadem Congregatione exiſtentibus, diverſa conceſſiſſent privilegia, exemptiones, immunitates, gratias, & libertates, iidem Priores, & Fratres, ac Sorores, qui Congregatione prędicta, auctoritate Apoſtolica, ſuppreſſa, & extincta, domos, & loca, Congregationis hujuſmodi ſub nomine Provincię utriuſque Lombardię retinebant, cupiebant ſibi, quod privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, & libertatibus hujuſmodi, uti, valerent concedi, necnon quaſcunque ſuper illis confectas literas, & pręſertim ejuſdem Pauli Prędeceſſoris, incipientes: Ad Fructuoſa: innovari. Nos eorundem Priorum, & Fratrum, ac Sororum ſupplicationibus, inclinati, eis, & eorum ſingulis, omnia, & ſingula privilegia, immunitates, gratias, & libertates, per Paulum, & quoſcunque alios Romanos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, Prioribus, & Fratribus, ac Sororibus etiam Tertii habitus, & Congregationis prędictorum, & ejuſdem Congregationis Vicario Generali, aut Prioribus Conventualibus, ſeu ipſius Congregationis domibus, & locis alias, quovis modo Pręſidentibus, necnon hęreticę pravitatis Inquiſitoribus de eadem Congregatione exiſtentibus, ſub quibuſvis verborum formis conceſſa, dicta auctoritate Apoſtolica, per alias noſtras in forma Brevis confectas literas (4) conceſſimus, necnon quaſcunque ſuper illis confectas, & pręſertim Pauli Prędeceſſoris literas hujuſmodi, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis juxta illarum tenorem in his, quę quibuſdam pię memorię Clementis Papę VII, etiam Prędeceſſoris noſtri, & certis aliis noſtris eis, & in eorum favorem conceſſis literis, non adverſabantur, innovavimus, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, a nonnullis hęſitari contingat, an ex conceſſione, & innovatione noſtris prędictis, iidem

iidem Priores, & Fratres, ac Sorores a tua, & aliorum ipſius Ordinis Superiorum juriſdictione, ſuperioritate, & poteſtate, liberi, & exempti eſſe, prout poſt dictarum literarum Clementis Prędeceſſoris emanationem exiſtebant, dici poſſint, Nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod tu, & pro tempore exiſtens dicti Ordinis Magiſter Generalis, eandem in Priores, & Fratres, ac Sorores pręd'ctas juriſdictionem, ac ſuperioritatem exercere poſſitis, quas tu poteras, & ſucceſſores tui potuiſſent poſt dictarum Clementis, & ante noſtrarum literarum hujuſmodi emanationem. Non obſtantibus pręmiſſis, & conceſſione, & innovatione noſtris pręd'ctis, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quę in eiſdem conceſſione, & innovatione, volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XXV Auguſti MDXXXVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Mandatum.

1. *Gerant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo duplex autographum.
3. *Johanni de Finario.*) Aliis *de Fenario*, ut ſæpius dictum fuit.
4. *Literas.*) *Conſtitutione XIX.*

Unit eccleſiaſticum Beneficium Cœnobio Alcalaenſi (1).

Anno 1536 Die 20 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

XXII.

Exordium.

ANimas lucrifacere Creatori intenſis deſideriis procurantes votis, per quę Chriſti fidelium animarum ſaluti, ac Religioſorum locorum, & illa inhabitantium, commoditatibus conſulitur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem omnia pręſtimonia, pręſtimoniales portiones, ac ſimplicia, ceteraſque Beneficia eccleſiaſtica apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura collationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Cum itaque poſtmodum Pręſtimonium, ſeu Pręſtimonialis portio, ſeu ſimplex beneficium in Parochiali Eccleſia S. Franciſci oppidi de Tarifa (3), Gadicenſis (4) Diœceſis, per liberam reſignationem dilecti filii Franciſci de Vergara, de illo, vel illa, quod, ſeu quam tunc obtinebat, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem eandem vacaverit, & vacet ad pręſens, nulluſque de illo, vel illa, pręter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Nobilis viri Federici Henriques de Rivera (5), moderni Marchionis, ac in temporalibus Domini dicti oppidi de Tarifa, ac Pręfecti Bęticę, ac Prioris, & Fratrum Domus quinque Plagarum villę de Alcala de los Gazulez Ordinis Fratrum Prędicatorum dictę Diœceſis, petitio continebat, ſi pręſtimonium, ſeu pręſtimonialis portio, aut beneficium hujuſmodi, eidem Domui, perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur; profecto modernus, ac pro tempore exiſtens Prior, & Conventus Domus hujuſmodi, unum Prędicatorem ex dicta Domo ad oppidum de Tarifa prędictum, qui in ſingulis Quadrageſimalibus, & Reſurrectionis D. N. J. C. diebus, verbum Dei Chriſti fidelibus dicti oppidi de Tarifa prędicaret, & exponeret; necnon confeſſores idoneos in neceſſario, & convenienti numero ad territorium dicti oppidi de Tarifa, qui eiſdem quadrageſimalibus diebus Pęnitentię, & Euchariſtię Sacramenta Chriſti fidelibus in prędicto, necnon Villę de Alcala de los Gazulez, territoriis, exiſtentibus, abſque alio ſtipendio, ſeu ſalario miniſtrare teneantur, eorum propriis expenſis, annuatim mitterent, ibique Chriſti fideles propterea ad bene, ſancteque vivendum, facilius inducerentur, ac hęreſes, & cogitationes devię, ſi quę inter eos pullularent ab eorum mentibus amoverentur, eorumque animarum ſaluti, plurimum conſuleretur, ac pro parte Federici Marchionis, ac Prioris, & Fratrum Prędicatorum, aſſerentium fructus, redditus, & proventus pręſtimonii, ſeu pręſtimonialis portionis, aut beneficii hujuſmodi, centum, & viginti Ducatorum auri de Camera ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuerit humiliter ſupplicatum, ut unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi facere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica, aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum ęſtimationem prędictam etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioqnin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, quemlibet ex Federico Marchione, & Pręfecto, ac Priore, & Fratribus prędictis, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ac fructuum, redditunm, & proventunm dictę Domus, & quorumcunque illi perpetuo, & ad tempus annexorum, verum annuum valorem, pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium pręſtimonium, ſeu pręſtimonialem portionem, aut beneficium hujuſmodi, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem dicti Franciſci, vel cujuſvis alterius reſignationem de illo, vel illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranenſis Concilii ſtatutum ad Sedem prędictam legitime devoluta, ac pręſtimonium, ſeu pręſtimonialis portio, aut beneficium hujuſmodi diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter, vel alias generaliter reſervatum, aut reſervata exiſtat, & ſuper eo, vel ea, inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſ-

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

diſpoſitio ad Nos hæc vice pertineat, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Domui perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat Priori, & Conventui, per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem pręſtimonii, ſen pręſtimonialis portionis, aut beneficii, juriumque, & pertinentiarum prędictarum, propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in ſuos, ac Prędicatoris, & Confeſſorum prędictorum uſus, & utilitatem convertere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, non obſtante voluntate priori noſtra prędicta, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, & Lateranen. Concilii noviſſime celebrati, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de pręſtimoniis, ſive pręſtimonialibus portionibus, aut bujuſmodi ſpeciales, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum; Quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſecuta quęcunque ad pręſtimonium, ſeu pręſtimonialem portionem, aut beneficium hujuſmodi, volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem pręſtimoniorum, ſeu pręſtimonialium portionum, aut beneficiorum aliorum prędjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, ac literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus hujuſmodi gratię, impediri valeat quolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, de verbo, ad verbum, habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis; proviſo, quod pręſtimonium, ſive pręſtimonialis portio, aut beneficium hujuſmodi debitis, propterea non fraudetur obſequiis, ſed illius congrue ſupportentur onera conſueta. Nos enim Priorem, & Conventum Domus hujuſmodi, Prędicatorem ad oppidum de Tarifa, & Confeſſorem ad illius, ac de Alcala Territoria hujuſmodi annuatim, modo, & forma premiſſis, perpetuo mittere teneri, & ad hoc obligatos eſſe, alioquin unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, nullius eſſe roboris, vel momenti; necnon, prout eſt, irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari, decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, & decreti infringere; vel ei auſu temerario contraire. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo ſexto (6), Tertio decimo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Alcalaenſi.*) In *Hiſpania Batica.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Alcalaenſi.*
3. *Tarifa.*) Seu *Tariffa*, in *Vandalitia*, juxta fretum Herculeum.
4. *Gadicen.*) Vulgo *Cadix*, in *Hiſpania Batica.*
5. *De Rivera.*) Seu *Ribera.* Gens eſt nobilitate clara.
6. *Trigeſimo ſexto.*) Hinc liquet, quod *Paulus III* a die Coronationis annos Pontificatus numerabat.

Anno 1536 Die 23 Octobris.

De Comitiis Provincialibus Hiſpaniæ Provinciæ habendis in Beneventano (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIII.

Pauls Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

A Summo Patre familias in domo Domini diſpenſatores, meritis licet imparibus, effecti, nonnunquam pias teſtantium voluntates, nt ſecundum Deum ſalubrius fieri poteſt, in alia pia opera commutamus, ac religioſorum locorum debitę reparationi, necnon perſonarum religioni ſub perpetua mendicitate deditarum, nt liberius Altiſſimo valeant famulari, opportunę ſubventioni libenter conſulimus, & ea, quę propterea, etiam ad ſubmovenda diſcordiarum fomenta, provide geſta dicuntur, ut firma, & illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus, & alias in his noſtri paſtoralis officii partes favorabiliter impertimur, prout, temporum, locorum, & perſonarum qualitatibus diligenter conſideratis, conſpicimns in Domino ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Nobilis viri Antonii Pimentel (3) moderni Comitis Oppidi de Benavente Quitten. (4) Dięceſis, ac executorum teſtamenti quondam Alfonſi, etiam Pimentel, olim dicti Oppidi Comitis, necnon moderni Prioris Provincialis, ac Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię Hiſpanię ſecundum morem dicti Ordinis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, cum alias, poſtquam dictus Alfonſus Comes, dum in humanis ageret, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio commutare, ac condens de bonis ſuis in ejus ultima voluntate teſtamentum, ſeu codicillum, ob ſingularem devotionis, quem ad B. Dominicum, & pręfatum Ordinem gerebat affectum, voluerat & ordinaverat, quod in Oppido, ſeu loco de Cigales, Palentin. Dięceſis, cujus idem Alfonſus Comes Dominus in temporalibus exiſtebat, unum Monaſterium, ſeu una domus Fratrum dicti Ordinis S. Dominici nuncupati, in loco ad id per enm in dicto Oppido forſan deſignato, vel alio aptiori ſitu in diſtrictu dicti loci de Cigales conſiſtente, conſtrueretur, & ędificaretur, ac pro illius fabrica, & conſtructione, necnon Fratrum inibi pro tempore degentium, Miſſaſque, & alia divina officia pro tempore celebrantium, ſuſtentatione, certam tunc expreſſam pecuniarum ſummam, & nonnullos, tunc etiam expreſſos, annuos redditus, reliquerat, legaverat, ſeu donaverat, & deinde ſimiliter voluerat, & ordinaverat, quod in eventum, in quem Provincialis, &, ſen Fratres dicti Ordinis Prędicatorum, legatum, ſeu donationem hujuſmodi infra annum a die obitns ipſius teſtatoris computandum acceptare, & fabricam domus, ſeu Monaſterii hujuſmodi inchoare differrent, legatum, ſeu pecuniarnm ſumma, pro fabrica, & conſtructione Monaſterii, ſeu domus hujuſmodi relicta ad Fratres Ordinis Minorum pro ſimili domo ibidem conſ-

Diplomatis cauſa.

conſtruenda, ſeu ędificanda forſan cum ſimilibus conditionibus, devolveretur, annui vero redditus, ut pręfertur, legati, eo quod Fratres dicti Ordinis Minorum, juxta ſui Ordinis inſtitutionem, illos habere prohibentur, partim pro puellis maritandis, partim vero in alios, tunc forſan expreſſos, pios uſus exponerentur, & applicarentur, prout in publico inſtrumento, ſeu codicillo, aut ultima voluntate ipſius Alfonſi Comitis, deſuper confecto dicitur, plenius contineri. Cum autem dicto teſtatore vita functo, pręfati Provincialis, & Fratres dicti Ordinis Prędicatorum legato hujuſmodi per eos infra tempus debitum acceptato, fabricam Monaſterii, ſeu domus S. Dominici hujuſmodi, in dicto Oppido de Cigales inchoaſſent, & dilecti filii Clerus dicti Oppidi de Cigales, id ęgre, & moleſte ferentes, contra Monaſterii, ſeu domus hujuſmodi conſtructionem, ex quibuſdam tunc expreſſis, & per eos deductis, & allegatis cauſis, ſe oppoſuiſſent, illam impediendo, & opus novum, inter alia nunciando, ac propterea in ulteriori fabricatione Monaſterii, ſive domus hujuſmodi ceſſare, & ſuperſedere per ſuperiorem, mandatum, & decretum fuerit, & de futura, inter Fratres Ordinis Prędicatorum, & Clerum hujuſmodi ſuper pręmiſſis diſcordia veriſimiliter dubitaretur, tandem pręfati Antonius modernus Comes, & ipſius Alfonſi teſtatoris filius, & hęres, ac executores teſtamenti ejuſdem Alfonſi Comitis ex una, necnon modernus Prior Provincialis, & Fratres Ordinis Prędicatorum, & Provincię prędictorum, ex altera, partibus, conſiderantes ex pecunia legata hujuſmodi parvulum Monaſterium, ſeu parvulam domum conſtrui, & per paucos Fratres inhabitari poſſe, ac cupientes diſcordiis, ac ſcandalis, quę inter eos, & Clerum prędictos ſuper conſtructione Monaſterii, ſeu novę domus hujuſmodi exoriri formidabantur, obviare, necnon voluntati dicti teſtatoris, prout magis expediret, ea in melius forſan mutata, ſatisfacere, ſalvo tamen Sedis Apoſtolicę beneplacito, convenerunt, tranſegerunt, & concordarunt, quod Provincialis, & Fratres Ordinis Prędicatorum opus, & fabricam Monaſterii, ſeu domus hujuſmodi juxta voluntatem dicti teſtatoris, ut pręmittitur, inchoatam ulterius continuare, & perficere non deberent, nec tenerentur, ſed ex pecuniis pro opere, & fabrica ipſa, ut pręfertur, legatis, & relictis aliqui perpetui annui redditus, emerentur, & tam illi, quam alii per ipſum teſtatorem, pro ſuſtentatione, Monaſterii, ſeu domus, & Fratrum hujuſmodi relicti, & aſſignati Monaſterio, ſeu domui S. Dominici Oppidi de Benavente, & Ordinis Prędicatorum prędictorum, quę reparatione, & manutentione, plurimum indigebat, ad id applicarentur, & appropriarentur, ut ex illis Monaſterium, ſeu domus de Benavente, ac illius Prior, & Fratres omnes, & ſingulas perſonas, ac ſumptus, qui pro celebrandis Capitulis Provincialibus ejuſdem Provincię Hiſpanię, quoties illa in dicta Provincia, vel alibi, ex tunc de cetero perpetuis, futuris temporibus celebrari contingeret, neceſſarii forent, ſeu quomodolibet opportuni, facere, ſupportare, ſupplere, & miniſtrare deberent, & tenerentur, & ſupportatis Capitulorum Provincialium ſumptibus, & expenſis hujuſmodi, id quod ex bonis, & redditibus applicatis prędictis ſupereſſet remaneret, & eſſet ipſius Monaſterii, ſeu domus de Benavente, ut in illius reparatione, manutentione, & ędificiorum conſtructione exponeretur, & converteretur, quodque Prior Provincialis, & Fratres Ordinis Prędicatorum hujuſmodi pro recognitione eleemoſynę, & pii operis ſibi impenſi, ſingulis annis, perpetuis, futuris temporibus prędicti teſtatoris, & prędeceſſorum, ac ſucceſſorum ſuorum animarum ſalute, per quemlibet ex Fratribus Presbyteris Ordinis Prędicatorum, & Provincię prędictorum unam Miſſam celebrari, per alios vero Fratres, non Presbyteros Ordinis Prędicatorum, & Provincię hujuſmodi, certo tunc expreſſo modo, preces Altiſſimo effundi, & inſuper, quoties in dicta Provincia Capitulum Provinciale prędictum celebrari, ac teneri contingeret, ejus celebratione durante, unum anniverſarium, ac duobus diebus celebrationis Capituli ejuſdem, omnes, & ſingulas Miſſas per Fratres Presbyteros dicti Ordinis Prędicatorum inibi ad hujuſmodi Capituli celebrationem convenientes, celebrandas, pro teſtatoris, & prędeceſſorum ſuorum prędictorum animarum ſalute, devote celebrari facere deberent, prout ad id ſe efficaciter obligarunt, prout in inſtrumentis, ſeu ſcripturis, aut documentis, deſuper confectis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte, tam Antonii Comitis, ac executorum, quam Provincialis, & Fratrum Ordinis Prędicatorum, ac Provincię prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conventioni, & tranſactioni, ac concordię hujuſmodi, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę firmitatis adiicere, ac alias in pręmiſſis, opportune providere, de

Mandatum.

benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, pręfatos Antonium Comitem, & executores, necnon Priorem Provincialem, & Fratres Ordinis Prędicatorum hujuſmodi, ac eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac teſtamenti, ſeu codicillorum, aut ultimę voluntatis inſtrumentorum, ſcripturarum, & documentorum prędictorum veriores tenores, necnon ſummę pecuniarum legatarum, quantitatem, de fructuum, redditaum, & proventuum, ut pręfertur, dimiſſorum, veros annuos valores, pręſentibus pro vere ſpecificatis, & expreſſis habentes, ac cauſarum, ſi qua ſuper pręmiſſis, aut eorum aliquo inter Priorem Provincialem, & Fratres, necnon Clerum prędictos, & alium, ſeu alios quoſcunque in quavis inſtantia, adhuc forſan indeciſa pendeat, cujus ſtatum, etiam pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, ad Nos advocantes, & litem hujuſmodi penitus extinguentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, concordiam, conventionem, & tranſactionem prędictas, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo approbamus, & confirmamus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, illiſque omnibus, & ſingulis perpetuę firmitatis robur adiicimus, & inviolabiliter obſervari, ac annuos fructus, redditus, & proventus eidem domui, ſeu Monaſterio de Benavente pro ſupplendis ſumptibus, & expenſis ipſius Capituli, ac reparatione, & manutentione Monaſterii, ſeu domus de Benavente hujuſmodi, ut pręfertur, perpetuo applicatos, & appropriatos eſſe, necnon ipſius Monaſterii, ſeu domus de Benavente, Priorem, & Fratres pro tempore exiſtentes, ad omnes, & ſingulas expenſas, & ſumptus, qui pro celebrandis Capitulis Provincialibus Provincię hujuſmodi, quoties illa, ut pręfertur, celebrari contigerit, neceſſarii fuerint, ſeu quomodolibet opportuni, facien-

faciendum, ſupportandum, ſupplendum, & miniſtrandum, teneri, & quod ſupportatis oneribus, & expenſis Capitulorum hujuſmodi ſupererit ex bonis, ſeu redditibus applicatis hujuſmodi, in reparatione, manutentione, conſtructione, ędificatione Monaſterii, ſeu domus de Benavente hujuſmodi exponi, & converti, libere, & licite poſſe, necnon Provincialem, & Fratres hujuſmodi ad Miſſarum, precum, & anniverſariorum prędictorum celebrationem, ut pręfertur, faciendam, efficaciter obligatos fore decernimus, dictique Alfonſi teſtatoris voluntatem, quoad hoc commutamus, & propter commutationem hujuſmodi, nullum pręfatis Fratribus dicti Ordinis Minorum, aut Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, domibus, ſeu locis aliis cujuſvis Ordinis, etiam Mendicantium, aut Commiſſariis Cruciatę Sanctę, vel quibuſvis aliis officialibus, ſeu perſonis, etiam propter negligentiam, ſeu omiſſionem, aut aliam rationabilem, ſeu inexcogitatam cauſam, in dicto legato, vel ad illud in toto, vel in parte, jus acquiſitum fuiſſe, vel acquiri poſſe, necnon pręſentes literas etiam eo prętextu, quod in illis aliquid de facti contingentia omiſſum, vel ſuper additum, ſeu ſuppreſſum fuiſſe reperiatur, de ſubreptionis, vel obreptionis, vitio, aut intentionis defectu impugnari, aut notari, non poſſe, & ſic in pręmiſſis omnibus per quoſcunque judices, & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, in quavis inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon quicquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Quocirca venerabilibus Fratribus noſtris Burgen., & Palentin., ac Caſertan. Epiſcopis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Antonii Comitis, & executorum, ſeu Prioris Provincialis, & Fratrum Ordinis Prędicatorum, & Provincię prędictorum, aut alicujus eorum, deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra pręſentes, & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, ac ſingulos, quos pręſentes concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes, eos deſuper per quoſcunque contra earundem pręſentium tenorem, quomodolibet moleſtari, impediri, ſeu perturbari, contradictores quoſlibet, & rebelles, per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias, eorum arbitrio moderandas, & applicandas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac quibus, & quoties inhibendum fuerit, etiam ſub ſimilibus cenſuris, & pęnis inhibendo, necnon legitimis ſuper his habendis, ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pęnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pręmiſſis, ac pię memorię Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Dięceſim niſi in certis exceptis caſibus, & in illis, ultra unam dietam, a fine ſuę Dięceſis, ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede prędicta deputati, extra Civitatem, vel Dięceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis, vices ſuas committere pręſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodo ultra tres dietas, aliquis auctoritate pręſentium, ad judicium non trahatur, ac aliis conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis privilegiis, indultis Apoſtolicis, tam dictis Fratribus Ordinis Minorum, & Commiſſariis Cruciatę, quam quibuſvis aliis perſonis, tam ſuper certis, quam incertis relictis ad pias cauſas, vel alias ſub quacunque forma, verbo, & expreſſione conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa mentio, ſeu quęcunque alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, ac forma in illis tradita, obſervata, inſerti forent, pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, ſuppletionis, adjectionis, decreti, commutationis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Sexto (5), Decimo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Beneventano.*) Vulgo *Benavente*, in Regno *Legionenſi*, in *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Salmanticenſi*.
3. *Pimentel.*) Gens eſt antiqua nobilitate clara.
4. *Quitten.*) *Oritten.*, ſeu *Oveten.*, ut in Conſtitutione *CXXI*, data *XXXI* Octobris *MDXLVIII*.
5. *Trigeſimo Sexto.*) Hinc etiam liquet quod *Paulus III* annos Pontificatus numerabat a Coronationis die.

Fir-

Digitized by Google

Firmat ea quæ pro Cœnobio Cordubenſi ſancita fuerant a Vicario Generali.

Anno 1537 Die 15 Februarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XXIV.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię Bętię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm a Nobis petitur, quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Sane, ſicut exhibita Nobis, nuper pro parte tua, petitio continebat, olim ad notitiam dilecti filii Auguſtini Recuperati (2) Faventini, tunc Vicarii Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, deducto, quod tunc Prior, & Fratres Domus S. Pauli dicti Ordinis, Cordubenſis Dięceſis, Provincię Bętię, ſecundum morem ejuſdem Ordinis, diverſas domos eidem Domui S. Pauli contiguas, & ad illam, quę ex privilegio Apoſtolico bona immobilia habere (3) poteſt, legitime ſpectantes, in gravem ejuſdem Domus lęſionem in emphyteuſim, vel alias, variis perſonis, ut dicebatur, conceſſerant, idem Vicarius ſufficienti ad id, ut aſſerebat, ab Ordinis Magiſtro Generali, ſibi attributa facultate ſuffultus, volens indemnitati dictę Domus providere, Priori, & Fratribus domus hujuſmodi pro tempore exiſtentibus, ne de cetero domos, & bona ipſius domus, contra formam Conſtitutionis (4) felicis recordationis Pauli PP. II Prędeceſſoris noſtri, ſuper hoc editę, ultra triennium alienare (5) in virtute S. Obedientię, inter alia inhibuit, quodque de redditibus, & proventibus dictarum Domorum, poſtquam ad domum prędictam per lineam finitam, aut alias legitime devoluta forent, certam tunc expreſſam pecuniarum quantitatem, pro illarum conſervatione, & manutentione, & interim aliam ſimiliter tunc expreſſam partem reddituum, & proventuum domorum devolutarum dictę Domus S. Pauli pro tempore vacantium, pro illarum ſimili reparatione, & manutentione annis ſingulis exponere tenerentur, ſub pęnis tunc expreſſis, pręcepit; & quod, ſi quantitate, & parte hujuſmodi deductis ex redditibus, & proventibus prędictis, aliquid ſupereſſet, illud in reparationem ejuſdem Domus S. Pauli converti voluit, atque mandavit, prout in literis patentibus, manu, & ſigillo dicti Auguſtini Vicarii deſuper confectis, dicitur plenius contineri, quę omnia Apoſtolico a Nobis petiiſti munimine roborari. Nos igitur, tuis juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, quę ſuper his per dictum Vicarium rite, pie, & provide geſta ſunt, rata, & grata habentes, illa auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem, hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo ſexto (6), Quinto decimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

F. Galleatius.

1. *Archivo*:) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Cordubenſi*.
2. *Auguſtini Recuperati*.) De quo dictum fuit.
3. *Habere*.) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I*.
4. *Conſtitutionis*.) *XXV*, quæ habetur *Tomo III* hujus Bullarii *pag*. 458.
5. *Alienare*.) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.I*.
6. *Trigeſimo ſexto*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXXXVII*.

De B. Virginis imagine, ac Confraternitate Sanctiſſimi Roſarii transferendis ex uno ad aliud Sacellum Cœnobii (1) de Victoria.

Anno 1537 Die 20 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

PAULUS PP. III.

XXV

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex, cui Monaſteriorum, & Eccleſiarum omnium cura, & ſollicitudo a Domino eſt commiſſa, his, per quę divinus cultus, & Deiparę Virginis devotio, & reverentia, creſcunt, & augentur, necnon animarum ſpirituali commoditati conſulitur, partes ſuę ſollicitudinis libenter impertitur, & piis deſuper chriſti fidelium, pręſertim ſub ſuavis Religionis jugo altiſſimo famulantium, votis favorabiliter annuit, prout, ipſorum locorum, & perſonarum qualitate penſata, in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum moderni Prioris, & Conventus Domus Sancti Dominici Ordinis Prędicatorum Oppidi de Victoria, Calaguritanę Dięceſis, Nobis fuit nuper expoſitum, quod alias tunc Prior, & dicti Conventus Fratres, forſan attendentes, quod Eccleſia dictę Domus antiqua, & anguſta erat, Eccleſiam ipſam demoliri, & dirui, ac aliam in eodem ſitu notabilem Eccleſiam, & in ea quandam celebrem Capellam majorem ad Dei Omnipotentis laudem, & gloriam, Domus prędictę decorem, & venuſtatem, ac chriſti fidelium ad Eccleſiam ipſam concurrentium conſolationem, & excitandam devotionem, conſtrui, & ędificari fecerunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, in ipſa Eccleſia quędam Capella ejuſdem B. Marię del Roſario nuncupata, in qua quędam Imago ipſius Virginis, quę B. Maria del Roſario dicitur collocata, ac quędam Chriſti fidelium Confraternitas, etiam del Roſario nuncupata, inibi inſtituta exiſtat, & ſi Imago, & Confraternitas hujuſmodi, ac etiam dicta Ca-

Diplomatis cauſa.

Capella del Roſario ad Capellam majorem Eccleſię noviter conſtructę hujuſmodi transferrentur, & Imago ipſa in dicta Capella majori, aut alio convenienti, & eminenti loco ipſius Capellę majoris, prout melius videretur eiſdem Priori, & Conventui, collocaretur, ex hoc divini cultus augmento, & Confraternitatis hujuſmodi Confratrum, & aliorum Chriſti fidelium devotioni, ac conſolationi, & ſpirituali commoditati plurimum conſuleretur. Quare pro parte dictorum moderni Prioris, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis prędictas Imaginem, & Confraternitatem, ut prefertur, transferendi, & collocandi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, attendentes Imaginem, & Confraternitatem prędictas decentius, & honorificentius in majori, quam in veteri Capella hujuſmodi collocari, ac Imaginem eandem commodius inibi ab omnibus videri, & in ea ipſa Mater Dei frequentius venerari poſſe, necnon ejuſdem glorioſiſſimę Virginis devotionem, & reverentiam ſinceris affectibus deſiderantes, dictoſque modernum Priorem, & Conventum, & eorum ſingulos, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac quarumcunque literarum Apoſtolicarum in favorem Monaſterii, Eccleſię, Capellę del Roſario Confratrum, & Confraternitatis hujuſmodi conceſſarum, ac quorumcunque Inſtrumentorum, & aliarum deſuper confectarum ſcripturarum tenores, cauſas, & effectus, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac inſertis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem moderno Priori, & Conventui, ut in aliquo Feſto ejuſdem Virginis per eos eligendo imaginem, & Confraternitatem prędictas, & dicta Capella del Roſario, ad Capellam majorem Eccleſię hujuſmodi transferre, ac dictam imaginem in Capella majori prędicta, vel alio convenienti, & eminenti loco ipſius Capellę majoris, prout eiſdem moderno Priori, & Conventui melius videbitur, collocare libere, & licite valeant, licentiam, & facultatem, ac tam moderno, & pro tempore exiſtenti Priori, & Conventui dictę Domus, quam Confraternitatis hujuſmodi Confratribus prędictis, ut poſtquam Imago, & Confraternitas prędicta, ut prefertur, translatę fuerint, omnibus, & ſingulis Indulgentiis, gratiis, pręrogativis, immunitatibus, favoribus, & privilegiis utantur, potiantur, & gaudeant, quibus ante translationem hujuſmodi quomodolibet gaudebant, potiebantur, & fruebantur, ac uti, potiri, & gaudere poterant, in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi Imago, & Confraternitas prędictę translatę non fuiſſent, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Et inſuper ut iidem Chriſti fideles, eo libentius ad dicti feſti celebritatem, & Imaginis, & Confraternitatis translationem hujuſmodi confluant, & conveniant, quo ex hoc potiori gratia conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, moderno Priori, & Conventui, ac Confratribus prędictis, necnon omnibus, & ſingulis aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ſeu temporibus a jure ſtatutis propoſitum confitendi habentibus, qui prędictę translationi interfuerint, centum dies de injunctis eis pęnitentiis, pro hac una vice duntaxat, miſericorditer in Domino relaxamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinis, ac Capellę del Roſario hujuſmodi, ſtatutis, & conſuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, & indultis, ac literis Apoſtolicis, etiam per quoſcunque Romanos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem Apoſtolicam, etiam Imperiali, Regia, Pontificali, vel alia quavis inſtantia, ac motu proprio, & ex certa ſcientia, & Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, etiam Domui, Ordini, ac Capellę del Roſario prefatis, vel alias quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda aut exquiſita forma ſervanda foret, & in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſſit, Illorum, & quarumcunque ſcripturarum occaſione pręmiſſorum, quomodolibet confectarum tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, nec non modos, & formas ad id ſervandos pro individuo ſervatis, habentes, hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus: Necnon ſimilibus, vel diſſimilibus Indulgentiarum, vel gratiarum conceſſionibus, ac quibuſvis in contrarium facientibus, Cancellarię Apoſtolicę regulis, contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX Aprilis MDXXXVII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

L. De Torres.

Cę. Accurris.

3. *Cœnobii.*) Juris eſt Provinciæ *Hiſpaniæ*.

2. *Archivo.*) In quo triplex Exemplar authenticum ex autographo aſſervato in Cœnobio *de Victoria*.

Vi-

Vicarius Congregationis (1) S. Petri Martyris Inquiſitores conſtituere, & ab officio removere poſſit.

Anno 1537 Die 26 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Andreę de Voragine, moderno, & pro tempore exiſtenti Vicario Generali Congregationis, alias Provincię S. Petri Martyris nuncupatę Ordinis Fratrum Prędicatorum.

XXVI.

PAULUS PP. III.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum poſtquam olim felicis recordationis Sixtus Papa IV, Prędeceſſor noſter, tam Magiſtro Generali, quam univerſis, & ſingulis Prioribus Provincialibus Ordinis Fratrum Prędicatorum per univerſum Orbem conſtitutis, in eorum Provinciis Inquiſitores hęreticę pravitatis, ſub certis tunc expreſſis modo, & forma, inſtituendi, illoſque deſtituendi, facultatem, inter alia conceſſerat, pię memorię Clemens Paps VII etiam Prędeceſſor noſter olim Provinciam S. Petri Martyris nuncupatam, quę eatenus per Priorem Provincialem regi, & gubernari conſueverat, ex certis tunc expreſſis cauſis in Congregationem Fratrum dicti Ordinis erexit, & inſtituit, ac ſuppreſſo illius Provincialatu ipſam Congregationem per unum Vicarinm Generalem nuncupandum ex tunc in antea regi, & gubernari debere ſtatuit, & ordinavit, prout in ipſorum Prędeceſſorum deſuper reſpective confectis literis plenius continetur. Cum autem ſecundum pręmiſſa Vicariatus Generalis Congregationis noviter inſtitutę in locum Provincislatus ſuppreſſi, & extincti hujuſmodi ſucceſſiſſe noſcatur, Nos, attendentes, quod ſurrogatus eaſdem auctoritatem, & poteſtatem, quales habebat is, in cujus locum ſurrogabatur, habere debet, tibi, & pro tempore exiſtenti Provincię Congregationis hujuſmodi Vicario Generali, quod in dicta Provincia S. Petri Martyris, quemadmodum olim illius Provincislis ante ſuppreſſionem, & extinctionem Provincialatus, & novę Congregationis hujuſmodi inſtitutionem, juxta conceſſionem ejuſdem Sixti Prędeceſſoris, poterat, tu quoque Inquiſitores hęreticę pravitatis hujuſmodi inſtituere, & deſtituere libere, & licite valeas auctoritate Apoſtolics per pręſentes concedimus, volentes, ut Inquiſitores per te, aut ſucceſſores tuos in vim pręſentium deputsndi, eandem poteſtatem habeant, quam alii Inquiſitores per Provinciales, qui pro tempore fuerunt dictę Provincię S. Petri Martyris inſtituti poteſtatem habuerunt. Non obſtantibus pręmiſſis, & conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provincię, ſeu Congregationis, ac Ordinis Prędicatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Aprilis MDXXXVII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Congregationis.*) Conſulenda *Conſtitutio XCVII Clementis VII.* Legitur ſupra *pag.* 507.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo aſſervatur in Cœnobio *Veneto SS. Johannis, & Pauli.*

Eccleſiaſticum beneficium unit Monaſterio (1) S. Catharinæ de S. Geminiano.

Anno 1537 Die 28 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXVII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

DE ſtatu Eccleſiarum, & Monaſteriorum quorunlibet curę noſtrę divina diſpoſitione commiſſorum, paterna diligentia cogitantes, ad ea, per quę illorum, ac perſonarum, pręſertim fęminei ſexus in eis ſub regulari caſtimonia Altiſſimo famulantium, ſtatui, & opportunę ſubventioni, valeat ſalubriter provideri, libenter annuimus, ac in his, noſtri paſtoralis officii, partes favorabiliter impertimur. Dudum ſiquidem omnia beneficia eccleſiaſtica apud Sedem Apoſtolicsm tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane &c. attentari. Cum itaque poſtmodum perpetua Capellania, ad Altare S. Bernardini, ſitum in Eccleſia domus S. Catharinę de S. Geminiano, Wulteran. (3) Dięceſis, Ordinis Fratrum Prędicatorum per clericos ſeculares obtineri ſolita, per liberam reſignationem dilecti filii Hieronymi Martii, nuper ad dictum Altare perpetui Capellani de illa, quam tunc obtinebat, per dilectum filium Bartholomęum Romulen., Clericum Feſulan. Dięceſis, procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem eandem vacaverit, & vacet ad pręſens, nulluſque de ea, hac vice, pręter Nos, diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis. Et, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum modernę Prioriſſę, & Sororum dictę domus, petitio continebat, cum ipſę Prioriſſa, & Sorores ſub regula, & regimine, ac regularibus inſtitutis Fratrum ipſius Ordinis degentes, & in ipſa domo ſub regulari caſtimonia, & humilitatis ſpiritu, ac odore bonę famę in illius, qui ſpecioſus eſt prę filiis hominum beneplacitis, gratum Altiſſimo famulatum exhibere ſtudentes, non modica penurię, & ęgeſtatis incommoda ſuſtinere dignoſcantur, ſi dicta Capellania eidem domui perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto Prioriſſa, & Sorores pręfatę in earum opportunitatibus aliquod ſubventionis auxilium ſuſciperent, & divinis beneplacitis liberius vacare, ac earum neceſſitatibus facilius ſubvenire poſſent. Pro parte modernę

Diplomatis cauſa.

Prio-

Digitized by Google

Prioriſſę, & Sororum prędictarum, aſſerentes fructus, redditus, & proventus dictę Capellanię, decem ducatos auri de Camera ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Capellaniam prędictam, eidem domui, unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica, aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum extimationem prędictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, modernam Prioriſſam, & Sorores pręfatas, earumque ſingulas a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, necnon fructus, redditus, & proventus dictę domus, illiuſque annexorum, veros annuos valores, pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Capellaniam prędictam, quę ſine cura eſt, ſive pręmiſſis, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem dicti Hieronymi, vel cujuſvis alterius reſignationem, de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut aſſecutionem alterius beneficii eccleſiaſtici, quavis auctoritate collati, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranen. Statuta Concilii ad Sedem prędictam, legitime devoluta, ipſaque Capellania diſpoſitioni Apoſtolicę, ſpecialiter, vel alias generaliter, reſervata exiſtat, & ſuper ea, inter aliquos, lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus, pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem domui, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita, quod liceat modernę, & pro tempore exiſtenti Prioriſſę dictę domus, & Sororibus pręfatis, per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem Capellanię, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in illarum ſubventionem, ac alios ſuos, & earundem domus, & Capellanię, per aliquem Presbyterum idoneum ſecularem, ad eorum nutum amovibilem, in divinis deſerviri facere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia, ſuper hoc, minime requiſita. Non obſtantibus priori voluntate noſtra predicta, ac Lateran. Concilii noviſſime celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus a jure permiſſis, fieri prohibentis, necnon felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, ac domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque, aut ſi alicui ſuper proviſionibus ſibi faciendis, de hujuſmodi, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel legatorum ejus, literas impetrarint, Nos enim proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſecuta quęcunque ad dictam Capellaniam, volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Capellaniarum, ſeu beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus, non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit &c. mentio ſpecialis, proviſo quod, propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, dicta Capellania debitis non fraudetur obſequiis, ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta, & inſuper, prout eſt, irritum decernimus, & inane &c. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, unionis, annexionis, & incorporationis &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Septimo, Quinto Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Monaſterio.*) In *Hetruria.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro III An. III fol.* 222.
3. *Walteran.*) Seu *Volaterran.*, in *Hetruria.*

Anno 1537 Die 15 Julii.

Legionenſe (1) Cœnobium S. Dominici eccleſiaſtico beneficio donat.

XXVIII.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

AD Apoſtolicę dignitatis apicem &c. Dudum ſiquidem omnia beneficia eccleſiaſtica &c. Cum itaque poſtmodum Parochialis Eccleſia B. Marię de Marialva, Legionen. Diœceſis, per liberam reſignationem dilecti filii Martini Alfonſi, nuper ipſius Eccleſię Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat per dilectum Johannem Carbonel, Clericum Valentin. procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem prędictam vacaverit, & vacet ad pręſens, nulluſque de illa pręter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, &c, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus S. Dominici prope, & extra muros Legionen., Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, dicta domus, quę antea inſignis, & plurimis literatiſſimis viris, verbi Dei Prędicatoribus, decorata erat, a duodecim annis citra, vel circa ruinę ſubdita, & fere ſolo ęquata, & destructa fuerit, & in illius Eccleſia Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum juxta quendam murum veterem, minus decenter reconditum teneatur, illiuſque fructus, redditus, & proventus adeo tenues exiſtant, quod illis Fratres in dicta domo pro tempore reſidentes vix ſuſtentari poſſint, & Chriſti fidelium devotio tepeſcat, ſi dicta Parochialis Eccleſia eidem domui, quę bona immobilia ex privilegio Apoſtolico habet, perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto domus ipſa, in ſuis ſtructuris, & ędificiis facilius reparari, ac in ea divinus cultus, & religioſorum numerus augeri poſſet. Quare pro parte dictorum Prioris, & Fratrum, aſſeren. fructus, redditus, & proventus dictę Parochialis Eccleſię, & illi forſan annexorum, viginti quatuor ducatorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Parochialem Eccleſiam pręa-

prędictam, eidem domui, perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac alias in pręmiſſis, opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum-annuum valorem, ſecundum extimationem prędictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, Priorem, & Fratres prędictos, ac eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, necnon fructuum, redditimu, & proventuum dictę domus, verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Parochialem Eccleſiam prędictam, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem dicti Martini, vel cujuſvis alterius, de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut Conſtitutionem felicis recordationis Johannis XXII Prędeceſſoris noſtri, quę incipit: Execrabilis: vel aſſecutionem alterius beneficii eccleſiaſtici quavis auctoritate collati, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. Statuta Concilii ad Sedem eandem legitime devoluta, ipſaque Parochialis Eccleſia, diſpoſitioni Apoſtolicę, ſpecialiter, vel alias generaliter, reſervata exiſtat, & ſuper eis inter aliquos, lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo pręſens diſpoſitio, ad Nos, hac vice pertineat, cum annexis hujuſmodi, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem domui, dilecti filii moderni Cantoris Eccleſię Legionen. (1), ad quem, & pro tempore exiſtentem ipſius Eccleſię Legionen. Cantorem pręſentatio perſonę idoneę ad dictam Parochialem Eccleſiam, dum pro tempore vacat, de antiqua, & approbata, hactenuſque pacifice obſervata conſuetudine aſſeritur pertinere, per dilectum filium Franciſcum de Nurones Clericum dictę Diœceſis, procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, expreſſo accedente conſenſu, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat modernis, & pro tempore exiſtentibus Priori, & Fratribus domus hujuſmodi, per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem Parochialis Eccleſię, & annexorum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, & illius fructus, redditus, & proventus, in ſuos, & Parochialis Eccleſię, ac domus hujuſmodi, uſus, & utilitatem convertere, necnon eidem Parochiali Eccleſię per aliquem Presbyterum idoneum ſecularem, ad eorundem Prioris, & Fratrum liberum nutum, ponendum, & amovendum, in divinis deſerviri, & dilectorum filiorum illius Parochianorum animarum curam exerceri facere, Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius, licentia deſuper minime requiſita. Non obſtantibus priori voluntate noſtra prędicta, & Lateranen. Concilii noviſſime celebrati &c. & quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi &c. literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem &c. ſit proceſſum, quas quidem literas &c. ad dictam Parochialem Eccleſiam volumus non extendi &c. & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis &c. & de quibus &c. habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Volumus autem, quod dicta Parochialis Eccleſia debitis propterea non fraudetur obſequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta, & inſuper, pront eſt, irritum decernimus, & inane &c. attentari. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, unionis annexionis, & incorporationis &c. infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Septimo, Idibus Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Mandatum.

1. *Legionen.*) In *Hiſpania*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro I fol.* 43.

Eccleſiaſticum beneficium unit Salmanticenſi (1) Cœnobio.

Anno 1537 Die 20 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXIX.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

IN ſupernę Apoſtolicę dignitatis ſpecula, licet immeriti, diſponente Domino, conſtituti, votis illis, per quę cunctorum Chriſti fidelium pręſertim in humilitatis ſpiritu, vota ſua Altiſſimo famulantium, commoditati, & opportunę ſubventioni, valeat ſalubriter provideri, libenter annuimus, & ea, prout in Domino expedit, favoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem omnia pręſtimonia, pręſtimoniales portiones, ac ſimplicia, ceteraque beneficia eccleſiaſtica, apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane &c. attentari. Cum itaque poſtmodum pręſtimonium, ſeu pręſtimonialis portio, aut ſimplex beneficium loci de Sancta Ella, Corduben. Diœceſis, per liberam reſignationem dilecti filii Magiſtri Franciſci de Toledo Notarii noſtri, Clerici, de illo, vel illa, quod, ſeu quam tunc obtinebat, in manibus noſtris ſponte factam, & per nos admiſſam, apud Sedem eandem vacaverit, & vacet ad pręſens, nulluſque de illo, ſeu illa, pręter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſten. ſupradictis, & ſicut exhibita Nobis nuper pro parte venerabilis Fratris noſtri Johannis (3) Epiſcopi Corduben., ac dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus S. Stephani Salamantin. Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod omnes fructus, redditus, & proventus dictę Domus, cujus Eccleſiam pręfatus Johannes Epiſcopus, ipſius Ordinis profeſſor, a fundamentis reſtauravit, & in reſtauratione hujuſmodi, ultra viginti millium ducatorum auri expoſuit, & multam majorem ſummam exponere intendit, ad proſecutionem fabricę hujuſmodi, & Eccleſię prędictarum, & onerum eidem Domui pro tempore incumbentium omnimodam ſupportationem, minus ſuppetant, ſi pręſtimonium, ſeu portio, aut beneficium hujuſmodi eidem Domui perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto Prior, & pręfatę perfectioni dictę fabricę commodius intendere, & onera hujuſmodi decentius perferre, ac divinis beneplacitis quietius vacare poſſent; pro parte eorundem Johannis Epiſcopi, ac Prioris,

Exordium.

Diplomatis cauſa.

& Fratrum, aſſerentium, fructua, redditus, & proventus pręſtimonii, ſeu portionis, aut Beneficii hujuſmodi, eentum ſeptuaginta Ducatorum auri de camera, ſecundum extimationem valorem annunm non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręſtimonium, ſeu portionem, aut Beneficium hujuſmodi, eidem Domui perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtoliea dignaremur.

Mandatum.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, ſtatuimus, & ordinavimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica, aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum extimationem prędictam, etiam beneficii, cui alind uniri peteretur, alioquin &c., & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, pręfatos Johannem Epiſcopum, ac Priorem, & Fratres, ipſiuſque Domus ſingulares perſonas, a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes &c. necnon fructus, redditus, & proventus dictę Domus, & illi quorumcunque annexorum, verum annunm valorem pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pręſtimonium, ſeu portionem, aut beneficium hujuſmodi, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterins cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem Franciſci, vel cujuſvis alterius de illo, vel illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus &c. aut conſtitutionem &c. alterius Beneficii &c. vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, & vacet, quod ejus collatio, juxta Lateranen. ſtatnta Concilii ad Sedem eandem legitime devoluta, & pręſtimonium, ſeu portio, aut beneficium hujuſmodi, diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter, vel alias generaliter reſervatum, ſeu reſervata, & ſuper eo, ſeu ea, inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejns diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, reſervata ex illius fructibus, redditibus, & proventibus prędictis, pro uno Clerico, ſeu Presbytero ſeculari, qui illi in divinis perpetuo deſerviat congrua portione, eidem Domui, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat eiſdem Priori & Fratribus per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem pręſtimonii, ſeu portionis, aut Beneficii, juriumque, & pertinentiarum prędictorum propria auctoritate apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus, in ſuos, ac Domus, & pręſtimonii, ſeu portionis, aut beneficii hujuſmodi, uſus, & utilitatem convertere, Dięceſani loci, & cujuſvis alteriua, licentia ſuper hoc minime requiſita, non obſtantibus priori voluntate noſtra, prędicta, & Lateranen. Concilii noviſſime celebrati, uniones perpetuaa, niſi in caſibus a jure permiſſis &c. Proviſo quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, pręſtimonium hujuſmodi debitis non fraudetur obſequiis, ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta; Nos enim, prout eſt, irritum, & inane decernimus, ſi ſecus &c. attentari. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Septimo, Tertio decimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Salmanticen.*) Juris eſt Provinciæ *Hiſpaniæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib.XV An.III fol.314.
3. *Johannis.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*, fuit enim *Johannes* iſte S. R. E. Cardinalis.

Anno 1537 Die 6 Septembris.

De electione (1) Prioriſſarum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXX.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum de Obſervantia nuncupatorum Provincię Hiſpanię ſecundum morem ejuſdem Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

QUia Nos excitat, & induceit affectio, ut Monaſteria, aliaque loca Monialium noſtrę proviſionia ope, auctore Domino proficiant &c. (3). Cum itaque, ſicut pro parte tua Nobis nuper exhibita, petitio continebat, in Provincia Hiſpanię ſecundum morem Ordinis Fratrum Prędicatorum, plura ſint Monaſteria Monialium, ſub cura Fratrum ejuſdem Ordinis Prędicatorum degentium, per Prioriſſas regi ſolita, & ſtatuto, ſive privilegio Apoſtolico, aut alias, nulla Monialis in Prioriſſam alicujus Monaſterii, eligi, ſeu pro electa cenſeri poteſt, aut debet, niſi tres ex quatuor partibus votorum Monialium electricum pro ſe habuerit, unde ſępe contingit, ut perſonę idonęę, & habiles ad Monaſteriorum prędictorum regimen, non eligantur, vel illarum electiones, cum maxima difficultate fiant, in dictorum Monaſteriorum, & illorum regiminis, maximum detrimentum. Verum ſi ſtatueretur, & ordinaretur, quod de cetero occurrente vacatione cujuslibet Monaſteriorum Monialium dictę Provincię ſub cura dictorum Fratrum degentium, illa Monialis in Prioriſſam electa cenſeretur, quę majorem partem votorum Monialium electricum vacantis Monaſterii hujuſmodi haberet, ex hoc profecto ſtatui eorundem Monaſteriorum in ſpiritualibus, & temporalibus plurimum conſuleretur, pro parte tua, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Mandatum.

Nos igitur, Monaſteriorum prędictorum, ſalubrem directionem paterno affectu zelantes, ac ſtatuti, & privilegii prędictorum, veriores tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, quod quoties de cetero, aliquod ex dictis Monaſteriis, ſive per lapſum quadriennii, ſive per obitum, vel alias vacare contigerit, illa Monialis in Prioriſſam ejuſdem Monaſterii ſic vacantis electa ſit, & eſſe cenſeatur, quę majorem partem votorum Monialium electricum ipſius Monaſterii pro ſe tunc habuerit; decernentes quoad reliqua, electiones Prioriſſarum earundem, prout hactęnus celebratę ſunt, fieri, & ſic per quoſcunque Superiores earum, ac quoſcunque alios judices, judicari, & interpretari debere, irritum quoque, & inane, quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtan-

obſtantibus premiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Monaſteriorum, & Ordinis prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ac quibuſvis privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prężumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Septimo, Octavo Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

M. Golotius.

1. *Electione.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 135 ex autographo *Salmanticenſi.*
3. *Proficiant &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

Cordubenſis (1) Cœnobii SS. Aciſcli (2), & Victoriæ Martyrum (3) privilegia firmat.

Anno 1537 Die 14 Septembris.

Ex Archivo (4) *Ordinis.*

XXXI.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Bartholomęo de Pineda Priori, & Fratribus domus Sanctorum Aciſcli, & Victorię Martyrum Cordubenſis, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm a Nobis petitur, quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Quapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates, & immunitates, ac conceſſiones a felicis recordationis Clemente IV (5), Leone X, & Clemente VII, ac aliis Prędeceſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus, ſive per privilegia, & alia quęcunque indulta vobis, & domui veſtrę, ac Confraternitati ſub invocatione Sanctorum Aciſcli, & Victorię Martyrum, in Eccleſia ejuſdem domus auctoritate Apoſtolica inſtitutę, & illius Confratribus conceſſas, necnon libertates, & exemptiones ſecularium exemptionum a Regibus, & Principibus, ac aliis Chriſti fidelibus, vobis, & domui, ac Confraternitati, necnon Confratribus pręfatis, auctoritate Apoſtolica pręſata confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Septimo, Decimo octavo Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Phi. Chaveti.

1. *Cordubenſis.*) Juris eſt Provinciæ *Bætica.*
2. *Aciſcli.*) De quo *Beda*, *Uſuardus*, & *Ado* in *Martyrologiis*, uti videre eſt in *Baronii* Notis ad *Romanum Martyrologium* ad diem *XVII* Novembris. Ejuſdem Sancti meminit *Prudentius Hymno IV de Martyribus Cæſaraugustanis.* Emendandus igitur *Echard in Notitia Ordinis Prædicatorum Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* XI col. I, ubi Sanctus iſte *Eiſclus* nuncupatur.
3. *Martyrum.*) Hinc *Conventus Martyrum* vulgo dicitur domus iſta.
4. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Cordubenſi.*
5. *Clemente IV.*) Nota quod *Echard* loco laudato docet iſtud Cœnobium anno duntaxat *MDLIII* fundatum, & in hoc emendandus ex hoc Diplomate.

Generale Capitulum transfert e Florentino Cœnobio ad Cœnobium Civitatis in qua Generale Concilium celebrabitur (1).

Anno 1537 Die 24 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXII.

Dilecto filio Generali Magiſtro Ordinis Prędicatorum.

PAULUS PP. III.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INter cetera animi noſtri deſideria illud potiſſimum cordi noſtro inhęret, ut fructus, quos ſacer Ordo veſter in agro militantis Eccleſię afferre non deſinit, non ſolum noſtrę proviſionis ope ſuccreſcant, verum etiam chriſti fidelibus ita manifeſte appareant, quod ex eis optata valeat utilitas provenire. Superiore quidem anno cum Capitulum Generale dicti Ordinis in Civitate Lugdunen. (3) celebraretur (4), Nos ad te, etiam tunc Magiſtrum Generalem Ordinis, & Diffinitores Capituli prędictorum ibi exiſtentes per dilectum filium noſtrum Johannem (5) SS. Coſmę, & Damiani Diaconum Cardinalem de Salviatis nuncupatum ipſius Ordinis protectorem ſcribi curavimus, ut cum Univerſale Concilium indixiſſemus (6), & ex pluribus tunc forſan expreſſis cauſis cenſeremus expedire, ut Capitulum Generale ejuſdem Ordinis tunc proxime celebrandum in loco, ubi dictum Concilium celebrandum eſſet, celebraretur, Capitulum hu-

Exordium ab Ordinis laude.

Diplomatis cauſa.

hujuſmodi in hujuſmodi loco celebrare ſtatuerent. Cum autem, ſicut etiam accepimus, cauſantibus bellorum turbinibus, qui tunc in partibus illis vigebant, literę ipſius Johannis Cardinalis, & Protectoris, tibi & Diffinitoribus pręd.ctis ſaltem in tempore reditę non fuerint, tuque & Diffinitores prędicti voluntatis noſtrę hujuſmodi ignari, Capitulum ſequens hujuſmodi in domo S. Marci Florentin. dicti Ordinis de anno MDXXXIX celebrari ſtatueritis, Nos, animo revolventes, quantum ipſius Ordinis profeſſores in rebus ad fidem Catholicam pertinentibus, & ſtatum Univerſalis Eccleſię concernentibus, ſoliditate doctrinę proficere conſueverint, & propterea indubie ſperantes, quod in proſecutione Univerſalis Concilii hujuſmodi ad tollendas hereſes, quę nunc undequaque pullulant, plurimum proderit, celebrationem veſtri Capituli Generalis hujuſmodi dicto anno 1539, ut prefertur, celebrandi, de dicta domu S. Marci ad Civitatem, vel locum, ubi Nos Univerſalis Concilii celebrandi cauſa tunc eſſe contigerit, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, transferimus, illudque in Civitate, vel loco, ubi Nos, ut pręfertur, erimus, celebrari debere decernimus, mandantes tibi propterea in virtute S. Obedientię, quatenus tranſlationem, & decretum noſtra hujuſmodi, ac pręſentes literas Diffinitoribus pręfatis, ac aliis quorum intereſt, juxta morem dicti Ordinis intimare procures. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXIV Septembris MDXXXVII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Nota in commendationem Ordinis.

Fabius Vigil.

1. *Celebrabitur.*) Tunc enim *Paulus III* Generalem Synodum cogendam ſtatuerat. *Tridenti* poſtea celebrata fuit anno *MDXLV.* Ordinis vero Capitulum Generale anno *MDXXXIX Romæ* coactum fuit die *XXV* Maii.
2. *Archivo.*) In quo autographum.
3. *Lugdunen.*) In *Gallia.*
4. *Celebraretur.*) Die *IV* Junii.
5. *Johannem.*) De quo *Ciaconius* in *Leone X.*
6. *Indixiſſemus.*) Conſulendus *Labbeus.*

Anno 1537 Die 7 Octobris.

De viſitando Cœnobio (1) Veneto SS. Johannis & Pauli.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIII.

Dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Sanctorum Johannis, & Pauli Venetiarum Ordinis Fratrum Prędicatorum.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut dilecti filii noſtri Johannis (3) Petri S. R. E. Presbyteri Cardinalis tituli S. Sixti, qui pro dilecto filio noſtro Johanne (4) SS. Coſmę, & Damiani Diacono Cardinale, curam protectionis Ordinis Prędicatorum, apud Nos exercet, ac quamplurium aliorum fide dignorum relatione Nobis nuper innotuit, domus veſtra SS. Johannis, & Pauli, ad effectum, ut qui ex vobis religioni adverſi reperimini, debita animadverſione caſtigati, ceteris tranſeatis in exemplum, reliqui vero rectę mentis, ac deſiderii, quos non paucos eſſe intelligimus, ſublevemini, & ad proficiendum in ſemitis juſtitię, & veritatis, adjuvemini, & ex nonnullis aliis cauſis, viſitatione indigere noſcatur, Noſque dilectum filium Auguſtinum de Faventia (5) ipſius Ordinis profeſſorem, ac in Romana Curia Procuratorem, ac Vicarium Generalem, qui negotium viſitationis hujuſmodi, tam ſua ordinaria, quam noſtra, auctoritatibus, peragat, mittamus, Nos, ne negotium hujuſmodi pretextu, quarumvis exemptionum, ſeu aliarum facultatum, aliquibus veſtrum, per quoſcunque, etiam ipſius Ordinis Prelatos, vel Superiores, aut Nuncios veſtros, ſeu etiam noſtros, & Sedem Apoſtolicam quomodolibet conceſſarum, aut ex quacunque alia cauſa impediatur, ſeu differatur, vobis, & veſtrum ſingulis in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis, ac ad quoſcunque ipſius Ordinis actus, tam activę, quam paſſivę inhabilitatis, per vos in eventum inobedientię, eo ipſo incurrendis pęnis, a quibus nonniſi a Nobis, aut ipſo Auguſtino Procuratore, & Vicario, pręterquam in articulo mortis conſtituti abſolvi poſſitis, diſtricte precipiendo, mandamus, quatenus eidem Auguſtino Procuratori, & Vicario, ac in hoc Commiſſario noſtro, in omnibus hiis, quę viſitationem prędictam quovis modo concernere videbuntur, humiliter intendatis, ac monitionibus, mandatis, correctionibus, & reformationibus, necnon ſtatutis, & ordinationibus, per eum faciendis, omni excuſatione remota, cum effectu pareatis, & obediatis. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac ipſius Ordinis conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quibuſvis exemptionibus, facultatibus, privilegiis, & indultis, vobis, vel in genere, vel in ſpecie per quaſcunque, quavis, etiam Apoſtolica auctoritate fungentes, ac etiam per Nos, & Sedem prędictam, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quę adverſus pręſentes, & quoad pręmiſſa, nemini ſuffragari poſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VII Octobris MDXXXVII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Fabius Vigil.

1. *Cœnobio.*) Juris eſt Provinciæ *Venetæ.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Johannis.*) E gente *Caraffa.* Fuit poſtea Summus Pontifex *Paulus IV.* Vide Conſtitutionem *XLVII* datam *XXIII* Maii *MDXXXIX.*
4. *Johanne.*) *De Salviatis*, cujus meminit *Ciaconius* in *Leone X.*
5. *Auguſtinum de Faventia.*) Cognomento *de Recuperatis.* Ordinis Generalis Magiſter poſtea creatus fuit *Auguſtinus.* *De Faventia* vocatur ex patria. De ipſo alias dictum fuit.

In-

Indulgentia conceſſa viſitantibus ædes Sacras loci de Avignoneto (1), ubi nonnulli Fratres Ordinis Martyrio coronati ſunt.

Anno 1538 Dic 4 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Psulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXIV.

Exordium.

ROmanns Pontifex, cui per Beatum Petrum Principem Apoſtolorum in terris a Domino collata eſt poteſtas ligandi, atque ſolvendi, ad excolendam devotionem ſingulorum Chriſti fidelium ſuę curę commiſſorum, quandoque fideles remiſſionum beneficiis proſequitur, ac Eccleſias, pręſertim in honorem glorioſę ſemper Virginis Marię, quę ſuo caſtiſſimo utero de Spiritu Sancto Salvatorem ſeculorum concepit, dedicatas Indulgentiarum muneribus communit, & ornat, ut fideles Chriſti ejuſdem Beatę Marię precibus, & ſuffragiis adjuti, eaſdem Eccleſias pie viſitantes, quod ſuis meritis in cęleſtibus regnis conſequi non poſſent, ipſius Beatę Marię Virginis interceſſionibus impetrare mereantur.

Diplomatis cauſa.

Cum itaque, poſtquam, ſicut accepimus, anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Quadrageſimo ſecundo, Quarto Kal. Junii quo feſtum Aſcenſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti tunc celebrabatur (3), pullulante ſecta Arianorum (4), quondam Guillelmus Arnaldus (5) Ordinis Prędicatorum theologię profeſſor, hęreticorum, & dictę ſectę Inquiſitor, qui cum quinque aliis (6) Religioſis, & uno Notario ſcriba, & aliis aſſociatus in Parochiali Eccleſia ipſius Beatę Marię de Miraculis, aliis de Gaulegio nuncupata, loci de Avignoneto, nunc Sancti Papuli, tunc vero Toloſanę Diœceſis, in qua verbum Dei prędicabat, & ſectam hujuſmodi increpabat, per tunc Bajulum, ſive Caſtellanum dicti loci una cum dictis quinque Religioſis, & Notario gladio occiſus fuerat, ac Eccleſia ipſa propterea per quadraginta annos (7) polluta, & interdicta permanſerat, cum, dante Deo, ſecta ipſa tempore procedente ſedata, & abolita fuiſſet, ac nonnulli chriſticolę ad Sedem Apoſtolicam acceſſiſſent, & pręmiſſa pro eorum parte tunc Romano Pontifici (8) narrata fuiſſent, ac idem Romanus Pontifex illorum ſupplicationibus inclinatus interdictum hujuſmodi ſub prima die Martis Menſis Junii relaxaſſet, & Eccleſiam prędictam in priſtinum ſtatum reſtituiſſet, ac divinitus, & miraculoſe Campanę, quę in Campanili dictę Eccleſię erant, ultro abſque alicujus perſonę miniſterio, vel opere, per totum diem, & noctem pulſaſſent, & portę ejuſdem Eccleſię, quę ſeris ferreis clauſę tenebantur, ſimiliter ultro apertę fuiſſent, ac poſtmodum compertum fuiſſet, quod eadem die, qua Interdictum hujuſmodi relaxatum, & Eccleſia ipſa in priſtinum ſtatum reſtituta fuerat, quę erat prima dies Martis Menſis Junii, campanę, ut pręfatur, ultro pulſaverant, & portę apertę fuerant, Incolę dicti loci mirantes, & Omnipotenti Deo, & Virgini Marię gratias agentes in hujus miraculi memoriam pręfatam glorioſam Dei genitricem Virginem Mariam in eorum Patronam acceperint, & eandem primam Diem Menſis Junii (9) perpetuo colere voverint, prout colunt, & deinde unam laudabilem Confraternitatem ſub invocatione ejuſdem Virginis Marię inſtituerint & ordinaverint, ac illius inſtitutionem, & ordinationem hujuſmodi per Sedem Apoſtolicam confirmari, & diverſis Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, illius Confratribus pro tempore exiſtentibus, & aliis Chriſti fidelibus dictam Eccleſiam viſitantibus, conceſſis decorari obtinuerint, prout in diverſis literis (10) Apoſtolicis inde confectis dicitur plenius contineri, & ad eandem Eccleſiam propter diverſa miracula, quę inibi Altiſſimus precibus, & meritis ejuſdem Beatę Marię Virginis dietim operari dignatur, copioſus confluat fidelium numerus,

Indulgentia.

Nos, cupientes, ut dicta Eccleſia, ad quam, ſicut accepimus, dilectus filius Nicolaus Dupre eccleſiaſticus Pariſienſis, ſcutifer, de numero participantium, & familiaris continuus, & commenſalis noſter, ſingularem gerit devotionis affectum, in debita veneratione habeatur, & Chriſti fidelium eorundem devotio ad illam ferventius incaleſcat, ac memoria tanti miraculi devotius in illa recolatur, & animarum ſalus per amplius propagetur, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis tam Confratribus Fraternitatis hujuſmodi pro tempore exiſtentibus, quam aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, vere pęnitentibus, & confeſſis, ſeu ſtatutis a jure temporibus firmum propoſitum confitendi habentibus, qui Eccleſiam prędictam prima die Martis ejuſdem menſis Junii, quoties in illa tertiam feriam Pentecoſtes occurrere contigerit, a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis ipſius primę Diei Martis menſis Junii proxime futuri, & deinde perpetuis futuris temporibus, prima Die Martis ejuſdem menſis Junii uſque ad occaſum ſolis devote viſitaverint, & in honorem ejuſdem glorioſę ſemper Virginis Marię ob memoriam reconciliationis Eccleſię hujuſmodi ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitaverint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem per modum Jubilei, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus & elargimur, necnon confratribus ipſis qui die, quo aliquis Confraternitatem hujuſmodi ingredictur, & aliis Chriſti fidelibus, qui die reconciliationis Eccleſię hujuſmodi Eccleſiam ipſam devote viſitaverint, & inibi ſepties Orationem Dominicam & toties Salutationem Angelicam in honorem ejuſdem Virginis Marię recitaverint, ſeptem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus: quibuſvis locorum Ordinariis, ut pręſentes literas in eorum Eccleſiis, & locis publicent, & publicari faciant, & permittant, committimus, & mandamus, quas ſub quibuſcunque revocationibus, limitationibus, & derogationibus ſimilium vel diſſimilium indulgentiarum, facultatum, & conceſſionum, etiam in favorem Cruciatę, aut fabricę Baſilicę Principis Apoſtolorum de Urbe, ſeu aliarum Eccleſiarum, ac piorum locorum, aut Ordinum quorumcunque, etiam per Nos, & Sedem Apoſtolicam, & cum quibuſcunque clauſulis & decretis, aut quavis conſideratione pro tempore factis, nullatenus comprehendi debere, nec comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe, & quoties illę emanabunt, toties in priſtinum ſtatum conſtitutas & de

novo

novo conceſſas eſſe, & ſic per quoſcunque, ſublata quavis aliter judicandi, & interpretandi, facultate, & auctoritate, judicandum fore, ac quicquid ſecus attentari contigerit, irritum, & inane decernimus, iſtis perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Septimo (11), Pridie Nonas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

S. Grolleti. Becaldi.

1. *Avignoneto.*) In *Occitania*.

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo aſſervato in eccleſia Parochiali *de Avignoneto*. Legitur apud Percinum in Opuſculo *de Martyribus Avignoneti* ad calcem *Monumentorum Conventus Toloſani pag.*204.

3. *Celebrabatur.*) Optime ſit, anno ſiquidem *MCCXLII* fuit Paſcha die *XX* Aprilis, & Aſcenſionis feſtum die *XXIX* Maii. Fuit enim cyclus ſolis XIX, Lunæ *VIII*, litera Dominicalis *E*. Hinc liquet quantum erraverit amanuenſis *Percini* ſcribens *Decimo Kalendas Julii, quo feſtum Aſcenſionis D. N. I. C. tunc celebrabatur*.

4. *Arianorum.*) *Albigenſium* ſcilicet qui variis nominibus vocabantur ex variis erroribus quibus erant infecti. Adeas *Percinum* in *Opuſculo de Hæroſ pag.*1 *&c.*

5. *Guillelmus Arnaldus.*) Chriſti Martyr de quo dicetur in *Diſſertatione VI* Tomo ultimo.

6. *Quinque aliis.*) De quibus in Diſſertatione mox laudata.

7. *Quadraginta annos.*) Ad annum ſcilicet *MCCLXXXIII* quo litera Dominicalis fuit *c*, & prima dies Iunii fuit Feria *III*, ſeu dies *Martis*.

8. *Tunc Romano Pontifici.*) *Martino* nempe *II*, dicto *IV*.

9. *Primam diem menſis Junii.*) Optime ſic, ut liquet ex *Nota VII*. Emendandus autem amanuenſis *Percini* ſcribens *Primam diem menſis Martii*. Ubi vero legitur apud eundem *Prima dies menſis Martii*: ſcribendum *Prima dies Martis menſis Junii &c.*

10. *Literis.*) Quæ deſiderantur.

11. *Trigeſimo ſeptimo.*) Stylo Bullarum, æra communis *MDXXXVIII*.

Anno 1538 Die 5 Januarii.

Ne trahentes originem ex Hebræis commorentur in Cœnobio Cordubenſi (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXV.

Antonius (3) miſeratione divina tituli Sanctorum Coronatorum Presbyter Cardinalis, dilectis in Chriſto Priori Provinciali Provincię Bęticę, & Priori, ac Conventui domus S. Pauli Cordubenſis ejuſdem Provincię Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem in Domino.

EX parte veſtra fuit propoſitum coram Nobis, quod cum in domo veſtra hujuſmodi Collegium duodecim Fratrum Collegialium ſtudentium a nobili Antonio de Cordoba (4) fundatum, & redditibus ſufficienter dotatum, & a Provinciali, & Conventuali Prioribus decentibus ſtatutis regulatum exiſtat, eique de Regente, & Lectoribus, tam pro eiſdem collegialibus, quam conventualibus patribus, ac ſecularibus ſtudio deditis abunde proviſum ſit, & pleriſque aliis Collegiis veſtri Ordinis, ac etiam ſecularibus, ne in eis aliqui converſi ex Hebręis, vel ab eis originem trahentes recipiantur, neve per errorem recepti, cum illos tales eſſe conſtiterit, ibidem retineantur, ex privilegio ſit conceſſum, propter multa incommoda, quę ab hujuſmodi hominum genere accidere ſolent, cupitis, id etiam veſtro Collegio concedi, quod ut fiat cum collegiales ex conventualibus aſſumantur, ne etiam in dicto veſtro Conventu recipiantur, providendum eſt, eoque magis cum omnes etiam Conventuales, lectionibus, divinis officiis, ac piis operibus ad animarum ſalutem directis religioſe occupentur, & ex antiqua conſuetudine in cauſis fidei, Theologi, ac Religioſi Patres ejuſdem Conventus una cum venerabili in Chriſto Patre Dei gratia Epiſcopo Cordubenſi, & Inquiſitoribus hęreticę pravitatis intereſſe ſoleant, ideoque non deceat, inter eos tales eſſe, qui a ſuſpectis de fide originem trahunt. Quare pro conſervatione, & augmento ſtudii, pro pace, & quiete domus procuranda, & pro cautela periculi vitandi, conſultatione inter vos, ac de conſilio Epiſcopi, & Inquiſitorum prędatorum, id maxime expedire dignoſcentes, ſupplicari feciſtis humiliter, vobis ſuper his per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio miſericorditer provideri. Nos igitur, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Domini Papę, cujus plenarie curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivę vocis oraculo Nobis facto, quod de cetero nulli converſi ex hebręis, vel ab eorum genere, aut ab hęreticis publice condemnatis deſcendentes, ab aliquo Prelato veſtri Ordinis, aut a Fratribus dicti Conventus in eodem, vel pro eodem Conventu ad habitum, vel profeſſionem recipi poſſint, ſi, tales eſſe, cogniti fuerint, nec in dubio, niſi facta prius in examine proteſtatione in ſcriptis redacta, a Pręlato, & examinatoribus ſimiliter ſubſcripta, & coram eis ipſi recipiendo lecta, quod ſub ea conditione recipitur, ſi tali genere non ſit, quodque ſciat, de habitu, & profeſſione privandum, poſtquam Pręlato, & Patribus eum talem eſſe conſtiterit, & receptio aliter facta non valeat, quod ſi aliquis pręfati ignorantia ſub hujuſmodi conditione receptus fuerit, & poſtmodum fide digna relatione eum ex dicto genere eſſe cognitum fuerit, intra tres dies a plena notitia habita, & literis firmata a Pręlato hujuſmodi Ordinis privari debeat, Neque aliquis dicti Ordinis profeſſor a dicto genere deſcendens, alterius Conventus filius, poſſit dicto veſtro Conventui, a Priori Provinciali, vel ejus Vicario aſſignari, vel deputari, & ſi aliter per errorem factum fuerit, aſſignatus, vel deputatus, & poſtea quod a dicto genere deſcendat, fuerit diffamatus, veritate diligenter inquiſita, ſi ita eſſe compertum fuerit, intra octo dies inde revocari, & ad ſuum Conventum remitti debeat, vobis, veris exiſtentibus pręmiſſis, tenore pręſentium perpetuo concedimus, atque indulgemus, irritum quoque, & inane, ſi quid contra pręmiſſa, a quoquam quavis auctoritate attentari contigerit decernimus. Mandantes in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis pęna, per eos, qui contrafecerint, vel premiſſa, aut infraſcripta adimplere neglexerint, ſeu diſtulerint, eo ipſa incurrenda, & a qua nonniſi a Romano Pontifice pręterquam in mortis articulo conſtituti abſolvi poſſint, tam Provinciali, quam dictę domus Prioribus, & aliis Pręlatis, ne eos, quos a dicto genere deſcendere cognoverint, nullatenus, neque in dubio aliquos niſi ſub dicta expreſſa conditione, ut pręmittitur, in dicto Conventu recipiant, & ſi quos per errorem re-

Digitized by Google

receperint, habita fide digna relatione, quod de dicto genere ſint, veritatem examinent, & perquirant, & ſi ita eſſe repererint, intra tres dies poſt notitiam hujuſmodi, ut prefertur, habitam, illos habitu Ordinis privent, neque alterius Conventus filium a dicto genere deſcendentem in dicto veſtro Conventu aſſignent, vel deputent, & ſi per errorem aliquem aſſignaverint, vel deputaverint, veritatem inquirant, & ſi illa comperta &c. intra octo dies inde revocent, & ad ſuum Conventum remittant, & nihilominus diſcretis viris Inquiſitoribus hereticę pravitatis in Civitate, & Dięceſi Cordubenſi, ſeu in aliis partibus a Sede Apoſtolica deputatis, & Decano Eccleſię Cordubenſis, ac eorum cuilibet, committimus, & mandamus, quatenus per ſe, vel per alium, ſeu alios, vobis, & Provincię Bęticę Provinciali, ac Priori, & Conventui domus veſtrę pro tempore exiſtentibus in pręmiſſis, efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant vos, ac Provincialem, & Priorem, & Conventum pro tempore exiſtentes prędictos, indulto, conceſſione, decreto, mandato, & aliis pręmiſſis pacifice frui, & gaudere, non permittentes, vos, vel Provincialem, ſeu Priorem, aut Conventum pro tempore exiſtentes, pręfatos, per loci ordinarium, vel dicti Ordinis, & alterius Provincię illius Superiores, etiam Generalem, aut quoſcunque alios tam eccleſiaſticos, quam ſeculares judices, & perſonas cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, & quacunque, etiam Pontificali pręfulgeant dignitate, vel auctoritate, etiam Apoſtolica, fungantur, quomodolibet moleſtari, aut inquietari. Contradictores &c. invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac tam Provincialibus, quam Synodalibus, dictique Ordinis, & illius domorum ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, eiſdem Ordini, & domibus, illorumque ſuperioribus, Provincialibus, & Conventualibus Prioribus, & aliis Prelatis contra pręmiſſa forſan conceſſis; confirmatis, & innovatis, quorumcunque tenorum exiſtant, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub ſigillo officii Pęnitentiarię Nonis Menſis Januarii, Pontificatus Domini Pauli Papę Tertii Anno Quarto.

1. *Cordubenſi.*) Juris eſt Provinciæ *Bætica.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Cordubenſi.*
3. *Antonius.*) *Puccius*, de quo *Ciaconius* in *Clemente VII.*
4. *De Cordoba.*) Seu *Cordova*, *Cordubenſi* nempe. Gens eſt antiqua nobilitate clara.

De Decimis (1) non ſolvendis.

Anno 1538 Die 14 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVI.

Dilectis filiis Prioribus, & Fratribus, ac dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſis, & Monialibus Domorum, & Monaſteriorum Ordinis Fratrum Prędicatorum Romanę, & utriuſque Lombardię Provinciarum juxta morem dicti Ordinis.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, & dilectę in Chriſto filię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſtis, quod licet alias felicis recordationis Clemens PP. VII, Prędeceſſor noſter, tunc Vicario Generali, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum Congregationis Lombardię regularis obſervantię, nunc Provincię utriuſque Lombardię, quod ad ſolutionem decimarum per eum tunc impoſitarum, & pro tempore imponendarum, ac contributionem in illis faciendam, ſolum, & duntaxat pro reſiduo fructuum, bonorum per eos poſſeſſorum, quod demptis, & exemptis ſeptem ducatis auri juxta taxam antiquam pro quolibet Fratre ſupereſſet, & non alias ſolvi tenerentur, & ad ſolvendum decimas ipſas alias, quam de reſiduo fructuum bonorum hujuſmodi minime compelli, nec propterea aliquibus cenſuris innodari poſſent, per quaſdam conceſſerit, & indulſerit, diſtrictius inhibendo omnibus, & ſingulis dictarum decimarum collectoribus, tunc & pro tempore deputatis, ne eos, aut aliquem eorum, quovis pretextu ad aliquam ſolutionem, ſive contributionem decimarum hujuſmodi coarctare, nec deſuper quoquomodo moleſtare pręſumerent, & deinde ipſorum Vicarii, & Fratrum, ac Monialium Monaſteriorum eorum curę commiſſorum ſupplicationibus inclinatus, literas prędictas innovans; & approbans, ac inviolabiliter obſervari volens, & ad Moniales ſub cura eorundem Fratrum degentes, quoad id ut detractis ex fructibus ſeptem ducatis juxta taxam prędictam pro qualibet Moniali, decimam fructuum ſolvere tenerentur extendens, & amplians, tunc & pro tempore exiſtentibus commiſſariis, collectoribus, & ſubcollectoribus decimarum hujuſmodi ſub excommunicationis latę ſententię, ac quingentorum ducatorum auri de Camera partim eidem Vicario, & Fratribus, ac partim Camerę Apoſtolicę applicandorum, pęnis per alias mandavit, quatenus Fratres domorum, & Moniales Monaſteriorum hujuſmodi contra literarum dictarum tenorem nullatenus moleſtare pręſumerent, & poſtremo veſtrum, filii Priores, & Fratres, ac filię Prioriſſę, & Moniales domorum, & Monaſteriorum dicti Ordinis Romanę Provincię, ſupplicationibus inclinatus, exactoribus decimarum pro tempore deputatis ſub ejus indignationis pęna per reliquas ejus in forma Brevis literas commiſerit, & mandaverit, quatenus cum hujuſmodi decimarum ſolutio quandocunque in poſterum ingrueret, deductis prius ex ſingulis decimis, ducatis ſeptem pro qualibet perſona in eiſdem domibus, & Monaſteriis pro tempore commorante, quos ſibi pro eorum neceſſitatibus omnino dimitti voluit, de eo ſolum quod ſupereſſe cognoviſſent juxta ſolitam taxam decimas prędictas exigere procurarent, prout in ſingulis literis prędictis plenius continetur. Nihilominus collectores, & ſubcollectores, ac alii exactores, & commiſſarii decimarum ad pręſens impoſitarum, vos ad ſolutionem decimarum earundem, aliaſque juxta harum prędictarum continentiam, & tenorem cogere, & alias in pręmiſſis hujuſcemodi vexare, moleſtare, & inquietare pręſumunt, in gravem veſtrum

per-

Mandatum.

perturbationem. Quare Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut ſingulas literas Clementis Prędeceſſoris hujuſmodi approbare, & innovare, aliaſque vobis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur vos, ut libentius divinis beneplacitis vacare poſſitis, paterno affectu confovere volentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ſingulas literas Clementis Prędeceſſoris hujuſmodi cum conceſſionis, indulti, inhibitionis, extenſionis, ampliationis, mandati, & commiſſionis, ac omnibus in ſingulis aliis in eis contentis, clauſulis, auctoritate Apoſtolica tenore prępentium approbamus, & innovamus, ſuoſque effectus ſortiri, & ab omnibus inviolabiliter obſervari debere decernimus, diſtrictius inhibendo eiſdem collectoribus, & ſubcollectoribus, ac exactoribus, & commiſſariis ſub pęnis prędictis, ne vos, aut veſtrum quemlibet contra Clementis Prędeceſſoris, ac noſtrarum literarum hujuſmodi tenorem, moleſtare pręſumant, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis literis ſuper decimarum hujuſmodi impoſitionibus pro tempore emanatis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Decernentes pręſentium literarum tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ſigilloque alicujus curię eccleſiaſticę, ſeu perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eandem prorſus fidem adhiberi debere, quę eiſdem pręſentibus adhiberetur ſi originaliter exhiberentur, vel oſtenderentur, ac eaſdem literas per quoſcunque, quibus illas pro tempore intimari contigerit, dimiſſa eis copia, illas pro tempore intimanti reſtitui debere. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIV Martii MDXXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Fabius Vigil.

1. *Decimis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Aſſervantur autographa in Cœnobiis *Viterbien.*, *Cremonen.*, & *Bergomen.*

Anno 1538
Die 1 Maii.

XXXVII.

Quæ pro Mexicana (1) Provincia ſancita ſunt, firmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

Romano Pontifici, cui per B. Petrum Apoſtolorum Principem dominici gregis cura divina diſpoſitione extitit attributa ex debito paſtoralis officii incumbit, ad ea, per quę animarum ſaluti cum divini nominis gloria, & religionis propagatione conſuli valeat, libenter intendere, & ea, quę propterea comperit, ut firma perpetuo, & illibata perſiſtant, Apoſtolico munimine roborare, prout perſonarum, locorum, & temporum qualitate penſata, conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Miniſtri (3) Provincialis, & Definitorum Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię S. Jacobi in partibus Indiarum novę Hiſpanię Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias ipſi provide attendentes, utriuſque ſexus fidelibus dictę Provincię, & Civitatis Mexican. noviter ad Chriſti fidem converſis, religioſos viros verbi Dei Prędicatores ex catholicis parentibus ortos, de quibus nulla ſiniſtra haberi poſſet ſuſpicio, ſed ipſi populum ſuę curę creditum Redemptoris noſtri ſaluberrimis dogmatibus imbuerent, & in viam ſalvationis dirigerent, eſſe plurimum opportunos, habita ſuper hoc in Capitulo Generali (4) per eos in dicta Civitate celebrato matura deliberatione, quod ex tunc deinceps in perpetuum, nullus noviter ad fidem converſus in Collegio ſcholarum Ordinis, & Provincię prędictorum contento, ſeu continendo pręter lectorem, ſi eo opus eſſet, aut in Monaſterio S. Dominici Mexican. ejuſdem Ordinis morari, ſeu inibi ad habitus ſuſceptionem, & profeſſionis emiſſionem, niſi de Provincialis, & Definitorum pro tempore Capituli dicti Ordinis conſenſu admitti, ſeu in Vicarium Generalem, aut Provincialem, vel Definitorem ad Capitulum Generale, aut Priorem Monaſterii S. Dominici hujuſmodi eligi poſſet, inter alia ſtatuerunt, & ordinarunt, prout in patentibus literis deſuper confectis, quarum tenores, ac ſi de verbo, ad verbum infererentur, pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, dicitur plenius contineri. Quare pro parte eorundem Miniſtri, & Definitorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręmiſſis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur noſtrę confirmationis adiicere, aliaſque deſuper opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

Nos igitur, qui religioſos viros, verbi Dei evangelizatores puri cordis, & ſincerę conſcientię, Chriſti populo miniſtrare paternis affectibus exoptamus, quemlibet ex Miniſtro, & Definitoribus prędictis, a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatutum, & ordinationem prędicta, ac prout illa concernunt, alia quęcunque in dictis literis contenta, & inde ſequuta quęcunque, licita tamen, & honeſta, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, omneſque, & ſingulos, juris, & facti defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem, ſupplemus, illaque perpetuo firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque judices, & commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, interpretari, atque decidi debere, necnon irritum, & inane, quicquid ſecus ſuper his &c. attentari, decernimus, ac eiſdem Miniſtro, & Definitoribus, ut quęcunque alia ſtatuta, & ordinationes licita, & honeſta, ac ſacris Canonibus non obvenientia religioſum ſtatum, & ſalubrem directionem Ordinis, & Collegii, ac Monaſterii hujuſmodi concernentia, quoties eis placuerit, Apoſtolica auctoritate condere, alterare, & mutare, & quaſcunque pęnas in contravenientes apponere, libere, & licite valeant, auctoritate, & tenore prędictis, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Monaſterii, ac Provincię, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, Ordini prędicto, ac illius Fratribus, Miniſtris, etiam Generalibus, per

Se-

Digitized by Google

Sedem Apoſtolicam, etiam cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, conceſſis, confirmatis, & iteratis vicibus innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut certa exquiſita forma, ad hoc ſervanda foret, & in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſſit, tenore hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita, obſervata, inſerti forent, pręſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, harum ſerie, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, ſuppletionis, decreti, indulti, & derogationis, ac voluntatis infringere. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Placentię (5) Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Octavo, Kalendis Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Mexicana.*) In *America*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.IV fol.* 144.
3. *Miniſtri.*) Sic ſæpius poſtea, legendum *Magiſtri*.
4. *Capitulo Generali.*) Capitulo Provinciali, nullum enim Generale Capitulum celebratum fuit in Regno *Mexicano*.
5. *Placentia.*) In *Italia*.

Ut præcedens Conſtitutio executioni mandetur.

Anno 1538 Die 1 Maii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXXVIII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Epiſcopo Caſertan., & dilectis filiis Priori Monaſterii, per Priorem gubernari ſoliti S. Auguſtini Mexican., ac officiali Hiſpalen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis: Paulus Epiſcopus &c. (2) Datum &c. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, literas prędictas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem Miniſtri (3), & Definitorum Ordinis Fratrum Prędicatorum dictę Provincię S. Jacobi, deſuper fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, ac eiſdem Miniſtro, & Definitoribus in pręmiſſis, efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra literas, & in eis contenta hujuſmodi, plenum effectum ſortiri, & ab omnibus inviolabiliter obſervari, illiſque Miniſtrum, & Definitores pręfatos, ac omnes, & ſingulos alios, quos illę quomodolibet concernunt, pacifice gaudere, non permittentes quenquam, contra illarum tenorem, quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores &c. compeſcendo, invocato, etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus omnibus ſupradictis, necnon felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Dięceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis, ultra unam dietam a fine ſuę Dięceſis, ad judicium evocetur, ſeu ne judices, vel executores a Sede prędicta deputati, extra Civitatem, vel Dięceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis, vices ſuas committere pręſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodo ultra tres dietas, aliquis auctoritate pręſentium, ad judicium non trahatur, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ſtatutis, & ordinationibus contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Placentię Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Octavo, Kalendiis Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro IV fol.* 145.
2. *Epiſcopus &c.*) Ut in præcedenti ad finem uſque.
3. *Miniſtri.*) *Magiſtri.*

De electione (1) Prioriſſarum.

Anno 1538 Die 24 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXIX.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię Hiſpanię ſecundum morem ejuſdem, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX parte tua fuit propoſitum coram Nobis, quod in Provincia Hiſpanię ſecundum morem Ordinis Fratrum Prędicatorum, plura Monaſteria Monialium per Prioriſſas gubernari ſolita, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & regimine, ac ſecundum inſtitutum Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum, degentium exiſtunt, & ex conſuetudine, vel alias aliquo ex dictis Monaſteriis Prioriſſę regimine pro tempore deſtituto, nulla ex Monialibus prędictis ſi antea Prioriſſa alicujus eorundem Monaſteriorum non fuerit, in Prioriſſam ipſius Monaſterii, ſic Prioriſſę regimini deſtituti, eligi, niſi major pars, aut ſi ejuſdem Monaſterii Prioriſſa immediate extiterit, reeligi, & de novo aſſumi poſſit, niſi tres ex quatuor partibus votorum Monialium electricum, in illius electione concurrant: Quo fit, ut

Diplomatis cauſa.

ſępe contingat, quod perſonę ad regendum, & gubernandum habiles, & idoneę, aut in Prioriſſas non eligantur, aut eorum electiones, cum magna difficultate fiant in dictorum Monaſteriorum, & regiminis illorum prężjudicium, & detrimentum. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro ſalubri in ſpiritualibus, & temporalibus dictorum Monaſteriorum directione ſuper his opportune provide-
Mandatum. re de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore prężſentium, ſtatuimus, & ordinamus, quod de cetero in electionibus, ſive reelectionibus Prioriſſarum dictorum Monaſteriorum, major pars votorum Monialium electricum ſufficiat, & quoties Prioriſſarum alicujus eorundem Monaſteriorum, ſive per curſum quadriennii, vel per obitum, aut alias vacare contigerit, illa ex ipſis Monialibus, etiamſi immediate Prioriſſa fuerit, quę a majori parte illius Monialium electricum in ejuſdem Monaſterii, ſic Prioriſſę regimine deſtituti, electa, ſive reelecta fuerit, canonice electa, & de novo aſſumpta in ejuſdem Monaſterii Prioriſſam, ſit, & eſſe cenſeatur. Decernentes, ſic per quoſcunque Superiores earum, vel quoſcunque alios, ſublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & interpretari debere: irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſteriorum, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ac quibuſvis privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, illis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis conceſſis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum extra muros Nicien. (3) Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Octavo, Nono Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

A. Capata.

1. *Electione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Salmanticenſi.*
3. *Nicien.*) In *Gallo-Provincia*, ſed nunc juris eſt *Sabaudia* Ducis Regis *Sardinia.*

Anno 1538 Die 21 Septembris.

De nonnullis Fratribus Indis eximendis ſervitute Turcarum.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XL. Paulus Epiſcopns, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

PIum, & meritorium apud Deum, & ſuę Majeſtati, non modicum acceptabile non ambigimus, dum in ipſius memoriam pro perſonis in ignominiam Chriſtiani nominis in ſervitute detentis, ut ab hujuſmodi ſervitute liberentur, & alias eorum neceſſitatibus, ſubvenitur. Cum itaque, ſicut accepimus, alias cum dilecti filii Johannes, & Georgius Indi, fratres germani, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſores, una cum dilecta in Chriſto filia Margareta de Tineda eorum ſorore germana devotione ducti ab India cum nonnullis perſonis aliis ſepulcrum Dominicum viſitandi cauſa, egreſſi fuiſſent, dictumque ſepulcrum, & alia Terrę Sanctę pia loca, necnon Eccleſiam Monaſterii Sanctę Catharinę Montis Sinay, Ordinis Sancti Blaſii (2), dante Domino, devote viſitaſſent, & ad Italiam, ſive Hiſpaniam redire deſiderantes, mari ſe immiſiſſent, ipſi Johannes, & Georgius, ac Margareta, a quibuſdam Turcis, ſive Mauris, Chriſtiani nominis, orthodoxeque fidei immaniſſimis hoſtibus, capti, & Conſtantinopolim abducti, ac in miſeram ſervitutem redacti, & ut Chriſti nomen denegarent diverſis tormentis, quę patienter ſuſtinuerunt, affecti fuerunt, & ſuperiore anno dictus Johannes a dilecto filio nobili viro Andrea de Auria (3) Principe Melfien., tunc in partibus Reſię (4) cum triremibus cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli (5) Romanorum Imperatoris ſemper Augnſti ad reprimendos ipſorum Turcarum impetus exiſtente pro pretio 40. ducatorum auri redemptus extiterit, Georgius vero, & Margareta pręfati in dicta captivitate Conſtantinopoli pro talia (6) 150. ducatorum auri, quam propter eorum extremam paupertatem nullatenus ſolvere poſſunt, detineantur, & niſi illi piis Chriſti fidelium eleemoſynis adjuventur, formidandum eſt, ne in captivitate, & tormentis prędictis moriantur, aut diutino ſervitntis jugo gravati Chriſti nomen, ejuſque ſanctam Religionem abnegare cogantur, Nos, cupientes, ut pręfati captivi ab hujuſmodi infidelium manibus, & ſervitute liberentur, & Chriſti fideles eo libentius pro hujuſmodi redemptione manus porrigant adjutrices &c. de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis &c. qui de bonis ſibi a Deo collatis eidem Johanni pro redemptione captivorum hujuſmodi manus adjutrices porrexerint, quoties id fecerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus &c. Datum Romę apnd S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Octavo, Undecimo Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XII An. IV fol.* 83.
2. *S. Blaſii.*) *S. Baſilii.*
3. *De Auria.*) Gens eſt antiqua, quę nunc etiam floret.
4. *Reſia.*) *Tracia.*
5. *Caroli.*) *Quinti.*
6. *Talia.*) *Tallia*, redemptionis ſcilicet pretio.

Uni-

Univerſitas S. Dominici in ejuſdem nominis Civitate, & Inſula (1) conſtituta.

Anno 1538 Die 28 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

XLI.

Exordium.

IN Apoſtolatus culmine, diſponente Domino, meritis licet imparibus, conſtituti, ac gratos Deo, & Reipublicę chriſtianę fructus, qui ex literarum ſtudio provenire noſcuntur, intra noſtri cordis arcana revolventes, ad ea, per quę ſingulis fidelibus etiam Religioſis ſub regulari obſervantia Altiſſimo famulantibus, eorum Prelatis id maxime requirentibus, ut ſtudio hujuſmodi inſiſtendo, laborum ſuorum honores, & pręmia conſequi valeant, opportune conſulitur, libenter intendimus, & in his partes Apoſtolicę providentię, prout id in Domino conſpicimus ſalubriter expedire, favorabiliter impartimur. Sane pro parte dilectorum filiorum Magiſtri Provincialis Provincię Sanctę Crucis nuncupatę ſecundum morem Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Prioris, & Fratrum domus Sancti Dominici, Civitatis etiam Sancti Dominici, dicti Ordinis Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias ipſi, attendentes, quod habitatores Inſularum Maris Oceani, in quibus dicta Civitas conſiſtit, infideles exiſtebant, & idola colebant, unde cupientes infidelitatem hujuſmodi radicitus extirpare, ac arbores inibi fructiferas plantare, ipſorumque infidelium Civitatem prędicationibus, & vitę exemplo illuminare, innumerabiles utriuſque ſexus perſonas ex eiſdem habitatoribus ſub lavacro regenerationis ad chriſtianę Religionis cultum mediante divina gratia direxerunt, ac ad fidem catholicam converti procurarunt, & a tempore converſionis hujuſmodi citra inibi Verbum Dei inceſſanter prędicando uberrimos in agro Domini fructus collegerunt. Et, ſi in dicta Civitate, que admodum inſignis exiſtit, & in regione valde remota, ac ſacrarum literarum prorſus ignara conſiſtit, & ad quam ex circumvicinis Inſulis hominum multitudo copioſa, tam inibi habitandi, quam negotiandi cauſa confluere ſolet, & in qua ſtudium Apoſtolica auctoritate noviter erectum viget Generale, pro directione dicti ſtudii, quod caret privilegiis, & indultis, Apoſtolicis ſufficientibus ad promotiones Graduum concedi ſolitorum in Univerſitatibus ſtudiorum Generalium Regnorum Hiſpanię, quibus dictę Inſulę ſubeſſe noſcuntur, ſimilis Univerſitas Generalis Doctorum, Magiſtrorum, & Scholarium cum ſigillo, & arca, aliiſque ſolitis inſigniis, pręeminentiis, libertatibus, exemptionibus, & immunitatibus ad inſtar oppidi de Alcala (3), Toletanę Diœceſis, & aliarum Univerſitatum prędictarum perpetuo erigeretur, & inſtitueretur, ex hoc profecto dicta Civitas multiplicatis propterea illius habitatoribus peramplius decoraretur, ac illius, & dictarum Inſularum incolę, & habitatores, in Religione Chriſtiana ferventius inſtruerentur, ipſique Provincialis, ac Prior, & Fratres ad majora virtutum, & caritatis opera impendendum promptius invitarentur, eorumque honoribus, & commoditatibus quamplurimum conſuleretur. Quare pro parte Provincialis, Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in eadem Civitate unam ſimilem Univerſitatem doctorum, Magiſtrorum, & Scholarium ad inſtar dictę Univerſitatis de Alcala, ut pręfertur, quę per unum Regentem, ſeu Rectorem, nuncupandum, regi, & gubernari debeat, perpetuo erigere, & inſtituere, quodque illius pro tempore ſcholares, tam ſeculares, quam Ordinum quorumcunque Regulares, etiam undequaque venientes, inibi in quacunque, licita tamen, literarum facultate, eorum curſibus peractis, aliaſque ſervatis ſervandis, prout moris eſt, in aliis Univerſitatibus prędictis, ad Baccalaureatus, & licentię, ac Doctoratus, & Magiſterii ſolitos gradus hujuſmodi, pręvio tamen debito examine, & aſſiſtentibus ibidem quatuor in eadem facultate Doctoribus per Priorem pręfatum, ac dictę Univerſitatis Sancti Dominici Regentem pro tempore exiſtentes nominandis, ſeu deputandis, & illorum votis juratis, ſe promoveri facere, illorumque ſolita inſignia recipere, ac illius Doctores, & Magiſtri in dicta facultate, & illis non exiſtentibus, Regens dictę Univerſitatis, vel Epiſcopus Sancti Dominici pro tempore exiſtentes, eoſdem Scholares ad dictos gradus promovere, illorumque ſolita inſignia ſibi impendere, necnon quoties opus fuerit Lectores illuc conducere, ſibique lectores aſſignare, & de ſalariis competentibus, dummodo ad hoc facultates ſuppetant, providere, ac ſtatuta, & ordinationes deſuper ad inſtar Univerſitatum prędictarum concedere (4), illaque mutare, corrigere, & reformare, aliaque in pręmiſſis, & circa ea neceſſaria, & opportuna, prout eis videbitur, facere poſſint, ſtatuere, & ordinare, aliaſque ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos Provincialem, Priorem, & Fratres, pręfatos, & eorum ſingulos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis ſuſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, in eadem Civitate unam ſimilem Univerſitatem Doctorum, Magiſtrorum, & Scholarium ad inſtar dictę Univerſitatis de Alcala, quę per unum Regentem, ſeu Rectorem nuncupandum regi, & gubernari debeat, Apoſtolica auctoritate pręfata tenore pręſentium, erigimus, & inſtituimus, quodque illius Scholares tam ſeculares, quam Ordinum quorumcunque Regulares, undecunque venientes, inibi in quacunque, licita tamen, literarum facultate, eorum curſibus peractis, aliaſque ſervatis ſervandis, prout moris eſt in Univerſitatibus prędictis, ad Baccalaureatus, & Licentię, ac Doctoratus, & Magiſterii Gradus hujuſmodi pręvio tamen debito examine, & aſſiſtentibus ibidem in eadem facultate quatuor Doctoribus, per Priorem, ac dictę Univerſitatis Sancti Dominici Regentem, pręfatos, pro tempore, nominatis, ſeu deputatis, & illorum votis juratis ſe promovere facere, illorumque ſolita inſignia recipere, necnon Doctores, & illis non exiſtentibus Regens, vel Epiſcopus Sancti Dominici pręfati eoſdem ſcholares, ad dictos Gradus promovere, illorumque ſolita inſignia ſibi impendere, ac quoties opus fuerit, illuc lectores conducere, ſibique lectiones aſſignare, ac de ſalariis competentibus, dummodo ipſorum Univerſitatis Sancti Dominici facultates ſuppetant, providere, necnon ſtatuta, & ordinationes deſuper ad inſtar univerſitatum

Diplomatis cauſa.

Indultum.

prędictarum concedere (5), illaque mutare, corrigere, & reformare, aliaque in pręmiſſis, & circa ea neceſſaria & opportuna, prout eis videbitur, facere libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate, & tenore prędictis, ſtatuimus, & ordinamus; & inſuper quibuſvis Baccalaureis, Licentiatis, Doctoribus, & Magiſtris in ipſa Univerſitate Sancti Dominici ad dictos gradus reſpective pro tempore promotis, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, & gratiis, quibus tam in de Alcala, quam Salmanticen., ſeu alia quacunque dictorum Regnorum Univerſitate, juxta illius ritus, & mores, ad ſingulos Gradus prędictos reſpective promoti utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere, ſimiliter libere, & licite valeant, auctoritate, & tenore pręmiſſis concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis Univerſitatibus Regnorum hujuſmodi, & illarum ſingulis, ſub quacunque verborum forma, etiam motu proprio, conceſſis, confirmatis, & innovatis, ac Regnorum eorundem Pragmaticis ſanctionibus, & ſtatutis municipalibus, etiam confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis: quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut exquiſita forma ſervanda foret, & in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſſit, illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac modos, & formas ad id ſervandos pro individuo ſervatis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, erectionis, inſtitutionis, ſtatuti, ordinationis, conceſſionis, indulti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Octavo (6), Quinto Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Inſula.*) Vulgo *San Domingo*, in *America*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar unum authenticum ex autographo aſſervato in ejuſdem Inſulæ Cœnobio *S. Dominici*, & alia duo typis impreſſa.
3. *Alcala.*) In *Hiſpania*.
4. *Concedere.*) Legerem: *Condere*.
5. *Concedere.*) *Condere*, ut in præcedenti *Nota*.
6. *Trigeſimo Octavo.*) Hinc liquet quod a die coronationis annos Pontificatus numerabat *Paulus III.*

Anno 1538 Die 28 Octobris.

Placentino (1) Cœnobio confert eccleſiaſticum beneficium:

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

PRo fidelium quorumlibet, pręſertim religioſorum &c. Dudum ſiquidem omnia beneficia eccleſiaſtica &c. Cum itaque poſtmodum Parochialis Eccleſia S. Geneſii de Cantono, Placentin. Diœceſis, Provincię Mediolanen. per liberam reſignationem dilecti filii Johannis Gaſparis Arlainii, nuper ipſius Eccleſię Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem prędictam vacaverit, & vacet ad pręſens, nulluſque de illa, pręter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus S. Johannis de Canalibus Placentin. dictę Provincię Ordinis Fratrum Prędicatorum regularis obſervantię nuncupatę, petitio continebat, fructus, redditus, & proventus dictę domus, quę bona immobilia ex privilegio Apoſtolico habet, adeo tenues, & exiles, exiſtant, quod ad onerum eidem domui pro tempore incumbentium ſupportationem, non ſuppetant, ſi dicta Eccleſia prędictę domui, perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto, Prior, & Fratres prędicti, pro eorum commodiori ſuſtentatione, aliquod ſubventionis auxilium ſuſciperent, & onera prędicta facilius perferre, ac divinis beneplacitis quietius vacare poſſent, pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum, aſſerentium fructus, redditus, & proventus dictę Eccleſię viginti quatuor ducatorum, ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam prędictam eidem domui perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur, exprimere verum annuum valorem ſecundum extimationem prędictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio, non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, Priorem, & Fratres prędictos, ac eorum ſingulos, a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, necnon fructuum, redditiuum, & proventuum dictę domus, verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Eccleſiam prędictam, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem dicti Johannis Gaſparis, vel cujuſvis alterius, de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut conſtitutionem felicis recordationis Johannis PP. XXII Prędeceſſoris noſtri, quę incipit: Execrabilis: vel aſſecutionem alterius beneficii, quavis auctoritate collati, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem eandem legitime devoluta, ipſaque Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter, vel alias generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, cum omnibus juribus, & pertinentiis

Mandatum.

eidem

Digitized by Google

eidem domui Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat Priori, & Fratribus domus bujuſmodi, nunc, & pro tempore exiſtentibus, per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, propria auctorita e libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus, in domus, & Eccleſię bujuſmodi, uſus, & utilitatem convertere, necnon eidem Eccleſię per Fratres ipſius domus, ſeu alios Presbyteros ſeculares, vel cujuſvis Ordinis regulares, ad eorum nutum, ponendos, & amovendos, in divinis deſerviri, & illius Paroehianorum animarum curam exerceri facere, Diçceſani loci, aut eujuſvis alterius, licentia deſuper minime requiſita. Non obſtantibus priori voluntate noſtra prędicta, & Lateran. Concilii noviſſime celebrati &c. & aliis Apoſtolicis &c. quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis &c. literas impetrarint &c. quas quidem literas &c. ad dictam Eccleſiam, volumus non extendi &c. & quibuslibet aliis privilegiis &c. Proviſo, quod propter unionem, annexionem &c. dicta Eccleſia, debitis non fraudetur obſequiis &c. Nos enim, prout eſt, irritum, & inane &c. attentari. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Octavo (3), Quinto Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Placentino.*) Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro I fol.* 61.
3. *Trigeſimo Octavo.*) Ex hoc etiam liquet *Paulum III* Pontificatus annos numeraſſe a Coronationis die.

Anno 1538 Die 3 Novembris.

Ut Confraternitatis (1) B. Mariæ Annunciatæ Priores conſtituant unum Collectorem Plumbi, qui ſerviat commodis, & utilitati ejuſdem Confraternitatis.

XLIII.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetnam Rei Memoriam.

Exordium.

DUm ad pia, & caritativa opera, quę dilecti filii Confratres Confraternitatis, & Societatis B. Marię Annunciate ſuper Minervam, in Eccleſia domus Fratrum Prędieatorum de Urbe per bonę memorię Johannem tit. S. Sixti Presbyterum Cardinalem de Turrecremata nuncupatum, de Apoſtolicę Sedis licentia inſtitutę, tam in connubium puellarum virginum, quam in illarum, & aliorum pauperum ſubventionem, quotidie, etiam in conſpectu noſtro (3) exercent, mentis noſtrę oculos revolvimus, dignum, quin potius debitum reputamus, ut Confraternitatem ipſam aliquibus muneribus temporalibus, unde eleemoſynas, & alia ſubſidia pro pręmiſſis neceſſaria, commodius habere poſſint, prę ceteris uberius decoremus. Cum itaque unum ex offieiis Collectorię Plumbi Apoſtoliei, quod quondam Franciſcus, alias Meſſer de Velletri Collector Plumbi hujuſmodi, dum viveret, obtinebat, per obitum ejuſdem Franciſci, qui in Romana Curia diem clauſit extremum, vacaverit, & vacet ad pręſens, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Johannis Arberini, & Johannis Antonii Zoni, ac Vineentii de Levis modernorum Priorum, ac aliorum Confratrum Confraternitatis hujnſmodi, petitio continebat, ſi dictum officium maſſę communi ejuſdem Confraternitatis, perpetuo applicaretur, appropriaretur, concederetur, & aſſignaretur, profecto ex hoc commoditatibus eorundem Confraternitatis, plurimum conſuleretur, & illi, cum emolumentis officii hujuſmodi, puellas ipſas liberalius dotare, & illis, ac aliis pauperibus prędictis ſubvenire, commodius poterunt. Quare pro parte Priorum modernorum, & aliorum Confratrum prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus officium hujuſmodi, eidem maſſę communi perpetuo applicare, appropriare, concedere, & aſſignare, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtoliea dignaremur, Nos, qui illius, qui perfecta caritas eſt, & a quo bona cuncta procedunt, vices, licet immeriti, gerimus in terris, quique, & tota noſtra ſecundum carnem familia illuſtris, a cunabulis citra, ac, ut oculata fide novimus, ex tunc citra plurimi alii Romani Pontifices, Prędeceſſores noſtri, & dilecti filii S. R. E. Cardinales, & Prelati, ac curiales noſtrę Romanę Curię, necnon Cives Romani, & alii Chriſti fideles, ab immemorabile tempore citra ob connubium puellarum, & pauperum ſubventionem, ac alia pia opera hujuſmodi per ipſos, cum Confraternitate exerceri ſolita, & in dies adaucta, ſingularem geſſimus, prout gerimus devotionis affectum, pluresque notabiles eleemoſynas pro eiſdem piis operibus quotannis impendimus, Priores modernos, & alios Confratres prędictos, ac eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, officium prędictum, ut pręmittitur, vel alias quovis modo vacans, cum illius fructibus, emolumentis, exercitio, bonoribus, & oneribus, ac aliis juribus, & pertinentiis ſnis eidem maſſę communi perpetno applieamns, appropriamus, concedimus, & aſſignamus, ac Priores modernos, & alios confratres prędictos, quoad dictum officium vacans in ejnſdem Franciſei loco admittimus, ſubſtituimus, & ſurrogamus, dilectorumque filiorum aliorum ejuſdem Plumbi Collectorum numero, & conſortio, favorabiliter aggregamus, decernentes eos, & pro eis, ac illorum nomine, unum de eorum gremio ab eis, ad eorum liberum nutum deputandum ad dictum officium, & in Collegii Collectorum hujuſmodi Congregationem admittendum fore, & admitti debere, & ipſos Confratres, eundem deputandum ad Congregationes hujuſmodi mittere, necnon ejuſdem Congregationis, & alia ordinaria, & extraordinaria emolumenta, ſingulis officialibus Collegii hujuſmodi, inibi perſonaliter intereſſentibus, pro tempore dari ſolita, tam menſtruatim, quam aliis quibuſvis temporibus, qnibus illa aſſignabuntur, percipere, exigere, & levare, ac in dotandarum puellarum, & alios Societatis hujuſmodi uſus, & utilitatem convertere, cujuſvis licentia deſuper minime requiſita, ipſumque deputandum, ad pręmiſſa, admittendum fore, & admitti debere, ac Confraternitatem, & ab ea deputandum hujuſmodi, omni-

Diplomatis cauſa.

Indultum.

omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, conceſſionibus, indultis, & aliis prȩeminentiis, quibus officiales, & perſonȩ Collegii hujuſmodi utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere, libere, & licite valere, ipſumque officium de cetero nullatenus vacare, nec quovis modo, aut ex quavis cauſa, impetrari poſſe, ac irritum, & inane &c. attentari, non obſtantibus &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romȩ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicȩ Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Octavo, Tertio Nonas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Confraternitati.*) Celebris eſt Societas iſta, cujus auctor fuit *Johannes* noſter *de Turrecremata*, S. R. E. Cardinalis, ut ex ipſa Conſtitutione videre eſt, & dictum fuit in *Appendice ad Pontificatum Eugenii IV*, *Tomo III pag.* 208.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro I fol.* 6.

3. *Etiam in conſpectu noſtro.*) Id quidem multifariam potest accipi, notandum tamen quod Annunciationis feſto Summus Pontifex, Eminentiſſimi Cardinales, ceterique Præſules ampliſſimi ſua præſentia cohoneſtant ſupplicationem quam amplius trecentæ virgines habent in ædibus ſacris *S. Mariæ ſupra Minervam*, cum ſcilicet tot illis virginibus dos a præfata Confraternitate diſtribuitur.

Anno 1538 Die 3 Novembris.

Eadem de re.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XLIV. Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Alexandro (2) S. Laurentii in Damaſo, Diacono Cardinali, S. R. E. Vice Cancellario, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hodie unum ex Officiis Collectorum Plumbi Apoſtolici, certo tunc expreſſo modo vacans, cum omnibus illius fructibus, emolumentis, exercitio, honoribus, oneribus, & aliis juribus, & pertinentiis ſuis maſſȩ communi Confraternitatis B. Mariȩ Virginis Annunciatȩ in Eccleſia Domus Fratrum Prȩdicatorum ejuſdem B. Mariȩ ſupra Minervam de Urbe, per bonȩ memoriȩ Johannem tituli S. Sixti Preſbyterum Cardinalem de Turrecremata nuncupatum, fundatȩ, & dotatȩ, perpetuo applicavimus, appropriavimus, conceſſimus, & aſſignavimus, atque numero, & conſortio Collegii Collectorum hujuſmodi, favorabiliter aggregavimus, ac illis, & pro eis, & illorum nomine, unum ab eis deputandum ad Congregationem Collegii Officii hujuſmodi admittendum fore, ac admitti debere, decrevimus inter alia, per alias noſtras literas, prout in illis plenius continetur. Quocirca circumſpectioni tuȩ mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam dictȩ literȩ tibi prȩſentatȩ fuerint, per te, vel alium, ſeu alios auctoritate noſtra, Confraternitatem, & ab eis deputandum prȩdictum ad Officium hujuſmodi, ejuſque liberum exercitium, honores, onera, Congregationes, & emolumenta prȩdicta, recipi, & admitti, ac aliis in eiſdem literis contentis, gaudere facias, ut eſt moris, non permittens, eos per Collegium officii hujuſmodi, ſeu quoſcunque alios, deſuper quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores &c. Non obſtantibus &c. Seu ſi Collectoribus prȩdictis, vel quibuſvis aliis &c. mentionem. Datum Romȩ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicȩ Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Octavo, Tertio Nonas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. I fol.* 7.

2. *Alexandro.*) *Farneſio.* Adeas *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III in Paulo III pag.* 558.

Anno 1538 Die 10 Decembris.

De electione (1) Provincialis Lombardiæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLV. Dilecto filio Provinciali, & omnium illius curȩ quomodolibet commiſſorum, Domorum Ordinis Fratrum Prȩdicatorum Provinciȩ utriuſque Lombardiȩ reformatȩ juxta morem dicti Ordinis, Prioribus, ac Capituli Provincialis dictȩ Provinciȩ Definitoribus, necnon aliis ipſius Ordinis profeſſoribus in eodem Capitulo vocem habentibus.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, ad quietem, & tranquillitatem Provinciȩ veſtrȩ utriuſque Lombardiȩ reformatȩ, juxta morem dicti Ordinis, plurimum expediat, quod de cetero, electio Prioris Provincialis Provinciȩ hujuſmodi per vota ſecreta ſcripta in cedulis, per vos ad Scrutatores pro ipſa electione juxta Conſtitutionum veſtrarum formam, pro tempore deputatos, deferendis, fiat, & pro electione Definitorum Capituli Provincialis Provinciȩ hujuſmodi, vos omnes, ac electores ſingularum domorum, quomodolibet ipſius Provinciȩ legitime electi, nemine excepto, in quatuor partes dividamini, & quȩlibet partium diviſarum hujuſmodi, unum Definitorem de gremio ſuo per ſimilia vota ſecreta eligat, ipſique ſic electi quatuor Definitores, una cum pro tempore exiſtente Priore Provinciali dictȩ Provinciȩ, omnia negotia ad eandem Provinciam pertinentia, prout in eiſdem conſtitutionibus declaratur, determinent, & concludant, prout per ſexaginta annos, & ultra, quibus ſub nomine, & titulo Congregationis Lombardiȩ militaſtis, fieri conſuevit, aliaſque in prȩmiſſis omnibus, & ſingulis modus, & for-

Nota.

& forma in eis per dictos ſexaginta annos obſervari ſoliti, obſerventur, Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionum quarumlibet ſalubrem directionem ſinceris deſideramus affectibus, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus electio Prioris Provincialis hujuſmodi, per vota ſecreta, ſcripta in cedulis (3), per vos ad Scrutatores pro ipſa electione, juxta conſtitutionum veſtrarum formam pro tempore deputatos poſtmodum deferendis, fiat, & pro electione Definitorum Capituli Provincialis hujuſmodi, vos omnes, ac electores ſingularum Domorum, quomodolibet ipſius Provinciæ legitime electi, nemine excepto, in quatuor partes dividamini, & quælibet partium diviſarum hujuſmodi, unum Definitorem de gremio ſuo per ſimilia vota ſecreta eligat, ipſique ſic electi, quatuor Definitores, una cum pro tempore exiſtente Priore Provinciali dictæ Provinciæ omnia negotia ad eandem Provinciam pertinentia, prout in eiſdem Conſtitutionibus declaratur, terminent, & concludant, prout per LX annos prædictos fieri conſuevit, aliaſque in præmiſſis omnibus, & ſingulis modus, & forma in eis per dictos LX annos obſervari ſoliti, obſerventur, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus; ac vobis, & pro tempore exiſtentibus Provinciali, & domorum quomodolibet Ordinis, & Provinciæ prædictorum Prioribus, necnon Capituli hujuſmodi Definitoribus, & aliis ipſius Ordinis profeſſoribus, vocem in eodem Capitulo habentibus, in virtute S. Obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ſtatutum, & ordinationem noſtram hujuſmodi de cetero perpetuis, futuris temporibus, inviolabiliter obſervetis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provinciæ prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die X Decembris MDXXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Mandatum.

1. *Electione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Benonien.* pag. 201.

3. *Cedulis.*) Schedulis nempe.

Monaſterium (1) loci de Aldeanova (2) eccleſiaſtico beneficio donat.

Anno 1539 Die 5 Februarii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XLVI.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

APoſtolicæ ſolicitudinis ſtudium, humeris noſtris divina diſpoſitione impoſitum &c. Dudum ſiquidem omnia preſtimonia, & preſtimoniales portiones, ac ſimplicia, ceteraque beneficia eccleſiaſtica &c. Cum itaque poſtmodum preſtimonium, ſeu preſtimonialis portio, aut ſimplex beneficium eccleſiaſticum in Parochiali Eccleſia loci de Solan., Abulen. Diœceſis, per liberam reſignationem dilecti filii D. Ladron de Guevara, clerici Toletan. Diœceſis, de illo, ſeu illa, quod, ſeu quam, tum obtinebat, per dilectum filium Eneeum de Guevara, clericum Toletan. Diœceſis, procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem prædictam, vacaverit, & vacet ad præſens, nulluſque de illo, ſeu illa, præter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum modernæ Abbatiſſæ, & Conventus Monaſterii Monialium Sanctæ Crucis de la Magdalena locis de Aldeamiena (4) del Barco d'Avila nuncupatum Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & regimine Fratrum Ordinis Prædicatorum degentium, dictæ Abulen. Diœceſis, petitio continebat, cum fructus, redditus, & proventus ejuſdem Monaſterii, adeo tenues, & exiles exiſtant, ut ipſarum Abbatiſſæ, & Monialium, ad numerum centum & quinquaginta (5) aſcendentium, commodam ſuſtentationem, & onerum eidem Monaſterio incumbentium ſupportationem, minus ſuppetant, ſi preſtimonium, ſeu portio, aut beneficium hujuſmodi eidem Monaſterio perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto, Abbatiſſa, & Conventus præfatæ, pro earum commodiori ſuſtentatione, & onerum prædictorum, faciliori ſupportatione, aliquod ſubventionis auxilium ſuſciperent, ac divinis beneplacitis quietius vacare poſſent, pro parte modernæ Abbatiſſæ, & Conventus prædictarum, aſſerentium, fructus, redditus, & proventus preſtimonii, ſeu portionis, aut beneficii hujuſmodi, quinquaginta ducatorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut preſtimonium, ſeu portionem, aut beneficium hujuſmodi, eidem Monaſterio hujuſmodi, perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica, aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, ſecundum extimationem prædictam, alioquin unio, non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, modernam Abbatiſſam, & Conventum præfatas, ac earum ſingulas a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, necnon fructuum, redditſuum, & proventuum dicti Monaſterii, & illi annexorum, verum annuum valorem præſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, preſtimonium, ſeu preſtimonialem portionem, aut beneficium hujuſmodi, ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem dicti D. Ladron, vel cujuſvis alterius, de illo, vel illa, in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem præfatam, legitime devoluta, ac preſtimonium, ſeu portio, aut beneficium hujuſmodi, diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel alias generaliter reſervatum, ſeu reſervata exiſtat, & ſuper eo, ſeu ea, inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ipſius diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio, auctoritate Apoſtolica, tenore præſen-

Nota.

Mandatum.

pręſentium perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat modernę, & pro tempore existenti Abbatiſſę, & Conventui pręfatis, per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem preſtimonii, ſeu portionis, aut beneficii, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus, in ſuos uſus, & Monaſterii, ac preſtimonii, ſeu portionis, aut beneficii prędictorum uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus priori voluntate noſtra prędicta, ac Lateranen. Concilii noviſſime celebrati &c. & quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus ſuper proviſionibus ſibi faciendis &c. literas impetrarint &c. quas quidem literas ad preſtimonium &c. volumus non extendi &c. & quibuslibet aliis privilegiis &c. Proviſo, quod propter unionem &c. preſtimonium &c. hujuſmodi debitis non fraudetur obſequiis &c. Nos enim, prout eſt, irritum decernimus &c. attentari &c. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Octavo (6), Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Monaſterium*.) In *Hiſpania*.
2. *De Aldeanova*.) Optime ſic ut apud *Plodium de Progenie S. Dominici Lib. I Cap. XLVIII pag.* 162, non vero *de Aldeamiena*, ut excidit amanuenſi.
3. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro I fol.* 277.
4. *Aldeamiena*.) *Aldeanova*.
5. *Centum & quinquaginta*.) Notat *Plodius* loco laudato, quod alias erant CCCC.
6. *Trigeſimo Octavo*.) Stylo Bullarum, ææ communis MDXXXIX.

Anno 1539 Die 23 Maii.

De Generali Magiſtro eligendo (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLVII.

Dilectis filiis Vicario Generali (3) Provincialibus, Diffinitoribus, & Electoribus Ordinis Prędicatorum in Domo S. Marię ſupra Minervam congregatis.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Nota. Cum in hanc almam Urbem nuper conveneritis, ut Magiſtrum Generalem Ordini veſtro eligatis, licet ejus ea ſit pręſtantia, & amplitudo, is virorum, ſcientia, & moribus eminentium, numerus, ut difficilius multo vobis futurum credamus decernere ex multis qui poſthaberi valeat (4) quam qui pręfici, tamen Nos pro temporis malignitate, quo tot hęreſibus angimur, proque amore, quo Ordini ipſi ſemper affecti fuimus, curę noſtrę paſtoralis officio fungentes, & quaſi ſponte currentibus calcar addentes, vobis in virtute S. Obedientię, ac ſub anathematis pęna, a quo ab alio quam a Nobis abſolvi nequeatis, districte mandamus, ut nullo pretii, gratię, alteriuſve affectus reſpectu habito, ſed Deo tantum ante oculos poſito, quem optimum, & pręſtantiſſimum ex religione veſtra cenſueritis regimini idoneum, moribus probatum, ſcientia illuſtrem, qui hęreſum pravitati maxime obſiſtere poſſit, Religionem in dignitate tueri, atque augere, tum demum juxta conſtitutiones Ordinis veſtri per Sedem Apoſtolicam approbatas (5), Nota. eligatis, atque ordini pręficiatis, innituri a Nobis in hoc exactiſſimam gratiam. Quoque magis omnes ad hoc conſilii animemus, habebitis dilectum filium noſtrum Johannem (6) Petrum (7) tit. S. Sixti Presbyterum Cardinalem Theatin., Ordinis veſtri vice Protectorem, auctoritate noſtra ſuffultum, quaſi normam recte agendi, innoxie procedendi, atque irreprehenſibiliter ſtatuendi, qui incidentia dubia elucidabit, ambiguitates tollet, obortas forte controverſias terminabit, ceteraque faciet, quę neceſſaria videbuntur in dies atque opportuna, multaque durante Capitulo noſtri nomine referet, quibus tanquam a Nobis coram prolatis fidem habebitis. Contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIII Maii MDXXXVIIII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Fabius Vigil.

1. *Eligendo*.) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*
2. *Archivo*.) In quo autographum.
3. *Vicario Generali*.) *Auguſtino* ſcilicet *de Recuperatis*, qui Generalis Magiſter hoc in Capitulo renunciatus eſt.
4. *Valeat*.) Magna ſane laus Ordinis.
5. *Approbatas*.) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*
6. *Johannem*.) Qui Summus Pontifex fuit nomine *Paulus IV.*
7. *Petrum*.) Nota quod *Johannes Petrus* hoc in autographo dicitur.

Pen-

Pennenſis (1) Cœnobii Fratres Decimis, aliiſque tributis, ſolvendis exempti.

Anno 1539. Die 15 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Priori, & Fratribus S. Dominici Pennen. Ordinis Fratrum Prędicatorum.

XLVIII.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

RELigionis ſinceritas, in qua ſub voluntarię paupertatis habitu ſedulum Altiſſimo impenditis famulatum, promeretur, ut indemnitati veſtrę, quantum cum Deo poſſumus, ſavorabiliter conſulamus. Exponi Nobis nuper feciſtis, quod cum fructus, redditus, & proventus domus veſtrę ad ſuſtentationem Fratrum, in illa degentium, nedum ad illius reparationem, & fabricam, quibus jugiter inſiſtitis, nullatenus ſufficiant, ex decimis, & aliis oneribus, quę hactenus per Sedem Apoſtolicam, cauſantibus ſiniſtris temporum conditionibus, in illis partibus impoſitę fuerunt, nimium gravamini, & in futurum plenius, niſi vobis deſuper per eandem Sedem provideatur, gravari poſſe dubitatis.

Diplomatis cauſa.

Quare Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vos & domum veſtram, ac illius bona a decimis & oneribus tam hactenus impoſitis, & per vos debitis, quę decem ducatos, ut aſſeritis, non excedunt, quam de cetero quovis modo imponendis, eximere, & liberare, aliaſque vobis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ut devotio veſtra eo ferventius invaleſcat, quo majori noveritis vos dictę Sedis munificentia conſoveri, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, contemplationeque & intuitu dilecti filii Octavii Farneſii noſtri ſecundum carnem nepotis, & dilectę in Chriſto filio Margaritę de Auſtria, ejus conjugis, Ducum Civitatis, & Ducatus Pennen. vos ſavore gratioſo proſequi volentes, vos, & domum veſtram, ac illius bona quęcunque, quę ad pręſens poſſidetis, ab omnibus, & ſingulis decimis, quartis, mediis fructibus, & quibuſvis aliis oneribus, quibuſcunque nominibus nuncupentur, tam hactenus impoſitis, & per vos debitis, quam de cetero per Nos, vel Succeſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, ac Sedem eandem, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac conſiſtorialiter, ſeu Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum intuitu, vel inſtantia quomodolibet etiam pro expeditione contra Turcas, aut alios Chriſtiani nominis hoſtes, ſeu hęreticos, vel fidei Catholicę, aut S. R. E. defenſione, vel quavis alia quantumcunque juſta, & pia cauſa, quovis modo imponendis, ac illorum ſolutione, anctoritate Apoſtolica tenore pręſentium perpetuo eximimus, & totaliter liberamus, ac exemptos, & omnino liberos, exemptaque, & omnino libera eſſe, volumus & decernimus;

Indultum.

ac vobis, quod ad ſolutionem decimarum, quartarum, mediorum fructuum, & aliorum onerum hactenus impoſitorum, & imponendorum, ut pręfertur, ratione dictę domus, & illius bonorum prędictorum minime teneamini, nec ad id per executores, ſubexecutores ſuper decimis, quartis, mediis fructibus, & aliis oneribus prędictis pro tempore deputatos, aut quoſcunque alios, quavis auctoritate, etiam vigore literarum Apoſtolicarum, pręſentibus ſpecialiter, & expreſſe, ac cum illarum de verbo ad verbum inſertione, derogantium cogi, aut propterea a divinis ſuſpendi, ſeu excommunicari, vel alias cenſurari nequeatis, cum una decima duos ducatos, & decem grana monetę illius patrię, ut etiam aſſeritis, non excedat, auctoritate, & tenore prędictis indulgemus, necnon vos, & domum veſtram, ac bona hujuſmodi ſub quibuſvis decimarum, quartarum, mediorum fructuum, & aliorum onerum prędictorum impoſitionibus per Nos, & ſucceſſores, aut Sedem hujuſmodi pro tempore factis, nullatenus comprehendi poſſe, ſed ab illis ſemper exceptas exiſtere, ac pręſentes literas nullo unquam tempore de ſurreptionis, aut obreptionis, ſeu nullitatis vitio, vel intentionis defectu notari, aut impugnari, vel revocari, aut illis derogari poſſe, ſed ſemper validas, & efficaces eſſe, ſicque in pręmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque judices, & executores, ac ſubexecutores pręfatos, ſublata eis quavis aliter interpretandi facultate, cenſeri, & judicari debere, ac quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, ſuper declaratione decimarum edita, & quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris die XV Junii MDXXXVIIII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Bloſius.

1. *Pennen.*) Juris eſt Provinciæ *Aprutinæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Pennenſi*.

Anno 1539
Die 25 Junii.

Ne Mendicantes (1) Fratres moleſtiis afficiantur in Polonia.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Venerabilibus Fratribus Univerſis, & ſingulis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & aliorum locorum Ordinariis per Regnum Polonię, & alia dominia, ac terras temporali ditioni cariſſimi in Chriſto filii noſtri Sigiſmundi Polonię Regis Illuſtris ſubjecta, conſtitutis, necnon eorundem Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, ac aliorum Ordinariorum Officialibus, ſeu Vicariis in Spiritualibus generalibus.

XLIX.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter animi noſtri deſideria illud potiſſimum cordi noſtro inhęret, ut fructus, quos ſacri Mendicantium Ordines in agro militantis Eccleſię afferre non deſinunt, non ſolum proviſione noſtra ſuccreſçant, verum etiam ſublatis ab eis omnibus impedimentis, multimodis efferantur incrementis. Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Priores, & Guardiani, ac Fratres Domorum Ordinum Mendicantium per Regnum Polonię, ac alia dominia, & terras temporali ditioni cariſſimi filii noſtri Sigiſmundi Polonię Regis illuſtris conſtitutarum, quod contra privilegia illis a Sede Apoſtolica conceſſa, & juris

Diplomatis cauſa.

diſpoſitionem, ſępius eoſdem Priores, & Guardianos, ac Fratres ratione delicti, ſive contractus, aut rei, de qua agitur, ad judicium coram vobis trahitis, & in eos juriſdictionem, quam in ipſos non habetis, exercetis, & cenſuris eccleſiaſticis eos illaqueando, necnon ipſis Fratribus juſtitiam per eos contra veſtros ſubditos, ſeu illis alias debentes pro tempore petitam, adminiſtrare denegatis, eoſque alias diverſimode ſub diverſis coloribus injuſte vexatis, perturbatis, & inquietatis, in maximam eorum confuſionem, & Chriſtifidelium illarum partium ſcandalum non modicum. Quare iidem Priores, Guardiani, ac Fratres nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ęquum cenſentes, Priores, & Guardianos, ac Fratres prędictos noſtri favoris pręſidio a vexationibus hujuſmodi relevari, ut eo commodius, & efficacius ſalutis operibus, & animarum fructibus intendere poſſint, eorum inclinati ſupplicationibus, vos, & veſtrum ſingulos auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, requirimus, & hortamur, ac vobis nihilominus in virtute ſanctę obe-

Inhibitio.

dientię, & ſub pęnis in dictis eorum privilegiis contentis, diſtricte pręcipiendo mandamus, ne Priores, & Guardianos, ac Fratres prędictos, necnon eorum Priores, & miniſtros Provinciales, ac domos quaſcunque, quovis modo contra eorum jura, & privilegia, vexare, & moleſtare, aut perturbare, ſeu eam, quam non habetis, ſuperioritatem, & juriſdictionem in eos exercere, aut ratione delicti, ſeu contractus, aut rei, de qua agitur, & quacumque alia cauſa contra tenorem dictorum privilegiorum eos coram vobis ad judicium trahere, ſeu trahi facere, vel excommunicationis, ſeu aliis ſententiis, cenſuris, & pęnis eccleſiaſticis innodare pręſumatis: ſed judicia ipſa per eos, quibus id a dicta Sede commiſſum fuit, exerceri permittatis; Et nihilominus juſtitiam eiſdem contra ſibi ſubditos, aut alias debentes petentibus, quoties per eos requiſiti fueritis, adminiſtrare non recuſetis. Decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati, & quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XXV Junii MDXXXIX, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Mendicantes.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Wratislavienſi*. Legitur in *Bullario Carmelitano Parte II pag. 83.*

Anno 1539
Die 25 Junii.

Ne Fratres ab Epiſcopis in jus vocati ſiſtant (1) ſe apud ipſos.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis univerſis, & ſingulis Fratribus omnium, & ſingulorum Ordinum Mendicantium per Regnum Polonię, ac alia dominia, & terras temporali ditioni cariſſimi in Chriſto filii noſtri Sigiſmundi Polonię Regis illuſtris ſubjecta conſtitutis, & eorum cuilibet.

L.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

NUper Nobis pro parte veſtra inter alia expoſito, quod venerabiles Fratres Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ac dilecti filii locorum ordinarii per Regnum Polonię, & alia dominia, ac terras temporali ditioni cariſſimi in Chriſto filii noſtri Sigiſmundi Polonię Regis illuſtris, ſubjecta conſtituti, necnon quo-

quorundam Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, ac aliorum ordinariorum officiales, ſeu Vicarii in ſpiritualibus generales, vos ſæpius contra privilegia vobis a Sede Apoſtolica conceſſa, & juris etiam diſpoſitionem ratione delicti, ſive contractus, aut rei de qua agitur, coram eis ad judicium trahebant, & in vos eam, quam non habebant, juriſdictionem exercebant, vos etiam cenſuris eccleſiaſticis illaqueando, ac aliis diverſimode injuſte vexando, perturbando, & inquietando in maximam veſtram confuſionem. Nos veſtris in ea parte ſupplicationibus inclinati eoſdem Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & ordinarios necnon officiales, & Vicarios, & eorum ſingulos per alias noſtras in forma Brevis literas requiſivimus, & hortati ſumus, eis nihilominus in virtute ſanctę obedientię, & ſub pęnis in eiſdem privilegiis contentis diſtricte pręcipiendo mandantes, quatenus vos, & domus veſtras quaſcunque quovis modo, contra privilegia, & jura veſtra vexare, aut moleſtare, ſeu eam, quam non habent, ſuperioritatem, & juriſdictionem in vos exercere, aut ratione delicti, ſeu contractus, aut rei de qua agatur, ſeu ex quacunque alia cauſa contra privilegiorum hujuſmodi tenorem, vos coram eis ad judicium trahere, ſeu trahi facere, aut excommunicationis, ſeu aliis ſententiis, cenſuris, & pęnis eccleſiaſticis innodare pręſumerent, ſed judicia ipſa per eos quibus id a dicta Sede commiſſum erat exercere permitterent, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem acceperimus, aliquos ex vobis aliquando per indirectum procurare, ut coram dictis ordinariis vocemini, privatos veſtros affectus publico intereſſe veſtri ordinis anteponentes, Nos volentes inconvenientibus, quę hinc oriri poſſunt occurrere, vobis, & veſtrum ſingulis in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis pena diſtrictius inhibemus, ne de cetero coram eiſdem Archiepiſcopis, Epiſcopis, ordinariis, ſeu officialibus, aut Vicariis pręfatis, ne contra vos pręter, aut ultra tenorem dictorum privilegiorum procedere audeant, vel pręſumant, irritum quoque, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernentes, non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XXV Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Siſtant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum. Autographum habes in Cœnobio *Wratiſlavienſi*. Legitur in *Bullario Carmelitano Parte II pag.* 84. Huc etiam ſpectat ſequens Diploma,

JOhannes Dei gratia S. Eccleſiæ Metropolitanæ Gneſnenſis Archiepiſcopus, Legatus natus, & Regni Primas, univerſis, & ſingulis quibus intereſt tenore præſentium notum facimus, quod Nos præinſertas literas Apoſtolicas originaliter coram Nobis exhibitas ſalvas, & illæſas, non vitiatas, nec in aliqua parte ſuſpectas, vidimus, legimus, illas ad petitionem R.P.D. Marci Turri Veneti Bohemiæ, Poloniæque Provinciarum Commiſſarii generalis, & ſui Conventus, exemplari, & tranſumi, ac per Notarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, noſtrique ſigilli juſſimus, & fecimus, appenſione communiri, decernentes quatenus eiſdem noſtri tranſumpti literis plena ubique in judiciis, & extra fides adhibeatur, illiſque ſtetur perinde, ac ſi originales ipſæ literæ originaliter in medium exhiberentur. Datum Cracoviæ Anno Domini MDXL, Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ præfati Anno VI die vero XXVI Menſis Februarii. Præſentibus tunc ibidem venerabilibus, & honorabilibus Dominis Mathia Lanchi Archidiacono Pomeraniæ, in Eccleſia Uladiſlavienſi Cancellario, Stanislao Dabrouski Archidiacono Curzelovienſi, Hieronymo Gazoronski Cuſtode Uniecbovienſi Prælatis, Johanne Dabrouski, & Paulo Macholmen. Notariis Curiæ noſtræ, aliiſque pluribus teſtibus circa præmiſſa.

Petrus Dei gratia S. Eccleſiæ Metropolitanæ Leopolien. Archiepiſcopus univerſis, & ſingulis, quibus intereſt tenore præſentium notum facimus, quia Nos præinſertas literas tranſumpti, ſigillo Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Johannis eadem gratia S. Eccleſiæ Metropolitanæ Gneſnenſis Archiepiſcopi, Legati nati, & Regni Poloniæ Primatis, communitas, & conſignatas coram Nobis exhibitas, ſalvas, & illæſas, non vitiatas, nec in aliqua parte ſuſpectas vidimus, legimus, illaſque ad petitionem venerabilis Patris Fratris Stanislai Raduan. Sacræ Theologiæ profeſſoris contractæ Ruſſiæ Ordinis Prædicatorum Vicarii, & Conventus Leopolien. Prioris, ex tranſumpto exemplari, & tranſumi, ac per Notarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, noſtrique ſigilli juſſimus, & fecimus appenſione communiri. Decernentes quatenus eiſdem noſtri tranſumpti literis plena ubique in judiciis, & extra, fides adhibeatur, illiſque ſtetur perinde, ac ſi ipſæ literæ originales originaliter in medium exhiberentur. Datum Leopoli Anno Domini MDXLII, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Pauli divina providentia PP. III Anno VIII die vero Lunæ XXX Menſis Octobris, præſentibus tunc ibidem venerabili, & nobilibus Dominis Nicolao Poniatoroski Canonico Leopolien., Valentino Janiszowski, Laurentio Mrovinski, & Philippo Dabrouski, curiæ noſtræ familiaribus, aliiſque pluribus teſtibus circa præmiſſa. Johannes a Scarbimiria ſuæ Reverendiſſimæ Paternitatis curiæ, & cauſarum Notarius. Locus ſigilli penſilis in cera rubra expreſſi.

Anno 1539
Die 18 Julii.

Ut, ſervatis ſervandis, quilibet Doctoris, ac ceteros gradus (1) ſuſcipere poſſit in Hiſpalenſi (2) Collegio S. Thomæ.

LI.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

DUm gratos Deo, & univerſę Reipublicę Chriſtianę, utiles, & neceſſarios fructus, qui ex literarum ſtudio provenire noſcuntur, mente revolvimus, merito inducimur, ut votis illis, per quę literarum ſtudia incrementum ſuſcipiunt, & perſonarum ſtudiis hujuſmodi inſiſtentium commoditatibus conſulitur, favorabiliter annuamus, aliaſque deſuper diſponamus, prout locorum, & temporum qualitate penſata, id in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Diplomatis cauſa.

Dudum ſiquidem poſtquam felicis recordationis Leo Papa X Prędeceſſor noſter, bonę memorię Didaci (4) Archiepiſcopi Hiſpalenſis, ſupplicationibus inclinatus, unum Collegium viginti Fratrum Ordinis Prędicatorum Theologię ſtudere volentium, ſub vocabulo S. Thomę de Aquino in Civitate Hiſpalenſi, per quaſdam (5) erexerat, & inter alia ſtatuerat, & ordinaverat, quod omnes, & ſinguli Fratres, in dicto Collegio pro tempore reſidentes, poſſent in eodem Collegio, tam in Artibus, quam in Theologia, debitos, & juxta morem Salamantinum (6), vel aliarum in illis partibus ſtudiorum generalium univerſitatum requiſitos ad Baccalaureatus, Licentiaturę, & Magiſterii gradus ſuſcipiendos, curſus peragere, & inibi dictos gradus, cum ſolitis inſigniis a prędicto Didaco, & pro tempore exiſtente Archiepiſcopo Hiſpalenſi, vel ejus Commiſſario, ad id ab eo ſpecialiter deputato, recipere, & poſtquam dictos gradus, vel aliquem eorum recepiſſent, eiſdem prorſus privilegiis, prerogativis, libertatibus, exemptionibus, antelationibus, indultis, & conceſſionibus, uterentur, potirentur, & gauderent, quibus illi, qui in Salamantina, & qualibet alia in illis partibus Generalium ſtudiorum univerſitate, in qua ipſi promoti alias ſtuduiſſent, gradus hujuſmodi recepiſſent, utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futurum, in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi in Salamantina, ſeu alia univerſitate hujuſmodi, in qua, ut prefertur, ſtuduiſſent, gradus prędictos ſuſcepiſſent, eidem Prędeceſſori pro parte dicti Didaci Archiepiſcopi expoſito, quod ipſe pro majori in Collegio prędicto literarum exercitio, & frequentiori uſu, ac pauperum religioſorum commoditate deſiderabat, quod licentia gradus hujuſmodi in Artibus, & Theologia recipiendi ipſius Collegii Fratribus Collegialibus duntaxat conceſſa etiam alii prędicti, & aliorum quorumvis Ordinum Religioſi, qui gradus hujuſmodi in prędicto Collegio recipere vellent, uti poſſent, prędictus Predeceſſor ejuſdem Didaci Archiepiſcopi ſupplicationibus inclinatus, ſtatutum, & ordinationem ſuper ſingulis gradibus in Artibus, & Theologia in dicto Collegio recipiendis, cum facultate utendi privilegiis, prerogativis, libertatibus, exemptionibus, antelationibus, conceſſionibus, & indultis hujuſmodi ad hoc, ut omnes, & ſinguli alii prędicti, & aliorum quorumvis Ordinum Religioſi in eiſdem Artibus, & Theologię Baccalaureatus, licentiaturę, & Magiſterii gradus, vel eorum aliquem in dicto Collegio recipere, & poſtquam illos recepiſſent, privilegiis, prerogativis, libertatibus, exemptionibus, antelationibus, conceſſionibus, & indultis prędictis, uti, de ipſorum Religioſorum pro tempore promovendorum ſuperioris reſpective conſenſu, libere, & licite valerent, perinde ac ſi ipſi de numero dictorum Collegialium forent, ſine prejudicio alicujus dictarum univerſitatum, per alias ſuas literas (7) extendit, & ampliavit, prout in ſingulis literis prędictis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Rectoris, & Fratrum Collegialium dicti Collegii, petitio continebat, licet in Collegio hujuſmodi facultates prędictę, ut plurimum per quinque Lectores admodum eruditos frequentiſſime, & ſine intermiſſione legantur, & propterea frequens ſtudentium numerus ad illud confluere deberet, nihilominus ſtudium facultatum hujuſmodi in eodem Collegio, cum ſolum Religioſi, in eo ſolitos, pro ipſis gradibus recipiendis, curſus peragere, & gradus prędictos ſuſcipere poſſint, ob infrequentiam ſtudentium, & auditorum plurimum langueſcat, & frigeat, & exercitium literarum ſine frequentia ſtudentium magnum eſſe non poſſit, pro parte Rectoris, & Fratrum Collegialium prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatutum, & ordinationem Prędeceſſoris hujuſmodi ſuper peragendis curſibus, & recipiendis ſingulis gradibus prędictis, ac facultate utendi privilegiis, & aliis premiſſis, ut prefertur, edita, & deinde ad alios predicti, & quorumvis aliorum Ordinum Religioſos extenſa, & ampliata, ad omnes, & ſingulos, tam clericos, quam laicos facultatibus hujuſmodi ſtudere volentes, extendere, & ampliare, ac eiſdem Rectori, & Fratribus Collegialibus, ut clerici ſeculares, & laici, qui in eodem Collegio ſtuduerint, quandocunque voluerint gradus predictos, a moderno, & pro tempore exiſtente ipſius Collegii Rectore, ſeu illo, quovis modo, impedito, ab aliquo Magiſtro, ab eo pro tempore deputato, cum ſolitis inſigniis, juxta morem Salamantinum, vel aliorum ſtudiorum generalium illarum partium univerſitatum, recipere valeant, indulgere, aliaſque in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Indultum.

Nos igitur, qui ſingulorum commoda, quantum cum Deo poſſumus, libenter procuramus, Rectorem, & Fratres Collegiales prędictos, ac eorum ſingulos, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis, ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum preſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatutum, & ordinationem Prędeceſſoris hujuſmodi ſuper peragendis curſibus, & recipiendis ſingulis gradibus predictis, ac facultate utendi privilegiis, & aliis premiſſis, ut prefertur, edita, & deinde ad alios prędicti, & quorumvis aliorum Ordinum Religioſos, extenſa, &

am-

ampliata, ad omnes, & ſingulos, tam clericos, quam laicos facultatibus hujuſmodi ſtudere volentes, etiam ad hoc, ut clerici, & laici pręfati, undecunque venientes, in eodem Collegio tam in Artibus, quam in Theologia, debitos, & alias, ut pręfertur, requiſitos, curſus peragere, libere, & licite valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium extendimus, & ampliamus, ac eiſdem Rectori, & Fratribus Collegialibus, ut clerici ſeculares, & laici, qui in eodem Collegio ſtuduerint, quandocunque voluerint, gradus prędictos, a moderno, & pro tempore exiſtente ipſius Collegii Rectore, ſeu illo quovis modo impedito, ab aliquo Magiſtro, ab eo pro tempore deputato, cum ſolitis inſigniis juxta morem Salamantinum, vel aliorum ſtudiorum generalium illarum partium univerſitatum recipere, & poſtquam illos, aut eorum aliquem receperint, quod eiſdem privilegiis, prerogativis, libertatibus, exemptionibus, antelationibus, indultis, & conceſſionibus, quibus alii in Salamantina, aut qualibet alia illarum partium univerſitate, ad gradus ipſos promoti, utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere, etiam libere, & licite poſſint, in omnibus, & per omnia perinde ac ſi in eadem Salamantina, vel alia univerſitate ſtuduiſſent, & curſus peregiſſent, ac gradus prędictos ſuſcepiſſent, auctoritate, & tenore prędictis, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinum, & Univerſitatum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ac quibuſvis aliis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac quibuſcunque etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribuſque, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam de non indulgendo univerſitati, ſeu alicui Collegio Civitatis Hiſpalenſis, quod aliquos ad gradus prędictos promovere poſſint, aut alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita, obſervata, inſerti forent, pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, necnon omnibus illis, quę dictus Prędeceſſor in ſingulis literis prędictis, voluit non obſtare, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, extenſionis, ampliationis, indulti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Nono, Quinto decimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Gradus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*
2. *Hiſpalen.*) In *Hiſpania Bætica.*
3. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, unum *Lib. B. fol.* 126 ex autographo *Hiſpalenſi*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. I fol.* 207.
4. *Didaci.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Julii II.*
5. *Quaſdam.*) Conſtitutionem ſcilicet *XLVIII Leonis X.*
6. *Salamantinum.*) *Salmanticenſem.*
7. *Literas.*) Conſtitutionem nempe *XCII Leonis X.* Legitur *pag.* 372 hujus *IV* Tomi.

Æthiopes (1) Fratres commendat.

Anno 1539 Die 30 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm itaque, ſicut accepimus, dilecti filii Georgius de Amara Presbyter, & Stephanus Diaconus Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſores ambo Æthiopes Indię majoris, devotione ducti, de licentia eorum Superioris, a partibus Indię ad Terram Sanctam Jeruſalem &c. in ſacratiſſima Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Valle Joſaphat conſiſtens Beatiſſimę ſemper Virginis Marię ejus Matris glorioſę Sepulcrum, necnon Calvarium, & Oliveti, ac ubi ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus transfiguratus fuit, Tabor, Montes, & alia loca inter Sepulcrum Dominicum, & Preſepium in Bethleem Judeę, ubi idem Dominus noſter Jeſus Chriſtus natus fuit, conſiſten., in quorum aliquibus duodecim annis &c. Cruore ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti &c. necnon Bethaniam, & Civitatem Nazareth in Galilea, ubi pręfata ſemper Virgo Maria ſalutata extitit, ac Monaſterium Sanctę Catharinę de Monte Sinai Ordinis Sancti Baſilii, & flumen Jordanum, & inde ad Almam Urbem ad Beatorum Petri, & Pauli limina, aliaque pia, & ſacra dictę Urbis loca viſitandum ſe perſonaliter contulerint, cupiantque etiam limina Sancti Jacobi in Compoſtella, & diverſa alia loca pia, ſacra, & devota viſitare, ſed quia pauperes, & extra eorum partes conſtituti exiſtunt, ac ſermonem locorum, per quę tranſituri ſunt loqui neſciunt, pręmiſſa adimplere nequeant, niſi eis piis Chriſti fidelium ſuffragiis, ac caritativis ſubſidiis, & eleemoſynis ſubveniatur. Nos, cupientes, ut eiſdem Georgio, & Stephano pro eorum ſuſtentatione in eorum itinere, ac neceſſitatibus eorum ſubveniatur, ac chriſtifideles ad hoc eo facilius manus porrigant adjutrices, quo exinde uberioris dono gratię conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, ac eorundem Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui de bonis ſibi a Deo collatis eiſdem Georgio, & Stephano pro pręmiſſis manus porrexerint adjutrices, aut Miſſarum per Georgium, & dum Presbyter fuerit per Stephanum prędictos, ſeu eorum alterum celebrandarum ſolemnium celebrationi interfuerint, quoties id fecerint ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus &c. Datum Tuſculi (3) Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo nono, Tertio Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Nota.

1. *Æthiopes.*) Vide Notas ad *Conſtitutionem CXXVII Alexandri VI.* Legitur *pag.* 190 hujus *IV* Tomi.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XVII An. V fol.* 32.
3. *Tuſculi.*) Vulgo *Freſcati*, in *Latio*.

Anno 1539 Die 7 Novembris.

De Ulyſſipponenſi Collegio (1) transferendo Colimbriam.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LIII.

Sereniſſimo Principi Domino Johanni Portugallię, & Algarbiorum Regi. Antonius (3) Miſeratione Divina SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis, Salutem, & ſinceram in Domino caritatem.

EX parte celſitudinis veſtrę fuit expoſitum coram Nobis, quod alias clarę memorię Emanuel genitor veſter tunc in humanis agens apud domum S. Dominici Ulixbonenſis Ordinis Fratrum Prędicatorum unam Domum cum Capella, Refectorio, Dormitorio, & aliis neceſſariis Officinis ſub invocatione S. Thomę pro Collegio viginti Patrum in Artibus, & Theologia ſtudere volentium, quorum quatuordecim Prędicatorum, & ſex S. Hieronymi eſſent, Ordinum profeſſores ędificari fecit, & in ea dictum Collegium fundavit, illudque ſufficienter dotavit, & pro illius felici, ac proſpero gubernio, nonnulla tam circa Collegialium exercitium, & vivendi modum, ac divina per eos peragenda, quam electionem, & confirmationem Prioris illorum, & Lectores, qui ibi legere deberent, ac alias nonnulla ſtatuta, & ordinationes fecit, necnon Leo Papa X felicem recordationem ad ſupplicationem dicti Emanuelis Regis fundationem, dotationem, ſtatuta, & Ordinationes prędictas, & prout illas concernebant, omnia, & ſingula in Inſtrumento deſuper confecto contenta, & inde ſecuta quęcunque approbavit, & confirmavit, atque eidem Emanueli Regi quęcunque alia ſtatuta, & Ordinationes licita, & honeſta, & ſacris Canonibus non contraria pro felici, & proſpero ſtatu, ac votiva directione Collegii, ac Collegialium prędictorum edendi, & per eum pro tempore edita reformandi, corrigendi, & in melius mutandi, caſſandi, & alia denuo edendi, licentiam, & facultatem conceſſit per ſuas literas, prout in eis plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, poſtmodum dicta Domus S. Dominici Ulixbonenſis juxta Regulam dicti S. Dominici reformata fuerit, & Fratres Collegiales dicti Collegii non parvam turbationem Fratribus ipſius Domus S. Dominici reformatis inferant, & ſtudium, quod tunc in civitate Ulixbonenſi vigebat, ſit ad civitatem Colimbrienſem translatum, propter quod ipſius Collegii Collegialibus Fratribus in eorum diſcendi, & exercitium faciendi commoditate nonnihil detrahitur. Et ſi ſerenitati veſtrę Collegium prędictum, quod in Monaſterio de Bararha dicti Ordinis Colimbrienſis Diœceſis per Superiores Ordinis, donec alias ordinaretur, de pręſenti exiſtit, ad Colimbrienſem, ad quam dictum ſtudium, ut pręfertur, translatum extitit, aut aliam civitatem, ſeu oppidum, & ad Monaſterium, ſeu locum per vos deputatum, prout vobis videbitur, transferendi, ac pro illius feliciori, & magis proſpero ſtatu ſtatuta, & Ordinationes edendi, & illa, ac etiam per dictum Emanuelem Regem edita, pro tempore reformandi, corrigendi, mutandi, tollendi, & alia de novo edendi facultas concederetur, profecto ex hoc dictorum Fratrum Reformatorum potiori quieti, & Fratrum Collegialium Collegii hujuſmodi in artibus, & Theologia profectui non modicum conſuleretur. Quare ſupplicari feciſtis humiliter, vobis ſuper his Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio miſericorditer providere. Nos igitur, dictarum literarum tenore, ac ſi de verbo ad verbum inſereretur pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo habentes, veſtriſque in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Domini Papę, cujus Pęnitentiarię curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivę vocis Oraculo nobis facto celſitudini veſtrę Collegium prędictum cum illius Rectore in Collegialibus, ac omnibus privilegiis, immunitatibus, honoribus, oneribus, facultatibus, pręeminentiis, gratiis, conceſſionibus, & indultis, juribuſque, & pertinentiis univerſis ad Colimbrienſem, vel aliam civitatem, & oppidum, ac ad Monaſterium, ſeu locum per vos eligendum, ſeu deputandum, transferendi, & mutandi, ac, poſtquam translatum fuerit, pro illius feliciori, ac magis proſpero ſtatu, & gubernio, ac votiva directione, ſtatuta, & ordinationes pro tempore edendi, & illa, ac etiam per dictum Emanuelem Regem edita, prout vobis magis expedire videbitur, pro tempore reformandi, corrigendi, mutandi, tollendi, & alia de novo edendi, dummodo quę edideritis, correxeritis, mutaveritis, caſſaveritis, & de novo edideritis, ſtatuta rationabilia ſint, & juri canonico non contraria, ac alia omnia, quę dictus Emanuel Rex, ſi viveret, circa Collegium prędictum, per eum, ut pręfertur, fundatum, facere poterat, vos circa translatum Collegium hujuſmodi facere poſſitis, libere, & licite, cujuſvis conſenſu, aut licentia deſuper minime requiſita, veris exiſtentibus pręmiſſis, tenore pręſentium, facultatem elargimur. Non obſtantibus Apoſtolicis, provincialibus, & ſynodalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Domus, Collegii, & Ordinis Prędicatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis, irritantibuſque, & aliis decretis conceſſis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, etiam mari Magno, aut Bulla aurea, vel alias nuncupatis, quibus omnibus, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub ſigillo Officii Pęnitentiarię VII Idus Novembris, Pontificatus Sanctiſſimi D. N. Pauli Papę III. Anno Sexto.

1. *Collegio.*) Conſulenda *Conſtitutio XLVIII Leonis X.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar.
3. *Antonius.*) *Puccius*, de quo *Ciaconius* in *Clemente VII.*

SS. Sa-

SS. Sacramenti Confraternitatem (1) in ædibus ſacris S. Mariæ ſupra Minervam de Urbe conſtitutam, privilegiis, & indulgentiis ornat.

Anno 1539 Die 30 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LIV.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus tranſiturus de hoc mundo ad Patrem in ultima cęna, qua Paſcha cum diſcipulis ſuis manducavit, admirabile Sacramentum pretioſiſſimi Corporis, & Sanguinis ſui inſtituit, per quod univerſi Chriſticolę memoriam ſuę caritatis eximię, quam in ſua Paſſione, hora ejus appropinquante, oſtendit, recolerent. Unde Nos, illius vices licet immeriti gerentes in terris, debitum cenſemus, ut ea, quę in hujus ſacroſancti Sacramenti honorem, & venerationem ex pia Chriſti fidelium devotione, prout decet, Apoſtolico pręſidio ſolidemus, & ut ad fidelium eorundem vota facilius concurrant, fideles ipſos ſpiritualibus muneribus proſequamur, & eorum pia ſuffragia cęleſtibus donis confoveamus, ut exinde divinę gratię aptiores reddantur, & Sacramentum ipſum in die peregrinationis extremę ſibi fore Viaticum ſalutare mereantur. Sane pro parte dilectorum filiorum univerſorum Confratrum Confraternitatis ſub invocatione Sacratiſſimi Corporis Chriſti in Eccleſia domus B. Marię ſupra Minervam de Urbe, Ordinis Fratrum Prędicatorum inſtitutę, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod nuper nonnulli Cives Romani, & Curiales Chriſti fideles, pie conſiderantes Sacratiſſimum Eucharistię Sacramentum prędictum in Parochialibus Eccleſiis dictę Urbis minus honorifice, & in locis abjectis ſine ulla conſideratione conſervari, & cum per ipſam Urbem pro Communione infirmorum deferendum erat, ab uno tantum Capellano ſine ullis decore, & reverentia, ſolitum deferri, ac ſingulari devotione ducti, cupientes pręmiſſis, & ut eidem Sacramento honor, cultus, & veneratio debite exhiberentur, quantum in eis erat, providere, unam Societatem, & Confraternitatem utriuſque ſexus ſub invocatione ejuſdem Sacratiſſimi Corporis Chriſti in dicta Eccleſia de Minerva ordinarunt, & inſtituerunt, ac pro ejus ſalubri directione, & incremento inter alia, quod Confratres Confraternitatis hujuſmodi pro tempore exiſtentes, ſeu ab eis per ſingulas regiones Urbis prędictę deputati, aut deputandi, diligenter, ac omni cura, & ſtudio facerent, & procurarent, ut Sacramentum hujuſmodi, tam in dicta Minerva, quam ſingulis aliis Parochialibus Eccleſiis Urbis hujuſmodi ea, qua decet, veneratione in loco honorifico, & honeſto, lampadibus accenſis, die, noctuque conſervaretur, & cuſtodiretur. Et ſi earundem Eccleſiarum redditus ad id non ſufficerent, ipſi Confratres illis de neceſſariis ad hujuſmodi opus, necnon ad emendum unum pallium pro ſingulis Eccleſiis prędictis, cum quo Sacramentum ipſum quotieſcunque illud pro Communione infirmorum extra Eccleſiam deferendum eſſet, deferri deberet, providerent. Ac quod Rector cujuslibet ex Eccleſiis prędictis, ſeu illius locum tenens, quotieſcunque eſſet neceſſarium, Sacramentum hujuſmodi alicui infirmo miniſtrari, & ad illius domum deferri, campanam ſuę Eccleſię certis ictibus pulſari facere teneretur, ad hoc, ut Confratres vicini Parochię illius Eccleſię ſe moneri ad aſſociandum Sacramentum ipſum cognoſcerent, & per ſe ipſos aſſociarent, ſi legitimo impedimento detenti non forent, alioquin per unum de ſuis dignioribus familiaribus Sacramentum prędictum ad domum dicti infirmi facibus accenſis aſſociari, & comitari facere tenerentur. Ac quod utriuſque ſexus perſonę Confraternitatis hujuſmodi Confratres pro tempore exiſtentes tertia quaque die Dominica cujuslibet menſis totius anni in dicta Eccleſia de Minerva congregari, & inibi unam Miſſam in cantu, vel alias celebrari facere, ac in elevatione pręfati Sacramenti faces accenſas habere deberent, necnon prima die Veneris ſtatim poſt feſtum Corporis Chriſti immediate ſequenti, ſolemnem proceſſionem (3) extra, & circum pręfatam Eccleſiam de Minerva Sacramentum prędictum honorifice facibus accenſis deferendo annuatim facere. Et ſi aliquem ex Confratribus Confraternitatis hujuſmodi ęgrotare contingeret, Rector, aut electus nominatus Eccleſię, cujus dictus infirmus Parochianus exiſteret, una cum alio confratre ejuſdem Confraternitatis per Rectorem, ſeu electum nominatum hujuſmodi pro tempore eligendo dictum infirmum viſitare, & ad confitendum peccata ſua, ipſumque Sacramentum ſuſcipiendum pie adhortari, & commonere, necnon ſingulis hebdomadis totius anni ipſi utriuſque ſexus Confratres quinquies orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam toties in commemorationem dicti Sacramenti devote recitare, & commemorare tenerentur, ac mulieribus Confratribus dictę Confraternitatis quibus indecens eſſet per dictam Urbem vagari ad aſſociandum dictum Sacramentum, ut quoties ſignum campanę audirent, flexis genibus Orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam hujuſmodi quinquies; ut prefertur, recitando, omnes, & ſingulas gratias, & indulgentias Confratribus Confraternitatis hujuſmodi pro tempore conceſſas, conſequerentur, per Nos concedi, procurare, ſtatuerunt, & ordinarunt, prout in inſtrumentis, ſeu aliis documentis, deſuper confectis, plenius contineri dicitur. Ac dilectum filium noſtrum Alexandrum (4) S. Marię in Via lata Diaconum Cardinalem, de Cęſarinis nuncupatum, in protectorem dictę Confraternitatis elegerunt. Quare pro parte eorundem Confratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut inſtitutioni Confraternitatis, ac ſtatutis, & ordinationibus hujuſmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, tantum Sacramentum omni laude, & veneratione dignum a cunctis fidelibus, ut per hoc deſideratam ſalutem conſequi valeant, honorari, laudari, & magnificari, ſinceris deſideriis exoptantes, ac Omnipotenti Deo, quod tam ſaluberrima, tamque neceſſaria, & utilia opera noſtro tempore exerceri inceperint, gratias agentes, & ut illa perpetuo frequententur, ac Chriſti fideles pręfati eis ferventius inſiſtant, quanto erga eos amplioribus, & ſpecialioribus gratiis liberaliores, ſeque per hoc majori cęleſtis gratię devotione refici poſſe cognoverint, quantum cum Deo poſſumus, providere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, inſtitutionem Con-

Diplomatis cauſa.

Nota.

Confraternitatis hujuſmodi, necnon prędicta, ac etiam ſingula alia per eoſdem Confratres circa prę-
miſſa ſtatuta, & ordinata, ac prout illa concernunt, omnia, & ſingula in inſtrumentis, ſeu documen-
tis deſuper confectis prędictis contenta, & inde ſecuta quęcunque ex certa noſtra ſcientia, auctoritate
Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti de-
fectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, illiſque perpetuę firmitatis robur adiicimus,
& ea per ipſarum Eccleſiarum Rectores, ſeu eorum loca tenentes pro tempore exiſtentes, & alios ad quos
ſpectat firmiter obſervari debere decernimus. Et nihilominus pro potiori cautela, pręmiſſa omnia, &
ſingula alia per eoſdem Confratres, ut prefertur, ſtatuta, & ordinata de novo auctoritate, & tenore
prędictis perpetuo ſtatuimus, & ordinamus. Ac Confratribus Confraternitatis hujuſmodi, nunc,
& pro tempore exiſtentibus, ac eorum ſingulis, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, in-
dultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis etiam plenariis, & pecca-
torum remiſſionibus, ac aliis gratiis ſpiritualibus, & temporalibus, Confratribus Imaginis Salvatoris ad
Sancta Sanctorum, necnon caritatis, & Archihoſpitalis S. Jacobi in Auguſta, ac S. Johannis Baptiſtę,
necnon Sanctorum Coſmę, & Damiani Nationis Florentinę, ac Hoſpitalis noſtri S. Spiritus in Saxia Or-
dinis S. Auguſtini, & Campi Sancti, Confraternitatum ejuſdem Urbis pro tempore exiſtentibus, illa-
rumque, ac B. Marię de Populo etiam de Urbe Eccleſiis, ac Chriſti fidelibus illas viſitantibus per quoſ-
cunque Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, & ſucceſſores, conceſſis, & concedendis, & quibus
illi utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum,
quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pręſentibus pro expreſſis haberi volumus, ex
nunc, & in perpetuum utantur, potiantur, & gaudeant, ac uti, potiri, & gaudere libere, & licite
valeant, in omnibus, & per omnia perinde ac ſi illa eis ſpecialiter, & expreſſe conceſſa fuiſſent, & in
futurum concederentur, concedimus, & indulgemus, ipſaque privilegia, indulta, exemptiones, li-
bertates, immunitates, indulgentias, etiam plenarias, ac peccatorum remiſſiones, & alias gratias ad
Confratres SS. Corporis Chriſti hujuſmodi, ac illius Capellanos, miniſtros, & perſonas pro tempore
exiſtentes eiſdem auctoritate, & tenore extendimus, & eis communicamus. Necnon Chriſti fidelibus
prefatis, qui dictam Confraternitatem Sacratiſſimi Corporis Chriſti ingredientur, die illorum ingreſſus
Nota. hujuſmodi plenariam ad inſtar Jubilei, ac eorum peccatis prius confeſſis, & Sacramento hujuſmodi per
eos devote recepto, ter in vita ſimiliter plenariam omnium peccatorum ſuorum, ipſiſque Confratribus,
qui prefatum Sacramentum eiſdem infirmis miniſtrandum aſſociaverint, ſeu impediti aſſociari, ut prę-
fertur, fecerint, ac eiſdem proceſſionibus, & divinis officiis, quę per eoſdem Confratres, ut prefer-
tur, celebrari facere contigerit interfuerint, quoties id fecerint, centum, qui vero dictam Eccleſiam
Nota. de Minerva diebus Veneris cujuslibet hebdomadę totius anni devote viſitaverint decem annorum, & to-
tidem quadragenarum injunctarum eis pęnitentiarum, indulgentias, & remiſſiones, quoties id fecerint,
miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur, necnon mulieribus ejuſdem Confraternitatis, qui-
bus propter honeſtatem non licet per Urbem ipſam paſſim vagari, ſi quoties ſignum campanę hujuſmodi
audierint, ſemel Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam flexis genibus devote recita-
verint, ut omnes, & ſingulas indulgentias, conceſſiones, & gratias aliis Confratribus intereſſentibus
conceſſas, conſequantur, & conſequi valeant. Ac eiſdem utriuſque ſexus Confratribus, & eorum ſin-
gulis, ut quemcunque Presbyterum ſecularem, vel cujuſvis Ordinis regularem, etiam in mortis arti-
culo, etiamſi mors tunc non ſubſequatur, in ſuum poſſint eligere Confeſſorem, qui eorum confeſſioni-
bus diligenter auditis, eos, & eorum ſingulos ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, ex-
ceſſibus, & delictis quantumcunque gravibus, & enormibus per eos, & eorum ſingulos pro tempore per-
petratis, etiam Sedi Apoſtolicę, & locorum ordinariis reſervatis, pręterquam a contentis in literis in
die Cęnę Domini legi ſolitis, ter in vita abſolvere, & eis pęnitentiam ſalutarem injungere. Necnon
Nota. ejuſdem Confraternitatis Adminiſtratoribus, & Confratribus pro tempore exiſtentibus, pro illius ſtatu
ſalubriori dirigendo, ut quęcunque licita, & honeſta ſtatuta, & ordinationes, felix regimen, & proſ-
perum ſtatum, ac gubernationem illorum, & aliarum quarumcunque rerum ſpiritualium, & tempora-
lium eos quomodolibet concernentia condere, & facere, eaque quoties videbitur, mutare, & alterare,
limitare, corrigere, declarare, modificare, & in melius reformare, quę poſtquam edita, mutata, al-
terata, limitata, correcta, declarata, modificata, & in melius reformata fuerint, eo ipſo per Sedem
eandem confirmata ſint, & eſſe cenſeantur, auctoritate, & tenore ſupradictis indulgemus, ac plenam,
& liberam deſuper facultatem concedimus. Et nihilominus, ut Chriſti fidelium devotio ad tam ſalubre
Sacramentum ferventius invaleſcat, ac Chriſti fideles ad illius venerationem, & ſimilia caritatis opera
exercenda per amplius excitentur, quod omnes, & ſingulę alię Confraternitates, ſub eadem invocatio-
ne Sacratiſſimi Corporis Chriſti ubilibet inſtitutę, & inſtituendę, eiſdem privilegiis, conceſſionibus,
indulgentiis, facultatibus, gratiis, & indultis Confraternitati in Eccleſia de Minerva inſtitutę hujuſmo-
di per Nos conceſſis, & concedendis, utantur, potiantur, & gaudeant, ac uti, potiri, & gaudere poſ-
ſint, & debeant, pręfata auctoritate, & pręſentium tenore ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes prę-
ſentes literas, & in eis contentas indulgentias, & peccatorum remiſſiones ſub quibuſvis revocationibus,
ſuſpenſionibus, & modificationibus, ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum, & literarum, etiam
per Nos, & ſucceſſores noſtros, ac Cancellarię Apoſtolicę regulis pro tempore editis, etiam in favorem
fabricę Baſilicę Principis Apoſtolorum de eadem Urbe, ac Cruciatę Sanctę, nullatenus comprehenſas,
ſed ab illis omnino exceptas eſſe, & cenſeri, & ſic per quoſcunque judices quavis auctoritate fungentes,
ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judica-
ri, & definiri debere, ac quicquid ſecus attentari contigerit irritum, & inane, necnon pręſentium
tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Curię eccleſiaſticę, ſeu perſonę in dig-
nitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eandem prorſus fidem in judicio, & extra adhibendam fore, quę
eiſdem pręſentibus adhiberetur ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Quocirca venerabilibus Fratribus noſtris
uni-

univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, & aliis perſonis in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, necnon Metropolitanę, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, ac eorundem Patriarcharum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, Vicariis in ſpiritualibus, & officialibus generalibus, ubilibet conſtitutis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Confratrum Confraternitatis Sacratiſſimi Corporis Chriſti in Eccleſia de Minerva inſtitutę hujuſmodi pro tempore exiſtentium deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant pręſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, ipſoſque Confratres illis pacifice gaudere, non permittentes, eos deſuper per quoſcunque contra pręſentium tenorem quomodolibet moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac quoſcunque ſua intereſſe putantes, etiam per edictum publicum locis publicis affigendum, conſtito ſummarie de non tuto ad eos acceſſu, citando, ac illis, necnon aliis quibus, & quoties opus fuerit, inhibendo, cenſuraſque & pęnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Dięceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Dięceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede prędicta deputati, extra Civitatem, vel Dięceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut aliis vices ſuas committere pręſumant, ac de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate pręſentium ad judicium non trahatur, & quibuſvis aliis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, necnon privilegiis, & indultis Apoſtolicis ſupradictis, & quibuſvis aliis Eccleſiarum Confraternitatibus, & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, infererentur, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcunque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca, ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo &c. approbationis, confirmationis, ſuppletionis, adjectionis, decreti, ſtatuti, ordinationis, conceſſionis, indulti, voluntatis, extenſionis, communicationis, elargitionis, mandati, & derogationis &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Nono, Pridie Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Confraternitatem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo triplex Exemplar authenticum. In *Bullario Romano* eſt XX. Legitur etiam in *Bullario Confraternitatum Ord. Præd. pag.* 185.

3. *Proceſſionem.*) De qua in *Tractatu* mox laudato.

4. *Alexandrum.*) De quo Ciaconius Vit. Pontif., & Card. *Tomo III in Leone X pag.* 196.

De Provincia Peruana (1) conſtituenda.

Anno 1539 Die 23 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum.

LV.

PAULUS PP. III.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, Ordo Fratrum Prędicatorum in partibus Indiarum devotioni cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli (3) Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, qui etiam Hiſpaniarum Rex exiſtit, ſubditis, benedicente Domino, augeri, & dilatari cęperit, expediatque, quę ad conſervationem dicti Ordinis in illis partibus attinent, a te ordinari, & decerni, & ob earundem partium diſtantiam nonnulla in ipſius Ordinis Conſtitutionibus expreſſa commode obſervari nequeant, ſimiliterque expediat pro ſalubri ejuſdem Ordinis directione, ut domus dicti Ordinis in partibus de Peru nuncupatis earundem Indiarum conſiſten., a Provincia cujus hactenus fuerunt, ſegregentur, & ſeparentur, ac in eiſdem partibus, nova Provincia juxta morem ipſius Ordinis erigatur, illique ſic erectę Provincialis Prior pręficiatur, & alia pro conſervatione vitę regularis in illis partibus ſtatuantur. Nos, ne ab aliquo de viribus tuę facultatis, & poteſtatis in pręmiſſis hęſitari contingat, providere volentes, tibi, ut per te, vel alium, ſeu alios, quem, vel quos ad hęc duxeris deputandum, ſeu deputandos auctoritate noſtra Domos ejuſdem Ordinis in partibus prędictis conſiſtentes ab earum Provincia prędicta ſegregare, & ſeparare, ac in eiſdem partibus novam Provinciam ſub invocatione (4), de qua tibi videbitur, juxta morem dicti Ordinis erigere, illique ſic erectę, hac prima vice duntaxat, eum, de quo tibi videbitur, ipſius Ordinis profeſſorem in Priorem Provincialem, cum facultatibus, & auctoritatibus aliis Provincialibus Magiſtris concedi, & per eos haberi ſolitis, ad tempus, de quo tibi videbitur, pręficere, &, ſi ille interim cedat, vel decedat alium ejus loco ad dictum tempus ſubſtituere, & ſubrogare, ac omnia, & ſingula alia, quęcunque tibi quomodolibet pro ejuſdem Ordinis, & regularium illius inſtitutorum introductione, obſervatione, & augmento tam circa ipſius Ordinis profeſſorum inſtitutionem, & directionem, quam etiam eorum ſtudia

 no-

noveris expedire, ſtatuere, & ordinare (5), libere, & licite valeas, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſius Ordinis, ac illius Provinciarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate, alias roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, per quoſcunque Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, & Nos, ac Sedem Apoſtolicam ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis quomodolibet, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, etiam iteratis vicibus conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum insererentur, pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXIII Decembris MDXXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Peruana.*) In *America*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, inter ordinationes Magiſtri Generalis, de quibus *Nota V.*
3. *Caroli.*) *Quinti*.
4. *Invocatione.*) *S. Johannis Baptiſtæ*.
5. *Ordinare.*) Huc ſpectat ſequens inſtrumentum.

IN Dei filio ſibi cariſſimis venerabilibus Patribus, & Fratribus noſtris in terra, & partibus Indiarum, quæ dicuntur del Peru pro nomine Chriſti Jeſu laborantibus, innumeraque incommoda ſuſtinentibus Ordinis Prædicatorum videlicet Reverendo Patri Fratri Thomæ de Sancto Martino, Magiſtro, ceteriſque ſacerdotibus, juvenibus, converſis, & aliis cujuſcunque gradus, Religioni noſtræ inſervientibus, Frater Auguſtinus Recuperatus de Faventia, ſacræ Theologiæ profeſſor, ac totius dicti Ordinis humilis Generalis Magiſter, & Servus, Salutem, patientiæ, & Religionis augmentum. Novimus, Fratres mei, labores veſtros, ac tribulationes, & quanta diutius ſuſtineatis pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Religionis noſtræ, & veſtræ amplitudine, ac fructu, in his remotiſſimis partibus omni ſolatio, ac humano auxilio deſtituti: Deumque teſtem invocamus in animam noſtram, quod labores & ærumnas veſtras cordi habemus, & diutius meditamur ac ſi vobiſcum præſentes eſſemus, illaque in corpore, & mente noſtra experiremur, & quantum vobis ſubvenire, conſolari, ac favere cupiamus, novit Altiſſimus: expeditionibuſque nunc pro vobis factis partim cognoſcetis, magis autem, & perfectius, ſi quæ cogitavimus, & deſideramus, ſumma Dei bonitas tempore congruo dignabitur ad perfectum ſtatum reducere. Propterea vidimus, & recepimus Angelos veſtros Fratrem Franciſcum Martinez, & Fratrem Auguſtinum de Cuñiga, & cuncta, quæ expoſuerunt pro Chriſti honore, & Religionis augmento in iſtis partibus ſumma animi attentione perpendimus, factaque rerum veſtrarum plena informatione apud Sanctiſſimum in Chriſto patrem, & Dominum noſtrum Paulum divina providentia Papam Tertium, ipſe velut piiſſimus Pater, & ſui gregis vigilantiſſimus cuſtos, nobis literas in forma Brevis ſcriptas direxit. Quarum copia hic immediate inſeritur. A tergo Dilecto filio Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum. Intus vero. Paulus Papa III. Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum ſicut accepimus Ordo Fratrum Prædicatorum &c. Quibus cum omni reverentia perlectis, denuoque matura deliberatione rebus veſtris penſatis pro ordine, ac forma Ordinis noſtri in iſtis partibus de Dei omnipotentis miſericordia confiſi, ac Patris noſtri Sanctiſſimi Dominici precibus apud ipſum, quæ infra ſubjungemus, determinavimus, conſtituimus, ac omni noſtra auctoritate inviolabiliter obſervari decrevimus. Primo diviſimus, ac præſentium tenore dividimus, disjungimus, ac ſeparamus Conventus, & loca ædificata, & ædificanda in partibus Indiarum, quæ dicuntur del Peru a juriſdictione, auctoritate, ſeu quacunque prætenſa colligatione, aut obligatione a Provincia noſtra Sanctæ Crucis, & a Provincia Sancti Jacobi Indiarum, inſtituimuſque, ac præſentium tenore ſubſtitutam eſſe declaramus Patriam illam unam Provinciam a præfatis omnino ſeparatam, & diſtinctam, quæ appelletur ac præſentium tenore appellari volumus: Provincia Sancti Johannis Baptiſtæ, cui terminos aſſignamus a portu Nominis Dei ad Panamam, & deinde diſcurrendo per coſtam, ſive litus, uſque ad portum de Guatimala incluſive, itaque Provincia de Nicaragua ſit prædictæ Provinciæ Sancti Johannis cum Provincia de Peru uſque ad flumen Argenteum a mari, quod dicitur del Norte, uſque ad mare del Sur cum Inſulis, & terra firma repertis, & reperiendis. Itaque a portu de Acla uſque ad flumen argenteum excluſive eſt Provincia Sanctæ Crucis. Quam Provinciam volumus, & præſentium tenore, & auctoritate Apoſtolica declaramus, gaudere omnibus privilegiis, & gratiis, ac immunitatibus, auctoritate, & juriſdictionibus, quibus aliæ Provinciæ noſtri Ordinis auctoritate ordinaria, vel extraordinaria juris, aut facti; vel conſuetudinis, gaudere conſueverunt. Huic Provinciæ ſic ſeparatæ, & inſtitutæ dedimus, ac præfecimus, & præſentium tenore, quatenus denuo opus eſſet, damus ac præficimus Reverendum Patrem Fratrem Thomam de Sancto Martino Magiſtrum, in Priorem Provincialem, cum omni auctoritate ſolita dari hujuſmodi Provincialibus in noſtro Ordine inſtitutis, tam in capitibus, quam in membris, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, ædificandi nova loca, inſtituendi Conventus, confirmandi Priores novos, & abſolvendi, & omnia alia, & ſingula exequendi, quæ hujuſmodi Provinciales facere, & exequi conſueverunt. Inſuper declaramus, ac inſtituimus, præſentiumque tenore inſtituo, & declaro auctoritate Apoſtolica nobis in hac parte conceſſa, præfatum Provincialatus officium pro hac vice duntaxat per octo annos a notitia præſentium durare, & in caſu quo præfatus Prior Provincialis Magiſter Thomas ſic a nobis inſtitutus, antequam noſtræ literæ illi præſentarentur, e vita decederet, aut alio eventu amoveri; Sive & infra præfatum terminum octo annorum eum mori, vel amoveri contigerit, ejus loco tenore præſentium auctoritate Apoſtolica pro hac vice duntaxat ei ſubrogamus venerandum Patrem Fratrem Johannem de Olias, quem tunc Provincialem verum declaramus, cum omnibus conditionibus, & clauſulis præmiſſis, qui tamen non habebit durare niſi uſ-

Digitized by Google

uſque ad tempns præfinitum primo Provinciali, videlicet quod reſidui erit octo annorum. Caſu autem quod prædictus Frater Johannes de Olias infra dictos octo annos moreretur, vel amoveretur, tunc volumus, & declaramus, electionem Provincialis pertinere ad Priores, & Socios ſeu Vicarios Domorum ſecundum tenorem Conſtitutionum, quantumcunque, & quomodocunque Conventus eſſent pauci, auctoritate Apoſtolica nobis in bac parte conceſſa ſtatuimus, & declaramus, quod licet Domus ſeu loca Ordinis in illis partibus non habeant numerum duodenarium Fratrum non propterea cenſeantur non habere vocem, nec poſſe eligere Priorem, ſed quotieſcunque habuerint numerum quatuor Fratrum, babentium vocem ſecundum tenorem Conſtitutionum, quod poſſit ſibi eligere Priorem, & ſocium pro Capitulo Provinciali, & reliqua omnia facere, & ſingula, quæ alii Conventus, & Domus Ordinis potuerunt, & conſueverunt facere, tam circa negotia Ordinis, & Capituli Provincialis, & Generalis pertractanda, quam circa alia. Tenore præſentium auctoritate Apoſtolica prout ſupra ſtatuimus, concedimus, & liberaliter impartimur, quod quando contigerit, Priorem Provincialem eligi, poſtquam fuerit electio celebrata canonice, & legitime ſecundum tenorem Conſtitutionum noſtrarum, illico præfatus ſic nominatus, & electus, ſit confirmatus, officiumque ſuum poſſit exercere cum omni jure, & plena auctoritate ſolita dari hujuſmodi Provincialibus in noſtro Ordine inſtitutis, & confirmatis, volentes nihilominus, quod teneantur quam primum, & omni diligentia, ac ſolicitudine ſcrutinium, ſeu modum, & formam electionis, qualitatis perſonæ, dirigere ad Reverendiſſimum Generalem, ut ipſe adamuſſim habeat cognitionem omnium factorum, & geſtorum in ſimili electione, necnon qualitatum perſonæ electæ, ut ipſe ſua prudentia habeat ſolemnem confirmationem dirigere in ſcriptis, & confirmare facta, vel etiam ſi opus eſſet omnia mutare, & annullare, & præfatum Provincialem abſolvere. Ordinamus, atque ſtatuimus, quod Priores Provinciales ſic electi ut ſupra, necnon Priores Conventuales hujuſmodi officii durent juxta morem Provinciæ Hiſpaniæ, videlicet Priores Provinciales per quatuor annos, & Conventuales per tres annos; Eidem Priori provinciali a nobis inſtituto, ſive cuicunque alteri ſucceſſori eligendo, ut ſupra, concedimus, & facultatem damus, ac liberaliter impartimur, ut poſſit diſpenſare cum illegitime natis ad Prælaturas, & ad omnia alia officia quando, & quomodo judicaverit expedire, & etiam eum Fratibus, qui in pœnas gravioris vel graviſſimæ culpæ incurrerint. Ita tamen quod quandocunque contigerit ei uti præfata auctoritate in caſibus, qui conſueverunt ordinarie ad Reverendiſſimum Generalem, aut Capitulum Generale pertinere, teneatur præfatus Provincialis, quamcitius Reverendiſſimo Generali id intimare, & per proceſſum legitimum omnia acta, & rationes, reddere, vel ad minus Capitulo Generali proximo celebrando, poſtquam ea contigerint, ut a præfato Reverendiſſimo Generali, vel capitulo habeant confirmationem, vel irritationem eorum quæ fecit, eo tamen tempore medio gaudebunt illi Fratres ſic abſoluti, & diſpenſati gratiis, & immunitatibus illis a Præfato Provinciali conceſſis, quod ſi per biennium diſtulerit Reverendiſſimo Generali talia intimare, volumus, quod præfatæ conceſſiones, ſeu abſolutiones in pœna hujuſmodi negligentiæ, ſint irritæ, & inanes quoad pœnas privativas. Volumus ac Ordinamus, ut in civitate, quæ dicitur Regum, Domus in Conventu erigatur ſub titulo Sanctæ Mariæ del Roſario, monemuſque, ac volumus, quod præfatus Provincialis, ſeu Provinciales futuri, quamcitius poterit in prædicta Civitate, & Conventu, ſeu in illo, ubi de conſilio diſcretorum judicaverit expedire, habeat ponere ſtudium, in quo in artibus, & Theologia, cum omni diligentia ſtatuantur lectores, qui gaudebunt immunitatibus, & diſpenſationibus, prout ipſe Provincialis, ſeu Provinciale Capitulum judicaverit expedire. Nolumus tamen, quod pro nunc graduentur ibidem Fratres, vel creentur Magiſtri quouſque Provincia devenerit ad numerum Conventuum, & Fratrum convenientium pro hujuſmodi promotionibus; & per Capitulum Generale fuerit ordinatum. Ex veriſſimis informationibus moti ordinamus, ac ſtatuimus, quod in præfata Provincia nullus recipiatur ad habitum, qui originem traxerit ex genere Judæorum, & quod ſi ex errore aliquis reciperetur, nullo pacto babeat profeſſionem facere, nec poſſit ad eam recipi, quod ſi fuerit receptus ex errore ad prædictam profeſſionem, vel ex alia Provincia ſimiliter ex ignorantia, ſeu errore de tali genere aliquis fuit miſſus ad eam, nullo pacto poſſit ad prælaturas quaſcunque promoveri, niſi forte per Capitulum Provinciale, ſeu Diffinitores, vel Priorem Provincialem viſum fuerit cum aliquo ex ſingulari vita, & meritis diſpenſare. Tenore præſentis aſſignamus, transferimus præſatæ Provinciæ Sancti Johannis Baptiſtæ, ac de corpore ejuſdem Provinciæ facimus, & veluti veros filios ſuos declaramus infraſcriptos Fratres videlicet Reverend. Patrem Fratrem Thomam de S. Martino Magiſtrum, & Priorem Provincialem, Fratrem Johannem de Olias, Fratrem Rodericum de Adrada, Fratrem Dominicum de Truxillo, Fratrem Franciſcum Martinez, Fratrem Auguſtinum de Scuniga, Fratrem Petrum de Ulloa, Fratrem Gaſparem de Caravazal, Fratrem Bartholomæum de Hogeda, Fratrem Blaſium de Caſtello, Fratrem Martinum Deſquivel, Fratrem Paulum de Sancta Maria, Fratrem Didacum Maſſo Sacerdotes, Fratrem Petrum Martyrem Converſum. Abſolvimus omnes, & ſingulos Prelatos a quocunque inſtitutos; Præcipientes omnibus Fratribus in dicta Provincia exiſtentibus, tam præſentibus quam futuris, ſub formali præcepto, ut prædicto Reverendo Patri Fratri Thomæ de Sancto Martino Magiſtro, & ejus loco pro tempore ſucceſſoribus tanquam ſuis veris, & indubitatis Prælatis in omnibus pareant, & obediant. Auctoritate etiam Apoſtolica ordinamus, & volumus omnia ſupradicta ſcripta, ſtatuta, & ſtatuenda, quamvis auctoritate Apoſtolica ordinata fuerint, nihilominus in facultate Reverendiſſimi Generalis, ſeu Capituli Generalis eſſe ea minuere, alterare, & tollere prout judicaverit in progreſſu temporis ædificationi Ordinis in illis partibus expedire. Hæc igitur ſunt, quæ pro omnium veſtrum conſolatione, & ſalute, pro augmento Ordinis, & regulari obſervantia, vitanda, ordinanda, & ſtatuenda cenſemus. Rogantes Deum noſtrum, ut veſtrum quemlibet, & omnes ſimul in interiore homine vere ordinet, reformet, ac ſanctificet; niſi enim ipſe cuſtodierit civitatem, fruſtra vi-

vigilamus fruſtra ordinamus, & declaramus. Operetur ille in vobis velle, & perficere: cuſtodiat corda veſtra, intelligentias veſtras, nt abnndetis magis in opere, ac conſolatione Spiritus Sancti ad ædificationem corporis ſui, quod eſt Eccleſia, donec largiente ipſo occurramus obviam in viros perfectos, ad ſimilitudinem vitæ Chriſti Jeſu. Licet, Fratres mei, ſciamus, vobis oſtium magnum eſſe apertum, & difficultates incredibiles inimicus homo ſubminiſtret, ſitque vobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, & adverſus Principem mundi bujus, & tenebrarum barum; ſcitis tamen opus veſtrum vere Apoſtolicum eſſe, & dignum Petro, & Paulo, Dominieo, aliiſque antiquiſſimis Patriarchis, qui ſi viverent, non dubium eſt, quod perſonaliter vobiſcum eſſent, laborarent, inſudarent, vos dirigerent ut nnnm ovile fiat, & unus Paſtor. Quinimmo credendnm eſt, eos ſic mortuos non minus vobis favere, vos inſpirare, atque ad ea quæ ſalutem tantorum populorum concernunt, dirigere, & inflammare. Sentite igitur in vobis, & tanquam fideles Apoſtolorum adminiſtratores incepta opera ſumma caritate proſequimini, quia plures vobiſcum ſunt, quam cum adverſariis, & plus virtus poteſt quam vitium, plus Deus, quam diabolus. Confortabitur fides incepta in Indiis, laboribuſque veſtris roborabitur, & exaltabitur, Deo noſtro erit laus, honor, & majeſtas, Ordini Prædicatorum amplitudo, & gratia, vobis autem miniſtris Dei noſtri, ac religionis cultoribus, merces, ac præmium infinitum; modo toto corde, animo, ac attentione verba a me ſubjungenda per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quod vos adjnro, obſecro, ac conteſtor, cordibus veſtris hęreant, ſemper die, noctuque præ oculis habeatis. Non inter vos ingrediatur ambitio, non cupido, ſeu litigia gubernandi, ſed vera humilitas, nulla ſui extimatio ſit decor veſter, ſit conſolatio, & babitus. Mihi credite, filii in Chriſto Jeſu, ambitio ea eſt; qua inimicus ſemper contendit, vos perturbare, ac fructum ingentiſſimum impedire. Cupiditatem rerum terrenarum auri, argenti, quibus forte iſta Regio ſatis abundat, tanquam ignem aufugite, ea enim non fugientes aggreditur, incendit, & inflammat, medullaſque ſpiritus conſumit, devotionem, omneſque animi virtutes deſtruit: incautumque ſervum Dei ex Religioſo mercatorem, ex devoto, ac rerum divinarum contemplatore, militem, iniquumque raptorem facit, & demum ex Angelo in diabolum rapit, & transformat, fugite igitur avaritiam, quæ eſt idolorum ſervitus, & nemo ſe ſeducat ſub colore ſubveniendi parentibus, Fratribus, aliiſque in neceſſitate conſtitutis. Diaboli hæ ſunt artes, & venena, clamante Apoſtolo: qui talia agunt, Regnnm Dei non conſequentur. Sepeliant mortui mortuos ſuos: ſervus Dei Domino ſuo inſerviat: orationibus, parentibus, & conſanguineis faveat, quoniam talia ſunt Religioſis adjuncta, & efficaciora ſuper aurum, & topazium. Provinciales tales ambitionem, & avaritiam ſequentes puniant, perſequantur, & deſtruant. Humilibus, & terrena abdicantibus, ſit ſervus, & miniſter, ſicuti, & Nos omnes erimus, quibus omnem favorem, anxilium, & vires noſtras pollicemur, ſemper aderimus, ſemperque ad utilitatem, & bonorem conducentia exequi parati ſumus, largiente Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui eſt benedictus in ſecula Amen. In quorum omnium fidem, & robur præſentes propria manu ſubſcriptas ſigillo officii noſtri muniri mandavimus. Datum Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minervam quarta Januarii Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo. Frater Auguſtinus Recuperatus de Faventia, Aſſumptionis noſtræ anno Primo. Regiſt. fol. 363.
Frater Bernardus de Cruce.

Anno 1540 Die 10 Januarii.

Magiſtrum Generalem variis privilegiis (1) ornat:

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Auguſtino Recuperato (3) Sacrę Theologię profeſſori, & Ordinis Prędicatorum Magiſtro Generali.

LVI.

PAULUS PP. III.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm pro injuncto tibi munere Generalis Magiſterii Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſicut Nobis humiliter exponi feciſti, domos, & loca, ac Fratres ipſius Ordinis viſitare, & labentem ubique Religionem relevare, ac priſtino decori pro viribus reſtituere, Domino favente, ſtatueris, & ad id faciendum, non ſolum ad loca Italię, ſed etiam ultra montes, non ſine incommodo tuo, te transferre intendas, & nt id felicins, ad effectum perducere valeas, benedictione noſtra, muniri humiliter ſupplicaveris, Nos, qui nihil ęque cupimus, quam ut amputatis vitiorum ſentibus, virtutum flores in univerſa Eccleſia, pręſertim in Ordine Prędicatorum, quem ob uberes ejus in vinea Domini fructus, paterna caritate diligimus, colligantur, inſtitutum hoc tuum, & viſitandi ſanctum propoſitum, plnrimum in Domino commendantes, Apoſtolicam tibi, & noſtram benedictionem elargimur, & ut facilius dictam reformationem proſequi, & omnia, quę ad pacem, bonorum morum, & ſtudiorum promotionem conducunt, libere agere, & exequi valeas, utque in rebns agendis, ſcrupulns tibi aliquis, aut obex opponi non poſſit, volumus, quod dum in Generalatus hujuſmodi officio manſeris ſuper Roman., & omnes, & ſingulas alias dicti Ordinis Provincias, tam ultra, quam citra montes, etiam Regnorum Hiſpanię, ac utriuſque Lombardię, necnon Gallicanam, Francię (4), & Raguſinam, ac quaſcunque alias ejuſdem Ordinis Congregationes, necnon ipſarum Provinciarum, & Congregationum Conventus, loca, domos, & bona quęcunque, ac utriuſque ſexus perſonas, Fratres, ſive Sorores, etiam tertii habitus B. Dominici ad dictas Provincias, ſeu Congregationes, ſen aliter quomodocunque ad dictum Prędicatorum Ordinem pertinentes, ſeu quovis modo ejus curę commiſſas, cujnſcunque gradus, & conditionis exiſtant,

Nota.

tam

tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus, pleniſſima, & ea auctoritate, qua Magiſtri Generales dic-
ti Ordinis juxta ejuſdem Ordinis inſtituta, ſeu conſtitutiones, vel ex jure ordinario, ſive ex vi privile-
giorum, aut indultorum Sedis Apoſtolicę in dicto Ordine habent, & habere, vel ſungi poſſunt, in om- Nota.
nibus, & per omnia fungi poſſis. Quodque cum acciderit reformatio ſacienda alicujus, ſive aliquorum
Conventuum dicti Ordinis, etiam nulla precedente alia electione, quam tua, pro prima vice tantum,
cum Conventus reformabuntur, Priorem, ſeu Priores ad id idoneos noſtra auctoritate inſtituere. In
Provinciis vero, quę tuę diſcretioni, non ſatis reformatę videbuntur, cum fuerit Prioris Provincialis
electio facienda, tres, aut quatuor probatę vitę Fratres dicti Ordinis electoribus, ex quibus aliquem pro
ſuę Provincię reformatione, eligant in Provincialem, proponere poſſis, quibus ſi nullum ex his, qui a
te propoſiti fuerint, eligere voluerint, illico caſſata eorum electione virum aliquem probatę ſimiliter
Religionis ex ejuſdem Provincię gremio duntaxat, noſtra ſimiliter auctoritate in legitimum hujuſmodi
Provincię Provincialem abſque alia electione, dare, & inſtituere valeas, ſi vero in dictis reformandis
Conventibus Fratres aliquos forſan inveneris, qui reformationi repugnent, ac recuſent vivere ſecun-
dum regularia dicti Ordinis inſtitnta, eos, ſi incorrigibiles fuerint, habitu dicti Ordinis, juxta conſti-
tutiones ipſius, privare poſſis, exemptos etiam quoſcunque dicti Ordinis Fratres, ſive Sorores, etiam Nota.
per literas Apoſtolicas, ſive ſub Annulo Piſcatoris, aut ſub plumbo, vel per Pęnitentiariam, vel alias
aliqua veſtris regularibus inſtitutis quomodolibet derogantia, ſeu repugnantia continentes, etiamſi in
eis clauſula de ſui ſuperioris licentia petita, & non obtenta, appoſita foret, ad hujuſmodi literas a Sede
Apoſtolica, ſub quacunque verborum forma, etiam motu proprio, emanatas, exhibendum cogere, &,
ſi ipſas literas obreptitias, vel ſubreptitias legitime procedendo, repereris, eas eadem noſtra auctorita-
te revocare, Fratreſque, ſeu Sorores, in quorum favorem literę revocatę hujuſmodi emanaverint, ad
domos eorum redire, & reduci facere, narratis vero in dictis literis noſtris factis, & a te comprobatis
exiſtentibus, eos, vel eas ad portandum habitum a veſtro diſtinctum, ac diverſorum coloris, ceſurę,
longitudinis, & figurę, ſub excommunicationis majoris latę ſententię pęna, quam Nos ex nunc, prout
ex tunc, & e contra, in eos, & eorum ſingulos, tanquam in Apoſtatas ab habitu, ſi contrafecerint, fe-
rimus, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis cogere, electionum etiam qua-
rumcunque in dicto Ordine, dummodo tibi conſtet de voluntate eligentium, omnes, & ſingulos defec-
tus ſupplere, necnon ſuper permanentia Priorum, tam Provincialium, quam Conventualium, & Prio-
riſſarum Monaſteriorum, etiam ultra biennium, vel quadriennium, aliqua rationabili, pręſertim con-
ſervandę, vel augendę vitę regularis cauſa ſubſiſtente, diſpenſare, Sorores dicti Ordinis curę quo-
modocunque commiſſas de Monaſterio, ad Monaſterium religioſe tranſmittere, Conventus vero, & Mo-
naſteria dicti Ordinis, de una Provincia, ſeu Congregatione, ad aliam Provinciam, ſeu Congrega-
tionem juxta morem dicti Ordinis transferre poſſis, & valeas. Ut autem ad novam reformationem, &
divina munera ſuſcipienda Fratres, & Sorores pędicti, paratiores inveniantur, Fratribus omnibus, ac
Sororibus dicti Ordinis, etiam tertii habitus B. Dominici, contritis, & confeſſis, vel propoſitum ſta-
tutis, temporibus confitendi habentibus, quando ipſis, juxta morem dicti Ordinis in viſitatione, gene-
ralem, in forma Eccleſię conſueta abſolutionem feceris, plenariam omnium peccatorum ſuorum indul-
gentiam, & remiſſionem, de benignitate Apoſtolica concedimus, & elargimur. Non obſtantibus Apoſ-
tolicis, ac dicti Ordinis conſtitutionibus, & ordinationibus, omnibuſque, ac ſingulis, gratiis, privi-
legiis, immunitatibus, exemptionibus, & indultis, eorumque confirmationibus; Apoſtolicis quoque
literis, etiam in forma Brevis quibuſcunque, dicti Ordinis Provinciis, ſeu Congregationibus, aut eo-
rum Conventibus, domibus, pręſertim Provinciis utriuſque Lombardię, & Romanę dicti Ordinis,
etiam per Nos forſan ſub quibuſvis verborum clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus,
ac inſolitis, conceſſis, & concedendis, ac in eiſdem deputatis, ac deputandis conſervatoribus, etiamſi
de illis, eorumque totis tenoribus, non autem per clauſulas generales, etiam ſpecialem mentionem im-
portantes, ſed expreſſa, ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, ſeu quęvis alia mentio haben-
da eſſet, quibus, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum harum duntaxat ſpecialiter, & ex-
preſſe derogamus, & nemini, contra pręmiſſa ſuffragari volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque.
Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X Januarii MDXL, Pontificatus noſtri Anno
Sexto.

Bloſius.

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Auguſtino Recuperato.*) De quo ſæpius dictum fuit.
4. *Gallicanam, Franciæ.*) Duæ ſiquidem Congregationes erant *Gallicana*, & *Franciæ*, ut alibi notatum fuit.

Ne

Anno 1540 Die 5 Martii.

Ne quis oriundus ex judæis inter alumnos Abulenſis (1) Cœnobii poſſit aſcribi (2).

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

Dilectis filiis Priori, & Conventui domus, ſeu Monaſterii S. Thomę prope, & extra muros Abulen. Ordinis Prędicatorum.

LVII.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſtis, quod alias felicis recordationis Alexandro Papę VI Prędeceſſori noſtro expoſito, quod bonę memorię Thomas de Turrecremata (4) tunc Prior domus S. Crucis Segovienſis Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac in Regnis Hiſpaniarum hęreticę pravitatis Generalis Inquiſitor, eodem officio durante inſigne Monaſterium ejuſdem Ordinis ſub invocatione S. Thomę de Aquino in Civitate Abulenſi Provincię Hiſpanię a primis fundamentis ędificaverat, & erexerat, quodque ex quo ejus perſona neophitis Chriſtianis de judęorum genere deſcendentibus, prętextu dicti officii Inquiſitionis plurimum exoſa erat, veriſimiliter timebat, ne ſi forte homines illius generis in dicto Monaſterio admitterentur, proceſſu temporis ex ſpeciali ipſius Inquiſitionis odio, in perniciem, & deſtructionem ipſius Monaſterii aliquid molirentur, idem Alexander Prędeceſſor, ejuſdem Thomę Inquiſitoris in ea parte ſupplicationibus inclinatus, nullum unquam neophitum ex hujuſmodi judęorum genere mediate, vel immediate, in Religioſum ejuſdem Monaſterii S. Thomę recipiendum, ſeu admittendum fore perpetuis futuris temporibus ex certa ejus ſcientia decrevit, atque mandavit, necnon tunc, ac pro tempore exiſtenti Priori, & Conventui, ac ſingularibus perſonis ejuſdem Monaſterii in virtute ſanctę obedientię, ac ſub excommunicationis pęna, quam contravenientes ipſo facto incurrerent, ne contra decretum, ſeu ſtatutum hujuſmodi aliquem de prędicto genere ad habitum, ſeu profeſſionem dicti Ordinis in eodem Monaſterio ſcienter admitterent, inhibuit, prout in ejuſdem Prędeceſſoris, deſuper confectis, in forma Brevis literis (5) plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, nonnulli ejuſdem Ordinis Fratres profeſſi, qui ex eodem genere judęorum deſcendunt, falſo prętendentes, prędictum Alexandrum Predeceſſorem non aſſignationem, & deputationem ad commorandum in eodem Monaſterio, ſed ſolum ad habitum, receptionem, & profeſſionem eis prohibuiſſe, Dei timore poſtpoſito, ac conſcientiarum ſuarum immemores, ſe de genere judęorum hujuſmodi deſcendere negantes, ſeu diſſimulantes, ſe ad commorandum in prędicto, deputari, & aſſignari fraudulenter contra ejuſdem Predeceſſoris mentem fecerint, & in dies procurent, in animarum ſuarum periculum, ac religioſorum dicti Monaſterii turbationem, ac ſcandalum plurimorum. Cumque hujuſmodi ex genere judęorum deſcendentium malitia in dies, magis, ac magis excreſcat, ac ex quo in dicto Monaſterio ſecundum Ordinis Prędicatorum ſtatuta ſtudium Generale inſtitutum exiſtit, plures ſint ibidem Religioſi aſſignati, qui in ipſo Monaſterio profeſſi, niſi ab eorum verſutia caveatur, verendum erit, ne temporis ſucceſſu prefati de judęorum genere deſcendentes, deſtructionem prefati Monaſterii, quod dictus teſtator, ut pręfertur, timuit, moliantur, ſupplicari feciſtis Nobis humiliter, ut prędictas Alexandri Prędeceſſoris literas, approbare, & confirmare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui decedentium voluntatum, quantum cum Deo poſſumus, obſervationem deſideramus, & procuramus, quique pacem, & tranquillitatem Religioſorum omnium, pręſertim ſacris literis inſiſtentium, ac ſub regularis obſervantię diſciplina degentium, ſinceris in Domino affectibus deſideramus, literarum Alexandri Prędeceſſoris hujuſmodi veriores tenores pręſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ipſas literas Alexandri Prędeceſſoris, & in eis contenta, & inde ſecuta quęcunque Apoſtolica auctoritate per pręſentes approbamus, & confirmamus, ac perpetuę firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari, nullumque ejuſdem Ordinis Fratrem, cujuſcunque gradus, vel conditionis exiſtat de genere judęorum deſcendentem, prętextu receptionis ad habitum, aut profeſſionis in dicto Monaſterio, ſeu deputationis, vel aſſignationis ad illud, aut alia quacunque cauſa, ſeu occaſione, vel quovis alio quęſito colore in eodem Monaſterio S. Thomę, niſi gratia hoſpitii, & hoc citra menſem, habitare poſſe duntaxat, neque debere decernimus, & , quatenus opus ſit, denuo perpetuo ſtatuimus, & ordinamus. Et nihilominus ſuperioribus veſtris nunc, & pro tempore exiſtentibus, ac vobis, & pro tempore Priori, & Conventui dicti Monaſterii, ne quenquam ex deſcendentibus ex genere judęorum ad habitum, ſeu profeſſionem, aſſignationem, aut deputationem, aut alias contra pręmiſſa in dicto Monaſterio quomodolibet recipere ſcienter pręſumatis, aut pręſumant, in virtute ſanctę obedientię, ac ſub excommunicationis pęna per quoſcunque cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, directe, vel indirecte contrafacientes ipſo facto incurrenda, diſtrictius inhibemus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & Ordinis Prędicatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, ac literis Apoſtolicis per quoſcunque Romanos Pontifices Predeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem prędictam, & per viam generalis legis, & ſtatuti perpetui, ac initi, & ſtipulati contractus, necnon Imperiali, Regia, Pontificali, aut alia quavis inſtantia, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, & cum quibuſvis irritativis, caſſativis, annullativis, revocativis, pręſervativis, exceptivis, reſtrictivis, declarativis mentis, atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, effi-

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque decretis, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi major expreſſio habenda foret, & pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, aut quęvis alia expreſſio, habenda foret, aut exquiſita forma ſervanda eſſet, & eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſſit, illorum omnium tenores, cauſas, & effectus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modos, & formas ad id ſervandos pro individuo ſervatis habentes, hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie, ad effectum pręſentium, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die V Martii MDXL, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Abulenſis.*) In *Hiſpania.*
2. *Aſcribi.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Abulenſi.*
4. *Thomas de Turrecremata.*) Germanus Frater Cardinalis ejuſdem cognominis.
5. *Literis.*) Conſtitutione ſcilicet *LV.* Legitur *pag.* 225 hujuſce *IV Tomi.*

SS. Roſarii Confraternitatem in Cœnobio (1) S. Dominici de Victoria conſtitutam firmat, & inhibet (2) ne transferatur ad Eccleſiam Collegiatam.

Anno 1540 Die 18 Martii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

LVIII.

PAULUS PP. III.

Venerabilis Frater (4), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Prior, & Conventus S. Dominici de Victoria Ordinis Fratrum Prędicatorum Calagurritanę Diœceſis, quod licet olim Confraternitas de Roſario nuncupata, in Capella B. Marię etiam de Roſario nuncupata, conſtructa in Eccleſia domus hujuſmodi canonice inſtituta, & per Sedem Apoſtolicam confirmata, ac gratiarum muneribus decorata fuerit, nihilominus nonnulli ex Confratribus Confraternitatis hujuſmodi forſan ſub prętextu, quod ſuperioribus diebus Confraternitas, & Imago ejuſdem B. Marię de Roſario a dicta Capella ad Capellam majorem ejuſdem Eccleſię pro majori cultus divini augmento, ac Confraternitatis, & Confratrum hujuſmodi, ac aliorum devotione, & ſpirituali conſolatione, vigore quarundam noſtrarum in forma Brevis literarum (5) translatę fuerunt, ſe a dicta Confraternitate abſtrahere, ipſamque Confraternitatem ad Eccleſiam Collegiatam dicti Oppidi transferre, & ſe in dicta Eccleſia Collegiata ſub nomine Confraternitatis de Roſario aggregare, ac reliquos Confratres, qui ſub Confraternitate antiqua in Eccleſia domus hujuſmodi remanſerunt, a devotione Eccleſię domus, & antiquę Confraternitatis hujuſmodi avertere conati ſunt, & conantur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, major pars Confratrum in antiqua Confraternitate Eccleſię domus hujuſmodi perſeveret, & propterea dubitetur, ne propter ſchiſma, ſeu averſionem paucorum, qui forſan propter odium, & alios particulares reſpectus antiquam Confraternitatem hujuſmodi ſubvertere moliuntur, ſcandala, & alia damna, & incommoda in dicto Oppido ſequantur, pro parte dicti Prioris, & Conventus prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut antiquam Confraternitatem ad Capellam majorem Eccleſię domus hujuſmodi, ut pręfertur, translatam, cum omnibus, & ſingulis illi, ac illius Confratribus conceſſis gratiis, & privilegiis approbare, & confirmare, ac perpetuę firmitatis robur obtinere, necnon minorem partem Confratrum, qui ſe ſubtraxerunt, cum majori parte eorundem Confratrum, qui remanſerunt, ſe conformare, & congregare debere, nec alibi pro Confraternitate inſtituenda, ſeu facienda, quam in Eccleſia domus, ac cum majori parte Confratrum hujuſmodi ſe congregare poſſe, aut debere, ſicque per quoſcunque judices tam ordinaria, quam delegata, & mixta auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi poteſtate, judicari, interpretari, & decidi debere, irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernere, declarare, ac eiſdem Confratribus, & eorum cuilibet in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis, ac quingentorum ducatorum auri, Camerę Apoſtolicę applicandorum, pęnis ipſo facto incurrendis, ne aliter, quam ut pręmittitur, & ut moris erat, ſe congregare pręſumant, inhibere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus in pręmiſſis omnibus facias, prout ſibi videris faciendum. Nos enim tibi, quos opus fuerit, citandi, ac eis inhibendi, necnon contradictores, & rebelles per prędictas, & alias ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia appellatione poſtpoſita compeſcendi, necnon eos cenſuras, & pęnas hujuſmodi incurriſſe declarandi, ac pęnas ipſas exigendi, & tam illas, quam cenſuras prędictas aggravandi, reaggravandi, interdicendi, & interdictum ſuſpendendi, ac in totum tollendi, necnon auxilium brachii ſecularis invocandi, plenam, & liberam tenore pręſentium concedimus facultatem. (Mandatum.) Non obſtantibus pręmiſſis, & conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum,

non

non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quevis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, illorumque cauſas, & effectus pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Martii MDXL, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. de Paze.

1. *Cœnobio.*) Juris eſt Provinciæ *Hiſpaniæ*.
2. *Inhibet.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 303 ex autographo aſſervato in Cœnobio *de Victoria*.
4. *Venerabilis Frater.*) Inſcriptio deeſt.
5. *Literarum.*) Conſtitut. XXV

Anno 1540 Die 10 Aprilis.

Firmat ea quæ pro Peruana (1) Provincia ſancita (2) ſunt.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Dilecto filio Thomę (4) de Sancto Martino Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię Sancti Johannis Baptiſtę nuncupatę ſecundum morem ejuſdem Ordinis.

LIX.

PAULUS PP. III.

Ad Futuram Rei Memoriam. Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXponi Nobis nuper feciſti, quod alias, poſtquam cariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus (5) Romanorum Imperator ſemper Auguſtus Imperium ſuum in partibus Indiarum, concedente Domino, ampliando, Provinciam del Peru nuncupatam aliis Provinciis per eum antea in eiſdem partibus acquiſitis addiderat, dilectus filius Auguſtinus (6) Recuperatus de Faventia, Fratrum Ordinis Prędicatorum Generalis Magiſter dictam Provinciam del Peru pro Fratribus ſui Ordinis hujuſmodi a Provinciis (7) Sanctę Crucis, & Sancti Jacobi partium Indiarum prędictarum habens ſuper hoc per literas Apoſtolicas ſufficientem facultatem pro domibus ejuſdem Ordinis in illa conſtruendis, diſtinxit, illique nomen Sancti Johannis Baptiſtę impoſuit, ac a portu Nominis Dei ad Panamam (8) per litus maris uſque ad Portum de Guatimala (9) incluſive inſequendo, ita tamen quod Provincia de Nicaragua (10) ſit ejuſdem Provincię Sancti Johannis, cum Provincia del Peru (11) nuncupata, uſque ad flumen Argenteum (12) a mari, quod dicitur del Norte (13), uſque ad mare, quod del Sur (14) nuncupatur, cum ſuis Inſulis, & Terra firma repertis, ſeu reperiendis, ac a Portu de Acla (15) uſque ad dictum flumen Argenteum excluſive ejuſdem Provincię Sanctę Crucis intelligatur, terminos appoſuit, teque in Priorem Provincialem ejuſdem Provincię del Peru cum auctoritate aliis Prioribus Provincialibus dicti Ordinis dari ſolita conſtituit, tibique, quod perſonas, & loca dicti Ordinis, in dicta Provincia, tam in capite, quam in membris, in ſpiritualibus, & temporalibus regere, & gubernare, ac nova loca conſtruere, & ędificare, ac conſtructa confirmare, novoſque Priores in illis inſtituere, illoſque, ac Fratres dicti Ordinis a cenſuris eccleſiaſticis, ſive aliis pęnis, prout idem Magiſter Generalis poteſt, abſolvere, ac omnia, & ſingula alia per Priores Provinciales ejuſdem Ordinis fieri, & exequi ſolita, facere, & exercere valeas, indulſit, officiumque Provincialatus hujuſmodi per octo annos (16) a die habitę per literas ejuſdem Magiſtri Generalis ſuper indulto hujuſmodi editas notitię inchoandos, durare debere decrevit, ac tibi, ſi te antequam literę ipſę tibi pręſentarentur, ſeu ad tui notitiam deducerentur, vel ſi dictis octo annis durantibus te vitam cum morte commutare, vel ab Officio hujuſmodi amoveri contingeret, dilectum filium Johannem Olias dicti Ordinis profeſſorem octo annis prędictis durantibus in caſibus pręfatis duntaxat ſurrogavit, teque, vel dicto Johanne Olias, ut pręfertur, decedente, vel amoto, electionem Provincialis hujuſmodi ad Patres, & ſocios, ſeu Vicarios domorum dictę Provincię ſecundum tenorem Conſtitutionum dicti Ordinis pertinere voluit, & quatenus domus, & loca ejuſdem Ordinis duodenarium numerum Fratrum Ordinis prędicti non haberent, & numerum quatuor Fratrum hujuſmodi duntaxat continerent, illorum voces pro electione hujuſmodi Prioris Provincialis juxta earundem Conſtitutionum formam ſufficere, & ſic electum reliqua omnia, & ſingula, quę alii Priores ejuſdem Ordinis facere conſueverunt, tam circa negotia dicti Ordinis, ut Generalis, vel Provincialis Capituli ejuſdem pertractanda, quam etiam circa alia, gerere, electioneſque canonice, & ſecundum earundem Conſtitntionum formam factas pro confirmatis habere, & ſic electos ſuum officium cum omni jure, & plena anctoritate aliis Provincialibus dicti Ordinis ſic electis, & confirmatis, conceſſis, uti, & potiri poſſe, proviſo tamen, quod electores hujuſmodi ſcrutinium, ac decretum electionis prędictę, quamprimum factum foret, cum qualitate perſonę ſic per eos electę, ad pręfatum Generalem Magiſtrum, ut inde geſtorum notitiam habere, illaque confirmare, ſeu irritare valeat, tranſmittere tenerentur, Prioreſque Provinciales, & Conventuales ſic electi, juxta morem Provincię Hiſpanię, ſcilicet Provinciales per quatuor, Conventuales vero per tres annos in hujuſmodi Officio permanere, & ſua Officia exercere valerent, etiam inter alia decrevit, ac tibi, & tuis in dicto Officio ſucceſſoribus cum illegitime natis ad Pręlaturas, & alia Officia, necnon cum Fratribus ad pęnam gravioris culpę condemnatis diſpenſare prout idem Magiſter Generalis, vel Generale Capitulum conſueverunt, poſſitis, conceſſit; Ita tamen, quod tu proceſſus diſpenſationis gravioris culpę hujuſmodi, ac omnia acta deſuper habita, necnon rationes, & cauſas, animum tuum, ad ſic faciendum moventes,

prę-

prefato Generali Magiſtro, ſaltem in Capitulo Generali proxime ſubſequente intimare obligatus eſſes, & quod alias hujuſmodi diſpenſationes quoad penas privativas nullius eſſent prorſus roboris, vel momenti. Quodque in Civitate Regum (17), nuncupata domus ſub titulo, & invocatione Beatę Marię del Roſario erigeretur, & ſtudium in artibus, & Theologia in eiſdem Civitate, & domo, ſeu alio loco de conſilio diſcretorum dicti Ordinis per eundem Provincialem inſtitueretur, & lectores in eodem ſtudio actu legentes, omnibus, & ſingulis immunitatibus, ac diſpenſationibus per te, & ſucceſſores tuos predictos declarandis, potirentur, & gauderent, & nullus ex Fratribus pro tunc ibidem ad Magiſtratus officium promoveatur, donec in dicta Provincia numerus Fratrum, & locorum per Capitulum Generale ordinandus completus exiſteret, nec aliquis ex genere judęorum (18) originem quoquomodo trahens, ad dictum Ordinem de cetero reciperetur, & ex errore, vel ignorantia forſan receptus, ad profeſſionem inibi emittendam nullatenus admitteretur, & alias forſan profeſſus ad Prelaturas aliquas non aſſumeretur niſi cum eo ex vita exemplari, & ſuis forſan exigentibus meritis per Capitulum Generale, vel Provinciale ſecum deſuper diſpenſatum fuerit, promoveri poſſit, auctoritate Apoſtolica, per eaſdem literas deſuper ſibi conceſſa, etiam inter alia ſtatuit, decrevit, & inhibuit, prout in literis patentibus ipſius Generalis Magiſtri deſuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut premiſſis pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur noſtrę confirmationis adiicere, aliaſque deſuper opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, literarum earundem veriores tenores preſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, premiſſa omnia, & ſingula, ac, quatenus licita, & honeſta ſint, alia in prefatis literis quomodolibet contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium, approbamus, & confirmamus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, illaque perpetuę firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari, & ſic per quoſcunque, tam ordinaria, quam delegata, & mixta auctoritate fungentes judices, & perſonas ubique judicari, cognoſci, atque decidi debere, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, cognoſcendi, & decidendi facultate, necnon irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Predeceſſoris noſtri, etiam de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate preſentium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Eccleſiarum, & locorum quorumcunque ſtatutis, & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, ac literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, per quoſcunque Romanos Pontifices, Predeceſſores noſtros, & Nos, ac Sedem Apoſtolicam, cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis deſuper quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus, illorum omnium tenores preſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modos, & formas ad id ſervandas pro individuo ſervatis, habentes, hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X Aprilis MDXL, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Mandatum.

1. *Peruana.*) In ejuſdem nominis Regno *America*.
2. *Sancita.*) Vide Notas ad Conſtitutionem *LV*.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar.
4. *Thoma.*) Viro celeberrimo, de quo legendus Echard *Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDLIV pag.* 153. De ipſo poſtea dicetur.
5. *Carolus.*) Quintus.
6. *Auguſtinus.*) De quo ſepius dictum fuit.
7. *Provinciis.*) De quibus in Conſtitutione *LV*.
8. *Panamam.*) Ubi ſcilicet America Meridionalis jungitur ſeptentrionali, notandum ſiquidem, quod portus *Nominis Dei*, vulgo *Nombre de Dios*, eſt in ora maris Borealis, *Panama* vero eſt in ora maris Auſtrini, uterque in Provincia *Terra Firma* nuncupata, ad *Iſthmum*, cui a *Panama* nomen eſt.
9. *Portum de Guatimala.*) Vulgo *Sant Iago de Guatimala*, in ejuſdem nominis Provincia, in America ſeptentrionali. Nota quod *Fanum S. Jacobi de Guatimala* eſt quidem juxta fluvium *Mitataiam*, & hinc fortaſſis dicitur *Portus*, diſtat tamen ab ora maris Auſtrini *XV* circiter leucis *Hiſpanicis*.
10. *Provincia de Nicaragua.*) Aliis *Novum Regnum Legionenſe*. Eſt in America Septentrionali, inter mare Boreale ad ortum, mare Auſtrinum ad occaſum, *Honduram* Provinciam ad Boream, & *Oram divitem* ad Meridiem.
11. *Cum Provincia del Peru.*) Regno nempe *Peruano*, in *America Meridionali*.
12. *Flumen Argenteum.*) Vulgo *Rio de la Plata*, ſeſe exonerat in mare *Braſilicum*.
13. *Del Norte.*) Mare ſcilicet Boreale, cujus partes ſunt *Sinus Mexicanus*, *Mare nova Francia*, *Mare Braſilicum*, & de iſto, *Braſilico* nempe, hic ſermo eſt.
14. *Del Sur.*) Mare videlicet *Auſtrinum*, ſeu *Pacificum*. Et ex dictis liquet, quod *S. Johannis Baptiſta* Provinciæ tunc juris erant omnes Conventus exiſtentes in regionibus, quas aluunt mare *Auſtrinum proprie dictum*, mare *Peruvianum*, mare *Chilenſe*, & mare *Magellanicum*, a *Guatimala* uſque ad *Boni aeris* Civitatem, vulgo *Buenos Ayres*.
15. *De Acla.*) Sic etiam legitur apud *Fontanam de Provincia S. Crucis Indiarum pag.* 205. Ad ſinum *Mexicanum* ſitus videtur portus iſte.
16. *Octo annos.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV*.
17. *Civitate Regum.*) *Limana* ſcilicet, in Regno *Peruano*.
18. *Judeorum.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II*.

Anno 1540 Die 10 Aprilis.

Ne Fratres, & Moniales peccata (1) deponant apud extraneos qui huic muneri non ſunt deſtinati a Generali Magiſtro.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Pręd icatorum Provincię Hiſpanię ſecundum morem ejuſdem Ordinis.

LX.

PAULUS PP. III.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſtis, quod licet in ſingulis Monaſteriis, ſive domibus, tam virorum, quam mulierum veſtri Ordinis Prędicatorum juxta illius privilegia, ſtatuta, & ordinationes, nonnulli
Diplomatis cauſa. Religioſi idonei, & qualificati, ac in ſufficienti numero, pro Confeſſionibus Fratrum, ſeu Monialium Monaſteriorum eorundem audiendis, deputentur, & in eiſdem privilegiis, Conſtitutionibus, ordinationibus, & conſuetudinibus cantum ſit, quod nullus Religioſus, aut Monialis dicti Ordinis, alteri, quam ejus Prędato, vel deputatis Confeſſoribus hujuſmodi, confiteri audeat; tamen nonnulli Fratres, & Moniales ejuſdem Ordinis, ſpretis dictis Conſtitutionibus, non bono zelo, ut experientia docuit, & docet,
Nota. neglectis eorum Prelatis, & Confeſſoribus deputatis prędictis, conceſſionum a Pęnitentiaria noſtra, & alias a Sede Apoſtolica emanatarum prętextu, alios prędicti, vel alterius Ordinis regulares, & aliquando ſeculares Presbyteros minus idoneos, & inter lepram, & lepram diſcernere neſcientes, pro eorum arbitrio, in Confeſſores eligunt, in Religionis perturbationem, ac ſcandalum plurimorum. Quare ſupplicari feciſtis Nobis humiliter, ut ſuper his providere, paterna diligentia curaremus. Nos, qui ejuſdem Ordinis, ac in eo regularis obſervantię vitę frugalitatis, & ſanctimonię augmentum, & proſperum ſucceſſum, ſinceris in Domino affectibus deſideramus, hujuſmodi ſcandalis, ac malorum fomentis obviare volentes, ac veſtigiis felicis recordationis Julii PP. II, Predeceſſoris noſtri, qui per ſuas in forma Brevis literas, perſonas ejuſdem Ordinis Confeſſionalibus, & literis prędictis, nonniſi de licentia Gene-
Inhibitio. ralis Magiſtri dicti Ordinis, & ea durante, gaudere poſſe voluit, inhęrentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod de cetero privilegia, conceſſiones, indulta, conſtitutiones, ordinationes, & conſuetudines ordinis veſtri hujuſmodi, de confeſſionibus Fratrum, & Monialium audiendis diſponentes, & diſponentia prędictis, ac quibuſvis aliis conceſſionibus, aut Literis Apoſtolicis, facultatem eligendi Confeſſores conferentibus, non obſtantibus, juxta eorundem privilegiorum, Conſtitutionum, Ordinationum, & conſuetudinum continentiam, atque formam, ab omnibus, tam Religioſis, quam Monialibus dicti Ordinis obſervari debeant, dictęque conceſſiones eiſdem Fratribus, & Monialibus, niſi de licentia eorum Superioris, & ea durante nullatenus ſuffragentur, ſtatuimus, & ordinamus; Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis privilegiis quoque, & indultis, ac Bullis Confeſſionalibus dictę Pęnitentiarię, & aliis literis Apoſtolicis, etiam pluries, & ſub quibuſvis verborum formis, & ad quorumvis cujuſcunque qualitatis, pręeminentię, & excellentię exiſtentium, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, fortiſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, conceſſis, confirmatis, & innovatis, & in poſterum concedendis, & innovandis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Et quia difficile foret, pręſentes literas ad ſingula quęque loca deferre, volumus, & eadem Auctoritate decernimus, quod earum tranſumptis, manu alicujus veſtrum ſubſcriptis, & ſigillo Ordinis, ſeu Provincię munitis, eadem prorſus in dicto Ordine fides adhibeatur, quę adhiberetur eiſdem originalibus, ſi exhibitę forent, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X Aprilis MDXL, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Peccata.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 103 ex autographo *Salmanticenſ.*

Anno 1540 Die 16 Aprilis.

De B. Marię Virginis imagine cuſtodię Monialium Bononien. Monaſterii S. Lucę prorſus commiſſa (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Venerabili Fratri Bonifatio (3), Epiſcopo Portuen., Cardinali Ipporegien. nuncupato (4), in Civitate noſtra Bononien. noſtro, & Apoſtolicę Sedis Legato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LXI.

PAULUS PP. III.

Venerabilis Frater noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nobis nuper fecerunt dilectę in Chriſto filię moderna Prioriſſa, & Conventus Monaſterii Monialium S. Lucę in montibus extra muros Bononien. S. Auguſtini forſan ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, vel alterius Ordinis, quod dudum pro parte tunc Prioriſſę Monaſterii, & Conventus hujuſmodi bonę memorię Orlando Archiepiſcopo Avinion. pro felicis recordationis Leone PP. X, Prę-

Prędeceſſore noſtro, tunc in minoribus conſtituto, & S. Marię in Dominica Diacono Cardinali de Medicis nuncupato, in Civitate noſtra, tunc ſua, Bononien. Legato, in eadem Civitate Vicelegato cum poteſtate Legati de Latere inter alia expoſito, quod licet jam longiſſimo, & antiquiſſimo, ac tanto tempore quod ejus initii hominum memoria non habebatur, quędam Imago, & figura glorioſę Dei Genitricis Virginis Marię, quę a S. Luca Evangeliſta depicta fuiſſe pie credebatur, in eorum Monaſterio, & Eccleſia nutu divino, & miraculoſe apparuiſſet ſeu condelata, & inibi repoſita fuiſſet, & quotannis tempore Rogationum per eandem civitatem ſumma cum reverentia, & devotione proceſſionaliter deferretur, & deferri, ac completo tempore ipſarum Rogationum, ad Eccleſiam Monaſterii hujuſmodi referri, inibique tanquam res ſacra, & venerabilis Reliquia ſub cura & cuſtodia Prioriſſę, & Conventus pręfatarum, conſervari conſuevіſſet, prout etiam tunc conſervabatur, tamen nonnulli pro Rectore, & Priore, ac Maſſario, Officialibus, & Confratribus confraternitatis, ſocietatis nuncupatę, Hoſpitalis Beatę Marię de Morte Bononien., ſe gerentes, diffamantes eaſdem Prioriſſam, & Conventum de nimia facilitate oſtendendi Imaginem prędictam, prętextu quarundam literarum, eis per bonę memorię Franciſcum tunc Cardinalem Papien. nuncupatum, & in eadem Civitate pręfatę Sedis Legatum ſuper hoc conceſſarum, curam, & cuſtodiam dictę Imaginis ſibi ipſis appropriare, & claves, vel ſaltem unam ex clavibus tabernaculi, in quo ipſa Imago recondebatur, penes ſe retinere, ac alias eaſdem Prioriſſam, & Conventum ſuper cuſtodia Imaginis hujuſmodi, itaut ſine ipſis haberi, videri, & inſpici non poſſet, diverſimode turbare, & impedire nitebantur; & in eadem expoſitione ſubjuncto, quod non conveniebat dictos Rectorem, Priorem, Maſſarium, Officiales, & Confratres, qui ſeculares erant ſub prętextu curę, & retentionis clavium prędictarum ſe cum eiſdem Prioriſſa, & Conventu, quę ſub ſuavi vitę Regularis jugo Altiſſimo famulabantur, in eorum locis, rebus, & juribus intromittere, idem Orlandus Archiepiſcopus, & Vicelegatus, earundem Prioriſſę, & Conventus ſupplicationibus inclinatus, literas eiſdem Confraternitati per pręfatum Franciſcum Cardinalem, & Legatum conceſſas prędictas tanquam ſubreptitie, & obreptie obtentas, Apoſtolica auctoritate, qua tunc, ut aſſerebat, fungebatur, dummodo omnes claves tabernaculi hujuſmodi penes eaſdem Prioriſſam, & conventum tunc eſſe reperirentur, revocavit. Et nihilominus ſine prejudicio jurium earundem Prioriſſę, & conventus ſtatuit, & decrevit, quod Prioriſſa, & conventus prędictę ſicut in pręterito conſueverant, ita etiam perpetuis futuris temporibus ipſam Imaginem, & figuram retinerent, cuſtodirent, & gubernarent. abſque eo quod pręfati Rector, Prior, Maſſarius, officiales & confratres Confraternitatis hujuſmodi pro tempore exiſtentes, aut alii cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtentes prętextu dictarum literarum, vel contentorum in eis, ſeu alia quavis ratione, vel cauſa ſuper retentione, & cuſtodia Imaginis, & clavium tabernaculi hujuſmodi ſe aliqualiter intromittere, aut eas ſuper pręmiſſis diffamare, inquietare, moleſtare, aut perturbare poſſent, inhibens, etiam ſub excommunicationis ſententia, ac aliis cenſuris, & pęnis diſtricte pręcipiendo mandans prędictis Rectori, Priori, Maſſario, officialibus, & hominibus Confraternitatis hujuſmodi, ac aliis quibuſcunque, ne dictas claves, aut aliquam earum petere, vel habere, ſeu eaſdem Prioriſſam, & conventum ſuper pręmiſſis quomodocunque moleſtare, perturbare, aut quomodolibet inquietarę pręſumerent, decreto irritante deſuper appoſito, ut in ipſius Orlandi Archiepiſcopi, & Vicelegati deſuper confectis Literis, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, licet literę prędictę in viridi obſervantia exiſtant, nihilominus Prior, & Confratres hujuſmodi, qui tempore Rogationum prędictarum, ac aliarum Proceſſionum, quę in dicta civitate pro tempore fiunt, Imaginem prędictam ad civitatem Bononien. deferre, & per tres dies Rogationum hujuſmodi in eorum Eccleſia retinere conſueverunt, a certo tempore citra Imaginem prędictam noctibus dierum Rogationum hujuſmodi ad alia Monaſteria Monialium, & alio quo maluerunt abſque ſcientia, & contra voluntatem Prioriſſę, & conventus prędictarum deferre, ac inibi comeſſationes, & diverſa alia ſcandalum in populo generantia, facere pręſumant, & eandem Imaginem Monialibus Monaſterii S. Mathię Bononien. dicti Ordinis in Eccleſia earum Monaſterii juxta ſolitum conſignare, & eam eis per tempus conſuetum dimittere recuſent, & eam eiſdem Monialibus ſolum in eorum pręſentia videndam, & adorandam exhibeant, ex quo fit, ut Moniales ipſę, ne eorundem confratrum aſpectui ſe ſubiiciant, eandem Imaginem videre nequeant: Et ulterius cum ad Eccleſiam Monaſterii S. Lucę hujuſmodi, ut eandem Imaginem aſportent, accedunt, non exinde ſtatim juxta ſolitum recedant, ſed inibi odioſas moras trahant, & alias Confraternitates eccleſiaſticas, quę illuc pro aſſocienda Imagine prędicta confluunt, ad ſocietatem hujuſmodi admittere recuſent, & diverſa alia liberam adminiſtrationem, & gubernium Imaginis hujuſmodi ad ſe trahentia, facere velle nitantur, in Prioriſſę, & conventus prędictarum vilipendium, & earum honoris diminutionem, ac ſcandalum plurimorum; pro parte Prioriſſę modernę, & conventus prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut revocationem, ſtatutum, decreta, inhibitionem, pręceptum, & mandatum Orlandi Archiepiſcopi, & Vicelegati, hujuſmodi, ac, prout illa concernunt, omnia & ſingula in illius literis prędictis contenta, licita tamen, & honeſta, ac ſacris canonibus non contraria, & inde ſequuta quęcunque approbare, & confirmare, ac ſuos effectus ſortiri, & ab omnibus inviolabiliter obſervari debere decernere, necnon omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplere, & nihilominus pręmiſſa omnia, & ſingula per ipſum Orlandum Archiepiſcopum, & Vicelegatum revocata, ſtatuta, decreta, inhibita, pręcepta, & mandata, modo, & forma, quibus per eum facta fuerunt, de novo revocare, ſtatuere, decernere, inhibere, pręcipere, & mandare: Ac quod de cetero Rector, & confratres prędicti, quoties Imaginem prędictam habere voluerint, per duos dies ante cautionem idoneam ſub pęna ducentorum ducatorum, quoties contravenerint, incurrenda, de Imagine prędicta in illius delatione ad dictam civitatem in Eccleſia pręfati Monaſterii S. Mathię collocanda, & inibi more ſolito dimittenda, ac toto tempore, quo in Eccleſia loci, vel oratorio eorundem confratrum retinenda erit, ad alia loca etiam religioſa, aut alio, pręterquam ad Proceſſiones ſolitas, & a dilectis filiis Quadraginta Viris regimini ipſius Civitatis pręſidentibus ordinatas, abſque conſenſu ipſarum Prioriſſę, & conventus, die, vel nocte non aſportanda, ac in reportatione ejuſdem Imaginis ad Eccleſiam Monaſterii S. Lucę, in prędicta Ec-

Eccleſia S. Mathię ſpatio conſueto in poſſe illius monialium etiam dimittenda, aliiſque confratribus eandem Imaginem aſſociare volentibus, tam eundo, quam redeundo, ad aſſociationem hujuſmodi admittendis, & eis ſecum etiam in Eccleſia Monaſterii S. Lucę hujuſmodi ſtare permittendis, & aliis licitis, & honeſtis per ipſam Prioriſſam, & conventum pro veneratione ipſius Imaginis, & conſervatione earum honoris, & Religionis tunc ſpecificandis, faciendis & exequendis, prętare teneantur, nec abſque cautione hujuſmodi de cetero illam habere debeant, perpetuo ſtatuere, & ordinare, necnon eiſdem Prioriſſę, & Conventui, ſi Confratres infraſcripti in pręmiſſis defecerint, aliam Confraternitatem quę Imaginem prędictam, quoties opus fuerit, deferat, eligere & nominare poſſint, facultatem concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati: circumſpectioni tuę per pręſentes committimus, quatenus in pręmiſſis facias, & confirmes, prout tibi videbitur expedire. Non obſtantibus pręmiſſis, & conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Confraternitatis Hoſpitalis de morte hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, & efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam per Nos, & Sedem Apoſtolicam quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quevis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenore hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, pręſentibus pro expreſſis habentes, illis aliis in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpacialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVI Aprilis MDXXXX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Commiſſa.*) Conſulenda *Conſtitutio II Leonis X.* Legitur *pag.* 196 hujuſce *IV* voluminis.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Bononienſi*.
3. *Bonifacio.*) *Ferrerio*, patria *Vercellenſi*, de quo conſulendus *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III pag.* 371 *ad an. MDXIII.*
4. *Ipporegien. nuncupato.*) Notat *Ciaconius*, quod *Bonifatius Eporedienſis, ſeu Hipporegienſis, tum de Ivrea, tum etiam Bugellenſis nuncupatus eſt.*

Anno 1549
Die 11 Junii.

Ex Conſtitutione Nicolai V cavet, ne quis juriſdictionem (1) Superiorum Ordinis declinare præſumat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXII.

PAULUS PP. III.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

AD hoc circa regularis obſervantię profeſſores eo diligentius laboramus, quo eorum Religio fructum in eis fęcundius afferat ſalutarem, & laudabilius in Domino proficere valeant incrementis. Dudum ſiquidem cum felicis recordationis Nicolao PP. V, Prędeceſſori noſtro, innotuiſſet, quamplurima, & diverſa, Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum, atque ſua privilegia, literę, & indulta, Vicariorum deputationes, ſeu inſtitutiones, ac illorum, necnon domorum Ordinis Fratrum Prędicatorum, eorumque pro tempore Fratrum exemptiones, ac alias diverſas conceſſiones, ordinationes, & inſtitutiones, earumque forſan confirmationes in ſe continentia, contra conſuetudines, & inſtituta Ordinis hujuſmodi, illiſque derogantia tam in genere, quam in ſpecie, eatenus emanaſſe noſcebantur, ex quibus dictus Ordo pro magna parte quaſi laceratus, ſeu diviſus, apparebat, ac plurima diſſenſiones, & ſcandala etiam in ipſius vilipendium, & prejudicium, ac damnum, necnon plurimorum perniciosum exemplum, olim ſubſecuta fuerant, & in dies ſubſequebantur, prefatus Nicolaus, Prędeceſſor, motu proprio, & ex certa ſcientia, omnes, & ſingulos Vicarios, etiam Generales, & Provinciales, prefati Ordinis ubicunque exiſtentes ad eorum Vicariatuum prędictorum officia per Sedis Apoſtolicę, ſeu ſuas literas, aut earum vigore, ſeu alias quomodolibet contra Ordinis hujuſmodi conſuetudines, & ſtatuta eatenus deputatos, necnon ab ipſis inſtitutos Priores, & Officiales, ab hujuſmodi Vicariatuum, Prioratuum, & officialium officiis ex tunc per ſuas literas amovit, & amotos eſſe cenſuit, eoſque, & Fratres hujuſmodi ad Magiſtri Generalis, necnon aliorum ſuperiorum dicti Ordinis tunc pręſentium, & futurorum, juxta eadem ſtatuta, & conſuetudines pro tempore electorum, obedientiam, & ſubjectionem totaliter reduxit, ac etiam ſupra dicta, necnon ſuper exemptionibus, aliiſque diverſis indultis, & gratiis per ipſum Prędeceſſorem, & dictam Sedem, Vicariis, Prioribus, officialibus, & domibus, eorumque Fratribus olim conceſſis, in ipſorum favorem emanatis, ac illorum confirmationibus, confecta privilegia, literę, & indulta, inter quę ad quaſdam ſuas domos, Monaſteria, & loca Provincię Aragonię juxta morem dicti Ordinis, eorumque Prelatos, & Fratres emanatas literas, cum ſtatutis, & ordinationibus, aliiſque in eis contentis, includerentur, & comprehenderentur, indeque ſecuta omnia, & ſingula, necnon etiam confirmationes Apoſtolicas ſuper quibuſvis per Generalem, Vicarios, & Provinciales dicti Ordinis quibuſcunque Fratribus ejuſdem Ordinis tam graduatis, quam non graduatis, olim conceſſas, ac literas deſuper confectas, revocavit, caſſavit, & annullavit, prout in eiſdem literis plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut Nobis innotuit, cauſę propter quas dictę literę a prefato Nicolao Prędeceſſore emanarunt, adhuc, & forſan majores ſubeſſe noſcuntur, Nos, dicti Ordinis proſperum ſtatum, & ſalubrem directionem paterno zelantes affectu, ac illius felici ſucceſſui, & profectui, quantum cum

Diplomatis cauſa.

Confirmatio, & Mandatum.

Deo

Deo poſſumus, ſalubriter providere volentes, ex certa noſtra ſcientia, amotionem, reductionem, re-
vocationem, caſſationem, & annullationem, ac prout illas concernunt deſuper confectas literas Nicolai
Prędeceſſoris hujuſmodi auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium innovamus, ac perpetuo inviolabiliter
obſervari debere decernimus. Et nihilominus, ipſius Prędeceſſoris veſtigiis inhęrendo, pro potioris cau-
telę ſuffragio, omnes, & ſingulos Vicarios etiam Generales, & Provinciales pręfati Ordinis ubicunque
exiſtentes ad eorum vicariatuum officia per Sedis prędictę, ſeu noſtras literas, aut illarum vigore, ſeu
alias quomodolibet contra Ordinis hujuſmodi conſuetudines, & ſtatuta, hactenus deputatos, necnon ab
ipſis inſtitutos Priores, & officiales, ab hujuſmodi Vicariatuum, & officialium officiis, ac omni aucto-
ritate, juriſdictione, obedientia, & ſubjectione, ex nunc realiter amovemus, & amotos eſſe decerni-
mus, ac quamcunque etiam ſupra ſolitam majorem juriſdictionem in dictum Ordinem cuicunque etiam
Cardinalatus honore ſungenti, forſan conceſſam, caſſamus, annullamus, eoſque, & Fratres domorum
hujuſmodi ad Magiſtrum Generalem, necnon aliorum ſuperiorum dicti Ordinis pręſentium, & futuro-
rum, juxta eadem ſtatuta, & conſuetudines, pro tempore electorum, obedientiam, & ſubjectionem to-
taliter reducimus, ac etiam ſupradicta, necnon ſuper exemptionibus, aliiſque diverſis indultis, & gra-
tiis per Nos, vel dictam Sedem, Vicariis, Prioribus, officialibus, & domibus, earumque Fratribus
pręfatis olim conceſſis, & in ipſorum favorem emanatis, ac illorum confirmationibus, confecta privile-
gia, literas, & indulta, indeque ſecuta omnia, & ſingula, necnon etiam quaſcunque confirmationes
Apoſtolicas ſuper quibuſvis, per dictos Vicarios, necnon pręfatos ejuſdem Ordinis Provinciales, ac
quaſvis alias perſonas, etiam Cardinalatus honore ſungentes quibuſcunque Fratribus ipſius Ordinis,
tam graduatis, quam etiam non graduatis, hactenus conceſſa, ac literas deſuper confectas, revocamus,
caſſamus, & annullamus, viribuſque vacuamus, ac pro nullis, & infectis haberi volumus, & manda-
mus. Et inſuper alios quoſcunque dicti Ordinis profeſſores, cujuſcunque gradus exiſtant, tam in noſtros,
& ipſius Sedis, quam venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Capellanos, & continuos
commenſales, etiam cum quibuſvis honoribus, exemptionibus, gratiis, & indultis vigore ſpecialium
& dictę Sedis, necnon Cardinalium pręfatorum literarum hactenus creatos, & receptos, qui etiam in
Palatio Apoſtolico, ac domibus eorundem Cardinalium moram traxerint, ſeu trahent, etiamſi alias ob-
ſequiis noſtris, & dictę Sedis, vel ipſorum Cardinalium, extra Palatium, ac domus Cardinalium hu-
juſmodi inſtiterint, ac etiam tam illos ex profeſſoribus Ordinis hujuſmodi, qui ex ſpecialibus ejuſdem Se-
dis privilegiis, abſque conſenſu dicti Ordinis pro tempore Generalis Magiſtri emanatis, ſervitiis Paro-
chialium Eccleſiarum, ſeu aliorum quorunlibet locorum eccleſiaſticorum, in quibus titulum non habue-
rint, inſiſtere noſcantur, quam alios omnes, & ſingulos, qui vigore quarunvis literarum, ac privile-
giorum Apoſtolicorum de Ordine pręfato, ac illius habitu totaliter dimiſſo, ad Monaſteria, & loca alio-
rum Monaſteriorum, & Ordinum ſe tranſtulerint, & in eorum Monachos habitum Monaſticum ſuſcipien-
do recepti fuerint, ſi in Monaſteriis, ſeu locis ipſis continuam reſidentiam non fecerint, ad ipſum Ordi-
nem Fratrum Prędicatorum, & illius domos, necnon obedientiam, & ſubjectionem Magiſtri Generalis,
ac aliorum ſuperiorum pro tempore exiſtentium Ordinis hujuſmodi, ita, quod ex nunc deinceps, tam
ipſi, quam ſupradicti Vicarii, Priores, officiales, & Fratres, pręfatis Magiſtro Generali, & ſuperio-
ribus pro tempore exiſtentibus, eorum monitis, & mandatis plenarie parere, intendere, & obedire, ac
ſtatutis, & conſuetudinibus prędictis, in omnibus ſe conformare perpetuo teneantur, & debeant, etiam
ex nunc totaliter reducimus, ac etiam revocamus, diſtrictius inhibentes omnibus, & ſingulis Vicariis,
Prioribus, officialibus, & Fratribus, privilegiis, literis, & indultis ipſis Apoſtolicis utentibus, ſeu
gaudentibus ſupradictis, ne de cetero ullo unquam tempore poſt publicationem pręſentium, directe, vel
indirecte, publice, vel occulte, quovis quęſito colore, ſub excommunicationis pęna, quam ex nunc
prout ex tunc in quoslibet ex eis contrafacientes harum ſerie promulgamus, dictis eis conceſſis Apoſtoli-
cis literis, privilegiis, & indultis, vel eorum aliquo uti, ſeu contra amotionem, caſſationem, revo- Nota.
cationem, & alia per Nos geſta ſupradicta, vel eorum aliquod, venire, facere, & attentare, aut alias
abſque ſpeciali licentia dicti Magiſtri Generalis pro tempore exiſtentis ſimilia, vel quęvis alia privilegia,
literas, & indulta contra prędicta, a Nobis, ſeu Sede Apoſtolica pręfata per ſe, vel alium, ſeu alios
impetrare, aut eis alias forſan concedendis, uti quomodocunque pręſumant. Ac decernentes etiam ex
nunc, etiam per Nos, & Sedem Apoſtolicam prędictam forſan concedendas literas, privilegia, niſi in
illis de data, ac tenore pręſentium de verbo ad verbum mentio habeatur, nullius roboris, vel momenti
exiſtere, necnon irritum, & inane quicquid ſecus contigerit attentari. Et nihilominus dilecto filio Au-
guſtino Recuperato, de Faventia, moderno, & pro tempore exiſtenti dicti Ordinis Generali Magiſtro,
ac illi, quem ipſe, aut Capitulum Generale dicti Ordinis pro tempore celebrandum, ad id duxerint de-
putandum, & eorum ſingulis contra Vicarios, Priores, & Fratres Ordinis hujuſmodi, pręſentes, & fu-
turos, qui de cetero contra pręſentium continentiam, & tenorem, ſeu eorum aliquam partem, venire,
facere, ſeu attemptare pręſumpſerint, alias juxta canonicas ſanctiones, ac inſtituta pręfata procedendi,
incarcerandi, corrigendi, ac alia deſuper neceſſaria, & opportuna faciendi, & exequendi, invocato
etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, plenam, & liberam concedimus facultatem. Non
obſtantibus premiſſis, ac quibuſvis aliis privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, ac aliis contra ſtatu-
ta, & privilegia Ordinis hujuſmodi ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac etiam cum quibuſvis,
etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, &
aliis decretis, etiam motu proprio, & ſcientia ſimilibus conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus om-
nibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa mentio
habenda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pręſentibus pro expreſſis ha-
bentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus.
Necnon omnibus illis, quę pręfatus Nicolaus Prędeceſſor in prędictis ſuis literis voluit non obſtare, ce-
teriſque contrariis quibuſcunque. Et quia difficile foret pręſentes ad ſingula loca, ubi de eis forſan opus
erit, deferre, volumus, & Apoſtolica auctoritate pręfata decernimus, quod earundem pręſentium
tran-

tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi originaliter forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XI Junii MDXL, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

L. de Torres.

1. *Juriſdictionem.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo duplex autographum. Extant alia in Cœnobiis *Florentin. S. Maria Novella*, & *Veneto S. Dominici*.

Anno 1540 Die 27 Augusti.

Romanam Provinciam (1) privilegiis ornat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXIII.

Dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Romanę Provincię Reformatę.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religioſorum omnium, pręſertim quorum aſſidua in agro Dominico cultura fructus producuntur ſalutares, votis, illis pręſertim, per quę eorum ſtatus tranquillior, & quietior effici poteſt, noſtrę interpoſitione auctoritatis libenter annuimus, & ea quę deſuper opportuna noſcuntur ordinamus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Veſtris itaque in hac parte ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, libertates, prerogativas, gratias, & indulta, olim vobis dum ſub Congregatione Tuſcię degebatis, & etiam poſt, etiam per viam extenſionis privilegiorum, exemptionum, immunitatum, facultatum, libertatum, prerogativarum, gratiarum, & indultorum Provinciali, & Fratribus Provincię Lombardię, & dum ipſi ſub Congregatione Lombardię degebant, conceſſorum per quoſcunque Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, & pręſertim felicis recordationis Clementem PP. VII, Prędeceſſorem noſtrum, & ſeu Nos conceſſa, quorum omnium tenores hic pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, illam pręſertim per eundem Clementem, ac felicis recordationis Leonem X, Prędeceſſores noſtros, vobis factam, qua cavetur, quod nullus Frater Provincię Romanę intuitu, & vigore quarumcunque gratiarum, vel cujuſvis auctoritate, ac aliam Provinciam, ſeu Congregationem, vel domum transferri, & pretextu reformationis, ſine expreſſo conſenſu Prioris Provincialis poſſit, & alias conceſſiones per Nos dictę Provincię Lombardię primo, & poſtea per viam communicationis vivę vocis oraculo vobis ſimiliter factas, quibus cavetur, quod nullus inferior Magiſtro Ordinis, etiam Vicarius, ſeu Vicarii tam Generales, quam ſpeciales, tam inſtituti, quam inſtituendi ſub quacunque cautela, & mandato, poſſit quomodocunque de pręfata Romana Provincia ſe intromittere, vel aliqua juriſdictione uti circa illam, vel ejus membra, ſed tantum Magiſter Ordinis poſſit per ſe ipſum perſonaliter tantum pręfatam Romanam Provinciam viſitare, quoties ſibi opportunum, & expediens viſum fuerit, nulluſque Prior Conventualis, nec Provincialis pręfatę Provincię per Magiſtrum Ordinis a ſuo officio abſolvi, ſeu amoveri, aut ſuſpendi poſſit, niſi demeritis ſuis id judicialiter exigentibus, aliam quoque conceſſionem vivę vocis oraculo per Nos vobis factam, qua cavetur quod gratię, & quęcunque conceſſiones datę, & conceſſę quibuſcunque Fratribus pręfatę Provincię Romanę, quę ſunt contra vitę regularis obſervantiam, ut de confeſſionibus audiendis, de pecuniis retinendis, & aliis ſimilibus, nullius roboris, & momenti eſſe cenſeantur, niſi accedat conſenſus, & expreſſa licentia ſui Prelati, & ipſa durante, Apoſtolica auctoritate per pręſentes confirmamus, & approbamus. Volentes pręſentes quoad ea, quę vobis vivę vocis oraculo, ut prefertur, conceſſimus, plenam, & indubitatam fidem facere. Non obſtantibus quibuſcunque conſtitutionibus, vel dicti Ordinis conſuetudinibus, & ordinationibus, omnibuſque, & ſingulis privilegiis contrariis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, eorum confirmationibus, Apoſtolicis quoque literis in forma Brevis cuicunque per Nos ſub quibuſvis verborum clauſulis, & derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, & inſolitis, conceſſis, & concedendis, & ſi de illis, eorumque totis tenoribus, non autem per clauſulas generales ſpecifica, & individua mentio, ac de verbo ad verbum, ſeu quęvis alia mentio habenda eſſet, quibus ad effectum pręſentium duntaxat alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Auguſti MDXXXX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Bloſius.

1. *Provinciam,*) Conſulendus *Fontana de Romana Provincia*.

2. *Archivo.*) In quo vetus Exemplar.

F. Sebaſtianus Olmeda (1) fit Capellanus Summi Pontificis.

Anno 1540 Die 30 Septembris.

Ex Archiva (2) Ordinis.

LXIV.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dai, dilecto filio Sebaſtiano Olmeda Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori Capellano noſtro, Salutem, & Apoſtolieam Benedictionem.

VIrtutibus clarus &c. intendentes, quod per hoc favoris Apoſtoliei pręſidia plenius ſortiaris, quodque omnibus indulgentiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, & privilegiis per felicis recordationis Johannem XXII, & Clementem VI, Romanos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, Capellanis dictę Sedis conceſſis uti, & gaudere libere, & licite valeas, pię memorię Innocentii VI, Urbani V, Gregorii XI, & Urbani VI Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum reſtrictionibus, conſtitutionibus, ordinationibus, declarationibus, voluntatibus, & decretis, ac aliis in contrarium editis, non obſtantibus quibuſcunque. Sic igitur &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo, Pridie Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Sebaſtianus Olmeda.*) Aliis *de Olmedo*, rerum Ordinis curioſus ſcrutator, qui de Magiſtris Ordinis, & viris illuſtribus ſcripſit. Adeas Auctores quos laudat *Echard Scriptorum Ord. Tomo II ad an. MDLIX pag.* 168.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro IX fol.* 317.

Quæ pro Setubalenſi (1) Monaſterio ſancita ſunt, firmat.

Anno 1540 Die 29 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXV.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

SEdis Apoſtolicę conſueta elementia &c. (3). Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Helenę da Lencaſtro (4), ac Philippę da Lencaſtro Prioriſſę Monaſterii Monialium per Prioriſſam gubernari ſoliti, Sancti Johannis Baptiſtę de Setuval Ordinis Sancti Auguſtini ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum exiſtentis, Ulixbonen. Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias poſtquam dilectus filius nobilis vir Georgius Dux Colimbrien. magnus Magiſter ſeu perpetuus adminiſtrator Militię Sancti Jacobi de Spata (5) ſub Regula ejuſdem Sancti Auguſtini per Sedem prędictam ſpecialiter deputatus, & tunc in humanis agens quondam Beatrix Duciſſa Colimbrien. ejus Uxor, Helenę, & Philippę prędictarum genitores, Monaſterium prędictum eorum propriis ſumptibus, & expenſis de novo conſtrui, & ędificari fecerant, illudque ornamentis, & aliis neceſſariis rebus muniverant, ac pro victu & veſtitu dictarum Monialium, ac ipſius Monaſterii Miniſtrorum, & ſervitorum pro tempore exiſtentium, de redditibus ſufficientibus providerant, ſeu conſtrui, & ędificari, muniri, & provideri facere inceperant, quondam Johannes de Fenario (6) Morlanen. (7) tunc in humanis agens dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſter Generalis pro reformatione, & feliciori directione dicti Monaſterii, & dilectarum in Chriſto filiarum illius Conventus, quem actu pręſentialiter viſitaverat per quaſdam, pro tempore Provinciali, & illo vita functo, ſeu amoto, Vicario provinciali Provincię Portugallię Moniales prędicti Monaſterii mutandi, aliaſque ad alia Monaſteria Monialium ejuſdem Provincię transferendi, & tam ex prędictis, quam alterius Provincię Monaſterii Monialium alias Moniales extrahendi, & illas ad prędictum Monaſterium Sancti Johannis Baptiſtę toties quoties opus foret, & eidem Beatrici Duciſſę videretur expedire, transferendi, ita quod ipſe Provincialis, ſeu Vicarius, requiſitus ab eadem Beatrice Duciſſa ſuper translatione alicujus ex Monialibus prędictis, illi ſub certa tunc expreſſa pęna moram gerere teneretur, licentiam conceſſit, ac etiam voluit, & ordinavit, quod dictus Provincialis non poſſet abſolvere, ſeu ſuſpendere, aut confirmare dicti Monaſterii Prioriſſam abſque voluntate, & conſenſu ejuſdem Beatricis Duciſſę, &, ſi contrarium facere attentaret, illum per quinque menſes ſuſpendit, & quicquid deſuper faceret irritum fore, & inane declaravit, ac eidem de prefato Vicario Provinciali intereſſe voluit, & mandavit, quod viſitatio Monaſterii hujuſmodi non fieret niſi per eundem Provincialem, & ſi ipſe Provincialis non poſſet, tunc illud viſitaret ille, quem prędicta Beatrix Duciſſa peteret ab ipſo Provinciali, & ſi quis hujuſmodi ordinationi contravenire auderet, illum ipſo facto a ſuo officio privatum eſſe voluit, & declaravit, ac ordinavit, ut Confeſſor, & Vicarius earundem Monialium eſſet ille, quem prędicta Beatrix Duciſſa peteret, ac eidem Provinciali pręcepit, ne dictum Confeſſorem, aut Vicarium denegaret, & poſtquam conceſſiſſet illum non poſſet abſolvere, nec mutare ſine voluntate, & conſenſu ipſius Beatricis Duciſſę, ac dictus Vicarius in abſentia dicti Provincialis illius vices circa pręfatas Moniales haberet. Ac mandavit Monialibus, ut nulla quęvis Novicia ab intereſſentia Miſſę Conventualis nuncupatę, & a recitatione Salutationis Salve Regina poſt Completorium, quam ſemper ſolemniter decantari voluit, ceſſaret, exceptis infirmis, & ejuſdem Monaſteri infirmaria, quam etiam niſi cum evidenti neceſſitate voluit remanere. Et in virtute Sancti Spiritus, & obedientię pręcepit Prioriſſę, & Monialibus prędictis, ut nulla earum ſive profeſſa, aut Novicia foret, jejunaret niſi in diebus ab Eccleſia, & ordinationibus ejuſdem Ordinis ſtatutis. Ac etiam ordinavit, quod tertia menſa in ipſo Monaſterio non fieret, ſed omnes Moniales prędictę, & officiales comederent ad primam, vel ſecundam menſam in eodem Monaſterio fieri ſolitam, ac mandavit eidem Prioriſſę ſub pęna ſuſpenſionis ab ejus officio per quindecim dies, ut nunquam cenaretur in ipſo Monaſterio poſt Completorium niſi quando illud ſtatim poſt veſperas foret recitatum, & tunc tali hora cenaretur, ita quod prima, & ſecunda menſa hujuſmodi perficerentur ante ſignum pro ſilen-

ſilentio in ipſo Monaſterio dari ſolitum, quo dato nulla omnino menſa, nec comeſtio tempore jejunii inibi fieret, quod ſub eadem pęna diſtricte prohibuit. Ac etiam ordinavit, quod veſtes ipſarum Monialium forent tonſę, non tamen pretioſę, ſed boneſtę, & longę juxta quandam inibi expreſſam conſtitutionem dicti Ordinis. Calceamenta vero earundem Monialium etiam forent honeſta, talis formę, quę ſaluti corporali conduceret, & ſub certa inibi etiam expreſſa forma eſſent. Necnon prędictis Monialibus conceſſit, quod de licentia ejuſdem Prioriſſę ad earum uſus liberos ſudaria, capitergia, & alia ſimilis generis in certo numero in quadam arca parva, ſine clave tamen, habere poſſent, de quibus omnibus ipſę tene-
Nota. rentur ſemel ad minus in anno reddere rationem eidem Prioriſſę illi omnia offerendo, ac etiam voluit quod ipſa Prioriſſa abſque aliquo ſcrupulo conſcieotię licentiam hujuſmodi cum ei videretur dare poſſet. Necnon mandavit omnibus, & ſingulis Monialibus prędictis ſub pęna gravis culpę, ut omnia munera illis donata ſtatim dictę Prioriſſę pręſentarent, ipſaque Prioriſſa duas eidem Monaſterio, tertiam vero eorundem munerum partes moniali cui illa data forent, ſi ei videretur, concederet, niſi hujuſmodi munera in pecunia forent, tunc enim illa omnia eidem Monaſterio in communi applicarentur, & voluit, quod dicta Prioriſſa tempus confeſſionum teneretur, per octo dies ad minus antequam confeſſiones hujuſmodi
Nota. fiant, dictis Monialibus in Capitulo dicere, ut ipſę Moniales ad confitendum ſe prępararę poſſent, aſſignando eis ad id certam diem, & tunc illę accedere tenerentur ordinatim juxta earum profeſſionis antiquitatem, & ut id commodius fieri poſſet, ordinavit, quod quęlibet Monialis facta confeſſione hujuſmodi quando exiret ſignum faceret cum certa parva campana ad id deputata, qua audita alia Monialis veniret, & ſic omnes ſuo ordine ſucceſſive ad confeſſionem hujuſmodi accederent, ac etiam ordinavit, ut ſingulis annis una ex dictis Monialibus eligeretur pro ſocia Monialis Rotarię (8) nuncupatę, & ex diſcretis ſerviret alia etiam in rota qualibet hebdomada, ſine quibus dicta Rotaria non poſſet loqui, nec aliquid recipere, ſeu dare, ipſaque ſola monialis rotaria reciperet, & daret, ac loqueretur, aliis tamen pręſentibus, quam loqui noluit, niſi de rebus neceſſariis pro regimine dicti Monaſterii, ac prohibuit quod ipſę Moniales in communi locutorio loquerentur interim quod alię eſſent in refectorio, vel choro ejuſdem Monaſterii, dum recitarent divinum officium, vel in ſilentio exiſtentes, aliis vero temporibus poſſent, de licentia tameo ejuſdem Prioriſſę loqui, ac in feneſtris Eccleſię ejuſdem Monaſterii non loquerentur, niſi ſemel in anno, & tunc ſolum cum earum Patre, aut Matre, ſeu Fratribus, vel Sororibus &c. (9) cum quibus loqui poſſeot toties quoties eidem Prioriſſę videretur, ac etiam voluit quod in ſupradictis locis oec Prioriſſa, oec mo-
Nota. niales prędictę loquerentur cum extraneis, abſque diſcretis ad id deputatis, & electis, exceptis tamen Provinciali ipſius viſitationis ſolummodo tempore, quando ipſas moniales prędictas viſitaret, & Confeſſore in confeſſionario, cum quo ſolo poſſent loqui de bis ſolum, quę ad conſcientiam forent neceſſaria; Ac ſimiliter ſtatuit, & ordinavit quod ſi aliqui extranei ingrederentur ipſum Monaſterium Prioriſſa, & Moniales pręfatę non loquerentur cum illis abſque dictis diſcretis, & electis, Duciſſa & Helena prędictis duntaxat exceptis, cum quibus dictę ſorores ſolę loqui poſſent, & quod nomina ſecularia earundem Monialium omnino mutarentur, nec amplius Dominę vocarentur, ſed ſorores, & ſi eſſent noroullę ex monialibus prędictis, quę vocarentur eodem nomine eidem Vicario auctoritatem conceſſit, ut earum nomioa mutaret, & alia imponeret. Necnon eidem Prioriſſę poteſtatem conceſſit diſpenſandi abſque aliquo conſcientię ſcrupulo circa cęremonias ejuſdem Ordinis cum eiſdem Monialibus nobilibus, & delicatis cum eſſent infirmę, etiamſi infirmitates non forent graves. Ac etiam ordinavit, quod oovicię albo, ſicut profeſſę Moniales oigro, panno earum faciem cooperirent & quod oovicię non loquerentur, niſi cum earum patre, ſorore, aut fratre, ac etiam inhibuit, quod nulla, ſive Pręlata, ſive ſubdita foret, dum oſtium ipſius Monaſterii aperiretur, inibi loqueretur, & conceſſit, quod Confeſſor Monialium hujuſmodi toties quoties eidem Duciſſę videretur, poſſet ingredi Monaſterium ad videndum illius ędificia dum conſtrueretur, ſeu alia etiam eidem Monaſterio neceſſaria, & tunc poſſet ducere ſecum aliquas perſonas quibus Monaſterium, & ędificia hujuſmodi oſtenderet, dum tamen Duciſſa pręſens foret, & prędictus
Nota. Georgius Dux, ac adminiſtrator, illiuſque filius Dux ſemel quolibet aono Monaſterium prędictum ingredi poſſent. Ac etiam ordinavit, quod nullus, quamvis haberet licentiam, etiam a Sede predicta, vel a Provinciali, poſſet dictum Monaſterium ingredi abſque expreſſa licentia, & conſenſu pręfatę Duciſſę. Conceſſit, ut ipſas ſervas emptas (10) ejuſdem Monaſterit a dicto Monaſterio de conſenſu majoris partis earundem Monialium extrahere, & earum loco alias liberas mulieres ad ſerviendum aptas ponere poſſet, dum tamen ipſę mulieres caſtitatis, & clauſurę votum inibi facerent, & ipſę mulieres poſſent deferre veſtes Sororum ſecularium, ſi ipſę peterent, aut vellent, aut Duciſſa, & Prioriſſa prędictę id ordinareot. Necnon Prioriſſę, & aliis Monialibus prędictis conceſſit pro tempore magni, & ioceſi caloris poſſent uti tunicis ſuperioribus ex ſtamine confectis, &, ſi aliqua infirmitate laborarent, dicendo aliquam Orationem brevem recitationi divioi officii ſatisfacerent; Et deiode prędicta Duciſſa ab humanis exempta, dictus Johannes Magiſter alias premiſſa, facultates, & gratias, ac privilegia per eum eidem Beatrici Duciſſę, ut pręfertur, conceſſa prędictę Helenę prout eadem Beatrici Duciſſę conceſſa extiterant de novo conceſſit, ita quod ipſa Helena eis prout dicta Beatrix Duciſſa, dum viveret, uti poterat, uti, & gaudere poſſet, ac reliquas ordinationes, ac alia premiſſa confirmavit, pręcipiendo omnibus Fratribus ioferioribus ſe ſub pęna gravioris culpę, ac privationis vocis activę, & paſſivę, & perpetui carceris, ipſo facto abſque aliqua alia declaratione incurrenda, ut nullus eas impedire, aut illis aliquo modo contravenire auderet, ſed illis ſtare, & obedire tenerentur, & ab Monialibus obſervari debere, ad quos ſpectaret, facerent: & dilectus filius Hieronymus Reccuas tuoc noſter & dictę Sedis in partibus illis cum poteſtate Legati de latere nuncius habens ad id, ut aſſerebat, ab eadem Sede per ejus literas, facultatem, illius vigore per quaſdam ſtatuta, ordinationes, & conceſſiones, ac alia pręmiſſa, ac prout illa concernebant omnia, & ſingula, in ipſius Johannis Magiſtri literis contenta, & inde ſecuta quęcunque, licita tamen, & honeſta, ac Sacris Canonibus non contraria, Apoſtolica auctoritate confirmavit, & approbavit, ac perpetuę firmitatis robur obtinere, & Magiſtrum Generalem pro tempore exiſtentem, ceteroſque dicti Ordinis Superiores ad ſtatutorum, ordinationum, & conceſſionum, aliorumque pręmiſſorum obſervationem,

tene-

teneri, & illis quomodolibet contravenire non poſſe, ſicque judicandum fore, ac irritum, & inane quicquid deſuper in contrarium contingeret attentari, decrevit, certis deſuper executoribus deputatis; necnon pręfatus Johannes Magiſter per reliquas eorum literas eandem Philippam ab omnibus officiis, & occupationibus Monialium dicti Monaſterii generaliter, & a ſequela Chori quocunque tempore, & ab omnibus ſervitiis Conventus, & officiis, quę in quadam tabula ſignari ſolebant, exemit, ac etiam comedendi extra refectorium cum eſu carnium, & aliorum ciborum ex carnibus confectorum, illique ac dilectę in Chriſto filię Antonię de Silva (11) Moniali dicti Monaſterii utendi laneis (12) etiam ad carnes, conceſſit licentiam, prout in ſingulis literis plenius contineri dicitur. Quare pro parte dictarum Helenę, & Philippę Prioriſſę, aſſerentium curam dicti Monaſterii per prędictam Beatricem Duciſſam eidem Helenę relictam, ac per ipſius Ordinis Magiſtrum generalem confirmatam fuiſſe, illamque eidem Helenę competere, ac pręfatam Helenam quandoque conſueviſſe in certis anni temporibus de Monaſterio prędicto ad ejus domum eidem Monaſterio contiguam, in qua reſidere ſolet, ſe conferre, ipſaque Helena cum de Illuſtrium genere procreata ſit, id propter portam ingreſſus ad dictum Monaſterium in loco publico exiſtentem nonniſi cum magna comitativa juxta ejus ſtatus conditionem hactenus facere non potuerit, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatutis, ordinationibus, conceſſionibus, confirmationibus, ac decreto pręmiſſis pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, eidemque Helenę aliam portam in alia parte muri ipſius Monaſterii pro ſuo, & ſuarum pediſſequarum ſecretiori, & honeſtiori ingreſſu ad dictum Monaſterium conſtrui faciendi, licentiam concedere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Monaſteriorum quorunlibet, ac perſonarum eorundem feliciorem directionem ſinceris deſideramus affectibus, ipſaſque Helenam, & Philippam Prioriſſam, ac earum ſingulas a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, necnon ſingularum literarum prędictarum veriores tenores, ac ſi de verbo ad verbum insererentur, pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatuta, ordinationes, conceſſiones, & alia, ut pręfertur, ab ipſo Johanne Magiſtro Generali, ut pręfertur, emanata, necnon dicti Hieronymi Nuncii confirmationem, approbationem, & decretum hujuſmodi, ac prout illa concernunt, omnia, & ſingula in dictis literis contenta, alias tamen licita, & honeſta, ac eiſdem Sacris Canonibus non contraria, dicta Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, confirmamus, & approbamus, illiſque apoſtolicę firmitatis robur adiicimus, eaque ſuos plenarios effectus ſortiri, necnon per Magiſtrum Generalem, alioſque Superiores pro tempore exiſtentes dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac quoſcunque alios, inviolabiliter obſervari ipſoſque ad hoc cogi poſſe, & ſic in pręmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque, quavis auctoritate, fungentes Judices, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate &c. contigerit attentari, decernimus; ſupplentes omnes, & ſingulos tam juris quam facti &c. ſi qui intervenerint in eiſdem defectus; & nihilominus potiori pro cautela pręmiſſa omnia, & ſingula de novo, quodque nulli cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtat, niſi eis, quibus Conſtitutiones dicti Ordinis permittant, ac pręfato Georgio Duci, necnon ſi ſpecialem ad id licentiam a dicta ſede habuerint fratribus germanis earundem Helenę, & Philippę Prioriſſę, ipſorumque fratrum uxoribus eiſdem, quarumcunque literarum Apoſtolicarum, ac in forma Brevis &c. decretarum pretextu Monaſterium prędictum, niſi ter in anno, ac de conſenſu dictę Philippę, ac pro tempore exiſtentis Prioriſſę Monaſterij hujuſmodi, ingredi liceat, ac dictę Moniales ad feneſtram Eccleſię cum earum patre, matre, fratre, ſororibus, & conſanguineis, niſi a Prioriſſa, cum aliis vero perſonis extraneis a Vicario Monaſterii hujuſmodi licentia petita, & obtenta loqui valeant, quodque Fratres ad ſervitium Eccleſię, & Monaſterii, ac Prioriſſę, & Monialium hujuſmodi nunc & pro tempore deputati, duos pueros ad ętatem in Conſtitutionibus, & ordinationibus Monaſterii, & Ordinis prędicti requiſitam non attingentes, alias tamen habiles, & idoneos pro eorum & altaris ſervitio in eodem Monaſterio, ita tamen, quod ipſi pueri nullatenus profeſſionem emittere niſi poſtquam in ętate legitima, & alias in eiſdem Conſtitutionibus, & ordinationibus requiſita, conſtituti fuerint, & tunc de eorum ſuperioris licentia poſſint ad habitum ejuſdem Ordinis recipi, & habere valeant, ſuperiorum dicti ordinis, & quorumvis aliorum licentia deſuper minime requiſita, ac pręſentibus, necnon ſtatutis, & ordinationibus prędictis, etiam per quaſcunque literas Apoſtolicas, etiam quaſcunque clauſulas generales, vel ſpeciales &c. niſi de Prioriſſę, & Vicarii prędictorum expreſſo conſenſu, derogari poſſit, aut derogatum cenſeatur, ac pro tempore factę derogationes minime ſuffragentur, ipſique Prioriſſa, & Vicarius literis derogatoriis hujuſmodi &c. parere minime teneantur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, ac eidem Helenę, ut unam aliam portam in muro, & parte Monaſterii hujuſmodi, prout ſibi videbitur, pro ſui, & dictarum pediſſequarum duntaxat ingreſſu, & exitu, conſtrui faciendi, licentiam, & facultatem concedimus, non obſtantibus &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo, Quarto Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Confirmatio.

Nota.

1. *Setubalenſi.*) Seu *Catobricenſi*, & *Cetobricenſi*, vulgo *Setuval*. Juris eſt Provinciæ *Portugalliæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro III fol.* 8.

3. *Clementia &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

4. *Lencaſtro.*) Alius *Lancaſtro*. Gens eſt nobiliſſima.

5. *S. Jacobi de Spata.*) Ordo eſt *Militaris*, de quo dictum fuit.

6. *Johannes de Fenario.*) Alumnus *Toloſanæ* Provinciæ. Diem ſupremum obierat *Johannes* anno *MDXXXVIII*.

7. *Morlanen.*) *Morlacen.*, vulgo *Morlas*. Sic ex patria quæ eſt in *Leſcarienſi* Diœceſi nuncupatur *Johannes*.

8. *Rotaria.*) Sic vocant Monialem quæ præficitur verſatili tympano, ſeu turriculæ ligneæ verſatili, qua neceſſaria inducuntur in Monaſterium.

9. *Sororibus &c.*) Quædam deſunt.

10. *Servas emptas.*) Mancipia nempe.

11. *De Silva.*) Gens eſt nobilitate clara quæ nunc etiam floret.

12. *Laneis.*) *Lineis*.

Anno 1540 Die 29 Octobris.

Ut præcedens conſtitutio executioni mandetur.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXVI.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Feltren., & Cęſenaten. Epiſcopis, ac dilecto filio Officiali Ulixbonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Paulus &c. (a). Quocirca &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, literas noſtras prędictas, & in eis contenta quęcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Helenę, & Philippę, ac pro tempore exiſtentis Prioriſſę, necnon Monialium Monaſterii Sancti Johannis Baptiſtę Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Ordinis Fratrum Prędicatorum, exiſtentium, ſeu alicujus earum deſuper fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes faciatis auctoritate noſtra literas prędictas, & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, ac ſingulos, quos literę ipſę concernunt, illis pacificę gaudere; non permittentes, eos contra earundem literarum tenorem quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores &c. Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus omnibus ſupradictis: Aut ſi aliquibus &c. ab eadem ſit ſede indultum quod interdici &c. mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo, Quarto Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro III fol.* 14.

2. *Paulus &c.*) Ut in præcedenti ad finem uſque.

Anno 1540 Die 6 Decembris.

Quid de decimis (1), ac ceteris id genus ſolvendum ſit.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXVII.

Dilectis filiis Prioribus, ac Fratribus, ac dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſis, & Monialibus domorum, & Monaſteriorum Ordinis Fratrum Predicatorum Romanę Provincię, & utriuſque Lombardię juxta morem dicti Ordinis.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, & dilectę in Chriſto filię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſtis, quod licet alias felicis recordationis Clemens PP. VII Prędeceſſor noſter, tunc Vicario Generali, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum Congregationis Lombardię regularis obſervantię, nunc Provincię utriuſque Lombardię, quod ad ſolutionem decimarum pro tempore tunc impoſitarum, & pro tempore imponendarum, ac contributionem in illis faciendam, ſolum, & duntaxat pro reſiduo fructuum bonorum per eos poſſeſſorum, quod demptis, & exemptis ſeptem ducatis auri juxta taxam antiquam ſupereſſet, & non alias, tenerentur, & ad ſolvendum decimas ipſas aliter, quam de reſiduo fructuum bonorum hujuſmodi minime compelli, nec propterea aliquibus cenſuris innodari poſſent per quaſdam (3) conceſſerit, & indulſerit, diſtrictius inhibendo omnibus, & ſingulis dictarum decimarum collectoribus, tunc, & pro tempore deputatis, ne eos, aut aliquem eorum quovis prętextu ad aliquam ſolutionem, ſeu contributionem decimarum coarctare, vel deſuper moleſtare quoquomodo prſumerent, & deinde ipſorum Vicarii, & Fratrum, ac Monialium, Monaſteriorum eorum curę commiſſarum ſupplicationibus inclinatus, prędictas literas innovans, & approbans, ac inviolabiliter obſervari volens, & ad Moniales ſub cura eorundem Fratrum degentes quoad id, ut detractis ex fructibus ſeptem ducatis juxta taxam prędictam pro qualibet Moniali decimam fructuum ſolvere tenerentur, extendens, & amplians, tunc, & pro tempore commiſſariis, collectoribus, & ſubcollectoribus decimarum hujuſmodi ſub excommunicationis latę ſententię, ac quingentorum ducatorum auri de Camera partim eiſdem Vicario, & Fratribus, & partim Camerę Apoſtolicę applicandorum pęnis, per alias (4) mandaverit, quatenus Fratres domorum, & Moniales Monaſteriorum contra literarum prędictarum tenorem, nullatenus moleſtare pręſumerent, & poſtremo veſtrum, filii Priores, & Fratres, ac filię Prioriſſę, ac Moniales domorum, ac Monaſteriorum dicti Ordinis Provincię Romanę ſupplicationibus inclinatus, exactoribus decimarum pro tempore deputatis ſub ejus indignationis pęna per reliquas ejus in forma Brevis literas (5) commiſerit, & mandaverit, quod cum hujuſmodi decimarum ſolutio quandocunque in poſterum ingruerit, deductis prius ex ſingulis decimis ducatis ſeptem pro qualibet perſona in eiſdem domibus, & Monaſteriis pro tempore commorante, quos ſibi pro eorum neceſſitatibus omnino dimitti voluit, de eo ſolum, quod ſupereſſe cognoviſſent, juxta ſolitam taxam, decimas prędictas exigere procurarent, prout in literis prędictis plenius habetur, nihilominus collectores, & ſubcollectores, ac alii exactores, & commiſſarii decimarum ad pręſens impoſitarum, vos ad ſolutionem decimarum earundem alias, quam juxta literarum prędictarum continentiam, & tenorem, cogere, & alias in pręmiſſis diverſimode moleſtare, vexare, & inquietare preſumant, in gravem veſtrum perturbationem. Quare Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut ſingulas literas Clementis Prędeceſſoris hujuſmodi, licet per Nos alias approbatas (6), denuo approbare, & innovare, aliaſque vobis in pręmiſſis opportune providere de benignitate

Apo-

Apoſtolica dignatemur. Nos igitur vos, ut liberius divinis beneplacitis vacare poſſitis, paterno affectu confovere volentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ſingulas literas Clementis Prędeceſſoris hujuſmodi conceſſionis, indulti, inhibitionis, extenſionis, ampliationis, mandati, & confirmationis, ac omnibus ſingulis aliis in eis contentis clauſulis, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium approbamus, & innovamus, ſuoſque effectus ſortiri, & ab omnibus inviolabiliter obſervari debere decernimus, diſtrictius inbibentes eiſdem collectoribus, & ſubcollectoribus, ac exactoribus, & commiſſariis ſub pęnis prędictis, ne vos, aut veſtrum quemlibet contra Clementis Prędeceſſoris, ac noſtras literas hujuſmodi, tenorem moleſtare pręſumant, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſcunque literis, ſuper decimarum hujuſmodi impoſitionibus pro tempore etiam noviſſime emanatis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Decernentes pręſentinm literarum tranſumptis manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus curię eccleſiaſticę, ſeu perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eandem prorſus fidem adhiberi debere, quę eiſdem pręſentibus adhiberetur, ſi originaliter exhiberentur, vel oſtenderentur, ac eaſdem literas per quoſcnnque, quibus illas intimari pro tempore contigerit, dimiſſa eis copia, illas pro tempore intimanti reſtitui debere. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI Decembris MDXL, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Decimis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 14.
3. *Quaſdam.*) Conſtitutionem ſcilicet *XXXVII*, ſupra pag. 455.
4. *Alias.*) Conſtitutionem nempe *LVI. pag.* 475.
5. *Literas.*) Conſtitutionem *CI. pag.* 511.
6. *Approbatas.*) Per Conſtitutionem *XXXVI.*

Anno 1540 Die 9 Decembris.

LXVIII.

De fundatione facta in Cœnobio (1) B. Mariæ ad Nives.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX ſolita Apoſtolicę Sedis clementia ad ea libenter intendimus &c. (3) Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Beatę Marię Regalis (4) Oppidi de Nieba (5) Ordinis Fratrum Prędicatorum, Segobien. Dięceſis, ac Hieronymi de Virnes in altero jurium licentiati, necnon Catherinę de Campo, jugalium, incolarum oppidi Valliſoleti, Palentin. Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias, cum Hieronymus, & Catherina jugales pręfati devotionis zelo, de ſua, ac parentum, & conſanguineorum ſuorum, aliorumque fidelium defunctorum animarum ſalute recogitantes, ad laudem, & gloriam Dei, & Beatę Marię, ac totius celeſtis curię honorem Capellam ſub invocatione ejuſdem Beatę Marię Conſolationis a dextro latere Capellę majoris, & prope Capellam Roſarii nuncupatam dictę eccleſię conſiſtentem, ad qnam pręfati conjuges, etiam tunc magnum gerebant devotionis affectum, eorum propriis ſumptibus, & expenſis ornare, ac de bonis eis a Deo collatis, temporalia in ęterna felici commercio commutando, ſufficienter dotare deſiderarent, Prior, & Fratres pręfati habita inter eos deſuper matura deliberatione, & tractatibus neceſſariis ac pręcedente licentia dilecti filii Bernardi Manrique, ipſius Ordinis profeſſoris, & Prioris Provincialis Provincię Hiſpanię, juxta morem ejuſdem Ordinis ſigillo dicti Ordinis ſignata, & quondam Bernardi Prioris, ac dilecti filii Franciſci de la Sema publici Notarii Apoſtolici manibus ſubſcripta, ſuper conceſſione Capellę hujuſmodi cum dilecto filio Alfonſo de Benavente eorundem jugalium procuratore, ad id ab eis ſpecialiter conſtituto, ac pro eis ſtipulante, & recipiente, concordarunt, & convenerunt, quod Prior domus Beatę Marię, & Fratres hujuſmodi eidem Hieronymo, & Catherinę jugalibus dictam Capellam Beatę Marię Conſolationis cum tabula, & in ea depicta Imagine ejuſdem Beatę Marię, ac Altari, & omnibus aliis in eadem Capella exiſtentibus tanquam ſuam propriam, liberam, & exemptam, & nulli alteri debitam, pro eorum jugalium, ac natornm, & ſucceſſorum ſuorum, aliarumque perſonarum per eoſdem jugales, ſeu eorum alterum in teſtamento, ſeu alias nominandarum ſepulturis, ita quod in eadem Capella, & qualibet illius parte eorum inſignia, & arma ponere, & depingere, ac ſepulturas etiam altas, & lapideas, ſeu marmoreas eum exitaſiis (6) eis bene viſis fabricare poſſent, conceſſerunt, ac eam, necnon omnia jura, & actiones utiles, & directas Priori domus Beatę Marię, & Fratribus hujuſmodi quomodolibet ſpectantia, & pertinentia, ingreſſu ad eandem Capellam, ad effectum inibi celebrandi eis duntaxat ſalvo, in eoſdem jugales pro ſe, & eorum ſucceſſoribus, ac aliis perſonis prędictis, ita quod ipſi Capellę tanqnam eorum proprię ad eorum libitum eedere, & illam in aliam perſonam transferre, ſeu alias de illa diſponere, libere, & licite poſſent, tranſtulerint, jugales vero pręfati pro dote dictę Capellę eiſdem Priori, & Fratribus annuum cenſuum quinque millium, & trecentorum morapetinorum monetę illarum partium ſuper bonis dilecti filii Salaoris de Sandobal incolę oppidi de Garrion., pręſertim in oppido de Sanroman. de Hormiza dictę Palentin. Dięceſis conſiſtentibus, ad rationem quatuor millium morapetinornm ſimilium pro quolibet milliari juxta pragmaticas ſanctiones illarum partium redimendum, & pro qno dictus Hieronymus ducentos ducatos auri in auro ſolverat, ita quod ſi dictus Salaor ſummam ducentorum ducatorum hujuſmodi eidem domui perſolveret, Salaor, & bona ſua prędicta a ſolutione cenſus hujuſmodi liberi remanerent, ipſique Prior, & Fratres in eventum redemptionis hujuſmodi eoſdem ducentos ducatos in emptionem aliorum bonorum immobilium pro dote Capellę hujuſmodi applicandorum convertere, tenerentur, necnon decem menſuras illarum partium Fanegas (7) nuncupatas pro una frumenti, & alia, medietatibus hordei, quas jugales pręfati ſingnlis annis in loco de A. . . . dictę Segobien. Dięceſis percipiebant, levabant, & quę jam eis pro anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo nono debebantur, ex tunc de cetero per ipſos Priorem, & Fratres ſingulis annis percipiendas, exi-

exigendas, & levandas, ac in ſuos uſus, & utilitatem convertendas, tradiderunt, & aſſignaverunt, necnon pro ornatu, & decore dictę Capellę centum ducatos auri largos exponere, ac verſa vice Prior, & Fratres pręfati pro ſe, & eorum ſucceſſoribus qualibet die Sabbati incipiendo a tunc proxime futura Miſſam de Beata Maria cum una commemoratione, & illa finita unum reſponſorium pro jugalibus, & earum prędefunctis prędictis, ac qui pro tempore decederent, eorum ſucceſſoribus celebrare, & recitare promiſerunt, & inſuper convenerunt, quod pręfati jugales, & eorum ſucceſſores unam clavem ejuſdem Capellę ad effectum, ut ipſi, & alii incolę dicti Oppidi de Nieba eandem Capellam, prout antea conſueverant, pro Miſſis, & aliis divinis officiis audiendis, abſque aliquo obſtaculo, aut impedimento intrare poſſent, habere deberent, quodque Capella hujuſmodi de cetero Capella Beatę Marię Conſolationis, & Sancti Sebaſtiani Martyris nuncuparetur, & ſi aliquo caſu Eccleſia dicti Monaſterii in alium locum transferretur, prędicti & pro tempore exiſtentes Prior, & Fratres hujuſmodi ſuis, & dictę domus ſumptibus tenerentur in Eccleſia ſic translata, & in ſimili loco aliam ſimilem Capellam ędificari facere, & ad pręmiſſa omnia, & ſingula perpetuo tenenda, obſervanda, ac manutenenda, quamplures ſecuritates, evictiones, ſubmiſſiones, renunciationes, juramenta, & obligationes hinc inde pręſtiterunt, & fecerunt, prout in inſtrumento publico deſuper in dicto Oppido de Nieba ſub die quarta Septembris dicti anni milleſimi quingenteſimi trigeſimi noni confecto, & per dilectum filium Didacum Velaſci Notarium publicum ſubſcripto, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioris, & Fratrum, ac jugalium prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut concordię, & conventionibus hujuſmodi pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui fidelium votis, quantum cum Deo poſſumus, libenter annuimus, Priorem, ac Fratres, & Hieronymum, ac Catherinam jugales pręfatos, ac eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, ac inſtrumenti prędicti veriorem tenorem, ac ſi de verbo ad verbum infereretur, pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, concordiam, & conventiones prędictas, ac prout illas concernunt, omnia, & ſingula in dicto inſtrumento contenta, licita tamen, & honeſta, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, ex certa ſcientia approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuę firmitatis robur adiicimus, eaque omnia, & ſingula firmiter, & inviolabiliter obſervari debere, ac quicquid ſecus ſuper his &c. attentari, irritum, & inane decernimus, ſupplentes omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo, Quinto Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Cœnobio.*) In Regno *Caſtellæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro II fol.* 101.
3. *Intendimus &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Regalis.*) Notat enim *Plodius de Progenie S. Dominici Lib. I Cap. XLVIII pag.* 157, quod iſtud Cœnobium fundatum fuit à *Catherina* Regina Catholica.
5. *De Nieba.*) Seu *Nieva*. Eſt Urbecula quinto a *Segovienſi* Civitate lapide diſtans.
6. *Exitaſiis.*) Epitaphiis.
7. *Fanegas.*) Aliis *Hanegas*, modios nempe frumenti, & hordei.

Anno 1541 Die 14 Martii.

De electione (1) Priorum Conventuum Provinciæ Lombardiæ, in Regno Neapolitano exiſtentium.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXIX.

Dilectis filiis Priori Provinciali, ac definitoribus Capituli Provincialis Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię utriuſque Lombardię.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii univerſi Fratres ſingulorum Conventuum, ſeu Domorum Ordinis Fratrum Prędicatorum Regni Neapolitani, quod cum in Conſtitutionibus, ſeu Ordinationibus dicti Ordinis inter alia caveatur expreſſe, quod ſucceſſores exiſtentium pro tempore Priorum Conventuum Ordinis pręfati finito ipſorum Priorum officio duntaxat, & non antea, a Fratribus Conventuum hujuſmodi reſpective eligantur, ſeu poſtulentur, ac deinde ipſi ſic electi, ſeu poſtulati, tempore quo Capitulum Provinciale celebratur, per dictum Capitulum, ſeu ipſo jam celebrato, per tunc exiſtentem Priorem Provincialem confirmentur, vos alias in Civitate Mantuę Capitulo Provinciali utriuſque Lombardię celebrato, mature conſiderantes temporis ſpatium inter electionem, ſeu poſtulationem, & confirmationem prędictas, neceſſario interponi, & ſi ſucceſſores, ut pręfertur, electos, ſeu poſtulatos a Conventibus prędictis abeſſe contingat quamplures dies, & menſes, ante eorum redditum, plerumque conſumi, & pręterire; interimque Conventus hujuſmodi cum maximo illorum diſpendio Prioribus carere, ut diſpendio hujuſmodi Fratrum dictorum Conventuum, rixis, & diſcordiis, cęteriſque ſcandalis, quę evenire poſſunt, occurreretis, & Conventuum indemnitati, Fratrumque eorundem unanimitati, & concordię conſuleretis, decreviſtis, & ordinaſtis, ut deinceps ante tempus, quo Capitulum pręfatum celebraretur, Fratres Conventuum dicti Regni, & aliorum, quibus vobis expedire viſum fuiſſet, ſucceſſores tunc exiſtentium Priorum Conventuum eorundem, etiam quod tunc exiſtentes Priores prędicti eſſent, per ſex, vel ſeptem Menſes poſt dictum Capitulum celebratum in eorum officiis adhuc reſpective permanſuri, eligere, ſeu poſtulare poſſent; ipſique ſic electi, ſeu poſtulati per Capitulum hujuſmodi,

ſeu

ſeu ipſo finito per tunc exiſtentem Priorem Provincialem, ut prefertur, confirmarentur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Decretum, & Ordinatio prędicta, non ſint adhuc ſortita effectum, & ſi ſervarentur, uſuique, & executioni mandarentur, ex hoc profecto Conventus, & Fratres prędicti quamplura commoda, & utilitatem per maximam conſequerentur; pro parte Fratrum eorundem fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut vobis decretum, & Ordinationem hujuſmodi ſervari faciendi, illaque uſui, & executioni demandandi, licentiam, & facultatem concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut decretum, & Ordinationem hujuſmodi, in poſterum ſervari facere, uſuique, & executioni mandare libere, & licite valeatis; ac dictis Fratribus, ut illis uti poſſint, licentiam, & facultatem, Apoſtolica auctoritate, per pręſentes concedimus, & indulgemus, decretum, & ordinationem prędicta poſtquam in eſſe deducta fuerint, dicta auctoritate approbantes, & confirmantes, illiſque perpetuę firmitatis robur adiicientes; ſupplentes quoque omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon pręmiſſis aliiſque Conventuum, & Ordinis Prędicatorum, juramento, & confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate, alias roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, ac literis Apoſtolicis, eidem Ordini, & illius Fratribus per Sedem Apoſtolicam conceſſis, & confirmatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, pro eorum ſufficienti derogatione, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda foret, tenores eorum pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice duntaxat, harum ſerie, ſpecialiter, & expreſſe derogamus; contrariis quibuſcunque. Aut ſi Fratribus dicti Ordinis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIV Martii MDXLI, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Electione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo triplex exemplar authenticum. Legitur etiam in *Bullario Bononienſi pag.* 101.

Ne Bergomenſes (1) Fratres Decimas (2) ſolvant.

Anno 1541 Die 3 Aprilis.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Dilectis filiis Prioribus, ac Fratribus Domus S. Stephani Bergomen. Ordinis Fratrum Prędicatorum.

PAULUS PP. III.

LXX.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſtis, quod licet alias felicis recordationis Clemens Papa VII Prędeceſſor noſter, tunc Vicario Generali, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Congregationis Lombardię regularis Obſervantię, nunc Provincię utriuſque Lombardię, quod ad ſolutionem decimarum per eum tunc impoſitarum, & pro tempore imponendarum, ac contributionem in illis faciendam, ſolum, & duntaxat pro reſiduo fructuum bonorum per eos poſſeſſorum, quod demptis ſeptem ducatis auri pro quolibet Fratre ſupereſſet, & non aliter tenerentur, & ad ſolvendum decimas ipſas, aliter, quam de reſiduo fructuum bonorum hujuſmodi minime compelli, nec propterea aliquibus cenſuris innodari poſſent, per quaſdam ejus in forma Brevis literas conceſſerit, & indulſerit; diſtrictius inhibendo omnibus, & ſingulis dictarum Decimarum collectoribus tunc, & pro tempore deputatis, ne eos, aut aliquem eorum quovis prętextu ad aliquam ſolutionem, ſeu contributionem decimarum hujuſmodi coarctare, vel deſuper moleſtare quoquo modo pręſumerent, & deinde Nos dilectorum filiorum Priorum ac Fratrum Domorum Ordinis, & Provincię hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, literas prędictas cum conceſſione indulti, inhibitionis, ac omnibus, & ſingulis aliis in eis contentis clauſulis per noſtras etiam in forma Brevis literas (4) approbaverimus, & innovaverimus, ſuoſque effectus ſortiri, & ab omnibus inviolabiliter obſervari debere, decreverimus; diſtrictius inhibendo ejuſdem collectoribus, & ſubcollectoribus, ac exactoribus, & commiſſariis, ſub excommunicationis latę ſententię, & quingentorum ducatorum auri de camera, partim eiſdem Prioribus, ac Fratribus, ac partim Camerę Apoſtolicę applicandorum, necnon noſtrę indignationis, pęnis, ne dictos Priores, & Fratres, vel eorum quemlibet contra dicti Prędeceſſoris, ac noſtrarum literarum hujuſmodi tenorem moleſtare pręſumerent. Nihilominus collectores, & ſubcollectores, ac alii exactores, & commiſſarii decimarum ad prę ſens impoſitarum, vos quorum Domus S. Stephani prędicta infra limites ejuſdem Provincię, ut aſſeritis, exiſtit, ad ſolutionem decimarum earundem aliter quam juxta dicti Prędeceſſoris literarum hujuſmodi continentiam, & tenorem, ex eo quod in literis noſtris prędictis de vobis, ac domo veſtra hujuſmodi nulla ſit in ſpecie facta mentio, cogere, ac alias in pręmiſſis diverſimode moleſtare, vexare, & inquietare prę ſumunt, in gravem veſtram perturbationem. Quare Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut literas Prędeceſſoris prędicti, ac noſtras hujuſmodi, & quoad vos, & quoad dictam domum, obſervari facere, perinde ac ſi in illis de vobis, & dicta Domo fuiſſet facta mentio ſpecialis, aliaſque vobis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur vos, ut liberius divinis beneplacitis vacare poſſitis, paterno affectu confovere volentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, literas dicti Prędeceſſoris, ac noſtras pręfatas, cum approbationis,

Diplomatis cauſa.

Exordium.

in

innovationis, inhibitionis, & decreti, ac omnibus, & ſingulis aliis in eis contentis clauſulis, & in vobis, & domo veſtra hujuſmodi, effectus ſortiri, & ab omnibus inviolabiliter obſervari debere, perinde ac ſi in dictis literis de vobis ac dicta Domo ſpecialis mentio facta fuiſſet, quatenus ipſa domus in dicta Provincia contineatur, auctoritate Apoſtolica decernimus, diſtrictius inhibentes eiſdem, ac pro tempore futuris collectoribus, & ſubcollectoribus, ac exactoribus, & commiſſariis, ſub pęnis prędictis, ne vos, aut veſtrum quemlibet contra literarum noſtrarum hujuſmodi tenorem moleſtare, perturbare, ſeu inquietare pręſumant; Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis literis ſuper decimarum hujuſmodi impoſitionibus, pro tempore, & noviſſime emanatis, contrariis quibuſcunque, aut ſi Collectoribus, & ſubcollectoribus, ac exactoribus, & commiſſariis pręfatis, vel quibuſvis aliis, communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Aprilis MDXLI, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Bergomenſes*.) In *Statu Veneto*.
2. *Decimas*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*
3. *Archivo*.) In quo Exemplar ex autographo *Bergomenſi*.
4. *Literas*.) Vide Notas ad Conſtit. *LXVII.*

Anno 1541 Die 25 Auguſti.

LXXI.

Indulgentia pro Generali Capitulo celebrando (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

PAULUS PP. III.

Univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. A Superno patre familias, meritis licet imparibus, in domo Domini diſpenſatores conſtituti, theſaurum Dominicum divinitus Nobis commiſſum, ſic diſpenſare Nos convenit, ut illius erogatione populum Chriſtianum Domino acceptabilem, ac bonorum operum ſectatorem, reddere valeamus. Cum itaque dilectus filius Angelus (3) Ghiaccetus de Florentia, modernus Vicarius Generalis totius Ordinis Prędicatorum, & Fratres ipſius, pro conſervatione religioſę vitę juxta regulam, & conſtitutiones ejuſdem Ordinis, ac electione futuri Generalis (4) Magiſtri, ſuum Capitulum Generale in Urbe in Domo S. Marię ſupra Minervam, de mandato noſtro, & noſtra certa ſcientia in feſto Pentecoſtes (5) proxime futuro, more ſolito, ſint celebraturi, ad ipſiuſque Capituli celebrationem, multi viri zelo Religionis pleni, ac ſcientia, morumve probitate prędıti, & quam plures a quibuſcunque mundi partibus prędicti Ordinis profeſſores, Altiſſimo favente, ſint acceſſuri, ad quorum ſuſtentationem, cum dictę domus tenuiſſimi redditus, non ſufficiant, Chriſti fidelium ſuffragia ſunt neceſſaria, Nos, ut Chriſti fideles hujuſmodi promptiores reddantur ad pręfatorum Fratrum pro Capituli hujuſmodi celebratione venturorum ſubventionem, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum, ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in Dominica Reſurrectionis D. N. J. C. proxime futurę, vel in aliqua ex ſecunda, & tertia feriis dictam Dominicam ſequentibus, prędictam S. Marię ſupra Minervam, in ipſa, ac Dominica Reſurrectionis tantum inchoando a primis veſperis uſque ad occaſum Solis incluſive, S. Dominici Neapolis (6), vel S. Dominici Cuſentin. (7), aut S. Dominici Panormiten. (8), vel SS. Johannis, & Pauli Venetiarum (9), vel S. Jacobi Pariſien. (10), aut Sancti Romani Toloſan. (11), ſeu S. Marię de Conforto Lugdunen. (12), vel S. Catherinę Barchinon. (13), aut S. Petri Martyris Toletan. (14) dicti Ordinis, Eccleſias viſitaverint, & ad pręmiſſa manus porrexerint adjutrices, vel ad illas pro dicti Capituli celebratione, & Fratrum ad illud venientium ſuſtentatione, eleemoſynas miſerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, ac indulgentiam, tenore pręſentium, concedimus, & elargimur. Et ut Chriſti fideles prędicto tempore, conſcientię pacem, & animarum ſalutem, Deo propitio, facilius conſequantur, ac indulgentię, & remiſſionis ejuſdem, capaciores reddantur, pręfato Vicario, ac Pręſidentibus, ſeu Prioribus ſingularum Eccleſiarum prędictarum, nonnullos ejuſdem Ordinis profeſſores eligendi, ac deputandi, qui confeſſiones pręfatorum Chriſti fidelium prędicto tempore audire, & illorum confeſſionibus diligenter auditis, ipſos ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, & exceſſibus, & delictis, quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicę reſervatis, exceptis contentis in Bulla, quę legitur in Cęna Domini, abſolvere, eiſque pęnitentiam ſalutarem injungere, necnon vota per eos emiſſa, ultra marino, viſitationis liminum Apoſtolorum Petri, & Pauli de Urbe, ac S. Jacobi in Compoſtella, necnon religionis, & caſtitatis, votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera, commutare, libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam, & facultatem concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Cancellarię Apoſtolicę regulis, & ſimilium indulgentiarum, etiam pro Cruciata, & fabrica Baſilicę S. Petri de Urbe, ſuſpenſionibus, & revocationibus, per Nos, aut Prędeceſſores noſtros, factis, & faciendis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod ſi caſu aliquo pręfatum Capitulum ſupradictorum Fratrum, ad locum alium transferri contigerit, quęcunque de pręfata Eccleſia B. Marię, quoad indulgentias pręmiſſas, ſicut de illa Eccleſia, apud quam Capitulum ipſum, celebrari contigerit, intelligi debeant. Ceterum, quia difficile foret, pręſentes literas originales, ad ſingula quęcunque loca opportuna deferri, volumus, atque auctoritate Apoſtolica decernimus, quod eorum tranſumptis, manu Notarii publici ſuſcriptis, & ſigillo officii Vicarii Ordinis prędicti munitis, ubique ea

Indulgentia.

pror-

prorſus fides adhibeatur, quę preſentibus noſtris adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XXV Auguſti MDXLI, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Bloſius El. Fulgin.

1. *Celebrando.*) Anno *MDXLII* Romæ celebratum fuit.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum anno *MDXLI* typis impreſſum.
3. *Angelus.*) *De Florentia* nuncupatus ex patria.
4. *Futuri Generalis.*) *Albertus de Caſaus* Generalis Magiſter renunciatus fuit.
5. *Pentecoſtes.*) Fuit hoc anno *XXVIII* Maii.
6. *Neapolis.*) In ejuſdem nominis Regni Metropoli.
7. *Cuſentin.*) In *Calabria*.
8. *Panormiten.*) *Panormitan.*, in *Sicilia*.
9. *Venetiarum.*) In ejuſdem nominis Status Metropoli.
10. *Pariſien.*) *Lutetia* nempe *Pariſiorum*, in *Galliarum* Regni Urbe Regia.
11. *S. Romani Toloſan.*) Ergo tunc juris Ordinis erat hocce Cœnobium, in quo totius Religionis noſtræ jacta fundamenta.
12. *Lugdunen.*) In *Gallia*.
13. *Barchinonen.*) In *Catalonia*.
12. *Toletan.*) In *Caſtella* Regno *Hiſpania*.

Fidei Cenſores inquirant in omnes, qui ſcandaloſas, & id genus ceteras propoſitiones docuerint.

Anno 1542 Die 14 Januarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXXII.

PAULUS PP. III.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

IN Apoſtolici culminis ſpecula, divinę gratię munere, collocati, nihil magis eſſe noſtri officii duximus, quam ſedulo, ac diligenter omnia circunſpicere, quę Catholici Nobis commiſſi gregis cuſtodię, ac conſervationi conferunt, illamque imprimis curam ſuſcipere, ut quę materiam ſcandali prębere poſſent, penitus ſuccidantur, ac radicitus extirpentur &c. quorundam indultorum, ac conceſſionum, ſeu privilegiorum, & exemptionum a Sede Apoſtolica per ipſos obtentorum ſe ab Inquiſitoribus hęreticę pravitatis in eiſdem Civitatibus, & locis per Sedem Apoſtolicam, aut illius auctoritate deputatis, illorumque jurisdictione exemptos prętendentes, varias propoſitiones ſcandaloſas, & erroneas, ac piarum mentium offenſivas, & quandoque etiam hęreſim ſapientes, ac Catholicę Fidei minus conſonas, Chriſtianęque pietati, & bonis moribus minime conformes, publice proponere, & diſputare, ac pro viribus ſuſtinere, necnon populis prędicare, non ſine magno Chriſti fidelium animarum periculo, ipſiuſque fidei detrimento, & totius Religionis opprobrio, temere audeant, & pręſumant. Nos, qui deſideranter in votis gerimus, ut fides pręfata noſtris proſperet temporibus, & pravitas hęretica de finibus fidelium extirpetur, attendentes, non ideo ab Apoſtolica Sede privilegia, & exemptiones concedi ſolitas eſſe, ut per ea ſcandala, & fidei diminutio generentur, ſed potius ad ea tollenda, & ipſam fidem augendam, volentes, ne de cetero per propoſitiones, & prędicationes hujuſmodi in perditionem, quod abſit, animę fidelium prolabantur, obviare, &, ne exemptionum prędictarum prętextu valeant talium pręſumptores in eorum tam deteſtabili temeritate perdurare, eorumque iniquitas remaneat impunita, morbo hujuſmodi neceſſariam adhibere medelam, motu proprio, & ex noſtra ſcientia, volumus, ſtatuimus, & ordinamus, quod Inquiſitores pręfati in tota Italia, & Inſula Chii deputati, & in poſterum deputandi, contra omnes, & ſingulos tam ſeculares, quam Religioſos quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium profeſſores, cujuſcunque gradus, ſexus, ſtatus, conditionis, dignitatis, & prę eminentię, non tamen Epiſcopalis, exiſtant, qui propoſitiones ſuſpectas, ſcandaloſas, periculoſas, errores continentes, hęreſim ſapientes, ac alias catholicę fidei minus conſonas, Chriſtianęque pietati, ac bonis moribus minime conformes hujuſmodi, vel earum quaslibet, in poſterum aſſerere, ſeu publice proponere, & populis prędicare, audeant, vel pręſumant, juxta auctoritatem, & poteſtatem eiſdem Inquiſitoribus a jure, vel alias quomodolibet traditam, & conceſſam, procedere, & inquirere, ſuamque juriſdictionem exercere debeant, necnon eis contra illos juxta prędictam poteſtatem, ut pręfertur, procedendi, & inquirendi, & juriſdictionis hujuſmodi exercendę facultatem, quantum opus ſit, eadem auctoritate de novo concedimus, decernentes pręſentibus noſtris literis, niſi per ſignaturam manu noſtra ſignatam, minime derogari poſſe, irritumque, & inane ſi ſecus ſuper his a quocunque, quacunque auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, diſtrictiuſque inhibentes locorum Ordinariis ſub interdicti ingreſſus Eccleſię, & ſuſpenſionis a regimine, & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, necnon Civitatum, & locorum quorumlibet Dominis, Gubernatoribus, & Rectoribus, ac aliis quibuſcunque ſub excommunicationis latę ſententię, ac bonorum ſuorum privationis pęnis eo ipſo, ſi contrafecerint, incurrendis, ne Inquiſitores pręfatos, quo minus contra propoſitiones pręfatas, vel earum quaslibet, ſub indultorum, conceſſionum, privilegiorum, & exemptionum eorundem, aut quovis alio pretextu, aſſerentes, proponentes, prędicanteſque hujuſmodi procedere, inquirere, eorumque juriſdictionem exercere libere poſſint, & valeant quovis modo, per ſe, vel alium, ſeu alios, directe, vel indirecte impedire pręſumant. Non obſtantibus pręmiſſis, & Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon ordinum eorundem, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & exemptionibus prędictis quibuſvis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, etiam per Nos, & Sedem Apoſtolicam conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio habenda foret, tenores hujuſmodi pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice duntaxat,

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

illis

illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Et quia difficile foret, pręſentes noſtras literas originales ad ſingula loca, quo opus foret, deferri, volumus, & decernimus, quod earum tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis ęadem fides individua in judicio, & extra ubicunque exhibitę fuerint, detur, & eiſdem ſtetur, ac ſi originales literę ipſę exhibitę forent, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIIII Januarii MDXXXXII, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex *Viglevanenſi* autographo. Aliud autographum aſſervatur in Archivo *Bononienſis* Inquiſitionis. In Bullario *Romano* eſt XXX.

Anno 1542
Die 3 Junii.

Indulgentia (1) Roſarium recitantibus conceſſa.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIII. Nos Frater Johannes (3) a Toleto miſeratione Divina Tituli S. Sixti Romanę Eccleſię Presbyter Cardinalis, Eccleſię Burgenſis perpetuus adminiſtrator &c. dilectis Nobis in Chriſto Univerſis Patribus, & Fratribus in regnis Hiſpanię Ordinis Prędicatorum, Salutem in Domino Sempiternam.

Notum vobis facimus, quod hodie Sanctiſſimus in Chriſto pater, & Dominus noſter Dominus Paulus Divina providentia PP. III, animadvertens devotionem Roſarii B. Marię Virginis in Regnis Hiſpanię in dies augeri, ut eo amplius augeatur, quo donis potioribus communitur, conceſſit, & indulſit per ſuę vivę vocis Oraculum, Nobis deſuper factum, auctoritate Apoſtolica, quatenus univerſi Chriſtifideles, in cunctis Regnis Hiſpanię degentes, & commorantes, qui Roſarium, ſive Pſalterium ipſius B. V. Marię recitaverint, quoties illud integrum recitaverint, toties eaſdem Indulgentias, & peccatorum remiſſiones conſequantur, quas auctoritate Apoſtolica eis conceſſas conſequuntur Coronam B. Marię Virginis recitantes. In cujus rei teſtimonium pręſentes noſtrę atteſtationis literas per Secretarium noſtrum fieri, & ſubſcribi, noſtrique ſigilli appoſitione communiri, mandavimus. Datum Romę apud Parionem in Ædibus noſtrę ſolitę reſidentię ſub Anno a Nativitate Domini MDXLII die vero tertia Menſis Junii, Pontificatus Domini Noſtri Papę Anno Octavo.

Jo: Cardinalis Burgenſis.

A. Barba.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Hiſpalenſi.*
3. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

Anno 1542
Die 3 Junii.

Ne trahentes originem (1) ex Judæis, vel ab Inquiſitoribus damnati aſcribantur Aragoniæ Provinciæ, & ut aſcripti repellantur ab officiis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIV. Nos Frater Johannes (3) a Toleto miſeratione Divina Tit. Sancti Sixti, Sanctę Romanę Eccleſię Presbyter Cardinalis, Eccleſię Burgen. perpetuus adminiſtrator &c. Univerſis, & ſingulis Provinciali, Prioribus, Patribus, & Fratribus Provincię Aragonię Ordinis Prędicatorum, Salutem in Domino Sempiternam.

Hodie Sanctiſſimus, & Dominus noſter Dominus Paulus, Divina providentia Papa Tertius, intelligens, ex receptione deſcendentium a judęis, vel condemnatis per Inquiſitores hęreticę pravitatis quamplurima ſcandala in veſtra Religione fuiſſe exorta, & propterea cupiens bonori, quieti, & ſtatui veſtri Ordinis ſalubriter in Domino providere, ſupplicationibus noſtris ex parte veſtra eidem Sanctitati ſuę porrectis inclinatus, vobis, ut de cetero neminem deſcendentem ex patre, aut avo, vel proavo judęo, vel ab Inquiſitoribus hęreticę pravitatis condemnatum, ad veſtri Ordinis Prędicatorum habitum in Provincia veſtra recipere, nec ad illos recipiendum, ſeu eis officia Ordinis dandum a quoquam, quavis cauſa, compelli, & cogi poſſitis, inhibuit. Minimeque illos, qui ſunt uſque ad pręſentem diem recepti, tam ex prędicta ſtirpe, & genere, quam ex nota Inquiſitionis infecti, ad Provincialatus, ſive Prioratus, ſeu alia veſtri Ordinis officia aſſumi, vel eligi poſſe; quinimmo a prędictis officiis ſemper excluſi exiſtant; per ſuę vivę vocis oraculum, nobis deſuper factum, decrevit, & indulſit. In cujus rei teſtimonium pręſentes noſtras atteſtationis literas per ſecretarium noſtrum fieri, & ſubſcribi, noſtrique ſigilli appenſione communiri mandavimus. Datum Romę apud Parionem in ędibus noſtrę ſolitę reſidentię ſub anno a Nativitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Secundo, die vero tertia menſis Junii, Pontificatus pręfati Domini noſtri Papę Anno Octavo.

Ita atteſtamur, & fidem facimus Cardin. Burgen.

Antonius Barba Secret.

1. *Originem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Barchinonenſi.*
3. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

Ut

Ut officium S. Raymundi (1) de Peñaforti, die (2) qua mortuus eſt, fiat in Aragoniæ Provincia.

Anno 1542 Die 3 Junii.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

LXXV.

Nos Frater Johannes (4) a Toleto miſeratione divina tituli Sancti Sixti Sanctę Romanę Eccleſię Presbyter Cardinalis, Eccleſię Burgen. perpetuus adminiſtrator &c. Dilectis Nobis in Chriſto univerſis, & ſingulis Patribus, & Fratribus Provincię Aragonię Ordinis Prędicatorum, ſalutem in Domino ſempiternam.

HOdie Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter Paulus, divina providentia Papa III, animadvertens, ſicut ex fide dignorum relatione intellexit, Beatum Raymundum de Peñaforti prędicti veſtri Ordinis quondam Generalem, cujus corpus in Monaſterio Prędicatorum Barchinonen. requieſcit, quamplurimis clarere miraculis, ac propterea cupiens veſtrę, & aliorum Chriſti fidelium devotioni ſatisfacere, ſupplicationibus veſtris inclinatus, vobis, ut die, quo emiſit ſpiritum, ſingulis annis in veſtris Conventibus, & Monaſteriis, ac ſi eſſet Canonizatus (5) officium de eo etiam ſolemniter, ad laudem Omnipotentis Dei, & veſtri Ordinis decorem, facere, & dicere poſſitis, per ſuę vivę vocis oraculum, Nobis deſuper factum, auctoritate Apoſtolica indulſit. In cujus rei teſtimonium pręſentes noſtras atteſtationis literas per ſecretarium noſtrum fieri, & ſubſcribi, noſtrique ſigilli appenſione communiri, mandavimus. Datum Romę apud Parionem in ędibus noſtrę ſolitę reſidentię, ſub Anno a Nativitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Secundo, die vero Tertia Menſis Junii, Pontificatus pręfati Domini noſtri Papę Anno Octavo.

Ita atteſtamur, & fidem facimus Cardinalis Burgen.

Antonius Barba Secret.

1. *S. Raymundi.*) De quo ſæpius dictum fuit.
2. *Die.*) Obiit *S. Raymundus* Die *VI* Januarii, uti refert *Marſilius* auctor antiquus apud *Franciſcum Diago Hiſtor. Provinciæ Aragonia Lib. II Cap. XX pag.* 129, ubi hæc habet: *Sic jam longe quaſſatus ſenio cœpit infirmari, & a Rege* (Aragoniæ) *ac Rege Caſtellæ ſæpius viſitatus, in die Epiphania Domini circa horam ſextam illum pſalmum incipiens: Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob, præſentibus Fratribus, & orantibus, ſpiritum reddidit Creatori. Interfuerunt autem ejus celebribus exequiis Rex Caſtellæ Ildefonſus, & germanus ejus Ferrandus, & filius ejus Sancius, & duo Infantes minores: Rex Jacobus, & Infans filius Jacobus, Epiſcopus Barchinonenſis; Oſcenſis, Conchenſis, & plures alii Prælati, ac Principes, & nobiles, & totus Clerus, & Populus Barchinonenſis, & corpus illud tam venerabile ſepultura dederunt.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Barchinonenſi*. Ejus meminit *Diago* mox laudatus *Capite XXVII pag.* 135.
4. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
5. *Canonizatus.*) A *Clemente VIII* Cultibus aſcriptus fuit, ut poſtea dicetur.

Ut ea, quæ pro Monialibus Hiſpaniæ Provinciæ, ſancita ſunt a Clemente VII ſerventur a Monialibus Provinciæ Portugalliæ.

Anno 1542 Die 26 Julii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXXVI.

Dilectis filiis Prioribus Provincialibus Ordinis Fratrum Prędicatorum ſub regulari obſervantia Hiſpanię, & Portugallię, ſecundum morem ejuſdem Ordinis Provinciarum, & utrique eorum.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

DUdum felicis recordationis Clemens PP. VII, Prędeceſſor noſter, periculoſo, & deteſtabili quarundam Monialium ſtatui, quę honeſtatis laxatis habenis, & monachali modeſtia, ſępiuſque verecundia, impudenter abjectis, extra ſua Monaſteria, nonnunquam per habitacula ſecularium perſonarum diſcurrebant, & frequenter infra eadem Monaſteria, perſonas ſuſpectas admittebant, in illius, cui ſuam integritatem voluntate ſpontanea devoverant, offenſam, & religionis opprobrium, & ſcandalum plurimorum, providere ſalubriter cupiens, per ſuas in forma Brevis literas, ſtatuit, & ordinavit, quod tunc, & pro tempore exiſtens Prior Provincialis Ordinis Fratrum Prędicatorum de obſervantia Provincię Hiſpanię, ſecundum morem ipſius Ordinis, & eo, aut aliquo ex ſucceſſoribus ſuis, mortuo, & amoto, ejus loco pro tempore ſuccedens Vicarius Generalis in eadem Provincia, omnimodam juriſdictionem, ſuperioritatem, & auctoritatem, tam ordinariam, quam Apoſtolicam, in omnia, & ſingula Monaſteria, & Domos quarumcunque Monialium, & Sororum ſub cura Fratrum dicti Ordinis degentium, illorumque Prioriſſas, Abbatiſſas, Supprioriſſas, Conventus, Moniales, & Sorores, etiam Tertii Ordinis S. Dominici, tam ſegregatim, quam conventualiter viventes, & particulariter, & in domibus propriis habitantes, habere, & exercere, ac una cum Definitoribus Capituli Provincialis ipſius Provincię, quęcunque ſtatuta, & ordinationes, licita, & honeſta, ac Sacris Canonibus non contraria, circa ſtatutum, & regimen Monaſteriorum, domorum, & locorum, ac Monialium, & Sororum prędictorum, ac bonorum eorundem, & illa quomodolibet concernentia, quoties eis videbitur opportunum, auctoritate Apoſtolica condere, edere, reformare, & mutare, ac alterare, necnon quaſcunque, de-

quibus eis placuiſſet, pęnas in contravenientes apponere, licite, & libere valerent, quę eo ipſo, qun condita, & edita, ſeu reformata, aut immutata forent, dicta auctoritate Apoſtolica, confirmata, & approbata eſſent, & eſſe cenſerentur, ac etiam per ipſas Moniales, & Sorores, etiam collegialiter viventes, inviolabiliter obſervari deberent, nullaque Monialis Provincię hujuſmodi ſub cura Fratrum Ordinis hujuſmodi degens, Mnnaſterium, etiam recuperandę ſanitatis, & ſalubrioris aeris, aut aliis quantumcunquę urgentiſſimis cauſis, abſque expreſſa, tunc, aut pro tempore Prioris, aut Vicarii hujuſmodi licentia, exire, aut Confeſſorem ſibi eligere, ſeu modo aliquo a tunc, aut pro tempore exiſtentis Prioris Provincialis, ſeu Generalis Ordinis hujuſmodi obedientia, vel ſuperioritate, prętextu cujuſvis conceſſionis, & gratię, etiam Apoſtolicę, ſe ſubtrahere, nullaque perſona cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, ſexus, & conditionis exiſteret, Monaſterium aliquod Monialium, aut Sororum hujuſmodi, etiam ex quantumcunque nrgentiſſimis cauſis, ingredi, etiam pretextu quarumvis literarum Apoſtolicarum, etiam in forma Brevis, & confeſſionalium, ac ab officio Pęnitentiarię Apoſtolicę quomodolibet emanatarum, & emanandarum, aliquatenus poſſet, quodque tunc, & pro tempore exiſtens Prior Provincialis, ſen Vicarius hnjuſmodi literis Apoſtolicis in forma Brevis, ac officii Pęnitentiarię, & Confeſſionalibus quibuſcunque, etiam a Sede Apnſtolica, vel ejus Legatis, ac alias quomodolibet emanatis, & emanandis, etiam excommunicationis, & alias quantumcunque formidabiles cenſuras, & pęnas, in ſe continentibus, ac executoribus, & judicibus in eis deputatis, ad hoc, ut aliqua ex Monialibus prędictis Provincię hujuſmodi, clauſuram ſui Monaſterii exire, aut aliqua, etiam quantumcunque qualificata perſona, aut perſonę utriuſque ſexus, tam ſeculares, quam eccleſiaſticę, etiam religioſę Ordinum quorumcunque, etiam Mendicantium, ac qnacunque dignitate etiam Epiſcopali, Archiepiſcopali, ſeu ſuperiori, eccleſiaſtica, vel etiam mundana, Comitali, Marchionali, aut Ducali, Regali, Reginali, ac Imperiali fungen. clauſuram alicujus Monaſterii ſub cura Fratrum Ordinis hujuſmodi degentis, dictę Provincię intrare, etiam ex quantumcunque urgentiſſimis, & juſtiſſimis cauſis, aliquatenus poſſent, parere minime tenerentur, & ob non paritionem hujuſmodi, aliquas cenſuras, & pęnas incurrere nullatenus poſſent. Quinimmo literas eaſdem, ac in eis narrata, & contenta quęcunque, an honeſtati religinnis expedirent, examinare, & ſecundum quod per examen hnjuſmodi comperiſſent, exequi, & facere, libere, & licite valerent, nec ad aliud deſuper faciendum, ipſi, aut Abbatiſſę, vel Prioriſſę, & Moniales Monaſteriorum eorundem, aliquatenus tenerentur, ac quod ex tunc de cetero in perpetuum Moniales ſub cura Fratrum Prędicatorum in dicta Provincia degentes, non alterius, quam S. Dominici Ordinis Moniales, nuncuparentur, & ſic per quoſcunque, tam ordinaria, quam delegata, & mixta auctoritate fungen. judices, & perſnnas ubique judicari, cognoſci, atque decidi deberet, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, cognoſcendi, & decidendi facultate, ac quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decrevit, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, ad Moniales ſub cura Fratrum Ordinis hujuſmodi in Provincia Portugallię juxta morem dicti Ordinis degentes, in religionis obſervantia, quam tranſgrediuntur, & vitę munditia continendum, remedium pręfati Prędeceſſoris, in reducendo dictas Moniales Provincię Hiſpanię, plurimum neceſſarium exiſtat, Nos remedium ipſum, tanquam ſalutare, tam Hiſpanię, quam Portugallię Provinciarum Monialibus hujuſmodi prodeſſe volentes, ac ſtatutum, & ordinationem Prędeceſſoris hujuſmodi, ac prout illa concernunt, omnia, & ſingula in literis Prędeceſſoris hujuſmodi contenta, & inde ſecuta quęcunque, approbantes, & confirmantes, necnon ad Monaſteria, & domos, ac loca quęcunque Monialium, & Sororum ſub cura Fratrum Ordinis hujuſmodi in dicta Provincia Portugallię degentium, extendentes, & ampliantes, pręmiſſa omnia, & ſingula per eundem Prędeceſſorem in dicta Provincia Hiſpanię ſtatuta, & ordinata in Provincia Portugallię hujuſmodi, itaut tu, fili moderne, & pro tempore exiſtens Prior Provincialis Provincię Portugallię hujuſmodi, & te, aut aliquo ex ſucceſſoribus tuis mortuo, vel amoto, veſtrum loco ſuccedens Vicarius Generalis in eadem Provincia Portugallię, omnem eam jnriſdictionem, ſuperioritetem, & anctoritatem ordinariam, & Apoſtolicam, quam Prior Provincialis Provincię Hiſpanię hujuſmodi vigore literarum Prędeceſſoris hujuſmodi, in Moniales Provincię Hiſpanię hujuſmodi exercere poteſt, & una cum Definitoribus Capituli Provincialis dictę Provincię Portugallię ſtatuta, & ordinationes per Moniales, & Sorores Provincię Portugallię hujuſmodi, ut pręfertur, obſervanda, condere, edere, reformare, & mutare, ac omnia, & ſingula alia in eiſdem literis contenta, facere, & exequi libere, & licite poſſitis, ac Moniales, & Sorores Provincię Portugallię hujuſmodi, earum Monaſteria, niſi juxta literarum Prędeceſſoris hujuſmodi continentiam, & tenorem, exire, aut confeſſorem ſibi eligere, aut ab obedientia, tui, fili Prior Provincię Portugallię, & pro tempore exiſtentis Prioris Provincialis Provincię Portugallię hujuſmodi, ſubtrahere, vel quęvis perſonę Monaſteria Monialium, ſeu Sororum hujuſmodi ingredi, nullatenus poſſint, tuque, fili moderne, & pro tempore exiſtens Prior Provincialis Provincię Portugallię, ſeu Vicarius hujuſmodi literis, de quibus in ſtatuto, & ordinatione Prędeceſſoris hujuſmodi fit mentio, contra pręſentium tenorem, parere minime teneamini, necnon ob non paritionem hujuſmodi, aliquas cenſuras, aut pęnas incurratis, quinimmo literas noſtras, juxta ſtatuti, & ordinationis Prędeceſſoris hujuſmodi tenorem examinare, & alia in eiſdem ſtatuto, & ordinatione, contenta, facere poſſitis, Apoſtolica auctoritate prędicta, tenore pręſentium, ſtatuimus, & ordinamus. Et nihilominus univerſis, & ſingulis in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis perſonis, necnon quarumcunque Metropolitanarum, vel aliarum Cathedralium Eccleſiarum Canonicis ubilibet conſtitutis, per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus eorum quilibet per ſe, vel per alium, ſeu alios, qnoties opus fuerit, deſuper requiſitus, auctoritate noſtra, faciat pręmiſſa omnia, & ſingula, plenum effectum ſortiri, ac ab omnibus inviolabiliter obſervari, nec permittat quemcunque, contra tenorem pręſentium, modo aliquo moleſtari, impediri, aut inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per quaſcunque, de quibus ſibi placuerit, cenſuras, & pęnas, ac alia juris remedia, appellatione

poſt-

Nota.

Nota.

Mandatum.

poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis: Non obſtantibus piç memoriç Bonifatii PP. VIII, etiam Prędeceſſoris noſtri, de una, & in Concilio Generali de duabus dictis edita, ac aliis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ac in forma Brevis, & confeſſionalium, ac officii Pęnitentiarię Apoſtolicę, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque; & aliis decretis, quomodolibet, etiam pluries conceſſis, & concedendis, quibus omnibus etſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut certa, & exquiſita forma ſervanda foret, & in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſſet, illorum omnium tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modos, & formas ad id ſervandos, pro individuo ſervatis habentes, hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Julii MDXLII, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Blo. El. Fulgin.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 104 ex autographo *Salmanticenſi*.

Vota (1) Fratrum, & Sororum Tertii Ordinis Collegialiter viventium ſolemnia eſſe decernit.

Anno 1542 Die 26 Julii.

Ex Bullario Uſuſmaris pag. 207.

Dilectis filiis Magiſtro Generali, & Provincialibus, & Conventualibus Prioribus, univerſiſque Fratribus Ordinis Prędicatorum.

LXXVII.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nobis nuper feciſtis, quod licet alias felicis recordationis Sixtus PP. IV, Prędeceſſor noſter, accepto per eum quod quidam Fratres, & Sorores Tertii Ordinis S. Franciſci, ex ejus, vel Prędeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum ſpeciali conceſſione collegialiter viventes, poſt annum probationis in manibus ſui Miniſtri, ſeu Miniſtrę ab eorum Collegio canonice electi, vel electę, coram toto ſuo Collegio tria ſubſtantialia vota emittebant, & quod a pleriſque dubitatur, an talia vota eſſent ſolemnia, & Religionis obſervantię obligarent, per ſuas literas decreverit, & ſtatuerit, vota pręfata, ut pręmittitur, emiſſa, vel quę in futurum emitterentur de cetero, eam vim, & efficaciam habere, quam inducunt ipſa vota ſolemnia facta per quoſcunque Religioſos, & Religioſas de Religionibus a Sede Apoſtolica approbatis; Mandantes omnibus, & ſingulis cujuſcunque gradus, dignitatis, conditionis, ordinis eſſent, ſub quorum cura, vel juriſdictione Fratres, vel Sorores pręfati degebant, vel morabantur, aut degere, vel demorari contingeret in futurum, ne de cetero Fratres, vel Sorores pręfati, pręfata vota, modo pręfato emittentes, matrimonium de cetero contrahere, ſeu antea contractum poſt emiſſa vota hujuſmodi conſummare, vel Religionem ipſam dimittere, & ad ſecularem vitam redire, permitterent. Quodque ſi ipſi Fratres, & Sorores contrarium feciſſent, matrimonium hujuſmodi nullum fuiſſe, & eſſe Apoſtolica auctoritate decernerent; ac ipſos Fratres, & Sorores, id facientes, excommunicationis ſententia innodatos tandiu denunciarent, donec ad cor revertentes, habitum dictę Religionis reſumerent, & votum, ac profeſſionem ſuam, juxta ſtatuta, & conſuetudines dicti Ordinis obſervarent, meruiſſentque ab hujuſmodi excommunicationis ſententia a ſuis Superioribus abſolutionem obtinere, prout in eiſdem literis plenius continetur, ac omnia, & ſingula privilegia & indulta, Apoſtolica auctoritate eidem Ordini S. Franciſci quomodolibet conceſſa, vobis, & Ordini veſtro generaliter communicata fuerint, nihilominus quia literę Prędeceſſoris hujuſmodi vobis, & Ordini veſtro prędictis, ac ſub cura degentibus Sororibus Tertii Ordinis, ſeu Tertię Regulę S. Dominici, & ſpecialiter communicatę non reperiuntur, a nonnullis hęſitatur, an literę Prędeceſſoris hujuſmodi, etiam in Fratribus, & Sororibus dicti Tertii Ordinis, ſeu Tertię Regulę S. Dominici, collegialiter, ut pręfertur, viventibus, qui tria vota hujuſmodi emittere conſueverunt, locum ſibi vendicent. Quare Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut omnem hęſitandi materiam tollere, aliaſque vobis, & Ordini veſtro pręfato, in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, quarumcunque animarum ſalutem obnubilantia dubia, de cordibus fidelium tolli cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, dicta auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, decernimus, ac ſtatuimus, quod vota per Fratres, & Sorores dicti Tertii Ordinis S. Dominici emiſſa, juxta decretum Prędeceſſoris hujuſmodi ſolemnia ſint, & cenſeantur, ac eundem effectum prędictum faciant, & ad religionis obſervantiam arctent, & obligent. Mandantes omnibus, & ſingulis, ſub quorum cura, aut juriſdictione, Fratres, aut Sorores Tertii Ordinis, ſeu tertię regulę S. Dominici hujuſmodi degunt, & morantur, ſeu in poſterum degere, vel morari contigerit, cujuſcunque gradus, dignitatis, ordinis, aut conditionis exiſtant, ne de cetero Fratres, vel Sorores Tertii Ordinis,

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

ſeu Tertię Regulę S. Dominici bujuſmodi, qui prędicta vota, modo pręſato emiſerunt, matrimonium contrahere, ſeu antea contractum poſt emiſſionem bujuſmodi conſummare, aut religionem ipſam dimittere, & ad ſecularem vitam redire permittant. Quod ſi ipſi Fratres, vel Sorores contrarium fecerint, matrimonium bujuſmodi nullum fuiſſe, & eſſe, eadem auctoritate decernentes, ac Fratres, vel Sorores boc facientes, excommunicationis ſententia innodatos eſſe, tandiu denuncient, donec ad cor reverſi, babitum religionis Sancti Dominici reſumpſerint, & votum, ac profeſſionem ſuam ſecundum ſtatuta, & conſuetudines dicti Tertii Ordinis, aut Tertię Regulę modo prędicto collegialiter viventes obſervent, mereanturque ab hujuſmodi excommunicationis ſententia a ſuis Prioribus abſolutionem obtinere; Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quę dictus Prędeceſſor in literis ſuis voluit non obſtare ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Julii MDXLII Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Voto*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIV.*

Anno 1542 Die 26 Julii.

Fratres, & Sorores Provinciarum Hiſpaniæ, & Bæticæ peccata deponant (1) apud eos duntaxat quos Ordinis ſuperiores delegaverint.

LXXVIII.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

PAULUS PP. III.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa. NUper ex parte dilectnrum filiorum modernorum Priorum Provincialium Ordinis Fratrum Prędicatorum Hiſpanię, & Bętice Provinciarum, ſecundum morem dicti Ordinis, fuit Nobis expoſitum, quod a certo tempore citra nonnulli, tam ex Prioribus, & Pręſidentibus, aliiſque Fratribus Domorum Ordinis, & Provinciarum hujuſmodi, quam ſub Fratrum ejuſdem Ordinis cura, & inſtitutis degentibus, Ordinis S. Auguſtini, ac tertię Regulę Sancti Dominici Prioriſſis, Monialibus, & Sororibus Monaſteriorum, in dictis Provinciis conſiſtentium, propriis eorum Confeſſoribus per illorum Superiores pro tempore deputatis, quibus, & non aliis, ſecundum dicti Ordinis Conſtitutiones, & inſtituta hujuſmodi, eorum peccata confiteri debent, dimiſſis, & poſtpoſitis, in ipſorum Superiorum contemptum, occaſione nonnullorum privilegiorum, & indultorum, aliarumque literarum Apoſtolicarum, Confeſſionalium, vel alias nuncupatorum, ſibi conceſſorum, Confeſſores pro eorum libito voluntatis, nonnunquam Clericos ſeculares, quandoque vero etiam aliorum Ordinum profeſſores eligere, illiſque ſua peccata confiteri, & ab eis abſolutionem recipere, ipſique Confeſſores ſic electi, Confeſſiones Fratrum, Prioriſſarum, Monialium, & Sororum hujuſmodi audire, & eis pęnitentiam deſuper injungere, ac illos, & illas, etiam in Caſibus, in quibus eorum auctoritas non ſe extendit, abſolvere non verentur, in animarum ſuarum periculum, perinicioſumque exemplum, & ſcandalum plurimorum. Quare pro parte ipſorum Priorum Provincialium Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper boc opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Inhibitio. Nos igitur, hujuſmodi pericula, & ſcandala, ac exempla tollere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus, & ſingulis Ordinis, & Provinciarum earundem Prioribus, & aliis Fratribus, ac Prioriſſis, Monialibus, & Sororibus pręfatis, ne contra Conſtitutiones, & inſtituta hujuſmodi, etiam pretextu quorumcunque privilegiorum, indultorum, & literarum Apoſtolicarum, etiam, ut preſertur, vel alias nuncupatarum, etiam in favorem Fabricę Baſilicę Principis Apoſtolorum de Urbe, vel Sanctę Cruciatę, aut alias ſub quibuſcunque tenoribus, & formis conceſſorum, eorum peccata aliis, quam dictis Superioribus, vel per dictos Superiores, ut pręfertur, deputatis Confeſſoribus, confiteri; necnon quibuſvis prędicti, vel aliorum Ordinum profeſſoribus, & Religioſis, ac Presbyteris ſecularibus, qui in Confeſſores Fratrum, Prioriſſarum, Monialium, & Sororum prędictarum, ut prefertur, deputati non fuerint, corum Confeſſiones audire, vel eos abſolvere non pręſumant, Auctoritate Apoſtolica; per pręſentes ſub excommunicationis pęna inhibemus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac quibuſvis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus; privilegiis, quoque Indultis, & literis Apoſtolicis ſub quacunque verborum forma, & cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis Clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis per Sedem eandem hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis, quibus, & ſi in illis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus, aut nonniſi ſub certis modis, & formis, tunc expreſſis, derogari poſſit, illorum omnium tenores, & formas perinde, ac ſi de eiſdem de verbo, ad verbum, & non per clauſulas generales idem importantes, expreſſio facta, aut alia exquiſita forma ad id requiſita, ſervata fuiſſet, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis babentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe, barum ſerie derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Julii MDXLII, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Blo. El. Fulgin.

1. *Peccata*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XII.*

2. *Archivo*.) In quo Exemplar *Lib. B, fol.* 103 ex autographo *Salmanticenſi*.

Cer-

Certa quantitas Salis Urbevetanis (1) Monialibus quotannis tribuenda.

Anno 1542. Die 6 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXIX.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Monialibus Monaſterii Monialium Sancti Petri Urbevetan. ſub cura Fratrum Prędicatorum degentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

RElígionis zelus vitę munditia, aliaque veſtrarum virtutum merita Nos movent, ut vos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Hinc eſt, quod poſtquam alias Nos, ut vos divino cultui melius intendere, ac ſuſtentari valeretis, de alicujus ſubventionis auxilio providere volentes, vobis, ac ſucceſſoribus veſtris pro tempore exiſtentibus, quod duo Rubra (3) ſalis annuatim ex ſalaria, & civitate Cornetan. extrahere, & vobis, ſeu veſtro nuncio conſignari debere ſine aliqua pecuniarum exactione, ſed pro Deo, & eleemoſyna perpetuo, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine conſignaveramus, & aſſignaveramus, ſupplicatione deſuper, ſive motu proprio ſignato, quę quidem gratia, ſive conceſſio in manibus quondam Corradi viri Teutonici Pornarii (4) noſtri, dum viveret, exiſtens, ejus ſuperveniente obitu deperdita fuit, & nihil de illa reperiatur, ne gratia, per Nos vobis facta, hujuſmodi effectu fruſtretur, vobis providere, voſque ſpecialis gratię favore proſequi volentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ſimilia duo Rubra ſalis annuatim ex dicta ſalaria, & Civitate Cornetan. extrahenda, ac vobis, & veſtris ſucceſſoribus pro tempore exiſtentibus, ſive veſtro nuncio conſignanda, ſine aliqua pecuniarum exactione, ſed gratis pro Deo, & ex eleemoſyna, auctoritate Apoſtolica tenore prętentium damus, concedimus, & aſſignamus, ac ſine aliqua pecuniarum exactione, aut pretii ſolutione, ſed pro Deo, & eleemoſyna, dari, & aſſignari debere, decernimus, diſtricte pręcipiendo mandantes in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis latę ſententię, ac privationis officiorum pęnis dilectis filiis Commiſſariis, & Dohaneriis (5), ſive ſuperſtantibus ſalis dictę Civitatis, quatenus viſis, & receptis pręſentibus, & poſt quam pro parte veſtra ſuper hoc fuerint requiſiti, omni mora, & excuſatione ceſſantibus, vobis, & veſtris ſucceſſoribus pro tempore exiſtentibus, ſive veſtro nuncio ad hoc pro tempore deſtinato anno quolibet tempore debito, duo Rubra ſalis hujuſmodi gratis pro Deo, & eleemoſyna ſine aliqua pecuniarum exactione, vel petitione aliqua, nullo alio ad hoc perpetuo expectato mandato, vel commiſſione, tradant, & aſſignent, ac tradi, & aſſignari mandent, & faciant: Et nihilominus venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Cęſenaten., & dilecto filio Vicario venerabilis etiam Fratris noſtri Epiſcopi Urbevetani in ſpiritualibus Generali, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios vobis in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant vos, & ſucceſſores veſtras conceſſione, & aſſignatione, ac omnibus, & ſingulis pręmiſſis, & in pręſentibus contentis pacifice uti, frui, & gaudere, ac pręſentes literas, & in eis contenta per dictos commiſſarios, Dohanerios, & ſuperſtantes, ac alios ad quos ſpectat inviolabiliter obſervari; Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas compeſcendo, coſque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis; Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis dictis Commiſſariis, & ſuperſtantibus, & aliis nunc, & pro tempore exiſtentibus, ad quos ſpectat, in contrarium quomodolibet etiam per Nos, & Sedem Apoſtolicam conceſſis, confirmatis, & innovatis, ac concedendis, & confirmandis, quibus omnibus, & ſingulis etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non tamen per clauſulas generales id importantes, mentio habenda eſſet, illorum omnium tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus; Aut ſi commiſſariis, Dohaneriis, & ſuperſtantibus pręfatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę donationis, conceſſionis, aſſignationis, decreti, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Secundo, Octavo Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Diplomatis cauſa.

Conceſſio.

F. Galleanus pro R.
Ja: Cordellus &c.

1. *Urbevetanis.*) In ditione Pontificia.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographō Urbevetano.
3. *Rubra.*) *Rubbio* italice. Menſuræ genus eſt.
4. *Fornarii.*) Fortaſſis *Furnarii*, Piſtoris ſcilicet.
5. *Dohaneriis.*) Sic ab Italico verbo *Dogana* vocantur illi qui fiſcales redditus, vectigalia, & cetera id genus tributa exigunt.

Anno 1542 Die 13 Auguſti.

Ne quis ex Fratribus juriſdictionem (1) ſuperiorum declinare præſumat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXX.

Dilectis filiis Prioribus Provincialibus, & domorum Ordinis Fratrum Prędicatorum Hiſpanię, & Bętice, ad Aragonię, & Portugallię, juxta morem dicti Ordinis Provinciarum, ac eorum Vicariis, pro tempore exiſtentibus, & eorum cuilibet.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

DUdum cum felicis recordationis Clemens (3) PP. VII Prędeceſſor noſter accepiſſet, quod nonnulli Ordinis veſtri Fratrum Prędicatorum profeſſores, ac quę ſub cura, & inſtitutis veſtris degebant, Moniales, ſeu Sorores Hiſpanię, Bętice, ac Aragonię, & Portugallię juxta morem dicti Ordinis Provinciarum, vigore indultorum Apoſtolicorum, eis per literas confeſſionales particulariter conceſſorum, alios, quam per tunc exiſtentes Priores Provinciales, & domorum Ordinis, & Provinciarum bujuſmodi ad id pro tempore deputatos, abſque eorundem Priorum licentia, ſibi in Confeſſores eligere pręſumebant, & alii ad ſeculum retento habitu remeare cupientes, ſe ęgros, ac corporis, & animi languoribus vexari ſimulantes, aut alii parentum ſuorum inopię ſubveniendi, quęſito colore, necnon alii, ſe ſapientię avidos fingentes, & ad ſtudiorum univerſitates, citra ſuorum ſuperiorum licentiam, ſeu illa eis expreſſe denegata, accedentes, ac privilegiis, & exemptionibus ſcholarium abutentes, alii vero beneficia eccleſiaſtica per clericos ſeculares obtineri ſolita, aſſecuti, & alii ad Prędicationem Apoſtolicam, etiam pro miniſterio prędicandi indulgentias Cruciatę, contra infideles in ſubſidium Terrę Sanctę pro tempore electi, & aſſumpti, ac nonnulli alii Accolyti, Capellani, ſeu Palatii, & Aulę Lateranen. Comites creati, ſeu ad noſtram, vel unius ex ven. Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, aut alicujus Principis, vel alterius Domini temporalis, ſeu unius Archiepiſcopi, Patriarchę, Epiſcopi, vel alterius inferioris Prelati, ſeu perſonę familiaritatem recepti, & admiſſi, ac ad deſerviendum in divinis beneficiis ſecularibus deputati, ac nonnulli alii, qui habitum ipſius Ordinis in totum dimiſerant, ſeu dimittere intendebant, ſe regularia inſtituta ſervare, & ſub jugo dicti Ordinis, ulterius vivere non poſſe, vel ſe in dicto Ordine Profeſſionem nunquam, aut infra pubertatis annos, ſeu per vim, & metum, aut alias nulliter emiſiſſe, ſimulantes, & propterea ſe eidem Ordini, aut illius regulari obſervantię in genere, vel in ſpecie, minime teneri, Apoſtolica auctoritate declarari, & alii ad S. Auguſtini Canonicorum regularium, & alios Ordines tranſlati, aut numero, & conſortio Fratrum Hoſpitalis noſtri S. Spiritus in Saxia de Urbe aggregati, exinde, vel alias diverſimode literas Apoſtolicas libertatum, & exemptionum, per veri ſuppreſſionem, & falſi ſuggeſtionem, inadvertenter, aut per importunitatem a Sede prędicta impetraſſe, noſcebantur, & illarum prętextu, religionis laxatis habenis, in parentum, & conſanguineorum, & aliorum domibus per ſeculum vagari non verebantur, in animarum ſuarum periculum, & religionis opprobrium, pernicioſumque exemplum, & ſcandalum plurimorum, idem Prędeceſſor motu proprio, & ex certa ejus ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, tunc, & pro tempore exiſtentibus Prioribus Provincialibus, & domorum dictarum Provinciarum, per ejus literas commiſit, & mandavit, quatenus ipſi, & eorum quilibet, per ſe, & domibus bujuſmodi Pręſidentes, ac earum procuratores, ſi, & poſtquam aliquę literę Apoſtolicę, ad ipſorum Fratrum, vel aliorum inſtantiam, ſub plumbo, vel ſub Annulo Piſcatoris, aut per Pęnitentiariam noſtram, ſeu alias ſuper pręmiſſorum aliquo conceſſę, aut ſingula pręmiſſa concernentes, vel aliqua alia, veſtris regularibus inſtitutis quomodolibet derogantia, ſeu repugnantia, in ſe continentes, etiamſi in illis clauſula de licentia ſui ſuperioris petita, & obtenta, appoſita non reperiretur, ab eo, vel Sede prędicta, aut illius pro tempore majori Pęnitentiario, etiam motu proprio, vel cujuſvis etiam Imperatoris, Regum, Ducum, Marchionum, ac Comitum, & utriuſque ſexus perſonarum intuitu, vel contemplatione, ſub quacunque verborum forma; etiam ſuper quibuſvis ſupplicationibus a Romano Pontifice quomodocunque pro tempore ſignatis, emanatę, ſeu impetratę eis pręſentatę fuiſſent, ipſas, & in eis contenta quęcunque, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſola facti veritate inſpecta, diligenter examinare, & illis minus veris, & inſufficientibus compertis, literas prędictas, cum falſo impetratę eſſent, ac etiam ſi bene, recteque impetratę eſſent, in foro coſcientię duntaxat, & non in foro contentioſo, neque contra religionis conſuetudinem, valere, ſed eas tanquam ſubreptitias, & obreptitias, ac intentionis defectu laborantes, cum omnibus inde ſequutis, nullas, & invalidas fuiſſe, & eſſe, illaſque eiſdem impetrantibus nullatenus ſuffragari debere, auctoritate, & tenore prędictis declararent, ipſoſque Fratres, & Moniales, quos falſo impetraſſe, aut literis ſibi, ut prefertur, conceſſis, contra tenorem literarum Prędeceſſoris hujuſmodi, ut repeririſſent, ablatis ab eis, etiam violenter, dictis literis, capi, & ad domos, & Monaſteria propria redire, omnino, manu executiva cogerent, alioquin cauſis hujuſmodi veris, & comprobatis exiſtentibus, illarum impetratores, cum eiſdem literis ſuis ab eorum gremio eiicerent, & quatenus ipſi Fratres, & Moniales, retento habitu extra eorum obedientiam vivere mallent, aut alium a veſtro prorſus diſtinctum, habitum, diverſorum colorum, ſciſſurę, longitudinis, & latitudinis, eorundem Priorum arbitrio, ſub excommunicationis majoris latę ſententię, quam idem Prędeceſſor, ex tunc prout ex ea die, & e contra, in eos, & eorum ſingulos, tanquam in Apoſtatas ab habitu, ſi contra facerent, auctoritate, & tenore pręmiſſis tulit, & promulgavit, tam extra, quam intus domum, & publice deferre tenerentur, & deferrent, eadem auctoritate, ſtatuerent, & ordinarent. Et inſuper univerſis, & ſingulis utriuſque

ſexus

ſexus, tam eccleſiaſticis, quam ſecularibus perſonis cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditio-
nis exiſtentibus, quatenus abſque conſenſu Priorum Provincialium, & ipſis mortuis, vel amotis, de li-
centia Vicariorum hujuſmodi Provinciarum reſpective, pretextu aliquarum literarum Apoſtolicarum in
Monaſteriis Monialium dicti Ordinis, etiam de licentia illius pro tempore Priориſſę, & Monialium conſen-
ſu, etiam conventualiter pręſtito, intrare, aut per ipſam pro tempore Prioriſſam, & Conventum nul-
latenus recipi, vel admitti poſſent, ſub excommunicationis, aliiſque eccleſiaſticis cenſuris, & pęnis,
eorum arbitrio imponendis, quas contrafacientes eo ipſo, non expectata alia declaratione, aut ipſius
Prędeceſſoris conſultatione, incurrere voluit, diſtrictius inhibendo mandarent. Decernens idem Prę-
deceſſor in gratiis hujuſmodi, pręterquam quoad forum conſcientię, ſalvis pręſentibus, & de licentia
ſuperiorum petita, & obtenta, etiamſi expreſſe non apponerentur clauſulas, ſubintelligi debere, ac
inhiberi diſtrictius locorum ordinariis ſub interdicti ingreſſus Eccleſię, & ſuſpenſionis a regimine, & ad-
miniſtrationis ſuarum Eccleſiarum, inferioribus vero, etiam univerſitatum Rectoribus, ac illarum
conſervatoribus, & aliis quibuſcunque excommunicationis latę ſententię, & privationis beneficiorum
eccleſiaſticorum, quę obtinerent, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, pęnis, eo
ipſo per eos, qui contrafeciſſent, incurrendis, ne tunc Priores, & Vicarios pręfatos, quo minus Fra-
tres dicti Ordinis ſub indultorum, exemptionum, & aliarum gratiarum hujuſmodi ſpecie, extra eorum
domos, & obedientiam vagantes, juxta tenorem literarum Prędeceſſoris hujuſmodi, capere, & appre-
hendere, etiam violenter, illoſque ad domos, & loca, unde receſſerant, reducere, & carceribus man-
cipare volentes, & mandantes, quovis modo per ſe, vel alium, ſeu alios, directe, vel indirecte impedire
pręſumerent, nec aliquem eorum ad exercitium curę animarum Parochianorum ſuorum, & adminiſtra-
tionem Sacramentorum, ſolis curatis ſpectantium, abſque eo quod, illis de licentia pręd
icta, legitime
conſtitiſſet, admitterent. Nec eoſdem Fratres exemptos de cetero in diſtrictu particularium Eccleſiarum **Nota.**
ſuarum ſuperpelliceum ſuper habitu ipſorum geſtare permitterent, ac mandans ſuo pro tempore exiſ-
tenti in Alma Urbe, in ſpiritualibus Vicario, & quibuſvis aliis Curię pręd
ictę ordinariis, ac omnibus,
& ſingulis aliis ubique terrarum exiſtentibus reſpective judicibus, necnon univerſis, & ſingulis in dig-
nitate eccleſiaſtica conſtitutis, ſeu Metropolitanarum, vel aliarum Cathedralium Eccleſiarum Canoni-
cis, ac Inquiſitoribus hęreticę pravitatis, ut quoties pro parte alicujus Prioris Provincialis, ſeu domus
particularis, aut Pręſidentis, ſive procuratoris alicujus domus Ordinis, & Provinciarum hujuſmodi,
deſuper requiſiti fuiſſent, nemini deferentes, ſeu indulgentes, dictas literas, ubi, & quando opus foret,
publicantes, & eis in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, facerent, pręd
ictas literas, & in
eis contenta ſub pręd
ictis ſententiis, cenſuris, & pęnis, firmiter ab omnibus, & inviolabiliter obſervari,
contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris reme-
dia, de quibus cuilibet ex Prioribus Provincialibus, vel domorum, ſive Pręſidentibus, aut procurato-
ribus hujuſmodi videretur, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad id, ſi opus foret,
auxilio brachii ſecularis, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, ad-
huc non deſint diverſi Ordinis hujuſmodi profeſſores, & ſub cura, & inſtitutis veſtris degentes Moniales, **Mandatum.**
qui pręmiſſa committere, & perpetrare pręſumant, Nos gregem Dominicum, Nobis divina diſpoſitio-
ne creditum, ſecundum propriam cujuſque vocationem ad ovile reducere cupientes, motu ſimili, & ex
certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, literas Prędeceſſoris hujuſmodi, ac omnia, &
ſingula in eis contenta, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, approbamus, & confirmamus, ac
vobis, & pro tempore exiſtentibus Prioribus Provincialibus, & domorum Provinciarum hujuſmodi, per
pręſentes, committimus, & mandamus, quatenus vos, & veſtrum ſinguli, per vos, & domorum hu-
juſmodi Pręſidentes, & procuratores, literas pro parte Fratrum, & Monialium pręd
ictorum pro tempo-
re impetratas juxta literarum Prędeceſſoris hujuſmodi continentiam, & tenorem examinetis, &, ut pręę-
fertur, declaretis, ac Fratres ipſos, quibus literas ipſas ſubreptitias, & obreptitias, eis non ſuffragari
declaraveritis ad eorum domos regulares redire cogatis, aut a gremio veſtro, ſervata forma dictarum lite-
rarum eiiciatis, & alium a veſtro prorſus diſtinctum habitum deferant, ſub eadem excommunicationis **Nota.**
ſententia, quam Nos etiam, ut pręmittitur, in eos, ſi non paruerint, ferimus, & promulgamus, Apoſ-
tolica auctoritate, ſtatuatis, & ordinetis, aliaque in literis Prędeceſſoris hujuſmodi contenta, mande-
tis, & faciatis, necnon ad earum omnium, & ſingulorum in eis contentorum, executionem procedatis,
in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi illę a Nobis emanaſſent, ac illarum executio vobis commiſſa fuiſ-
ſet. Nos enim literas Prędeceſſoris hujuſmodi, ut pręfertur, approbantes, & confirmantes, omnia, &
ſingula per ipſum Prędeceſſorem in ejus literis pręd
ictis decreta, inhibita, & mandata, eiſdem modo, &
forma, ac ſub cenſuris, & pęnis, quibus per eundem Prędeceſſorem decreta, inhibita, & mandata fue-
runt, decernimus, inhibemus, & mandamus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Apoſtolicis, necnon in
Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordina-
tionibus, ac quibuſvis indultis, & literis Apoſtolicis, etiam ſub plumbo, aut in forma Brevis, vel per
Pęnitentiariam, aut alias pręfatis Fratribus conceſſis, aut in poſterum concedendis, etiamſi expreſſe in eis
caveatur, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, ac omnibus aliis, quę dictus Prę-
deceſſor in ejus literis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volentes, & decernen-
tes, quod pręſentibus noſtris literis nullatenus derogari poſſit, pręterquam ſi pręſentes de verbo ad ver-
bum insertę fuerint, proceſſuſque, ſi qui facti ſunt, vel fient in poſterum ſuper literis a Fratribus hujuſ-
modi, etiam poſt literas Clementis Prędeceſſoris hujuſmodi obtentis, & obtinendis, in quibus vobis, aut
aliis quibuſcunque, ſub quibuſvis excommunicationis latę ſententię pęnis pręcipitur, ne contra eorum
tenorem Fratres ipſos, inquietare pręſumatis, & ſi contra pręſentium tenorem fuerint, nullius fore robo-
ris, vel momenti. Harum autem literarum tranſumptis manu Notarii publici, & alicujus perſonę in
dignitate eccleſiaſtica conſtitutę, vel Prioris Provincialis, aut domus Provinciarum hujuſmodi ſigillo
munitis, non minorem fidem adhiberi volumus, quam ſi pręſentes eſſent exhibitę vel oſtenſę. Datum
Ro-

Romę apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XIII Auguſti MDXLII, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Blo. El. Fulgin.

1. *Juriſdictionem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 105 ex autographo *Salmanticenſi.*
3. *Clemens.*) Conſtitutione *LXXVI pag.* 491.

Anno 1542 Die 12 Octobris.

Quid de Decimis (1) a Conventibus Status Veneti ſolvendum ſit, decernit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis S. Stephani Bergomen., & S. Anaſtaſię Veronen., & S. Coronę Vicentini, necnon aliarum Domorum Ordinis Fratrum Prędicatorum in dominio Venetorum conſiſtentibus Prioribus, & Fratribus.

LXXXI.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

EXponi Nobis nuper feciſtis, quod licet ex nonnullis urgentibus neceſſitatibus nonnullas decimas ſuper fructibus, redditibus, & proventibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, Domorum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum in tota Italia, & forſan extra eam conſiſtentium, ab omnibus, & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Adminiſtratoribus, ac quorumcunque Ordinum, etiam mendicantium profeſſoribus, & Monialibus ſub eorum cura, & inſtitutis degentibus, quarumcunque domorum, & Monaſteriorum ipſorum Ordinum in eadem Italia conſiſtentium per alias noſtras literas conceſſerimus, quod pro dictis decimis in Italia, ut pręfertur, impoſitis, & pro tempore imponendis illorum medietatem duntaxat ſolvere tenerentur, nec ultra medietatem ipſam ad aliud ſolvendum cogi poſſent, prout in dictis literis plenius continetur, Dominiumque Venetorum ſub ipſa Italia comprehendatur, nihilominus pro eo quod in ipſis literis de eodem Dominio ſpecialis mentio facta non fuit, collectores decimarum in dicto Dominio impoſitarum, vos, & alios profeſſores, ac Moniales pręfatas ad integram ipſarum Decimarum ſolutionem cogere nituntur: Quare Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, etſi pręmiſſa utpote clara, declaratione aliqua non indigeant, tamen ne contra veritatem, & mentem, noſtras, deſuper moleſtemini, declarationem ipſam facere, aliiſque deſuper opportune providere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica per pręſentes decernimus, & declaramus, dominium ipſum ſub eadem Italia quoad pręmiſſa includi, & comprehendi, voſque propterea, ac alios profeſſores, & Moniales pręfatas ad ſolutionem dictarum Decimarum ultra medietatem hujuſmodi juxta dictarum literarum tenorem non teneri, nec deſuper cogi, aut compelli poſſe, diſtrictius inhibentes in virtute S. Obedientię venerabili Fratri Fabio (3) Epiſcopo Lucerin. Chriſtianorum (4) in eodem Dominio noſtro, & Apoſtolicę Sedis Nuncio (5), ac ſub excommunicationis pęna, aliis earundem decimarum collectoribus, vel ſubcollectoribus per quoſcunque etiam per Nos deputatis, ne a vobis, ac aliis profeſſoribus, & Monialibus pręfatis pro decimis impoſitis, & imponendis hujuſmodi, ultra illarum medietatem ratione domorum, ac Monaſteriorum eorundem exigere, ſeu alias vos, ac Abbatiſſas, & Moniales pręfatas contra dictarum, & pręſentium literarum tenorem, quomodolibet moleſtent, & ipſe Fabius Epiſcopus, & Nuncius ab aliis collectoribus, & ſubcollectoribus pręfatis, ſeu quibuſvis aliis moleſtari non permittat, ſed vos, ac alios profeſſores, necnon Abbatiſſas, & Moniales prędictas eiſdem, & pręſentibus literis pacifice frui, & gaudere faciat. Contradictores quoslibet, & rebelles, cujuſcunque ſtatus, gradus, vel conditionis fuerint per Cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, ac decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quocunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, de una, & Concilii Generalis de duabus dictis, dummodo ultra tres dictas quis auctoritate pręſentium ad judicium non trahatur, ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibuſvis facultatibus Collectoribus, & Subcollectoribus pręfatis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis etiam per Nos conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus illorum tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem; Volentes quod pręſentium literarum tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XII Octobris (6) MDXLII Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Mandatum.

Bloſ. El. Fulgin.

1. *De-*

1. *Decimis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.X.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Bergomenſi*.
3. *Fabio.*) Adeas Ughellum in Epiſcopis *Lucerin.*
4. *Lucerin. Chriſtianorum.*) Alius *Saracenorum*, ut apud Ughellum. Epiſcopatus eſt ſub *Beneventana* Metropoli.
5. *Nuncio.*) S. R. E. Cardinalis poſtea fuit *Fabius* e gente *Mignanella*.
6. *XII Octobris.*) Ergo Pontificatus annos etiam in Brevibus nonnunquam a die Coronationis numerabat *Paulus III*, ut ex iſto Diplomate liquet: vel legendum *XIII* Octobris.

Ne Fratres in jus ab Epiſcopis vocentur, cavet (1).

Anno 1542 Die 3 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Venerabili Fratri Epiſcopo Traguricn. (3), & dilectis filiis Archipresbytero Jadren. (4), & Primicerio Pharen. (5) Eccleſiarum, & eorum cuilibet.

PAULUS PP. III.

LXXXII.

Venerabilis Frater, & Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut dilecti filii Prior Provincialis, & Fratres Ordinis Prędicatorum Provincię Dalmatię, juxta morem dicti Ordinis, Nobis nuper exponi fecerunt, licet ipſi vigore privilegiorum, & indultorum Apoſtolicorum eorum Ordini dudum conceſſorum, & pluries confirmatorum, quę hactenus in uſu fuerunt a juriſdictione, viſitatione, & correctione quorumcunque Ordinariorum locorum exempti, & Sedi Apoſtolicę immediate ſubjecti ſint, nihilominus moderni ordinarii, & eorum Vicarii in ſpiritualibus Generales, ſępius ad judicium coram eis trahere, & quandoque cenſuris innodare, aliaſque diverſimode vexare, moleſtare, perturbare, & inquietare pręſumant, in animarum ſuarum periculum & dictę Sedis contemptum, ac eorundem Fratrum conſcientiarum trepidationem, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ipſorum quieti in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui fidelium quorumlibet, pręſertim Religioſorum, ſub voluntarię paupertatis habitu Domino militantium, quietem, & tranquillitatem, libenter procuramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios eiſdem Ordinariis, & eorum Vicariis, ſub excommunicationis latę ſententię pęna diſtrictius inhibeatis, ne eos, & pro tempore exiſtentes Priorem Provincialem, ac Fratres, & perſonas dicti Ordinis Provincię Dalmatię, juxta morem dicti Ordinis, aut aliquem eorum contra privilegia, & indulta hactenus obſervata, prędicta, ac pręſentes noſtras literas ad judicium coram eis trahere, vel cenſuris innodare, ſeu incarcerare, vel alio quovis modo, in perſonis, vel rebus, aut bonis, verbo, vel facto vexare, moleſtare, perturbare, aut inquietare pręſumant, & nihilominus, pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Prioris, & Fratrum pręfatorum, ſeu alicujus eorum, deſuper fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, omnibus, & ſingulis Prioribus, & Fratribus prędictis, in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra eos, & eorum ſingulos, ac alios, quos ipſę literę concernunt, & pro tempore concernent, illis, ac ſingulis in eis contentis, necnon privilegiis, & indultis hactenus obſervatis prędictis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper per eoſdem Ordinarios, ſeu illorum Vicarios, aut quoſvis alios indebite moleſtari, Ordinarios, ac Vicarios pręfatos, necnon contradictores quoslibet per ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pęnas hujuſmodi, etiam iteratis vicibus aggravando; Invocato, etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis; non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis auctoritate pręſentium ad judicium non trahatur, ac Lateranen. Concilii noviſſime celebrati, necnon quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim, a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo, ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem, quod pręſentium tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus Eccleſiaſticę curię, aut perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę, munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę eiſdem pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Novembris MDXLII Pontificatus noſtri Anno Nono.

Inhibitio.

Blo. El. Fulgin.

1. *Cavet.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.V.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Pharenſi*.
3. *Traguricn.*) In *Dalmatia*, ſub Archiepiſcopo *Spalatenſi*.
4. *Jadren.*) Aliis *Jaderen.*, vulgo *Zara*, in *Dalmatia*.
5. *Pharen.*) Seu *Faren.*, in eadem regione.

Anno 1543 Die 8 Januarii.

De fundando Nepeſino (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXIII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAlvatoris Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Dei Patris Unigeniti, qui de ſummo cęlorum ad hujus mundi infima pro humani generis redemptione deſcendere dignatus eſt, quique non vult mortem, ſed converſionem deſiderat peccatoris, vices licet immeriti gerentes in terris, gregem Dominicum curę noſtrę commiſſum ad vitam lucis ęternę, quantum cum Deo poſſumus, perducere ſtudemus, & juxta creditum Apoſtolicę ſervitutis officium ſingulos fideles, quorum merita pro demeritis penitus ſunt imparia, ad pia, & meritoria opera erga Eccleſias, & religioſa loca exercenda, ſpiritualibus muneribus, & indulgentiis, videlicet, & peccatorum remiſſionibus, libenter invitamus, ut per eorundem operum exercitium, ſuorum abolita macula delictorum, ad ęternę beatitudinis gaudia pervenire mereantur.

Diplomatis cauſa.

Cum itaque, ſicut accepimus, nuper, dum prope, & extra muros Civitatis Nepeſinę foderetur, Altiſſimo id volente, quadraginta SS. Martyrum Corpora inter quę Corpus Beati Tholomęi (3) Epiſcopi Nepeſin., qui dum in humanis ageret, Beati Petri Apoſtoli diſcipulus erat, reperta fuere, & qui ſub quodam fidei Chriſtianę Tyranno Claudio (4) Imperatore Martyrii palmam reportaverint, & quod mirabile dictu videtur, cum jam annis mille, & quingentis, vel circa (5) effluxis ab eorum Martyrio, vulnera, & ſanguis in aliquorum eorundem SS. membris in eorum reperitione liquida apparebant, quę indicia ipſorum non leve ſanctitatis demonſtrant, unde Nos pie conſiderantes unam Eccleſiam, & domum in dicta Civitate Nepeſin. ſub Beati Tholomęi hujuſmodi invocatione ſub regula Ordinis Fratrum Pręedicatorum, Provincię Romanę ſumptuoſo, & eminenti opere conſtrui, & ędificari debere, decreverimus, cumque dilecti filii Fratres, & Conventus dictę domus ipſam Eccleſiam fabricari, & erigi facere cęperint, & cum ad hujuſmodi fabricę complementum facultates eorum, qui ex piis Chriſti fidelium eleemoſynis vitam degere noſcuntur, non ſuppetant, & fidelium hujuſmodi, quorum tanta, non ſolum ipſius Nepeſin., ſed etiam quamplurimarum aliarum Civitatum, Caſtrorum, Oppidorum, Villarum, & aliorum locorum adjacentium populi, multitudo ad ipſam Eccleſiam devotionis cauſa confluit, ſuffragia ad tanti cępti hujuſmodi perfectionem ſint plurimum opportuna, ac ut eorundem fidelium erga Eccleſiam ipſam devotio hujuſmodi augeatur, ipſaque Eccleſia congruis frequentetur honoribus, & a Chriſti fidelibus jugiter veneretur, & ipſi Chriſti fideles eo libentius devotionis cauſa ad dictam Eccleſiam confluant, & facilius ad tam laudabile opus provocentur, ac in ſubſidium fabricę dictę Eccleſię pias eleemoſynas promptius porrigant,

Indulgentię.

ipſos ſpiritualibus muneribus indulgentiarum proſequi volentes, motu proprio, non ad ipſorum Fratrum, & Conventus, vel aliorum pro eis Nobis ſuper hoc oblatę petionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, cujuſcunque ſtatus, gradus, dignitatis, ordinis, conditionis, & pręeminentię exiſtant, & eccleſiaſticis, religioſis Ordinum quorumcunque, & aliis ſecularibus, per quaſcunque Civitates, terras, villas, & loca in Italia conſiſtentia, Nobis, & S. R. Eccleſię mediate, vel immediate pręter Neapolitan., & Inſulę Sicilię Regna, ac aliarum Inſularum dominia, necnon Ferrarię, & Urbini Ducatus ſubjecta, conſtitutis, & ad illas undecunque venientibus, vere pęnitentibus, & confeſſis, qui infra annum a die publicationis pręſentium literarum noſtrarum faciendę computandum, &, ut ſequitur, terminandum, Eccleſias, quas dilecti filii Johannes Baptiſta Magius (6) Magiſter in Theologia, Prior domus S. Tholomęi Nepeſin. Ordinis Fratrum Pręedicatorum regularis obſervantię Provincię Romanę, ac Thomas Strozzius (7) Frater Ordinis, & Provincię pręedictorum Procurator Generalis, quos ad hęc, & infraſcripta noſtros, & Apoſtolicę Sedis Nuncios, & commiſſarios per pręſentes facimus, conſtituimus, & deputamus, per ſe, vel per alios nominaverint, & deputaverint, juxta eorundem Johannis Baptiſtę, & Thomę Nunciorum, & Commiſſariorum, vel ab eis deputandorum, aut ſubdelegandorum, providam ordinationem ſuper hoc faciendam, devote viſitaverint, & in capſis ad hoc in ſubſidium dictę fabricę per Nuncios, ſeu Commiſſarios, ſeu deputandos, vel ſubdelegandos per dictos deputandos, juxta Nunciorum, & Commiſſariorum, ac deputandorum, vel ſubdelegandorum pręedictorum ordinationem, & arbitrium, pias eleemoſynas effectualiter poſuerint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & inſuper ut unam, vel duas Eccleſias, aut duo, vel tria Altaria in partibus ubi Chriſti fideles pręedicti reſederint, Quadrageſimalibus, & aliis temporibus, & diebus Stationum Urbis Romę viſitando, tot indulgentiarum, & peccatorum remiſſionem conſequantur, quas conſequerentur ſi ſingulis diebus eaſdem ſingulas dictę Urbis, & extra eam Eccleſias perſonaliter viſitarent. Et qui cum pręfatis Nunciis, vel Commiſſariis, ſeu delegandis, ſeu ſubdelegandis convenerint, ut idoneum poſſint eligere ſecularem, vel cujuſvis Ordinis, etiam Mendicantium, regularem, qui eorum confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis per eligentem delictis, & exceſſibus, ac peccatis quibuslibet quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicę reſervatis caſibus, ac cenſuris eccleſiaſticis, etiam ab homine, vel ad alicujus inſtantiam latis, de conſenſu partium, etiam ratione interdicti incurſis, & quarum abſolutio dictę Sedi reſervata eſſet, pręterquam machinationis in perſonam Summi Pontificis, occiſionis Epiſcoporum, aut aliorum Superiorum Pręlatorum, & injectionis violentarum manuum in illos, & alios Pręlatos, falſificationis Bullarum, & literarum Apoſtolicarum, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ac ſententiarum, & cenſurarum occaſione Alluminum Tulphę noſtrę de partibus infidelium ad fideles contra prohibitionem noſtram delatorum, necnon eccleſiaſticę libertatis, ac privilegiorum, eidem Sedi, etiam ex conſuetudine competentium, ac aliorum,

id &

id & executionem literarum, & mandatorum Apoſtolicorum, etiam in Bulla in die Cęnę Domini legi conſueta, ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus quolibet modo violatorum incurſarum, ſemel in vita, & in mortis articulo, & in non reſervatis caſibus toties quoties id petierint: Et in mortis articulo plenariam omnium peccatorum indulgentiam, & remiſſionem impendere, ac pęnitentiam ſalutarem injungere, necnon Euchariſtię Sacramentum, pręterquam in die Paſchatis, & in mortis articulo, ſine tamen Rectoris, & proprii curati pręjudicio, necnon emiſſa per eos vota quęcunque, ultramarino, ingreſſu Religionis, & caſtitatis votis duntaxat exceptis: Ac cum ſimonia in Ordinibus, vel beneficiis commiſſa labe pollutis ad ipſum opus contribuendo ſuper irregularitate, ſi quam cenſuris bujuſmodi ligati Miſſas, & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, aut alias divinis ſe immiſcendo, ſeu alias quomodolibet, etiam beneficia eccleſiaſtica, pręmiſſorum occaſione, vel alias indebite occupando, pręterquam ratione bigamię, & homicidii voluntarii, contraxerint, diſpenſare, coſque abſolvere, omnemque inhabilitatis, & infamię maculam, ſive notam, ex bis provenientem abolere, in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, ac ſic quęſita beneficia eccleſiaſtica, quę ex tune eis de novo collata cenſentur, & perceptos ex eis fructus etiam ratione omiſſionis horarum canonicarum, & divinorum officiorum, facta aliqua compoſitione cum eis, concedere, & relaxare, ac quoſcunque, qui ante ętatem legitimam ad Sacros, etiam Presbyteratus, Ordines, abſque aliqua diſpenſatione, ſe promoveri fecerunt, & in ſuſceptis Ordinibus hujuſmodi miniſtraverint, ac eos, qui ex quavis licita, aut illicita cognatione provenſente, conſanguinitate, ac cognatione carnali, vel ſpirituali, inter levatum, & levantem excepto, ſimplici, aut multiplici gradu, ac quocunque publicę honeſtatis juſtitię impedimento, ſeu alias quomodolibet impediti, matrimonium ſcienter, vel ignoranter, in Tertio, vel Quarto conſanguinitatis, vel affinitatis, gradu contraxiſſent, ac carnali copula conſummaſſent, ſi impedimentum bujuſmodi in judicium deductum non fuerit, vel ſcandalum generari non poſſet, & illorum, qui in quarto conſanguinitatis gradu, vel affinitatis, ſimiliter contraxiſſent, ab exceſſu hujuſmodi, & excommunicationis ſententia, quam propterea incurriſſent, injuncta eis pro modo culpę pęnitentia ſalutari, quę ad fabricam hujuſmodi dirigantur, & quod de cetero talia non committant, nec committentibus pręſtent auxilium, conſilium, vel favorem, & aliis quę de jure fuerint injungenda, abſolvere, & de novo Matrimonium invicem contrahere, & in illo ſic contracto remanere libere, & licite valeant, prolem exinde ſuſceptam ex huiuſmodi matrimonio, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam, legitimam decernendo, in foro conſcientię duntaxat. Quoad illos vero, qui in quarto, vel tertio, & quarto, ſi tamen ab eodem ſtipite pendeant, & non alias, conſanguinitatis, aut affinitatis gradu exiſtentes matrimonium contraxerint, ut pręfertur, quos in utroque foro abſolvi, & matrimonium de novo, & publice contrabere poſſint, diſpenſari poſſe volumus. Ac eiſdem Johanni Baptiſtę, & Thomę, & quibus ipſi vices ſuas quoad hoc ſpecialiter commiſerint, licere in quarto conſanguinitatis, & affinitatis, ac impedimento publicę honeſtatis juſtitię, ac de contrahendo, diſpenſare, etiam cum eiſdem promotis ſuper irregularitate, quam etiam in dictis Ordinibus miniſtrando contraxerint: Quodque in dictis Ordinibus miniſtrare poſſint, ac etiam cum bis qui arctati ſunt, & vigeſimum tertium ſuę ętatis annum attigerint, ut ad Sacros, etiam Presbyteratus Ordines promoveri, & in Altaris miniſterio miniſtrare poſſint diſpenſare, necnon ſuper male ablatis, incertis, vel per uſurariam pravitatem quęſitis, etiam certis, quę fęnerator ab alio fęneratore extorſiſſet, & quę ipſe requiſitus uſuras reſtituere paratus non eſſet, nec alicui privatę Eccleſię deberentur, in quibus tamen Romana Eccleſia de jure communi ſuccedere poſſet, ac etiam bonis, quę ad alias manus perveniſſent, & illa habentes, quibus reſtitui deberent ignoraverint, vel dubitaverint, quanquam male ablata per eos non exiſtant, ſed illa ad eos pervenerint, & ſimiliter de his, quę pauperibus, & aliis piis locis, ac pro maritandis puellis, & celebrandis Miſſis, & aliis divinis officiis in genere, & abſque ulla ſpeciali determinatione, & propriis nominibus perſonarum non expreſſis, relicta ſunt, tam pro pręterito, quam futuro temporibus component, itaut ſoluta aliqua quantitate pro dicta fabrica eiſdem Nunciis & Commiſſariis, ſeu ab eis deputandis, vel ſubdelegandis duntaxat, in capſis ipſis ponenda, ac reliquorum relictorum, & male ablatorum, ac per uſurariam pravitatem extortorum, ſeu quę ad eos alias pervenerint, & cui ea reſtituere debeant, dubitant, vel ignorant, ut pręfertur, a reſtitutione hujuſmodi abſoluti exiſtant, & ultra reſtituere minime teneantur, necnon relictorum certis perſonis factorum, & infra annum non executorum, quintam partem pro dicta fabrica, exceptis partibus Eccleſię, quibus prius ſatisfieri debere volumus, recipere poſſint, ac, ut relicta hujuſmodi tenentes, vel quomodolibet occupantes, ad ſibi pro dicta fabrica conſignandum cogere, & compellere valeant, etiam ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſola facti veritate inſpecta, & omni tela judiciaria poſthabita, cenſuris, & pęnis eccleſiaſticis, & aliis pecuniariis fabricę hujuſmodi applicandis, de quibus ſibi videbitur, pęnis, etiam auxilio brachii ſecularis, & manu Regia, ad id invocatis, ac cum quibuſcunque qui bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Eccleſiaſticorum beneficiorum, quomodolibet haberent, & judicialiter deficientibus probationibus ad illorum reſtitutionem compelli non poſſent, & ſi per eos probari poſſet, & bona omnia & quęcunque legata, & alias quomodolibet, etiam hęreditatis titulo pro male ablatorum, relicta hactenus, & quę relinqui contigerit in futurum, durante deputatione per pręſentes facta, in quibuſcunque teſtamentis, donationibus caſu mortis, codicillis, & aliis ultimis voluntatibus per quoſcunque, & ubicunque factis: & quę durante hujuſmodi deputatione fient quibuſcunque incertis Eccleſiis, & piis locis, aut perſonis ſibi incertis, & abſentibus, taliter quod propter ipſorum abſentiam merito ab eis notitia haberi non poſſet, ac etiam quę reſtitutioni ſubjacerent, ſed in eis, vel ad ea perſonis quibus illa fieri deberent receptio non competeret, necnon quęcunque in teſtamentis, donationibus, caſu mortis, Codicillis, aut aliis ultimis voluntatibus pro redemptione captivorum relicta fuerint, ac hęreditas, ac bona decedentium ab inteſtato, Clericorum, & Laicorum, legitimum non habentium hęredem, etiam indulto Apoſtolico, aut alias ad redemptionem prędictam Captivorum dedicata pertinere deberent, exceptis tamen bonis quibuſcunque dictorum Clericorum, ut pręfertur, decedentium, quę ſub nomine ſpoliorum ad Cameram Apoſtolicam pertinerent, necnon omnes, & ſingulas pecunias, & res alias, quę in prandiis, conviviis, ac pu-

publicis ſpectaculis ab aliquibus celebrandis ex voto, ſtatuto, ſeu conſuetudine, in qnibuſvis locis exponi conſueverint, facultate eorundem Johan. Baptiſtę Magii, ac Tbomę per Nos conceſſa durante, exponi deberent, ad fabricam bujuſmodi applicamua, contradictorea omnes excommunicationis latę ſententię, & quingentorum ducatorum anri fabricę hujuſmodi applicandorum pęnis ipſo facto ſubjacere decernimus: Et ſuper reſtitntione bonorum Eccleſiaſticorum, Monaſteriorum, & Beneficiorum hujuſmodi competentium, recepta portione, vel quantitate pro eia in fabricam bujuſmodi convertenda, ipſos ſic ea tenentes ab ulteriori carum reſtitutione libere abſolvere, & quod illa retinere libere & licite poſſint in poſterum eis concedere, ipſique Johannes Baptiſta Magius, & Thomaa, & quibus vices ſuas in genere, vel in ſpecie duxerint committendas, poſſint dubietates quaſcunque tam ſuper qualitate perſonarum, quibus ſacultas eligendi Confeſſorem concedi poſſit, etiam ſi comprehendantur communis Civitatum, Univerſitatum, oppidorum, caſtrorum, Villarum, & aliorum locorum, ac Collegia, quę illarum ſingulares perſonę Univerſitatum, Caſtrorum, villarum, & collegiorum, dummodo non extendatur Confeſſionale ad alias perſonas, quam tunc expreſſas, pro tempore conceſſi confeſſionalis in collegiis bujuſmodi abſolutione a pręmiſſis, vel aliquo pręmiſſorum, ac diſpenſationibus ſuper eis, vel aliquo eorum indigerent, quam cetera alia dubia decidere, declarare, & interpretari, ac bis, qui ſine confeſſione moriuntur, etſi infra annum confeſſi non fuerint, dummodo in eis ſigna contritionis in mortis srticulo apparuerint, ut in loco ſacro ſepeliri poſſent, concedere, & contradictores ſententiam excommnnicationis, & quingentorum ducatorum, ipſi fabricę applicandorum, incnrriſſe, declarare, necnon Nobilibus, & Presbyteris, ac Graduatis Altare portatile, quod etiam cum debitis honore, & reverentia retincant, & inſuper eos in locis ad hoc congruentibus, & honeſtis, & non ſacris, & eccleſiaſtico interdicto generali, & ſpeciali, tam Apoſtolica, quam ordinaria auctoritate ſuppoſitis, dummodo cauſam non dederint hnjuſmodi interdicto, & antea quam clueſcat dies circa tamen diurnam horam, in ſua, & ſuarum familiarum pręſentia juxta formam capituli: Alma: de ſententia excommunicationis, Libro ſexto, Miſſas, & alia divina officia, per ſe ipſos, ant per babentem curam celebrare, ſeu per alios Sacerdotes celebrari facere, ac tempore interdicti hujuſmodi divinia intereſſe, & Euchariſtiam, & alia Sacramenta ſine alicujus pręjudicio, pręterquam in die Dominicę Reſurrectionis, recipere, & eorundem corpora eccleſiaſticę poſſint tradi ſepulturę, ſine tamen funerali pompa, ac in quadrageſimalibus, & aliis anni temporibns prohibitis, quę butiro, caſeo, & aliis lacticiniia, ac etiam carnibus de utriuſque Medici conſilio nti, frui, & veſci libere, & abſque conſcientię ſcrupulo poſſint, & valeant, concedere, ac quod tempore generalia interdicti, etiam auctoritate Apoſtolica, appoſiti, ut unam, ſeu plures Eccleſias pro publicatione dictarum Indulgentiarum aperire, & cam, ſeu eas a dicto interdicto eximi, & in eia janvis apertis divina celebrare, & corpora defunctorum ſepeliri facere, dictis Indulgentiis actualiter

Nota.

durantibus, ac quęcunque jnramenta in quibuſvis contractibus, inſtrumentis, & obligationibus, pręterqnam in forma Camerę appoſitis, canſam prius per eos, ſeu ab eis pro tempore ſubdelegatos, cognita, ad effectum agendi, duntaxat, relaxare, & ab eis & a quocunque perjurio, ſine tamen tertii pręjndicio, ac quaſcunque Indulgentias, etiam illas a media quadrageſima uſque ad Paſcha incluſive, ab Ordinibus Mendicantium publicari ſolitas, tam a Nobia, quam a prędeceſſoribns noſtris, & Sede prędicta, vel ejus anctoritate, qulbuſcunque Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, etiam noſtro ſancti Spiritus in Saxia de Urbe, Ordinis Sancti Auguſtini, & aliis piia locis, univerſitatibns, Confraternitatibus, cujuſcunqne qnalitatis, & ad quemcunque nſum, etiam laicorum, clericorum Inſtitutia, & ſingulstibus perſonia cnjuſcnnque dignitatis, etiam Cardinalatns honore, aut Legationis officlo, fungentibus, ſnper pręmiſſia, vel aliquo pręmiſſorum hactenus conceſſis, pręterquam expeditionis contra Turcas, & hęreticos conceſſis, & qnaſcunque clauſulas reſervativas adverſus revocationes, & ſuſpenſiones earundem in ſe continentes, quando, & qnoties ad hoc tempus pręfatis Johan. Baptiſtę Magio, & Thomę, vel deputandis, ant ab cis ſubdelegandis videbitur opportunum, ſuſpendere, qnas omnes, & ſingulas per pręſentes ad dictum tampus in pręnominatis terris, & locis ſuſpendimus, & ſuſpenſaa fore decernimus, & declaramus. Prohibentes omnino quęſtas (8) quaſeunque occaſione illorum fieri ſolitas, ac mandantes univerſis, & ſingulls locorum Ordinariis, Abbatibus, tam Eccleſiaſticis, qnam ſecularibus perſonis cujuſcunque dignitatis, gradus, Ordinis, & conditionia, vel pręeminentię in virtute S. Obedientię, ac quingentorum ducatorum auri quoad ſecnlares perſonas prędictas, eidem fabricę applicandorum, pęnis ipſo facto incnrrendis, ne publicationem, & predicationem dictarum noſtrarum Indulgentiarum, & ſuſpenſiones aliarum bujuſmodi in earum Eccleſiis, civitatibns, & Dięceſibus, ubi, & qnando opus fuerit, faciendam impedire, & aliqnid pretextu prędicationis, & publicationis petere, aut in pręmiſſis, & circa ea fraudem, aut dolum committere, neque procurantes hujuſmodi Indulgentiarum participes fieri, & ſna pia ſuffragia erogare ab hujnſmodi eorum propoſito in toto, vel in parte, directe, vel indirecte, tacite vel expreſſe retardare, aut per ſe, vel eorum Nuncios, aut Officiales licentiam faciendi qnęſtaa quibuſvis Quęſtoribus alicujus Religionis, vel Ordinis, aut Fraternitatis, vel Hoſpitalium, etiam noſtri S. Spiritus in Saxia, ac S. Antonii, & aliorum quorumcunqne, aut aliis quomodolibet deputatis, verbo, & ſcripto concedere, quinimmo Quęſtores, & ſingulos quoa contra prohibitionem eis factam vigore harum literarum in eorum juriſdictione ſine literis licentię quęſtuandi dictorum Johannis Baptiſtę, & Thome Commiſſariorum, vel ſubdelegandorum, ab ipſis repererint, circa eorum rebus, & bonis, quę dictę Fabricę applicata eſſe decernimus, & ad manus eorundem Johannis Baptiſtę, & Thomę fideliter deferri mandamns, nec aliquo modo audeant, aut pręſumant, per ſe, vel alium, diſpenſatos, vel abſolutos, ant illos cnm quibua pręſentium vigore ab ipſis commiſſariis, vel delegandis, aut ſubdelegandis prędictis contigerit diſpenſari, vel abſolvi, moleſtare, vel impedire, aut pęnas aliquas pro eo caſu, in qno, ut pręfertur, diſpenſatum tam pro pręterito, quam pro futuro temporibua fuerit ex lege Canonica, vel Imperiali ſtatnto, vel conſuetudine exigere. Quęſtoribus vero ſupra nominatis ſub ſimilibus pęnis inhibemns, ne qnęſtas facere aliquo modo pręſumant, neve bona ipſorum per dictos Commiſſarios, aut delegatos, vel ſubdelegandos prędictos, eorum exigentibus demeritis, arreſtata, applicata, vendita, ſibi aliquo

Digitized by Google

aliquomodo vendicare, vel ab emptoribus, vel detentoribus, aut Commiſſariis, delegatis, vel ſubdelegandis prędictis, repetere, ac in Domino exhortamur quoſcunque Prędicatores Verbi Dei quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium, ut requiſiti a pręfatis Commiſſariis, vel ab eis delegatis, vel ſubdelegandis pręfatos Chriſti fideles ad contribuendum dictę fabricę exhortentur, ejuſdem S. Obedientię, ac etiam ſub excommunicationis pęna pręcipimus, & mandamus Prelatis, & Superioribus, ſub ſententia, & pęnis ſupradictis, ne, pręſertim Graduatos, ſuarum Domorum fratres pro exhortationibus hujuſmodi, & pręſentium literarum publicatione facienda, ab eiſdem Domibus exire impediant, & ad eaſdem Domos redeuntes non alias quam caritative recipere, & tractare pręſumant: Nec volumus quod propter tam pium opus pro tempore, quo pro ipſo officium prędicationis diſcurrendo exercuerint, alicui pęnę ipſos ſubjacere; Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus ſuarum Religionum, quibus pro hac vice expreſſe derogamus, liceatque nihilominus Commiſſariis, & delegandis, aut ſubdelegandis hujuſmodi prędicta omnia & ſingula, etiam omnibus, & ſingulis prędictis ſub eiſdem pęnis toties quoties eis, vel eorum alicui, viſum fuerit opportunum, mandare & injungere, ac Proceſſiones publice ad effectum pręmiſſum fieri, & populum, ac Religioſos omnes cujuſcunque Ordinis, etiam exemptos, pro hujuſmodi operibus peragendis ad ſonum Campanę convocari facere, & cum cenſuris, & pęnis prędictis, ſatisfactione pręvia, abſolvere, & illa remittere, ac ſuſpenſiones hujuſmodi Indulgentiarum relaxare, quodque etiam tranſumptis, & Confeſſionalibus quibuſvis perſonis per eoſdem Johannem Baptiſtam, & Thomam, Nuncios, & Commiſſarios, vel deputandos, aut ſubdelegandos ſubſcriptis, & ſigillo, prędictorum, Johannis Baptiſtę, vel Thomę duntaxat munitis, fides adhibeatur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam, & facultatem concedimus; necnon omnes, & ſingulas Indulgentias, & facultates quibuſvis Eccleſiis, & locis piis, ac perſonis in dictis terris, & locis conceſſis ad dictum annum duntaxat ſuſpendimus, ac fraudem, ſeu dolum facientes in pecuniis, & rebus occaſione Indulgentiarum hujuſmodi provenientes, niſi a Nobis, aut Johanne Baptiſta, & Thoma pręfatis abſolvi non poſſe decernimus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon privilegiis, indultis, ac facultatibus, etiam per felicis recordationis Julium II, Leonem X, Adrianum VI, Clementem VII, Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, & per Nos, etiam fabricę Baſilicę Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon aliis piis locis, ac Ordinibus prędictis, eorumque perſonis in genere, vel in ſpecie, ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis, etiam motu, & ſcientia, ac poteſtatis plenitudine, ſimilibus, forſan conceſſis, etiam Mare Magno, & Bulla aurea, ſeu alias quomodolibet nuncupatis, quibus omnibus etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia aliqua exquiſita forma ſervanda eſſet, illorum tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat, harum ſerie, motu, & ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſpecialiter & expreſſe, Anno prędicto durante, derogamus, & cuiquam ſuffragari nolumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod pręſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & dictorum Johannis Baptiſtę, vel Thomę Commiſſariorum, ſeu alicujus perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę ſigillo munitis eadem fides adhibeatur in judicio, & extra, quę pręſentibus adhiberetur, ſi exhibitę forent, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Secundo (9), Sexto Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Nepeſino.*) Vulgo *Nepi*. Conſulendus *Fontana de Romana Provincia*.

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar authenticum.

3. *Tholomai.*) Seu *Ptolomai*, ut apud *Baronium in Notis ad Martyrolog. Roman. ad diem XIX Octobris*, ubi hæc habet: *Fuit & alius Ptolomaus diſcipulus Sancti Petri, idemque Martyr, qui ordinatus Epiſcopus ab eodem Petro, in Tuſciam miſſus eſt pradicare Evangelium, qui & Martyrio coronatus eſt IX Kalendas Septembris, ut ejus acta declarant, qua accepimus ab Eccleſia Nepeſina, quibus etiam quamplures adſtipulantur auctores*. Conſulendus *Hyacinthus* noſter *de Nobilibus in Hiſtoria vita, & Martyrii SS. Tholomai, & Romani &c.*

4. *Claudio.*) *Neronis* ſcilicet deceſſore. Notandum, quod nomine *Claudii* plures Imperatores vocatur. Iſte *Quintus* dicitur.

5. *VII circa.*) Optime ſic, nam anno duntaxat *LI* Martyrii palmam conſecutos fuiſſe, docent auctores. Adeas *Ughellum in Epiſcop. Nepeſin. Tomo I Italia Sacra pag.* 1023 *&c. Edit. Veneta*.

6. *Johannes Baptiſta Magius.*) Conſulendus *Fontana de Romana Provincia Cap. II Tit. XXXIII pag.* 215 *&c.*

7. *Thomas Strozzius.*) Ex illuſtri *Strozziorum* gente oriundus. Ipſius meminit *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad an. MDXLII pag.* 119.

8. *Quaſtas.*) Collectiones nempe pecuniarum.

9. *MDXLII.*) Stylo Bullarum, æra communis *MDXLIII*.

Quod

Anno 1543 Die 30 Martii.

Quod Ordo FF. Prædicatorum *Semper fidei Catholicæ, Sanctaque Eccleſiæ defenſor* fuerit, teſtatur, & in nonnullos de hæreſi ſuſpectos animadvertendum jubet:

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXXXIV. Dilectis filiis Priori Provinciali, ac Definitoribus Proviucię utriuſque Lombardię Ordinis Prędicatorum in Capitulo Provinciali Parmę celebrando congregandis.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm inſtigante Sathana Lutherana hęreſis, quod dolenter referimus, quotidie pullnlet, atque ejus mali cauſa Verbum Dei prędicantibus, qui venena hujuſmodi in anditores ſpargunt, plerumque procedat, ideo filii dilectiſſimi convenientibus vobis in unum, ut videlicet Capitulum Provinciale veſtrum de more celebretis, inter cetera ad officium veſtrum, ad Dei honorem, ac animarum ſalutem pertinentia, hoc imprimis curandum, & omni opera ſatagendum vobis eſt, ut ſingulos veſtri Ordinis, quos Verbo Dei prędicando, & Confeſſionibus etiam audiendis pręficere conſuevistis, diligenter excutiatis &c. His vero, quos ſubſtitueritis, vel alias deputaveritis, certam formam, ac normam pręſcribatis, quam egredi in prędicando non poſſint. Denique taliter in hoc provideatis, curamque adhibeatis ita ſolicitam, ac diligentem, ut deputatorum a vobis peccatum culpa veſtra non ſit &c. Hęc, veſtrę caritatis admonendę gratia, a Nobis dicta ſint, non quia de ſinceritate univerſalis veſtri Ordinis dubitemus, ſed tamen ſi hęc cura, atque ſolertia in initio hujus mali fuiſſet adhibita nunc certe tam periculoſe non laboraremus. Veſter igitur Ordo ſemper fidei Catholicę ſanctęque Eccleſię defenſor ab his zizaniis exeuntibus repurgandus vobis eſt, ut ſolito ſplendore niteat; utque non ſolum iſto Capituli tempore, verum etiam aſſidua, cura invigiletis, ut deputati a vobis ad utrumque officium illud catholice, ac pie juxta ſenſum Univerſalis Eccleſię exerceant, & novas, atque hęreticas opiniones, nec recipiant ipſi, nec aliis ſua venena propinent, quod ſi qui in hune errorem labantur ſtatim a vobis eripiantur, ac debite puniantur, ut ipſorum pęna aliis tranſeat in exemplum. Atque ut hęc efficaciter, ſicut veſtri eſt officii, faciatis, vos hortamur, monemus, & in virtute Sanctę Obedientię per Apoſtolica vobis ſcripta pręcipimus, acrius proviſuri niſi feceritis. Datum Bononię ſub annulo Piſcatoris die XXX Martii MDXLIII, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Archivo.*) In quo Exemplār authenticum, mutilum tamen.

Anno 1543 Die 27 Octobris.

Generalem Magiſtrum privilegiis (1) ornat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXXV. Dilecto filio Alberto (3) de Caſaus Sacrę Theologię profeſſori Ordinis Prędicatorum Magiſtro Generali.

PAULUS PP. III.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm pro injuncto tibi munere Generalis Magiſterii Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſicut Nobis humiliter exponi feciſti, domos, & loca, ac Fratres ipſius Ordinis viſitare, & labentem ubique Religionem relevare, ac priſtino decori pro viribus reſtituere, Domino favente, ſtatueris, & ad id faciendum, non ſolum ad loca Italię, ſed etiam ultra Montes, non ſine incommodo tuo, te transferre intendas, & ut id facilius ad effectum perducere valeas, benedictione noſtra muniri, humiliter ſupplicaveris, Nos, qui nihil ęque cupimus, quam ut amputatis vitiorum ſentibus, virtutum flores in univerſa Eccle-

Nota. ſia, & pręſertim in Ordine Prędicatorum, quem ob uberes ejus in vinea Domini fructus paterna caritate diligimus, colligantur, inſtitutum hoc tuum, & viſitandi ſanctum propoſitum plurimum in Domino commendantes, Apoſtnlicam tibi, & noſtram benedictionem elargimur, &, ut facilius dictam reformationem proſequi, & omnia, quę ad pacem, bonorum morum, & ſtudiorum promotionem conducunt, libere agere, & exequi valeas, utque in rebus agendis, ſcrupulus tibi aliquis, aut obex opponi non poſſit, volumus, quod dum in Generalatus hujuſmodi officio manſeris ſuper Romanas, & omnes, & ſingulas alias dicti Ordinis Provincias, tam ultra, quam citra Montes, etiam Regnorum Hiſpanię, utriuſque Lombardię, necnon Gallicanam, Francię, & Raguſin., ac quaſcunque alias ejuſdem Ordinis Congregationum Conventus, loca, domos, & bona quęcunque, ac utriuſque ſexus perſonas, Fratres, ſive Sorores, etiam Tertii Habitus B. Dominici ad dictas Provincias, ſive Congregationes, ſive aliter quomodocunque ad dictum Prędicatorum Ordinem, pertinentes, ſeu quoquomodo ejus curę commiſſas, cujuſcunque gradus, & conditionis exiſtant, tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus, pleniſſima, & ea auctoritate, qua Magiſtri Generales dicti Ordinis, juxta ejuſdem Ordinis inſtituta, ſeu conſtitutiones, vel ex jure ordinario, vel ex vi privilegiorum, aut indultorum Sedis Apoſtolicę in dicto Ordine ha-

habent, & habere, vel fungi poſſunt, in omnibus, & per omnia fungi poſſis, quodque, cum acciderit reformatio facienda alicujus, ſeu aliquorum Conventuum dicti Ordinis, etiam nulla pręcedente alia electione, quam tua, pro prima vice tantum, cum Conventus reformabuntur, Priorem, ſeu Priores ad id idoneos, noſtra auctoritate inſtituere, in Provinciis vero, quę tuę diſcretioni non ſatis reformatę videbuntur, cum fuerit Prioris Provincialis electio facienda, tres, aut quatuor probatę vitę Fratres dicti Ordinis electoribus, ex quibus aliquem pro ſuę Provincię reformatione eligant in Provincialem proponere poſſis, quibus ſi nullum ex his, qui a te propoſiti fuerint, eligere voluerint, illico caſſata eorum electione, virum aliquem probatę ſimiliter Religionis ex ejuſdem Provincię gremio duntaxat, noſtra ſimiliter auctoritate in legitimum ejuſdem Provincię Provincialem, abſque aliqua electione, dare, & inſtituere valeas, ſi vero in dictis reformandis Conventibus Fratres aliquos, forſan inveneris, qui reformationi repugnent, aut recuſent vivere ſecundum regularia dicti Ordinis inſtituta, eos, ſi incorrigibiles fuerint, habitu dicti Ordinis juxta conſtitutiones ipſius privare poſſis, exemptos etiam quoſcunque dicti Ordinis Fratres, ſive Sorores, etiam per literas Apoſtolicas, ſive ſub Annulo Piſcatoris, aut ſub Plumbo, vel per Pęnitentiariam, vel alias veſtris regularibus inſtitutis aliqua quomodolibet derogantia, vel repugnantia continen., etiamſi in eis clauſula, de ſui ſuperioris licentia petita & non obtenta, appoſita foret, ad hujuſmodi literas, a Sede Apoſtolica, ſub quacunque verborum forma, etiam motu proprio, emanatas, exhibendum cogere, &, ſi ipſas literas obreptitias, vel ſubreptitias, legitime procedendo, repereris, eas eadem noſtra auctoritate revocare, Fratreſque, ſeu Sorores, in quorum favorem literę revocatę hujuſmodi, emanaverint, ad domos eorum redire, & reduci facere, narratis vero in dictis literis noſtris veris, & a te comprobatis exiſtentibus, eos, vel eas, ad portandum habitum a veſtro diſtinctum, ac diverſorum colorum, cęſurę, longitudinis, & figurę, ſub excommunicationis majoris latę ſententię pęna, quam Nos ex nunc prout ex tunc, & e contra, in eos, & eorum ſingulos, tanquam in Apoſtatas ab habitu, ſi contrafecerint, ferimus, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis cogere. Electionum etiam quarumcunque in dicto Ordine, dummodo tibi conſtet de voluntate eligentium, omnes, & ſingulos defectus ſupplere, necnon ſuper permanentia Priorum, tam Provincialium, quam Conventualium, & Prioriſſarum etiam Monaſteriorum, etiam ultra biennium, vel quatriennium, aliqua rationabili, pręſertim conſervandę, vel augendę vitę regularis cauſa ſubſiſtente, diſpenſare: Sorores dicti Ordinis curę quomodocunque commiſſas de Monaſterio ad Monaſterium religioſe tranſmittere, Conventus vero, & Monaſteria dicti Ordinis, de una Provincia, ſeu Congregatione, ad aliam Provinciam, ſeu Congregationem juxta morem dicti Ordinis transferre poſſis, & valeas. Ut autem ad novam reformationem, & divina munera ſuſcipienda Fratres, & Sorores pręditi, paratiores inveniantur, Fratribus omnibus, ac Sororibus dicti Ordinis, etiam Tertii Habitus B. Dominici, contritis, & confeſſis, vel propoſitum ſtatutis temporibus confitendi, habentibus, quando ipſis, juxta morem dicti Ordinis, in viſitatione, generalem in forma Eccleſię conſueta abſolutionem feceris, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, de benignitate Apoſtolica, concedimus, & elargimur. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis conſtitutionibus, & ordinationibus, omnibuſque, & ſingulis gratiis, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, & indultis, confirmationibus, Apoſtolicis quoque literis, etiam in forma Brevis, quibuſcunque dicti Ordinis, Provinciis, ſive Congregationibus, aut eorum Conventibus, domibus, pręſertim Provinciis utriuſque Lombardię, & Romanę dicti Ordinis, etiam per Nos forſan, ſub quibuſvis verborum clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, ac inſolitis, conceſſis, & concedendis, ac in eiſdem deputatis, & deputandis, conſervatoribus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, non autem per clauſulas generales, etiam ſpecialem mentionem importantes, ſed expreſſa, ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, ſeu quęvis alia mentio habenda eſſet, quibus, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum harum duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & nemini contra pręmiſſa, ſuffragari volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Octobris MDXLIII (4), Pontificatus noſtri Anno Nono.

Blo. El. Fulgin.

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Alberto.*) De quo dictum fuit.
4. *MDXLIII.*) Hinc iterum liquet quod etiam in literis, quas *Brevia* vocant, annos Pontificatus nonnunquam numerabant a Coronationis die.

Cœnobii (1) Montis Leonis conſtituendi facultas.

Anno 1544 Die 8 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXXVI.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro Franciſco (3) Caſtilionen. Vicario, Generali (4) Ordinis Fratrum Prędicatorum, & nobili viro Hectori Pignatelli (5) Duci Montis Leonis, necnon Univerſitati, & hominibus Civitatis Montis Leonis, Militen. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Piis fidelium votis, pręſertim Sacrę Religionis propagationem, & divini cultus augmentum, & animarum ſalutem, concernentibus, quantum cum Deo poſſumus, libenter annuimus, & ea favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod vos zelo devotionis, accenſi, ac ut Religio in civitate Montis Leonis, Militen. Dięceſis, propagationem, & divini cultus augmentum, cum animarum ſalute, & veſtra ſpirituali conſolatione ſuſcipiant, cupitis prope dictam civitatem, & in Capella Sancti Antonii de Vienna, nuper a tunc Pręceptore Domus Sancti Antonii Neapolitan. Ordinis Sancti Auguſtini, ac confratribus Confraternitatis ſub invocatione Sancti ip-

ipſius Antonii, in dicta Capella canonice inſtitutę, dilecto filio Thomę de Giracio Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, ad effectum, ut inibi una domus dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum conſtituatur, & erigatur, cum omnibus illius juribus, & actionibus, ac bonis, reſervato pro tempore exiſtenti Pręceptori dictę Pręceptorię, pro illius recognitione certo annuo canone, ac ipſis Confratribus, quod in pręfata Domo ſe congregare, & more ſolito die Jovis Sancta, ſumptibus tamen eorum, cęnam facere poſſint, cum nonnullis pactis, & conditionibus, tunc expreſſis, ad preces tuas, fili Hectore, rite data, & conceſſa, unam Domum dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, cum Eccleſia, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, & aliis officinis neceſſariis, conſtrui, & erigi &c. Quare pro parte veſtrum, aſſerentium fructus, redditus, & proventus dictę Capellę quindecim ducatorum auri de camera, ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi pio deſiderio favorabiliter annuentes, vobis, ut in dicta Capella domum prędictam, ut pręfertur, conſtruendi, & augendi, licentiam concedere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum ubique vigere, & augeri, ac Religionem propagari, noſtris potiſſime temporibus, ſinceris exoptamus affectibus, vos, & veſtrum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati eſtis, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon dationem, & conceſſionem prędictas approbantes, & confirmantes, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint, in eiſdem, ſupplentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis ſine alicujus pręjudicio, ut in dicta Capella, & prope illam, domum prędictam cum Eccleſia, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, & aliis officinis neceſſariis conſtruere, & erigere, eamque ſufficienter dotare, loci Ordinarii, vel cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, jure vero Parochialis Eccleſię, ſub qua dicta Capella forſan conſiſtit, vel cujuſvis alterius ſemper ſalvo, libere, & licite valeatis, auctoritate, & tenore prędictis concedimus, & pariter indulgemus. Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis approbationis, confirmationis, ſuppletionis, conceſſionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Tertio (6), Sexto Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Cœnobii.*) Juris eſt Provinciæ *Calabriæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo aſſervato in Cœnobio *Montis Leonis*.
3. *Franciſco.*) Fuit *Franciſcus* cognomento *Romæus*, *Caſtilionenſis* vero dicitur, quia *Caſtula*, vulgo *Caſtiglione*, in *Hetruria*, natus eſt.
4. *Vicario Generali.*) Deinde Generalis Magiſter fuit. Adeas *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad an. MDXLVI pag. 125.*
5. *Pignatelli.*) Gens eſt illuſtris, quæ nunc etiam floret.
6. *Quadrageſimo Tertio.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXLIV*. Ceterum huc ſpectat ſequens inſtrumentum.

Alvarus Quadra, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia electus Epiſcopus Venuſinus, ac perpetuus generalis Adminiſtrator Præceptoriæ S. Antonii de S. Antonio Ordinis S. Auguſtini Viennenſis Diœceſis, ſitæ extra, & prope Neapolin. &c. Univerſis, & ſingulis præſentes noſtras literas inſpecturis, ſalutem in Domino ſempiternam. Gerentes in deſideriis cordis noſtri, ut Eccleſiæ, & Capellæ, ac alia loca ſub nomine, & invocatione ejuſdem S. Antonii Viennen. in Regno Neapolitano conſtructæ & ædificatæ, ac noſtræ generali Præceptoriæ prædictæ, vigore privilegiorum Apoſtolicorum, eidem per Romanos Pontifices conceſſorum, ſubjectæ, & incorporatæ, ſub bono regimine gubernentur, earumque introitus, & alia bona in laudabilem, ac pium uſum convertantur; Hinc eſt, quod vacante Capella S. Antonii Viennen. conſtructa extra, & prope mœnia Montis Leonis Militen. Diœceſis, per liberam reſignationem nobis factam per venerabilem Dominum Andream Cacciatori de Caſſale Triparonii dictæ Militen. Diœceſis: & volentes nos de dicta Capella, ejuſque juribus, & obventionibus, ac bonis omnibus providere, eaque bona & alia jura convertere in cujuſdam conſtructionem ejuſdem Monaſterii ſub vocabulo S. Dominici, in loco ubi Capella ipſa extat, conſtruendi, & ædificandi, idcirco ad preces, & requiſitiones, ac inſtantiam per Illuſtriſſimum Dominum Ducem Montis Leonis, ac Univerſitatem dictæ Civitatis nobis factas, dictam Capellam, cum omnibus ejus bonis pro dicto Monaſterio conſtruendo, & ædificando dilecto nobis in Chriſto Fratri Thomæ Gieraci, Ordinis Prædicatorum, concedimus, dictumque Fratrem Thomam gubernatorem, adminiſtratorem, & procuratorem noſtrum, & Capellæ præfatæ facimus, creamus, & deputamus, cum omnimoda facultate exigendi, recuperandi, & habendi fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, oblationes, & emolumenta, ac pecuniarum ſummas, & quantitates eidem Capellæ S. Antonii debitas, & debendas quavis occaſione, vel cauſa: debitores quoque coram quocunque judice eccleſiaſtico, vel ſeculari conveniendum, & compellendum, eoſque arreſtari petendum, & procurandum, ac contra ipſos uſque ad integram ſatisfactionem exequendum, & procedendum, de receptis, habitis, & recuperatis, quietandum, liberandum, penitus, & abſolvendum, declarantes, & cum decreto tamen quod præfatus Frater Thomas debeat, & quolibet anno teneatur ſolvere nobis, ac ſucceſſoribus noſtris, vel aliis nomine noſtro, Neapoli in feſto S. Antonii de menſe Januarii Carolenos quindecim monetæ Regni Neapolitani in ſignum recognitionis, & ſuperioritatis. Quæ omnia, & ſingula præfatus Frater Thomas inviolabiliter, & indeminute obſervare teneatur ſub pœna privationis adminiſtrationis dictæ Capellæ, ac ſub cenſuris, in indultis & privilegiis Apoſtolicis prædictis contentis. Reliquos vero fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, oblationes, & emolumenta quæcunque dictus Frater Thomas in ſuos uſus, ac alias prout ſibi melius videbitur converti poſſit, & valeat. In quorum omnium, & ſingulorum fidem,

fidem, teſtimoniumque præmiſſorum, has præſentes literas noſtra propria manu ſubſcriptas, per ſubſcriptum noſtrum Secretarium fieri fecimus, ac magno ſigillo S. Antonii ſub Anno a Nativitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Quarto, die vero decima Menſis Januarii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Pauli Divina Providentia Papæ III Anno Decimo.

Alvarus qui ſupra manu propria &c.

De S. Theologiæ Magiſtris (1) creandis in Provincia Lombardiæ &c.

Anno 1544 Die 28 Februarii. LXXXVII.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

UNiverſis, & ſingulis has pręſentes literas, lecturis pariter, & andituris, Nos Marcellus (3) Tit. S. Crucis in Jeruſalem Presbyter Cardinalis, fidem facimus, & atteſtamur, qualiter Sanctiſſimus D. N. D. Paulus divina providentia PP. III oraculo vivę vocis Nobis facto, voluit, & ordinavit, ut Frater Maximus de Crema Provincialis utriuſque Lombardię Ordinis Pręḍicatorum de obſervantia, modernus, & quilibet pro tempore Provincialis exiſtens, perficiat, compleat, & pertractet una cum Definitoribus legitime electis omnia pertractanda in ultimo Capitulo ſui Provincialatus, tanquam melius informatus de rebus ordinandis in dicta Provincia. Item, ne multiplicentur Magiſtri Sacrę Theologię, ſine neceſſitate ſtudii Bononienſis, diſponit, & ordinat, ut nullus in dicta Provincia pro Magiſtro habeatur, niſi prius fuerit approbatus in moribus, & literis, facto examine per Magiſtros dictę Provincię, & demum in Capitulo Provinciali ejuſdem Provincię acceptatus. In quorum fidem has pręſentes manu propria ſubſcriptas fieri, & ſigillo noſtro obſignari juſſimus. Datum Romę in Palatio noſtrę ſolitę reſidentię die ultima Februarii MDXLIV.

Ita eſt Marcellus Card. S. Crucis in Jeruſalem manu propria.

1. *Magiſtris.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Bononienſi.*
3. *Marcellus.*) *Cervinus*, de quo *Ciaconius Vit. Pontificum, & Card. Tomo III pag. 668 in Paulo III.*

Eadem de re datum fuit ſequens vivæ vocis oraculum.

Nos Johannes miſeratione divina Epiſcopus Portuen. S. R. E. Cardinalis de Salviatis, vulgariter nuncupatus.

FIdem facimus, & tenore præſentium atteſtamur. Qualiter Sanctiſſimus D. N. D. Paulus divina providentia PP. III ad preces noſtras, vivæ vocis oraculo Nobis deſuper facto, ordinavit pro manutenendo, & conſervando religioſo ordine, qui hactenus in Provincia utriuſque Lombardiæ, circa graduandos in Sacra Theologia, ſervatus fuerit, quod Fratres dictæ Provinciæ in Sacra Theologia graduati, quomodocunque, vel quacunque auctoritate, & graduandi, qui non fuerunt juxta conſtitutiones Ordinis, & morem Provinciæ propoſiti a Provincia, & licentiati a Capitulo Generali, non habeant locum, nec gradum, nec alias exemptiones in dicta Provincia, Magiſtris, ſecundum uſum dicti Ordinis, & Provinciæ debitas, niſi poſtquam tempore congruo petente dicta Provincia, fuerint eorum Magiſteria approbata per Generale Capitulum. His tamen non obſtantibus, ordinat Sua Sanctitas, quod Frater Adrianus Venetus Magiſter, qui actu legit Methaphyſicam in ſtudio Patavino, quandiu talem exercuerit lecturam, teneat locum Magiſtri in univerſitate Patavina, & in Conventibus, ſeu locis dicti Ordinis in dicta Civitate duntaxat, & non aliter, Non obſtantibus quibuſcunque in contrarium facientibus, & literis patentibus noſtris ſuper hoc alias emanatis. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ die 13 Menſis Octobris 1546, Pontificatus ejuſdem Sanctiſſimi D. N. PP. Anno XII.

Ita eſt Johannes Card. de Salviatis manu propria.

Ut Johannæ de Cardona (1) cadaver ſepeliatur (2) in ædibus ſacris Barchinonenſis Cœnobii.

Anno 1544 Die 4 Martii.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

LXXXVIII.

Venerabili in Chriſto Patri Dei gratia Epiſcopo Ilerden. Barchinone commoranti, ac diſcretis viris Michaeli Puig, ac Antonio Civil Canonicis Eccleſię Barchinonen. Antonius (4) miſeratione divina Epiſcopus Sabinen. ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem.

EX parte Prioris per Priorem ſoliti gubernari Monaſterii Sanctę Catharinę Ordinis Pręḍicatorum Barchinonen., & Conventus ejuſdem, fuit propoſitum coram Nobis, quod alias nobili viro Petro de Cardona Regni Catalonię tunc, & forſan nunc, Gubernatori, vigore quarundam literarum Apoſtolicarum per officium ſacrę Pęnitentiarię, cujus tunc temporis curam gerebamus, in certa forma expeditarum, ut corpus, ſeu cadaver quondam Johannę de Cardona matris, dum viveret, ſuę, quod in Eccleſia pręfati Monaſterii ſepultum exiſtit, abſque ordinarii loci, vel alterius cujuſvis licentia, ex ipſa Eccleſia, ſeu Monaſterio extrahere, & quo magis placeret, illud transferre poſſet, conceſſum, & indultum fuerit, prout in ipſis literis latius continetur. Cum autem, ſicut eadem ſubjungebat petitio, dicta quondam Johanna de Cardona, dicti Ordinis Pręḍicatorum Ordinem expreſſe profeſſa fuerit, privilegioque dicti Ordinis cautum ſit, quod non ſolum Ordinem ipſum expreſſe profeſſorum, verum etiam habitum ipſorum Fratrum tempore mortis ſuſcipien. cadavera, ſeu oſſa in dicto Monaſterio, aut Eccleſia ſepulta extrahi, aut mutari nequeant, ac in ipſis literis quod dicta Johanna ipſum Ordinem expreſſe pro- Nota.

profeſſa fuerit omnino tacitum fuit, quod ſi narratum eſſet, nullatenus ipſę literę, ſeu indultum prędictum in perturbationem totius Ordinis, Eccleſięque ſcandalum conceſſę, & indultum fuiſſet, cuperent propterea Prior, Conventuſque pręfati ipſas literas, & indultum prędicta tanquam ſurreptitia, prout ſunt, & quicquid ex eis ſequutum fuerit, revocari, extingui, & annullari, caſſaſque, & caſſum, & irritum denunciari. Super quibus ſupplicari fecerunt humiliter dicti exponentes, ſibi, pręfatoque Monaſterio de opportuno remedio provideri. Nos igitur dictarum literarum, & indulti tenorem pręſentibus pro expreſſo habentes, & attendentes, quod nihil magis gratiam extinguat, quam mendacium, & ſi in pręmiſſis literis, quod dicta Johanna expreſſe Ordinem Prędicatorum profeſſa fuerat, expoſitum fuiſſet, nullatenus dicto Petro contenta in eis indulta fuiſſent, neque gratiam pręfatam reportaſſet, eorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Domini Papę cujus Pęnitentiarię curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivę vocis oraculo Nobis facto, circunſpectioni veſtrę, & cuilibet veſtrum committimus, quatenus, ſi vobis ſummarie, ſimpliciter, & de plano procedentibus per fide dignorum teſtium depoſitiones ipſam Johannam de Cardona Ordinem Prędicatorum expreſſe profeſſam fuiſſe, canonice conſtiterit, pręfatas literas, indultumque, & omnia in eis contenta, & quicquid ex ipſis ſequutum fuerit, tanquam ſurreptitias, & invalidas, & prout jam ſunt, revocetis, extinguatis, & annulletis, caſſaſque, & quicquid ex eis ſequutum fuerit, irritum eſſe, ipſoſque Priorem, & Conventum ſuper pręmiſſis minime moleſtari debere denuncietis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac tam Provincialibus, quam Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus, & omnibus, quę in pręfatis literis non obſtare placuit, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub ſigillo officii Pęnitentiarię IV Non. Martii, Pontificatus Domini Pauli Papę III Anno Decimo.

1. *De Cardona.*) Gens eſt antiqua.
2. *Sepeliatur.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Barchinonenſi.*
4. *Antonius.*) *Puccius.* Adeas *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III in Clemente VII.*

Anno 1544 Die 25 Auguſti. Admonet F. Dominicum de Soto (1) nonnulla in decreto Cæſareo Spirenſi Catholicæ Religioni exitialia contineri, iiſque malis occurrere jubet (2).

LXXXIX. *Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MDXLIV num. VIII.*

Dilecto filio Dominico de Soto Ordinis Prędicatorum profeſſori Sereniſſimi Cęſaris (3) Confeſſori.

PAULUS PP. III.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ETſi credimus pro tua pietate, quod tu, cum quotidie audire, & videre poſſis, quid Sereniſſimus Cęſar agat, pręſertim in rebus, quę ad ſalutem animę ejus curam cum tibi commiſiſſe intelligimus, pertinent, officio tuo apud Suam Majeſtatem non deeſſe, tamen cum pręteritis diebus legerimus receſſum ab eo Spirę imperialem nuperrime factum, quoniam multa non ſolum ſaluti animę ejus, verum etiam unitati Eccleſię damnoſa, ac pręjudicialia in illo comperimus, ſicut de iis ejus Majeſtatem paterne admonere per noſtras literas voluimus, ita quoque viſum eſt Nobis idem officium tecum etiam peragere, cum ad id teneri videamur, quippe qui veram ejus Majeſtatis gloriam una cum publica Chriſtianitatis quiete conjunctam ſummopere exoptemus. Quamobrem injungimus tibi in virtute Sanctę Obedientię, ut tam iſta Germanica, quam cetera hujuſmodi, quę minoris momenti, & ponderis non ſunt, bene conſideres, ac perpendas, atque ita tuum officium adminiſtres, ut Deo imprimis, deinde & Nobis, qui ejus Filii in terris Vicarii, licet immeriti, ſumus, rationem tui muneris reddere cum laude poſſis. Datum Romę apud S. Marcum XXV Auguſti MDXLIV Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Soto.*) *Eccleſiæ, patriæque ſuæ decus & columen,* ut ait *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDLX pag. 171.*
2. *Juſſit.*) Conſulendus *Odoricus Raynaldus* loco laudato.
3. *Cæſaris*) *Caroli V.*

De Decimis (1) non ſolvendis.

Anno 1544 Die 16 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Prioribus & Fratribus, ac dilectis in Chriſto filiabus Priorissis, & Sororibus Monaſteriorum, Domorum, & Conventuum Ordinis Fratrum Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum in Dominio Venetorum conſiſtentium.

PAULUS PP. III. XC.

Dilecti filii, & Dilectę in Chriſto filię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſtis, quod licet Nos aliaa, poſtqnam urgentibus temporum conditionibus diverſas decimas ſuper redditibus eccleſiaſticis, a quibuſcunque etiam Ordinum Mendicantium profeſſoribus bona ſtabilia ex privilegio Apoſtolico poſſidentibus, perſolvendas in diverſis Orbis partibus, & pręſertim in tota Italia impoſueramus, veſtro Ordini Prędicatorum tam viris, quam mulieribus, quod ex tunc de cetero ratione cujuslibet decime per Nos in tota Italia eatenus impoſitę, & in poſterum imponendę, ultra illius medietatem ſolvere nullatenus tenerentur, nec ad id a quoque, quavis auctoritate, cogi poſſent, conceſſerimus, & deinde conceſſionem prędictam ad Religioſos utriuſque ſexus dicti Ordinis in iſto Dominio Venetornm, ſub quo conſiſtitis ſe extendere, ſeu illos comprehendere declaraverimua per diverſas alias noſtras in forma Brevis literas, prout in illis plenius continetur, nihilominus tamen collectores, vel ſubcollectores duarum Decimarum per Nos nuper in iſto Dominio ſuper quibuſvis fructibus Eccleſiaſticis etiam Ordinum Mendicantium hujuſmodi, etiam privilegio non ſolvendi ſuffultorum, impoſitarum, vos ratione bonorum ſtabilium, quę ex privilegio Apoſtolico poſſidetis ad integram ſolutionem dictarum duarum decimarum compellere velle conantur, & moleſtant. Quare Nobis bumiliter ſupplicari feciſtis, ut deſuper mentem noſtram declarare, aliaſque vobis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, volentes, ſemel per Nos ſtatutum inviolabiliter obſervari, ac declarantes, & atteſtantes mentis noſtrę non fuiſſe, neceſſe in impoſitione dictarum duarum Decimarum, indulio, & literis dicto veſtro Ordini, & pręſertim in iſto dominio hujuſmodi per Nos conceſſis prędictis in aliquo pręjudicare, vobis, quod juxta indulti, ac literarum per Nos vobis conceſſorum, hujuſmodi tenorem, ad ſolvendum ultra medietatem dictarum duarum, ac quarumcunqne aliarum per Nos quomodolibet pro tempore impoſitarum, ſeu imponendarum decimarum minime teneamini, nec ad id a quoquam, quavis auctoritate, cogi poſſitis, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium de ſpeciali gratia concedimus, & indulgemus. Mandantes collectoribus, & ſubcollectoribus, earundem duarum, & aliarum decimarum in dominio Venetorum impoſitarum, & imponendarum, in virtute Sanctę Obedientię, & ſub excommunicationis, ac aliis noſtro arbitrio imponendis pęnis, ne vos contra literarum prędictarum, ac pręſentium tenorem, quomodolibet vexent, aut moleſtent, ac id quod a vobis invitis poſt priorem conceſſionem, & Indultum, noſtra pręfata, occaſione decimarum hujuſmodi ultra illarum medietatem forſan exegerint, id in ſolutione aliarum impoſitarum, ſeu imponendarum decimarum facienda omnino compenſent, ac compenſari mandent, & faciant, ac poſtquam dictam medietatem decimarum exegerint, vos, & nomina veſtra caſſent, & aboleant, ac opportunas qnietantias, & liberationes vobis tradant, & conſignent, non obſtantibns Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod pręſentium tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides, in judicio, & extra, adhibeatur, quę originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVI Octobris MDXLIV (3) Pontificatus noſtri Anno Decimo.

S. Fab. Epiſcopus Spol.

1. *Decimis*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex autographo *Bergomenſi*.

3. *MDXLIV.*) Ex hoc etiam liquet quod annos Pontificatus a die Coronationis in ipſis literis, quas Brevia vocant, nonnunquam numerabant.

Ut Florentinum (1) Cœnobium S. Marci Fratribus Ordinis reſtituatur.

Anno 1544 Die 15 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio nobili viro Coſmo de Medicis Duci Florentię.

PAULUS PP. III. XCI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUperioribus diebus per Nos audito, quod tua nobilitas, Nobis penitus inconſultis, & ſine ulla Sedis Apoſtolicę auctoritate Fratribus Ordinis Prędicatorum de obſervantia, ex domo S. Marci Florentię eje-

ejecerat, & in illam Fratres Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Congregationis Lombardię introduxerat, Nos quoque merito ex ea injuria per te, etiam dictę Sedi illata commoti eramus, tamen tecum modeſte, & patienter volentes agere, oratori tuo ad Nos vocato injunximus, ut noſtro nomine ſuper hoc cum tua nobilitate expoſtulationem, factique revocationem a te peteret. Cumque is poſt aliquot dies literis a te habitis reſpondiſſet nobis, te id cum auctoritate Apoſtolica, & vigore cujuſdam Brevis feciſſe, Noſque re diligenter examinata, nihil tale in illo Brevi contineri reperiſſemus, idque tuus Orator ad te poſtea ſcripſerit, Nos tamen, non modo ullum effectum, ſed nec reſponſum quidem a te meruimus, immo tu non contentus prioribus, tanquam parum eſſet, libertatem eccleſiaſticam in uno violare, aliud poſtea adjeciſti, Fratreſque Ordinis Humiliatorum ex domo omnium Sanctorum Florentię de facto ejeciſti, & in illam Fratres Minorum Ordinis de obſervantia introduxiſti, noſtrum haud dubie officium tibi arrogans, ac de ſacris locis, & perſonis pro tuo arbitrio diſponens. Quibus per te geſtis, dubitare non debes te plures uno tempore admiſiſſe culpas, injuſtitię, quod ſine cauſę cognitione, ſine auctoritate, per vim tantum, tot Religioſos ejeceris, ſacrilegii, quod de ſacris locis, & perſonis, laicus te intromiſeris, & contempus non modo hujus ſanctę Sedis, quam in proximo agens de re ad illam pertinente conſulere debebas, verum etiam Religionis, quod libertate eccleſiaſtica pluribus modis violata, cenſurarum laqueis, & te irretiſti, & ut ii Fratres, quos in locum ejectorum introduxiſti pariter ſe implicarent auctor fuiſti, quę eo etiam ſunt graviora, quod te a libertate Eccleſię violanda, nec Concilii Generalis reſpectus, nec duorum Romanorum Pontificum, tuorum gentilium recens memoria, nec ea ratio te movit, quod Nos tibi juſta petenti, nunquam quidquam denegavimus, ſicut & nunc non denegaviſſemus in his, ſi Nos conſulendos duxiſſes. Quamobrem, cum prętérquam quod tu multis hactenus in rebus, ad noſtram diſpoſitionem mere pertinentibus noſtram auctoritatem, literaſque Apoſtolicas ſępe impediviſti, in his noviſſimis, de quibus clare Nobis innotuit, manifeſte, & graviter libertatem eccleſiaſticam violaveris, Nos tantam juſtitię, perſoniſque ſacris, immo Deo, & Eccleſię illatam injuriam, ſimulque tuę animę ſalutem negligere nolentes, te primum hortamur, & monemus, ut Deum timens, eique bonorem in Eccleſię obedientiam reddens, dictos Religioſos per te de facto ejectos, intra triduum a receptione pręſentium reſtituas, proviſionemque noſtram ſuper illorum demeritis, ſi quę ſunt, & expulſionem humiliter petas, quam tibi debitis modis non ſumus denegaturi. Aliter enim, ſi in hujus injurię, quam a te Sedes Apoſtolica accepit, continuatione perſiſtas, Nos, ſine acceptione perſonarum, officii noſtri debitum exequemur, & juſtitia mediante, contra tuam nobilitatem, ad declarationem earum cenſurarum, quas tu te incurriſti, aggravationemque, & reaggravationem illarum, una cum appoſitione interdicti, & ad alia aeriora juris, & facti remedia, te aliter non vocato, procedemus. Et inſuper, cum pręſentes literas originales eidem tuo Oratori conſignaverimus, per eum ad te mittendas, decernimus hujuſmodi conſignationem eidem factam perinde te arctare, ac ſi tibi perſonaliter intimatę fuiſſent. Datum Romę apud S. Petrum die XV Novembris MDXLIV, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Florentinum*.) Ubi celeberrimus Fratrum Conventus. 2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex autographo *Florentino*.

Anno 1544 Die 3 Decembris.

De beneficio uniendo Lombayenſi (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XCII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

PAſtoralis officii debitum &c. (3). Cum itaque Paſtoralis Eccleſię loci de Lombay, Valentin. Dięceſis, quę de jure patronatus dilecti filii nobilis viri Franciſci de Borgia, Ducis Gandię, exiſtit, per liberam reſignationem dilecti filii Onufrii Martinez ipſius eccleſię Rectoris de illa, quam tunc obtinebat, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, vacaverit & vacet ad pręſens, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Franciſci Ducis, petitio continebat, ipſe Franciſcus Dux provide conſiderans, quod in prędicta, & infra limites Parochię dictę Eccleſię conſiſten. Catadau, & de Alfarbat de Alleduą locis dictę Dięceſis magna viget multitudo noviter ad fidem Chriſti converſorum, qui pro ſua in lege evangelica inſtructione crebris, & aſſiduis prędicationibus indigent, in dicto loco de Lombay unam domum Ordinis Fratrum Prędicatorum ſub invocatione Sanctę Crucis ſuis propriis ſumptibus, & expenſis fundaverat, ac conſtrui, & ędificari inchoaverat, ac, dante Domino perficere, necnon in ea de licentia ſuperiorum ipſius Ordinis unum Priorem, ſeu alium Pręſidentem, & diverſos alios ejuſdem Ordinis profeſſores ſub regulari obſervantia degentes, qui prędicationi Verbi Dei inter noviter converſos prędictos aſſiſtant, & eos in lege Evangelica, & cultu divino, ac ritibus Chriſtianis inſtruant, introducere intendat, & ad perfectionem domus ac pro manutentione Prioris, & Fratrum hujuſmodi, necnon ſupportatione onerum illis pro tempore incumbentium maximę requirantur impenſę, & Chriſti fidelium ſuffragia ſint admodum neceſſaria, deceatque Romanum Pontificem juxta Chriſtianam caritatem ſimilia opera aliquibus redditibus eccleſiaſticis adjuvare, cum bona eccleſiaſtica in nullos alios uſus ſalubrius, quam in ędificatione populorum ad fidem Chriſtianam exponi poſſint, ſi dicta eccleſia eidem domui ex nunc prout ex tunc, poſtquam per Priorem, ſeu alium Pręſidentem, & Fratres Ordinis hujuſmodi, de licentia eorundem ſuperiorum, inhabitari cępta fuerit, & in ea regularis viguerit obſervantia, uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto Fratres domus hujuſmodi commodius ſuſtentari, & dictę predicationi inter eoſdem noviter converſos, ac eorum in fide Chriſti inſtructioni liberius vacare poſſent, cum divini cultus augmento, & ſpirituali fidelium illarum partium conſolatione. Quare pro parte ejuſdem Franciſci Ducis, aſſerentis, fructus, redditus, & proventus dictę eccleſię, & illi forſan annexorum centum ducatorum auri de camera ſecundum communem extimationem valorem annuum non exce-

Digitized by Google

excedere, ac ſuper illis penſionem annuam triginta ducatorum ſimilium dilecto filio Conſtantino del Caſtello Deeano eccleſię Conchen. illam annuatim percipienti Apoſtolica auctoritate reſervatam exiſtere, Nobis fuit bumiliter ſupplicatum, ut Parochialem Eccleſiam prędictam eidem domui, ut pręfertur, unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum extimationem prędictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, prędictum Franciſcum Ducem qui etiam Marchio de Lombay exiſtit, a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, necnon dictę domus fructuum, reddituum, & proventuum verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Parochialem Eccleſiam prędictam, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem dicti Onufrii, vel cujuſvis alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus, ſponte factam, aut conſtitutionem felicis recordationis Johannis XXII &c. vel aſſecutionem alterius beneficii eccleſiaſtici, quavis auctoritate collati, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ipſaque Parochialis Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore datę pręſentium non ſit in ea alicui ſpecialiter jus quęſitum, cum ad hoc ipſius Franciſci Ducis expreſſus accedat aſſenſus, cum annexis hujuſmodi, ac olivetis de Garroferia nuncupatis, ac omnibus aliis juribus, & pertinentiis ſuis eidem domui ex nunc prout ex tunc, poſtquam per Priorem, ſeu alium Pręſidentem, & Fratres Ordinis hujuſmodi de licentia eorundem ſuperiorum inhabitari cępta fuerit, & in ea regularis obſervantia viguerit, & e contra ad effectum pręmiſſorum, auctoritate Apoſtolica, pręfata tenore pręſentium perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita, quod liceat pro tempore exiſtenti ipſius domus Priori, aut alteri Pręſidenti per ſe, vel alium, ſeu alios nomine dictę domus corporalem poſſeſſionem Parochialis Eccleſię, & annexorum, juriumque, & pertinentiarum prędictarum propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac illius, & annexorum hujuſmodi fructus, redditus, & proventus in earundem domus, & Parochialis Eccleſię uſus, & utilitatem convertere, necnon eidem Parochiali Eccleſię per Fratres dictę domus, aut alios Presbyteros idoneos ſeculares, ad ipſius domus Prioris, ſeu alterius Pręſidentis nutum, ponendos, & amovendos, in divinis deſerviri, & animarum curam dilectorum filiorum Parochianorum ipſius Parochialis Eccleſię exerceri facere, necnon pro eorum, & dictę domus uſu, ornamentis dictę Parochialis Eccleſię libere, & licite uti, Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, non obſtantibus priori voluntate noſtra prędicta, ac Lateranen. Concilii &c. quibuſcunque. Aut ſi aliquibus ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi &c. literas impetrarunt &c. qnas quidem literas &c. ad dictam Parochialem Eccleſiam volumus non extendi &c. & quibuſvis aliis privilegiis &c. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prędictas dicta Eccleſia debitis propterea non fraudetur obſequiis &c. & inſuper ex nunc &c. attentari. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Quarto, Tertio Non. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Collatio.

Gualterius.

1. *Lombayen.*) Juris eſt *Aragoniæ* Provinciæ.
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar unum ex autographo *Lombayenſi*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. IV fol.* 12.
3. *Debitum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.

F. Franciſcus (1) Romeus de Caſtiglione Vicarius Generalis creatur.

Anno 1545 Die 20 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Franciſco Romeo de Caſtiglione Ordinis Predicatorum, & Sacrę Theologię profeſſori, ac totius ejuſdem Ordinis Vicario Generali.

PAULUS PP. III.

XCIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm nuper tui Ordinis Generalatus per obitum bonę memorię Alberti de Caſans (3) ejuſdem Ordinis Magiſtri Generalis (4) vacaverit (5) Nos ſolliciti de tranquillo, ac pacifico ſtatu dicti Ordinis, ne interim uſque ad Capitulum veſtrum Generale, in qno de Magiſtri Generalis electione agendum erit, ipſe Ordo, capite, & Rectore carens, aliquod detrimentum patiatur, volenteſque opportunis remediis adhibitis pro debita paſtoris vigilantia in pręmiſſis conſulere; perſpecta morum tuorum problitate (6), necnon ſingulari eruditione, ac rernm uſu, te, qui in Romana Curia Procurator Generalis (7) dicti Ordinis, ac de rebus ejuſdem plene informatus exiſtis, Vicarium Generalem ipſius Ordinis uſque ad Generalis Capituli juxta Conſtitutiones veſtras celebrationem faciendam incluſive, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium conſtituimus, & creamus, cnm auctoritate, & facultate providendi, ordinandi, & mandandi, ac omnia, & ſingula faciendi, & exeqnendi, quę hujuſmodi Vicarii Generales, uſque ad tempus prędictum, circa ipſum Ordinem regendum, & gubernandum, facere, & diſponere, exequi, & exercere conſueverunt, ac debuerunt, interdicentes, pręſentium tenore, adminiſtrationem dicti Vicariatus cuicunque alteri, ad quem fortaſſe aliquo jure pertineret; mandanteſque in virtute S. Obedientię, & ſub excommunicationis pęna omnibus, & ſingulis Fratribus prędicti Ordinis, ut in pręmiſſis, & in om-

omnibus, quę ad dictum Officium Vicariatus Generalis dicti Ordinis pertinent, tibi cum effectu pareant, & intendant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque eidem Ordini, forſan conceſſis, quibus, illorum tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Hortantes te in Domino, ut hanc Vicariatus curam, & onus, prompte, ſuſcipias, & ita juxta dicti Ordinis regularia inſtituta, quieto, & tranquillo regimini incumbas, ut, auctore Domino, apud Nos, & hanc Sanctam Sedem, commendari merearis. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX Januarii MDXLV Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Blo. El. Fulgin.

1. *Franciſcus.*) De quo dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo autographum.
3. *Alberti de Caſaus.*) *Hiſpani*, natalibus, pietate, & doctrina illuſtris.
4. *Generalis.*) Electus fuerat anno *MDXLII.*
5. *Vacaverit.*) Obierat enim die *XVI* Novembris *MDXLIV.*
6. *Probitate.*) Adeas *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad an. MDXLVI pag. 125.*
7. *Procurator Generalis.*) Ab *Alberto de Caſaus* inſtitutus anno *MDXLII.*

Anno 1545 Die 5 Martii.

Neſciovanenſis (1) Archiepiſcopus a Fratribus, aliiſque Armenis eligitur (2) a S. Pontifice confirmatur, & privilegiis ornatur.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XCIV.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. ETſi ex debito paſtoralis Officii cui, diſponente Domino, meritis imparibus pręſidemus, cunctis ad Sedem Apoſtolicam, communem omnium Matrem, pro eorum negotiis confluentibus adeſſe conſueverimus, eis tamen, qui in medio infidelium conſtituti ex remotiſſimis regionibus ad eam reverenter, & devote accedunt, Nos convenit eſſe favorabiliores, ut exinde eorum devotio erga dictam Sedem eo amplius creſcat, quo majoribus ſe noverint confoveri gratiis, & munificentiis. Sane cum ut multis argumentis, & rei evidentia nobis innotuit, Eccleſia Neſciovanen. quę in partibus Armenię Majoris conſiſtit,
Electio, & Confirmatio. Paſtoris ſolatio pro tempore deſtituta, ſemper in Archiepiſcopum Neſciovanen. unus profeſſor Ordinis Fratrum Pręedicatorum ab octo Prioribus octo principalium domorum dicti Ordinis earundem partium, & octo principalibus, octo principalium Terrarum partium hujuſmodi a Catholicis inhabitatarum eligi (4), & ſic electus, licet cum ejus Clero, & populo in medio nationis pravę ſub fide Chriſtiana, & dictę Sedis devotione degat, nihilominus pro cultu fidei Catholicę, & manutentione unitatis ipſius Eccleſię cum Eccleſia Romana, necnon reverentia, & devotione, quam catholici pręfati erga eandem Romanam Eccleſiam gerunt, pro obtinenda confirmatione Electionis hujuſmodi ad pręfatam Sedem, & conſpectum Romani Pontificis pro tempore exiſtentis ſe perſonaliter conferre conſueverit, & ob diſtantiam loci, & longam peregrinationem maxima incommoda, & detrimenta ſuſtineat, ac graviſſimas expenſas ſubire, & diverſa vectigalia in partibus infidelium ſolvere cogatur, Nos pro tempore electo hujuſmodi, ne propterea a prędicta antiqua, & ſolita devotione, & fide diſtrahatur, ſed potius lętus ad Nos, & Sedem eandem
Privilegia. venire poſſit, de alicujus auxilio ſubventionis providere; ac cum dictę Sedis munificentia, ac liberalitate proſequi volentes, motu proprio, non ad ipſius, aut alicujus alterius pro eo Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia eundem pro tempore electum Neſciovanen., & ejus familiares, & bona quęcunque ab omnibus gabellis, pedagiis, gravaminibus, vectigalibus, & aliis ordinariis, & extraordinariis exactionibus pro tempore impoſitis, in quibuſcunque Provinciis, terris, dominiis, & locis, ad quę eos, tam veniendo, quam redeundo pro tempore declinare, & in quibus ſtare contigerit, perpetuis futuris temporibus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, eximimus penitus, & liberamus; ac omnibus, & ſingulis in toto orbe terrarum ejuſdem Ordinis domorum Prioribus, & Fratribus, ac perſonis, ut eundem pro tempore Electum, ac ejus familiares in eorum domibus recipiant, ac illos ſincera in Domino caritate tractent, ipſiſque gratis, & amore Dei, victum, & alia neceſſaria, quandiu in eiſdem domibus permanſerint pręheant, in virtute S. Obedientię, pręcipimus, & mandamus, ac eiſdem Electo & familiaribus cum primum Romam applicaverint pro eorum commodiori uſu, & habitatione domum Beatę Marię ſupra Minervam de Urbe ejuſdem Ordi-
Nota. nis perpetuo concedimus, & aſſignamus; Necnon eundem pro tempore Electum, ad Nos, & pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem, & pręfatam Sedem, pro confirmatione electionis ſuę venientem, in pręſentia noſtra conſtitutum, ex nunc prout ex tunc, & e contra, in noſtrum Prelatum Domeſticum cum honoribus, emolumentis, pręeminentiis, favoribus, gratiis, privilegiis, & indultis, quibus alii noſtri vere Pręlati Domeſtici utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate, & tenore prędictis recipimus, illumque Pręlatum Domeſticum facimus, & conſtituimus, ac aliorum noſtrorum Pręlatorum Domeſticorum numero, & conſortio laudabiliter aggregamus; & nihilominus eidem pro tempore Electo, & familiaribus, ac aliis ſuis ſequacibus dilectum filium noſtrum Guidonem Aſcanium Sfortiam S. Euſtachii Diaconum Cardinalem modernum, & pro tempore exiſtentem noſtrum, & ejuſdem S. R. E. Camerarium, in illorum, ac rerum, & bonorum ſuorum Protectorem perpetuum conſtituimus, & deputamus, ac moderno, & pro tempore exiſtenti Theſaurario noſtro, ut eiſdem pro tempore Electo, & familiaribus, tam pro victu, & veſtitu, quam aliis illorum neceſſitatibus, quandiu apud Sedem eandem permanſerint, ac pro receſſu, & illorum ad dictam Eccleſiam

Neſ-

Neſciovanen. viatico pecunias convenientes, & neceſſarias, juxta mandata, ſuper inde per eundem Camerarium arbitrio ſuo pro ſufficienti premiſſorum proviſione eidem pro tempore Electo concedenda, prębeat, & adminiſtret, ac perſolvat, & perſolvi faciat, committimus, & mandamus. Nos enim mandata per Camerarium pro tempore conceſſa, & per dictum Theſaurarium, ſeu Depoſitarium noſtrum admiſſa, & adimpleta in computis Theſaurarii, ſeu Depoſitarii hujuſmodi admiſſuros pollicemur, prout ex nunc admittimus, mandantes pręſentes noſtras literas in libris Regiſtris Camerę Apoſtolicę ad perpetuam rei memoriam regiſtrari, & reſcribi, ac tranſumptis illarum manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eandem prorſus fidem adhiberi, quę eiſdem pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę; Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſius Camerę, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Quarto (5), Tertio Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Neſciovanen.*) *Naſciovanen.*, *Naſcivanen.*, *Naxuanen.*, & *Nacxſciovanen.*, vulgo *Naſſivan*, in *Armenia Majori*.
2. *Eligitur.*) Legendus hac de re *Galanus de Conciliatione Eccleſiæ Armenæ cum Romana Prima Parte Hiſtoriali Cap. XXX pag. 528.*
3. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum, & quatuor exemplaria typis impreſſa. Sed notandum quod iſta variis mendis ſcatent.
4. *Eligi.*) Huc ſpectat Inſtrumentum quod ex Actis Conſiſtorialibus refert *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. IX pag. 56.*
5. *Quarto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXLV*.

FF. Petro de Soto, & Gabrieli de Guſman gratulatur, quod in priſtinam concordiam Cæſarem, & Regem Galliarum reduxerint.

Anno 1545 Die 22 Martii.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MDXLV num. LVI.

Dilecto filio Petro de Soto Ordinis Predicatorum, & Sacrę Theologię Profeſſori, Sereniſſimi Cęſaris Confeſſario.

PAULUS PP. III.

XCV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VEniens nuper ad Nos dilectus filius Gabriel de Guſman Ordinis Prędicatorum, & Sacrę Theologię profeſſor, Chriſtianiſſimę Reginę Francię Confeſſor, pro expeditione cujuſdam Monaſterii, ad quod eum Rex Chriſtianiſſimus Nobis nominavit, multa retulit de tua ſingulari doctrina, ac pietate (1), utque in negotio pacis, inter Cęſaream Majeſtatem, & dictum Regem Chriſtianiſſimum nuper confectę, una ſecum pie, ac diligenter laboraveris, quę etſi erant Nobis antea de te cognita, tamen ex ipſo etiam Gabriele audire jucundiſſimum Nobis fuit, teque de hoc ſummopere in Domino commendamus, rem enim procuraſti non ſolum illis Principibus, & eorum Regnis, verum etiam, & univerſę Chriſtianitati ſalutarem; quę ut diutiſſime conſervetur, Nobis, ac tibi, & bonis omnibus laborandum eſt. Quamobrem Nos publicę utilitatis, quę ex hoc dependet, deſiderio ducti, cum nonnulla ad ejuſdem pręſervationem pacis pertinentia Nobis in mentem veniſſent, ea per ipſum Gabrielem iſtic redeuntem tibi nota eſſe voluimus, ut in his Sereniſſimo Cęſari ad commune bonum ſedandis, pietatem tuam exerceas, quemadmodum ea plenius, & uberius idem Gabriel noſtro nomine tibi referet. Datum Romę XXII Martii MDXLV, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Tua ſingulari doctrina, ac pietate.*) Qua de cauſa datum fuerit hocce diploma, ex ipſo liquet. *Petri de Soto* laudes proſequi voluit Summus Pontifex *Paulus III*. Nec immerito. Quia vero Chriſti Vicarius laudat ſingularem doctrinam *Petri de Soto*, quem nuperrimus ſcriptor *Gallus* de hæreſi poſtulat, hinc ipſum, paucis tamen, defendamus, neceſſe.

VINDICIÆ F. PETRI DE SOTO.

QUem S. Pontifex hoc in Diplomate laudibus ornat vir celeberrimus *Petrus de Soto* graviſſimis, & infenſiſſimis adverſariis uſus eſt olim. Ut enim ceteros hæreticos mittam, cum quibus ſimultates ipſi ſemper interceſſere, *Johannes Brentius* coriphæus ille *Lutheranorum* quicquid habuit virium contra *Petrum de Soto* non ſemel contulit. Nec mirum: fuit ſiquidem *Petrus* adverſus hæreſes firmiſſimum Fidei Catholicæ propugnaculum (verbis utor *Jacobi Quetif*, & *Fehard* Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDLXIII pag. 183) *Petrus de Soto clariſſimum Hiſpaniæ Seculo XVI Sidus … hæreſes …, quoad vixit, ſumma animi contentione, parique eruditione, ſeu privatis, ſeu publicis, ſolemnibuſque congreſſibus, ſtyloque etiam validiſſime debellavit, atque proſtravit.*

Qua erat ſcientia, gloria ſui nominis impleverat orbem, cum *Carolus V* Petrum delegit, ut a ſacris Confeſſionibus eſſet ſibi. In *Germaniam* ab eo Principe ductus, ubi regiones illas a *Luthero* populatas vidit *Petrus*, irruit in hæreticos, & ubique triumphos egit, quos utique triumphos perennes eſſe voluit, dum auctor fuit *Othoni Truchesio* Cardinali, *Auguſtano* Epiſcopo, ut *Dilingæ Swevorum* academiam inſtauraret. Ibi ſacras ſcientias docuit ipſe *Petrus*, nec facile dictu, quot uberrimos fructus inde conſecuta ſit fides. Audiendus hac de re vir eruditus *Nicolaus Antonius* in *Bibliotheca Hiſpana Tomo II pag.* 193, ubi ſic loquitur: *F. Petrus de Soto, Cordubenſis, nobili loco natus, Dominicanus, familiæ iſtius, celeberrimorum hominum parentis, decus eximium, Salmanticæ ad S. Stephanum ſacro inſtituto aſcriptus, eas dotes ingenii, judiciique, me-*

memoriæque ad ſacrarum ſtudia literarum adduxit, ut in præſtantiſſimum brevi Theologum evaſerit: doctrinæ atque inſuper pietatis merito dignus non exiſtimatus, qui Auguſtiſſimi Hiſpaniarum Regis, Romanorumque Imperatoris, Caroli Confeſſiones Chriſtiano ritu per aliquot annos exciperet. Qui cum Cæſare in Germaniam deveniens, nova, inſolentique ſectariorum tyrannide miſerabiliter oppreſſam, atque labefactatam, nil antiquius duxit vir induſtrius atque impiger, ejuſque mali auctores pluſquam Ditis, quod in proverbio eſt, januam exoſus, quam ut veram Eccleſiæ fidem, vel relicta curia, & munere ſic honorifico in patroni Regis manus conſignato, adverſus hæreticorum impreſſiones ſumma animi præſtantia, & contentione tueretur. Quod quidem Dilingæ Swevorum, atque aliquando etiam Oxoniæ in Anglia, D. Thomam interpretatus, vita, voce, ſtyloque egregie præſtitit.

Diligenter enim munus impoſitum ſibi *Dilingæ* obibat *Petrus*, cum *Anglorum* Regina *Maria*, ſceptrum adepta, fidem in *Anglia* redintegrandam ſuſcepit. Hinc *Philippus* Princeps *Hiſpaniæ*, qui *Mariam* ſibi deſponſaverat, *Petrum de Soto* cum *Bartholomæo Carranza*, & *Johanne de Villagarcia*, itidem noſtris, quo labes hæreſeos, quas *Oxonienſis*, & *Cantabrigienſis* Academiæ contraxerant, abſtergere poſſet, ſecum duxit in *Angliam*. Renovata paulo poſt Synodo *Tridentina*, juſſu *Pii IV* S. Pontificis *Tridentum* ſe contulit *Petrus*, Theologorum a S. Pontifice delegatorum facile Princeps. Quantum ſibi nomen fecerit apud Patres Sacri Concilii, narrat hiſtoria, qua diſcimus, quod viri ſapientiam mirabantur omnes, omniumque votis anteſignanus Theologorum fuit acclamatus. Ibi quem ſcriptis antea confutarat, in publico congreſſu devicit *Brentium*.

Quod ergo *Brentius* calamum acuerit in *Petrum de Soto*, gaudendum potius quam dolendum, hæreticorum ſiquidem laus viris catholicis onus eſt, & miſerum, & grave, ipſis eorundem convicium dulce. At quis Catholicorum ferat, quod *Petri de Soto* famam, tot recte factorum monumentis teſtatam, laceſſerit nuperrimus ſcriptor *Gallus* in opere cui titulus: *Hiſtoire du Baïaniſme, ou de l'hereſie de Michel Baïus avec des notes &c. Par le Pere Jean Baptiſte Du Cheſne, de la Compagnie de Jeſus. A Douai* 1731.

Non tulit olim vir celeberrimus *Stanislaus Hoſius*, eruditiſſimus ille Concilii *Tridentini* Præſes, non tulit, quod *Johannes Brentius* aggreſſus eſſet *Petrum de Soto*, ſed ab hæretici morſibus egregie vindicavit ipſum *Lib. I* operis quod inſcripſit: *De hæreſibus noſtri temporis*: nec ego (licet ſemper præ me tulerim, nihil me malle quam pacem) feram, quod tot improbiſſimas hæreſeos calumnias in illibatam *Petri de Soto* doctrinam diſſipet aliquis. Hæreticos enim non impugnat, ſed juvat potius quiſquis venerando *Petri de Soto*, ceu parcatis nomine, *Baïaniſtas*, & *Janſeniſtas* gloriari poſſe ſomniat, & contendit.

Hujuſce præpoſteri conſilii perficiendi cauſa, verba *Petri de Soto* ſeparata unit auctor mox laudatus, & ſeparat unita, ſicque *Punica* fide dat ipſi *Petro* ſex propoſitiones, quarum certe genuinus auctor eſt alius a *Petro*. Exemplo ſit ſexta propoſitio (nec enim noſtri nunc eſt inſtituti ceteras perſequi, juſti voluminis argumentum ſex illæ propoſitiones erunt). Hujus tenoris eſt ſexta, quam *Johannes* edidit, & affixit Petro. *Liberum arbitrium præſentis ſtatus conſiſtit in voluntario. Non eſt neceſſe, ut illud ſit immune a neceſſitate inevitabili, ſed ſufficit, ut ſit exemptum a coactione.* Ut hanc propoſitionem *Petro de Soto* tribuat, ipſius quædam verba refert in *fragmento pag.* 14. Sed quia verba *Petri* mutilat, ut in hæreſeos crimen virum Catholicum vocare poſſit, quæ laudat tranſcribentur ſincera fide, ut cordatus quiſque videat num jure conqueramur. Sic igitur prima, & ſecunda partibus *fragmenti pag.* 14 verba *Petri* tranſcribere debebat. Et quidem ex Epiſtola ſecunda pag. 31. *Pelagianis calumniantibus Catholicos, quaſi dicerent, peccato Adæ periiſſe libertatem arbitrii in hominibus, quia aſſerebant, gratiam neceſſariam eſſe ad bene operandum, ita reſpondet* (Auguſtinus) *Liberum arbitrium uſque adeo in peccatore non periit, ut per illud maxime peccent omnes, qui cum voluntate, & delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet. Et tandem ibi in malis, & ad mala dicit arbitrium liberum, non in bonis, niſi liberatum ſit ab eo, qui dicit: ſi Filius vos liberaverit &c. nec enim, ait, poteſt homo aliquod bonum velle, niſi ab eo adjuvetur, qui non poteſt malum velle: hæc eſt gratia Dei per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Ecce aperte ad mala liberum eſſe arbitrium, cum illa operatur, cum tamen deeſt auxilium gratiæ ad oppoſita bona agenda, & tamen ad libertatem potentia in utrumque oppoſitorum requiritur, ut dicis. Illam igitur, juxta Auguſtinum, fatendum eſt eſſe in eo, qui deſertus eſt a gratia. Quare in eo abſolute, & ſimpliciter liberum eſt arbitrium de quo inferius.*

Hæc circa primum tuum principium diximus, conantes ſenſum noſtrum explicare. Jam quæ circa illa, quæ poſtea dicis non ſatis ſupra dictis, & tuo huic principio conſona videntur, & ideo nobis non parum dubia, proponam.

Secundum principium, de libertate arbitrii. Non eſt libertas ubi eſt neceſſitas, & ad unum aliquod determinata facultas. Quanquam in hac re nolim contendere, contraria tamen ſunt hæc verba Auguſtini in Libro 5 de Civit. Dei Cap. 10, ubi aperte neceſſitatem coactionis, ſive, ut ipſe dicit, quæ etiam ſi nolumus efficit, quod poteſt, libertatem auferre fatetur, non autem neceſſitatem inevitabilitatis, ſecundum quam videlicet, ut ille inquit, neceſſe eſt eſſe, ut aliquid ita ſit, vel fiat: hanc enim etiam in Deo eſſe oſtendit. Deinde Libro de Natura, & gratia Cap. 46 de voluntate, qua beati eſſe volumus loquens, arguit dicentes, voluntatis arbitrio, ac deliberatione privatur quicquid naturali neceſſitate conſtringitur, ita dicens: Per quam abſurdum eſt, ut ideo dicam non pertinere ad voluntatem noſtram. quod beati eſſe volumus, quia id omnino nolle non poſſumus, neſcio qua, & bona conſtrictione naturæ, nec dicere audemus, Deum ideo non voluntatem, ſed neceſſitatem habere juſtitiæ, quia non poteſt velle peccare. Idem affirmat Lib. 3 de libero arbitrio Cap. 3 de Beatis ipſis, qui non poſſunt velle non eſſe beati, atque Lib. 22 de Civitate Dei Cap. ultimo, idem dicit, quod a Magiſtro citatur Diſt. 20 lib. 2, & utrumque in Enchiridio Cap. 105 apertiſſime dicit de beatis ſcilicet, & viatoribus, qui ita beati eſſe volunt, ut non poſſint nolle. Idem de Chriſto aſſerit Libro de Prædeſtinatione Sanctorum Cap. 15. Numquid metuendum fuit, ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? Aut ideo in illo non libertas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato ſervire non poterat. Et S. Thomas I

Parte Quæſt. 82 Art. I, aperte ait: neceſſitatem naturalem non auferre libertatem arbitrii, ſed ſolum neceſſitatem coactionis, quanquam arbitrium, & electionem in his, quæ naturaliter volumus nolit eſſe, ſed in mediis, de quibus conſiliamur. Ita Quæſt. 82 Primæ Partis Art. I. Et Durandus hac, ut puto, ratione aliam dicit libertatem voluntatis, aliam arbitrii Diſt. 29 Quæſt. 2 de nomine tantum diſputans quantum intelligo. In his omnibus nollem anxie laborare, nec, ut video, hoc diſcrimen curandum, cum in hoc principio, & in reſponſione ad primam quæſtionem modo libertatem arbitrii, modo libertatem voluntatis, ſine diſcrimine nominas. Ad libertatem itaque voluntatis ex Auguſtino, & Thoma non video requiri potentiam, aut indeterminationem ad utrumque oppoſitorum, quam nonnulli quoad ſpecificationem vocant, ſed ſufficere, vel libertatem a coactione: de quo Auguſtinus in tertio Capite Libri tertii de libero arbitrio: Non poſſum, inquit, ſentire aliud eſſe in poteſtate noſtra, niſi quod cum volumus facimus. Quapropter nihil tam in poteſtate noſtra eſt, quam ipſa voluntas: Vel certe libertatem, & indeterminationem ſecundum exercitium, qua ſcilicet poſſumus de quocunque bono non cogitare, & ita non velle: quod S. Thomas in Prima ſecundæ Quæſt. 10 Art. 2 aperte dicit. Tertia vero parte ejuſdem Fragmenti hæc verba *Petri* exhibere tenebatur *Johannes* ex eadem Epiſtola ſecunda pag. 41. *Jam locus ille en libro 3 de libero arbitrio etiam diligenter excutiendus eſt pro captu noſtro: Non tibi, ait Cap. 19* (Auguſt. Lib. 3 de libero arbitrio Cap. 19) *imputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras: nec illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis. Ante hæc vero præmiſit, quod ubique præſens ſit, qui multis modis, & per creaturas vocet averſum, & doceat credentem &c. 2. manifeſtum eſt ex hoc, & ex præcedenti Capite, Auguſtinum aſſerere, ea quæ per ignorantiam, vel infirmitatem fiunt, imputari ad culpam. Nam poſtquam dixerat præcedenti Capite: quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potuit? ſtatim intulit: Et tamen per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur. Ad quod probandum citat illud Pauli: Ignorans feci, & Propheta, delicta mea, & ignorantias meas &c. quod ſatis ſit, ut agnoſcamus illa duo ſimul ſtare, omne peccatum caveri poſſe, & quadam neceſſitate quadam* (Morali nempe) *committi peccata: ſunt enim, ait ipſe, neceſſitate facta improbata, ubi vult homo recte facere, & non poteſt. Nam unde ſunt illæ voces, non quod volo bonum hoc ago &c. Quæ duo aperte ipſe lib. 1 Retract. Cap. 9 de hoc loco agens non incompoſſibilia fatetur. Si ergo vera hæc duo ſunt omne peccatum caveri poteſt, & aliqua neceſſitate* (Morali ſcilicet) *committuntur, hoc ultimum non recte de neceſſitate liberum arbitrium auferente, ſive cogente ſimpliciter, ſed trahente ad conſenſum intelligendum eſt, & hoc ſe ſenſiſſe ait in Retractationibus.*

Lynceo perſpicacior ſit oportet, qui ſextam propoſitionem viderit in illis verbis *Petri de Soto*. Theonino vero dente rodit quiſquis nonnulla duntaxat protulerit, ut ex *Petri* verbis Catholicis fingat hæreticam propoſitionem, lectori fucum faciat, & virum Catholicum *Petrum de Soto* per tetram calumniam circumvenire poſſit. Abs te peto, Catholice lector, ignoſcas, amabo, angor ſiquidem, & exſcrucior præcipuo quodam dolore, videns egregium virum, de *Romana* matre Eccleſia optime meritum, hæreſeos inſimulatum. Hæc enim propoſitio: *Liberum arbitrium præſentis ſtatus conſiſtit in voluntario. Non eſt neceſſe, ut illud ſit immune a neceſſitate inevitabili, ſed ſufficit, ut ſit exemptum a coactione*: hæc, inquam, propoſitio ſic intellecta, quod *ad merendum, vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione*, eadem eſt, ac tertia propoſitio, quam toties docet *Janſenius*, quamque S. Pontifex *Innocentius X* hæreticam declaravit, & uti talem juſto judicio damnavit.

At, inquies, quid ſibi volunt hæc verba *Petri de Soto*: Auguſtinus *aperte neceſſitatem coactionis .... libertatem auferre fatetur, non autem neceſſitatem inevitabilitatis*: Et iſta: *S. Thomas I Parte Quæſt. LXXXII Art. I aperte ait: neceſſitatem naturalem non auferre libertatem*: Ex quibus concludit: *Ad libertatem itaque voluntatis ex Auguſtino, & Thoma, non video requiri potentiam, aut indeterminationem ad utrumque oppoſitorum, quam nonnulli quoad ſpecificationem vocant, ſed ſufficere libertatem a coactione.*

Hæc ultima verba ſic mutila refert *auctor Hiſtoriæ Baianiſmi*, ut fidei ſuæ ſpecimen det. Notet tamen Catholicus lector, quod *Petrus de Soto* non dicit: *Sufficere libertatem a coactione*: ſed ait: *Sufficere VEL libertatem a coactione .... VEL certe libertatem, & indeterminationem ſecundum exercitium, qua ſcilicet poſſumus de quocunque bono non cogitare, & ita non velle.*

Mirari ſubit, quod ſua ſtudia conferens ad res Theologicas, quæ libertatem ſpectant ſcribendas, ignoraverit auctor celeberrimam diſtinctionem voluntatis, *prout eſt natura quædam*, & voluntatis, *ut eſt potentia, quæ judicio rationis, & arbitrio regitur*. Hujus diſtinctionis meminit S. Thomas I Parte Quæſt. LXXXII Art. I ad V, ubi hæc habet: *Dicendum, quod voluntas in quantum eſt rationalis ad oppoſita ſe habet, hoc enim eſt conſiderare ipſam ſecundum quod eſt ei proprium, ſed prout eſt natura quædam, nihil prohibet eam determinari ad unum*: Et Quæſtione XXII de Veritate Articulo V; *Natura ...*, inquit, *& voluntas hoc modo ordinatæ ſunt, ut ipſa voluntas quædam natura ſit, quia omne, quod in rebus invenitur, natura quædam dicitur. Et ideo in voluntate oportet invenire non ſolum id, quod voluntatis eſt, ſed etiam quod naturæ eſt. Hoc autem eſt cujuslibet naturæ creatæ, ut a Deo ſit ordinata in bonum, naturaliter appetens illud. Unde, & voluntati ipſi ineſt naturalis quidam appetitus ſibi convenientis boni.*

In ipſa igitur voluntate duplex hæc ratio diſtinguenda eſt, voluntatis, ut natura eſt, & voluntatis, ut eſt Potentia, quæ judicio rationis, & arbitrio regitur. Sic autem communis, & pervagata nunc eſt iſta diſtinctio, ut cum *Auguſtino* Lib. de duabus animabus Cap. II dici poſſit: *Nonne iſta cantant, & in montibus paſtores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum.*

Miror igitur, quod id unus neſcierit, & quidem Theologus. Bis mirum, ſi diſtinctionem illam noverit, & ex illa loqui *Petrum de Soto* non viderit auctor. Cum enim *Petrus* ait ex S. Auguſtino, *neceſſitatem coactionis ... libertatem auferre ... non autem neceſſitatem inevitabilitatis*. Cum dicit ex S. Thoma, *neceſſitatem naturalem non auferre libertatem*: cum tandem ex utroque concludit: *ad libertatem itaque voluntatis ex Auguſtino, & Thoma non*

video requiri potentiam, aut indeterminationem ad utrumque oppoſitorum, quam nonnulli quoad ſpecificationem vocant, ſed ſufficere, vel libertatem a coactione: loquitur *Petrus* de libertate voluntatis, *prout eſt natura quædam:* Hæc autem, quæ ſequuntur: *Vel certe libertatem, & indeterminationem ſecundum exercitium, qua ſcilicet poſſumus de quocunque bono non cogitare, & ita non velle:* hæc, inquam, dicta ſunt de libertate voluntatis, ut eſt *potentia, quæ judicio rationis, & arbitrio regitur.*

Audiamus Angelicum Doctorem S. *Thomam* de utraque libertate loquentem *Quæſtione XXIV de Veritate Articulo I.* Quærit, utrum homo ſit liberi arbitrii. Obiicit ſibi ultimo: *Liberum neceſſitati opponitur, ſed reſpectu quorundam voluntas hominis neceſſitatem habet, de neceſſitate enim vult Beatitudinem: Ergo non habet, reſpectu omnium libertatem, & ita non eſt liberum arbitrium quantum ad omnia.* Huic difficultati reſpondet diſtinguens duplicem libertatem voluntatis: *Dicendum*, inquit, *quod cum electio ſit quoddam judicium de agendis, vel judicium conſequatur, de hoc poteſt eſſe electio, quod ſub judicio noſtro cadit: judicium autem in agendis ſumitur ex fine, ſicut de concluſionibus ex principiis. Unde ſicut ex principiis non judicamus ea examinantes, ſed naturaliter eis aſſentimur, & ſecundum ea omnia alia examinamus, ita & in appetibilibus de fine ultimo non judicamus judicio diſcuſſionis, vel examinationis, ſed naturaliter approbamus, propter quod de eo non eſt electio, ſed voluntas. Habemus ergo reſpectu ejus LIBERAM VOLUNTATEM, cum neceſſitas naturalis inclinationis libertati non repugnet ſecundum Auguſtinum V de Civitate Dei: non autem LIBERUM JUDICIUM proprie loquendo, cum non cadat ſub electione.*

Hæc *libera voluntas*, quæ fertur circa finem ultimum eſt ipſa voluntas, *ut natura:* illud autem *liberum judicium*, de quibus loquitur *S. Thomas*, eſt illud liberum judicium rationis, quo regitur voluntas, ut potentia libera: voluntas enim, prout *natura*, verſatur circa finem, ut autem eſt potentia, quæ libero judicio regitur, verſatur circa media: Illi, non iſti, repugnat naturalis neceſſitas: Illa prorſus dependet ab ultimo fine, cui ſubiicitur: iſta, voluntas ſcilicet, ut eſt potentia, quæ judicio rationis, & arbitrio regitur, mediis omnibus dominatur, ipſaque ſibi ſubiicit, ſumma gaudens indifferentia.

Id altiori quodam modo ſic explicant nonnulli, Cum enim, inquiunt, a *S. Thoma* dictum eſt, naturalem neceſſitatem non adverſari libertati, nihil verius dici potuit duplici ſenſu: imprimis, cum duplex libertas diſtinguatur, naturalis neceſſitas non adverſatur libertati voluntatis, etiam in eodem actu, quia idem actus, quo voluntas Beatitudinem amat, liber eſt: at non libertate arbitrii, ſed libertate voluntatis: Id eſt, actus ille liber eſt libertate voluntatis, prout eſt natura quædam, non autem libertate voluntatis, prout eſt potentia, quæ judicio rationis, & arbitrio regitur. Secundo, inquiunt Thomiſtæ, & ad rem propius, non adverſatur etiam libertati arbitrii alio ſenſu, non quod idem actus neceſſarius eſſe poſſit, & liber, ea libertate arbitrii, & judicii, ſed quia actus neceſſarius cauſa eſt actus liberi, ſicut volitio finis cauſa eſt electionis mediorum. Unde dictum eſt ſæpius a *S. Thoma*, actus liberos a neceſſariis oriri, ſicut motum omnem ab immobili, & in ipſis etiam Angelis, *naturalem dilectionem eſſe principium electivæ, quia id quod pertinet ad prius habet rationem principii. Unde cum natura ſit primum, quod eſt in unoquoque, oportet quod id quod ad naturam pertinet, ſit principium in quolibet.* I Parte Quæſt. LX Art. II. Et multo expreſſius inquit I Parte Quæſt. LXXXII Art. II, quod *neceſſitas naturalis non repugnat voluntati, quin immo neceſſe eſt, quod ſicut intellectus ex neceſſitate inhæret primis principiis, ita voluntas ex neceſſitate inhæreat ultimo fini, qui eſt beatitudo, finis enim ſe habet in operativis ſicut principium in ſpeculativis, ut dicitur in ſecundo Phyſicor. Oportet enim quod illud quod naturaliter alicui convenit, & immobiliter, ſit fundamentum, & principium omnium aliorum, quia natura rei eſt primum in unoquoque, & omnis motus fundatur in immobili.*

Id aliis verbis docet S. Doctor Prima Secundæ Quæſtione X Articulo I. *In omnibus autem*, inquit, *ea, quæ non per ſe inſunt, reducuntur in aliquid quod per ſe ineſt, ſicut in primum, & ideo neceſſe eſt, quod hoc modo accipiendo naturam, ſemper principium in his, quæ conveniunt rei ſit naturale, & hoc manifeſte apparet in intellectu, nam principia intellectualis cognitionis ſunt naturaliter nota, ſimiliter, & principium motivum motuum voluntariorum* (& liberorum actuum) *oportet eſſe, aliquid naturaliter volitum: hoc autem eſt bonum in communi, in quod voluntas naturaliter tendit, ſicut etiam qualibet potentia in ſuum objectum.* Ac ſi diceret: electio mediorum, ſeu motus liberæ voluntatis non eſt idem ſemper, e contra vero finis intentio, motuſque voluntatis, ut natura eſt, ipſi ſemper per ſe primo, & immobiliter convenit. Quapropter electio mediorum regulari debet intentione finis.

Cur autem talis electio mediorum, ſeu voluntatis liberæ motus non ſit ſemper idem, probat *S. Thomas* Quæſtione VI de Malo, *cum actus*, inquit, *ſint in ſingularibus, in quibus nullus eſt, qui adæquet potentiam, univerſalis remanet inclinatio voluntatis indeterminate ſe habens ad multa:* Id eſt: cum voluntas eliciens actum ſit univerſalior ipſo actu, qui de ſingularibus eſt, nullus unquam voluntatis actus capacitati ejus par eſſe poteſt, ſed voluntas ipſum cum ſumma independentia, & indifferentia reſpicit. Firmum igitur, ratumque cuique debet eſſe, voluntatem nunquam futuram liberam circa bona particularia, & etiam circa ſummum bonum ſub velamine nobis viatoribus propoſitum, niſi, *ut natura*, fixa, ſtabilis, & immota foret in amore boni, ſeu beatitudinis in communi, catenus quippe anceps, pendula, indifferens, independens ſit oportet circa quæcunque bona particularia, quia per ipſa nequaquam ſatiari poteſt facultas adeo ampla, univerſalis, immenſa.

Quod ſpectat *neceſſitatem inevitabilitatis*, de qua *Petrus de Soto* dicit ex S. Auguſtino, *neceſſitatem coactionis .... libertatem auferre .... non autem neceſſitatem inevitabilitatis:* ſciendum quod iſta neceſſitas *inevitabilitatis* eſt illa vulgatiſſima, receptiſſimaque neceſſitas, quam Theologi vocant neceſſitatem, vel *illationis*, vel *logicam*, vel *infallibilitatis*, vel *ex ſuppoſitione* (ſic ab ipſomet *Petro* poſtea vocatur) vel *conditionatam*, vel *immutabilitatis &c.*. Hæc neceſſitas *conditionata* reperitur in Deo circa creaturas, in Christo circa ſibi alias libera, in Beatis circa objecta extra Deum, & in homine lapſo: nec officit libertati. *Aliquid dicitur neceſſarium dupliciter*, inquit *S. Thomas* Quæſt. XXIII

de

de Veritate Articulo IV ad I, *uno modo abſolute, alio modo ex ſuppoſitione. Abſolute quidem dicitur aliquid neceſſarium propter neceſſariam habitudinem terminorum, qui in aliqua propoſitione ponuntur, ſicut, omnem hominem eſſe animal, vel, totum eſſe majus ſua parte, aut aliqua hujuſmodi: neceſſarium vero ex ſuppoſitione eſt, quod non eſt neceſſarium ex ſe, ſed ſolummodo poſito alio: ſicut, Socratem cucurriſſe: Socrates enim quantum eſt de ſe, non ſe habet magis ad hoc, quam ad ejus oppoſitum, ſed facta ſuppoſitione, quod cucurrerit, impoſſibile eſt eum non cucurriſſe. Sic igitur dico, quod Deum velle aliquid in creaturis, utpote Petrum ſalvari, non eſt neceſſarium abſolute: ſed facta ſuppoſitione, quod Deus illud velit, vel voluerit, impoſſibile eſt, eum non voluiſſe, vel non velle, eo quod voluntas ejus immutabilis eſt: unde talis hujuſmodi neceſſitas apud Theologos vocatur neceſſitas immutabilitatis.*

Quæ quidem nullatenus adimit libertatem. Ut enim ait idem S. Doctor I. Parte Quæſt. XXIII Articulo III: *cum dicitur, quod reprobatus non poteſt gratiam adipiſci, non eſt hoc intelligendum ſecundum impoſſibilitatem abſolutam, ſed ſecundum impoſſibilitatem conditionatam, ſicut ſupra dictum eſt, quod Prædeſtinatum neceſſe eſt ſalvari, neceſſitate conditionata, quæ non tollit libertatem arbitrii.*

Certum ſit igitur neceſſitatem *ex ſuppoſitione* non adverſari libertati. Id in confeſſo eſt apud omnes. Quod autem de illa loquatur *S. Auguſtinus*, quem *Petrus* excipit, liquet ex verbis ejuſdem Sancti *Libro V de Civitate Dei Capite X*, loco ſcilicet a *Petro* citato. *Quod ſi neceſſitas noſtra*, inquit Auguſtinus: *illa dicenda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed, etiam ſi nolumus, efficit quod poteſt, ſicut eſt neceſſitas mortis, manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus recte* (vel prave) *vivitur, ſub tali neceſſitate non eſſe*. En priorem illam neceſſitatem, quæ ſimplex, & abſoluta, vulgo dicitur, quæque libertati contraria eſt.

De neceſſitate vero conditionata, ſeu ex ſuppoſitione, quæ libertati non adverſatur, ibidem loquens hæc habet: *ſi illa definitur eſſe neceſſitas, ſecundum quam dicimus, neceſſe eſt, ut ita ſit aliquid, vel ita fiat, neſcio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis*. Id probat exemplo: *ſicut*, inquit, *cum dicimus, neceſſe eſt eſſe, ut cum volumus, libero velimus arbitrio, & verum procul dubio dicimus, & non ideo ipſum liberum arbitrium neceſſitati* (abſolutæ) *ſubiicimus, quæ adimit libertatem*, ſed neceſſitati conditionatæ, quæ libertati contraria non eſt, cum non immutet naturam voluntatis, ſed ita ſit ab ipſa voluntate, ut veluti liberæ voluntatis exercitium dici poſſit. Quis autem ſibi perſuadeat, quod ipſomet exercitio potentiæ deperdatur ipſa potentia? Abſurdum, ſi vel mutus aliquis dicatur, quia loquitur, vel cenſeatur contraxiſſe jacturam libertatis ex ipſomet libertatis exercitio. At inquies, non adeſt tunc indifferentia. Sed, amabo, quænam? Non adeſt tunc indifferentia paſſiva, potentialis ſcilicet, quæ nempe jungitur cum privatione omnis actus: Recte quidem. Sed adeſt indifferentia activa, quæ ſufficit.

Id exemplo deambulationis ſic illuſtratur *Secunda Parte Decreti Gratiani Cauſa XXIII Quæſt. IV Capite XXIV. Vaſis iræ &c.*: Quod Caput a *Burchardo*, & *Ivone* tribuitur *Auguſtino*, ſed verba mox laudanda deſumpta ſunt ex *Boëtio Lib. V de Conſolatione*, ubi ſic loquitur: *Duæ ſunt neceſſitates, ſimplex una, veluti, quod neceſſe eſt, omnes homines eſſe mortales: altera conditionis, ut ſi aliquem ambulare ſcias, eum ambulare neceſſe eſt..... ſed hæc conditio minime ſecum illam ſimplicem trahit*: Quod probat: *hanc enim neceſſitatem, inquit, non proprie facit natura, ſed conditionis adjectio. Nulla enim neceſſitas cogit incedere voluntarie gradientem, quamvis tamen cum graditur, incedere neceſſarium ſit.*

Quid ad hæc? Sed age, diligentius expendamus verba *Petri de Soto*. Prior libertas de qua loquitur *Petrus*, libertas nempe voluntatis prout eſt natura, illa ſcilicet qua viatores, & Beati, *ita beati eſſe volunt, ut non poſſint nolle*, non eſt ea libertas qua meremur, vel demeremur, amor ſiquidem ille finis eſt naturalis, nec poteſt voluntas non amare finem, ad ipſum naturæ pondere fertur, ipſo trahitur. Libertas igitur, qua meremur, vel demeremur, eſt ipſa libertas voluntatis ut eſt potentia quæ judicio rationis, & arbitrio regitur: in iſta, vel laudi locus eſt, ſi ad finem collimet, dum media eligit, vel vituperio, ſi nulla habita ratione finis per media feratur, vel adverſa fini media ſectetur.

Quid de hac libertate qua meremur, vel demeremur, ſchola *Thomiſtica* ſenſerit ad hanc uſque diem, liquet ex Angelico Doctore *Quæſtione VI de Malo*. ubi tractans *de electione humana, ſeu de libero arbitrio*, & quærens, utrum *homo habeat electionem actuum, aut ex neceſſitate eligat?* Sic loquitur: *Reſpondeo dicendum, quod quidam poſuerunt, quod voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur* (en Janſenianam hæreſim, quam *S. Thomas* damnat his verbis)... *Hæc autem opinio eſt hæretica. tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus: non enim videtur eſſe meritorium vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit. Eſt etiam annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones, quia non ſolum contrariatur Fidei, ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ Moralis. Si enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ Philoſophia Moralis conſiſtit. Hujuſmodi autem opiniones, quæ deſtruunt principia alicujus partis Philoſophiæ, dicuntur poſitiones extraneæ ſicut nihil moveri, quod deſtruit principia ſcientiæ naturalis. Ad hujuſmodi autem poſitiones ponendas inducti ſunt aliqui homines, partim quidem propter proterviam, partim propter aliquas rationes Sophiſticas, quas ſolvere non potuerunt, ut dicitur in Quarto Metaphyſicorum.*

Media in luce tenebras quæret, qui ſic loquentes Thomiſtas calumniabitur. Et ſane ſi *Petri de Soto* mentio ſit, quo jure calumniis hæreſeos lacerant famam Catholici, qui, *S. Thoma* duce, hæreſim *Janſenianam*, longe ante SS. Pontificum Conſtitutiones hac de re datas, jam prædamnaverat his præcipue verbis mox laudandis: *Libertas tamen vera, a coactione, & NECESSITATE immunis, in omnibus conceditur ab Auguſtino, ET IMMO AB ECCLESIA*. Et iſtis: *Hæc enim eſt ex præcipuis rationibus quibus Patres & Eccleſia Manichæos damnant liberum arbitrium negantes, præcepta videlicet, & comminationes pœnarum, & præmia a Deo propoſita, quæ certum eſt omnibus propoſita eſſe quandiu vivimus, fruſtra vero eſſent propoſita, niſi eſſet liberum arbitrium: nec video quid huic rationi reſponderi poſſet*. Hæc *Petrus de Soto*, quem cum audio ſic lo-

loquentem, quæro, perſpicuiſne dubia aperiantur, an dubiis perſpicua tollantur? Si primum vicimus: quid enim clarius dici poterat his aureis verbis: *Libertas tamen vera, a coactione, & neceſſitate immunis, in omnibus conceditur ab Auguſtino, & immo ab Eccleſia*: Si ſecundum ſentiant: ipſos, ethnicus licet, redarguet *Marcus Tullius Cicero Libro IV de finibus bonorum, & malorum ad Brutum* dicens: *vos autem cum perſpicuis dubia debeatis illuſtrare, dubiis perſpicua conamini tollere*. Non ſic olim *Hieronymus* ad *Pammachium* ſcribens adverſus errores *Johannis* Jeroſolymitani: *Siquidem unum verbum*, inquit S. Doctor Epiſt. LXI, *vel unus ſenſus eſſet ambiguus, ſi duo, ſi tres . . . . veniam tribuerem, nec ea, quæ aut obſcura, vel dubia ſunt, de certis, & perſpicuis æſtimarem*.

Præterea *Petrus* nonnullis in locis de quibus agitur loquitur de libertate Dei, Beatorum, Chriſti, & hominum viatorum, de libertate ſcilicet, ut eſt communis omnibus ſtatibus, non igitur omnia, quæ docet ibidem *Petrus*, huic noſtro ſtatui naturæ lapſæ tribuere debebat auctor Hiſtoriæ, ſed unicuique quod ſuum eſt dare tenebatur.

Pudet, ſi quis dicat, quod ſcandalo ſunt hæc verba *Petri de Soto* quæ laudantur in Seeunda Parte Fragmenti pag. 14. *Ad libertatem itaque voluntatis ex Auguſtino & Thoma non video requiri potentiam, aut indeterminationem ad utrumque oppoſitorum quam nonnulli quoad ſpecificationem vocant, ſed ſufficere . . . . . libertatem & indeterminationem ſecundum exercitium &c.* Pudet, inquam, ſi quis dicat quod ſcandalo ſunt hæc verba: ludibrium ſiquidem ſcientiarum eſt, quod aliquis Theologi nomine glorietur, & veritates Theologicas reſpuat ut errores. Dicant quid mali præ ſe ferunt hæc verba: *Ad libertatem . . . . voluntatis ex Auguſtino & Thoma non video requiri potentiam, aut indeterminationem ad utrumque oppoſitorum, quam nonnulli quoad ſpecificationem vocant, ſed ſufficere . . . . libertatem & indeterminationem ſecundum exercitium*: Quid, inquam, mali præ ſe ferunt hæc verba? Id certe docet Schola Thomiſtica: cenſet enim, quod libertas & indifferentia ſecundum exercitium, indifferentia nempe contradictionis, ſeu poteſtas ad agendum & non agendum, ad libertatem requiritur, ſecus vero indifferentia contrarietatis ad bonum, & malum, ſeu indeterminatio ad utrumque oppoſitorum, quam nonnulli quoad ſpecificationem vocant. Illa, contradictionis ſcilicet indifferentia, conſtituit eſſentiam libertatis: Iſta, contrarietatis videlicet indifferentia, nævus eſt libertatis, cujus etiam ſignum dicitur. Hæc eſt Thomiſtarum ſententia qui tamen *Baianiſtarum, Janſeniſtarum, & Queſnelliſtarum* deteſtantur errores.

De contrarietatis indifferentia loquens *S. Thomas* Quæſtione XXII de Veritate Articulo VI, *velle malum*, inquit, *nec eſt libertas, nec pars libertatis, quamvis ſit aliquod ſignum libertatis*. Et I Parte Quæſt. LXII Articulo VIII. *Liberum arbitrium*, inquit, *ſic ſe habet ad eligendum ea quæ ſunt ad finem ſicut ſe habet intellectus ad concluſiones. Manifeſtum eſt autem, quod ad virtutem intellectus pertinet, ut in diverſas concluſiones procedere poſſit ſecundum principia data: Sed quod in aliquam concluſionem procedat prætermittendo ordinem principiorum, hoc eſt ex defectu ipſius. Unde quod liberum arbitrium diverſa eligere poſſit, ſervato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus, ſed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis, hoc pertinet ad defectum libertatis: unde major libertas arbitrii eſt in Angelis qui peccare non poſſunt, quam in nobis qui peccare poſſumus*.

De contradictionis indifferentia docent Thomiſtæ, quod convenit homini non ſolum in ſtatu naturæ integræ, ſed etiam poſt *Adæ* peccatum in ſtatu naturæ corruptæ: Eſt enim, inquiunt, ita neceſſaria ad meritum, & demeritum, ut nequaquam ſufficiat libertas a coactione, ſed requiratur libertas a neceſſitate, uti fides docet.

Præter duplicem illam, contradictionis ſcilicet & contrarietatis indifferentiam, alteram novit Schola Thomiſtica quæ vocatur indifferentia *quantum ad objectum*, ſeu indifferentia circa diverſa & diſparata, ſervato tamen ordine finis. *Invenitur*, inquit *S. Thomas* Quæſt. XXII de Veritate Articulo VI, *invenitur autem indeterminatio voluntatis reſpectu trium, ſcilicet reſpectu objecti, reſpectu actus, & reſpectu ordinis ad finem. Reſpectu objecti quidem eſt indeterminata voluntas quantum ad ea quæ ſunt ad finem ipſum ultimum . . . . quod ideo contingit, quia ad finem ultimum multis viis perveniri poteſt, & diverſis diverſæ viæ competunt perveniendi ad ipſum . . . . . Secundo. Eſt voluntas indeterminata reſpectu actus: quia circa objectum determinatum poteſt uti actu ſuo cum voluerit, vel non uti. Poteſt enim exire in actum volendi reſpectu cujuslibet, & non exire, quod in rebus naturalibus non contingit . . . . Tertio. Indeterminatio voluntatis eſt reſpectu ordinis in finem, in quantum voluntas poteſt appetere id quod ſecundum veritatem in finem debitum ordinatur, vel ſecundum apparentiam tantum . . . . Et ex hoc ſequitur indeterminatio voluntatis quæ poteſt bonum, vel malum appetere. Cum autem voluntas dicatur libera, in quantum neceſſitatem non habet, libertas in tribus conſiderabitur: ſcilicet quantum ad actum, in quantum poteſt velle, & non velle: & quantum ad objectum, inquantum poteſt velle hoc, vel illud, vel ejus oppoſitum* (ſervato tamen ordine finis) *& quantum ad ordinem finis, in quantum poteſt velle bonum vel malum. Sed quantum ad primum horum ineſt libertas voluntati in quolibet ſtatu naturæ reſpectu cujuslibet objecti: ſecundum vero horum eſt reſpectu quorundam objectorum, ſcilicet reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, & non ipſius finis, & etiam ſecundum quemlibet ſtatum naturæ. Tertium vero non eſt reſpectu omnium objectorum, ſed quorundam, eorum ſcilicet quæ ſunt ad finem: nec vero cujuslibet ſtatus naturæ, ſed illius tantum, in quo natura deficere poteſt: Nam ubi non eſt defectus in apprehendendo, & conferendo, non poteſt eſſe voluntas mali, in his quæ ſunt ad finem, ſicut patet in Beatis, & pro tanto dicitur, quod velle malum, nec eſt libertas, nec pars libertatis, quamvis ſit libertatis ſignum*.

In tertia parte Fragmenti verba *Petri de Soto* ſic exſeribuntur: *Aliqua peccata neceſſitate committuntur; hoc non recte de neceſſitate liberum arbitrium auferente ſive cogente ſimpliciter; ſed trahente ad conſenſum intelligendum eſt. Et hoc ſe ſenſiſſe ait Auguſtinus in Retractationibus &c.*

Sed ex his quæ retulimus liquet, hic etiam nonnihil deſiderari: Exponens enim quædam S.P. *Auguſtini* verba, præmiſerat Petrus: *Si ergo vera hæc duo ſunt: omne peccatum caveri poteſt, & aliqua neceſſitate committuntur*: Ne quis autem iſtud ultimum interpretetur vel de neceſſitate quæ tollit indifferentiam, vel de coactione quæ violentiam affert,

aſſert, ſubdit: *Hunc ultimum non recte de neceſſitate liberum arbitrium auferente, ſive cogente ſimpliciter, ſed trahente ad conſenſum intelligendum eſt*: Id eſt de neceſſitate quadam morali, cujus meminit Doctor mellifluus *S. Bernardus Sermone LXXXI in Cant.* Dicens: *Neſcio quo pravo & miro modo ipſa ſibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit: ut nec neceſſitas, cum voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem, nec voluntas, cum ſit illecta, excludere neceſſitatem. Etenim neceſſitas hæc quodammodo voluntaria, eſt favorabilis vis quædam premendo blandiens, & blandiendo premens. Unde ſeſe rea voluntas ubi ſemel conſenſerit, nec excutere jam per ſe, nec excuſare tamen ullatenus de ratione queat. Inde querula illa vox veluti gementis ſub onere neceſſitatis: Domine vim patior reſponde pro me. Sed rurſus ſciens quod non juſte cauſaretur apud Dominum, cum voluntas ſua ipſius potius cauſa foret; attende quid ſecutus intulerit: Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi cum ipſe fecerim &c.*

De his omnibus egregie *S. Thomas* in II Diſtinct. XXV Quæſt. I Articulo Ultimo: *Dicendum*, inquit, *quod libertas in ſui ratione negationem coactionis includit* (& etiam neceſſitatis) *omnis autem privatio diſtinguitur ſecundum ea quæ privantur. Unde ſecundum ea quæ cogere poſſunt, vel impedire, oportet diſtinctionem libertatis ſumi. Ut autem prius dictum eſt, duplex eſt coactio, quædam perfecta, quæ quidem ſimpliciter coactio dici poteſt: & quædam imperfecta quæ potius impulſus quam coactia dici poteſt. Si ergo conſideretur ſecundum quod removetur perfecta coactio, ſic erit libertas a coactione & neceſſitate, quæ quidem per ſe, & ſemper liberum arbitrium ſequitur: unde & in litera dicitur quod in omnibus invenitur, ſine qua peccatum imputari non poſſet. Si autem dicatur libertas per remotionem impellentis, ſeu impedientis, hoc eſt dupliciter: quia hoc quod impellit liberum arbitrium, aut impedit; vel facit hoc per ſe ſicut habitus, & diſpoſitiones, quæ ſunt in ipſa anima, & ſic eſt libertas a peccato: vel impellit per accidens, ſicut impotentiæ & pœnalitates quæ ſunt uſum liberi arbitrii impedientes: & ſic eſt libertas a miſeria.*

Dies jam me deficient, ſi ſcriptores qui de neceſſitate morali loquuntur laudare velim: Auctori Hiſtoriæ *Bajaniſmi* inſtar omnium erit *Franciſcus Suarez* in *Tractatu de Voluntario & Involuntario Diſputatione I Sectione III Numero XV pag.* 125 *edition. Lugdunen. MDCXXVIII*, ubi hæc habet: *Tertius gradus* (libertatis) *excludit non tantum coactionem, & neceſſitatem abſolutam, ſed etiam neceſſitatem infirmitatis, ut ſic dicam, & inductionis, ſeu pravæ conſuetudinis, quæ libertas eſt perfectior, & dicitur fuiſſe in ſtatu innocentiæ, in quo voluntas erat libera a captivitate corporis mortalis, & a fomite, quo inducitur ad peccandum, & hanc voca infirmitatem humanæ naturæ: atque hoc ſenſu dicitur homo peccando amiſiſſe libertatem, & incurriſſe neceſſitatem peccandi, non quia in aliquo actu ſimpliciter neceſſitetur, ſed quia abſolute non poteſt vitare omnia peccata mortalia ſine Dei gratia, venialia autem neque per gratiam quæ ordinarie datur, ſecluſis privilegiis.*

Quid plura, dic, quæſo, quæ tanta cæcitas eſt, & Cimmeriis, ſicut aiunt, tenebris involuta, ſi quæ Fides Catholica de libertate profitetur non reperiat lector in Epiſtolis *Petri de Soto*? Nec enim deſunt alia quæ docet ibidem, quibus calumniam retundere poteſt. Ipſum audire præſtat, ut, mortuus licet, ipſe ſeſe defendat. *Satis*, inquit, Epiſtola Secunda pag. 42. *ſatis ex mente Auguſtini oſtenſum eſt, nullum peccatum libero arbitrio carere, imma certe implicare contradictionem peccare aliquem, & non libero arbitrio agere .... ſed ut apertius dicamus quid de hoc Auguſtinus, & Eccleſia ſentiant, in duobus his putavimus eſſe conſtitutum: 1. videlicet, quod in omni homine, ſive ante peccatum, ſive dum peccat, ſive poſt, & tandem quocunque ſtatu & tempore manet liberum arbitrium. 2. quod per peccatum infirmum atque attenuatum eſt, ita, ut non niſi per gratiam bonum aliquod facere poſſit .. contra quæ omnia aperte dicunt, qui liberum arbitrium in peccatoribus negant. Sed libertas qualis in Adam fuit ab omni ſervitute peccati, & miſeria, dicitur ab Auguſtino non eſſe in peccatore, fortis ſcilicet, & robuſta virtus ad bene operandum: libertas tamen vera, a coactione & neceſſitate immunis, in omnibus conceditur ab Auguſtino, & immo ab Eccleſia.*

Et eadem Epiſtola Secunda pag. 29 hæc habet: *Jam quæ in eo principio dicis de libertate arbitrii, qualiter ſcilicet non auferatur per gratiam, ut certiſſima ſemper habuimus, & quid juxta illa de hoc etiam ſentiam, accipe: Rationem illam diſpoſitionis ſuavis rerum, qua Deus omnia movet juxta naturas ſuas, ſemper agnovimus ex B. Auguſtino, & Thoma. Ille 3 libro de Libero Arbitrio Cap. 3 de Præſcientia Dei ingenioſiſſimo dicit, quod libertatem voluntatis nulla ratione aufert, ſed potius infert, quoniam quod ipſe præſcivit, neceſſe eſt ita eſſe, ut præſcitum eſt, præſcivit vero ille noſtram voluntatem liberam futuram, ita ergo erit.*

Quod de ordinatione divina, & voluntate divina, ita etiam de auxilio ejus pari ratione probatur eſſe verum. Neceſſe enim eſt, quod ille vult, & ordinat eſſe, atque ita quod operatur per creaturas ſuas non ſolum eſſe, ſed ita eſſe, ut ordinat, & vult. Unde etiam B. Thomas Prima Parte Quæſt. XIX Art. 8 *primam cauſam contingentiæ rerum, & radicem, efficaciam, & virtutem divinam dicit, quoniam quicquid Deus vult, ita ut vult eſſe oportet. Uſque adeo ergo credimus ex divina cooperatione, & auxilio non auferri libertatem arbitrii, ut potius dicamus maxime ſtabiliri .... ſicut Deo, ut prima motore, & auctore aliquid operante in cauſa ſecunda, & per eam, omnino ſequitur effectus, nec tamen libertas aufertur a liberis cauſis, ita cont gratiæ diſtributore operante per gratiam non deerit effectus ipſe, nec libertas auſertur.* Et pag. 30. *Probat hæc ſpecialius Auguſtinus auctoritatibus, & exemplis ſcripturæ, videlicet motus noſtrarum voluntatum a Deo fieri, ita, ut non auferatur earum libertas.*

Videſne, Catholice lector, ut hæc concinnant. Et ſane (fatendum eſt enim quod ſentio) mirabilis eſt apud *Petrum de Soto* contextus rerum. Reſpondent extrema primis, media utriſque, omnia omnibus, quæ de libertate docet.

Ex dicta ſimilitudine, inquit pag. 31, *hoc quoque, ut certum inferri credimus, quod ſicut Dei cooperatio, ſive naturæ, ſive gratiæ, ejuſque auxilium libertatem non aufert arbitrii, ita etiam nec ejuſdem ſubtractio ulla ratione ipſa nos privat .... ſicut igitur cum operatur in ſecundis cauſis etiam liberis, nihil aufert eis, ſed potius confert, & ſtabilit earum naturas, ita etiam nunc dicimus, cum non adeſt ad opus, non propterea aufert eis libertatem, aut facultatem. Nam cum opera illa univerſalis concurſus Dei ſit efficax, non ſtat cum aliquid, ut primam cauſam in Nobis*

effi-

efficere, & id non effici. Ex quo conſequens eſt ad ea tantum naturalia opera, quæ facimus, facienda, adeſſe nobis generale ejus auxilium, non vero ad oppoſita, vel omnino alia, V. G. Cum ambulamus, non adeſt Dei univerſalis cooperatio, ut ſedeamus. Quis vero dicat ſubtractam eſſe Nobis tunc libertatem ſedendi. Cum tamen revera ſubtractum ſit auxilium ad illa. Dicit hoc diſertis verbis B. Thomas I. Secundæ Quæſt. X Art. IV ad II addens rationem, & certiſſimam, & propriiſſimam, quare non auferatur liberum arbitrium. Quoniam non eſt, inquit, ſimpliciter impoſſibile, voluntatem non moveri ad id ad quod Deus illam movet, ſed ſolum ex ſuppoſitione. Quare igitur cum univerſale auxilium non ſit minus neceſſarium ad naturales operationes, quam illud gratiæ ad bonas, humanaſque, ejus tamen ſubtractio non aufert libertatem ad illas, non etiam idem cenſebimus de ſubtracto auxilio gratiæ, ut ſcilicet non propterea libertas auferatur illa faciendi, ad quæ facienda ſubtracta eſt gratia.

Pag. vero 35. *Hæc enim eſt ex præcipuis rationibus, quibus Patres, & Eccleſia Manichæos damnant liberum arbitrium negantes, præcepta videlicet, & comminationes pœnarum, ac præmia a Deo propoſita, quæ certum eſt omnibus propoſita eſſe quandiu vivimus, fruſtra vero eſſent propoſita, niſi eſſet liberum arbitrium: nec video quid huic rationi reſponderi poſſet.*

Attonitus hic hæreat literarius orbis dum ſic loquenti viro catholico aſcribitur hæretica propoſitio, quam tot argumentis impugnat, vincit, proterit.

Sed fortaſſis *Petrus de Soto* jamjam venerat in alicujus hæreſeos ſuſpicionem? Nunquam. Quid ergo? Sexcentos Scriptores legere potuiſſet auctor Hiſtoriæ, qui *Petrum de Soto* laudibus illuſtrarunt. Quod Scriptores Ordinis Prædicatorum, *Luſitanum*, *Razzium*, *Plodium*, *Fernandez*, *Bzovium*, *Lopez*, *Fontanam*, *Altamuram*, alioſque quos iſti laudant, quique verbis ampliſſimis memoriam *Petri de Soto* celebrant, non noverit, ignoſcendum.

Nec ipſi vitio vertendum, quod neglexerit extrates ceteros, *Odoricum Raynaldum*, *Miræum*, *Schottum*, *Morerium*, alioſque, qui vel de viris illuſtribus, vel de Scriptoribus eccleſiaſticis tractavere: Ipſi, inquam, vitio non vertendum, quod auctores iſtos neglexerit, non omnes hoc eruditionis genere delectantur. Leve ſit igitur, quod extraneos omnes, qui laudibus afficiunt *Petrum de Soto* prætermiſerit: verum quid excuſationis habere poteſt, qui Sodales ſuos conſulere poterat. *Orlandinum Hiſtoriæ Societatis Lib. XII Num. V ad annum MDLII pag. 382, Philippum Alegambium in Bibliotheca Scriptorum Societatis: Verbo: Martinus Olavius: pag. 329 &c.* Quid, inquam, excuſationis habere poteſt, quod Scriptores iſtos domeſticos non audierit? Inopiam librorum cauſabitur fortaſſis. Sit ita: Verum *Nicolai Sanderi*, & *Sfortiæ Pallavicini* vidit Hiſtorias, ipſas laudat, ipſas excipit. Qui ergo fieri potuit, quod hæreſeos poſtulaverit *Petrum de Soto*, cujus laudes proſequuntur Sodales iſti Societatis Jeſu?

Nicolaus quidem *Sanderus* de Origine, & Progreſſu Schiſmatis Angliæ Lib. II in Maria pag. 245 &c. Editionis Colonien. 1628. *Id vero*, inquit, *ſummum erat Catholicorum Regum noſtrorum, ac illuſtriſſimi Cardinalis* (Poli) *in univerſitatem Oxonienſem beneficium, quod Petrum a Soto Ordinis S. Dominici excellentiſſimum Theologum, Hiſpanum, in Inſulam accerſitum, illic Profeſſorem conſtituerint, ut a Petro Martyre omnia paulo ante diruta ædificaret, ſcholaſticen reſtitueret, ac meretricium illum hæreticorum in docendo, & decipiendo fucum gymnaſiis pelleret. Quod ipſe, accitis aliquot aliis ex Hiſpania, ac Germania ſui Ordinis doctiſſimis Collegis, breviſſimo tempore perfecit. Horum enim opera factum eſt, ut juventus fere univerſa catholicæ, & ſcholaſticæ, ſolidæque doctrinæ, & capax, & cupida, quam citiſſime redderetur..... Certe his Magiſtris ſapientiſſimis ita profecit Academia, ut non aliunde hoc catholicæ fidei ſemen, quod Deus in tam diuturno ſubſequente ſchiſmate, & tam immani perſecutione nobis reliquit, extitiſſe videatur.* Hæc *Sanderus*.

Sfortia vero *Pallavicinus* in *Sacri Concilii Tridentini Hiſtoria Lib. XIII Cap. VIII* Tomo II pag. 416 Editionis Plantinianæ Antuerpien. 1670 de *Petro Soto* ſic loquitur: *Hic* (Petrus de Soto) *Sacrarum Cæſaris confeſſionum olim auditor, tutius poſtea duxerat ſaluti animæ ſuæ, curam illius deponere, a qua innumerabilis animarum numerus pendebat. Quare ad privatas exercitationes ſecedens, nobile juvenum ſeminarium Dilingæ adminiſtrabat: qui poſtea Concilio ſub Pio IV interveniens, ampiæ de ſe laudis materiam Hiſtoriæ noſtræ ſuppeditabit* (Ipſius ſiquidem ſæpius mentionem habet) Ut enim cetera prætermittantur, *ſummam*, inquit Libro XX Cap. XIII, Tomo III pag. 425. *Summam ille* (Petrus de Soto) *obtinebat exiſtimationem ſeveræ probitatis, ſolidæque ſcientiæ..... Soti mors conjuncta cum perfecto religioſæ pietatis exemplo, ſummopere diſplicuit Concilio, cui viſum eſt relinqui velut in infauſta caligine, ademptis ſibi in omni genere quibuſdam e ſuis maximis luminaribus.*

Quæ cum ita ſint, videat, quanta culpa ſeſe contaminet, qui hæreſeos maculam inuſtam vult viro Catholico Summis Pontificibus apprime caro: viro; cujus præclaræ dotes laudantur hoc in Diplomate *Pauli III*: Viro quem *Pius IV* nomine ſuo Theologum adeſſe juſſit in Concilio Tridentino: Viro, cujus mortem amare flevit eadem ſacra Synodus apud quam Doctrina *Petri de Soto* magni ſemper fuit: Viro, quem Cæſar, & Chriſtianiſſimus, ac Catholicus Reges unice diligebant: Viro, cujus verba velut oracula venerabantur Academiæ: Viro, cujus ſcripta tanti fiunt ab eruditis: Viro, cujus omnis ratio, cogitatio, tota denique vita nihil aliud fuit, niſi conſtans, perpetua, fortis, invicta defenſio Catholicæ Fidei: Viro tandem, in quem Catholici omnia laudis ornamenta congeſſerunt ad hanc uſque diem, frementibus ſolis hæreticis, quibus hæc, calumnia tantum probabitur, quantum ſcandalo fuit Catholicis.

Ceterum licet, in his ſcribendis, cum *S. Hieronymo Epiſtola LXI ad Pammachium* dicere poſſim, *me ad hoc opus non inimicitiis, non gloriæ cupiditate deſcendere, ſed provocatum .... ex ardore fidei, ac velle, ſi fieri poſſet, omnes idipſum ſapere*, quia tamen, ut, inquit ibidem S. Doctor, *non æque inimici audiunt & amici*, ſi quid liberius dictum ſit, peto, ut tantum verbis meis concedatur, quantum, & pio dolori, & juſtæ iracundiæ concedendum putaverit lector Catholicus. Et ſane *Nolo in ſuſpicione hæreſeos quenquam eſſe patientem, ne apud eos, qui ignorant innocentiam ejus, diſſimulatio conſcientiæ judicetur ſi taceat.* Hinc *Hieronymi* conſilio ductus, functus ſum officio, pugnans laceſſitus defendi

fra-

Digitized by Google

fratrem meum hæreſeos poſtulatum: *obiicitur* (a) *ei crimen, cujus non habet conſcientiam. Ergo crimen, quod totum pendet in verbo, neget confidenter, ac libere faciat invidiam adverſarin ſuo, eadem audacia, qua ille inſimulat, hic defendat: cumque omnia dixerit, quæ voluerit, quæ propoſuerit, quæ ſuſpicionibus carent: ſi perſeverat calumnia, conſerta manu in jus trahat. Nolo in ſuſpicione hæreſeos quenquam eſſe patientem*. Abſit autem, ut hic *conferamus* (b) *argumentis, accuſatique perſonas, & cujus vel meritum, vel vita, vel doctrina præceſſerit, illi magis accommodemus fidem*. Utrumque Catholicum ſcio: ab ipſis, ut ita dicam, incunabulis nterque Catholico fuit lacte nutritus: hæreticis uterque bellum denunciavit: Bene, optime: ſed proh dolor! quidnam eſt iſtud novum pugnandi genus, ut amicum prius nunc occiſum velint, quam geſtiant hoſtem laceſſere? Fides pura caritatem tuetur, non labefactat: pacem Catholicos inter non diſrumpit, ſed ſervat. *Volumus* (c) *& nos pacem, & non ſolum volumus, ſed & rogamus, ſed pacem Chriſti, pacem veram, pacem ſine inimicitiis, pacem in qua non ſit bellum involutum, pacem quæ non ut adverſarios ſubiiciat, ſed ut amicos jungat .... Tribuat autem orationibus* noſtris *Chriſtus Deus Omnipotens, ut pacis non ficta nomine, ſed vera, & fideli amore ſociemur: ne mordentes invicem, conſumamur ab invicem*: Sed idem credentes, idem ſperantes, ejuſdem caritatis vinculo copulemur.

(a) S. Hieronymus Epiſt. LXI ad Pammachium.
(b) Idem Epiſtola LXII ad Theophilum.
(c) Idem ibidem.

Peculiaris Indulgentia pro Minervitano Cœnobio de Urbe.

Anno 1545 Die 25 Martii.

XCVI.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

NOs Johannes Dominicus (2) Epiſcopus Oſtien. Sacri Apoſtolici Collegii Decanus, & Johannes (3) Epiſcopus Sabinen. S. R. E. Cardinales, fidem facimus, & atteſtamur, quod nuper Sanctiſſimus in Chriſto pater, & D. N. D. Paulus divina providentia PP. III vivę vocis oraculo Nobis facto D. D. Adminiſtratoribus, & Officialibus Societatis Sanctiſſimi Corporis Chriſti Domini noſtri Jeſu Chriſti in Eccleſia domus B. Marię ſuper Minervam de Urbe inſtitutę, dedit auctoritatem, & licentiam Chorum in medio dictę Eccleſię in Tribuna majori conſtruendi, ac Altare majus in eadem Tribuna una cum marmoreis ornamentis, videlicet crate, & porta marmorea amovendi, & aliud Altare in eadem Tribuna, in quo Sanctiſſimum Sacramentum teneri debeat, ubi eis melius videbitur, ędificandi. Necnon omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, qui vel ſuo, vel alieno arbitrio, Miſſam in dicto Altari de novo ſic conſtruendo, perpetuis futuris temporibus celebraverint, unam animam ex Purgatorio, quoties id fecerint, liberandi facultatem, miſericorditer conceſſit, & indulſit. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium, pręſentes literas manu noſtra propria ſubſcriptas fieri, ſigillique noſtri fecimus impreſſione communiri. Datum Romę in Ædibus noſtris die XXV Menſis Martii MDXLV, Pontificatus prędicti Sanctiſſimi D. N. Pauli PP. III Anno ejus Undecimo.

Johannes Dominicus Cardinalis Tranen.
Johannes Epiſcopus Sabinen. Cardinalis de Salviatis.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex autographo *Minervitano*.
2. *Johannes Dominicus*.) *De Cupis*, cujus meminit *Ciaconius* in *Leone X*.
3. *Johannes*.) *Salviatus*. Adeas *Ciaconium* in *Leone X*.

Baenenſi (1) Cœnobio unit eccleſiaſticum beneficium.

Anno 1545 Die 1 Maii.

XCVII.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

AD Apoſtolicę dignitatis apicem Divina diſpoſitione vocati &c. (3). Cum itaque Preſtimonium, ſeu Preſtimonialis portio, aut ſimplex beneficium eccleſiaſticum in Parochiali Eccleſia B. Marię Oppidi de Baena, Corduben. Diœceſis, quod, ſeu quę de jurepatronatus dilecti filii Nobilis Viri Gundiſalvi Fernandez, Ducis Sueſſan., qui etiam Comes de Cabra exiſtit, eſſe dignoſcitur, per liberam reſignationem dilecti filii Ludovici de Mendoza Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris de illo, vel illa, quod, ſeu quam tunc ex diſpenſatione Apoſtolica, obtinebat, per dilectum filium Antonium Palavicinum Laicum Januen., procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, vacaverit, & vacet ad pręſens; &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus ejuſdem B. Marię de Guadaluxe (4) extra, & prope muros dicti Oppidi ejuſdem Ordinis, petitio continebat, ſi preſtimonium, ſeu portio, aut beneficium hujuſmodi eidem Domui, quę bona immobilia, ex privilegio Apoſtolico habere poteſt, in qua quamplures ipſius Ordinis Religioſi Verbi Dei Prędicatores, ſub ſuavi religionis jugo Altiſſimo famulantes, & non mediocrem ſpiritualem profectum chriſti fidelibus exemplo boni operis, ad laudem Divini Nominis afferentes, continuo degunt, perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto dicti Prior, & Fratres, etiam in majori numero ſuſtentari, & commodius divinis beneplacitis inſiſtere poſſent, aliaſque vobis, & ſpirituali conſolationi dilectorum filiorum incolarum, & habitatorum ejuſdem oppidi plurimum conſuleretur, pro parte dictorum Prioris, & Fratrum, aſſerentium preſtimonii, ſeu portionis, aut Beneficii hujuſmodi, & illi forſan annexorum, fructus, redditus, & proventus, quinquaginta ducatorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut preſtimonium, ſeu portionem, aut beneficium hujuſmodi, eidem do-

Mandatum. domui perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes, Beneficia aliis uniri, tenerentur exprimere, verum annuum valorem, ſecundum extimationem prędictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, prefatos, Priorem, & Fratres, ac eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, necnon fructuum, reddituum, & proventuum dictę domus, verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, preſtimonium, ſeu portionem, aut Beneficium hujuſmodi, ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem Ludovici, aut cujuſvis alterius, de illo, vel illa in dicta Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut aſſecutionem alterius beneficii eccleſiaſtici, quavis auctoritate collati, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateran. ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ac pręſtimonium, ſeu portio, aut beneficium hujuſmodi, diſpoſitioni Apoſtolicę, ſpecialiter reſervatum, ſeu reſervata exiſtat, & ſuper eo, vel ea, inter aliquos, lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore dat. pręſentium, non ſit in eo, vel ea, alicui ſpecialiter jus quęſitum, cum annexis hujuſmodi, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem domui, pręfati Gundiſalvi Ducis, ad hoc per eundem Antonium, etiam procuratorem ſuum ab eo ſpecialiter conſtitutum, expreſſo accedente conſenſu, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat modernis, & pro tempore exiſtentibus Priori, & Fratribus domus hujuſmodi, per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem preſtimonii, ſeu portionis, aut beneficii, ac annexorum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, propria auctoritate, libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in ſuſtentationem eorundem Fratrum, ac alios ſuos, & ejuſdem preſtimonii, ſeu portionis, aut beneficii, uſus, & utilitatem convertere, Dięceſani loci, & cujuſvis alterius licentia deſuper minime requiſita. Non obſtantibus priori voluntate noſtra prędicta, ac Lateranen. Concilii noviſſime celebrati &c. quibuſcunque, aut ſi aliqui, ſuper proviſionibus ſibi faciendis de preſtimoniis &c. literas impetrarint &c. Quas quidem literas &c. ad preſtimonium, ſeu portionem, aut beneficium hujuſmodi volumus non extendi &c. & quibuslibet aliis privilegiis &c. Volumus autem, quod propter unionem &c. in dicta Eccleſia, divinus cultus, & miniſtrorum eccleſiaſticorum numerus, nullatenus minuatur, quodque preſtimonium, ſeu portio, aut beneficium hujuſmodi, debitis non fraudetur obſequiis &c. Et inſuper ex nunc, irritum decernimus, & inane &c. attentari &c. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Quinto, Kalendis Maii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Baenen.*) Juris eſt Provinciæ *Batica*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro III fol. 75*.
3. *Vocati &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Guadaluxe.*) *Guadaluppa*.

Anno 1545 Die 18 Junii.

Fratres Prædicatores curam gerant Eccleſiæ B. Mariæ del Glorioſo (1) Terræ S. Severini (2).

Ex Archivo (3) Ordinis.

Dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Fratrum Prędicatorum, de obſervantia nuncupatorum, Provincię utriuſque Lombardię ſecundum morem ipſius Ordinis.

XCVIII.

PAULUS PP. III.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Piis fidelium votis, quę in Religionis propagationem, & augmentum, ac animarum ſalutem, tendunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Cum itaque, ſicut exponi Nobis nuper feciſti, dilecti filii Univerſitas, & homines terrę noſtrę S. Severini, Camerinen. Dięceſis, Diplomatis cauſa. ſeu nonnulli probi viri ab ipſis Univerſitate, & hominibus in eorum Concilio, ut moris eſt, congregati, ad hoc ſpecialiter deputati, cupientes, ut in Eccleſia, B. Marię del Glorioſo nuncupata, extra muros dictę terrę, quę olim exigua, & fere deſtituta, & inhabitata, & ruinę proxima exiſtebat, & poſtmodum ex piis eleemoſynis, & oblationibus, quas Chriſti fideles illarum partium ob ingentia miracula, quę ipſa Dei Genitrix inibi multipliciter dignata eſt operari, elargitę fuerunt, a fundamentis, ſatis pulchro opere, ac condecentibus ędificiis, & ſtructuris, cura, & diligentia eorundem Univerſitatis, & hominum conſtructa, & hactenus per univerſitatem, & homines prędictos, ex indulto Apoſtolico, recta, & gubernata fuit, aliqua introduceretur Religio, per quam Eccleſia ipſa felix ſuſciperet incrementum, & fidelium partium hujuſmodi propter exemplum boni operis, & vitę normam ſpiritualis conſolatio, & animarum profectus, proveniret; ac ſperantes, ob ſalutiferos fructus, quos Ordo Fratrum Prędicatorum, de Obſervantia nuncupatorum, in vinea Domini continuo eorum cultura producit ex introductione ipſorum Fratrum in Eccleſiam hujuſmodi, ſi fieret, votivos venturos effectus, Eccleſiam prędictam cum illius ędificiis, & pertinentiis Fratribus Ordinis hujuſmodi, dederint, & conceſſerint, & Eccleſia ipſa, ut pręmittitur, conceſſa per Capitulum Provinciale dicti Ordinis in ſua Provincia, ſub qua Eccleſia prędicta conſiſtit, celebratum, ſub Apoſtolicę Sedis beneplacito acceptata fuerit, pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut licentiam recipiendi Eccleſiam prędictam, concedere, ac alias in pręmiſſis pro-

providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, & aliis dicti Ordinis ſuperioribus, & perſonis, ad quos ſpectat, ut Eccleſiam conceſſam hujuſmodi recipere, & aliis ejuſdem Ordinis domibus aggregare, & incorporare, ac tenere, regere, & gubernare, & in ea, illiuſque ędificiis hujuſmodi, campanile, cum campanis, ac dormitorium, refectorium, hortos, hortalitia, & alias officinas neceſſarias, pro uſu, & habitatione hujuſmodi facere, & habere, cujuſvis licentia minime requiſita, ac alias libere, & licite poſſitis, & valeatis, auctoritate Apoſtolica, licentiam per pręſentes concedimus. Volentes, & eadem auctoritate decernentes, quod Eccleſia prędicta, & Fratres in ea pro tempore degentes, omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, indulgentiis, facultatibus, conceſſionibus, gratiis, & indultis, aliis ejuſdem Ordinis domibus, & Eccleſiis, eorumque Superioribus, & Presbyteris per quoſcunque Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, & Nos, ac Sedem Apoſtolicam, aut illius Legatos, ſeu quoſcunque alios quomodolibet conceſſis, etiam Mare Magnum, & Bulla aurea, ac alias nuncupatis, & quę domus, Eccleſię, Superiores, & perſonę pręfatę, quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, quorum tenores pręſentibus, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, uti, potiri, & gaudere, & libere, & licite poſſint, & valeant, ſicque per quoſcunque judices, & commiſſarios quacunque auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari debeat, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris, qua prohibetur, ne Fratres dicti Ordinis, nova loca recipere, & accepta mutare, pręſumant, abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali, facien. plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, ac aliis Apoſtolicis in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & illorum tenores, pręſentibus, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Junii MDXLV, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Mandatum

Blo. El. Fulgin.

1. *Del Glorioſo.*) Vide *Conſtit. CVII Leonis X pag.* 385.

2. *S. Severini.*) Seu *Septempedana*, vulgo *San Severino*.

3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Septempedano*: ubi ſequens Diploma.

IN Dei Nomine Amen. Anno Domini 1546, Indictione Quarta, tempore Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Pauli divina providentia PP. III, Die vero Martis, Secunda Menſis Martii dicti Anni. Actum in Eccleſia Divæ Mariæ Glorioſi, extra mœnia Terræ S. Severini, juxta ſua notoria latera V. S. prope, & ante Altare majus, præſentibus ibidem diſcretis viris Marco Gratiani, & Johanne Paulo Scambio de Terra S. Severini, ac Laurentio dicto Gallino de Aſſiſio, Subicina, & Perdnico Berardi de Matelica, teſtibus ad infraſcripta habitis, vocatis, & rogatis. Cum alias ſub die Nona Menſis Novembris 1544, egregii, & præſtantes viri Frater Petrus Antonius Talpa, Johannes Baptiſta Ægidius, & Diamantes Aloviſii de Terra S. Severini, Camerinen. Diœceſis, deputati, ex ordine concilii dictæ Terræ, & cum auctoritate ejuſdem concilii, ſuper gubernio Eccleſiæ Divæ Mariæ, dictæ del Glorioſo, extra mœnia ejuſdem Terræ S. Severini, ut latius de dicta deputatione, & auctoritate conſtat manu mei Notarii infraſcripti ſub Die 17 Menſis Aprilis 1543, ..., quædam Capella cum R. P. Fr. Petro Martyre de Lugano Provinciali utriuſque Lombardiæ, Ordinis Prædicatorum, S. Dominici de obſervantia, promittendo Religionem S. Dominici prædicti in dicta Eccleſia, pro cura, & gubernio perpetuo ejuſdem Eccleſiæ jurium, pertinentiarum, & obventionum ipſius Eccleſiæ ſubſcripta manu eorundem deputatorum in præſentia mei Notarii etiam ſubſcribentis ad corroborationem, ſuper quibus omnibus geſtis, per dictos deputatos, fuit per concilium dictæ Terræ facta ſolemnis ratificatio, ut latius manu mei Notarii infraſcripti apparet ſub die ſeptima Decembris 1544. Quorum quidem Capitulorum tenor, ſequitur, & eſt talis: 1544: Adi 9 de Novembre nel Convento di S. Lucia de Fabriano F. Pier Antonio Talpa, Gio. Battiſta Egidio, e Diamante d' Aloiſi, Agenti per la Magnifica Communità di S. Severino della Dioceſi de Camerino, & Sig. Criſpolto Jacobuccio da Nocera, Cancelliere di eſſa Magnifica Communità, occorrendo, che 'l Provinciale, e Diffinitore del ſeguente Capitolo Generale dell' una, e l' altra Lombardia dell' Ordine de' Frati Predicatori, accettino di pigliare la Chieſa, e luogo, con li ſuoi edificii, & altre raggioni, così delli beni mobili, come immobili, per qualunque modo pertinenti alla Madonna del Glorioſo, appreſſo la Magnifica Terra di S. Severino, ad un miglio, ſi contentano di dare ad eſſo Provinciale, a nome però di detta Parochia, e delli FF., che pro tempore ſtaranno in detto luogo, la Chieſa della Miſericordia con tutti li ſuoi edificii, & altre raggioni di eſſa Chieſa, poſta dentro le mura di detta Terra, per uſo, e utilità di detti Frati in perpetuo, & occorrendo, non diano detta Chieſa, edificii, & altre raggioni di detta Chieſa, o che poi, che l' aveſſero date, per qualche impedimento della Fraternità, qual ſe fà in detta Chieſa, o altra cauſa, foſſero li Frati levati dal poſſeſſo di detta Chieſa, edificii, & altre raggioni, promettono eſſi Agenti, come di ſopra, dar dentro delle mura di detta Terra una Chieſa colli ſuoi edificii, equivalente, atta, e conveniente per uſo delli Frati, che ſtaranno nel luogo della Madonna del Glorioſo, come della Miſericordia, o altro luogo, daranno libero, e ſpedito da ogni perſona, così eccleſiaſtica, come ſecolare, ſenſa gravezza alcuna di Decime, o qualunque altra eſazione, così civile, come ſecolare, e da ſpeſe de Soldati, dalle quali eſſa Communità, li Frati

Digitized by Google

in tutto, e per tutto preſervarà, non permettendo ſiano moleſtati, così li beni mobili, che hanno di preſente, come che averanno in avvenire in qualunque modo: 2. Uniranno ad eſſo luogo della Madonna del Glorioſo, quando il Provinciale accettarà come di ſopra, tanti terreni, quanto importa dodeci ſome di formento nel Territorio della Communità di S. Severino, li quali però non poſſino li Frati alienare, ne permutare, eccetto con perſone eccleſiaſtiche, o ſecolari della Communità di S. Severino, accioche la Magnifica Communità già detta, non perda le ſue finanze, e ragioni, nelle quali finanze, ſia lecito in futurum ad eſſi Frati, far paſcolare, ſenza gravezza alcuna peccore cento, o circa, e mandar per legne nelli ſuoi boſchi, così per ſabricare, come per fuoco, ſecondo ſarà biſogno, e che il tutto, ſpecialmente in quanto al Medico, ſiano, come indigeni, e gentil huomini di eſſa Communità eſſi Frati in perpetuo. 3. Inſino ad anni quindeci la Magnifica Communità, darà in elemoſina della fabrica del luogo, ſcudi di oro, in oro dodici, di anno in anno, & a ſue ſpeſe impetrarà il Breve dal Sommo Pontefice, ed in perpetuo ſarà conſervatrice, e protetrice delli Frati, che ſtaranno in detto luogo, e gli darà inſieme con gl'altri Religioſi Mendicanti della Terra di S. Severino il luogo del predicare in S. Severino, colle medeſime condizioni, e modi, che hanno gl'altri religioſi, cioè incominciando la Quareſima dell'anno 1547, e così ſucceſſivamente ſecondo l'ordine della Rota delli Religioſi, e farà, che nel tempo delle ſpeciali Proceſſioni, quando li Religioſi portano ſpecial Croce, eſſi Frati della Madonna del Glorioſo, andaranno ſotto ſpecial Croce della ſua Chieſa. 4. Che 'l Provinciale d'eſſa Provincia pro tempore, averà ogni anno a provedere de' Frati convenienti, acciò il culto del Signor Iddio, ſi augmenti, e la ſalute dell'anima ſua procurata, e occorrendo, che detta Chieſa, e luogo della Madonna, al giudicio del Provinciale, e Diffinitori pro tempore, poſſa tener Frati, ſino dodici, domandando la Magnifica Communità, che ſia fatto Priorato, e che ſia Collegiata ſecondo la conſuetudine dell'Ordine, e Provincia, ſia ottenuto, o per autorità Apoſtolica, o per via del Capitolo Generale, che detto luogo, ſia Convento della Provincia. Et ego Fr. Petrus Martyr de Lugano Prior Provincialis Provinciæ utriuſque Lombardiæ, confirmo ut ſupra Teſt. manu propria. Et ego Chriſpoltus Jacobutius de Nucera Cancellarius dictæ Communitatis S. Severini, in fidem me ſubſcripſi. Ego Petrus Antonius Talpa unus ex deputatis, confirmo omnia ſupradicta, nomine Communitatis S. Severini, & in fidem præmiſſorum, me ſubſcripſi. Io Gio. Battiſta Egidio uno delli Deputati, confermo tutto il ſopradetto in nome della Communità di S. Severino, & in fede mi ſon ſottoſcritto di mia propria mano. Io Diamante de Aloiſi, confermo quanto di ſopra appare in nome della Communità quanto di ſopra e ſcritto. Super quibus quidem Capitulis, & ad corrobationem, & validitatem, ac executionem eorundem, & contentorum in eis, pro parte ſupradictorum Civium deputatorum, & Communitatis prædictæ fuit obtentum Breve a Sanctiſſimo D. N. Paulo PP. III, quod actualiter ſupradicti deputati tenentes in eorum manibus omni cum reverentia, exhibuerunt, & præſentaverunt integrum, & illæſum, & in nulla ejus parte vitiatum ſub Annulo Piſcatoris in cera rubra ſigill., R. F. Petro Martyri Provinciali prædicto, reperto in Eccleſia prædicta, & Monaſterio B. Mariæ dicta del Glorioſo, qui prælibatus R. Provincialis, dictum Breve, qua decet reverentia ſuper ejus caput imponens recepit, & eo perlecto, ſumma cum lætitia, pro ampliatione cultus divini, ad honorem B. Mariæ Virginis, obtulit ſe paratum exequi, prout in eo, & dictam Eccleſiam, & Monaſterium cum juribus, pertinentiis, & obventionibus ejuſdem, juxta formam dictorum Capitulorum, & Brevis prædicti regiſtrati, recipere, & acceptare, & pro poſſe cultum divinum in eadem Eccleſia ampliare, omni modo meliori, cujus quidem Brevis tenor, ſequitur, & eſt talis. A tergo. Dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Fratrum Prædicatorum de obſervantia nuncupatorum Provinciæ utriuſque Lombardiæ, ſecundum morem ipſius Ordinis. Intus vero, dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Piis fidelium votis &c. Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die 18 Junii 1545, Pontificatus noſtri Anno Undecimo: Blo. El. Fulgin. Volentes igitur ſupradicti FF. Petrus Antonius, Johannes Baptiſta, & Diamantes deputati prædicti, in abſentia F. Ludovici de Abbatibus de eodem infirmi, & aliorum Deputatorum eorum collegarum, pro quibus, de rato, & ratibabitatione promiſerunt &c. quod ratificabunt, emologabunt, & approbabunt contenta in præſenti Inſtrumento, alias de eorum propriis, quibus ſupra nominibus, bonis, promiſerunt, & obligaverunt &c. exequi contenta in dictis Capitulis virtute auctoritatis ejuſdem a conſilio dictæ Terræ conceſſæ, habentes, omnimodam faculeatem, & jus eligendi, & nominandi Rectorem in dicta Eccleſia, & Monaſterio, ut latius de facultate prædicta conſtat Bulla Plumbea cum pendente ſerico rubei, croceique coloris felicis recordationis Leonis PP. X ſub Datum Romæ apud S. Petrum ſub Anno Domini 1519, Tertio Kal. Auguſti, Pontificatus ejuſdem Anno Septimo, per me Notarium infraſcriptum viſa, & lecta, omni meliori modo, vice, jure, cauſa, & forma, quibus magis validius, & efficacius de jure fieri potuerunt &c. per ſe ipſos, ac vice, & nomine Communitatis prædictæ. dictam Eccleſiam B. Mariæ dictam del Glorioſo, & Monaſterium ejus, cum annexis, juribus ſpiritualibus, & temporalibus, obventionibus, & pertinentiis ſuis, ac rebus mobilibus, & immobilibus, ad dictam Eccleſiam, & Monaſterium prædictum, quomodolibet ſpectantibus, & pertinentibus, ceſſerunt, & conceſſerunt, & liberaliter juxta formam dictorum Capitulorum, pleno jure contulerunt R. P. Fratri Petro Martyri de Lugano, Provinciali utriuſque Lombardiæ, Ordinis S. Dominici, de obſervantia ibidem præſenti, ſtipulanti, & recipienti pro ſe dicto nomine, ac vice, & nomine Religionis, ac Provinciæ prædictæ, & mihi Notario infraſcripto, præſenti, ſtipulanti pro dicta Religione, & Provincia, cui eluceſcit ſcientia, viget Religio, & in cultu divino, cum fidelium fructu, creſcit, & floret obſervantia regularis, ob reverentiam Beatæ, ac Glorioſiſſimæ Matris Mariæ Virginis, cujus obſequio eſt nuncupata, ipſumque R. P. Fr. Petrum Provincialem prædictum dictis nominibus, inveſtiverunt, & inveſtiunt, dantes, & concedentes eidem R. P. F. Petro Provinciali, & mihi Notario infraſcripto,

dicta

dictis nominibus præſentibus, ſtipulantibus, & acceptantibus, pro dicta Religione, & Provincia licentiam, & facultatem, quatenus in futurum auctoritate propria poſſit ipſe, & quicunque alii Fratres dicti Ordinis, ipſius Eccleſiæ, juriumque, & pertinentiarum ejus, ſpiritualium, & temporalium ad dictam Eccleſiam, & Monaſterium quomodolibet ſpectan., & pertinen. tenutam, ac corporalem, & actualem poſſeſſionem apprehendendi, & adipiſcendi &c. & ad omnem cautelam ſupradicti Deputati, quibus ſupra nominibus, auctoritate prædicta, prælibatum R. F. Petrum Provincialem, quibus ſupra nominibus præſentem, & acceptan., poſuerunt, & induxerunt in tenutam, & corporalem, & actualem poſſeſſionem dictæ Eccleſiæ, & Monaſterii, juriumque, & pertinentiarum prædictarum, per pannos, ac cornu Altaris, tactumque cordarum campanellæ, & aperitionem dictæ Eccleſiæ, & ſacelli ejuſdem, ac oſtii Monaſterii prædicti, & alia dicendo, & faciendo, quæ in ſimilibus fieri conſueverunt, & requiruntur, in ſignum veræ tenutæ, & actualis, & corporalis poſſeſſionis dandæ, & apprehendendæ, dictæ Eccleſiæ, & Monaſterii, juriumque, & pertinentiarum prædictarum, ita quod per hæc, & alia prædictus R.F.Petrus Provincialis, quibus ſupra nominibus adeptus ſit, & intelligatur veram tenutam, & corporalem poſſeſſionem, ac actualem Eccleſiæ, jurium pertinentiarum, & obventionum prædictarum, liberam, & perpetuam adminiſtrationem accepiſſe, ac etiam ſupradicti deputati, quibus ſupra, nominibus emologaverunt, ratificaverunt, & approbaverunt omnia, & ſingula contenta in dictis Capitulis, & in executione prædictorum Capitulorum, eidem F. Petro Provinciali, & mibi Notario infraſcripto præſentibus, ſtipulan. &c. quibus ſupra nominibus, dederunt, & aſſignaverunt, dant, & aſſignant ad uſum dictorum Fratrum commorantium in dicto loco dicto S. Maria del Glorioſo, Eccleſiam, & locum S. Mariæ de Miſericordia in capite plateæ Burgi dictæ terræ cum ſuis ædificiis, & juribus in perpetuum, & ubi, ex aliqua cauſa dicti Fratres impedirentnr, quo minus dicta Eccleſia ædificia, & jura, pacifice poſſidere poſſint, nominibus quibus ſupra pnmiſerunt eidem F. Petro Provinciali, & mihi Notario præſentibus &c. dare, & conſignare conſimilem, ſeu æquivalen. Eccleſiam cum ædificiis, & juribus in perpetuum, & ex nunc aſſignaverunt, & aſſignant, locum prædicationis pro Quadrageſima, & anno 1547, & ſucceſſive ſecundum ordinem rotuli aliorum Mendicantium, & cum conditionibus, & modis, prout ſolent conſequi alii Prædicatores Mendicantes, prædicantes in dicta Terra, & pro ſecundi Capituli executione unierunt, & uniunt nominibus quibus ſupra eidem loco, & Eccleſiæ B. Mariæ del Glorioſo tantum tenimentum terræ arativæ, quantum capiant duodecim Salmæ ſeminis grani in territorio dictæ terræ in quarteria Papacque juxta fines Monticuli, & bona Communitatis S. Severini, & alia latera cum conditionibus, prout in Capitulis, transferen. ex nunc jus, & dominium dicti tenimenti terræ in dictam Eccleſiam, locum, & Patres, & dictus R. F. Petrus Provincialis dictam Eccleſiam, & locum S. Mariæ del Glorioſo, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, auctoritate Apoſtolica, qua ſupra, recepit, & aliis ejuſdem Ordinis, & Provinciæ domibus aggregavit, & incorporavit, ibique ſuum Vicarium inſtituit, & creavit ven. Fr. Bernardinum de Caſtronedulo, præſentem, & acceptan., ac ibidem alios Fratres aſſignavit, & deputavit pro manutenendo, & augendo cnltu divino, & ſalute animarum &c. quæ omnia, & ſingula contenta in dicto inſtrumento, & capitulis, viciſſim dictæ partes, quibus ſupra nominibus, promiſerunt attendere, & obſervare, ac efficaciter adimplere, & contra non facere, dicere, vel venire, per ſe, vel alios ſub pœna dupli quantitatis prædicti, & oblatione bonorum dictæ Communitatis, in ampliori forma Cameræ Apoſtolicæ, renunciaveruntque dictæ partes exceptioni doli, mali, vis, metus, fraudis, læſionis, ac in factum actioni indebitæ conditioni ob cauſam, & ſine cauſa, ac ob injuſtam cauſam, conceſſionis, & oblationis prædictæ, & omnibus aliis juribus, & actionibus, ac receptionibus in eorum favorem introductis, & jure dicen. generalem renunciationem, non valere, niſi præceſſerit ſpecialis recognitio ſic, vel aliter geſtum, alioquin fore ſcriptum, quam ſtipulatum, ſervaveruntque ſupradicti Deputati ad Sacroſancta Dei Evangelia corporali manu tactis ſcripturis, ad delationem mei Notarii infraſcripti, & prædictus R. Provincialis in pectore more Sacerdotali, prædicta omnia, & ſingula contenta in dicto Inſtrumento, & Capitulis, quibus ſupra nominibus ſub pœna, & obligatione prædictis attendere, & obſervare &c. rogaveruntque me Notarium infraſcriptnm, ut de prædictis omnibus, & ſingulis, unum, vel plura conficerem Inſtrumentum omni meliori modo &c. Et ego Criſpoltus Jacobutius de Civitate Nuceræ, Publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, & Judex Ordinarius ad præſens magnificæ Terræ S. Severini Camerin. Diœceſ. Cancellarins prædictis omnibus, & ſingnlis, dum ſic, ut præfertur, agerentur, & fierent interfui, & præſens fui, & rogatus ſcribere, & publicare, ſcripſi, & publicavi, & in fidem, & robur præmiſſorum ſigillo, nomineque meis ſolitis, & conſuetis corroboravi. Omiſſo ſigno cum his verbis ſignum meum Chriſpolti Notarii, & Cancellarii prædicti &c.

Compoſitionem inter Florentini Monaſterii (1) S. Catharinæ Moniales & Plebanum S. Laurentii de Burgo factam confirmat.

Anno 1545
Die 19 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCIX.

PAULUS PP. III.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

EA quę inter perſonas eccleſiaſticas concordia terminata fuiſſe dicuntur, ut firma perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus. Sane dilectę in Chriſto filię, Prioriſſa, & Monia-

Moniales Monaſterii S. Catharinę de Senis de Obſervantia, Florentinę Dięceſis, & dilectus filius Johannes Petrus Bernardi de Cathonano Presbyter, Sarzanenſis Dięceſis, Nobis nuper exponi fecerunt, quod cum Parochialis Eccleſia, Plebania nuncupata S. Laurentii de Burgo ad S. Laurentium dictę Florentinę Dięceſis, eidem Monaſterio Sanctę Catharinę perpetuo unita, annexa, & incorporata exiſtat ita quod Prioriſſa, & Moniales ejuſdem Monaſterii pro tempore exiſtentes poſſint eidem Eccleſię deſerviri, & curam animarum illius exerceri, facere, per Plebanum, ad earum nutum amovibilem, ſufficientem, & idoneum per loci ordinarium pro tempore exiſtentem, ſive illius in ſpiritualibus Vicarium Generalem approbandum, cui, & uni clerico pro tempore deſervienti eidem Eccleſię tenentur miniſtrare expenſas victui neceſſarias, & dare, & perſolvere eidem Plebano pro tempore eidem Eccleſię deſervienti, & curam animarum exercenti, pro ſe, & ſervitio, ac exercitio hujuſmodi, reſpective ſingulis annis Ducatos auri largos viginti quatuor, ultra expenſas, ut ſupra, victui neceſſarias: ipſę Prioriſſa, & Moniales, provide conſiderantes, quod ſuper adminiſtratione victus hujuſmodi multoties quęſtiones, & diſſenſiones oriebantur, & propterea quod melius, & magis expediens, magiſque pacificum eſſet eidem Prioriſſę, & Monialibus dare, & perſolvere eidem Plebano pro tempore exiſtenti pro ſe, & dicto clerico certam ſummam annuatim, quam facere expenſas, & dare eoſdem viginti quatuor ducatos, & etiam ad hoc, ne pro tempore exiſtentes Plebanus, & Clericus hujuſmodi, nimiam ſumerent cum ipſis Monialibus familiaritatem, & aliis certis bonis motę reſpectibus, inter eaſdem Prioriſſam, & Moniales, quę in bono ſunt numero, capitulariter ſuper hoc congregatas, maturo inter eas habito conſilio, ex una, & pręfatum Johannem Petrum Bernardi modernum ejuſdem Parochialis Eccleſię Plebanum pro ſe, & pro tempore exiſtentem, ſive deputatum in eadem Eccleſia Plebanum ad illi deſerviendum, & curam animarum exercendum, ac pro Clerico in eadem Eccleſia pro tempore ſervienti agentem, partibus, ex altera, concordatum, & conventum extitit, ſub tamen noſtro, & Sedis Apoſtolicę beneplacito, videlicet quod ex tunc deinceps pro dictis viginti quatuor ducatis expenſis victus, & omnibus, quę ipſę Prioriſſa, & Moniales Plebano, & Clerico pro tempore ſervientibus eidem Eccleſię dare conſueverant, ſive dare tenebantur, darent in totum pro victu, & dictis viginti quatuor ducatis ſingulis annis eidem moderno, & pro tempore exiſtentibus Plebano, & Clerico, ducatos quinquaginta largos, monetę Florentinę currentis, ad rationem librarum ſeptem pro ducato, certis modo, & forma, & certis terminis perſolvendos, & alias prout in Inſtrumento deſuper confecto dicitur latius contineri. Quare pro parte tam Prioriſſę, & Monialium, quam Johannis Petri Bernardi prefatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręmiſſis concordię, & conventioni pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur inſtrumenti pręducti, & quarumcunque ſcripturarum ſuper pręmiſſis forſan confectarum, tenores, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concordiam, & conventionem hujuſmodi, ac, prout illas concernunt, omnia, & ſingula alia quęcunque in Inſtrumento pręducto contenta, & inde ſequuta quęcunque, licita tamen, & honeſta, approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuę firmitatis robur adiicimus: Necnon omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint, & ſolemnitatum omiſſarum, ſi quę ſint in eiſdem, ſupplemus, illaque inconcuſſę firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari debere. Et ſic per quoſcunque judices, & commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere, necnon quicquid ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Quo circa Venerabilium Fratrum Archiepiſcopi Florentini, & Epiſcopi Feſulani in ſpiritualibus Vicariis Generalibus per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel alter eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque ubi, & quando expediens fuerit, ac quoties pro parte Abbatiſſę, & Monialium, ac pro tempore exiſtentis Plebani preſatę Eccleſię, ſeu alterius eorum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra pręſentes, & in eis contenta quęcunque plenum effectum ſortiri, & ab omnibus inviolabiliter obſervari, non permittentes, unam partium pręductarum per alteram, aut partes ipſas per quoſcunque, quavis auctoritate fungentes, contra pręſentium tenorem quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper iis habendis, ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pęnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XIX Junii MDXLV, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Confirmatio.

1. *Monaſterii*.) In *Hetruria*. Hujuſce Monaſterii meminit *Fontana* de *Romana Provincia Cap. LII Tit. XII.*

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex autographo aſſervato in prędicto Monaſterio *S. Catharinæ*.

Cæ-

Cœnobio (1) de las Navas unit eccleſiaſtica beneficia.

Anno 1545 Die 29 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

C.

IN ſupernę Apoſtolicę dignitatis ſpecula, licet immeriti, diſponente Domino, conſtituti, votis illis, per quę cunctorum Chriſti fidelium, pręſertim in humilitate ſpiritus, vota ſua, Altiſſimo famulantium, commoditati, & opportunę ſubventioni, valeat ſalubriter provideri, libenter annuimus, ac ea, prout in Domino expedire conſpicimus, favoribus proſequimur opportunis. Cum itaque de las Navas per Franciſci Sanchez Genillano, & de Villa Franca oppidorum, Abulen. Dięceſis, Parochiales Eccleſię, quę de jurepatronatus dilecti filii nobilis viri Petri de Avila Marchionis de las Navas, & Domini in temporalibus dictorum oppidorum, ex dotatione exiſtunt, & per Nicolai Ferdinandez dilectorum filiorum nuper ipſarum Eccleſiarum Rectorum, liberas reſignationes de illis, quas tunc reſpective obtinebant per dilectum filium Magiſtrum Franciſcum de Fontanella Scriptorem, & Familiarem noſtrum, eorum procuratorem ad hoc ab eis etiam reſpective ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factas, & per Nos admiſſas, vacaverint, & vacent ad pręſens, &, ſicut exbibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum moderni Prioris, & Fratrum domus S. Pauli ejuſdem oppidi de las Navas, Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, cum Domus prędicta, quę nuper per pręfatum Petrum Marchionem, fundata, & dotata, ac conſtructa fuit, ita paucos, & exiles redditus habeat, ut illi ad eorundem Prioris, & Fratrum ſuſtentationem, & onerum eis pro tempore incumbentium ſupportationem, decenter, & commode non ſuppetant, ſi dictę Eccleſię, quarum Rectores pro tempore exiſtentes, ad ipſius Petri Marchionis, & pro tempore exiſtentis Domini in temporalibus eorundem oppidorum, nutum, poni conſueverunt, ex nunc, ac Parochialis Eccleſia de Navalperal, & de Valdemaqueda, dictę Dięceſis, quam dilectus filius Alvarus de Ducennas, ipſius Eccleſię de Navalperal Rector obtinet, necnon perpetuum ſimplex ſervitorium beneficium eccleſiaſticum in dicta Eccleſia de Villa franca, quod, & dicta Eccleſia de Navalperal, ac de Valdemaqueda, etiam de ſimili jurepatronatus pręfati Petri Marchionis exiſtunt, cum primum illa per ipſius Alvari, & dilecti filii moderni clerici perpetui beneficiati in dicta Eccleſia de Villa franca beneficium ipſum obtinentis, ceſſum, vel deceſſum, ſeu quamvis aliam dimiſſionem, vel alias, quovis modo vacare contigerit, eidem domui perpetuo unirentur, annecterentur, & incorporarentur, ex hoc profecto Prior, & Fratres prędicti in ſuis neceſſitatibus, aliquod ſubventionis auxilium ſuſciperent, eidemque domui diligenter deſervirent. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum aſſerentium, Eccleſiarum, & beneficii prędictorum, inſimul fructus, redditus, & proventus ducentorum Ducatorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedere Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut de las Navas, & de Villa franca ex nunc, ac cum primum, ut pręfertur, vacaverint de Navalperal, & de Valdemaqueda Eccleſias, & beneficium prędicta eidem Domui, ut pręmittitur, unire, annectere, & incorporare, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica, aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum extimationem prędictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, & Priorem, & Fratres pręfatos, & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, necnon fructus, redditus, & proventus Domus hujuſmodi, illique unitorum Beneficiorum eccleſiaſticorum, verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de las Navas, & Villa franca ſive pręmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex aliorum quorumcunque perſonis, ſeu per ſimiles reſignationes Franciſci, & Nicolai prędictorum, vel quorumvis aliorum de illis in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factas, aut Conſtitutionem felicis recordationis Johannis PP. XXII, pro his videlicet, quę incipit - Execrabilis - vel aſſecutionem alterius beneficii eccleſiaſtici, quavis auctoritate collati vacent, etiamſi tanto tempore vacaverint, quod earum collatio juxta Lateran. Statuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ipſęque Eccleſię de las Navas, & de Villa Franca, diſpoſitioni Apoſtolicę, ſpecialiter reſervatę exiſtant, & ſuper eis, inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore Datę pręſentium, non ſit in eis alicui ſpecialiter jus quęſitum, ex nunc de Navalperal, & Valdemaqueda vero Eccleſias, necnon beneficium prędicta, cum primum illa, per ceſſum, vel deceſſum, ſeu quamvis aliam dimiſſionem Alvari, & moderni Beneficiati prędictorum, vel alias quovis modo, & ex quorumcunque aliorum perſonis, etiam in aliquo ex menſibus, Nobis, ſeu ordinariis Collatoribus, per Conſtitutiones noſtras, aut literas alternativas, ſeu alia privilegia, & indulta conceſſis, & concedendis ſimul, vel ſucceſſive, vacare contigerit, etiam ex nunc, & e contra, cum ad hoc ipſius Petri Marchionis, per eundem Franciſcum, & procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, expreſſus accedat aſſenſus, eidem Domui auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, ita quod liceat moderno, & pro tempore exiſtenti ipſius Domus Priori, & Fratribus pręfatis, per ſe, vel alium, ſeu alios, propria auctoritate abſque vitio ſpolii, ſeu attentatorum, libere apprehendere, & perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, & proventus hujuſmodi, in ſuos, & Domus, necnon Eccleſiarum, & Beneficii prędictorum uſus, & utilitatem convertere, necnon eiſdem eccleſiis per aliquos ex Fratribus Domus hujuſmodi, ſeu alios Presbyteros ſeculares, aut pręfati, vel alterius Ordinis Regulares, ad ipſorum Prioris, & Fratrum nutum amovibiles, in Divinis deſerviri, ac dilectorum filiorum parochianorum earundem Eccleſiarum animarum curam exerceri facere, Dięceſani loci, vel cujusvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus omnibus, priori voluntate noſtra prędicta, ac Lateran. Con-

Mandatum.

Concilii noviſſime celebrati uniones perpetuas, niſi in caſibus a jure permiſſis fieri prohibentis, ac pię memorię Bonifatii PP. VIII, etiam Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper probationibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus, literas impetraverint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & Decretum, vel alias ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſequuta quęcunque, ad Eccleſias, & beneficium prędicta, volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum, impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus &c. mentio ſpecialis. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi Eccleſię, ac beneficium prędicta, debitis non fraudentur obſequiis, & animarum cura in dictis Eccleſiis nullatenus negligatur, ſed earum, ac dicti beneficii, congrua ſupportentur onera conſueta; Et inſuper unionem, annexionem, & incorporationem Eccleſię de Navalperal, & de Valdemaqueda, & Beneficii hujuſmodi, ſub quibuſcunque revocationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus unionum, annexionum, & incorporationum effectum non ſortitarum, per Nos, & Sedem prędictam factis, & faciendis, minime comprehendi, ſed ab illis exceptas, & ad hoc, ut ſub revocationibus, vel ſuſpenſionibus hujuſmodi, non comprebendantur, ex nunc vere, & non ficte, ſuum plenarium effectum ſortitas, & non de vacaturis, ſed de vacantibus Navalperal, & de Valdemaqueda Eccleſia, ac beneficio prędictis, factas, & per illas, ex nunc eidem Priori, & Fratribus, jus jure acquiſitum exiſtere cenſeri, ſicque per quoſcunque quavis auctoritate fungen. Judices, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate &c., ac ex nunc ſi ſecus ſuper his &c. attentari irritum, & inane decernimus. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, unionis &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Quinto, Quarto Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Cœnobio*.) In *Hiſpania*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.III Ad perpetuam rei memoriam fol.* 193.

Anno 1545 Die 30 Auguſti.

Ne Fratres, aut Moniales Ordinis, peccata (1) deponant apud Sacerdotes extra Ordinem.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię Hiſpanię ſecundum morem ejuſdem Ordinis.

CI.

PAULUS PP. III.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſti, quod a certo tempore citra, nonnulli, tam ex Prioribus, vel Pręſidentibus, aliiſque Fratribus domorum Ordinis Prędicatorum, & Provincię Hiſpanię ſecundum morem ejuſdem Ordinis, quam ſub tui cura, & inſtitutis degentibus Ordinis S. Auguſtini, & etiam Tertię Regulę S. Dominici, Prioriſſis, Monialibus, & Sororibus Monaſteriorum dictę Provincię, propriis eorum Confeſſoribus, per illorum ſuperiores deputari ſolitis, dimiſſis, in illorum forſan contemptum, occaſione nonnullorum Apoſtolicorum privilegiorum, & indultorum, aliarumque literarum, etiam Confeſſionalium nuncupatarum, ſibi conceſſorum, Confeſſores pro ſuę libito voluntatis, nonnunquam clericos ſeculares, quandoque vero etiam aliorum Ordinum Fratres eligere, illiſque ſua peccata confiteri, & ab eis abſolutionem recipere, ipſique Confeſſores ſic electi, confeſſiones hujuſmodi audire, & pęnitentiam ſalutarem deſuper injungere, ac abſolutionis beneficium, etiam ex caſibus illorum Pręlatis, & Superioribus ſpecialiter reſervatis, forſan indiſtincte impertiri, non verentur, ſtatutis, & conſuetudinibus dictorum Ordinum de facto contraveniendo, forſan in animarum ſuarum periculum, pernicioſum quoque exemplum, & ſcandalum plurimorum. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſtatuimus, & ordinamus, quatenus de cetero nullus ex Prioribus, vel Pręſidentibus, aut Fratribus, vel aliis Religioſis domorum Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Provincię hujuſmodi, ac Prioriſſis, Monialibus, & Sororibus dictorum Monaſteriorum ubicunque exiſtentibus, ſi, & poſtquam de pręſentibus literis notitiam habuerint, prętextu cujuſvis privilegii, aut indulti Apoſtolici, vel Confeſſionalis, ſeu aliarum literarum, & indulgentiarum ab Apoſtolica Sede hactenus emanatarum, vel in poſterum emanandarum, niſi de ſpeciali licentia petita, & obtenta ſuorum ſuperiorum, Confeſſorem ſibi eligere, & ab eo abſolutionem recipere, & tam ipſis Prioribus, vel Pręſidentibus, aliiſque Fratribus, vel Religioſis, necnon Prioriſſis, Monialibus, & Sororibus, & eorum ſingulis ſub excommunicationis, & officiorum, quę obtinent, privationis, pęnis, & privilegiis, indultis, confeſſionalibus, & aliis literis, & gratiis prędictis, quomodolibet uti, illorumque prętextu Confeſſorem ſibi eligere, ab eoque abſolutionem recipere, quam Confeſſoribus ſic electis prefatis, ſub ſimilibus cenſuris, ac ſuſpenſionibus ab adminiſtratione ſuorum ordinum, pęnis, eo ipſo incurrendis, pręterquam de licentia ſpeciali petita, & obtenta dictorum ſuperiorum, ut confeſſiones hujuſmodi audire, ac pęnitentiam ſalutarem injungere, & abſolutionis munus impertiri, nullatenua au-

audeant, vel pręſumant, diſtrictius inbibendo mandamus. Et inſuper de cetero quaſcunque confeſſiones aliter faciendas, & inde obtentas abſolutiones, & pęnitentiarum impoſitiones, ipſis confitentibus minime ſuffragari. Quodque in quibuſcunque privilegiis, & indultis, aut literis Apoſtolicis, etiam Confeſſionalibus nuncupatis, aliiſque conceſſionibus, & gratiis prędictis, ad hujuſmodi effectum, ab eadem Sede emanatis, hactenus, vel in poſterum emanandis, Priores, vel Pręſidentes, aliique Fratres, vel Religioſi, ac Prioriſſę, Moniales, & Sorores Ordinum, ac Tertię Regulę, & Provincię hujuſmodi, omnino excepti, & tacite excluſi cenſeantur, auctoritate, & tenore prędictis, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac quibuſvis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis, editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſupraſcriptis, & aliis nunc, & pro tempore per Sedem eandem conceſſis, ſub quacunque verborum forma, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis per Sedem eandem ex quibuſvis cauſis, etiam urgentiſſimis, & oneroſis, & ad quorumvis, cujuſcunque dignitatis, & ſtatus, preces hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis, quibus, etiamſi in illis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus, aut non alias, quam ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, derogari poſſit, illorum omnium tenores, & formas perinde, ac ſi de verbo ad verbum, & non per clauſulas generales idem importantes, expreſſa mentio facta, aut alia exquiſita forma ad id requiſita, ſervata fuiſſet, nihil penitus omiſſo, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe, harum ſerie derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXX Auguſti MDXLV, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Blo. El. Fulgin.

1. *Peccata.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Lib. B. fol.* 104 ex autographo *Salmanticenſi.*

De Florentino (1) Cœnobio S. Marci Fratribus Ordinis Prædicatorum reſtituendo.

Anno 1545 Die 31 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Angelo de Bergamo Pręſidenti, ſeu Priori, & Fratribus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Congregationis Lombardię in Domo S. Marci Ordinis Prędicatorum Florentin. exiſtentibus.

CII.

PAULUS PP. III.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm vos, ſicut Nobis innotuit, nuper pręter juris diſpoſitionem, veſtraque, & omnium Religioſorum Ordinum ſtatuta, & conſuetudines, iſtam domum S. Marci Ordinis Prędicatorum Florentin. unde dicti Ordinis Prędicatorum Fratres de facto ejecti fuerunt, ſine Sedis Apoſtolicę licentia, quam requirere debebatis, intraveritis, & occupaveritis, ſicut de pręſenti occupatis, & indebite obtinetis. Nos, volentes ex noſtro officio hujuſmodi temerariis auſibus obviare, eoſque reprimere, vobis in virtute ſanctę obedientię, ac ſub indignationis noſtrę, necnon excommunicationis majoris latę ſententię, ac privationis omnium, & ſingulorum officiorum, dignitatum, pręſidentiarum, ac privilegiorum, indultorum, & quarumvis gratiarum, vobis in genere, vel in ſpecie conceſſarum, ac etiam vocis activę, & paſſivę ipſo facto, & abſque aliqua alia declaratione niſi parueritis, per vos incurrenda, pęna pręcipimus, & mandamus, ut infra biduum a pręſentium vobis facienda pręſentatione, ſive intimatione, dictam domum exiiſſe, eamque liberam, & vacuam, & in ea omnia res, & bona inibi per vos inventa, ſub inventario per Notarium publicum conficiendo dimiſiſſe, & cum effectu reliquiſſe, debeatis, particulariter vero tibi, fili Angele Pręſidens, ſeu Prior, ſub eiſdem pęnis mandamus, ut intra decem dies ab eadem intimatione, vel pręſentatione computandos, coram Nobis perſonaliter te pręſentes, eo vero termino reſpective elapſo, & vobis non parentibus venerabili Fratri Philippo (3) Epiſcopo Burgi Sancti Sepulcri in Alma Urbe noſtra Vicario (4) noſtro committimus, ut vobis aliter non citatis, ſervatis quatuor terminis, juxta ſtylum ſuę curię in ſimilibus ſervari ſolitis, contra vos ad dictarum pęnarum aggravationem, & reaggravationem, ac interdicti eccleſiaſtici appoſitionem, invocationemque brachii ſecularis, ac ulteriora procedat, ſicut veſtra inobedientia, & contumacia exegerit, volentes, ac decernentes, quod affixio pręſentium in valvis Eccleſię domus veſtrę Congregationis Beatę Marię de Populo de Urbe, ac pręſentatio earum Procuratori Generali ejuſdem veſtrę Congregationis in Romana Curia facta, dimiſſo illarum exemplo, perinde vos arctet, ac ſi vobis perſonaliter pręſentatę, & intimatę fuiſſent. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alias roboratis, privilegiis quoque, indultis, ac literis Apoſtolicis, vobis, & veſtrę Congregationi, quomodolibet conceſſis, quibus, illorum tenores pręſentibus, pro expreſſis habentes, ad effectum pręſentium derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die ultima Octobris (5) MDXLV, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Blo. El. Fulgin.

1. *Flo-*

1. *Florentino*.) In *Hetruria*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex autographo *Florentino*.
3. *Philippo*.) Cognomento fuit *Archintus*, genere nobilis, patria *Mediolanenſis*. Adeas *Ughellum in Epiſcopis Burgi S. Sepulcri Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 199 *Edit. Venetæ*.
4. *Vicario*.) Hinc ed calcem Conſtitutionis *XCIV Pauli III* pro *Neſciovanen.* Archiepiſcopie datæ, quæ legitur pag.630. hujuſce IV Tomi, hæc habet *Philippus* iſte. *Nos Philippus Archintus, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Burgi S. Sepulchri, Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Pauli divina providentia Papæ III Vicarius Generalis, univerſis, & ſingulis præſentes tranſumpti literas inſpecturis, viſuris, lecturis pariter, & auditaris, notum facimus, & atteſtamur, quod originales literas in forma gratioſa ſub plumbo expeditas, cujus copia ſuperius eſt inſerta vidimus, legimus, & diligenter inſpeximus, eaſque ſanas, & integras, omnique prorſus vitio, & ſuſpicione carentes reperimus, prout in eis prima facie apparebat. Ea propter pro parte Reverendiſſimi pro tempore Electi Archiepiſcopi Neſciovanen. in præinſertis literis conten. ipſas literas per Notarium publicum infraſcriptum in hujuſmodi tranſumpti formam redigi mandamus, ſigillique noſtri juſſimus, & fecimus appenſione muniri. Decernentes, prout idem Dominus noſter Papa per præinſertas decrevit, hujuſmodi tranſumpto talem, & tantam fidem adhibendam fore, qualis, & quanta originalibus ipſis adhiberetur, ſi in medium producerentur. Datum Romæ in ædibus noſtris ſub anno a Nativitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Quinto, Indictione Tertia, die vero undecima Menſis Junii, Pontificatus prælibati Domini noſtri Pauli divina providentia Papæ Tertii Anno ejus Undecimo.*

Ita eſt. Ph. (Philippus) *Vic.* (Vicarius.)

Notat Ughellus loco laudato, quod *diuturniori Vicariatus opera pro Pontificibus functus eſt Romæ* Philippus iſte. Nota quod *Mediolanenſis* erat, & Epiſcopalibus duntaxat ornatus infulis.

5. *Die ultima Octobris*.) Ex hac etiam die aſcripta liquet, quod *Paulus III* in ipſis literis, quas *Brevia* vocant, annos Pontificatus nonnunquam numerabat a die Coronationis.

Anno 1545
Die 31 Octobris.

Indulgentia pro Capitulo Generali (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CIII.

PAULUS PP. III.

Univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

A Superno Patrefamilias, meritis licet imparibus in Domo Domini diſpenſatores conſtituti, theſaurum Dominicum, divinitus Nobis commiſſum ſic diſpenſare, Nos convenit, ut illius erogatione, populum Chriſtianum Domino acceptabilem, & bonorum operum ſectatorem reddere valeamus. Cum itaque dilectus filius Franciſcus (3) Romeus de Caſtilione, modernus Vicarius Generalis totius Ordinis Prædicatorum, & Fratres ipſius, pro conſervatione Religioſæ vitæ, juxta regulam & conſtitutiones ejuſdem Ordinis, ac electione futuri Generalis Magiſtri, ſuum Capitulum Generale in Urbe, in Domo S. Mariæ Supra Minervam, de mandato noſtro, & noſtra certa ſcientia in feſto Pentecoſtes (4) proxime futuro more ſolito, ſint celebraturi, ad ipſiuſque Capituli celebrationem multi viri zelo Religionis pleni, ac ſcientia, morumque probitate præditi, & quamplures a quibuſcunque mundi partibus prædicti Ordinis profeſſores, Altiſſimo favente, ſint acceſſuri, ad quorum ſuſtentationem, cum dictæ Domus tenuiſſimi redditus non ſufficiant, Chriſti fidelium ſuffragia, ſunt neceſſaria, Nos, ut Chriſti fideles hujuſmodi promptiores reddantur, ad præfatorum Fratrum, pro Capitulo hujuſmodi celebratione venturorum ſubventionem, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum, ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere penitentibus, & confeſſis, qui in Dominica Reſurrectionis D. N. J. C. proxime futura, vel in aliqua ex ſecunda, & tertia Feriis dictam Dominicam ſequentibus, prædictam S. Mariæ ſupra Minervam, in ipſa autem Dominica Reſurrectionis tantum, inchoando a primis ejus veſperis uſque ad occaſum ſolis incluſive, S. Dominici Meſſanen., vel S. Dominici de Drepano (5), aut S. Dominici, ſeu S. Mariæ, quæ dicitur Grandis, Cathanien. (6), vel S. Dominici Syracuſan., aut S. Dominici Panormitan., vel SS. Johannis, & Pauli Venetiarum, ſeu Sanctæ Mariæ de Conforto Lugdunen., vel S. Catherinæ Barchinonen., ac S. Petri Martyris Toletan. dicti Ordinis Eccleſias viſitaverint, & ad præmiſſa manus porrexerint adjutrices, vel ad illas, pro dicti Capituli celebratione, & Fratrum ad illud venientium ſuſtentatione, eleemoſynas miſerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum, remiſſionem, ac Indulgentiam, tenore præſentium concedimus, & elargimur, & ut ipſi Chriſti fideles prædicto tempore, conſcientiæ pacem, & animarum ſalutem, Deo propitio, facilius conſequantur, ac Indulgentiæ, & remiſſionis ejuſdem, capaciores reddantur, præfato Vicario, ac Præſidenti, ſeu Prioribus ſingularum Eccleſiarum prædictarum, nonnullos ejuſdem Ordinis profeſſores eligendi, ac deputandi, qui Confeſſiones præfatorum Chriſti fidelium prædicto tempore audire, & illorum Confeſſionibus diligenter auditis, ipſos ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, exceptis contentis in Bulla, quæ legitur in Cœna Domini, abſolvere, eiſque penitentiam ſalutarem injungere, necnon vota per eos emiſſa, ultramarino, viſitationis liminum Apoſtolorum Petri, & Pauli de Urbe, ac S. Jacobi in Compoſtella, necnon Religionis, & Caſtitatis votis, duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam, & facultatem concedimus; Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ac ſimilium Indulgentiarum, etiam pro Cruciata, & Fabrica Baſilicæ S. Petri de Urbe, ſuſpenſionibus, & revocationibus, per Nos, aut Prædeceſſores noſtros factis, & faciendis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod ſi caſu aliquo præfatum Capitulum ſupradictorum Fratrum, ad locum alium transferri contigerit, quæcunque de præfata Eccleſia B. Mariæ, quoad Indulgentias, præmiſſa ſunt de illa Eccleſia, apud quam Capitulum ipſum celebrari contigerit, in-

Digitized by Google

intelligi debeant. Ceterum quia difficile foret, pręſentes literas originales ad ſingula quęque loca opportuna deferri, volumus, atque auctoritate Apoſtolica decernimus, quod earum tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo officii Vicarii Ordinis prędicti munitis, ubique ea prorſus fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die ultima Octobris (7) MDXLV, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Bl. El. Fulgin.

1. *Capitulo Generali.*) *Romæ* celebrato anno *MDXLVI*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Franciſcus.*) De quo ſæpe ſæpius in præcedentibus Notis dictum fuit.
4. *Penthecoſtes.*) Fuit hoc anno die *XIII* Junii.
5. *De Drepano.*) Seu *Trapanen.*, in *Sicilia*.
6. *S. Maria, quæ dicitur Grandis Cathanien.*) Seu *S. Mariæ majoris, Catanen.*, in *Sicilia*.
7. *Die ultima Octobris.*) Vide Notam *V* ad præcedens Diploma. Huc etiam ſpectat ſequens inſtrumentum.

Nos Johannes Epiſcopus Sabinenſis S. R. E. Cardinalis de Salviatis vulgariter nuncupatus, & totius Ordinis Prædicatorum Protector &c.

UNiverſis, & ſingulis præſentes noſtras literas inſpecturis, lecturis, & audituris, notum facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, qualiter hodie Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Paulus divina providentia PP. III, ad preces, & requiſitiones noſtras, ſibi per Nos ad hoc porrectas vivę vocis oraculo Nobis deſuper facto, conceſſit, & approbavit, quod Breve Apoſtolicum indulgentiarum conceſſum Ordini Prædicatorum, pro ſubventione ſui Capituli Generalis proxime celebrandi Romæ in Feſto Penthecoſtes, ſicut applicatum fuit quinque Civitatibus Siciliæ, videlicet Meſſanæ, Panormi, Drepani, Cathaniæ, Siracuſæ, ita quoque extendatur, applicetur, & concedatur, atque ex nunc pro applicato, & conceſſo habeatur oppido ejuſdem Regni Siciliæ, quod dicitur Mohac, vulgariter vero Modica, cum eiſdem indulgentiis, caſuum reſervatorum abſolutione, ac votorum commutatione, quæ conceduntur prædictis Civitatibus ſub eadem forma, & ad eundem finem per omnia, ut continetur in dicto Brevi Apoſtolico, ac ſi in illo expreſſa de dicto oppido mentio facta fuiſſet. In quorum fidem præſentes manu propria noſtra ſubſcriptas, fieri, magnique ſigilli noſtri, quo in ſimilibus utimur juſſimus appenſione muniri. Datum Romæ in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ die 13 Februarii 1546, Pontificatus ejuſdem Sanctiſſimi D. Noſtri Anno Duodecimo.

Jo. Card. de Salviatis manu propria.

Ind. pro Capitulo Generali.

A tergo al P. Preſidente di S. Domenico di Palermo.

De Peruani Provincialis electione (1).

Anno 1546 Die 1 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

PAULUS PP. III.

CIV.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, Fratres Ordinis Prędicatorum, ſeu Sancti Dominici, qui ſunt apud Indos in Provincia S. Johannis Baptiſtę, ſeu Terrę del Peru nuncupatę, ſecundum morem dicti Ordinis, propter maximam Conventuum, ſeu domorum inter ſe diſtantiam, ad eligendum novum Priorem Provincialem ejuſdem Provincię de facili congregari non poſſint, & in nonnullis ex dictis Conventibus, ſeu domibus, pauciores quatuor Fratribus exiſtant, quo fit, ut juxta ejuſdem Ordinis Magiſtri Generalis ſtatutum dictarum domorum Vicarii vocem in electione dicti Provincialis, non habeant, Nos, ad pullulantem in illis partibus Religionem Chriſtianam, reſpectum habentes, conſiderantesque, non omnia inibi ita ſolemniter, ſicut in ceteris orbis partibus fieri poſſe, dilecti filii moderni ejuſdem Ordinis Vicarii Generalis, ſuper hoc Nobis humiliter porrectis precibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod modernus Prior Provincialis dictę Provincię per quadriennium, poſt finitum tempus pręſentis ſui Provincialatus officii, in eodem officio, perſeverare, ac continuare debeat, quodque dictarum domorum Vicarii, etiamſi in eis minus quam quatuor Fratres exiſtant, vocem in electione dicti Prioris Provincialis habeant, non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die Prima Januarii MDXLVI, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Bloſ. El. Fulgin.

1. *Electione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Limano*.

Anno 1546 Die 11 Julii.

Aragoniæ Provincialis, expleto quadriennio, ejuſdem Provinciæ Vicarius (1) eſt quouſque Provincialis electus, confirmatus, & præſens ſit.

CV.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

PAULUS PP. III.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

CUm, ſicut dilecti filii Provincialis, & alii Priores Conventuum Ordinis Prędicatorum Provincię Aragonię ſecundum morem dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecerunt, in Generali Capitulo dicti Ordinis in Alma Urbe noſtra de Menſe Junii proxime pręterito celebrato, pro ejuſdem Ordinis felici ſucceſſu, & ſalubri directione, inter alia decretum, & ordinatum fuerit, quod ex nunc deinceps, finito tempore, videlicet quadriennio, Provincialatus Prioris Provincialis dictę Provincię Aragonię, Idem Prior Provincialis, remaneat Vicarius ejuſdem Provincię, ut in ea, & electione futuri Prioris Provincialis, quouſque alter Provincialis electus, & per Generalem Magiſtrum dicti Ordinis confirmatus ſit, & ad eandem Provinciam ſe perſonaliter conferat, pręſidere poſſit, prout in decreto dicti Generalis Capituli, cujus veriorem tenorem, ac ſi de verbo ad verbum inſertus foret, pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, plenius contineri dicitur, pro parte dicti Provincialis, & aliorum Priorum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut decreto, & ordinationi prędictis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui fidelium quorumlibet, pręſertim ſub ſuavi religionis jugo Altiſſimo famulantium, vota, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam, libenter admittimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, decretum, & ordinationem prędicta, necnon, prout illa concernunt, omnia, & ſingula, in eodem Generali Capitulo contenta, ac inde ſequuta quęcunque, ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo approbamus, & confirmamus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, illaque perpetuę firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari debere, & ſic per quoſcunque judices, & commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, interpretari, atque decidi debere, necnon irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attemptari, decernimus. Quocirca ven. Fratri Epiſcopo Illerden. (3), & dilectis filiis Priori clauſtrali Monaſterii Montis Aragonum Oſcen. Diœceſis, & Archidiacono de Culla in Eccleſia Dertuſen. per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando expediens fuerit, ac quoties pro parte Provincialis, & aliorum Priorum Ordinis, & Provincię hujuſmodi, deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis, efficacis defenſionis, pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, decretum, & ordinationem in Capitulo Generali facta hujuſmodi, ac pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, plenum effectum ſortiri, & ab omnibus inviolabiliter obſervari, non permittentes, quemquam, contra pręſentium tenorem, quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles, per cenſuras eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac cenſuras prędictas, legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII de una, & in Concilio generali de duabus dietis, edita, dummodo ultra tres dietas, aliquis vigore pręſentium, ad judicium non trahatur, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provincię, & Ordinis hujuſmodi ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, clauſulis, & decretis, etiam irritantibus, quomodolibet pro tempore conceſſis, & confirmatis, quibus, illorum veriores tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, harum ſerie, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, non poſſit per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XI Julii MDXLVI, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Mandatum.

Blo. El. Fulgin.

1. *Vicarius.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo lit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Illerden.*) *Ilerden.*, vulgo *Lerida*, in *Hiſpania Tarraconenſi*, ubi ceteræ Civitates, de quibus hoc in Diplomate.

Fir-

Firmat ea quæ pro Cordubenſi (1) Cœnobio ſancita ſunt.

Anno 1546 Die 11 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CVI.

Robertus (3) Miſeratione Divina Tituli SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis.

Dilectis in Chriſto Priori, ſeu Prępſidenti, & Fratribus Conventus S. Pauli Cordubenſis, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem in Domino.

EX parte veſtra nobis oblata, petitio continebat, quod nuper dilectus in Chriſto modernus Generalis dicti Ordinis, volens ſtatui, & utilitati dicti Conventus providere, hęc fecit ſtatuta, ordinationes, & mandata quę ſequuntur. Imprimis videlicet in virtute S. obedientię, ſub pręcepto formali, vobis, & dilecto in Chriſto moderno Provinciali dicti Ordinis Provincię Betię mandavit, ut Libros, qui ob mortem filiorum dicti Conventus, aut alio quocunque jure dicto Conventui debentur, diligentius exquiratis, & nulli particulari Fratri quocunque quęſito colore ad uſum concedatis, ſed in communi Bibliotheca ligati catenis ferreis cuſtodiantur, ut ibi communi totius Conventus utilitati deſerviant (4), nunquam inde extrahendi, niſi Libraria in alium locum mutetur, aut ad librorum ipſorum compaginationem, aut mutationem in melius; quod ſi liber, qui in jus dicti Conventus denuo cedet, in ipſa Bibliotheca repoſitus antea fuerit, vendatur, aut commutetur, & alius loco ejus in eadem Bibliotheca reponatur. Item quia dictus Generalis a fide dignis accepit quod Infirmarię dicti Conventus certi qnidam redditus ſunt aſſignati, ut in linteaminibus neceſſariis expendantur; ideo ne Prior aliquis male providus, aut Frater negligens eis abutatur, aut in alterius officinę uſus convertat, ſub pęna excommunicationis latę ſententię vobis, & quibuſvis aliis ſub dicti Ordinis obedientia conſtitutis prohibuit, ne linteamina pręfata in alterius officinę, aut particularis Fratris uſus accommodetis, nec ab ipſa Infirmaria extrahatis, niſi ad eorum reparationem, aut ſi tanta inutilitas apparuerit, quod Provincialis pro tempore viſitans, de Patrum dicti Conventus conſilio, in alios uſus convertenda mandaverit, cujus conſcientiam dictus Generalis oneravit, ſicut in deſuper confectis dicitur latius contineri. Cum autem, ſicut eadem ſubjungebat petitio, quia firmiora ſunt ea, quibus Apoſtolicę Sedis intercedit auctoritas, vos cupiatis ſtatuta, ordinationes, & mandata pręfata, pro illorum firmiori ſubſiſtentia Apoſtolicę confirmationis munimine roborari, ſupplicari feciſtis humiliter, vobis ſuper his per Sedem eandem de opportuno remedio miſericorditer provideri. Nos igitnr dictarum patentium literarum tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Domini Papę, cujus Pęnitentiarię curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivę vocis oraculo nobis facto, ſtatuta, ordinationem, & mandatum pręfata, ac, prout ea concernunt, omnia, & ſingula in dictis patentibus literis contenta, & inde ſecuta quęcunque, licita tamen, & honeſta, veris exiſtentibus pręmiſſis, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, eiſque perpetuę firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, eaque perpetuo inviolabiliter ſub excommunicationis majoris latę ſententię pęna, quam contrafacientes incurrere volumus ipſo facto, & a qua, nonniſi per Sedem Apoſtolicam, pręterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi poſſint per quoſcunque tam Seculares, quam Regulares perſonas cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, obſervari; ſicque per quoſcunque judices, & commiſſarios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi, & diffiniendi facultate, & auctoritate judicari, interpretari, & definiri debere; irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam contra pręmiſſa quomodolibet contigerit attentari, decernimus; non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & tam Provincialibus, quam Synodalibus, dictorumque Conventus, & Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illis conceſſis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub ſigillo Pęnitentiarię III Idus Auguſti, Pontificatus D. Pauli Papę III Anno Duodecimo.

Jul. Cardellus.

1. *Corduben.*) In *Hiſpania Bætica*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex autographo *Cordubenſi*.
3. *Robertus.*) *Puccius*, de quo *Ciaconius* in *Paulo III Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III pag.* 679.
4. *Deſerviant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

Toloſanæ Provinciæ, & Congregationis Franciæ (1) Conventus immobilia bona (2) retinere poſſe declarat.

Anno 1547 Die 26 Februarii.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

PAULUS PP. III.

CVII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ROmanns Pontifex, ne occaſione gratiarum a Prędeceſſoribus ſuis emanatarum, aliquem indebite vexari contingat, quandoque per declarationes, interdum vero per alia remedia providet opportuna. Hinc venerabilis Frater Noſter Johannes (4) Epiſcopus Portuen. Cardinalis de Salviatis nuncupatus, qui Ordinis Fratrum Prędicatorum apud Nos Protector exiſtit, Nobis nuper expoſuit, quod licet du-

dudum felicis recordationis Sixtus PP. IV Prędeceſſor noſter, Magiſtro Generali, & Prioribus, ac Fratribus dicti Ordinis, tunc pręſentibus, & futuris, quod poſſeſſiones, domos, cenſus, & alia immobilia bona, eis, & ipſorum domibus, pia fidelium largitione, inter vivos, vel cauſa mortis donata, & teſtamentaria diſpoſitione largita, vel aliis relicta, & quę eis pro tempore, donari, relinqui, ſeu largiri contingeret, pro ſubſidio ſtudentium, & aliorum eis incumbentium onerum ſupportatione in communi, & non alias, retinere, ac illa per deputandos ab eis adminiſtrare valerent, per ſuas literas, perpetuo conceſſerit, & indulſerit, nihilominus a nonnullis nimium curioſis vertitur in dubium, an Fratribus dicti Ordinis Provincię Toloſanę, ac Congregationis Francię reformatę, ſecundum morem ejuſdem Ordinis, liceat poſſeſſiones, domos, cenſus, & alia immobilia bona, eis, & ipſorum domibus, ut pręfertur, relicta, & relinquenda, retinere, ac, ut pręmittitur, adminiſtrare. Quare dictus Johannes Epiſcopus Cardinalis, & Protector, Nobis humiliter ſupplicavit, ut hęſitationem hujuſmodi noſtrę declarationis oraculo ſubmovere, aliaſque in pręmiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, attendentes, nec ex verbis, nec ex ſenſu gratiarum pędictarum, aliquos Fratrum eorundem ab hujuſmodi conceſſione, & indulto excluſos cenſeri poſſe, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Priores, & Fratres Ordinis, & Provincię, & Congregationis pędictorum pręſentes, & futuros, vigore gratiarum dicti Prędeceſſoris hujuſmodi, poſſeſſiones, domos, cenſus, & alia immobilia bona, eis, & ipſorum domibus pia fidelium largitione, inter vivos, vel cauſa mortis donata, & teſtamentaria diſpoſitione largita, vel alias relicta, & quę eis pro tempore donari, largiri, ſeu relinqui, necnon per illos ex eorundem pecuniis, juxta alias ipſius Prędeceſſoris in forma Brevis literas emi contigerit, pro ſubſidio ſtudentium, & aliorum eis incumbentium onerum ſupportatione, in communi, & non aliter retinere, ac illa per deputandos ab eis adminiſtrare, libere, & licite poſſe, nec propterea eoſdem Fratres Mendicantis nomen, vel effectum amittere, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo declaramus. Et pro potiori cautela eis ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis, plenam, & liberam facultatem, & licentiam concedimus, diſtrictius inhibentes omnibus, & ſingulis cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, vel pręeminentię, perſonis, pręſentibus, & futuris, & quacunque auctoritate fungentibus, & functuris, ne per ſe, vel per alium, ſeu alios, quovis quęſito colore, directe, vel indirecte, Priores, & Fratres domorum Provincię, & Congregationis hujuſmodi, quo minus pręmiſſis omnibus, & ſingulis uti, potiri, & gaudere poſſint, moleſtare, perturbare, inquietare, ſeu impedire quoquomodo pręſumant, ac mandantes dilectis filiis Toloſan., & Lugdunen., ac Pariſien. officialibus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, eiſdem Prioribus, & Fratribus in pręmiſſis, auctoritate noſtra aſſiſtentes, non permittant eos contra dictarum, ac pręſentium tenorem, per quoſcunque quomodolibet indebite moleſtari, impediri, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Provincię, ac Congregationis eorundem, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibus quoque, & aliis decretis, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, vel etiam alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus, communiter, vel diviſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Februarii MDXLVII, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

1. *Congregationis Francia.*) Quæ diſtinguenda a Congregatione *Gallicana*, ut alibi notatum fuit.
2. *Immobilia bona.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar.
4. *Johannes.*) Adeas *Ughellum* in *Epiſcopis Portuen. Tomo I Italia Sacra*, & *Ciaconium in Leone X Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo III pag.* 282.

Anno 1547 Die 18 Martii.

Petraſiten. (1) Cœnobio beneficium confert.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CVIII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa.

REgimini Univerſalis Eccleſię, meritis licet imparibus, diſponente Domino, pręſidentes &c. (3). Sane pro parte dilectorum filiorum Fratrum Domus S. Dominici, extra, & prope muros Oppidi de Petrohita (4) Ordinis Fratrum Prędicatorum, Abulen. Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum dicta Domus inſignis, & pluribus Religioſis viris, literarum ſcientia pręditis, verbum Dei prędicantibus, decorata exiſtat, illiuſque fructus, redditus, & proventus adeo tenues ſint, quod ex illis, Fratres in dicta Domo pro tempore commorantes, vix ſuſtentari poſſint, ſi Parochialis Eccleſia loci de Scorial, Salamantin. Diœceſis. de qua hodie tunc per liberam reſignationem dilecti filii Franciſci de Toledo. nuper ipſius Eccleſię Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam vacante, & antea diſpoſitioni Apoſtolicę reſervata, dilecto filio Magiſtro Johanni So-

Solano, Clerico Placentin. Dięceſis, Scriptori, & familiari noſtro, provideri conceſſimus, & cujus omnes, & ſingulos fructus, redditus, & proventus dilecto filio Chriſtophoro de Mendoza Fratri Militię S. Jacobi de Spata ſub Regula S. Auguſtini, etiam hodie per alias noſtras literas reſervavimus, prout in illis plenius continetur, fructus, redditus, & proventus hujuſmodi, duę tertię partes, quorum tertia pars, pro commoda ſuſtentatione, illam pro tempore obtinentis, ſufficit, ceſſante reſervatione hujuſmodi ab eadem Eccleſia perpetuo diſmembrarentur, & ſepararentur, illęque ſic diſmembratę, & ſeparatę, Sacriſtię ejuſdem Domus, perpetuo applicarentur, & appropriarentur, ex hoc profecto ipſi Fratres ſervitio, & laudibus divinis, ac verbi Dei prędicationibus, commodius intendere, ac onera, ſibi incumbentia, facilius perferre poſſent. Quare pro parte dictorum Fratrum, aſſerentium, fructus, redditus, & proventus Eccleſię hujuſmodi, centum, & quinquaginta ducatorum auri de Camera ſecundum extimationem communem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut duas tertias partes eorundem fructuum, redditunm, & proventuum, hujuſmodi, ab eadem Eccleſia, ut prefertur, diſmembrare, & ſeparare, illaſque ſic diſmembratas, & ſeparatas eidem Sacriſtię perpetuo applicare, & appropriare, aliaſque in premiſſis, opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum, inter alia, voluimus quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur, exprimere verum annuum valorem, ſecundum extimationem prędictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio, non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, dictos Fratres a quibuſvis excommunicationis &c., cenſentes, ipſiuſque Sacriſtię fructuum, reddituum, & proventuum, verum annuum valorem, pręſentibus pro expreſſo habentes; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex nunc, prout ex tunc, & e contra, poſtquam reſervatio fructuum, reddituum, & proventuum hujuſmodi Eccleſię ceſſaverit, duas tertias partes omnium, & ſingulorum fructuum, reddituum, & proventuum prędictorum ab eadem Eccleſia, ipſius Johannis ad hoc expreſſo accedente conſenſu, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, perpetuo diſmembramus, & ſeparamus, illaſque ſic diſmembratas, & ſeparatas, eidem Sacriſtię applicamus, & appropriamus ita quod liceat moderno, & pro tempore exiſtenti Priori ipſius domus, & prefatis Fratribus, duas tertias partes, fructuum, reddituum, & proventuum hujuſmodi per ſe, vel alium, ſeu alios propria auctoritate annis ſingulis, libere, percipere, & exigere, arrendare, & levare, necnon in ſuos, ac dictę Sacriſtię uſus, & utilitatem convertere, Dięceſani loci, aut cujuſvis alterius, licentia ſuper hoc minime requiſita, auctoritate Apoſtolica, & tenore premiſſis applicamus, & appropriamus; non obſtantibus priori voluntate noſtra prędicta, ac Lateranen. Concilii &c. contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Sexto (5), Quinto Decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo. Mandatum.

1. *Petraſitenſis.*) Seu de *Pedrabita*, vel *Petraita*, in *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.IV fol.174.*
3. *Præſidentes &c.*) Ut in ejuſdem tenoris exordiis.
4. *Petrohita.*) *Petraita*.
5. *Quadrageſimo Sexto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXLVII.*

Ut præcedens conſtitutio executioni mandetur.

Anno 1547 Die 18 Martii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CIX.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Ceſenaten., & Balneoregien. Epiſcopis, ac dilecto filio Officiali Salamantin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hodie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis: Paulus &c. (2) Anno Tertio Decimo. Quocirca diſcretioni veſtrę &c. Mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, literas prędictas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum Domus S. Dominici, extra, & prope muros oppidi de Petrohita, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Abulen. Dięceſis, ſeu alicujus eorum, deſuper fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra literas prędictas, & in eis contenta quęcunque, firmiter obſervari, ac ſingulos, quos literę ipſę concernunt, illis pacifice frui, & gaudere; non permittentes eos deſuper contra earundem literarum tenorem quomodolibet moleſtari: contradictores &c. Non obſtantibus omnibus ſupradictis, aut ſi aliquibus &c. ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Sexto (3), Quinto Decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.4. fol.175.*
2. *Paulus &c.*) Ut in præcedenti ad finem uſque.
3. *Quadrageſimo Sexto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXLVII.*

Vi-

Anno 1547
Die 24 Apri-

Viglevanenſi (1) Cœnobio beneficium confert.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CX.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX debito Paſtoralis officii Nobis, meritis licet imparibus, ſuperna diſpoſitione commiſſi, ad ea noſtrę ſolicitudinis ſtudium libenter convertimus, per quę fidelibus quibuſcunque pręſertim Religioſis ſub regulari obſervantia ſtudio pię vitę vacantibus, in ſuis neceſſitatibus, cum divini cultus augmento, valeat congrue ſubveniri. Cum itaque Eccleſia Clericatus nuncupata S. Marię de Campo ſuper finibus Mortarii Papienſis Diœceſis, quę de jurepatronatus laicorum exiſtit per liberam reſignationem dilecti filii Johannis Laurentii de Ferrariis nuper dictę Eccleſię Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam vacaverit, & vacet ad pręſens; &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Sancti Petri Martyris Viglevani Ordinis Fratrum Pędicatorum, petitio continebat, fructus, redditus, & proventus dictę Domus ita tenues exiſtant, ut ad ſuſtentationem eorundem Prioris, & Fratrum, ac onerum illis incumbentium ſupportationem, minus ſuppetant, &, ſi dicta Eccleſia eidem Domui perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto eorundem Prioris, & Fratrum indigentiis, uberior evaderet proviſio, ipſique Prior, & Fratres onera prędicta facilius, & commodius ſupportare poſſent. Quare pro parte dictorum Prioris, & Fratrum, aſſerentium fructus, redditus, & proventus Eccleſię hujuſmodi ſex ducatorum auri de camera ſecundum communem exiſtimationem valorem non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam prędictam eidem Domui, ut pręfertur, unire, annectere, & incorporare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum extimationem pręedictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, Priorem, & Fratres pręedictos illorumque ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon fructuum, redditiuum, & proventuum dictę Domus, ac illi unitorum beneficiorum veros valores pręſentibus pro expreſſis habentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Eccleſiam pręedictam, quę ſine cura eſt; ſive, ut pręmittitur, ſive alias quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſive per ſimilem reſignationem dicti Johannis Laurentii, vel cujuſvis alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranenſis Concilii ſtatuta ad Sedem eandem legitime devoluta, ipſaque Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo temporę datę pręſentium non ſit in ea alicui ſpeciale jus quęſitum, cum ad hoc eorundem patronorum expreſſus accedat aſſenſus, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Domui Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat eiſdem, & pro tempore exiſtentibus Priori, & Fratribus Domus hujuſmodi, per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum pręedictorum propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in ſuos, ac Eccleſię, & Domus pręedictarum uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus priori voluntate noſtra pręedicta, ac Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus a jure permiſſis fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque &c. aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarunt, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſecuta quęcunque ad dictam Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum, aliorum pręjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter, non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in eiſdem literis mentio ſpecialis. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem pręedictas dicta Eccleſia debitis non fraudetur obſequiis, ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta; Et inſuper irritum, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper iis a quocunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Septimo, Octavo Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

1. *Viglevanen.*) Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ* in Statu Mediolanenſi.

2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar, unum ex autographo *Viglevanenſi*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. III. Ad Perpetuam Rei Memoriam fol.* 228.

Va-

Valentinum (1) Monaſterium S. Magdalenæ committit curæ Fratrum Prædicatorum.

Anno 1547
Die 17 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

CONgruit Romano Pontifici pro debito miniſterii Paſtoralis Religioſarum pręſertim muliębris ſexus, perſonarum, poſtquam ſeculo derelicto divinis laudibus ſe dederunt, vitę munditię, & honeſtati morum, ut glorioſo illi cęleſti ſponſo ſuo accenſis lampadibus, occurrant, omnifariam conſulere, &, ne religioſę ipſę dęmonis alliciantur verſutiis, prout norma regularis expoſcit, convenienti clauſura coercere. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Ferdinandi de Aragonia, Ducis Calabrię, in Regno Valentię Proregis Cęſaris (3) Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias, poſtquam dilectę in Chriſto filię Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Monialium de las Madalenas nuncupati, ſub Regula S. Auguſtini, Civitatis Valentię, Ordinis Prędicatorum, ſub Prioris Provincialis, & aliorum Superiorum dicti Ordinis Prędicatorum Provincię Aragonum obedientia, & correctione longo tempore, & forſan ab ejuſdem Monaſterii inſtitutione degerent, deinde tunc Prioriſſa, & pręfatę Conventus forte certe reſcripti, aut privilegii Apoſtolici non aliter, ut creditur, quam per falſi ſuggeſtionem, aut veri ſuppreſſionem, impetrati, ſe ab ipſorum Provincialis, & Superiorum obedientia, & reverentia ſubtraxerunt, ac tunc, & pro tempore exiſtenti Archiepiſcopo Valentino, ejuſque officialibus ſubmiſerunt, ex quo ob plurium Archiepiſcoporum, qui ex tunc ſucceſſerunt, a Civitate, & Diœceſi Valentin. longam abſentiam, aut forte incuriam Prioriſſa, & Moniales Monaſterii hujuſmodi pudicitię laxatis habenis, mundaniſque illecebris involutę, licentioſe vixerunt, & vivunt, in hujuſmodi Ordinis Prędicatorum contemptum, & totius populi dictę Civitatis ſcandalum, peſſimum quoque aliorum exemplum, & quod gravius eſt, jam de eodem Monaſterio per partes illas vulgaris diffuſa eſt obloquendi materia, &, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ſi Prioriſſa, & Conventus, ac Monaſterium hujuſmodi, cum illius membris, annexis, & dependentibus ab ea, ſub qua modo ſunt, perpetuo eximerentur, & liberarentur, & ad priſtinas ipſorum Provincialis, & Superiorum obedientiam, & reverentiam reducerentur, mala omnia ſupradicta proculdubio ceſſarent, & erga Ordinem Prędicatorum, & Monaſterium hujuſmodi venerationi, & devotioni, ac bonę famę conſervationi, ipſarumque Prioriſſę, & Conventus honeſtati, & animarum ſaluti plurimum ſatis fieret. Quare pro parte dicti Ferdinandi Ducis, qui pręmiſſa omnia pro ſuo regali officio ęquo animo ferre non poteſt, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręmiſſis, pro quanto res ipſa poſtulat, & noſtro convenit officio, conveniens remedium adhibere Apoſtolica auctoritate dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſi ad infraſcripta omnia venerabilis Fratris moderni Archiepiſcopi Valentini expreſſus acceſſerit aſſenſus, quodcunque reſcriptum, ſive privilegium Apoſtolicum pro tempore exiſtenti Prioriſſę, & Conventui dicti Monaſterii alias ſuper dicta ſubmiſſione, ſive translatione ad Archiepiſcopi Valentini obedientiam, cum quibuſvis clauſulis, & decretis conceſſum, cujus tenorem, ac cauſas, propter quas illud conceſſum fuerit, ac ſi de verbo ad verbum insererentur pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habemus, harum ſerie revocantes, caſſantes, & annullantes, ac pro nullo, & prorſus infecto, ac ſi nunquam emanaſſet haberi volentes, modernam, & pro tempore Prioriſſam, & Conventum Monaſterii ejuſdem, ipſumque Monaſterium cum illius bonis, & membris, annexis, & dependentibus, ab omni dicti moderni, & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Valentini, ejuſque officialium, viſitatione, correctione, caſtigatione, obedientia, ſuperioritate, & dominio, etiam ſi longa, & longęva pręſcriptione, & immemorabili conſuetudine fungantur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium perpetuo eximimus, & totaliter liberamus, ſeparamus, & ſegregamus, & ad ipſorum Provincialis, & aliorum ſuperiorum dicti Ordinis Prędicatorum pro tempore exiſtentium, obedientiam, ſuperioritatem, & dominium, prout antea erant, perpetuo reducimus, & reintegramus. Mandantes in virtute ſanctę obedientię, & ſub majoris excommunicationis latę ſententię pęna moderno, & pro tempore exiſtenti Priori Provinciali, aliiſque Superioribus Provincię hujuſmodi, ad quos ſpectat, quatenus viſis pręſentibus modernam, & pro tempore exiſtentem Prioriſſam, & Conventum, ac Monaſterium ipſum, illiuſque bona cum membris, annexis, ac dependentiis hujuſmodi, ſub ſua, & ſui Ordinis hujuſmodi protectione, obedientia, ſuperioritate, & dominio, prout antea erant, recipiant, ipſumque Monaſterium, illiuſque Eccleſiam, ac Prioriſſam, Conventum, & ipſius Conventus ſingulares perſonas, viſitent, ac in capite, & membris reforment, corrigant, & emendent, & quas viderint, tam Prioriſſam, quam Moniales dignitatum, & officiorum privatione dignas, dignitatibus, & officiis hujuſmodi privent, aliaſque privatarum loco deputent, & quas etiam viderint expellendas, inde expellant, & ad alia dicti Ordinis Prędicatorum mulierum Monaſteria, & loca transferant, aliaſque in Monaſterium, Eccleſiam, Prioriſſam, Conventum, Moniales, & bona hujuſmodi plenariam juriſdictionem, ſuperioritatem, & dominium, quę olim exercuerant, & exercere potuerant, & alia, quę in pręmiſſis pro Monaſterii hujuſmodi proſpero regimine neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna, exerceant, modernę vero, & pro tempore exiſtenti Prioriſſę, Conventui, & ipſius Conventus ſingulis Monialibus ſub ſimili excommunicationis latę ſententię pęna, quatenus illico viſis pręſentibus dictorum moderni, & pro tempore exiſtentis Prioris Provincialis, & aliorum Superiorum Provincię hujuſmodi viſitationi, correctioni, caſtigationi, ſuperioritati, & dominio ſe ſubmittant, ac decernentes pręſentes literas de ſurreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu noſtrę, vel alterius cujuſcunque intentionis defectu notari, ſeu de eis quoquo modo allegari non poſſe, ſicque in pręmiſſis, & infraſcriptis omnibus, per quoſcunque judices, & commiſſarios, & Palatii Apoſtolici cauſarum auditores, & ſanctę Romanę Eccleſię Cardinales,

Diplomatis causa.

Mandatum.

in

in quavis cauſs, & inſtantis, ſublata eis, & eorum cuilibet, qusvis aliter interpretandi, judicsndi, & decidendi facultate, & auctoritate, interpretari, judicsri, & decidi debere, irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his, etiam noſtra, & Apoſtolicę Sedis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et inſuper, ut omnia circa viſitationem, reformationem, correctionem hujuſmodi facienda felici exerceantur initio, & ne Monaſterio prędicto Prioriſſa carente illius Monialibus, & Conventui aliqua in Prioriſſam dicti Monaſterii eligendo in deterius incidendi occaſio prębeatur, ex quo viſitatio, reformatio, & alia pręmiſſa fruſtatoria redderentur, pręfato moderno, & pro tempore exiſtenti Priori Provinciali dictę Provincię, ut in prima dicti Monaſterii Prioratus vacatione quomodocunque occnrrente, ipſe Prior Provincialis ſolus, Conventns dicti Monaſterii electione, conſilio, aut conſenſu minime requiſitis, ſeu pręcedentibus, hac prima vice duntaxat in ipſo Monaſterio hujuſmodi Prioriſſam, cum ſolitis auctoritatibus, facultatibus, ac alias, ut eſt moris, deputare poſſit indulgemus. Quocirca venerabilibus Fratribus Cęſenaten., & Parentin. Epiſcopis, & dilecto filio officiali Valentin. per eaſdem pręſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, moderno, & pro tempore exiſtenti Priori, Provinciali, & Superioribus hujuſmodi in pręmiſſis effeaci pręſidio aſſiſtentes, faciant eos, & eorum quemlibet eiſdem pręſentibus, & ſingulis in eis contentis pacifice frui, & gaudere, eoſque prędicta omnia, & ſingula libere exercere, nunc, & pro tempore exiſtentem Arebiepiſcopum Valentin., ejuſque officiales pręfatos, quibus nullam actionem ſpolii, & attentatorum, aut in integrum reſtitutionem propter pręmiſſa ullo unquam tempore competere volumus, alioſque contradictores, inobedientes, & rebelles, illiſque auxilium, & favorem pręſtantes, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis, & pręeminentię exiſtentes, tam clericos, quam laicos per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, & pecuniarias, cujuſque ipſorum Epiſcoporum, & officialis arbitrio moderandas, & applieandas, aliaque juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, & nibilominus legitimis ſuper bis babitis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pęnas prędictas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam sd hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pręmiſſis, necnon Apoſtolicis, ae Provincialibus, & Synodalibus conſtitutionibus, & ordinstionibus, necnon municipalibus Civitatis Valentinę, & Regni, necnon Monaſterii, & Ordinis hujuſmodi, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alis quavis firmitate roboratls ſtatutis, & conſuetudinibus, & ſupradicto, & aliis privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, pręfatis Prioriſſę, & Conventui, sc aliis ſupradictis contra pręſentium tenorem quomodolibet conceſſis, & pluries confirmatis, ac concedendis, & confirmandis, quibus omnibus, & ſingulis quoad pręmiſſa barum ſerie prorſus derogamus, contrariis quibuſcunque, aut ſi Prioriſſę, Conventui, & aliis pręfatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolieas non facientes plenam, & expreſſam, sc de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII Novembris MDXXXXVII, Pontificatus noſtri Anno Qusrtodecimo.

1. *Valentinum.*) In ejuſdem nominis *Hiſpaniarum* Regni Metropoli. Legenda hujuſce celeberrimi Monaſterii Hiſtoria. Conſulendus etiam *Franciſcus Diago Hiſtor. Provinciæ Aragoniæ.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Valentino.*

3. *Proregis Cæſaris.*) Nomine ſiquidem *Caroli V* Cæſaris jus dicebat *Ferdinandus.*

Anno 1547 Die 29 Novembris.

CXII.

Abulenſi (1) Monaſterio S. Catharinæ beneficium confert.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX injuncto Nobis deſuper, meritis licet imparibus, Apoſtolicę ſervitutis officio, votis illis, per quę Monaſteriorum quorumlibet, & perſonarum pręſertim fęminei ſexus, in illis ſub Religionis ſuavi jugo Altiſſimo famulantium, neceſſitatibus, & opportunę ſubventioni valeat ſalubriter provideri, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur benevolis. Dudum ſiquidem omnia preſtimonia, & preſtimoniales portiones, ac ſimplicia, ceteraque beneficia eccleſiaſtica apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia &c. attentari. Cum itaque poſtmodum preſtimonium, ſeu preſtimonialis portio, aut perpetuum ſimplex beneficium eccleſiaſticum in Parochiali Eccleſia loci de Bondouzillo Abulen. Diœceſis, per liberam reſignationem dilecti filii Antonil de Olarte Archidiaconi de Ledeſma, in Eccleſia Salamantin., de illo, ſeu illa, quod, vel quam tunc obtinebat, per dilectum filinm Gundiſalvum de Baeza Clericum Granaten., procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem prędictam vacaverit, & vacet &c. & ſupradictum. Et ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum modernę Prioriſſę, & Conventus Monaſterii per Prioriſſam gubernari ſoliti, Monialium ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum degentium, Sanctę Catharinę Abulen., Ordinis Sancti Auguſtini, petitio continebat, dictum Monaſterium adeo pauperrimum exiſtat, ut illi proventus pro quamplurimis indigentiis, & neceſſitatibns, ac miſers illius Monialium pro tempore exiſtentium ſuſtentatione, nullatenus ſuppetant, & niſi Prioriſſę, ac Conventui pręfatis diverſorum Chriſti fidelium piis eleemoſynis ſubveniretur, illę profecto ipſum Monaſterium deſerere, & mendicare, ſeu ad alia loca ſe transferre cogerentur, ita quod pro luminaribus Eccleſię pręfati Monaſterii, ubi plures Miſſę celebrantur, & Sacramentum Euchariſtię habetur, convenientibus, Prioriſſę, & Conventus hujuſmodi prędictę ex proventibus Monaſterii hujuſmodi commode providere ullatenus nequeunt, & ſi ad effectum, ut fructus, & proventus ejuſdem preſtimonii, ſeu preſtimonialis portionis, aut beneficii in oleo pro lampadibus, & in alia luminaria inibi

ne-

neceſſaria converterentur, preſtimonium, vel portio, ſeu beneficium hujuſmodi eidem Monaſterio perpetuo uniretur, ex hoc profecto decori, & augmento divini cultus ibidem plurimum conſuleretur, ac neceſſitati, & penurię luminarium hujuſmodi provideretur, pro parte Prioriſſę, & Conventus earundem aſſerentium fructus, & proventus prędictos, ac redditus ipſius preſtimonii, ſeu portionis, aut beneficii ſexdecim ducatos auri de Camera ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut preſtimonium, vel portionem, ſeu beneficium hujuſmodi dicto Monaſterio perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliaſque in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum extimationem prędictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, Prioriſſam, & Conventum prefatas, ac earum ſingulas a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, necnon fructus, redditus, & proventus hujuſmodi Monaſterii verum annuum valorem pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, preſtimonium, ſeu portionem, aut beneficium hujuſmodi, ſive premiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem dicti Antonii, vel cujuſvis alterius, de illo, vel illa, in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus, ſponte factam, aut aſſecutionem alterius beneficii eccleſiaſtici, quavis auctoritate collati, vacet, etſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem eandem legitime devoluta, ac preſtimonium, ſeu portio, aut beneficium hujuſmodi diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter, vel alias generaliter reſervatum, ſeu reſervata, exiſtat, & ſuper eo, vel ea inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, cum annexis hujuſmodi, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat prędictę, ſeu pro tempore exiſtenti dicti Monaſterii Prioriſſę, ac eiſdem Conventui, per ſe, vel alios, corporalem poſſeſſionem preſtimonii, vel portionis, ſeu beneficii, & annexorum, juriumque, & pertinentiarum prędictarum, propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus prędictos in ſuos pro luminaribus hujuſmodi, vel alios ſibi bene viſos uſus convertere, Dięceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia deſuper minime requiſita, ſeu aliquod ſurreptionis, vel obreptionis vitium, aut intentionis defectum ex quavis cauſa contra pręſentes allegari, illaſque alicui ſpeciali, vel generali revocationi per Nos, vel quoſcunque Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros pro tempore faciendę ſubjacere non poſſe, ſed unionem hujuſmodi ſemper durare, & in ſuo validiſſimo robore permanere, ſicque per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon, prout eſt, irritum, & inane &c. attentari. Non obſtantibus omnibus priori noſtra voluntate prędicta, & Lateranen. Concilii noviſſime celebrati, uniones perpetuas niſi in certis exceptis caſibus fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, contrariiſque quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de preſtimoniis, ſeu preſtimonialibus portionibus, aut hujuſmodi ſpeciales, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis, in illis partibus generales pręfatę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, ac proceſſus habitos per eas, ac inde ſecuta quęcunque ad preſtimonium, ſeu portionem, ſeu beneficium hujuſmodi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem preſtimoniorum, vel preſtimonialium portionum, aut beneficiorum aliorum pręjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, ac literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus &c. mentio ſpecialis. Proviſo, quod preſtimonium, vel portio, vel beneficium hujuſmodi debitis propterea non fraudetur obſequiis, ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta, & divinus cultus in dicta Parochiali Eccleſia non minuatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, unionis, annexionis, incorporationis hujuſmodi infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Septimo, Tertio Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto Decimo.

1. *Abulenſi.*) In *Hiſpania*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro III Ad Perpetuam Rei Memoriam fol.* 261.

Bononienſi (1) Cœnobio S. Dominici conceſſa privilegia firmat.

Anno 1547 Die 18 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXIII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Bononien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm a Nobis petitur, quod juſtum eſt, & honeſtum tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates, gratias, conceſſiones, exemptiones, & immunitates a felicis recordationis Eugenio IV, & aliis Romanis Pontificibus, Prędeceſſoribus noſtris, ſive per privilegia, vel alia indulta, vobis, & domui veſtrę conceſſas, necnon libertates, & exemptiones ſecularium exactionum a Regibus, & Principibus, ac aliis Chriſti fidelibus, vobis,

& Domui prefatę, rationabiliter indultas, ſicut eas juſte, & pacifice poſſidetis, vobis, & per vos eidem Domui veſtrę, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio munimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Malliani Portuen. Diœceſis Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Septimo, Quinto decimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto decimo.

1. *Bononien.*) *Juris eſt Provinciæ Lombardiæ.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi pag.103.*

Anno 1548 Die 6 Februarii.

Monaſterio de Villanova (1) beneficium confirmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXIV.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX ſuſcepto Apoſtolicę ſervitutis officio ad ea libenter intendimus, per quę diſpoſitiones Apoſtolicę quibuſvis ſublatis impedimentis ſuum ſortiantur effectum. Dudum ſiquidem pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii Monialium, per Prioriſſam gubernari ſoliti, Sancti Dominici de Villanova prope, & extra muros Portugalen., Ordinis Sancti Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum degentium, Nobis expoſito, quod cum fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii, in quo viginti quinque Moniales, & fere omnes nobiles degebant, & ad quod cariſſima in Chriſto filia noſtra Catharina ab Auſtria Portugallię, & Algarbiorum Regina illuſtris ſingularem gerebat devotionis affectum, eſſent admodum tenues, & exiles, ac Prioriſſa, & Conventus pręfatę ſe, & alias perſonas eidem Monaſterio pro tempore deſervientes, ex fructibus, redditibus, & proventibus prędictis ſuſtentare, & alia onera eis pro tempore incumbentia perferre commode nequirent, quinimmo a conſanguineis, & aliis benevolis, ac benefactoribus ſuis ſubventionem quęrere cogerentur, ſi medietas poſſeſſionum, & bonorum Parochialis Eccleſię, Prioratus nuncupatę Sanctę Marię Pontis de Luna Bracharen. Diœceſis ab eadem Eccleſia diſmembraretur, & ſepararetur, ac illa ſic diſmembrata, ac ſeparata eidem Monaſterio perpetuo applicaretur, & appropriaretur, exinde profecto Prioriſſa, & Conventus pręfatę aliquod ſubventionis auxilium ſuſcepiſſent, ac divinis beneplacitis quietius, & liberius vacare potuiſſent; Nos tam Catharinę Reginę quam Prioriſſę, & Conventus prędictarum ſupplicationibus in ea parte inclinati, medietatem poſſeſſionum, & bonorum hujuſmodi ab eadem Eccleſia per alias noſtras literas (3) diſmembravimus, & ſeparavimus, ac illam ſic diſmembratam, & ſeparatam eidem Monaſterio perpetuo applicavimus, & appropriavimus prout in eiſdem literis, in quibus, quod fructus, redditus, & proventus medietatis poſſeſſionum, & bonorum hujuſmodi triginta ducatos auri de Camera ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum non excedebant expreſſum fuit, plenius continetur. Cum autem ſicut pręfata Catharina Regina ſuo, & earundem Prioriſſę, & Conventus nominibus Nobis nuper exponi fecit a nonnullis aſſeratur, fructus, redditus, & proventus hujuſmodi tempore datę dictarum literarum plus valuiſſe, & valere, licet quadraginta ducatorum ſimilium ſecundum extimationem prędictam valorem annuum non excederent, nec excedant, & propterea, ac etiam pro eo quod in eiſdem literis, quod dicta Eccleſia ad collationem, & proviſionem, ſeu aliam diſpoſitionem Archiepiſcopi Bracharen. pro tempore exiſtentis, ſpectabant, ac de juribus decimalibus ejuſdem Eccleſię, & illi annexorum nulla mentio facta fuiſſet, Catharina Regina, & Prioriſſa, & Conventus pręfatę dubitent, literas ipſas de ſubreptionis vitio notari, ſibique minus utiles reddi, & ſe deſuper moleſtari poſſe tempore procedente; Nos Catharinę Reginę, & Prioriſſę, ac Conventui pręfatis, ne propterea dictarum literarum fruſtrentur effectu, ac dicti Monaſterii indemnitatibus providere volentes, necnon Prioriſſam, & ſingulares perſonas Conventus hujuſmodi a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, earundem Catharinę Reginę, & Prioriſſę, ac Conventus ſupplicationibus in hac parte inclinati, volumus, & Apoſtolica auctoritate eiſdem Catharinę, & Prioriſſę, ac Conventui concedimus, quod literę prędictę cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, clauſulis, & pro illis diſmembratio, ſeparatio, applicatio, & appropriatio, factę prędictę, necnon proceſſus per eaſdem literas habiti, ac inde ſecuta quęcunque, a data pręſentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant ipſiſque Catharinę Reginę, & Prioriſſę ac Conventui ſuffragentur in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi in eiſdem literis, quod fructus, redditus, & proventus hujuſmodi quadraginta ducatorum ſimilium ſecundum eſtimationem pręfatam valorem annuum non excedebant, ac quod dicta Eccleſia ad collationem, proviſionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem Archiepiſcopi hujuſmodi ſpectabat, ac de juribus decimalibus Eccleſię, & annexorum hujuſmodi, expreſſa mentio facta fuiſſet. Non obſtantibus omnibus premiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quę in dictis literis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtre abſolutionis, voluntatis &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Septimo (4), Octavo Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quartodecimo.

1. *De Villanova.*) In *Luſitaniæ* Regno.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XI diverſorum fol.247.*
3. *Literas.*) Quæ deſiderantur.
4. *Septimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXLVIII.*

Sta-

Statuta quædam pro Hiſpalenſi (1) Monaſterio B. Mariæ Virginis de Gratia.

Anno 1548 Die 23 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXV.

Raynutius (3) miſeratione divina titnli S. Angeli Presbyter Cardinalis. Dilectis in Chriſto Prioriſſę, & Monialibus Monaſterii Beatę Virginis Marię de Gratia, Hiſpalen. Tertii Ordinis S. Dominici, Salutem in Domino.

EX injuncto Nobis ab Apoſtolica Sede ſervitutis officio, ad ea libenter intendimus, per quę religioſarum perſonarum, pręſertim fęminei ſexus, ſub ſuavi religionis jugo degentium, & divinis laudibus intentarum, ſtatui, & felici regimini, ſalubriter in Domino conſulatur. Hinc eſt, quod Nos devotis veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Domini Papę, cujus Pęnitentiarię curam gerimus, & de ejus ſpeciali, & expreſſo mandato ſuper hoc vivę vocis oraculo Nobis facto, vobis, ut de dicto Tertio Ordine, ad Ordinem Monialum Profeſſarum ejuſdem S. Dominici vos transferre, & ſub illius regularibus inſtitutis perpetuo Altiſſimo famulari, libere, & licite poſſitis, & valeatis, nec de cetero teneamini, aut obligatę ſitis ad regularem obſervantiam dicti Tertii Ordinis, ſub qua hactenus degiſtis, nec ad contenta in certis literis in forma Brevis, ſub Annulo Piſcatoris ſub die IX Novembris Anno Domini MDXXXV, ad petitionem tunc exiſtentis Prioriſſę, & aliquarum religioſarum, inſimul tunc Prioriſſis, & Conventibus de Bacca, & Zafra Monaſteriorum ejuſdem Ordinis Conventibus, quibus inter cetera ſub excommunicationis pęna mandatur, quod conſtitutiones, & laudabiles conſuetudines dictorum Monaſteriorum penitus obſerventur, & quod retia loquutoriorum, ſint ita cooperta pannis lineis, quod ex parte interiori, non poſſint videre eos, qui fuerint extra, & e contra, & quod nulla perſona regularis, vel ſecularis poſſit ingredi intra clauſuram, etiam ſi ſit de licentia Provincialis Provincię Bęticę ejuſdem Ordinis, cui dicta Monaſteria ſubſunt, niſi ad miniſtrandum Sacramenta ęgrotis, quę eſſent conſtitutę in mortis periculo, vel ad reparandum, vel viſitandum dicta Monaſteria, & alia circa introitum mulierum nobilium propinquarum, & benefactricum, ſed hujuſmodi literę, ex nunc revocatę ſint, & eſſe cenſeantur, cum, ut aſſeritis, literę hujuſmodi per totum veſtrum Conventum petitę non fuerint, ſed tantum Prioriſſa hęc communicavit cum aliquibus paucis religioſis, & ſine conſenſu Conventus, & illo inconſulto petiit, & quamvis illas poſtea acceptaveritis, illę tamen vobis declaratę non fuerint, neque illas tam integraliter, prout nunc intelligitis, intellexiſtis, & ultra ea, ad quę dictę Moniales profeſſę Ordinis S. Dominici tenentur vos omnia veſtra veſtimenta, & lectorum ſuppellectilia, dum bene valueritis, de ſargia, ſeu xerga nuncupata, tenere teneamini, ſolam autem camiſiam, ob nimios iſtarum partium calores, de lino geſtare poſſitis. Quodque horas canonicas, ſeu divinum officium veſtri chori in tono, & non decantatum, quia ita conſueviſtis hactenus, quod, & devotius, & humilius videtur, non autem in cantu dicere, & illę veſtrum, quę bene legere neſciverint, & quę pro tempore ęgrotę, aut aliqua occupatione detentę fuerint, Pater noſter aliquoties dicendo, & recitando, debito horarum canonicarum, & officii divini ſatis faciatis, & retia loquutoriorum adeo pannis lineis cooperta ſint, ut ex parte interiori, qui foris fuerint videri nequeant, & e contra. Communicatorium veſtrum, ſuper quo alias a Sede Apoſtolica pręfata, per literas per officium Sacrę Pęnitentiarię Apoſtolicę expeditas, vobis, ut illud, niſi major pars veſtri Conventus intereſſet, ſub pęna excommunicationis aperiri non poſſe, ſtatuere poſſetis, facultas conceſſa extitit, quod hactenus quia admodum oneroſum viſum fuit, non feciſtis, deinceps niſi ſex ſaltem Monialibus pręſentibus aperiri valeat, & ſi quoad retia, ac Confeſſionaria, vel Communicatoria aliter feceritis, excommunicationis ſententiam incurratis. Inſuperque ut carnibus diebus illis, quibus id Prioriſſę, & matribus conſilii dicti veſtri Monaſterii expedire viſum fuerit, veſci poſſitis. Tandem ad evitandum ſcandala Prioriſſę veſtri Monaſterii electio de cetero non ad vos Moniales, ſed ad Provincialem Provincię Bęticę, aut ſi ille in Provincia non fuerit, ad ejus Vicarium ſpectet, & in electione hujuſmodi talis ordo ſervetur, ut ſcilicet cum Prioriſſę officium vacaverit, id ſubprioriſſa ſtatim dicto Provinciali, vel eo abſente ejus Vicario notum faciat, qui Provincialis, vel Vicarius ad dictum veſtrum Monaſterium veniat, & poſtquam omnes Moniales profeſſas audiverit, omnibus affectione, & odio remotis, ſecundum Deum, & conſcientiam ſuam, illam, quę magis idonea videbitur ad ſervitium Dei, & utilitatem, Prioriſſam eligat, & inſtituat, quę per biennium duret, quę ad aliud tantum biennium, ſi viſum fuerit, non autem ultra, reeligi queat, tenore prędentium, de veſtri Provincialis ſuperioris licentia, ac ipſius ad pręmiſſa omnia expreſſo accedente conſenſu, indulgemus, concedimus, atque decernimus, voſque poſtquam, ut pręmittitur, translatę fueritis a primo dicti Tertii Ordinis regularibus obſervantiis, & pręfatis literis in forma Brevis obtentis penitus abſolventes. Quocirca ven. in Chriſto Patri Dei gratia Epiſcopo Cęſenaten., ad pręſens in Romana Curia reſidenti, & diſcretis viris Curię cauſarum Camerę Apoſtolicę Generali Auditori, ſeu ejus Locumtenenti, ac officiali Hiſpalen., & eorum cuilibet, eiſdem auctoritate, & mandato committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, vobis in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant, vos translatione, indulto, & licentia, ac pręmiſſis omnibus pacifice frui, & inviolabiliter gaudere, non permittentes, vos ſuper pręmiſſis, vel eorum aliquo, per loci ordinarium, aut dicti Ordinis Generalem, Superiores, reformatores, Pręlatos, aut alios quoſcunque tam eccleſiaſticos, quam ſeculares judices, & perſonas alias, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, & quacunque, etiam Pontificali, pręfulgeant dignitate, vel auctoritate, etiam Apoſtolica, fungantur, directe, vel indirecte, tacite, vel expreſſe, publice, vel occulte, quovis quęſito colore, vel ingenio moleſtari, perturbari, aut alias quomodolibet in-

inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis, non obſtantibus prȩmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictorumque Monaſterii, & Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Monaſterio, & Ordini, illorumque Superioribus, & Prȩlatis, ſub quibuſvis verborum formis, clauſuliſque, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, efficacioribus, & inſolitis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam in prȩjudicium prȩſentis, vel diſſimilium indultorum, etiam in forma Brevis, vel alias conceſſis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus, innovatis, etiam Mari magno, Bulla aurea, vel alias nuncupatis. Quibus omnibus, illorum tenores prȩſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cȩteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romȩ apud S. Petrum ſub ſigillo officii Pȩnitentiariȩ, Septimo Kal. Martii, Pontificatus D. Pauli PP. III Anno Quarto Decimo.

1. *Hiſpalen.*) In *Hiſpania Batica*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Hiſpalenſi*.
3. *Ranutius.*) *Farneſius*, cujus meminit *Ciaconius* in *Paulo III*.

Anno 1548 Die 9 Martii.

Tranſlata Moniali de uno ad aliud Monaſterium, bona, quæ reliquit, cum perſona tranſlata (1) cenſentur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXVI.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

SUpra gregem Dominicum Nobis, licet immeritis, divinitus creditum &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſȩ, ac Conventus, ac Annȩ de Soto major, Monialis Monaſterii Monialium Sancti Benedicti Oppidi de Orellana la Vieja Ordinis Fratrum Prȩdicatorum Placentin. Diȩceſis, Provinciȩ Compoſtellan. ſub cura, & regimine dictorum Fratrum exiſtentium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod poſtquam alias ipſa Anna Monaſterium Monialium Sancti Dominici la Real Toletan. dicti Ordinis ingreſſa fuerat, habitum per Moniales Monaſterii Sancti Dominici hujuſmodi geſtari ſolitum ſuſceperat, ac condito prius per eam teſtamento, per quod omnia bona, quȩ ſibi ex legitima patris ſui proveniebant, eidem Monaſterio Sancti Dominici reliquit, & profeſſionem regularem per Moniales Monaſterii Sancti Dominici hujuſmodi emitti ſolitam, emiſerat, cum quadam Thereſia de Meneſes ejus Genitrice poſt Matrimonium, ex quo dicta Anna ſuſcepta fuerat, Monaſterium Monialium Sancti Hieronymi Toletan. Ordinis ejuſdem Sancti Hieronymi ingreſſa fuiſſet, & habitum per Moniales, ipſius Monaſterii Sancti Hieronymi geſtari ſolitum, ſuſcepiſſet, ac profeſſionem regularem per eaſdem Moniales emitti ſolitam expreſſe emiſiſſet, & poſtquam per aliquot annos in eodem Monaſterio Sancti Hieronymi permanſerat, ad dictum Oppidum de Orellana acceſſiſſet, & inibi Monaſterium Sancti Benedicti prȩdictum ſub eodem Ordine Sancti Hieronymi conſtrui feciſſet, ſeu facere incboaſſet, dicta Thereſia in Monaſterio Sancti Benedicti hujuſmodi dictum Ordinem Sancti Hieronymi ſupprimi, & extingui, & in eo Ordinem Fratrum Prȩdicatorum erigi, & inſtitui procuravit, ac Anna de dicto Monaſterio Sancti Dominici ad prȩdictum Monaſterium Sancti Benedicti de licentia ſui Superioris tranſlata alias canonice, & Thereſia prȩdicta ad ipſum Ordinem Fratrum Prȩdicatorum etiam canonice tranſlata fuerit, & ab inde citra dicta Anna ſemper in dicto Monaſterio Sancti Benedicti permanſit, prout etiam permanet de prȩſenti. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, prȩdicta Anna dies ſuos in eodem Monaſterio Sancti Benedicti finire intendat, ac Monaſterium Sancti Dominici prȩdictum, quia perſona tranſlata etiam ipſius perſonȩ bona tranſlata eſſe cenſebantur, bona dictȩ Annȩ ad ejus vitam prȩdicto Monaſterio Sancti Benedicti reſtituere via juris coacta fuerit, & Sancti Dominici ditiſſimum exiſtat, & temporalibus abundet, nec dictȩ Annȩ ad illius ſuſtentationem bonis indigeat, & Sancti Benedicti Monaſteria prȩdicta, pauperrimum ſit, & abſque bonis hujuſmodi ſuſtentari non poſſit, & ipſius Ordinis Fratrum Prȩdicatorum caritas poſtulet, ut Monaſterium pauper, & debile ab alio potenti fraterniter, & propitius coadjuvetur, pro parte earundem Prioriſſȩ, & Conventus, ac Annȩ Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut bona prȩdicta una cum perſona ejuſdem Annȩ ad dictum Monaſterium Sancti Benedicti tranſlata fuiſſe, & eſſe, ac ad illud perpetuo pertinuiſſe, & pertinere, decernere, & declarare, ac alias in prȩmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui tam Monaſteriorum, & religioſorum locorum, quam perſonarum ſub ſuavi religionis jugo Altiſſimo famulantium, ſalubrem profectum, & directionem ſinceris deſideriis exoptamus, & eorum indemnitati, quantum cum Deo poſſumus, conſulimus, teſtamenti, & coactionis hujuſmodi, ac ſcripturarum deſuper confectarum, ipſorumque bonorum ſituationes, confines, qualitates, quantitates, denominationes, vocabula, ac verum annuum valorem prȩſentibus pro expreſſis habentes, ipſaſque Prioriſſam, & Annam, ac ſingulares perſonas Monaſterii Sancti Benedicti hujuſmodi a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ne inter dicta Monaſteria litem, occaſione prȩmiſſorum, oriri contingat, auctoritate Apoſtolica, tenore prȩſentium perpetuo decernimus, & declaramus, omnia, & ſingula bona per ipſam Annam dicto Monaſterio Sancti Dominici, ut prefertur, relicta una cum perſona ejuſdem Annȩ de dicto Monaſterio Sancti Dominici ad prȩfatum Monaſterium Sancti Benedicti tranſlata fuiſſe, & eſſe, ac illa ſic tranſlata etiam poſt obitum dictȩ Annȩ perpetuis futuris temporibus ad dictum Monaſterium Sancti Benedicti pertinuiſſe, & pertinere, ipſumque Monaſterium Sancti Dominici ad illa ulterius agere, vel aſpirare, & ſuper illis Prioriſſam, ac Conventum, & Annam prȩfatas moleſtare, vel inquietare, ſeu

Nota.

ſeu ad judicium trahere non poſſe, ac pręſentes de ſurreptionis, & obreptionis vitio, aut intentionis defectu, & quavis cauſa notari, aut impugnari non poſſe, ſicque per quoſcunque, quavis auctoritate fungentes judices, & perſonas, ſublata eis, & eorum euilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritumquoque, & inane &c. attentari, ac ſuper bonis prędictis dicto Monaſterio Sancti Dominici perpetnum ſilentium imponimus, ac pro potiori cautela ipſa bona eidem Monaſterio Sancti Benedicti, auctoritate Apoſtolica, & tenore pręmiſſis perpetuo concedimus, & aſſignamus. Non obſtantibus pręmiſſis &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Septimo (3), Septimo Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto Decimo. Nota.

1. *Tranſlata.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro IV fol. 1.*

3. *Septimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXLVIII.*

Ut præcedens Conſtitutio executioni mandetur.

Anno 1548 Die 9 Martii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CXVII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Balneoregien., & dilectis filiis Decano Ecclesię Placentin., ac Priori Prioratus de Magazela nullius Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Paulus &c. (2) Quocirca &c. mandamus quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, literas prędictas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Prioriſſę, & Conventus, ac Annę de Soto major Monialis Monaſterii Monialium Sancti Benedicti Oppidi de Orellana la Vieja Ordinis Fratrum Prędicatorum Placentin. Dięceſis Provincię Compoſtellan., ſeu alicujus earum, fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis literas prędictas, & in eis contenta quęcunque firmiter obſervari, ac ſingulos, quos literę ipſę concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eas deſuper per Conventum Monaſterii Sancti Dominici hujuſmodi, ſeu quoſcunque alios contra earundem literarum tenorem quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores &c. Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri &c. ac aliis Apoſtolicis &c. necnon omnibus ſupradictis aut ſi aliquibus &c. mentionem. Datum Romę apud Sanctum Marcum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Septimo (3), Septimo Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Qnarto Decimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro IV fol. 2.*

2. *Paulus &c.*) Ut in præcedenti ad finem uſque.

3. *Septimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDXLVIII.*

Ut Eccleſia S. Mariæ Conſolationis, & domus Villæ Azanelli (1) juris ſint Cremonenſis (2) Cœnobii.

Anno 1548 Die 22 Martii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CXVIII.

NOs Johannes (4) a Toleto, miſeratione divina Sanctę Romanę Eccleſię Presbyter Cardinalis tituli Sancti Clementis Burgenſis nuncupatus, univerſis, & ſingulis pręſentes literas noſtras inſpecturis, lecturis, & audituris notum facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, qualiter Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter, D. Paulus divina providentia Papa III, ad inſtantiam noſtram, auctoritate Apoſtolica confirmavit, & approbavit, ordinationem qnandam factam in Capitulo Provinciali Provincię utriuſque Lombardię Ordinis Fratrum Prędicatorum, in Civitate Vicentina celebrato ſub die octava Maii MDXLVII, quod Eccleſia Sanctę Marię Conſolationis, domus Fratrum dicti Ordinis, ſita in Villa Azanelli, Dięceſis Cremonenſis, ſubjecta pleno jure ſit Conventui Sancti Dominici de Cremona, & gubernetur per ordinarios Pręlatos prędicti Conventus tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus, ſicut & Conventus ipſe Sancti Dominici, juxta formam teſtamenti Domini Philippi de Tinetis Civis Cremonenſis, ex cujus legato conſtructa fuit dicta Eccleſia, & Domus Azanelli, ac etiam dotata, & quod nullo modo prędicta Eccleſia, & domus ullo unquam tempore poſſit a cura prędicti Conventus S. Dominici de Cremona ſeparari abſque expreſſo conſenſu Sedis Apoſtolicę, non obſtante quod alias longo tempore fuerat ſubdita immediate Provinciali antedictę Provincię, & per Provincialem gubernata, aut aliis in contrarium facientibus quibuſcunque. In quorum fidem pręſentes manu propria ſubſcriptas fieri, & per noſtrum ſecretarium ſubſcribi, ſigillique noſtri quo in conſimilibus utimur, juſſimus appenſione muniri. Datum Romę in loco noſtrę ſolitę habitationis, die XXII Martii Anno Domini MDXXXXVIII, Pontificatus vero Sanctiſſimi Domini noſtri Anno Quarto Decimo.

Ita affirmamus, & fidem facimus.
Cardinalis Burgen.

1. *Azanelli.*) Seu *Azzanelli.*

2. *Cremonenſis.*) In Provincia *Lombardia*, ac Ducatu *Mediolanenſi.*

3. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum.

4. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

Oppi-

Anno 1548 Die 27 Aprilis.

CXIX.

Oppitergen. (1) Monaſterii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

DEbitum Paſtoralis officii nobis ex alto commiſſi requirit &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis hominum oppidi Oppitergi, Cencten. (3) Diœceſis, & dilectarum in Chriſto filiarum Angelicę de Federicis, ac Blanchę Coſta, & Valerię de Serravalle, Monialium, ac Flavię de Burſio Novitię Monaſterii Monialium Sancti Pauli Tarviſan. Ordinis Fratrum Prędicatorum, Conventualium nuncupatorum Sedi Apoſtolicę ſubjecti Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum oppidum prędictum inter alia illarum partium oppida plurimum inſigne, & notabile, ac convenienti populo refertum eſſe dignoſcatur, in eoque nullum Monaſterium Monialium, in quo Virgines, & alię mulieres ſub regulari habitu, & odore bonę famę, ac humilitatis ſpiritu gratum Altiſſimo famulatum exhibere cupientes recipi valeant, exiſtat, ipſi Univerſitas pie ducti ad divini cultus, & religionis augmentum in aliquo loco dicti oppidi, ad id condecenti, & idoneo, unum Monaſterium Monialium conſtrui, & ędificari facere, & pręfatę Angela, & Blancha, necnon Valeria, & Flavia, aſſiduis prędictorum Univerſitatis precibus interpellatę, ac piiſſimi operis hujuſmodi fervore accenſę ad Monaſterium ipſum ſe transferre ſummopere deſiderant, ſi eis ad id Sedis Apoſtolicę licentia ſuffragaretur. Quare pro parte earundem Univerſitatis, & Angelę, ac Blanchę, & Valerię, ac Flavię, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Univerſitati in dicto loco unum Monaſterium conſtrui, & ędificari faciendi, ac Angelę, & Blanchę ac Valerię prędictis, ſe ad illud, poſtquam conſtructum fuerit, transferendi, licentiam concedere, ac alias in prœmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui religionis propagationem noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideriis affectamus, pium deſiderium eorundem Univerſitatis plurimum in Domino commendantes, & Angelam, ac Blancam, & Valeriam, ac Flaviam, prędictas, necnon quemlibet ex univerſitate hujuſmodi a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, abſque alicujus prejudicio univerſitati in dicto loco unum Monaſterium Monialium cum eccleſia, campanili humili, campanis, cœmeterio, & clauſtro, dormitorio, & refectorio, hortis, hortalitiis, membris, & aliis officinis neceſſariis, Ordinarii loci, ſeu dilecti filii Rectoris, infra cujus limites locus ipſe exiſtit, aut cujuſvis alterius licentia deſuper non requiſita, conſtrui, & ędificari faciendi, necnon Angelę, & Blanchę, ac Valerię, & Flavię prędictis, poſtquam Monaſterium ipſum conſtructum fuerit, ut pręfertur, cum omnibus, & ſingulis ſuis ſuppellectilibus, lectis, libris, & quoad Angelam, Blancham, uſufructu ſuarum dotium, & melioramentorum per eas in bonis dicti Monaſterii Sancti Pauli forſan factorum, prout illa ad pręſens habent, & percipiunt, quoad vero Flaviam prędictam etiam cum dote per eam dicto Monaſterio Sancti Pauli aſſignata, ac aliis rebus, & ut in ſimilibus translationibus Monialium de jure, vel conſuetudine, aut alias fieri conſuevit, ſuorum ſuperiorum petita licentia, ſe ad Monaſterium de novo erigendum prędictum transferendi, & dum Monaſterium de novo conſtruatur Monaſterium Sancti Pauli hujuſmodi toties quoties viſum fuerit, & ad earum libitum exeundi, & poſtquam ad Monaſterium de novo conſtructum hujuſmodi translatę fuerint, eveniente bello, vel alio ſiniſtro caſu legitimo ab illo diſcedendi, & recedendi, & ad Monaſterium Sancti Pauli hujuſmodi etiam cum ſuppellectilibus, lectis, libris, & uſufructu prędictis redeundi, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam, & facultatem elargimur: & poſtquam Monaſterium conſtruendum hujuſmodi convenienti clauſura munitum fuerit, & Monaſterium Monialium ejuſdem Ordinis Fratrum Prędicatorum obſervantium nuncupatum ſub invocatione Sancti Spiritus pro una Prioriſſa de triennio in triennium in pręſentia Confeſſoris dicti Monaſterii Sancti Spiritus pro tempore exiſtentis eligenda, & tot quot illius facultates ſufficiant Monialibus dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum obſervantium, quę ſub religionis obſervantia dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum obſervantium, ac ſub protectione dictę Sedis, necnon cura unius Confeſſoris ſecularis, vel regularis pro Miſſis celebrandis, & earum confeſſionibus audiendis, ac Sacramentis miniſtrandis duntaxat, in Sacerdotio, & ętate provecta conſtituti, exemplariſque vitę, ac religionis zelatoris, per Prioriſſam, ac majorem partem Monialium Monaſterii recipiendi hujuſmodi ad earum liberum nutum, & prout eis videbitur eligendi, & quoties videbitur amovendi, & loco amoti ſurrogandi, cujus doctrina inſtrui, ac exemplo ędificari, & ad vitam perfectam moneri poſſint, Altiſſimo famulari valeant, auctoritate, & tenore prœmiſſis, ex certa noſtra ſcientia erigimus, & inſtituimus, necnon eiſdem Prioriſſę, & Monialibus pro earum congruenti ſuſtentatione, & alimentis, ut quęcunque bona mobilia, & immobilia, ac ſe moventia, necnon cenſus, redditus, & proventus, ac quęcunque alia ſubſidia, per eoſdem Univerſitatem, & quoſcunque alios Chriſti fideles dicto Monaſterio erigendo pie elargienda, ac eroganda, ac donata, legata, & relicta, in communi retinere, ac in earum, & in eis ſervientium, honeſtos, & neceſſarios uſus convertere, necnon quaſcunque puellas, & mulieres ad erudiendum, &, ſi Moniales effici voluerint, ad in regularibus inſtitutis prędicti ordinis inſtruendum recipere, ac tot quot eis videbitur dicti Monaſterii conſtruendi procuratores, & Syndicos deputare, & eligere, cujuſvis licentia deſuper minime requiſita, & eiſdem Monaſterio, ac Prioriſſę, Monialibus, & perſonis pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, privilegiis, gratiis, conceſſionibus, Indulgentiis, favoribus, & indultis prędicti Sancti Pauli, ac aliis Monaſteriis, & locis dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, illorumque Abbatiſſis, Prioriſſis, & Monialibus, ac perſonis in genere conceſſis, quibus illa, & illę utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate, & tenore prędictis concedimus, & indulgemus, ac eidem erigendo Monaſterio, poſtquam erectum fue-

fuerit, pro illius dote bona illi eroganda, & relinquenda quęcunque, cum erogata, ac relicta fuerint, eiſdem auctoritate, & tenore perpetuo applicamus, & appropriamus. Non obſtantibus &c. quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Octavo, Quinto Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto decimo.

1. *Oppitergen.*) Vulgo *Uderzo*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* *Lib.IV fol.70.*
3. *Ceneten.*) Vulgo *Ceneda* in dominio Veneto.

Anno 1548 Die 27 Aprilis.

Conſtituuntur exequutores præcedentis conſtitutionis.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CXX.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Cęſenaten. & dilectis filiis Johanni Federico de Federicis Canonico Eccleſię Tarviſan. ac Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Ceneten. in ſpiritualibus generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Paulus &c. (2). Quo circa &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, literas prędictas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem Univerſitatis, & Angelę, ac Blanchę, & Valerię, ac Flavię Monaſterii Monialium Sancti Pauli Tarviſan. Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſeu alicujus eorum deſuper fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in prémiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra literas prędictas, & in eis contenta quęcunque firmiter obſervari, ac ſingulos, quos literę ipſe concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes, eos deſuper per quoſcunque contra earundem literarum tenorem quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores &c. non obſtantibus omnibus ſupradictis; Aut ſi aliquibus &c. ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici &c. mentionem. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Octavo, Quinto Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto decimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* *Lib.IV fol.72.*
2. *Paulus &c.*) Ut in praecedenti ad finem uſque.

Anno 1548 Die 31 Octobris.

De Comitiis Hiſpaniæ Provinciæ celebrandis (1) in Beneventano (2) Cœnobio.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

CXXI.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

QUoniam in pacis ſuavitate delectamur exemplo Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti, Regis pacifici, qui regnat in cęlis, cujus vices, quanquam immeriti, in terris gerimus, idcirco ea, quę tranſactione mediante inter quaſcunque pręſertim religioſas, & generis claritate fulgentes perſonas, concorditer terminata ſunt, ut firma perpetuo, & illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adiicimus firmitatem. Sane pro parte dilectorum filiorum Provincialis, & Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię Iſpalen. (4) juxta morem ejuſdem Ordinis, necnon nobilis viri Antonii Pimentel, Comitis de Benavente, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias Provincialis, & Fratres, ac Antonius Comes pręfati, ſub noſtro, & Sedis Apoſtolicę beneplacito convenerant, quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus ſingulo quadriennio Capitula intermedia nuncupata Fratrum Provincię hujuſmodi in Domo Sancti Dominici ejuſdem Ordinis Oppidi de Benavente, Oveten. Diœceſis, & non alibi ſub certis modo, & forma celebraretur, ac ipſe Antonius Comes pro expenſis in dictis Capitulis ſubeundis ducentos pro quolibet capitulo, ac annis ſingulis centum ducatos pro fabrica Domus hujuſmodi aſſignare teneretur, prout in inſtrumento publico deſuper confecto, & de materno hiſpano ſermone in latinum fideliter tranſlato, quod in Cancellaria Apoſtolica diligenter inſpici, & examinari, ac cujus tenorem illius caracteribus, & ſignis omiſſis, de verbo ad verbum prędentibus inſeri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte Provincialis, & Fratrum, ac Antonii Comitis prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eidem conventioni, pro illius ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac alias in prémiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, Provincialem, & Fratres, ac Antonium Comitem pręfatos, & eorum quemlibet a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conventionem prędictam &c. ac prout illam concernunt omnia, & ſingula in dicto inſtrumento contenta, & inde ſecuta quęcunque auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, ſupplentes omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, illaque perpetuę firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari debere, ſicque per quoſcunque, quavis, etiam Regia auctoritate fungentes, judices, & alias perſonas ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, definiri, debere, irritum quoque, & inane &c. attentari, decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, eidem Ordini illiuſque Provinciali pro tempore

Diplomatis cauſa.

exiſ-

exiſtenti, & perſonis, ae quibuſvis aliis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam
derogatoriarium derogatoriis, aliiſque efficacibus, & inſolitis clauſulis, irritantibus, & aliis decretis,
etiam motu proprio, & iteratis vicibus conceſſis, & approbatis, & innovatis, etiamſi in illis, ac ſtatutis
prędictis caveatur expreſſe, quod Capitula illius Ordinis inter prętatos Fratres pro tempore celebranda
nonniſi in certis loco, & tempore, ac ſub modo, & forma inibi expreſſis convocare, aut celebrare, &
deſuper aliqua pacta, aut conventiones, quavis occaſione, vel cauſa conveniri, ſeu contrariari non
poſſint, neque debeant, & ſi pro tempore aliqua pacta, aut conventiones deſuper emanaverint, illa
nullius prorſus roboris, & momenti exiſtant, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatio-
ne de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum,
nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, pręſentibus pro ſufficienter ex-
preſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, harum ſerie, ſpe-
cialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Tenor vero dicti inſtrumenti ſequi-
tur, & eſt talis. In Nomine Domini Amen, per hoc publicum inſtrumentum concordię ſit manifeſtum
omnibus de pręſenti illud viſuris, & audituris, atque in omni tempore mundi in perpetuum, quod Nos
Frater Dominicus de Sancta Cruce, Magiſter in Sancta Theologia Provincialis Provincię Hiſpanię, Or-
dinis Sancti Dominici Prędicatorum, & Frater Petrus de Sancto Luca Prior Sancti Thomę Abulen., Fra-
ter Bartholomęus de Miranda (5) Magiſter in Sancta Theologia, Frater Chriſtophorus de Corduba Prior
Sancti Stephani Salamantin., & Frater Didacus Ruiz Prior Sancti Pauli Valliſoletan., Definitores Ca-
pituli Provincialis, quod prędictus Ordo Sancti Dominici habuit, & habet de pręſenti in dicto Monaſte-
rio Sancti Thomę Abulen., necnon Magiſter Salindo Rector Valliſoletan., Frater Antonius de Sancto Do-
minico (6) Prior Zamoren., Frater Dominicus Calveti, Prior de Tocha de Madrid, pręſentatus.....
Frater Ferdinandus de la Parra, Prior de Carboneras, Frater Dominicus Puertocarrero Prior de
Toro, Frater Gregorius de Poſada Prior Sancti Sebaſtiani, Frater Chriſtophorus de Salamanca, Prior
Toletan., Frater Petrus de Vilbao, Prior Segobieo., Frater Martinus de Azilon Prior della Curuña,
Frater Petrus Berrio, Prior de Medina, Frater Vincentius de Sancta Maria, Prior de Benavente, Fra-
ter Dominicus de Graſal, Prior d' Aſtorga, qui com reliquis Fratribus Sancti Dominici hujus pręfatę
Provincię exiſtimus congregati in hac pręfata Domo Sancti Thomę de Aquino bujus Civitatis Abulen.
pręfati Ordinis Sancti Dominici, ad faciendum Capitulum deputati, prout ſumus, Nos, dicti Definito-
res per totum dictum Capitulnm, & Congregationem pro vocalibus, & definitionibus dicti Capituli, ac
rerum in eo deliberandarom, pront conſtat, & apparet per nominationem, & deputationem
quam de Nobis, & quolibet noſtrum ad prędicta fuit facta, cujus fides vadit hic in comparata
ſignata per Notarium infraſcriptum cujus tenor eſt hic, qui ſubſequitur. Chriſti nomine in-
vocato ſit manifeſtum omnibus pręſentem ſcripturam, fidei, & teſtimonii, viſuris, quod
ego Vincentius de Sancto Andrea d' Avila Notarius publicus auctoritate Apoſtolica, & ordinaria, do, &
facio fidem, quod exiſtens in Monaſterio Domini Sancti Thomę de Aquino extra muros dictę Civitatis
Abulen. die undecima menſis Maii anni Milleſimi quingenteſimi quadrageſimi octavi congregati in ca-
mera Diſſinitorii admodum Reverendi Patres Magiſter Frater Dominicus de Sancta Cruce, Prior Provin-
cialis Provincię Hiſpanię Ordinis prędicti, & Magiſter Frater Bartholomęus de Mitanda, pręſentatus,
Frater Chriſtophorus de Cordoua, Prior Sancti Stephani Salamantin., Frater Petrus de Sancto Luca,
Prior Sancti Thomę Abulen., Frater Didacus Ruiz, Prior Sancti Pauli Valliſoletan. Definitores, & ex-
pedientes negotia pręfatę Provincię, & Religioſis illius convenientia, pro quorum effectu habuerant,
& babebant de pręſenti Religioſi dictę Provincię Capitulum io pręfato Monaſterio Sancti Thomę, prout
de eo fecerint mihi relationem, atque eſt notorium, dixerunt, & declararunt mibi pręſato Notario, prę-
ſentibus teſtibus infraſcriptis, quod pro definiendis negotiis dicti Capituli Religioſi dictę Provincię,
qui ad pręfatum Capitulum venerant, nominaverant, prout habent conſuetudinem, pro Definitoribua
omnium negotiorum dictę Provincię, & Capituli, ioſimul eum dicto Proviociali memoratos Dominos
Fratrem Petrum de Sancto Luca, Priorem Sancti Thomę, & Fratrem Bartholomęum de Miranda, ac Fra-
tremChriſtophorum deCordoua, necnon Fratrem Didacum Ruiz, ac vigore dictę nominationis, & electionis
attendebant expeditioni omnium negotiorum pręfati Ordinis dictę Provincię Hiſpanię, & prędictus Ao-
tonius loco, nomineque Illuſtriſſimi Domini Don Antonii Alfonſi Pimentel, Comitis de Benavente, qui
pręſens aderat, petiit illud in teſtimonium ſignatum a me dicto Notario, quatenus cura, & concordia, &
capitulatio, quę fieri debet in hujuſmodi Capitulo per memoratos Dominos Provincialem, & Definito-
res tangentem dictum Dominum Comitem de Benavente habeat vim, & effectum, utpote facta per perſo-
nas, quę ad id habereot auctoritatem, in teſtibus ad hoc probis dominis Licentiatis Don Alfonſo d' Avila,
& Vincentio Ferdinandi, ac licentiato Franciſco Carlos, incolis Abulen., Frater Dominicus de Sancta
Cruce Prior Provincialis, Frater Bartholomęus de Miranda Definitor, Fr. Chriſtophorus de Corduba De-
finitor, Frater Petrus de Sancto Luca Definitor, Frater Didacus Ruiz Definitor; & ego Vincentius de
Sancto Andrea Abulen. Notarius publicus Apoſtolicus ſupra memoratus preſens interfui pręmiſſis, una
cum dictis teſtibus, ac illa ſcribi feci, prout coram me acta ſunt, eaque vidi hic ſubſcribi a pręfatis Reve-
rendis Patribus Provinciali, & Defioitoribus, quare feci hic bujuſmodi meum ſignum tale in teſtimonium
veritatis, rogatus, & requiſitus: hoc ſignum Crucis erit io cęlo: Vincentius de Sancto Andrea Nota-
rius, & tanquam talis vocatus, ac Definitores noſtro nomine, ac nomine totius dicti Capituli, & Pro-
vincię, qnam repręſentamus, dicimus, quod perquammnltis, & diverſis vicibus fuit tractatum in aliis
Capitulis precedentibus in dicta Provincia babitis, & particulariter in Capitulo habito, & celebrato anno
pręterito Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Quioto de Menſe Septembris in Oppido de Benavente
in Domo Sancti Dominici noſtri Ordinis illic exiſtenti, atque in hoc Capitulo, in quo hic exiſtimus, &
quod celebramns, multis ex vicibus, quibus Nos congregavimus, quod conveniret, & eſſet commodum
dictę Provincię. & Ordini Sancti Dominici in ea reſidenti, nec aliquo modo poſſit Nobis eſſe damnoſum
obligare dictam Provinciam, Proviocialem, & Priores, ac Fratres nunc exiſtentes, ac per omne mundi
tempus

Digitized by Google

tempus in illa reſidentibus, & reſidituris in perpetuum, quod omnia Capitula, quę inter Nos vnlgariter vocamus intermedia, quę non ſunt electiva Provincialis habeantur, & haberi debeant in perpetuum de quadriennio in quadriennium in prefata domo Sancti Dominici noſtri Ordinis, quę in dicto Oppido de Benavente eſt ſita, propterea quod ob id Nobis obtulerit, & dederit, ac dare debeat Illuſtriſſimus Dominus Don Antonius Alfonſi Pimentel Comes de Benavente, ac Illuſtriſſimus Dominus bonę memorię Comes Don Alfonſus, ac Comitiſſa ejus uxor ſui progenitores ducentos ducatos annis ſingulis in perpetuum, quod nunc efficaciter, & in perpetuum, ut pręmiſſa ſic fiant, & ad id efficaciter Nos obligemns Illuſtriſſimus D. Comes Don Antonius Alfonſi, & ejus nomine; ac per ipſius ſufficiens mandatum Antonius Coco, ejus ſervitor ſe Nobis obligavit, quod erunt ſituati, & aſſignati in ſuis redditibus cum facultate Regia omni cum ſecuritate ad noſtram voluntatem, quam volumus, & declaramus ſituari, ad diſpoſitionem, & judicium Prioris Sancti Pauli Valliſoleti, ac Rectoris Sancti Gregorii ejuſdem Oppidi, qui ſunt, vel fuerint, & inſuper dat Nobis pro lectis neceſſariis dictis Capitulis in pręfato Oppido, & Domo habendis, centum, & triginta culcitras ſtramentitias, ac centum, & triginta culcitras, ducenta, & ſexaginta linteamina, ducenta, & ſexaginta cervicalia, centum & triginta lectos, centum & triginta coopertoria, centum & triginta ſtorias, quorum cuſtodia finito quolibet Capitulo fieri debet in Hoſpitali Dominę noſtrę Pietatis, ſito in pręfato Oppido de Benavente, cum conditione tamen, quod ſi contigerit debere eligi in tali Capitulo intermedio Provincialem ex eo, quod vacaverit, quod non propterea dimittatur dictum Capitulum intermedium, & quod illic fiat electio, taliter quod in toto tempore mundi in perpetuum, de qnadriennio in quadriennium debeat fieri, & fiat deinde pręfatum Capitulum in pręfato Oppido de Benavente, ac Domo illius, & quod in quolibet Capitulo tam eorum, quę in dicto Oppido fieri debent, quam quę in tota Provincia fierent in quacunque Domo, & parte illius per totum Capitulum congregatum debeat dici, & dicatur quędam vigilia, & una Miſſa in Cantu prędictis Dominis bonę memorię Comite Don Alfonſo, ac ejus Uxore dotatoribus ſupradictorum, ac pro memorato Domino Comite, & ſucceſſoribus ſuis, & inſuper quod pręfati ducenti ducati cujuslibet anni debent cuſtodiri, & conſervari pro ſumptibus cujuslibet Capituli, tam Provincialis, quam intermedii, & quod ſi contigerit ſupereſſe aliquid de pręfatis ducentis ducatis ita conſervatis, & cuſtoditis, pro ſumptibus dictorum Capitulorum eſſe debeat, ac ſit in perpetuum pro ędificio, & reparationibus dictę Domus Sancti Dominici pręfati Oppidi de Benavente, cui dari debeant, & applicari, ita quod ultra pręfatos ducentos ducatos dabit, & dat memoratus Don Antonius Alfonſi Comes de Benavente centum ducatos annis ſingulis pro ędificio dictę Domus Sancti Dominici pręfati Oppidi de Benavente quouſque finiatur, cum hoc quod prefata Domus debeat exponere, & exponat ex patrimonio ſuo dicti Monaſterii alios ducentos ducatos annis ſingulis quouſque laboretur, & finiatur, & ii quidem exponi debeant ad diſpoſitionem, & cum conſilio pręfati Domini Comitis, vel ſucceſſorum Domus ſuę, vel perſonę exiſtentis in Domo pręfata penes quam, & memoratum Dominum Comitem, aut perſonam per ipſum deputandam deponantur, & debeant manere depoſiti tercentum ducati pro dicto ſumptu, & labore, prout omnia latius exprimentur, & declarabuntur in hujuſmodi ſcriptura inferius, quę omnia cum fuerint tractata multis, & diverſis vicibus tam in Congregationibus Capitularibus per vocales, & Definitores, qui illorum fuerint nobiſcum, quam per Nos Capitulatorum, ac in modo diffinitorio, & extra cum diverſis partibus, ac cum omnibus Fratribus capitulantibus, conſideratis multis, & diverſis rationibus viſum fuit, ac nos reſolvimus multa cum maturitate, & deliberatione, quod obligando Nos ad pręmiſſa, & ad ea, quę inferius continebuntur, dicta Provincia, & Fratres illius, ac pręfata Domus Sancti Dominici de Benavente non ſolum non recipit, nec recipimus damnum, verum quod ſumus, & erit dicta Provincia, Domuſque, ac Fratres pro tempore exiſtentes magnopere meliorati, tam pro eo quod de pręſenti Nobis datur, & offertur, quam quod lucremur, & habeamus pro patrono, & fautore noſtro pręfatum Illuſtriſſimum Dominum Comitem, & eos qui in Domo ſua illi pro tempore ſucceſſerint, de quo facimus magnum capitale, & conſiderationem, & adhuc pręter id confitemur, ac Nobis viſum fuit, quod recipiendo, & cum dentur Nobis pręfati ducentum ducati annis ſingulis duntaxat pro alia quacunque perſona, etiamſi non eſſet tanti valoris, & extimationis, conveniret, & expediret Nobis bene facere dicta Capitula intermedia, ubi vellet talis perſona, quę Nobis daret dictos ducentos ducatos, quoniam cum illis evitamus, ac ſuccurrimus multis neceſſitatibus, quę Nobis offeruntur, & offerentur, cum ſumptibus, quos in quolibet Capitulo oportet fieri, & ſic propter dictas conſiderationes, ac alias vehementiſſimas, & ſufficientes viſum fuit Nobis, & eſt ita quod facere ſupradicta, ac concedere dictam ſcripturam inferius declarandam eſt cum evidenti utile dictę Provincię, Provincialibus, Prioribus, & Fratribus illius, idcirco Nos Frater Dominicus de Sancta Cruce Provincialis in hac dicta Provincia Hiſpanię ante omnia do licentiam, & facultatem pręfato Capitulo in hac Civitate Abulen., ac Monaſterio Sancti Thomę illius, congregato, pręfatiſque Religioſis contentis in capite pręſentis ſcripturę Diffinitoribus, vocalibus, & Prioribus totum pręfatum Capitulum repręſentantibus, ut inſimul nobiſcum ſe obligent ad ſupra, & infra in Scriptura hujuſmodi contenta, atque nos prefati Religioſi Diffinitores, & vocales acceptamus dictam licentiam pręfati admodum Reverendi Patris Domini Provincialis, & ſic acceptamus nos dicti Frater Dominicus de Sancta Cruce Provincialis, & Frater Petrus de Sancto Luca Prior Sancti Thomę Abulen., Frater Bartholomęus de Miranda magiſter in ſacra Theologia, Frater Chriſtophorus de Corduba Prior Sancti Stephani Salamantin., Frater Didacus Ruitz Prior Sancti Pauli Valliſoletan. Definitores Capituli Provincialis quod dictus Ordo Sancti Dominici habuit, & habet de pręſenti in dicto Monaſterio Sancti Thomę Abulen., ac Magiſter Salindo, Rector Valliſoletan., Frater Antonius de Sancto Dominico Prior Zamoren., Frater Dominicus Calveti Prior de Tocha de Madrid Pręſentatus Quintana, Frater Ferdinandus de la Parra Prior de Carboneras, Frater Dominicus Puertocarrero, Prior de Thoro, Frater Gregorius de Poſada, Prior Sancti Sebaſtiani, Frater Chriſtophorus de Salamanca, Prior Toletan., Frater Petrus de Vilbao Prior Segobien., Frater Martinus de Ayl-

Ayllon Prior de la Caruña, Frater Petrus de Borrio, Prior de Medina, Frater Vincentius de Sancta Maria, Prior de Benavente, Frater Dominicus de Talavera . . . Frater Dominicus de Graſal, Prior Attoricen. repręſentantes totum pręfatum Capitulum, pro nobis, ac nomine dicti Capituli dicimus, quod nos obligamus, & ponimus, cum vobis Illuſtriſſimo Domino Don Antonio Alfonſo Pimentel, Comite de Benavente, ac cum dicto Antonio Coco veſtro ſervitore, veſtrum mandatum habente, qui pręſens adeſt, prout conſtitit, per quoddam mandatum quod habebat memorati Domini Comitis ſcriptum in papyro, ac ſignatum per Torribium de Palatios Scribam publicum, incolam de Benavente, conceſſum die ſecunda menſis Maii hujus pręſentis anni, & cum ſucceſſoribus in Domo veſtra, ac in veſtrum, & ſuum favorem, quod a die conceſſionis pręſentis ſcripturę in antea in perpetuum in omni tempore mundi, inceſſanter faciemus, & facient Provincialis, & Priores, Definitores, ac vocales Fratres, qui ſumus, aut erunt in hac Provincia Hiſpanię omnia Capitula, quę in omni tempore fieri debebunt, quę vulgariter inter nos vocamus Intermedia, in veſtro Oppido de Benavente, in Domo, & Monaſterio Sancti Dominici noſtri Ordinis, quę conſuevimus facere, & fieri debent in perpetuum de quadriennio in quadriennium, quodlibet Capitulum vel etiam duobus annis poſt Capitulum ubi Provincialis eligitur, ac eligi debet, & quod non fiet in alia parte, nec aliquo Monaſterio, nec dimittent fieri in pręfato oppido de Benavente, ac in Monaſterio Sancti Dominici illius, & inſuper quod in quolibet Capitulo tam dictorum Intermediorum in pręfato Oppido de Benavente celebrandorum, quam Capitulorum Electionis Provincialis, quę extra dictum Oppidum poterimus facere, ubicunque illa fecerimus, & fient, debeamus, & debeant dicere in perpetuum in omni tempore mundi in quolibet Capitulo Provincialis, & Priores ac Fratres qui ſe congregaverint pro talibus Capitulis unam vigiliam cum ſuo reſponſorio, & unam Miſſam Defunctorum in cantu cum ſuo reſponſorio per totum Capitulum, ut pręfertur, congregatam ponendo in omnibus ceram neceſſariam, ac duodecim fagulas cuidam tumulo magno, quem facient, & inſuper quod in Reſponſorio habeant omnes Fratres candelas cereas accenſas in manibus ſuis pro animabus Illuſtriſſimorum Dominorum Comitis Don Alphonſi, & Comitiſſę Donne Anne de Valaſco, & Herrera, ejus uxoris, progenitorum veſtri memorati Domini Don Antonii Alfonſi Comitis de Benavente, ac pro veſtra veſtrorumque deſcendentium, & pro majori declaratione, & complemento quod pręfata Capitula intermedia fient in dicto oppido de Benavente in pręfata Domo Sancti Dominici de quadriennio in quadriennium, quemadmodum pręmittitur, ponimus, & declaramus, quod ſi pro tempore contigerit vacare Provincialem per obitum aut per promotionem tempore quo fieri debeat Capitulum intermedium quod tale Capitulum intermedinm propter hanc occaſionem, nec propter aliquam aliam, quę contingat, aut contingere poſſit, non dimittetur fieri tale Capitulum Intermedium in pręfato oppido de Benavente, & Domo Sancti Dominici, & quod in tali capitulo eligetur, atque erit electus Provincialis pro eo, qui ſicut pręfertur per obitum, aut promotionem eſſe dimiſerit, atque ita nos obligamus. Propterea quod ſuperius recenſetur memoratus bonę memorię Comes Don Alfonſus, & Comitiſſa ejus uxor, ut ſic faceremus, pręmiſſa dotarunt, & mandarunt dari nobis ducentos Ducatos annis ſingulis in perpetuum, & nunc vos pręfate Illuſtriſſime Domine Don Alfonſe Antoni. Comes de Benavente, & dictus Antonius Coco ſervitor veſter veſtro nomine, ac cum veſtro legitimo mandato, quod eſt illud, de quo ſuperius fit mentio quod erunt ſignati, ſeu dati, & aſſignari in certa forma, prout apparet per quandam ſcripturam publicam quam de ſupradictis, vigore dictę ſcripturę, mandati in ea inſerti, nobis conceſſit hodierna die pręfata coram Franciſco de Nubla Scriba publico de numero dictę Civitatis Abulen., ad quam nos referimus, cum qua, & illius complemento damus nos pro bene contentis, & ſatisfactis, atque traditis ad omnem noſtram voluntatem, & quoniam ultra pręfatos ducentum Ducatos annis ſingulis datis nobis centum, & triginta lectos, & pręparamenta illorum videlicet centum & triginta culcitras ſtramentitias, ac centum & triginta culcitras, ac ducentum, & ſexaginta linteamina, ducenta, & ſeptuaginta cervicalia, ac centum, & triginta copertas flazadas nuncupatas, ac centum, & triginta copertoria, necnon centum, & triginta ſtorias, ac debent exiſtere, & exiſtant depoſita, & cuſtodita in Hoſpitali Dominę noſtrę Pietatis ſito in pręfato Oppido de Benavente, unde per adminiſtratorem dicti Hoſpitalis, in cujus cura eſſe debeant, & dentur pręfati lecti, quos ſic Dominatio veſtra Illuſtriſſima nobis dat, & dare debet, quoties ibitur ad faciendum dictum Capitulum Intermedium in perpetuum, & illo finito debeant reſtitui, ac reſtituantur dicto Adminiſtratori per Priorem, & Conventum dicti Monaſterii Sancti Dominici, & habeat illos in cuſtodiam ac depoſitum in pręfato Hoſpitali, & ita per pręſentes id volumus, convenimus, & nos obligamus, propterea quoniam vos pręfate Illuſtriſſime Domine Comes Don Antoni Alfonſe, ut faciatis dicto Domino noſtro maius ſervitium, ac nobis, & pręfatę noſtrę domui Sancti Dominici ſubventionem. & gratiam, ac eleemoſynam datis, & promittitis nobis annis ſingulis centum Ducatos pro finiendo opere, & labore in pręfata Domo incepto quouſque perficiatur dictus labor, & opus, dummodo Prior nunc, vel pro tempore exiſtens dictę Domus Sancti Dominici pręfati oppidi debeat ponere, & ponat annis ſingulis quouſque ſic finiatur dictus labor ducentos Ducatos, & omnes trecentum ducati, Ducenti videlicet pręfate Domus, & centum, quos vos dictę Illuſtriſſime Domine Comes, datis ut exponantur in dicta Domo ad diſpoſitionem, & judicium Dominationis veſtrę Illuſtriſſime, ac ſucceſſoris, qui in Domo veſtra fuerit, ſive perſonę que per vos aut illum ad id fuerit deputata inſimul cum Priore nunc, vel pro tempore exiſtenti Domus predictę; Et inſuper quod annis ſingulis deponantur, & exiſtant depoſiti ad hunc effectum pręfati trecentum Ducati penes dictum Priorem, ac perſonam per Dominationem veſtram Illuſtriſſimam deputatam inſimul quatenus melius exequatur utilitas dictę Domus, ac veſtra bona, & ſancta intentio pariter, & opus, & inſuper expreſſe, & ſpecialiter nos obligamus, quod pręfata dotatio dictorum Ducentorum Ducatorum, quos vos, memorate Domine Comes, nobis ſituatis, & aſſignatis, conſervabuntur, & cuſtodientur, ut exponantur duntaxat in pręfatis Capitulis intermediis, atque electivis Provincialis, & non in aliquo alio uſu vel commoditate, etiamſi ſit utile, & neceſſarium noſtro Ordini in univerſali, & particulari, aut alio quovis modo, & quod ſi contigerit ſupereſſe de quomodolibet

Capitulo, aut de quocunque ſupererit tam ex intermediis, quam ex electionis Provincialis, aliqua ſumma dictorum ducentorum; etenim perveniunt cuilibet Capitulo quatuorcentum ducati, quoniam quodlibet Capitulum fit de biennio in biennium, unum in Benavente, & aliud in alio loco, & ſic tangunt unumquodque Capitulum quatuorcentum ducati decurſi tempore quo unum celebrabitur, quod ſi dictorum Capitulorum fiet prefata ſumma, quę ſic ſupererit dictorum quadringentorum Ducatorum, quodlibet Capitulum, ut prefertur, tangentium, nos obligamus, & ponimus cum vobis dicto Illuſtriſſimo Domino Comite Don Antonio Alfonſi, ac in veſtrum favorem, & veſtrorum ſucceſſorum, necnon in favorem dicti veſtri oppidi de Benavente, atque in favorem dicti Monaſterii Sancti Dominici prefati oppidi quod talem ſummam ſuperexcedentem dictorum quadringentorum ducatorum cujuslibet Capituli, quę in dictis Capitulis, & eorum ſingulis exponi dimitietur, in parva, vel magna quantitate, aut ea, quę ſuperfuerit, applicabimus, dabimus, & trademus, & ex nunc applicamus pro laboribus, ędificiis, & reparationibus, quę in dicta Domo Sancti Dominici prefati oppidi de Benavente ſunt, aut fuerint neceſſaria, vel utilia tunc, & in omni tempore, & quod tradetur id quod ſupererit Priori prefati Monaſterii, vel futuro in illa, vel adminiſtratori, ſyndico, aut ęconomo dicti Monaſterii, & quod non applicabimus, nec convertemus illam in aliquos alios uſus, etiam quantumcunque utiles, & neceſſarios, nec conſervabimus, aut cuſtodiemus de uno Capitulo ad aliud, niſi quod ſic, prout quodlibet Capitulum fuerit finitum, ponimus, & nos obligamus quod faciemus, & facient Provincialis, vocales, & Diffinitores, qui poſt nos fuerint, computum eorum, quę ſic fuerint expoſita, & quod ſecundum Deum, & noſtras conſcientias, ac eorum, qui poſt nos fuerint, dabimus, & dabunt prefato Monaſterio, Priori, & ęconomo, ſyndico, vel adminiſtratori totum id quod ſic ſupererit in quolibet Capitulo integraliter ſine diminutione aliqua, pro dicto effectu, & quod ſupradicta omnia, & ſingula adimplebuntur, & cuſtodientur inviolabiliter in omni tempore mundi, tam quod dicta Capitula intermedia habebuntur, & celebrabuntur in prefato oppido de Benavente, in dicta Domo Sancti Dominici illius de quadriennio in quadriennium, ſine interpellatione aliqua etiam quod offeratur electio Provincialis in aliquo aliorum Capitulorum intermediorum, quam quod dicta vigilia, & miſſa dicetur, & cantabitur per omnes dictos Fratres, & capitulum, in omnibus capitulis intermediis, & Provincialis electivis: quam quod etiam prefati panni, & lecti quos dictus Illuſtriſſimus Dominus Comes Don Antonius Alfonſi dat finito Capitulo quomodolibet, quod in dicto oppido de Benavente fieri debet de quadriennio in quadriennium, tradentur, & deponentur penes adminiſtratorem dicti Hoſpitalis Dominę noſtrę Pietatis prefati Oppidi de Benavente, ut habeat eos in cuſtodiam, & conſervationem, pro omnibus Capitulis, & non deſerviant, nec accommodentur alteri rei; quam quod nihilominus exponentur annis ſingulis quouſque perfecta ſint labor, & opus prefatę Domus Sancti Dominici de Benavente, ducenti Ducati ex redditibus Domus, & centum quos prefatus Illuſtriſſimus Comes dat ad ſuam quidem diſpoſitionem, vel illius, quem deputaverit, necnon Prioris nunc vel pro tempore exiſtentis domus prefatę, quam ſimiliter quod totum id quod ſupererit ex ſupradictis dictorum ducentorum Ducatorum de expenſis cujuslibet Capituli maneat applicatum, & tradetur prefato Priori, & adminiſtratori Sancti Dominici, prout omnia exiſtunt dicta, & relata latius ſuperius, obligamus noſmetipſos, ac totum Capitulum in hac Civitate conventum, & congregatum, necnon omnia bona, & redditus Domorum, & Monaſteriorum hujus Provincię Hiſpanię noſtri Ordinis, & ſpecialiter obligamus redditus dicti Monaſterii Sancti Dominici de Benavente, non derogando per hujuſmodi ſpecialem obligationem generali, nec e contra, & ponimus cum vobis prefato Illuſtriſſimo Domino Comite Don Antonio Alfonſo Pimentel, & in veſtrum favorem, veſtrorumque progenitorum, & ſucceſſorum, quod ſic in perpetuum inviolabiliter adimplebitur, & cuſtodietur in omnibus, & per omnia totum id quod promittitur quemadmodum ſuperius continetur ſub dicta expreſſa obligatione noſtrarum perſonarum, ac bonorum, & noſtrorum ſucceſſorum, & Domorum hujus Provincię noſtri Ordinis Sancti Dominici, & quod nunc, nec in aliquo tempore non ibimus, nec veniemus contra contenta in hujuſmodi ſcriptura, nec contra partem eorum ex aliqua cauſa, vel ratione, quę offeratur, & offerri poſſit, utili, vel neceſſaria, niſi quod ſemper, & in omni tempore mundi id obſervabimus, & adimplebimus quemadmodum prefertur, & ut majorem veſtrum valorem, & efficaciam habeant contenta in hujuſmodi ſcriptura capitulari, ſic prout concedimus hujuſmodi prefatam ſcripturam, tenore ejuſdem ſupplicamus ſuę ſanctitati, quatenus hanc noſtram obligationem, & conventionem prout hic illam concipimus, in omnibus, & per omnia confirmet, laudet, & approbet, prout, & quemadmodum in illa continetur, propterea quod ſit in utilitatem, & commodum dicti oratoris, & pro illius majori validitate, & corroboratione ad noſtram inſtantiam, & petitionem dignetur concedere, & concedat prefato Illuſtriſſimo Domino Comiti de Benavente, & in veſtrum favorem judicem, aut judices conſervatores, qui per vos, aut veſtro nomine a ſua ſanctitate petentur, quatenus per eos, aut eorum ſingulos poſſimus compelli, aut compellamur ad complementum, & obſervantiam omnium contentorum in hujuſmodi ſcriptura in favorem veſtri dicti Illuſtriſſimi Domini Comitis, ac veſtrum ſucceſſorum utriuſque oppidi, & ſtatus in prefata confirmatione apponantur Nobis pęnę, & cenſurę, ac excommunicationes, & omnia alia graviora, quę de jure nobis apponi poſſint, in quas & earum ſingulas incidamus, & incurramus ipſo facto, quo iverimus, aut venicmus in toto, vel in parte contra contenta in hujuſmodi ſcriptura, per Nos, alios, & quemlibet noſtrum, & noſtros ſucceſſores, ac conceſſa, vel non conceſſa prefata confirmatione per hanc preſentem ſcripturam Nos ſupradicti omnes Provinciales, vocales, & Definitores, ac Priores ſuperius declarati concedentes tradimus poteſtatem, & facultatem ſuę ſanctitati, ac omnibus judicibus ſuę Sanctę Eccleſię, & conſervatoribus, aut ordinariis, quibus Nos ſubmittimus, & totum prefatum noſtrum Ordinem, quatenus per omnia remedia, & rigores juris, ac cenſuras magis rigoroſas nos compellant, & conſtringant ad adimplendum, obſervandum, & obtemperandum, & habendum pro firmo totum id, quod premittitur, & tradimus poteſtatem dicto Domino Comiti de Benavente, ut perſona, vel perſonę, quam ſua dominatio nominaverit, & deputaverit, & cui tradiderit, veſtro nomine im-

impetret, & expediat Breve ſuę Sanctitatis pro confirmatione ſupradictorum, & pręſentet illud judicibus, quibus committitur, & tradat informationem, ac faciat diligentias neceſſarias, ac conſentiat approbationi per memoratos judices factę de hujuſmodi ſcriptura, quibus omnibus Nos ex nunc conſentimus perinde ac ſi, ſuper eis eſſet data ſententia per judicem competentem in contradictorio judicio, & ita eſſet declaratum, ac per Nos conceſſum, & obſervatum, ſuper quibus renunciamus, & amovemus a Nobis, & a noſtro favore, & auxilio, pręfatique noſtri Ordinis, & Fratrum illius, omnes, & ſingulas leges, foros, jura, & ordinationes, ſcripta vel non ſcripta, quę poſſent, aut quibus poſſemus Nobis prodeſſe, quatenus Nobis minime ſuffragentur ad dimittendum adimplere, & obſervare omnia pręmiſſa, & ſpecialiter renunciamus, legi, & juri dicenti, quod generalis renunciatio legum facta non valeat, & pariformiter Nos pręfati omnes ſupradicti Provincialis, Priores, & Definitores ſuperius declarati, & concedentes, dicimus, quod pro majori firmitate, & validitate hujus pręfatę ſcripturę, & ut contenta in illa adimpleantur, & obſerventur, habeatque pleniorem, & veriorem effectum, prout in illa continetur, pro Nobis, atque nomine omnium Fratrum Priorum totius dicti noſtri Ordinis juramus Deum, & Sanctam Mariam, ac ſuper ſigno Crucis, apponendo manus dexteras noſtris pectoribus, necnon per ordinem, quem habemus, ac ad verba Sanctorum Evangeliorum ubicunque latius deſcribuntur, quod nunc, & in omni tempore mundi, adimplebimus, obſervabimus, & habebimus pro firma, & valida hujuſmodi pręfatam ſcripturam, & totum id, quod in ea continetur, & quod non ibimus, neque veniemus contra illam, vel illius partem nunc, nec tempore aliquo, cauſa, vel occaſione, & quę de jure Nobis competeret, ac eſſet talis, quod poſſemus contravenire hujuſmodi ſcripturę, & contentis in illa, nec allegabimus dolum, fraudem, deceptionem, neque lęſionem, aut quod proveniat Nobis magnum damnum, propter conceſſionem ſcripturę hujuſmodi, & contentorum in eadem, minuſque peteremus aliquod beneficium reſtitutionis in integrum, neque alias, nec dicemus, aut allegabimus correctionem, nec defenſionem aliquam quantumcunque juſta ſit, unde contenta in ſcriptura hujuſmodi ceſſent habere effectum, quoniam ab omnibus recedimus, & illis renunciamus in favorem memorati Domini Comitis, ſemper enim voluimus hujuſmodi ſcripturam, & contenta in illa valere, & obtinere plenarium effectum, & ſi id ſic fecerimus, quod Deus Dominus noſter, qui in omnibus eſt potens, Nos adjuvet, & ſubveniat Nobis, alias ipſe a Nobis id exigat male, & care, & ad vim, & confuſionem dicti juramenti dicimus quilibet de per ſe ita id juramus, & amen., & ſub onere pręfati juramenti Nos obligamus non petere, & quod non petemus abſolutionem, nec relaxationem hujuſmodi pręfati juramenti a Sanctiſſimo Domino noſtro Papa, Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, nec alio Pręlato, nec judice habente poteſtatem illud relaxandi, & ab eo abſolvendi, & caſu, quo illam petamus, & Nobis relaxetur ad petitionem noſtram, vel proprio motu, vel alias, quod non utemur tali abſolutione, nec relaxatione, & quod ſit ad effectum agendi duntaxat, nec alias, & quod licet Nobis relaxetur hujuſmodi pręfatum juramentum tam a principali, quam de non petendo relaxationem, quod non utemur re aliqua, & etiam ſi in tali relaxatione veniet inſertum hujuſmodi inſtrumentum de verbo ad verbum, & quod toties quoties iverimus, aut tentaverimus ire contra hujuſmodi juramentum toties intelligatur factum, & de novo confirmatum, ſuper quo renunciamus, & amovemus a Nobis, & noſtro favore, & auxilio, ac dicti noſtri Ordinis, omnia, & ſingula, Bullas, Brevia, gratias, & indulgentias, atque alia ſtatuta, quę in noſtrum favorem, & pręfati Ordinis ſunt, aut fuerint conceſſa, & in poſterum concedentur per Summos Pontifices, ut Nobis non valeant. In quorum teſtimonium concedimus hoc pręſens publicum inſtrumentum forma, & modo pręmiſſis coram Notario publico Apoſtolico, & teſtibus infraſcriptis, quod fuit factum, & conceſſum in dicto Monaſterio Sancti Thomę de Aquino pręfatę Civitatis Abulen. ubi exiſtimus congregati ad faciendum Capitulum, & ſpecialiter ad concedendum hujusmodi pręſens inſtrumentum die undecima Menſis Maii Anno a Nativitate Noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Octavo, & protinus ego dictus Antonius Coco ſervitor memorati Illuſtriſſimi Domini Comitis de Benavente nomine ſuo, vigore dicti mandati, quod ab illo habeo ſignatum per ſcribam publicum, de quo ſuperius fit mentio, & utendo illo, dico quod accepto hujuſmodi ſcripturam ſuperius factam, & conceſſam per dictos Patres Provincialem, Priores, & Definitores ſuperius declaratos prout, & quemadmodum in illa continetur cum omnibus vinculis, firmitatibus, aliis conſtitutionibus, pęnis, conditionibus, & gravaminibus contentis in illa ſuperius, & peto illud in teſtimonium ſignatum a pręſenti Notario, ac ſubſcripſi illud meo nomine, quam quidem acceptationem facio, prout & quemadmodum pręfato Illuſtriſſimo Domino Comiti ſit magis conveniens, & utilis, & ſubſcripſerunt illud ſuis nominibus memorati Domini Provincialis, Priores, & Definitores concedentes hujuſmodi ſcripturam in Regiſtro illius, pręſentibus teſtibus conceſſioni ſcripturę hujuſmodi, & omnium contentorum in eadem, quę fuerunt lecta de verbo ad verbum in ſua pręſentia Dominis licentiatis Don Alfonſo de Avila, & Vincentio Ferdinandi, ac licentiato Carolo, & Petro de Moralis incolis pręfatę Civitatis Abulen., & ego Vincentius de Sancto Andrea de Avila Notarius publicus auctoritatibus Apoſtolica, & ordinaria pręſens interſui univerſis pręmiſſis una cum dictis teſtibus, illaque ſcribi feci, & ſcripſi prout coram me acta ſunt pro dicto Illuſtriſſimo Domino Comite de Benavente, & do fidem quod manet totidem aliud in meo Regiſtro ſubſcriptum per dictos Reverendos Patres Provincialem, & Definitores, ac Priores ſuperius declaratos dicti Ordinis Sancti Dominici Provincię Hiſpanię, quod quidem vadit ſcriptum in novem foliis cum hoc in quo vadit meum ſignum, & in fine cujuslibet pagine vadit mea rubrica conſueta, & propterea feci hic hujuſmodi meum ſignum tale in teſtimonium veritatis rogatus, & requiſitus Vincentius de Sancto Andrea Notarius; hoc ſignum Crucis erit in cęlo. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, decreti, & derogationis &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Octavo, Pridie Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto Decimo.

1. *Celebrandis.*) Conſulenda Conſtitutio XXIII data XXIII Octobris *MDXXXVI*.

2. *Beneventano.*) Vulgo *Benavente*, in *Hiſpania*.

3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro*

bro III Ad Perpetuam Rei Memoriam fol. 326.

4. *Iſpalen.*) *Hiſp..len.*

5. *Bartholomæus de Miranda.*) Sic a patria dictus eſt *Bartholomæus de Carranza*, vir eruditione clarus, de quo conſulendi Scriptores, quos laudat *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDLXXVI pag. 236 &c.*

6. *Antonius de S. Dominico.*) Ætate ſua clariſſimus, cujus cum laude meminerunt auctores, quos citat *Echard Tomo II Scriptorum Ord. ad an. MDLXXIX pag. 251.*

Anno 1548 Die 31 Octobris.

Conſervatores creat qui præcedens Diploma ſervandum curent.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CXXII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Balneoregien., ac dilectis filiis Abbati Monaſterii de Vogalis Ordinis Ciſtercien. Aſtoricen., ac Decano Salamantin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie certam conventionem inter dilectos filios Provincialem, & Fratres Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Hiſpaniarum juxta morem dicti Ordinis, & nobilem virum Antonium Pimentel, Comitem de Benavente, ſuper certis tunc expreſſis rebus initam confirmavimus, & approbavimus, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur; Quo circa &c. mandamus quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę literę vobis pręſentatę fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios literas prędictas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Provincialis, & Fratrum, ac Antonii Comitis prędicti, ſeu alicujus eorum deſuper fueritis requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis prędidio aſſiſtentes, faciatis, auctoritate noſtra conventionem, & literas, ac in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, ac ſingulos, quos literę ipſę concernunt, illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcunque quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores &c. compellendo. Invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus omnibus &c. non obſtare, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Octavo, pridie Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quartodecimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro III Ad Perpetuam Rei Memoriam fol.* 332.

Anno 1549 Die 8 Novembris.

Valliſoletan. S. Philippi, & Hiſpalen. Nominis Jeſu Monaſteriorum (1) curam committit Fratribus Ordinis Prædicatorum.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXXIII.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

CUm ex corpore, & anima conſtet homo, & nobilitate ſubjecti actionis nobilitas menſuretur, Chriſtuſque Salvator noſter, teſtatus fuerit, gaudium eſſe in cęlo majus ſuper uno peccatore pęnitentiam agente, quam ſupra nonaginta novem juſtis, qui non indigent pęnitentia, manifeſte apparet Monaſteria Monialium, in quibus mulieres, carnis libidini, & licentioſę vitę antea aſſuetę, caritative recipiuntur, ac in viam Domini diriguntur, illarumque, & illas ſervientium animabus, cui ęterna ſalus paratur, tanto pauperum Hoſpitalia, in quibus Chriſti pauperes hoſpitantur, infirmi curantur, eſurientes cibantur, nudi cooperiuntur, & alia vitę ſubſidia miniſtrantur, necnon etiam aliarum ſanctimonialium loca excellere, quanto anima corpus, & perpetua tranſitoria, ac cęleſtia terrena, & ſpiritualia corporalia, quantoque millenarius numerus denarium numerum, antecellunt, unde Nos, qui regimini univerſalis Eccleſię, meritis licet imparibus, diſponente Domino, pręſidemus, circa Monaſteriorum mulierum hujuſmodi ſtatum ſalubriter, & proſpere dirigendum, prout ex debito Nobis imminente paſtoralis officii tenemur, paternę conſiderationis intuitum libenter convertimus, & ad ea, quę animarum ſaluti profutura conſpicimus, operoſis ſtudiis favorabiliter intendimus, ac Chriſti fideles ad id indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, ut exinde divinę gratię reddantur aptiores &c. Dudum ſiquidem pro parte dilectorum filiorum univerſitatis hominum Oppidi Valliſoleti, Palentin. Dięceſis, & nonnullarum aliarum perſonarum particularium locorum, eidem Oppido vicinorum, Nobis expoſito, quod alias ipſi, conſiderantes, quod in partibus illis nulla eſſet domus, ad quam impudicę mulieres, quę vitam inhoneſtam duxerunt, & divina inſpirante gratia ad Deum converſę, & vitam ipſam relinquere cupientes, ſe recipere, & perpetuo Altiſſimo famulari, ac dies ſuos finire poſſent, ac propterea ipſi, cupientes eiſdem mulieribus in pręmiſſis opportune providere, ex piis Chriſti fidelium eleemoſynis, unam domum cum Eccleſia ſub invocatione Sancti Philippi in eodem Oppido, & loco ad id condecenti, pro uſu, & habitatione ſimilium mulierum, ut prefertur, pro tempore convertendarum ad inſtar domus Sanctę Marię Magdalenę de Urbe, olim ad hujuſmodi effectum fundatę, decentibus fundamentis, & clauſura, ad laudem Omnipotentis Dei, conſtrui, & ędificari facere inceperant, ac in Domo hujuſmodi tunc certę mulieres, quę licet eatenus aliquem Ordinem profeſſę, aut alicui ſubjectę non fuiſſent, ad inſtar tamen Religioſarum ſub eadem clauſura degebant, inibi introductę reperiebantur, & ſi domus prędicta, cum conſtructa foret, pro uſu, & habitatione talium mulierum, quę inibi ad inſtar mulierum convertitarum nuncupatarum domus Sanctę Marię hujuſmodi includerentur, & viverent, perpetuo concederetur, & aſſignaretur, profecto divino cultui cum ſalute animarum ſimilium miſerabilium perſonarum pro tempore pęnitentium, ac devotioni univerſitatis, & aliarum perſonarum prędictarum opportune conſuleretur,

Diplomatis cauſa.

Nos,

Nos, eorundem univerſitatis, & aliarum perſonarum ſupplicationibus in ea parte inclinati, eiſdem univerſitati, & perſonis domum ſub invocatione Sancti Philippi hujuſmodi, in qua jam introductę perſonę, & impudicę mulieres pro tempore converſę ſe recipere, ac Altiſſimo famulari, poſſent, ad debitam perfectionem, cum parvis Eccleſia, Sacrario, campana, campanili humili, cęmeterio, refectorio, dormitorio, horto, ſeu hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione earundem mulierum, ad inſtar domus Sanctę Marię Magdalenę hujuſmodi, conſtruendi, licentiam, & facultatem conceſſimus, ac domum prędictam poſtquam perfecta foret, pręfatis mulieribus pro earum perpetuis uſu, & habitatione, ac receptione perpetua, perpetuo conceſſimus, & aſſignavimus, necnon eandem domum, necnon mulieres in ea pro tempore receptas, curę, regimini, & adminiſtrationi Fratrum Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum ſub obedientia Magiſtri Generalis Fratrum Prędicatorum, Ordinis hujuſmodi viventes, necnon Vicarii per univerſitatem, & perſonas prędictas nominandi, & eligendi ſubmiſimus, & ab omni juriſdictione, & ſuperioritate tam ordinarii loci, quam cujuſvis alterius liberavimus, & ut Domus Sancti Philippi prędicta certius conſervaretur, eoſdem univerſitatem, & perſonas in illius protectores, & defenſores conſtituimus, & deputavimus, eiſque, ſeu perſonis per eos, ac dictum Vicarium, deputandos, ut eleemoſynas inibi pro tempore erogatas in uſus Domus Sancti Philippi, & mulierum prędictarum exponere, & diſpenſare, necnon ut quęcunque ſtatuta, & ordinationes domum etiam Sancti Philippi prędictam, & mulieres pro tempore converſas, earumque Capellanum, ſeu Capellanos, ſervitores, ſervitrices, & bona quęcunque concernentia, condere, & condita, prout qualitas temporum exigeret, reformare, & mutare, ac alia de novo condere, quę poſtquam condita forent, ut pręfertur, eo ipſo confirmata, & approbata forent, & eſſe cenſerentur, ac mulieribus pręfatis, ut Capellanum, ſeu Capellanos, & Confeſſores idoneos per pręfatum Vicarium conſtituendos, & deputandos, ac ad ejus nutum ponendos, & amovendos, qui Miſſas in dicta Eccleſia celebrarent, & Confeſſiones pręfatarum mulierum, & eis ſervientium, in ipſa perficienda domo, etiam in feſto Paſchatis audirent, & eccleſiaſtica Sacramenta eis miniſtrarent, ac eas a contentis in literis in die Cęnę Domini legi conſuetis in mortis articulo, ac ab aliis quibuſcunque caſibus, de quibus corde contritę, & orę confeſſę forent, tam in vita, quam eodem mortis articulo abſolverent, ac earum cadavera in dicta Eccleſia, ſeu cęmeterio eccleſiaſticę traderent ſepulturę, ipſius ordinarii loci, aut Rectoris alicujus Parochialis Eccleſię, ſeu cujuſvis alterius licentia, ſeu conſenſu, deſuper minime requiſitis, habere libere, & licite valerent, ac, ut animarum ſaluti per amplius conſuleretur, eiſdem mulieribus pro tempore converſis, & illis ſervientibus, ac Vicario, necnon univerſitati, & perſonis, ac quibuſvis aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ſeu ſtatutis a jure temporibus confitendi propoſitum habentibus, qui in feſto ejuſdem Sancti Philippi a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis ipſius diei, Eccleſiam prędictam devote viſitaverint, & quinquies orationem Dominicam, ac toties ſalutationem Angelicam, Deum pro pęnitentia, & obſervantia ipſarum mulierum pro tempore converſarum, exorando, necnon qui in Oppido pręfato, ac Civitate, & dicta Diœceſi Palentin. ob infirmitatem, vel aliquod aliud juſtum impedimentum ad dictam Eccleſiam dicta die accedere nequeuntes, ter orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam, ut pręfertur, recitarent, Plenariam omnium peccatorum ſuorum, qui vero eandem Eccleſiam in Nativitatis, & Reſurrectionis, ac Aſcenſionis, & Pentecoſtes Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Aſſumptionis Beatę Marię feſtivitatibus, ſimiliter a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis ſingularum feſtivitatum hujuſmodi, etiam devote viſitarent annuatim, & orationem, & ſalutationem prędictas, ut pręfertur recitarent, quoties id facerent, viginti quinque annorum, & totidem quadragenarum, de injunctis eis pęnitentiis, necnon mulieribus converſis, & in eadem domo Sancti Philippi concluſis, tam profeſſis, quam profitendi firmum propoſitum habentibus, quę quadrageſimalibus, & aliis anni temporibus, & diebus ſtationum Eccleſiarum dictę Urbis, & extra muros ejus, in Eccleſia domus pręficiendę hujuſmodi ter orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam prędictas recitarent, omnes & ſingulas Chriſti fidelibus Eccleſias Urbis, & extra muros hujuſmodi ſingulis prędictis Stationum diebus, perſonaliter viſitantibus, conceſſas, indulgentias, & peccatorum remiſſiones, conceſſimus, & elargiti ſumus. Et inſuper, ne mulieres pro tempore converſę, & Deo adhęrere volentes, in poſterum loco, in quo ſe recipere poſſent, deſtituerentur, pro perpetuis futuris temporibus dicta domus mulierum peccatricum, quę dimiſſa peccati vetuſtate divinis officiis ſe coaptare voluerint, & pro illis recipiendis, & confovendis, earumque uſu, & habitatione perpetuo deputata eſſet, & eſſe cenſeretur, quodque ſub excommunicationis latę ſententię pęna, per contrafacientes eo ipſo incurrenda, a qua nonniſi a Romano Pontifice pro tempore exiſtente, prętęrquam in mortis articulo, abſolutionis beneficium obtinere poſſent, in eadem pręficienda domo, & pro cuſtodia ad vitam, aut ad tempus, alię mulieres, quam illę, quę incontinentia carnali laborarent, & dimiſſa incontinentia ad ſuaviſſimum Chriſti jugum redire vellent, & quę deformes notabili deformitate, aut infirmę, ſeu ſerius converſę forent, ſuper quo judicio, & arbitrio ipſorum Univerſitatis, & hominum, ſeu ab eis deputatorum, ac Vicarii, pręfatorum ſtaretur, admitti non poſſent, ac quod nullus vir, nullaque mulier, cujuſcunque ſtatus, gradus, dignitatis, & pręeminentię forent, etiam ipſarum pro tempore converſarum affines, & parentes, ſub ſimilis excommunicationis pęna, dictam perficiendam Domum ingredi, aut cum illis colloquium, voce, vel ſcriptura, aut alias quomodocunque habere poſſent, abſque expreſſa licentia ipſorum Univerſitatis, & Vicarii, ſeu illarum perſonarum per ipſos Univerſitatem ad id deputandarum; quodque nulli per ſe, vel alium, ſeu alios quovis quęſito colore, vel ingenio, ſub ſimili pęna, dictas mulieres pro tempore converſas poſt ingreſſum ipſius Domus moleſtare, inquietare, vel vexare, aut a ſancto propoſito revocare, vel detinere, quoquomodo pręſumerent, ſtatuimus, & ordinavimus, per alias noſtras literas, prout in illis plenius continetur. Cum autem ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Philippi (3) Hiſpaniarum Principis, & dilectę in Chriſto filię nobilis mulieris Annę D'Aragon, Duciſſę de Medina Sidonia (4), petitio continebat, Domus Sancti Philippi conſtructa, in illaque plures incontinentes mulieres, a turpi, & inhoneſta vita

vita recedere, ac caſte vivendo grstum Altiſſimo famulatum exhibere volentes, receptę fuerint, & quotidie recipiantur, ac caritative trsctentur, & alias nonnulli Chriſti fideles idem ſimiliter zelantes, & conſiderantes, quod in Civitate Iſpalen., pro tempore Regi Hiſpaniarum ſubjecta, nulla exiſtebst Domus, ad quam mulieres prędictę ſe recipere, & inibi Altiſſimo famulari, ac dies ſuos finire poſſent, & propterea cupientes eiſdem mulieribus in pręmiſſis opportune provideri in domibus, quę olim de Theba, & deinde del Caſtellst, tunc Comitum, fuerunt in vis Regia nuncupata, ex duabus juxta apotbecas dilecti filii nobilis viri moderni Comitis del Caſtellat, ex alia vero earundem Domorum partibus, juxta receptaculum antiquum, recibimentum nuncupatum, Domorum dicti Comitis de Thebs, infra limites Parochię Parochialis Eeeleſię Sancti Vincentii ejuſdem Civitatis ſitis, & ad dilectos filios Petrum de Corduba, Concionatorem, & in Theologia Magiſtrum, natum dilecti filii nobilis viri Ludovici etiam de Corduba Domini in temporalibus loci de Gusdaleseſr, & Antonium Hieronymum Montalian, juratum dictę Civitatis, pertinentibus, unam Domum ſub invocatione Nominis Jeſu pro uſu, & habitatione ſimilium mulierum, ut pręfertur, convertendárum ad laudem omnipotentis Dei, tam eorum, quam ejuſdem Annę Duciſſę opera, & eleemoſynis, de ipſorum Petri, & Antonii conſenſu, conſtrui, & ędificari facere inceperint, pro parte Philippi Principis, & Annę Duciſſę, aſſerentium ad ipſam Domum nominis Jeſu ſingularem gerere devotionis affectum, Nobis fuit bumiliter ſupplicatum, ut eiſdem Chriſti fidelibus Domum Nominis Jeſu hujuſmodi ad debitam perfectionem cum Eeeleſia, Saerario, campanis, campanili, cęmeterio, refectorio, dormitorio, hortis, bortalitiis, pro uſn, & babitatione earundem mulierum pro tempore converſarum dednci faciendi, licentiam, & facultatem concedere, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtoliea dignsremur. Nos igitur, qui perſonis quibuslibet pręſertim fęminei fexus, fragilitati ſubditis, ut gratum altiſſimo famulatum exhibere poſſint, Apoſtolici favoris pręſidium libenter impendimus, Philippum Principem, & Annam Duciſſam, pręfatos, & eorum quemlibet, a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, necnon dictarum literarum veriorem tenorem pręſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſuppliestionibus inelinati, eiſdem Chriſti fidelibus, quod Domum Nominis Jeſu hujuſmodi prędictis ineontinentibus mulieribus, quę omnibus, & ſingulis privilegiis immunitatibus, exemptionibus, gratiis, favoribus, Indulgentiis, & indultis quibus Domus Sancti Philippi hujuſmodi, illiuſque mulieres converſę utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, & quoad Indulgentism viſitantibus in feſto Sancti Philippi Eeeleſism Sancti Philippi hujuſmodi conceſſam in feſto Nominis Jeſu, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, cum eccleſia, ſaerario, eampanili, campanis, cęmeterio, refectorio, dormitorio, hortis, hortslitiis, pro uſu, & habitatione earundem mulierum pro tempore converſarum, & inibi ſe recipere volentium, ad inſtar Domus Sancti Philippi hujuſmodi, Dięceſani loci, ſeu Rectoris Parochialis Eccleſię, infra cujus limites Domus Nominis Jeſu bujuſmodi forſsn exiſtit, aut cujuſvis licentis deſuper minime requiſita, ſine tamen illorum prejudicio, ad debitam perfectionem deducere libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam concedimus, & facultatem; necnon Petrum, & Antonium, pręfatos, ac dilectum filium Antonium d' Aguilera curam del Sagrario in Eccleſia Iſpslen. in Adminiſtratores Domus Nominis Jeſu hujuſmodi, necnon pro tempore exiſtentes Ducem de Medins Sidonia, & Canonieum pulpiti Prędicationis nuncupatum dictę Eccleſię Iſpalen., ac Priorem (5) Monaſterii per Priorem regi ſoliti Sancti Hieronymi extra, & prope muros Iſpalen. Ordinis ejuſdem Sancti Hieronymi, & prefatam Annam Duciſſam in ipſius Domus Nominis Jeſu, illiuſque Vicariorum, Adminiſtratorum, officialium, & perſonarum patronos, defenſores, protectores, & viſitatores, auctoritste, & tenore pręmiſſis conſtituimus, & deputamus, necnon Domum Nominis Jeſu hujuſmodi, & mulieres in ea pro tempore receptas, curę, regimini, & sdminiſtrationi adminiſtratorum prędictorum eiſdem suctoritste, & tenore ſubmittimus, & ab omni juriſdictione, & ſuperioritate, tam Ordinarii loci, quam cujuſvis alterius liberamus, ac Petro, & Antonio d' Aguilera, ut quoſcunque villicos, ſeu ęconomos, ac alios utriuſque ſexus Officiales pro Domus nominis Jeſu hujuſmodi felici regimine neceſſarios, ad eorum liberum nutum amovibiles, nominare, & ponere, ac Duci, & Anne Duciſſę, necnon Canonico, & Priori pręfstis ut ipſi, aut eorum msjor pars poſt Adminiſtratorum predictorum, ac cujuslibet eorum obitum, alios in Domus Nominis Jeſu hujuſmodi Adminiſtratores cum ſimili, aut limitsta facultate, & auctoritste ęconomos, villicos, & officiales Domus bujuſmodi nominandi, & ponendi, nominare, & ponere, poterunt, ac Petro, & Antonio, Hieronymo, ac Antonio de Aguilars prędictis, eorumque in sdminiſtratione Domus Nominis Jeſu hujuſmodi ſucceſſoribus, pro tempore exiſtentibus, ut quęcunque ſtatuts, conſtitutiones, ordinationes, & decreta licita, & boneſta, felicem ſucceſſum Domus Nominis Jeſu hujuſmodi, ac illius bonorum, & perſonarum coneernentia, quomodo, & quando eis videbitnr, condere, & condits, prout qualitas temporum exegerit, reformare, mutare, corrigere, augere, diminuere, & alia de novo faeere, quę poſtquam condita, mutata, aucta, & diminuta fuerint dicta anctorita confirmata, & approbata ſint, & eſſe cenſeantur, ae in eorum tranſgreſſores, ſen contraventores qnaſcunque cenſurss, & pęnas apponere, necnon pręfatis adminiſtratoribus, quod inſimul, aut eorum major pars pro bono regimine mulierum convertitarum domus Nominis Jeſu hujuſmodi ſex duntaxat alias cujnſcunque qualitatis, ſeu conditionis mulieres, etismſi virgines, aut viduę, vel de earnm tamen ſuperiornm licentia cujuſvis Ordinis Moniales fuerint, quę ſi voluerint habitum per mulieres convertitas domus Nominis Jeſu hujuſmodi geſtari ſolitum, ſuſcipere, ac deferre, & profeſſionem per eaſdem mulieres convertitas emitti ſolitam emittere, poſſint, reeipere, illaſque in domo Nominis Jeſu hujuſmodi quoad vixerint retinere, illiſque Monialibus, ut ad domum Nominis Jeſu prędictam, licentia ſuperiorum bujuſmodi petita, & obtenta ſe transferre libere, & licite valeant, auctoritate, & tenore pręmiſſis ſimiliter licentiam concedimus, & facultatem, quodque domus Nominis Jeſu hujuſmodi pro tempore exiſtentis adminiſtratores, Rectores, & Capellani, dummodo tamen ſint clerici ſeculsres, horas csnonicas diurnas pariter, & nocturnas, ac alia divina officia ſecundum uſum, & morem Romanę Curię noviter ordinatum,

& per

Digitized by Google

& per Nos reformatum, & approbatum, necnon modum, ſeu formam moderni Breviarii deſuper confecti, & noviter impreſſi, ut in choro cum aliis ſe conſorment, ita quod ad alium uſum deſuper obſervatum minime teneantur, nec ad id a quoquam inviti compelli poſſint, dicere, & recitare, ipſique adminiſtratores, quaſcunque eleemoſynas, domui Nominis Jeſu pro tempore elargitas, recipere, & ad illas recipiendas per Dięceſim Iſpalen. quęſtores, ſeu quaſcunque alias perſonas deputare, & mittere, etiam Dięceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia minime requiſita, libere, & licite valeant, ac quod quęcunque, quę palàm, & in proſtibulis quęſtum faciant, & alias, ex turpi quęſtu viventes, publicę meretrices Civitatis, quę quartam, vel quintam partem bonorum ſuorum ad minus domui Nominis Jeſu hujuſmodi non reliquerint, vel donaverint, aut perpetuo conceſſerint, teſtamenti factione, pręterquam quoad earum prolem, careant, & ſive teſtamentum, ſive donationem cauſa mortis, vel inter vivos, aut aliam diſpoſitionem fecerint, ſive non, niſi diſpoſitio hujuſmodi in favorem ſuę prolis facta fuerit, earum bona mobilia, ac alia ędificia per eas, aut ex earum bonis pro tempore conſtructa, immobilia, ſeu mobilia, necnon actiones, & jura quęcunque ubilibet exiſtentia, etiamſi dictę mulieres recreationis, ſeu viſitandi conſanguineos, aut vitandi malum aerem, ſive alia quacunque cauſa extra dictam Civitatem, niſi animo amplius non redeundi, ſed earum impudicam vitam mutandi ad eam acceſſerint, & inibi deceſſerint, etiamſi ipſa bona emphyteotica, & feudalia, etiam eccleſiaſtica perpetuo, vel ad tempus exiſtant, domui Nominis Jeſu hujuſmodi perpetuo applicata, & appropriata exiſtant. Quodque pro tempore exiſtentis domus Nominis Jeſu hujuſmodi Capellani eiſdem adminiſtratoribus votum obedientię preſtare, illorum ſtatutis, & ordinationibus, ac mandatis obedire, teneantur, & ad id cogi, & compelli, necnon tempore interdicti ordinaria auctoritate appoſiti Capellani mulierum converſarum domus Nominis Jeſu hujuſmodi in Eccleſia prędictę domus Miſſas, & alia divina officia januis tamen clauſis, ac ſubmiſſa voce, & non pulſatis campanis, & excommunicatis, & interdictis prorſus excluſis, recitare, & illis ipſę mulieres converſę, earumque familiares ſervitores, & ſervitrices intereſſe, necnon Eccleſiaſtica Sacramenta dicto tempore ſuſcipere libere, & licite valeant; & ſi contingat tempore interdicti hujuſmodi durante aliquas ex mulieribus converſis, & aliis pręfatis ab humanis decedere, earumque cadavera, abſque tamen funerali pompa Eccleſiaſticę tradi ſepulturę, necnon etiam ſi contigerit, Domum Nominis Jeſu hujuſmodi eo die, quo aliqua Converſa habitum hujuſmodi ſuſcipere voluerit eccleſiaſtico interdicto Ordinaria auctoritate hujuſmodi ſubiici, in illius Eccleſia pręfata, eo die Miſſę & alia Divina Officia januis apertis pulſatis campanis celebrare, & perſonę ad ipſam Eccleſiam confluentes illa audire poſſint, ita quod audientibus, & celebrantibus ad culpam nequeat imputari, auctoritate Apoſtolica, & tenore pręmiſſis perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, necnon Interdictum hujuſmodi ipſo die quoad Eccleſiam Domus Nominis hujuſmodi relaxamus, & ſuſpendimus. Et inſuper ut Domus Nominis Jeſu hujuſmodi condignis frequentetur honoribus, ac in majori veneratione habeatur, & a Chriſti fidelibus ipſis veneretur, de Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus tam ſecularibus quam Eccleſiaſticis, & quorumcunque etiam mendicantium Ordinum Regularibus cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, vel conditionis in Regnis, & dominiis Regis Hiſpaniarum exiſtentibus, ſeu reſidentibus, vere pęnitentibus, & confeſſis, ſeu confitendi firmum propoſitum habentibus, qui infra triennium a die publicationis pręſentium in partibus illis faciendę computandum, ea die, qua contigerit aliquam mulierem converſam in domo Nominis Jeſu hujuſmodi habitum, per mulieres convertitas domus Nominis Jeſu hujuſmodi geſtari ſolitum, ſuſcipere, ac in duabus feſtivitatibus per ipſos adminiſtratores eligendis cujuslibet anni triennii hujuſmodi domus Nominis Jeſu hujuſmodi, ſeu aliam, vel alias per eoſdem adminiſtratores nominandas a primis veſperis uſque ad occaſum Solis diei hujuſmodi incluſive, devote viſitaverint, & inibi ter orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam pro felici ſtatu Sanctę Romanę Eccleſię, ac pace, & concordia Chriſtianorum Principum recitaverint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem auctoritate Apoſtolica, & tenore pręmiſſis miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Non obſtantibus omnibus pręmiſſis, ac felicis recordationis Innocentii Papę IV Prędeceſſoris noſtri, quę incipit: Volentes: ac Lateranen. Concilii noviſſime celebrati, & aliis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Bulla aurea, & Mari Magno nuncupatis, Ordinibus Mendicantium per pię memorię Clementem V, & Julium II Romanos Pontifices, etiam Prędeceſſores noſtros, ac Sedem Apoſtolicam ſuper Monaſteriis, & Domibus alicujus Ordinis infra certum in illis expreſſum cannarum a Domibus ipſorum Ordinum Mendicantium menſurandarum, ſpatium, non conſtruendis ſub quibuſvis tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacibus, & inſolitis clauſulis, conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus, illorum tenores ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, harum ſerie, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, necnon omnibus illis, quę in dictis noſtris literis voluimus non obſtare, quodque Domus Nominis Jeſu hujuſmodi infra ſpatium cannarum hujuſmodi a Domibus Mendicantium hujuſmodi menſurandarum conſiſtat, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Pręſentibus quas ſub quibuſcunque ſuſpenſionibus, revocationibus, limitationibus ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum, etiam ratione fabricę Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cruciatę Sanctę, per Nos, & Sedem prędictam, etiam Imperatoris, Regum, vel Reginarum, aut aliorum Principum intuitu, ſeu conſideratione, aut alias quomodolibet pro tempore factis minime comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas exiſtere, ac indulgentiam predictam ſolemniter publicari, & prędicari poſſe, & debere, de licentia tamen Communitatis Generalis fabricę, & Cruciatę, prędictorum, decernimus, poſt dictum triennium quoad indulgentiam hujuſmodi duntaxat minime valituris. Volumus autem, quod ſi alias Eccleſiis prędictis aliqua indulgentia in perpetuum, vel ad tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę hujuſmodi nullius ſint roboris,

vel

vel momenti quoad indulgentiam per eas conceſſam, quodque earundem pręſentium tranſumptis manu Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę, ſeu curię eccleſiaſticę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę eiſdem pręſentibus adhiberetur ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo &c. noſtrę abſolutionis, conceſſionis, conſtitutionis, deputationis, ſubmiſſionis, liberationis, ſtatuti, ordinationis &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Nono, Sexto Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto Decimo.

1. *Monaſteriorum.*) In *Hiſpania*:
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro I Ad Perpetuam &c. fol.* 222.
3. *Philippi.*) Poſtea Regis *Hiſpaniarum*.
4. *Medina Sidonia.*) Gens eſt antiquiſſima nobilitate clara.
5. *Priorem.*) Quędam hic deſunt, ex ſequenti ſiquidem Conſtitutione *Prior FF. Prædicatorum de obſervantia nuncupatorum* hujuſce Monaſterii *Patronus*, *Defenſor*, *Protector* & *Viſitator* erat.

Ut præcedens Conſtitutio executioni mandetur.

Anno 1549 Die 8 Novembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CXXIV.

Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Feltren., & dilectis filiis Priori Prioratus Sancti Johannis de Acre Iſpalen., ac Archidiacono Eccleſię Iſpalen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis: Paulus Epiſcopus &c. (2) Datum Romę apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Nono, Sexto Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto Decimo. Quocirca &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, literas pręfatas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Philippi Principis, ac Annę Ducıſſę, ac Fratrum Prędicatorum de obſervantia nuncupatorum, ſeu alterius Ordinis, & aliorum quorumcunque adminiſtratorum domus, ſeu Monaſterii Nominis Jeſu, in prędictis literis mentionatę, patronorum, defenſorum, protectorum, & viſitatorum, ſeu alicujus eorum deſuper fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra literas pręinſertas, & in eis contenta quęcunque firmiter obſervari, ac ſingulos, quos ipſę literę concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes, eos deſuper per quoſcunque quavis auctoritate fungentes quomodolibet indebite moleſtari, ſeu perturbari. Contradictores &c. compeſcendo. Non obſtantibus omnibus ſupradictis, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim &c. Datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Nono, Sexto Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto Decimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro I Ad Perpetuam fol.* 228.
2. *Paulus Epiſcopus &c.*) Ut in præcedenti ad finem uſque.

Quædam Privilegia revocans excipit Confraternitatem (1) SS. Sacramenti.

Anno. . . .
Die. . . . .

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXXV.

P A U L U S PP. III.

Motu proprio, & ad Futuram Rei Memoriam.

Revocationis cauſa.

AD providam circumſpectionem Sedis Apoſtolicę pertinere dignoſcitur, ut nonnunquam conceſſa per eam, prout negotiorum, & temporum qualitates exigunt, ampliet, vel reſtringat, ſicut in Domino proſpicit ſalubriter expedire. Attendentes itaque, quod ſępenumero contingit diverſis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, Societatibus, Confraternitatibus, & aliis locis piis, multiplicibus ex cauſis per Sedem eandem etiam per Nos diverſa privilegia, facultates, indulgentias, & alias gratias ad inſtar privilegiorum, facultatum, indulgentiarum, & aliarum gratiarum, Hoſpitali noſtro Sancti Spiritus in Saxia, Societati caritatis, & aliis Eccleſiis, & locis piis Almę Urbis noſtrę, & forſan aliorum locorum, conceſſorum, concedi, & indulgeri, &, ſicut habet fide dignorum aſſertio, nonnulli Eccleſiarum, Hoſpitalium, Societatum, Confraternitatum, & aliorum locorum prędictorum Rectores, Gubernatores, Guardiani, & alii Officiales, & Miniſtri, privilegia, facultates, indulgentias, & alias gratias, eis per dictam generalitatem verborum per dictam Sedem conceſſa, ad privilegia, facultates, indulgentias, & alias gratias nominatim, & ſpecifice dicto Hoſpitali Sancti Spiritus, Societati Caritatis, & aliis locis piis forſan conceſſa, & plerunque ad ea, quę eadem Sedes, ſi ſibi expreſſa fuiſſent, minime conceſſiſſet, extendere, & ſic extenſa publicare, ac illa aliis communicare pręſumpſerunt, & pręſumunt, eorum officia, gubernationem, & adminiſtrationem, vel exercitia, metas ſpecialium privilegiorum, indulgentiarum, facultatum, & aliarum gratiarum ſub prętextu generalitatis verborum hujuſmodi interdum transgredientes, ex quibus gravia ſcandala privatim, & publice ſunt ſuborta, & in futurum, niſi deſuper opportune provideatur, graviora ſuboriri poſſent. Nos, intendentes in pręmiſſis de opportuno providere remedio. Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, per hanc noſtram perpetuo valituram conſtitutionem omnia, & ſingula privilegia, facultates, indulgentias, & alias gratias, quibuſvis Eccleſiis, Hoſpitalibus, & aliis locis piis, tam dictę Urbis,

quam alias ubique locorum, ſub dicta generalitate verborum, & ad inſtar aliorum privilegiorum, facultatum, indulgentiarum, ſeu aliarum gratiarum dicto Hoſpitali noſtro S. Spiritus, Societati Caritatis, & aliis Eccleſiis, & locis piis hactenus per eandem Sedem, & per Nos forſan conceſſorum, ad privilegia, facultates, & indulgentias, & alias gratias eis nominatim, & ſpecifice conceſſas, & ad loca ipſa, necnon Collegia, Univerſitates, & perſonas, quibus in ſpecie, & particulariter, & citra facultatem illa aliis communicandi, per eandem Sedem, etiam per Nos conceſſa ſint, vel in poſterum concedi continget, tenore pręſentium reſtringimus, ita tamen, quod privilegiis, & indultis dilectis filiis Confraternitatis ſub invocatione SS. Corporis Chriſti in Eccleſia B. Marię ſuper Minervam inſtitutę nominatim, & ſpecifice per Nos conceſſis, omnes, & ſingulę alię Confraternitates ſub eadem invocatione ubilibet inſtitutę, & inſtituendę utantur, potiantur, & gaudeant, perinde ac ſi cuilibet ipſarum Confraternitatum in ſpecie, & particulariter, privilegia, & indulta ipſa conceſſa eſſent. Decernentes quaſcunque alias conceſſiones, privilegiorum, facultatum, indulgentiarum, & aliarum gratiarum ſub dicta generalitate verborum, & ad inſtar, & nominatim, & ſpecifice, ut pręfertur, per eandem Sedem etiam per Nos factas, necnon facultates, & privilegia, & alias gratias pręedictas, etiam nominatim, & ſpecifice conceſſas, aliis communicandi, nullius fore, & eſſe roboris, vel momenti, diſtrictius inhibentes omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, Hoſpitalium, Societatum, Confraternitatum, & aliorum locorum piorum pręedictorum, Rectoribus, Gubernatoribus, Adminiſtratoribus, Officialibus, & Miniſtris, ac aliis, ad quos quomodolibet ſpectat, ne de cetero ſub indignationis noſtrę pena audeant, vel pręſumant publice, vel occulte, aut quovis quęſito colore directe, vel indirecte virtute literarum Apoſtolicarum ſub dicta generalitate verborum per eandem Sedem conceſſarum, & concedendarum, aliquibus privilegiis, facultatibus, indulgentiis, & gratiis, niſi duntaxat per formam ſpecialium privilegiorum, facultatum, indulgentiarum, & aliarum gratiarum eis hactenus nominatim, & ſpecifice per Sedem eandem, & per ſuas literas Apoſtolicas, ac in locis, & pro illis perſonis, Collegiis, & Univerſitatibus, quibus particulariter conceſſę fuerunt, aut in futurum concedentur, etiam abſque facultate illa aliis communicandi, & non aliter, nec alio quovis modo, etiamſi paria, ſimilia, vel minora forent his, quę in prefatis literis Apoſtolicis ſunt conceſſa, uti, aut illa quovis modo exercere, ſeu publicare, aut aliis communicare. Decernentes etiam ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus, vel aliter a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter continget in poſterum quomodolibet attentari. Ac preſentes ad privilegia, facultates, indulgentias, & alias gratias in favorem fabrieę Baſilicę Principis Apoſtolorum de Urbe, illiuſque Collegio, & Officialibus hactenus conceſſa, & concedenda minime ſe extendere, eiſdem Collegio, & Deputatis dictę fabricę per Apoſtolica ſcripta mandantes, ut pręmiſſa omnia, & ſingula per illos, ad quos ſpectat, aut ſpectare poterit quomodolibet in futurum, inviolabiliter obſervari mandent, & faciant. Contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras, & alias, de quibus ſibi videbitur, pęnas appellatione poſtpoſita, auctoritate noſtra compeſcendo, invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Ac volentes auctoritate pręfata, quod pręſens Conſtitutio cujus ſolam ſignaturam noſtram ſufficere, illiuſque tranſumptis, ſeu copiis manu unius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę ſigillatis fidem adhiberi volumus, & in valvis Baſilicę prefatę, ac acie Campi Florę, affixa, & publicata perinde arctet quoſlibet, ac ſi fuiſſet cuilibet pręſentialiter exhibita, & pręſentata. Non obſtantibus prefatis Eccleſiis, Hoſpitalibus, & aliis locis piis, Rectoribus, & aliis pręfatis forſan conceſſis, quibus, illorum omnium, & ſingulorum tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque (3).

Exceptio.

Placet Motu proprio
& ita mandamus. A.

1. *Confraternitatem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar authenticum. Legitur in *Bullario Confraternitatum Ord. Prædicatorum pag.* 394.

3. *Quibuſcunque.*) Annus & dies deſunt, ex uno tamen ex mox laudatis exemplaribus ſcripto *Anno a Nativitate Domini MDXLVIII, Indictione Septima die vero XXII Menſis Octobris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Pauli divina gratia Papa III Anno Quinto decimo*, liquet iſtud Diploma datum ante annum *MDXLIX*.

AP-

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Paulo III Summo Pontifice, Promotos exhibens.

C A R D I N A L E S.

F. Nicolaus a Scomberg, Archiepiſcopus *Capuanus*, ut in *Appendice ad Pontificatum Leonis X* dictum Anno 1535.
fuit, S. R. E. Cardinalis tituli S. Sixti. *Ciaconius in Paulo III Vit. Pontif. & Cardinal Tomo III pag.567. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.II num.XXX pag.32, ex Ughello, Fernandez, Olmeda, Plodio &c. Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Humilitatis ergo condi voluit extra fores Templi *S. Mariæ ſupra Minervam*, ubi ſequens inſcriptio:

Nicolaus a Scomberg Theodorici filius
Ex Suevis Smiſnenſibus oriundus
S. R. E. Tit. S. Sixti Presbyter Cardinalis
Cognomento Capuanus Ord. Præd.
Vixit annos LXV, dies XXIX.
Obiit anno Chriſti MDXXXVII.
V Idus Septemb.

In ipſo autem Templi fronte legitur.

Hoc vili, quem a tergo, lector, habes tumulo.
Conditus eſt is, in quo mira rerum peritia
Catholica doctrina, atque Religio fuit
Nicolaus Scombergus natione Suevus
Ordinis Præd. Cardinalis Capuanus
A Paulo III Pont. Max. creatus,
Quem nobilem genere, ipſa nobiliorem dedit virtus
Qui tanto majori laude poſt mortem
Efferendus eſt, quanto ipſe moriturus
Eam fugere curavit.

Anno 1538.

F. Johannes de Toledo, *Johannes Alvarez* paſſim nuncupatus, oriundus ex illuſtriſſima gente ſanguinis nobilitate inter Hiſpanos primaria (natus eſt enim patre Federico Alvarez, Albæ Duce, & Iſabella Pimentel) S. R. E. Cardinalis. *Ciaconius in Paulo III pag.644. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II num.XXXI pag.33, ex Ughello, Fernandez, Olmeda, Plodio &c. Cavalerius Tomo I pag. 392 num.CXLV, & Tomo II pag.219 num.IV*, aliique ſupra laudati in *Appendice ad Pontificatum Adriani VI.* Variis Titulis inſignitus fuit *Johannes* noſter, *S. Mariæ* ſcilicet *in Porticu*, *S. Sixti*, *S. Clementis*, *S. Pancratii*. Eccleſiis quoque præfuit *Albanen.*, poſtea *Tuſculan.* Jus etiam dixit *Cordubenſi*, *Burgenſi*, & *Compoſtellanæ*. Hinc *Cardinalis Burgenſis*, & *Cardinalis Compoſtellanus* nonnunquam dicitur. Vulgo *Pater Pauperum* vocabatur.

Anno 1542.

F. Thomas Badia, Mutinenſis, ex Magiſtro S. Palatii Apoſtolici, S. R. E. Cardinalis tituli S. Silveſtri in Campo Martio. *Ciaconius in Paulo III Vit. Pontif. & Card. Tomo III pag.685. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.II num.XXXII pag.34, ex Fernandez, Olmeda, Plodio. Cavalerius Tomo II pag.220 num.V.* Legationibus claruit, ut poſtea dicetur. *Romæ* vita functus eſt. Jacet ante fores Templi *S. Mariæ ſupra Minervam*, ubi hæc inſcriptio:

Thom. Badia
Card. D. Sylveſt.
Ord. Prædic.
Deceſſit e vita An. MDXLVII
VIII Idus Septemb.

D. O. M.
Thomæ Badia Mutinenſi
Eruditione, continentia, ac ſanctitate
Clariſſimo
Card. D. Sylveſtri
Qui & ampliſſimo Ordini Senatorio
Et cunctis mortalibus
Miræ cujuſdam frugalitatis
Religionis, atque omnis vitæ
Incredibile exemplum reliquit.
Aliis vero quibuſcunque honoribus
Non tam uti voluit
Quam dignus videri,
Quę tamen ſola morte exiſtimatus eſt
Effugere potuiſſe
Franciſcus Badia Fratri Opt. Poſ.
Vixit an. LXIII Menſes IX
Dies XXVII.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1538. F. Garſias de Loayſa, S. R. E. Cardinalis, ex Epiſcopo *Seguntino*, ut in præcedenti *Appendice* dictum fuit, Archiepiſcopus Hiſpalenſis, in Hiſpania Bætica. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. L pag. 78, ex Ægidio. Cavalerius*, aliique ſupra laudati.

Anno 1540. F. Sebaſtianus Le Cavella, Græcus, Archiepiſcopus Pari-Naxienſis, Parienſis ſcilicet ac Naxienſis, in ejuſdem nominis Inſulis Maris Ægæi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXI pag. 92 ex Actis Conſiſtorial. Pauli III. Cavalerius Tomo I pag. 407 num. CLXXVIII. Cardinalis Pallavicinus in Hiſtor. Concilii Tridentini*. Ad *Litterenſem* Eccleſiam translatus fuit, ut in *Appendice ad Pontificatum Pii IV* dicetur.

Anno 1541. F. Hieronymus de Loayſa, Hiſpanus, ex Epiſcopo *Carthaginis novæ*, ut in hac *Appendice* dicetur, Epiſcopus & mox Archiepiſcopus Limanus, ſeu Civitatis Regum, vulgo *Lima*, in Regno Peruano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXVI pag. 66, ex Actis Conſiſtor. Pauli III, ex Antonio de Gonzalez de Acuña in Hiſtor. Peruana, Fernandez in Arch. Hiſpan., & Pinelo in Vita Torribii* (ſancti) *Cap. XXIII. Cavalerius Tomo I pag. 440 num. CCXXIV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDLXXV pag. 232.*

Anno 1542. F. Benedictus hujus nominis *III*, filius Berzati, Armenus, Archiepiſcopus Naſcivanenſis, Naxuanenſis &c., vulgo *Naſſivan*, in Armenia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. IX pag. 56, ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag. 372 num. XCV.*

Anno 1546. F. Stephanus Cahorzen, Archiepiſcopus Naſcivanen. *Naſſivan*, in Armenia. *Fontana Theatro Dominican. Parte I Cap. IV Tit. IX pag. 57, ex Actis Conſiſtorialibus, Galano, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 396 num. CXLIX.*

EPISCOPI.

Anno 1535 Die 24 Februarii. F. Balthaſar de Eredia, Hiſpanus, Epiſcopus Cirinen., ſeu Cerenen., Cyrenen., Ceraunen. &c. *Cerines*, in Inſula Cypro, ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi. Suffraganeus, ſeu Vicarius Epiſcopi *Urgelitani* fuit. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXVI pag. 185, ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ, & Tit. DCXLVIII pag. 327, ex iiſdem Regeſtis. Cavalerius Tomo I pag. 357 num. LXVIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag. 24* Eccleſiis *Boſenſi*, ac *Calaritanæ* poſtea præfuit, ut in hac, & in *Appendice ad Pontificatum Pauli IV* dicetur. Anno duntaxat *MDXXXVI* die *XI* Februarii *Balthaſarem* Epiſcopum renunciatum fuiſſe, docent *Cavalerius*, & *Fontana*, & in hoc emendandi ex hoc Diplomate. *Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Balthaſari Electo Cirinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia Cirinen. certo modo vacante, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſubjineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ*

noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum meritorum exigentiam accepta eidem eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam, exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingenteſimo Trigeſimo Quarto (Stylo Bullarum æræ communis MDXXXV) *Sexto Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. I fol.379*.

F. Johannes de Riperia, Epiſcopus Calliopolen., *Calecut*, in Indiis Orientalibus. *Cavalerius Tomo I pag. 360 num. LXXV. Echard Tomo II pag. 25. Indicis Epiſcoporum*. Nec ſcio, num diſtinguendus ſit iſte a *Fratre Johanne Riperia* Epiſcopo *Calipolen.*, de quo dictum fuit ad annum *MDXVIII*. Anno circiter 1535.

F. Quintinus Coglii, Epiſcopus Dromorenſis, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Armachano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXIX pag. 187, ex Actis Conſiſtorial., & Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius Tomo I pag. 358 num. LXIX. Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag. 422*. Anno 1536.

F. Johannes Hilſey, Epiſcopus Roffenſis, *Rocheſter*, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.28*. Anno circiter 1537.

F. Hieronymus de Loayſa, Hiſpanus, Epiſcopus Carthaginis novæ, in America, ſub Archiepiſcopo S. Dominici. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXLI, ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III pag.156. Cavalerius Tomo I pag.440 num.CCXXIV*. Ad *Limanam* Sedem translatus eſt, uti dictum fuit hac in *Appendice*. Anno 1537

F. Petrus Bertanus, Mutinenſis, Epiſcopus Fanenſis in Umbria, immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcopis Fanen. Tomo I Italiæ Sacræ pag.668 edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXLI pag. 191, Cavalerius Tomo I pag.394. num. CXLVII*. Idem Legationibus claruit, & S. R. E. Cardinalis fuit, ut poſtea dicetur. Anno 1537.

F. Johannes de Toledo, ex Epiſcopo *Cordubenſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Adriani VI* videre eſt, Epiſcopus Burgenſis, *Burgos*, in Hiſpania. Nunc Metropolis eſt. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XIX pag.63, ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III, & Ægidio. Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Ad Sedem *Compoſtellanam* translatus fuit, ut poſtea dicetur. Anno 1537.

F. Angelus Paſchalis, Epiſcopus Motulenſis, ſeu Mutilenſis, *Motola*, ſub Archiepiſcopo Tarentino, in Regno Neapolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLCVI pag.242, ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III. Ughellus in Epiſcop. Motulen. Tomo IX Italiæ Sacræ pag. 160 edition. Venetæ. Cavalerius Tomo I pag.383 num. CXIX*. Anno 1537.

F. Gabriel de Zarate, Epiſcopus Antiquaren., Anticarien., ſeu Guaxacanus, & S. Mariæ de l'Antiqua, in America Septentrionali, ſub Archiepiſcopo Mexicano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXXX pag. 201, ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III. Cavalerius Tomo I pag. 364 num. LXXXV*. Nota quod Epiſcopalis hæc Sedes ab Hiſpanis *Antiquarenſis* dicta, *Guaxacana* vocatur ab *Indis* Anno 1537.

F. Albertus Paſcaleus, Epiſcopus Calamonenſis, in Græcia, ſub Archiepiſcopo Cretenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXIX pag. 150, ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III. Cavalerius Tomo I pag. 360 num. LXXIII, & LXXIV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXLIV pag. 122*. Epiſcopus *Foſſæ Clodiæ* fuit, uti mox dicetur. Anno 1538.

F. Ludovicus Combonet, Gallus, Doctor Pariſienſis, Epiſcopus Avenetenſis, *Aveo*, in Thracia. Nunc Metropolis eſt. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXIII pag.134, ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III. Cavalerius Tomo I pag.361 num. LXXVI*. Anno 1538.

F. Ludovicus de Martinis, Venetus, Epiſcopus Arienſis, in Græcia, ſub Archiepiſcopo Cretenſi. *Cavalerius Tomo I pag.367 num. XC, & XCI, ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III, & Monumentis Conventus SS. Jo-* Anno 1538.

Digitized by Google

SS.Johannis & Pauli de Venetiis. Notat *Cavalerius*, quod in *Actis Conſiſtorialibus* ad annum MDXXXVIII legitur. *Die VII Octobris Fr.Ludovicus Venetus Ordinis Prædicatorum fit Epiſcopus Aureu.vacan.&c.* Sepulcralis autem inſcriptio *Ludovici* hujus tenoris eſt : *Fr. Ludovicus de Martinis Venetus Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Arienſis obiit* . Ceterum *Aurenſis* Eccleſia diſtingui debet ab *Arienſi* .

Anno 1539 Die 21 Februarii. F. Michaeli Vehez, Epiſcopus Aconenſis, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. Omittunt *Cavalerius*, *& Fontana*. Succeſſit *Henrico* noſtro *Leuker*, ut ex hoc Diplomate liquet. *Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Michaeli Vehez electo Aconen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem per obitum Henrici Epiſcopi Aconen. &c. regimini eccleſiæ Aconen. præſidente, nos cupientes eidem eccleſiæ, cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum ejuſdem Henrici Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſum, & in Theologia profeſſorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem eccleſiæ, de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æterna &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo Octavo*, (Stylo Bullarum æræ communis MDXXXIX) *Nono Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto*. Ex Archivo Apoſtolico *Lib.XIII fol.* 104.

Anno 1539. F. Alexander Filodorus, Epiſcopus Tiphernatenſis, ſeu Civitatis Caſtelli in Umbria, immediate ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcopis Tiphernaten. Tomo I Italiæ Sacræ pag.*1325 *edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.DXC pag.*309, *ex Plodio. Cavalerius Tomo I pag.*389 *num.CXXXVII.*

Anno 1539. F. Guillelmus Piali, ſeu Piati, Doctor Pariſienſis, Epiſcopus Tharſenſis, in Cilicia. Nunc Metropolis eſt. Archiepiſcopi Lugdunenſis primum, deinde Toloſani Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Guillelmus. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.DLXXIII pag.* 303, *ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III. Cavalerius Tomo I pag.* 380 *num. CXV, & pag.* 365 *num. LXXXVI*, nec enim diſtinguendus *Guillelmus* iſte *Piati*, a *Guillelmo Gallo*. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDL pag.* 136

Anno 1539 Die 17 Octobris. F. Johannes Monſirgis, Teuto, Epiſcopus Aconenſis, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Halberſtadienſis Epiſcopi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. VIII pag.* 115, *ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III. Cavalerius Tomo I pag.* 362 *num. LXXX.*

Anno 1540. F. Balthaſar O Ferdeman, Teuto, Epiſcopus Miſinenſis, in Thracia, ſub Archiepiſcopo Hadrianopolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit. CCCXCII pag.* 238, *ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III. Cavalerius Tomo I pag.* 365 *num. LXXXVII*. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit *Hildeſimenſis* Epiſcopi. Is ipſe eſt, quem *Ferdaman* vocant, & *Miſinenſem*, vel *Miſuienſem* Epiſcopum dicunt.

Anno circiter 1540. F. Johannes Faber, Epiſcopus Viennenſis, in Auſtria. Nunc Metropolis eſt. *Cavalerius Tomo I pag.* 366 *num. LXXXIX, ex Sonegio, qui varios Scriptores laudat. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXLI pag.* 111. Notandum quod *a Confeſſionibus fuit Ferdinando I* Cæſari.

Anno circiter 1540. F. Thomas de Berlanga, ex Epiſcopo *Caſtellæ Aureæ*, ut in præcedenti *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Panamanus, in America, ſub Archiepiſcopo Limano, *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCL pag.*259, *ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.*382 *num.CXVIII.*

Anno 1540. F. Bernardus a Cruce, Luſitanus, Epiſcopus Sancti Thomæ, in ejuſdem nominis Inſula Africæ, ſub Archiepiſcopo Ulyſſipponenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit DXXV pag.* 289, *ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag.* 383 *num. CXX. Echard Tomo II Scriptor. Ordinis pag.* 28 *Indicis Epiſcoporum.*

F. Conſ-

Digitized by Google

F. Conſtantinus Juſtinianus, Epiſcopus Cianenſis, vulgo Zea, & Termienſis, in Inſulis Maris Ægæi, ſub Archiepiſcopo Naxienſi. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXXII pag. 169, ex Abbate Michaele Juſtiniano in Monumen. Inſula Chienſis, & Tit. DLXXIX pag. 305, ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III. Cavalerius Tomo I pag. 384 num. CXXI. Anno 1540.

F. Melchior Cribellus, Mediolanenſis, Epiſcopus Tagaſtenſis, in Africa. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXII pag. 303, ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III. Cavalerius Tomo I pag. 401 num. CLXII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 22 Indicis Epiſcoporum. Succeſſit cuidam Johanni, ut hoc Diplomate liquet. Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Melchiori Electo Tagaſtenſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Perſonam tuam nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia proſequentes, illa tibi favorabiliter concedimus, quæ tuis commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Hinc eſt, quod nos, qui hodie eccleſiæ Tagaſten. tunc per obitum bonæ memoriæ Johannis olim Epiſcopi Tagaſten. extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua Nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate duximus, providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Volentes tibi Theologiæ Profeſſori, ut ſtatum tuum juxta Pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, de alicujus ſubventionis auxilio providere, ac præmiſſorum meritorum tuorum intuitu gratiam facere ſpecialem, teque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, tibi penſionem annuam ducentorum ducatorum auri de Camera ſuper fructibus, redditibus, & proventibus menſæ Epiſcopalis Vercellenſis, tibi quoad vixeris, vel Procuratori tuo ad hoc a te ſpeciale mandatum habenti per venerabilem Fratrem noſtrum Bonifacium Epiſcopum Portuenſem Cardinalem Ipporegienſem nuncupatum, cui omnes, & ſinguli fructus, redditus, & proventus dictæ menſæ, dicta auctoritate reſervati exiſtunt, quandiu fructus, redditus, & proventus prædictos perceperit, & deinde ceſſante hujuſmodi dictorum fructuum, redditu um, & proventuum reſervatione per dilectum filium Petrum Franciſcum electum Vercellenſem, quorum ad hoc expreſſus accedit aſſenſus, & ſucceſſores ſuos ipſius Eccleſiæ Vercellenſis Præſules pro tempore exiſtentes pro una videlicet in Beati Johannis Baptiſtæ, & alia medietatibus ejuſdem penſionis in Domini noſtri Jeſu Chriſti Nativitatum feſtivitatibus annis ſingulis integre perſolvendam, & per te quoad vixeris, & una cum dicta Eccleſia Tagaſten. poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis percipiendam, exigendam, & levandam dicta auctoritate tenore præſentium conſtituimus, & aſſignamus, decernentes Bonifacium Epiſcopum, & Petrum Franciſcum electum, ac ſucceſſores ad integram ſolutionem penſionis hujuſmodi tibi faciendam juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis prædictarum tenorem fore efficaciter obligatos. Ac volentes, & eadem auctoritate ſtatuentes, quod illi ex Bonifacio Epiſcopo, & Petro Franciſco electo, ac ſucceſſoribus præfatis, qui in dictis feſtivitatibus, vel ſaltem infra triginta dies illarum ſingulas immediate ſequentes penſionem prædictam per eum tunc debitam non perſolverit cum effectu lapſis diebus eiſdem ingreſſus Eccleſiæ interdictus exiſtat, & donec tibi, vel eidem Procuratori tuo de penſione hujuſmodi tunc debita integre ſatisfactum, aut alias tecum, aut cum dicto Procuratore tuo ſuper hoc amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in mortis articulo conſtitutus relaxationis beneficium nequeat obtinere. Si vero per ſex Menſes dictos triginta dies immediate ſequentes, ſub hujuſmodi interdicto, animo, quod abſit, permanſerit indurato, ex tunc effluxis menſibus eiſdem Bonifacius Epiſcopus a perceptione fructuum, & Petrus Franciſcus prædicti a regimine Eccleſiæ Vercellenſis hujuſmodi ſuſpenſi exiſtant, eo ipſo, non obſtantibus Lateranen. Concilii noviſſime celebrati, penſiones ſuper fructibus menſarum Cathedralium Eccleſiarum niſi ex ceſſionis, aut alia probabili cauſa reſervari prohibentis, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Eccleſiæ Vercellen., juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, & quod præfatum Ordinem Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſus exiſtas, contrariis quibuſcunque. Aut ſi Bonifacio Epiſcopo, & Petro Franciſco electo, ac ſucceſſoribus prædictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod ad præſtationem, vel ſolutionem penſionis alicujus minime teneantur, & ad id compelli non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia, generali, vel ſpeciali cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam effectus hujuſmodi gratiæ impediri valeat, quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuſcunque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum abſolutionis, reſervationis, conſtitutionis, aſſignationis, decreti, voluntatis, & ſtatuti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1539, Decimo Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Huc etiam ſpectat ſequens Diploma, quod tranſcribitur, ceteris Conſtitutionibus hac de re datis prætermiſſis. Quod autem Suffraganeus, ſeu Vicarius Epiſcopi Vercellenſis fuerit, ex variis Diplomatibus habetur. HIPPOLYTUS Eſtenſis Sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis Ferrarien. nuncupatus, & in hac parte electus Mediolanen. Eccleſiæ Perpetuus Adminiſtrator &c. Reverendo in Chriſto Patri Domino Melchiori de Cribellis Epiſcopo Tagaſtenſi, Salutem in Domino Sempiternam. Exiſtimamus collato nobis adminiſtrationis officio convenire, ut univerſis Chriſti fidelibus ſub noſtro regimine poſitis curam ſummam, ſtudiumque intendamus, quo ſalus ipſorum in tuto ſit, ſpeculatoris operam impendamus. Cumque variis negotiis occupati, in Eccleſia, Civitate, & Diœceſi noſtra Mediolanenſi perſonaliter intereſſe non valeamus, ne ob noſtri abſentiam aliquod detrimentum patiantur, veſ-

Anno 1540 Die 20 Februarii.

veſtram fidem jamdiu compertam habentes, vos in Suffraganeum præfatæ Archiepiſcopalis Eccleſiæ noſtræ Mediolanen. tenore præſentium ad noſtri beneplacitum eligimus, deputamus, conſtituimus, & confirmamus cum omnibus ſuis juribus, pertinentiis, beneficiis, quæ per Prædeceſſores noſtros in hujuſmodi officio conſtitutis conceſſa fuerant, ac concedi conſueverunt, hortantes vos, ut commiſſam vobis Eccleſiam commendatam habeatis, ac animarum ſalutem diligenter curetis; Pontificalem auctoritatem in omnes Eccleſiæ noſtræ ſubditos exercendo, concedentes vobis omnimodam facultatem citandi, ordinandique clericos, qui habita ætatis, morum, & doctrinæ ratione videbuntur idonei ad quoſcunque ordines, functiones, & eccleſiaſtica Sacramenta debitis temporibus ſolemniter conficiendi, ac venerabiles Abbatiſſas, & Moniales conſecrandi, benedicendi, eccleſiaſque omnes, & loca quæcunque Diœceſis noſtræ, quomodocunque profanata reconciliandi, & generaliter ad omnia faciendum, quæ ad ſuffraganeatus officium ſpectant, & pertinent, & quæ in rebus divinis adminiſtrandis per nos, aut Prædeceſſores noſtros fieri potuiſſent, ſi perſonaliter ibi eſſemus conſtituti. Inſuper cum Vicarius noſter Generalis variis, & diverſis adeo ſit occupatus negotiis, prout ex literis ſuis, & aliorum fide dignorum teſtimonio intelleximus, ut operam ſuam, prout ex debito officii ei per nos injuncti tenetur, viſitationibus impendere non poſſit. Vos Reverendum Dominum Epiſcopum Tagaſten. ad noſtri beneplacitum, Viſitatorem Generalem Eccleſiæ noſtræ Mediolanenſis, & illius Diœceſis facimus, creamus, & deputamus cum poteſtate, auctoritate, & facultate quaſcunque Eccleſias tam noſtram Cathedralem, quam Collegiatas, & Parochiales, & Capellas, necnon Monaſteria quæcunque tam virorum, quam mulierum, Hoſpitalia, & alia loca pia, in quibus tam de jure noſtro ordinario, quam vigore indultorum, & literarum auctoritate Apoſtolica nobis conceſſorum, & conceſſarum, jus viſitandi quomodolibet competit, & competat, ac earundem perſonas tam in capite, quam in membris viſitandi, & quæ corrigenda, reformanda, & emendanda fuerint, corrigendi, emendandi, & in melius reformandi, omniaque alia, & ſingula faciendi, exercendi, & gerendi, quæ ad hujuſmodi viſitationis officium de jure, & conſuetudine, & etiam vigore dictorum indultorum, & literarum Apoſtolicarum nobis pertinent, & ſpectant, & quæ in præmiſſis, & circa præmiſſa neceſſaria, & opportuna fuerint, & quæ noſmet facere poſſemus, ſi præſentes eſſemus, nolumus tamen per præſentes derogare, quin Vicarius Generalis, ſi & quando ei videbitur, & placuerit, etiam ſolus viſitare, prout ante præſentes poterat, & vobiſcum in dictis viſitationibus intereſſe, & peragere poſſit, quæ ad hujuſmodi officium viſitationis pertinent, & ſpectant. In quorum fidem præſentes fieri juſſimus, & ſigilli noſtri impreſſione muniri. Datum Ferrariæ Octavo Idus Decembris Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Quarto, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Domini noſtri Pauli divina providentia Papæ Tertii, Anno Undecimo.

Hip. Cardinalis Ferrarien.

Antonius Romeus Secretarius
de mandato.

Anno 1541 Die 6 Julii. F. Balthaſar de Eredia, ex Epiſcopo *Cirinen.*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Boſſanenſis, ſeu Boſanenſis, *Boſa*, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Turritano. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.*24. Ejuſdem mentio in ſequenti Diplomate. *Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Balthaſari Electo Boſſanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Nicolao Epiſcopo Boſſanen. regimini Eccleſiæ Boſſanen., præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Nicolai Epiſcopi qui extra Romanam curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſum, ac Theologiæ Profeſſorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione aliiſque multiplicibus virtutum, donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ ſedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Marcum Anno &c. Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo primo, Pridie Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.* Ex Archivo Apoſtolico *Lib. VIII fol.* 166.

Anno 1541. F. Bernardus Mancicus, Hiſpanus, ex Marchionibus de Aguillara, Epiſcopus Malacitanus, *Malaga*, in Hiſpania Bætica, ſub Archiepiſcopo Granatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXIII pag.* 223, *ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 396 *num. CLII.*

Anno 1541. F. Albertus Paſcaleus, ex Epiſcopo *Calamonenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus *Clugienſis*, ſeu Foſſæ Clodiæ, *Chiozza*, in Statu Veneto, ſub Patriarcha Veneto. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXLIV pag.* 122.

Anno 1541. F. Thomas Cerva, Epiſcopus Mercanen., & Tribunen., ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis VII* dic-

dictum fuit, Epiſcopus Stagnacenſis, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Raguſino. Jus iſti Eccleſiæ dixit ad annum uſque *MDL*, obiitque Epiſcopus Mercanenſis, & Tribunenſis anno *MDLXII*, uti conſtat ex Monumentis Archivi *Raguſini* Cœnobii.

F. Johannes Baptiſta, Hiſpanus, Epiſcopus Uticenſis in Africa, ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi. Anno 1542.
Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCL pag. 327, ubi notat *ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III*, quod *Johannes* Epiſcopus *Hipponenſis* renunciatus erat, *fuit autem poſtea eidem mutatus titulus Hipponenſis in Uticenſem de mandato Pontificis eo quia cognitum fuerat, quod Hipponenſis non vacaret*. Conſulendus idem *Fontana Titulo CCXCI pag.* 203. *Cavalerius Tomo I pag.* 373 *num. C.* Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Epiſcopi *S. Thomæ*. Nec diſtinguendus iſte videtur a Fratre *Johanne Baptiſta Luſitano* Epiſcopo *S. Thomæ* de quo *Cavalerius Tomo I pag.* 390 *num. CXXXVIII.*

F. Johannes Ruager, Teuto, Epiſcopus Naturenſis, in Thracia, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. Anno 1542.
Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXIII pag. 245, *ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III. Cavalerius Tomo I pag.* 379 *num. CXI.* Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Epiſcopi *Bambergenſis*.

F. Thomas Caſellius, Roſſanenſis, Epiſcopus S. Leonis, in Calabria, ſub Archiepiſcopo S. Severinæ. Anno 1542.
Ughellus in Epiſcopis S. Leonis Tomo IX Italiæ Sacræ pag. 515 *edition. Venetæ*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXVIII pag.* 286. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDLXXI pag.* 216. *Cavalerius Tomo I pag.* 426 *num. CCCCII.* Eccleſiis *Bertinoren.*, *Oppiden.*, & *Caven.* deinde præfuit *Thomas*, ut in hac, & ſequenti *Appendice* dicetur.

F. Bartholomæus De las Caſas, Epiſcopus Civitatis Regalis, in America, ſub Archiepiſcopo Mexicano. Anno 1543.
Chiapenſis Epiſcopus vulgo dicitur. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXIV pag.* 166, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ, & Ægidio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 408 *num. CLXXIX. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDLXVI pag.* 192.

F. Valerianus de Varſo, Cracovienſis, Epiſcopus Margaritenſis, ſeu Margen., vulgo *Margo*, in Mœſia prima. Anno 1543.
Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Epiſcopi Uladiſlavienſis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXV pag.* 225, *ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III. Cavalerius Tomo I pag.* 376 *num. CVII. Dominicus Frydrycowictz in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag.* 219.

F. Raynerius Ceulo, Piſanus, Epiſcopus Majorenſis, ſeu *Majumen.*, in Aſia, ſub Archiepiſcopo Nazareno. Anno circiter 1543.
Sic docet *Cavalerius Tomo I pag* 373 *num. CVII*, *ex Ambroſio Altamura*.

F. Johannes Hiſpanus, Epiſcopus Civitatis de Circo, in America, ſub Archiepiſcopo Limano. Anno 1544.
Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXXVIII pag. 170, *ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III. Cavalerius Tomo I pag.* 374 *num. CI.*

F. Petrus de Caſtro, Segobienſis, Epiſcopus Segobienſis, *Segovia*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. Anno circiter 1544.
Cavalerius Tomo I pag. 373 *num. XCVIII*, ex variis Scriptoribus quos laudat.

F. Jacobus Buſſolarius, Epiſcopus Iſclanenſis, *Iſchia*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Neapolitano. Anno circiter 1544.
Cavalerius Tomo I pag. 373 *num. XCIX*, *ex Sonegio*.

F. Ægidius Gaudz, Doctor Pariſienſis, Epiſcopus Raren. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Epiſcopi Nannetenſis. Anno 1544.
Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXXIV pag. 271, *ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III*. *Cavalerius Tomo I pag.* 374 *num. CII*. Ubinam ſit hæc *Rarenſis* Sedes, me fugit.

F. Martinus de Calatayas, Epiſcopus S. Marthæ, in America, ſub Archiepiſcopo S. Dominici. Anno 1544.
Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXI pag. 287, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ*. *Cavalerius Tomo I pag.* 374 *num. CIII.*

F. Antonius de Valdevieſo, Hiſpanus, Epiſcopus Legionenſis de Nicaragua, in America, ſub Archiepiſcopo Mexicano. Anno 1544.
Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXIII pag. 213, *ex Actis*

Conſiſtorialibus Pauli III, & *Titulo CCCCXX pag.*247, *ex iiſdem Actis*, *Fernandez*, & *Ægidio*. *Cavalerius Tomo I pag.*381 *num.CXVI.*

Anno 1544. F. Franciſcus Robles, Hiſpanus, Epiſcopus Nicopolenſis. Hujuſce Sedis mentio in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXIII Tomo II pag.*530. Suffraganeus, ſeu Vicarius Archiepiſcopi *Tarraconenſis* fuit *Franciſcus* iſte. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CCCCXXII pag.*248, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ*, & *ex Lopez*. *Cavalerius Tomo I pag.*395 *num. CXLVIII.*

Anno 1544. F. F. Jacobus Nuelantius, Epiſcopus Clugienſis, ſeu Foſſæ Clodiæ, *Chiozza*, in ſtatu Veneto ſub Patriarcha Veneto. *Ughellus in Epiſcopis Clugien. Tomo V Italiæ Sacræ pag.*1354 *edition. Venetæ*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CXC pag.*174, *ex Plodio*, & *Luſitano*. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDLXIX pag.*202, & *in Addendis pag.*998. *Cavalerius Tomo I pag.*418 *num.CXCI.*

Anno 1544. F. Thomas Caſellius, *ex Epiſcopo S. Leonis*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Bertinorius, & Foropopilien., in Æmilia, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.LXXXVII pag.*140, *ex Ughello*. *Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Ad Epiſcopatum *Oppidenſem* tranſlatus fuit, uti mox dicetur.

Anno 1544. F. Johannes Solanus, Hiſpanus, Epiſcopus Cuſchenſis, *Cuſco*, in America, ſub Archiepiſcopo S. Dominici. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit CCXV pag.* 184. *Cavalerius Tomo I pag* 463 *num.CCLII.* *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.*27. Obiit *Romæ*. Jacet in ædibus Sacris *S. Mariæ ſupra Minervam*, ubi ſequens inſcriptio.

Diſperſit dedit Pauperibus
D. O. M.
Johanni Solano Granatenſi Ord. Præd.
Cuſchi novi Orbis Epiſcopo
Erudita Sapientia, ac pietate inſigni
Eccleſiaſtici juris ſtudioſiſſ.
Quod cum in Epiſcopatu retinere non poſſet,
Eo depoſito, Urbem religioſiſſime coluit
Multis honoribus perfunctus.
Ampliſſ. opes B. Virg. Conventui
Super Minervam ad majorem Dei
Literarumque cultum largitus,
Animam auctori reddidit.
Grati, piique Patres Poſ.
Vixit An. LXXVI Ob. XIX Kal. Febr.
MDLXXX.

Anno 1544 F. Thomas Stella, Venetus, Epiſcopus Salpenſis, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Tranenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DVII pag.* 283, *ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III.* *Ughellus in Epiſcopis Salpen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 919 *edition. Venetæ*. *Cavalerius Tomo I pag* 411 *num. CLXXX*. *Echard Tomo II Scriptorum Ord. ad annum MDLXVI pag.* 197. Ad alias Sedes tranſlatus fuit, ut in hac, & ſequenti *Appendice* dicetur.

Anno 1545. F. Gregorius Caſtagnola, Epiſcopus Milenſis, ſeu Melenſis, *Milo*, in ejuſdem nominis Inſula Maris Ægæi, ſub Archiepiſcopo Naxenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXXIII pag.* 235, *ex Actis Conſiſtorialibus*. *Cavalerius Tomo I pag.* 379 *num. CXIV.*

Anno 1546. F. Paulus de Torres, Epiſcopus Caſtellæ Aureæ, in America, ſub Archiepiſcopo Limano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. CXLVII pag.* 159, *ex Actis Conſiſtorialibus*. *Cavalerius Tomo I pag.* 397 *num. CLIII.*

Anno 1546. F. Petrus Ranche, Epiſcopus Naturenſis, in Thracia, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXIII pag.* 245, *ex Actis Conſiſtorialibus*. *Cavalerius Tomo I pag.* 379 *num. CXIII*. Epiſcopi *Bambergenſis* Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit.

Anno 1546. F. Ambroſius Catharinus Politus, Epiſcopus Minorenſis, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Amalphitano. *Ughellus in Epiſcopis Minoren. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 314 *edition. Venetæ*. *Fontana Thea-*

Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXC pag. 237. Cavalerius Tomo I pag. 385 num. CXXVII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDLIII pag. 144, & 332. Ad Archiepiſcopatum *Compſanum* tranſlatus fuit vir celeberrimus, ut in *Appendice* ſequenti dicetur.

F. Clemens Boulci, Baleii, vel Balley, Gallus, Epiſcopus Chryſopolitanus, in Arabia, ſub Archiepiſcopo Boſtrenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXXI pag. 169, & Tit. CCIX pag. 182, ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III. Cavalerius Tomo I pag. 426 num. CCIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag. 25.* Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Epiſcopi *Tullenſis*. Anno 1547.

F. Thomas Stella, ex Epiſcopo *Salpenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Lavellenſis, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXIX pag. 212. Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Ad *Juſtinopolitanam* Sedem tranſlatus fuit, ut in ſequenti *Appendice* dicetur. Anno 1547.

F. Laurentius Gerardi de Coſta, Bergomas, Epiſcopus *in partibus*, ut loquuntur, Suffraganeus, ſeu Vicarius Bononienſis Antiſtitis. *Cavalerius Tomo I pag. 384 num. CXXII*, ex variis Scriptoribus, quos laudat. Anno circiter 1548.

F. Albertus Duimius, vel Divinius, de Clericis, vel Glirieis, Epiſcopus Modruſienſis, *Modruſch*, in Croatia, ſub Archiepiſcopo Spalatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXCV pag. 239, ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag. 397 num. CLIV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDLXII pag. 181.* Ad *Veglanenſem* Epiſcopatum tranſlatus fuit, ut ex ſequenti *Appendice* videre eſt. Anno circiter 1548.

F. Thomas Caſellius, ex Epiſcopo *Bertinorenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Oppidenſis, in Calabria, ſub Archiepiſcopo Rhegienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXXVI pag. 251, ex Actis Conſiſtorialibus Pauli III, & Ughello. Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Ad *Cavenſem* Epiſcopatum tranſlatus eſt, ut in ſequenti *Appendice* dicetur. Anno 1548.

F. Antonius Jacobi, ex Comitibus Lucurri, Epiſcopus Brugnatenſis, in Liguria, ſub Archiepiſcopo Genuenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CVII pag. 147, ex Ughello, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 457 num. CCXLVI, & CCXLVII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag. 22.* Anno 1548.

F. Leonardus de Marinis, deſignatus Epiſcopus Peruſinus, in finibus Umbriæ, immediate ſub S. Sede. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXI pag. 263, ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag. 436 num. CCXVI.* Idem Epiſcopus *Leodienſis* fuit, variis Legationibus clarus, ut poſtea dicetur. Anno 1549.

LEGATI.

F. Thomas Badia, Mutinenſis, S. R. E. Cardinalis, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Legatus de Latere, ut S. Tridentino Concilio præſideret. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. III Tit. I pag. 366, ex Actis Conſiſtorialibus*, in quibus ſic legebat. *Die XVI Octobris in Conſiſtorio apud S. Petrum Pontifex* (Paulus III) *creavit Legatos de Latere ad Concilium Cardinales Pariſium, Badiam, & Polum, ad beneplacitum Sanctitatis Suæ.* Anno 1542.

F. Petrus Bertanus, Mutinenſis, Epiſcopus *Fanenſis*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, & poſtea S. R. E. Cardinalis, ut ex ſequenti videre eſt, ad Carolum V Cæſarem Legatus. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag. 358, ex Ughello. Cavalerius*, aliique ſupra laudati, Anno 1548.

INDEX

Hujus Quarti Voluminis Diplomata recenſens.

INNOCENTIUS	VIII	Habet	105.
In Appendice			27.
ALEXANDER	VI		128.
In Appendice			63.
PIUS	III		1.
JULIUS	II		83.
In Appendice			66.
LEO	X		117.
In Appendice			17.
ADRIANUS	VI		11.
In Appendice			2.
CLEMENS	VII		114.
In Appendice			7.
PAULUS	III		125.
In Appendice			5.
			871.

IN-

INDEX CHRONOLOGICUS
Diplomatum Quarti Voluminis.

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
INNOCENTIUS VIII.	I.	1484	Octobris	17	DE Viterbienſi lite componenda.	1
	II.			22	Eadem de re.	1
	III.		Decembris	5	Inquiſitoribus in maleficos, & id genus ceteros.	2
	IV.	1485	Aprilis	9	Pro Capitulo Provinciæ Romanæ.	3
	V.		Maii	21	De F. Georgio Fabri.	3
	VI.				Idem fit Inquiſitor Livoniæ.	5
	a VII. ad XVIII.				Inquiſitores nonnulli conſtituti.	5
	XIX.		Julii	6	Pro F. Ludovico de Valentia.	7
	XX.		Auguſti	16	Facultates conceſſæ Procuratori Generali.	7
	XXI.	1486	Januarii	2	Indulgentia pro Capitulo Generali.	8
	XXII.			8	De Ferrarien. Eccleſia S. Mariæ Angelorum.	9
	XXIII.		Februarii	19	Pro Cœnobio de Burges Vaill.	9
	XXIV.		Maii	24	De Magiſtri Generalis electione.	10
	XXV.		Junii	27	Pro Toletano Monaſterio Matris Dei.	11
	XXVI.		Julii	26	Ordini FF. Prædicatorum conceſſas Indulgentias firmat, & auget.	12
	XXVII.		Auguſti	22	Moniales Toletani Monaſterii Matris Dei poſſint carnibus veſci.	14
	XXVIII.		Septembris	1	De reformando Mediolanenſi Monaſterio *Veterum* nuncupato.	15
	XXIX.			30	Qui civili Magiſtratui puniendi traduntur pœnas ab Inquiſitoribus latas perſolvant ſine nova litis recognitione.	15
	XXX.		Octobris	1	Pro Viterbienſi Cœnobio.	16
	XXXI.			24	Pro eodem.	16
	XXXII.			26	De Velienſi Cœnobio.	16
	XXXIII.		Novembris	29	Prior FF. Prædicatorum conſtituat unum ex duodecim Rectoribus Mantuani Montis Pietatis.	17
	XXXIV.		Decembris	19	Donationem FF. Raguſinis factam confirmat.	20
	XXXV.			20	Facultates conceſſæ Vicario Generali Ordinis.	20
	XXXVI.	1487	Januarii	28	Pro Villadenſi Cœnobio.	21
	XXXVII.		Martii	2	Regin. Moniales Ordinis S. Benedicti committuntur curæ FF. Prædicatorum.	22
	XXXVIII.			10	Ne FF. Prædicatores Inquiſitores quæſtionem inſtituant in Fratres Minores, & viciſſim.	22
	XXXIX.		Aprilis	20	De Caſtriveteran. Cœnobio.	24
	XL.			26	Animarum cura Villæmencienſi Conventui commiſſa.	24
	XLI.		Junii	1	Pro Aveyrenſe Cœnobio.	26
	XLII.			3	Pro Ferrarienſi.	26
	XLIII.		Julii	24	De componenda lite Viterbien. Fratribus illata.	27
	XLIV.		Auguſti	22	Hoſpitale Tabernenſe Domui Fratrum Prædicatorum unitur.	27
	XLV.		Octobris	3	Pro Lavallenſi Conventu.	28
	XLVI.			23	Fratres Sacramenta miniſtrent iis, qui vel ipſis, vel Monialibus Ordinis famulantur.	29
	XLVII.			28	De ſpatio quo diſtare debent Mendicantium Fratrum Cœnobia.	29
	XLVIII.				Parochialis Eccleſia de Pobladura unitur Cœnobio S. Juliani de Monte.	30
	XLIX.		Novembris	13	De amplianda quadam poſſeſſione Monaſterii Mantuani.	31

Pri-

INNOCENTIUS VIII.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
	L.	1488	Januarii	19	Privilegia a Sixto IV Ordinibus Mendicantibus conceſſa firmat.	32
	LI.			31	De Garrexienſi Cœnobio.	33
	LII.		Februarii	9	De quibuſdam Fratribus transferendis ad Ordinem B. Mariæ Teutonicorum.	35
	LIII.		Junii	7	Conventus e Provincia Saxoniæ ad Hollandiæ Congregationem translatos, eidem Provinciæ reſtituit.	36
	LIV.		Julii	15	De Barbaſtrenſi Cœnobio.	37
	LV.			24	De reformando Piſano Conventu S. Catharinæ.	38
	LVI.		Auguſti	18	Eadem de re.	38
	LVII.		Septembris	9	De Valliſoletano Collegio.	38
	LVIII.				Idem.	39
	LIX.				Conſervatores hac de re creati.	40
	LX.			22	Ut per Villadenſem Priorem liceat Fratribus ter qualibet hebdomada carnibus veſci.	40
	LXI.		Decembris	4	Galwienſis Cœnobii fundandi facultas.	41
	LXII.			16	De tribus Cœnobiis in Hibernia fundandis.	42
	LXIII.	1489	Januarii	5	De reædificando Audomarenſi Cœnobio.	42
	LXIV.		Februarii	28	Privilegia Fratribus Hiſpanæ Provinciæ conceſſa.	43
	LXV.		Martii	12	Idem pro Hiſpana Congregatione.	44
	LXVI.			16	Privilegia Fratrum Reformatorum Aragoniæ.	46
	LXVII.		Aprilis	30	Pro Kereſzegienſi Cœnobio.	46
	LXVIII.		Maii	9	De fundando Conventu Labathlan.	47
	LXIX.		Junii	30	Pro F. Thoma de Monteroyo.	48
	LXX.				Pro F. Matthæo de Bonis.	48
	LXXI.		Julii	3	Prorogatio, & translatio Capituli Generalis.	48
	LXXII.		Auguſti	3	Reſcindit literas in gratiam Provinciæ Saxoniæ contra Congregationem Hollandiæ datas.	49
	LXXIII.			11	De transferendo Truxillenſi Conventu.	51
	LXXIV.				Eadem de re.	52
	LXXV.			26	Moniales Mediolanenſis Monaſterii Veterum committit curæ Vicarii Generalis Congregationis Lombardiæ.	52
	LXXVI.		Septembris	28	De Monaſterio S. Catharinæ uniendo Monaſterio S. Agathæ Novarien.	53
	LXXXVII.		Octobris	2	Conſervatores creat pro Cœnobio San-Maximinenſi.	54
	LXXVIII.			24	De fundando Cintylienſi Monaſterio.	55
	LXXIX.		Novembris	8	Quadam præſcribit Monialibus Monaſterii S. Catharinæ.	56
	LXXX.			14	De Beneficiis uniendis Valliſoletano Collegio.	57
	LXXXI.		Decembris	18	Piſciacenſe Monaſterium privilegiis ornat.	59
	LXXXII.	1490	Februarii	22	Inſerit, firmat, & auget privilegia Cœnobio San-Maximinenſi conceſſa.	60
	LXXXIII.				Conſervatores hac de re conſtituti.	61
	LXXXIV.		Martii	10	Cœnobii in Diœceſi Gebennenſi fundandi facultas.	62
	LXXXV.		Aprilis	3	De Ripaltenſi Cœnobio.	63
	LXXXVI.			20	Firmat ea quæ Monialis, votis ſolemnibus jam nuncupatis, teſtamento caverat.	63
	LXXXVII.			29	Apuliæ Provinciam dividit ab aliis Provinciis.	64
	LXXXVIII.		Junii	15	F. Joachinus Turrianus Ordinem viſitet, ac reformet.	65
	LXXXIX.		Julii	4	Pro Cœnobiis, & Monaſteriis, Ovetenſis Diœceſis.	65
	XC.			16	De Sacris Stigmatibus S. Catharinæ Senenſis.	66
	XCI.	1491	Februarii	1	De Definitoribus in abſentium locum ſubſtituendis.	66
	XCII.				De Ordine reformando.	66
	XCIII.				De Definitoribus Capituli Generalis.	67
	XCIV.			26	Sodales SS. Roſarii Indulgentiis ornat.	67
	XCV.		Martii	18	Provinciali Provinciæ S. Dominici, & F. Ludovico de Ferraria quædam agenda præſcribit.	68

Pro

Digitized by Google

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
INNOCENTIUS VIII.	XCVI.	1491	Martii	30	Pro Abulenſi Cœnobio S. Thomæ.	68
	XCVII.		Maii	7	De perficiendo Palentino Cœnobio.	69
	XCVIII.		Junii	20	Fratres Congregationis Lombardiæ curam gerant Monaſterii Regin. Ordinis S. Benedicti.	70
	XCIX.		Julii	29	Idem Monaſterium eximitur Epiſcopi juriſdictione.	71
	C.		Septembris	6	De damnis illatis Cœnobio Viterblen.	71
	CI.		Novembris	26	De F. Vincentio de Rebonis, cæteriſque Regni Cypri Prædicatoribus.	72
	CII.	1492	Februarii	27	De Neocaſtrenſi Cœnobio reædificando.	73
	CIII.		Aprilis	27	Ratam habet vivendi normam Monialium Piſciacen. Monaſterii.	74
	CIV.		Junii	26	Valentini Monaſterii fundandi facultas.	74
	CV.			30	Pro Ferrarienſi Cœnobio.	75
ALEXANDER VI.	I.		Auguſti	26	Privilegium conceſſum Piſciacenſi Monaſterio.	88
	II.				Electio Prioriſſæ Tertii Ordinis de Urbe a Magiſtro Generali confirmanda.	89
	III.				Eccleſiaſticum Beneficium unit Aquenſi Cœnobio.	90
	IV.		Septembris	1	Ne Cœnobium conſtituatur in oppido Coppeti.	91
	V.				Eadem de re.	92
	VI.		Novembris	29	De fundando Monaſterio in Marchionatu de Moyra.	92
	VII.		Decembris	28	Pro F. Mariano de Vico.	93
	ab VIII. *ad* X.				Fratribus Paulo Saur, Sebaſtiano de Laurino, & Gerardo Rodati quædam Beneficia confert.	94
	XI.			29	In bonorum Raguſini Cœnobii detentores.	94
	XII.	1493	Januarii	8	Fratres ſint in poſſeſſione bonorum Monaſteriorum Monialibus deſtitutorum.	95
	XIII.			21	Undecim Conventus Terræ laboris curæ Congregationis Lombardiæ committit.	95
	XIV.		Februarii	22	Montis Cerignonis Cœnobii fundandi facultas.	96
	XV.			23	Vicarius Congregationis Lombardiæ curam gerat Aquilani Cœnobii.	96
	XVI.		Martii	19	Quoddam Hoſpitale Florentinæ Diœceſis unitur Societati S. Petri Martyris.	97
	XVII.		Maii	7	Ut Reatini Monaſterii Sorores vota ſolemnia nuncupare poſſint.	98
	XVIII.			19	Pro Minervitano Cœnobio de Urbe.	99
	XIX.			22	Florentinum Cœnobium S. Marci diſtrahitur a Congregatione Lombardiæ.	100
	XX.		Junii	8	Aquilanum Cœnobium S. Mariæ de Populo ſolius Generalis Magiſtri juriſdictionis ſit.	101
	XXI.		Julii	19	De reformando Cœnobio S. Severini.	101
	XXII.			31	De Balurolenſi Cœnobio perficiendo.	102
	a XXIII. *ad* XXVII.				Quamplures Inquiſitores conſtituti.	103
	XXVIII.	1494	Januarii	1	Septempedanum Cœnobium juris ſit Congregationis Lombardiæ.	104
	XXIX.			23	Lombardiæ Congregationem privilegiis ampliſſimis ornat.	104
	XXX.		Februarii	28	De fundando Toletano Cœnobio B. Mariæ de Nivibus.	105
	XXXI.		Aprilis	19	Pro Cœnobio Budovicenſi.	106
	XXXII.		Maii	31	De non conſtituendo Cœnobio in oppido Coppeti.	107
	XXXIII.	1495	Januarii	28	Olomucen. Monaſterii S. Catharinæ privilegia firmat	109
	XXXIV.		Februarii	12	De Leyricnſi Monaſterio.	109
	XXXV.			13	De eodem.	110
	XXXVI.			16	De Decimis non ſolvendis.	111
	XXXVII.		Maii	2	De Beneficiis uniendis Valliſoletano Collegio.	112
	XXXVIII.			22	F. Matthæus de Panitiis Pœnitentiarius creatur.	114

Pro-

ALEXANDER VI. Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
XXXIX.	1495	Maii	23	Provinciæ Tentonicæ Fratres *de Vita communi* nuncupati habeant Vicarium Generalem.	114
XL.		Junii	13	Indulgentias, & Privilegia Confraternitati SS. Roſarii conceſſa firmat & auget.	115
XLI.		Julii.	8	Ratam habet reformationem Septempedani Conventus.	116
XLII.		Septembris	9	Reſcindit literas in Bergomenſes Fratres datas.	117
XLIII.			12	De Cœnobio S. Michaelis Diœceſis Lucan.	117
XLIV.			28	Quædam nonnullis Fratribus Congregationis Lombardiæ conceſſa reſcindit, & interpretatur.	119
XLV.			30	Fratres non ſolum die Paſchatis, ſed etiam mortis tempore Sacramenta miniſtrent Fratribus, ac Sororibus Tertii Ordinis.	120
XLVI.		Octobris	30	Moniales Ordinis, ac Sorores de Pœnitentia fruantur Privilegiis ſibi conceſſis.	120
XLVII.	1496	Februarii	20	Undecim Conventus Terræ laboris committit curæ Vicarii Generalis Congregationis Lombardiæ.	121
XLVIII.		Maii	14	Ne poſſeſſiones Cœnobii Viterbienſis abalienentur.	121
XLIX.		Junii	7	Nonnullorum Cœnobiorum, & Monaſteriorum privilegia firmat.	122
L.		Julii	29	S. Thomam laudibus effert.	122
a LI. *ad* LIII.				Indulgentias elargitur.	123
LIV.		Novembris	7	Congregatio conſtituta in Romana Provincia.	124
LV.			12	Ne quis ex judæis ortus aſcribatur Conventui Fratrum Abulenſis Cœnobii.	125
LVI.				Firmat donationes factas a Fratre Thoma de Turrecremata Cœnobiis Valliſoletano, Segobienſi, & Abulenſi.	126
LVII.		Decembris	6	De Fratribus recipiendis in Congregatione Romanæ Provinciæ.	126
LVIII.	1497	Januarii	20	Mediolanenſe Monaſterium S. Mariæ de Purificatione committitur curæ Vicarii Generalis Lombardiæ.	127
LIX.		Februarii	13	Arrientii Cœnobii fundationem firmat.	128
LX.			28	De Lobenſi Cœnobio.	128
LXI.		Aprilis	5	Pro Congregatione Lombardiæ ſancita declarat.	129
LXII.			6	Ne Congregationis Lombardiæ Fratres Argentien. Cœnobii curam dimittant.	130
LXIII.			14	De Cœnobio S. Mariæ ſupra Taburnum.	130
LXIV.		Maii	13	Quædam Cœnobia transfert e Provinciis Toloſana, & Provinciæ ad Congregationem Franciæ.	131
LXV.			20	Ordinis juriſdictioni reſtituit Monaſterium in Studentz.	133
LXVI		Junii	10	De reformando Trecenſi Cœnobio.	133
LXVII.			20	Vicarius Generalis Lombardiæ curam gerat Bononienſis Monaſterii S. Petri Martyris.	134
LXVIII.		Julii	20	De rebus ſacris in Eccleſia Villadenſis Cœnobii peragendis.	135
LXIX.		Septembris	9	De Vemorienſi Cœnobio.	136
LXX.		Octobris	26	De Cœnobio B. Mariæ de Martyribus.	136
LXXI.		Decembris	25	Unit Hoſpitale S. Henrici Viguerienſi Cœnobio.	137
LXXII.	1498	Januarii	3	Ne Domus Auxitan., Albien., & Altivillaris diſtrahantur a Provincia Toloſana.	138
LXXIII.			13	Monaſterium Virginum Annunciationis B. Mariæ Virginis Mediolanen. committitur curæ, & regimini Vicarii Generalis Lombardiæ.	139
LXXIV.			18	Luciam de Narnia (Beatam) Romam acceſſit.	140
LXXV.		Februarii	1	De Cœnobio B. Mariæ de Martyribus.	140
LXXVI.		Martii	20	Pro Ratiſponenſe Monaſterio S. Crucis.	141
LXXVII.		Junii	12	De beneficio uniendo Toletano Cœnobio S. Petri Mar-	

ALEXANDER VI.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
					Martyris.	142
	LXXVIII.	1498	Junii		Eadem de re.	143
	LXXIX.			21	De Cordubenſi Monaſterio S. Mariæ de Gratia.	144
	LXXX.			22	Bononienſe Monaſterium S. Petri Martyris committitur curæ Vicarii Generalis Congregationis Lombardiæ.	145
	LXXXI.			23	F. Johannes Preſini fit Pœnitentiarius Avenionenſis.	146
	LXXXII.		Julii	3	De reformando Trecenſi Cœnobio.	146
	LXXXIII.			8	De Capitulo Generaliſſimo Romæ celebrando.	147
	LXXXIV.			23	De fundatione Conventus Briatici.	148
	LXXXV.			26	De conſtituendo Neapolitano Conventu S. Catharinæ de Formello.	149
	LXXXVI.		Auguſti	18	De votis ſolemnibus nuncupandis a Placentinis Fratribus de Pœnitentia.	150
	LXXXVII.	1499	Martii	9	Cœnobii B. Mariæ de Jeruſalem in Hiſpania fundandi facultas.	151
	LXXXVIII.		Aprilis	9	Firmat ea, quæ pro Colonien. Cœnobio S. Crucis ſtatuta ſunt.	152
	LXXXIX.		Maii	27	De Abbatiali dignitate conſtituenda in Prioratu Monaſterii de Vega, Ordinis S. Benedicti, ſub jnriſdictione Vicarii Provincialis Provinciæ Caſtellæ Ordinis Prædicatorum.	153
	XC.		Junii	8	De Belmontenſi Monaſterio.	154
	XCI.			13	De Doviziancenſi Cœnobio.	155
	XCII.			28	De Beneficio Eccleſiaſtico fundando in Cordubenſi Monaſterio S. Marthæ.	155
	XCIII.		Decembris	23	De Burgundienſi Cœnobio.	156
	XCIV.	1500	Januarii	28	De uniendis Urbevetanis Cœnobiis S. Pauli, & S. Pancratii.	157
	XCV.		Februarii	18	De conſtituendis Inquiſitoribus Lombardiæ.	158
	XCVI.		Maii	2	De Caucenſi Cœnobio.	159
	XCVII.		Junii	27	Indulgentia pro Vaſuarien. Cœnobio in quo ſervatur Hoſtia Sanguine miraculoſe aſperſa.	160
	XCVIII.				De Vianenſi Monaſterio.	161
	XCIX.			30	Unit beneficium Toletano Cœnobio.	162
	C.				Domum B. Mariæ de Nivibus ſeparat a Toletano Conventu S. Petri Martyris.	163
	CI.		Auguſti	3	F. Franciſcus de Florentia fit Vicarius Generalis Ordinis Prædicatorum.	164
	CII.		Novembris	29	F. Vincentius de Caſtronovo Vicarius Generalis Ordinis renunciatus.	165
	CIII.	1501	Januarii	19	Wiſemburgen. Monaſterium juris fit Provincialis Teutoniæ.	165
	CIV.		Februarii	5	Fratres Prædicatores, & Minores gaudent omnibus Privilegiis, ceteris Mendicantibus conceſſis.	166
	CV.			25	De reficiendis ſacris ædibus ac Cœnobio Viterbien.	167
	CVI.		Martii	15	Pro Capitulo Generali.	167
	CVII.		Aprilis	28	Vicarius Generalis primum locum teneat in Capitulo, & ſuffragium ferat.	168
	CVIII.		Maii	5	De firmandis nonnullis ſtatutis Vallisoletani Collegii.	169
	CIX.			31	De beneficio collato Varadienſi Cœnobio.	170
	CX.				Eadem de re.	171
	CXI.		Junii	23	De Vilnenſi Cœnobio.	171
	CXII.		Auguſti	2	Fratres redeant in poſſeſſionem Cœnobii Palmenſis.	173
	CXIII.			21	De Prioribus eligendis quolibet triennio & Magiſtris in Theologia creandis.	174
	CXIV.		Septembris	4	Firmat Confraternitatem B. Mariæ Rupis Franciæ.	175
	CXV.				Idem.	179
	CXVI.			11	De Eccleſia S. Luciæ unienda Piſano Monaſterio	

ALEXANDER VI.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
					S. Pauli.	179
	CXVII.	1501	Octobris	5	De Studentibus ad Salmanticenſe Collegium mittendis a Conventu B. Mariæ de Rupe Franciæ.	180
	CXVIII.			26	De Contributionibus ſolvendis Provinciali Teutoniæ.	181
	CXIX.			30	Pro Cœnobi Veneto SS. Johannis, & Pauli.	182
	CXX.	1502	Januarii	4	De Corregienſi Cœnobio.	182
	CXXI.		Martii	19	Quædam in gratiam Vallifoletani Collegii ſancita firmat.	184
	CXXII.		Maii	24	Pro Sanſeverinen. Cœnobio.	184
	CXXIII.		Novembris	5	De Caucenſi Cœnobio.	185
	CXXIV.		Decembris	20	De novo Monaſterio Papienſi fundando.	187
	CXXV.	1503	Februarii	23	De componenda lite Mutinenſibus Fratribus illata.	189
	CXXVI.		Aprilis	29	De Sepultura cujuſdam mulieris.	189
	CXXVII.		Maii	16	De quibuſdam Fratribus Domus *Alleluya* nuncupatæ.	190
	CXXVIII.	....	....		In Magos, & id genus ceteros.	190
PIUS III.	I.		Octobris	1	De transferendo Capitulo Generali.	215
JULIUS II.	I.		Novembris	26	Pro F. Johanne Poreti.	216
	a II. *ad* IV.				Fratres nonnullos beneficiis eccleſiaſticis donat.	216
	V.		Decembris	18	F. Petrus Lyetardi Tullenſis Inquiſitor renunciatus.	217
	VI.				F. Ægidius de Hollandia Leodienſis Inquiſitor creatur.	217
	VII.	1504	Januarii	23	De reformandis Hiberniæ Cœnobiis, & ibidem Vicario Generali conſtituendo.	217
	VIII.				Congregationi Lombardiæ conceſſa privilegia firmat.	218
	IX.		Februarii	13	Ne Fratres Congregationis Lombardiæ curam dimittant Cumani Monaſterii Ordinis S. Benedicti.	219
	X.		Martii	4	De reformando Viterbienſi Cœnobio S. Mariæ ad Gradus.	219
	XI.			16	De Carbonerenſi Cœnobio.	220
	XII.		Aprilis	16	Conventus Sarzanenſis e Provincia Tuſciæ ad Provinciam Lombardiæ Superioris transfertur.	220
	XIII.		Junii	23	De reformando Fulginatenſi Cœnobio	221
	XIV.		Julii	27	Definit tempus officii Priorum Provincialis, Conventualis, Prioriſſæ &c.	221
	XV.		Auguſti	3	De non extrahendis Monialibus e Vallifoletano Monaſterio, & exteris non introducendis.	223
	XVI.		Octobris	22	Bononienſe Monaſterium S. Mariæ Magdalenæ ſubiicitur Juriſdictioni Generalis Magiſtri.	223
	XVII.	1505	Februarii	11	Fundationem in Cœnobio Cheſinenſi factam confirmat.	224
	XVIII.		Martii	8	De Fratribus ad Magiſterii gradum promovendis.	225
	XIX.			18	Ne Conventus reformati defugiant Juriſdictionem Provincialis.	225
	XX.				Ut quæ F. Vincentius Bandellus vitæ regularis gratia ſanxit, ſerventur.	226
	XXI.		Maii	15	De Corregienſi Monaſterio Corporis Chriſti.	226
	XXII.				Idem.	227
	XXIII.		Junii	3	Pro Lugdunenſi Cœnobio.	227
	a XXIV. *ad* XXIX.				Indulgentiæ conceſſæ.	228
	XXX.			17	Fratres Prædicatores curam ſuſcipiant Mediolanenſis Monaſterii S. Bernardi de Viglentino, Ordinis S. Benedicti.	229
	XXXI.		Auguſti	22	Literas quibus Priorum tempus definierat, in	

Ul-

JULIUS II.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM..	Pagina.
					Ultramontanis Provinciis ſuſpenſas declarat, & ratum habet quiequid hac de re ſancitum fuerit a Capitulo Generali.	230
	XXXII.		Novembris	8	De Carmonenſi Cœnobio.	230
	XXXIII.		Decembris	16	De Converſis Monialibus Florentini Monaſterii S. Jacobi de Ripolis.	231
	XXXIV.	1506	Januarii	10	Privilegia conceſſa Provinciæ Bohemiæ Fratribus.	232
	XXXV.		Martii	17	De Colimbrienſi Conventu transferendo.	233
	XXXVI.			24	Fratres Domus S. Catharinæ Senenſis e Tertio ad Primum Ordinem transfert.	233
	XXXVII.		Maii	15	Monaſterium S. Sixti de Urbe committit curæ Vicarii Generalis Congregationis Lombardiæ.	235
	XXXVIII.		Junii	16	Fratres Prædicatores curam gerant Cumani Monaſterii Ordinis S. Benedicti.	235
	XXXIX.		Julii	28	De legatis Vallisoletano Collegio.	236
	XL.		Auguſti	8	Florentini Monaſterii S. Petri Martyris Prioriſſa munus illud obeat toto tempore vitæ ſuæ.	237
	XLI.		Novembris	27	De Bononienſi Monaſterio S. Matthiæ.	238
	XLII.		Decembris	6	Literas in Mendicantes Fratres datas reſcindit.	238
	XLIII.			8	In eos, qui ſine licentia Magiſtri Generalis ad Doctoratus gradum promoti ſunt.	239
	XLIV.			22	De Sepultura.	240
	XLV.	1507	Januarii	21	Societatem Crueeſignatorum privilegiis ornat.	240
	XLVI.		Februarii	19	De Sacramentis miniſtrandis a Fratribus Mendicantibus.	241
	XLVII.		Aprilis	13	De Abulen. Monaſterio S. Catharinæ.	242
	XLVIII.		Maii	3	De Bevalacen. Cœnobio.	243
	XLIX.		Junii	18	De Monaſterio Aſſumptionis B. Mariæ Virginis in Hiſpania fundando.	244
	L.			28	S. Silveſtri de Urbe Cœnobii fundandi facultas.	246
	LI.		Julii	4	De Cœnobio Terrarum Pedaeii.	248
	LII.		Auguſti	20	F. Thomas de Vio Cajetanus fit Generalis Vicarius totius Ordinis.	248
	LIII.			22	Firmat compoſitionem Fratres Prædicatores inter & Eremitas S. P. Auguſtini Cæſenaten.	249
	LIV.		Octobris	9	De beneficiis ſecularibus non erigendis in ædibus fueris Ordinis Fratrum Prædicatorum.	249
	LV.		Decembris	7	Ordinis Prædicatorum Vicariis facultates conceſſas confirmat.	251
	LVI.	1508	Februarii	7	De pluribus campanis habendis in campanili Cœnobii S. Severi.	251
	LVII.		Martii	10	De Patavino Cœnobio S. Mariæ Gratiarum perficiendo.	252
	LVIII.		Maii	17	De promovendis ad Magiſterii gradum.	252
	LIX.		Auguſti	3	Magiſtrum Ordinis Privilegiis ornat.	253
	LX.			8	Ne Fratres extra Cœnobia commorentur.	254
	LXI.		Octobris	23	De uniendis Bononien. Monaſteriis S. Margaritæ, & S. Petri Martyris.	255
	LXII.				Eadem de re.	256
	LXIII.		Novembris	27	Ut literæ, quas Innocentius VIII in gratiam Conventus Villæmencienſis dedit, executioni mandentur.	257
	LXIV.	1509	Januarii	6	F. Johannem Baptiſtam Plumbum, ſine conſenſu Magiſtri Generalis Doctorem creatum, hujuſmodi gradu privandum declarat.	257
	LXV.		Junii	1	Quomodo privilegiorum communicatio inter Prædicatorum, & Minorum Ordines ſit intelligenda.	258
	LXVI.			25	Grottulenſem Ecclesiam B. Mariæ Majoris Parochialem facit, & Ordini concedit.	259
	LXVII.				Fratres Prædicatores curam gerant Salarum Monaſterii S. Hieronymi.	260
	LXVIII.		Julii	5	De Florentino Cœnobio reſtituendo Congregationi Tuſciæ.	260

De

JULIUS II.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
	LXIX.	1509	Auguſti	20	De Conventu prope Placentiam fundando.	261
	LXX.		Decembris	14	Magiſtrum Generalem privilegiis ornat, & Ordini conceſſa confirmat.	262
	LXXI.	1510	Januarii	28	Conventus Briaticenſis juris ſit Provinciæ Calabriæ.	263
	LXXII.		Februarii	20	Abrogat quædam privilegia nonnullis conceſſa, & cavet, ne Fratres Bulla, quam Cruciatam vocant, utantur.	263
	LXXIII.			27	Declarat, quod, paucis exceptis, Bulla Cœnæ non obſtat poteſtati abſolvendi Fratribus Ordinis Prædicatorum conceſſæ, variiſque privilegiis ornat Sorores de Pœnitentia collegialiter viventes.	264
	LXXIV.		Aprilis	23	F. Henricus Jacobin Pœnitentiarius S. Petri de Urbe creatur.	265
	LXXV.		Septembris	30	Unit hoſpitale S. Martini Conventui S. Johannis de Pedemonte extra muros Cuman.	266
	LXXVI.		Novembris	22	Translatio Capituli Generalis.	267
	LXXVII.	1511	Septembris	7	Firmat ſententiam, inſtante F. Domico de Garignano, latam in hæreſim ortam circa locum conceptionis Chriſti Salvatoris.	267
	LXXVIII.		Novembris	14	Ne Fratres appellent a correctione ſuperiorum, & ut appellantes ſint eo ipſo ab officiis abſoluti.	268
	LXXIX.	1512	Februarii	28	Capitulum Generale differt ad annum.	269
	LXXX.		Martii	5	Faventinos Fratres præficit Eccleſiæ SS. Andreæ, & Jacobi.	269
	LXXXI.			23	Ariminenſes Fratres Romam mittant librum Conciliorum Conſtantinopolitanorum.	270
	LXXXII.		Aprilis	20	De Soncinenſi Monaſterio.	271
	LXXXIII.		Auguſti	30	De conſtruendo Oriolenſi Cœnobio.	272
LEO X.	I.	1513	Aprilis	2	De interſtitiis, & prorogatione Prioratuum Congregationis Lombardiæ.	296
	II.		Maii	6	Ut imago B. Mariæ Virginis cuſtodiæ Monialium Monaſterii S. Lucæ committatur.	296
	III.		Septembris	25	De interſtitiis a Prioribus Aragoniæ ſervandis.	297
	IV.		Novembris	22	Ordinem Fratrum Prædicatorum, quem laudibus ornat iiſdem quæ ceteris ordinibus conceſſa ſunt, & concedentur, privilegiis donat, quia periculoſis temporibus Apoſtolicam Sedem tutatus eſt.	298
	V.	1514	Februarii	3	De Templis, ac ceteris id genus conſecrandis, vel benedicendis.	299
	VI.			18	De Cremenſe Monaſterio S. Mariæ Matris Domini.	300
	VII.			22	De officiis, quæ in Ordine Fratrum Prædicatorum temporaria eſſe debent.	301
	VIII.			23	De reformando Monaſterio S. Auræ de Urbe.	301
	IX.		Martii	2	De reficiendo Corrigienſe Monaſterio.	302
	X.			13	Segovien., & Valliſoletan. Cœnobiis beneficia confert.	302
	XI.		Aprilis	1	F. Ægidius Charrondelli Inquiſitor Regni Franciæ creatur.	303
	a XII. ad XVII.				Indulgentias elargitur.	304
	XVIII.		Junii	8	Papienſe Monaſterium Ordinis S. Benedicti committitur curæ Fratrum Prædicatorum.	306
	XIX.			15	De bonis abalienandis in Italia.	307
	XX.		Septembris	1	Pro F. Johanne de Toledo.	308
	XXI.			14	Andegavenſem Confraternitatem de Roſario, & de Pietate privilegiis ac Indulgentiis ornat.	308
	XXII.				Eadem de re.	310
	XXIII.		Octobris	2	De Ontinienſi Cœnobio.	310
	XXIV.			10	Provinciam Bæticam dividit ab Hiſpania, & De-	

cre-

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
LEO X.					cretum contra diuturnitatem Priorum &c. renovat.	311
	XXV.	1514	Octobris	10	Ne Moniales exeant e Monaſteriis ſine licentia Magiſtri Ordinis.	312
	XXVI.			28	De conſtituenda Gallicana Congregatione.	313
	XXVII.	1515	Januarii	31	De Sarnenſi Monaſterio.	315
	XXVIII.				De ſtipe Fratribus Indis eroganda.	315
	XXIX.		Februarii	23	De modo quo fieri debent electiones Canonicæ.	316
	XXX.		Martii	28	Pro Capitulo Generali.	317
	XXXI.		Aprilis	12	De Doctoribus a Magiſtro Generali creandis.	318
	XXXII.		Maii	14	Ne Romæ ſine Vicarii Summi Pontificis, & Magiſtri Sacri Palatii, alibi vero ſine Epiſcopi, & Inquiſitorum facultate libri typis edantur.	318
	XXXIII.				Firmat a Prædeceſſoribus ſuis ſancita in gratiam Briaticenſis Cœnobii.	319
	XXXIV.		Junii	5	De Salmanticenſi Collegio.	320
	XXXV.			25	Fratres Congregationis Lombardiæ veniant in poſſeſſionem Monaſterii S. Auræ de Urbe.	321
	XXXVI.			27	De electione Provincialis Hiſpaniæ.	322
	XXXVII.		Julii	2	Provincia Germaniæ Inferioris conſtituitur.	323
	XXXVIII.			21	Ne Fratres extra Conventus degant.	325
	XXXIX.		Novembris	6	Ne Congregationis Lombardiæ Fratres curam Monialium quæ juſſa Superiorum negligunt habere teneantur.	326
	XL.	1516	Februarii	7	Taurenſi Cœnobio beneficium confert.	326
	XLI.				Eadem de re.	328
	XLII.		Aprilis	14	De Hiſpalenſi Collegio.	328
	XLIII.		Julii	12	De tempore quo perſtare debent Priores in Congregatione Sancti Marci.	329
	XLIV.		Auguſti	20	De Eborenſi Monaſterio cui a Paradiſo nomen eſt.	330
	XLV.				Aldeæ novæ Monaſterio beneficium confert.	331
	XLVI.		Septembris	1	De Brixienſis Cœnobii S. Floriani ſuppellectili transferenda.	332
	XLVII.		Octobris	30	Pro Staviacenſi Monaſterio.	332
	XLVIII.		Novembris	14	De Hiſpalenſi Collegio.	333
	XLIX.		Decembris	19	De Prædicatorum verbi Dei munere, examine, & approbatione.	335
	L.				Certos fines, terminoſque conſtituit Mendicantium privilegiis.	337
	LI.	1517	Januarii	6	De Brixienſi Inquiſitore, quem Vicarius Generalis non elegerat, ab officio removendo.	339
	LII.		Martii	20	De Cordubenſi Collegio.	340
	LIII.		Aprilis	6	Ne Fratres extra Cœnobia degant.	341
	LIV.		Maii	9	De Fratribus a cenſuris ſolvendis.	343
	LV.			14	Fratrum Mendicantium privilegia firmat.	343
	LVI.			19	Tabienſi Cœnobio beneficium confert.	344
	LVII.		Julii	1	F. Thomas de Vio Cajetanus, Generalis Magiſter Ordinis, Presbyter Cardinalis creatus, ejuſdem Ordinis curam gerat uſque ad proximum Capitulum Generale.	345
	LVIII.			10	Ratam habet Ulyſſipponenſis Collegii S. Thomæ fundationem.	345
	LIX.		Auguſti	20	De confraternitatibus Paſſionis D.N.J.C. & Compaſſionis B. Mariæ Virginis.	346
	LX.		Septembris	19	Garrexienſe Cœnobium committit curæ Vicarii Generalis Congregationis Lombardiæ.	347
	LXI.		Novembris	9	Unit beneficium Lucenſi Cœnobio.	348
	LXII.			13	Præcepto ſatisfacit qui diebus Dominicis in ædibus ſacris Fratrum Mendicantium audit Miſſam.	349
	LXIII.		Decembris	11	De Ferrandinenſi Cœnobio.	349
	LXIV.			14	Ut in Hiſpalenſi Collegio carnibus veſci poſſint.	350
	LXV.	1518	Januarii	4	De Lucenſi Monaſterio.	351
	LXVI.			29	Monaſterii prope Edimburgum fundandi facultas.	352

LEO X.

Conſtitutio.	Annus:	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
LXVII.	1518	Januarii	29	Idem.	353
LXVIII.		Februarii	19	Neapolitana Eccleſia S. Dominici interdicto immunis.	353
LXIX.				Eadem de re.	354
LXX.		Martii	8	Tertiariæ Cœlibem vitam ſimpliciter voventes, licet ſeorſim babitent, privilegiia gaudent Fratribus Ordinis conceſſis.	354
LXXI.			21	De Scalingrarum Monaſterio.	355
LXXII.			14	F. Raymundus Goſin Inquiſitor Regni Franciæ conſtitutus.	356
LXXIII.			15	De Ulyſſipponenſi Monaſterio B. Mariæ de Roſario.	356
LXXIV.				Pro Grottulenſi Cœnobio.	357
LXXV.			28	De Capitulo Mediolanenſi.	358
LXXVI.		Aprilis	13	Florentinum Cœnobium S. Mariæ Novellæ unitur Congregationi Lombardiæ.	358
LXXVII.				Idem pro Cœnobio Civitatis Caſtelli.	359
LXXVIII.			29	De Vicario Generali conſtituendo.	460
LXXIX.				Ne quis a correctione ſibi facta provocet, & in ceteris appellationibus ordinem quem præſcribit invertat.	361
LXXX.		Maii	11	De reædificando S. Dominici Monaſterio de Aquatraverſa.	362
LXXXI.			20	De Fratribus ad Doctoris gradum promovendis a Generali Magiſtro.	363
LXXXII.			22	F. Thomæ S. R. E. Cardinali pro Dominico Epiſcopo Portuenſi.	363
LXXXIII.			29	Prulianenſis Monaſterii privilegia firmat.	364
LXXXIV.		Junii	5	Donationes Cœnobio Simonthorniæ factas ratas habet.	364
LXXXV.			15	De Ordine reformando.	365
LXXXVI.			21	Ordinem FF. Prædicatorum laudibus ornat, & privilegiis ceteris Ordinibus conceſſis, & concedendis donat.	365
LXXXVII.			25	Ne Fratres moleſtiis afficiantur, & ut ſuis fruantur privilegiis.	367
LXXXVIII.			26	Peculiaris Indulgentia pro Londonienſi Cœnobio.	368
LXXXIX.		Julii	8	Ut in Proceſſionibus, ſupplicationibus nempe, aliiſque publicis actibus digniorem locum Fratribus Ordinis Prædicatorum cedant ceteri Fratres Mendicantes.	369
XC.			19	De Viglevanenſi Monaſterio.	370
XCI.			23	De Feſtis Sanctorum Ordinis, S. P. Dominici, S. Petri Martyris &c. celebrandis interdicti tempore, &, ut, Feſtis illis translatis Indulgentiæ transferantur.	471
XCII.			30	Ut non ſolum Fratres Prædicatores, ſed etiam ceteri Religioſi poſſint gradus Doctoris &c. in Hiſpalenſi Collegio S. Thomæ recipere.	472
XCIII.		Auguſti	21	F. Raymundus Boſmus Inquiſitor Toloſanus creatur.	373
XCIV.			28	F. Melchior Cribellus de Leonibus fit Inquiſitor Mediolanenſis.	473
XCV.			31	Congregationem Gallicanam confirmat ac privilegiis ornat, & jubet in ſtudio Conventus Pariſienſis Regentes a Generali Magiſtro præfici.	374
XCVI.		Septembris	4	Confirmat privilegia vivæ vocis oraculo ab Alexandro VI conceſſa Congregationi Provinciæ Aragoniæ.	376
XCVII.			12	Ut Conventus Congregationis Franciæ conſtituatur in Inquiſitionis Toloſanæ Domo.	376
XCVIII.		Novembris	2	F. Thomæ de Vio Cajetano, S. R. E. Cardinali, quid in cauſa Lutheri ſit agendum præſcribit.	378
XCIX.		Decembris	3	De Confeſſionibus quas excipiunt Fratres Mendi-	

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
LEO X.					dicantes, aliiſque eorundem privilegiis.	378
	C.	1519	Januarii	7	Firmat ea quæ pro Wratislavienſium Cœnobii & Monaſterii reformatione ſancita ſunt.	379
	CI.				Eadem de re.	379
	CII.			8	Idem.	380
	CIII.		Martii	27	Ut non obſtantibus Apoſtolicis literis Fratres ab officiis removeri poſſint.	380
	CIV.		Maii	6	Electoribus Imperatoris Romanorum, ut audiant F. Thomam S. R. E. Cardinalem, Legatum a Latere.	381
	CV.		Julii	1	Confirmatio privilegiorum San-Maximinenſis Cœnobii.	381
	CVI.			9	Ne quis libros auferat de Bibliotheca Florentini Cœnobii S. Marci.	382
	CVII.			30	Ne Septempedani Oratorii *del Glorioſo* nuncupati bona dilapidentur, cavet.	383
	CVIII.		Octobris	6	Vallisoletano Cœnobio beneficium confert.	384
	CIX.		Decembris	10	Quomodo ſit intelligenda Indulgentiarum communicatio quæ eſt inter Mendicantes Fratres.	385
	CX.			12	De Columnenſi Cœnobio.	386
	CXI.	1520	Martii	19	De Viterbienſi Monaſterio.	387
	CXII.		Aprilis	27	Pro Fratribus Teutoniæ de vita communi nuncupatis.	388
	CXIII.		Auguſti	30	De dirimenda lite Fratres inter, & Inquiſitorem Toloſanos.	390
	CXIV.		Septembris	13	Sacelli pro Sororibus Tertii Ordinis Maſſiliæ conſtituendi facultas.	391
	CXV.		Octobris	6	Confraternitatis SS. Roſarii privilegia, & Indulgentias innovat, firmat, & auget.	392
	CXVI.	1521	Martii	27	Pro San-Maximinenſi Cœnobio.	394
	CXVII.		Maii	13	Ut Florentini Monaſterii Tertii Ordinis Sorores album ſcapulare deferre poſſint.	395
ADRIANUS VI.	I.	1522	Maii	9	Fratres Mendicantes in Indias mittit, ipſos privilegiis ornat, &, ne quis eos itinere prohibeat, excommunicationis pœna propoſita, cavet.	407
	II.		Auguſti	31	Beneficium confert Elginenſi Cœnobio.	408
	III.				De Monaſterio loci Herſchzell.	410
	IV.		Decembris	13	Pro Veneto Conventu SS. Johannis, & Pauli.	410
	V	1523	Februarii	20	De ſtatutis condendis pro bono regimine Toletani Monaſterii Matris Dei.	411
	VI.				Eadem de re.	412
	VII.		Aprilis	1	SS. Roſarii Confratribus Indulgentias elargitur.	412
	VIII.			3	Conventus San-Maximinenſis privilegia firmat.	413
	IX.		Junii	1	De F. Thoma S. R. E. Cardinale Legato in Germaniam miſſo.	413
	X.		Julii	7	De reformando Piſaurienſi Monaſterio.	414
	XI.			30	F. Modeſto Vincentio in Veneficos.	414
CLEMENS VII.	I.		Novembris	26	S. Antoninum Cælitibus ab Adriano VI annumeratum fuiſſe declarat.	417
	II.				De beneficiis uniendis Vallisoletano Cœnobio.	426
	III.		Decembris	19	Pro Cœnobio Montis Politiani.	427
	IV.	1524	Januarii	29	De Tropienſi Cœnobio.	428
	V.		Martii	18	De electionibus.	430
	VI.		Aprilis	4	Indulgentia Confratribus SS. Roſarii conceſſa.	430
	VII.		Julii	4	De reformando Recanatenſi Cœnobio.	432
	VIII.			29	Franciſcus de Ferraria fit Vicarius Generalis totius Ordinis.	433
	IX.		Auguſti	31	De eccleſia S. Jacobi unita Lucenſi Monaſterio S. Mariæ Novæ.	434
	X.				Eadem de re.	434
	XI.		Septembris	16	Conchenſi Cœnobio fundando confert eccleſiaſtica beneficia.	435

Sta-

CLEMENS VII.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
	XII.	1524	Septembris	19	Staviacenſi Monaſterio conceſſa privilegia firmat.	437
	XIII.			19	Specialis Indulgentia conceſſa Monialibus Florentini Monaſterii S. Luciæ.	437
	a XIV. ad XVIII.				Indulgentiæ conceſſæ.	438
	XIX.		Octobris	14	Pro Cœnobio de Peñafiel.	440
	XX.				Idem.	441
	XXI.		Novembris	1	De Leowardienſi Monaſterio.	442
	XXII.			24	Ne Firmani Fratres hoſpitio recipiant viros militares.	442
	XXIII.	1525	Aprilis	5	Romanæ Provinciæ, & Congregationis S. Marci privilegia.	443
	XXIV.			19	De Avellinen. Cœnobio.	444
	XXV.		Maii	23	Pro Cœnobio Montis Politiani.	446
	XXVI.		Julii	7	Hagæ Comitis Fratres ſint in poſſeſſione ſupplicationem ſolemnem habendi die Octava Paſchæ in honorem S. Vincentii.	447
	XXVII.			11	Pro Grottulenſi Cœnobio.	447
	XXVIII.	1526	Februarii	5	Pruliani Monaſterii Privilegia firmat.	448
	XXIX.			27	Altentenſis Monaſterii Sorores ampliſſimis laudibus ornat.	449
	XXX.			28	Pro Urbevetano Monaſterio S. Pauli.	449
	XXXI.		Martii	26	Ut Fratres quibus extra domos degere licet ab aliis diſtingui poſſint, cavet.	450
	XXXII.		Junii	12	Parochialis Eccleſia S. Jacobi de Corneliano unitur Januenſi Cœnobio S. Mariæ de Caſtello.	451
	XXXIII.			20	De reformando Fanenſi Cœnobio.	452
	XXXIV.			26	De Feſto B. Jacobi Salomonii celebrando.	453
	XXXV.		Septembris	15	Ut Veronenſes Fratres Monialium confeſſiones excipiant.	454
	XXXVI.		Octobris	12	Generalis Magiſter Fratres ab officiis removere poteſt.	454
	XXXVII.		Novembris	4	De Decimis, aliiſque tributis non ſolvendis.	455
	XXXVIII.	1527	Februarii	11	De Feſto B. Hyacinthi celebrando.	456
	XXXIX.		Martii	17	Monaſterium Prulianum ſolius Generalis Magiſtri juriſdictionis eſt.	457
	XL.		Septembris	8	Ne qui reformant Aragoniæ Provinciæ Conventus leges hac de re ſancitas violent.	459
	XLI.		Novembris	28	Privilegia Confraternitatis S. Catharinæ in Cœnobio Barchinonenſi.	460
	XLII.	1528	Martii	27	F. Deſiderius Inquiſitor Tullenſis renunciatur.	461
	XLIII.		Aprilis	17	Varia privilegia Congregationis Lombardiæ.	463
	XLIV.		Julii	13	Epiſcopo, & Inquiſitori Brixienſi contra hæreticos.	464
	XLV.			26	In Fratres extra domos Ordinis commorantes.	465
	XLVI.		Auguſti	2	Cardinalis Cajetanus præficitur Monaſterio S. Johannis ad Pirum.	466
	XLVII.			17	De reformandis Cœnobiis Aretin., Cortonen., aliiſque Romanæ Provinciæ.	466
	XLVIII.		Octobris	12	Frater aliquis Congregationis S. Marci præficiatur Hoſpitali majori pauperum Piſan.	467
	XLIX.		Decembris	5	De Eugubino Cœnobio.	467
	L.	1529	Februarii	23	Confirmat privilegia Congregationis Lombardiæ.	468
	LI.				F. Paulum Butigellam Vicarium Generalem Ordinis creat.	469
	LII.			26	De ſupplicatione ſolemni quæ Peruſii fit die feſto Corporis Chriſti.	470
	LIII.		Martii	26	Pro Fratribus Oppidi de Carrieres.	471
	LIV.		Maii	13	Privilegia Congregationis Gallicanæ confirmat.	472
	LV.	1530	Januarii	15	Inquiſitores privilegiis donat.	473
	LVI.			16	De Decimis non ſolvendis.	475
	LVII.		Februarii	8	Expleto biennii interſtitio poſſit eadem Prioriſſa eidem Monaſterio præeſſe.	475

In-

CLEMENS VII. Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
LVIII.	1530	Martii	23	Indulgentias SS. Roſarii Confraternitati Conventus de Victoria conceſſas firmat.	476
LIX.		Maii	37	Lucentenſi Cœnobio beneficium confert.	477
LX.		Julii	8	Pro Nucerino Monaſterio.	478
LXI.				Pro eodem.	479
LXII.			16	De Sacris ædibus reconciliandis.	479
LXIII.				De officio SS. Corporis Chriſti celebrando Feria V in Provincia Bætica, & de transferendis quibuſdam Feſtis.	480
LXIV.		Auguſti	10	Cœnobium S. Mariæ ſupra Minervam de Urbe juris ſit Congregationis Lombardiæ.	481
LXV.		Septembris	20	De reformando Papienſi Cœnobio S. Thomæ, cui unit S. Apollinaris Conventum.	481
LXVI.		Octobris	20	Unit beneficia Galiſteenſi Cœnobio.	482
LXVII.				Idem.	483
LXVIII.	1531	Februarii	25	De bonis alienandis.	484
LXIX.		Martii	17	De Barulenſi Cœnobio.	484
LXX.				Pro eodem.	485
LXXI.		Aprilis	1	Beneficium confert Valliſoletano Cœnobio.	486
LXXII.			13	Ut Sacræ Domus Lauretanæ curam Fratres Congregationis Lombardiæ ſuſcipiant.	487
LXXIII.		Auguſti	22	Fratres Papienſis Cœnobii S. Thomæ ſint in poſſeſſione bonorum dirutæ domus S. Apollinaris.	487
LXXIV.		Septembris	2	Ex Congregatione Lombardiæ duas Provincias reformatas conſtituit.	488
LXXV.			11	Præcedentem Conſtitutionem ſuſpenſam declarat.	490
LXXVI.			13	Literas Apoſtolicas vitæ regulari contrarias reſcindit.	491
LXXVII.			23	Utriuſque Lombardiæ Provinciam conſtituit ex Provinciis S. Dominici, & S. Petri Martyris.	493
LXXVIII.		Octobris	8	Quonam modo ſit eligendus Provincialis Lombardiæ.	494
LXXIX.			15	F. Johannes de Fenario Vicarius Generalis Ordinis creatur.	495
LXXX.			19	Quædam pro Provincia Romana decernit.	495
LXXXI.			20	De Generali Capitulo celebrando.	496
LXXXII.		Decembris	2	Toletani Cœnobii S. Petri Martyris privilegia firmat.	496
LXXXIII.			5	De Generali Capitulo.	497
LXXXIV.			13	Provinciæ Lombardiæ Conventus non reformatos eximit a Provincialis juriſdictione.	497
LXXXV.	1522	Januarii	3	De transactione facta inter Fratres, & Capitulum Vapincen.	498
LXXXVI.			5	Ut ægrotantium Monialium Confeſſiones excipiant, Confeſſores ingredi poſſunt Monaſteria.	499
LXXXVII.			25	Utriuſque Lombardiæ Provincialis curam gerat Monaſteriorum quibus præerat Vicarius Congregationis Lombardiæ.	499
LXXXVIII.		Martii	10	Confirmat privilegia Monaſterii Nucerini.	500
LXXXIX.				Eadem de re.	501
XC.				De Alvanien. Cœnobio.	502
XCI.			21	De reformando Parmenſi Monaſterio.	502
XCII.		Aprilis	18	Conſentini Fratres veniant in poſſeſſionem Monaſterii B. Mariæ, & SS. Ægidii, & Bernardi.	503
XCIII.				Eadem de re.	504
XCIV.		Maii	24	Hoſpitale Leproſorum unitur Andreapolitano Cœnobio.	504
XCV.			28	Fratres & incolæ Montis-Politiani B. Agnetem cultu publico venerari poſſint.	506
XCVI.		Junii	3	Parmenſe Monaſterium reformetur, & Provin-	

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
CLEMENS VII.					clæ Lombardiæ juris ſit.	506
	XCVII.	1532	Junii	10	S. Dominici, ac S. Petri Martyris Congregationes conſtituit.	507
	XCVIII.			14	De ſtatutis pro Collegio Cordubenſi condendis.	508
	XCIX.				Ne Moniales Nucerini Monaſterii Decimas ſolvant.	508
	C.			21	Magiſtro Generali conceſſa privilegia.	509
	CI.			30	Quid ex Decimis ſolvendum ſit a Fratribus, & Sororibus Romanæ Provinciæ.	511
	CII.		Julii	11	Ex una Provincia S. Crucis, duas, S. Crucis ſcilicet, & S. Jacobi Provincias conſtituit.	512
	CIII.		Auguſti	3	Bona Pœnitentiariorum Baſilicæ S. Petri, aliorumque nonnullorum Fratrum attribuit Conventui S. Mariæ ſupra Minervam de Urbe.	514
	CIV.		Septembris	8	De Collegio S. Jacobi de Pallae.	514
	CV.		Octobris	9	In Epiſcopum Venuſinum qui Fratres moleſtiis afficiebat.	518
	CVI.				Eadem de re.	519
	CVII.		Decembris	18	De Cœnobio Baydenſi.	519
	CVIII.	1533	Maii	17	Ne Fratres Hiſpani, Superioribus Ordinis inſciis, Indiam petant.	520
	CIX.		Auguſti	7	Eccleſiaſticum Beneficium confert Monaſterio de Villanova.	521
	CX.		Octobris	24	De Sacramento Euchariſtiæ miniſtrando, etiam die feſto Reſurrectionis Dominicæ.	522
	CXI.	1534	Februarii	27	De Saccenſi Cœnobio.	523
	CXII.				Pro eodem.	523
	CXIII.		Maii	8	Societatis SS. Roſarii Indulgentias firmat, & auget.	524
	CXIV.		Julii	28	F. Thomas de Vio, Cajetanus, S. R. E. Cardinalis teſtamentum facere poſſit.	525
PAULUS III.	I.		Novembris	3	Indulgentias Societati SS. Roſarii a Prædeceſſoribus ſuis conceſſas confirmat, & auget.	533
	II.				De Bugienſi Cœnobio perficiendo.	534
	III.			13	Abbas Oſſunenſis Eccleſiæ conſtituendus a Priore Prædicatorum, & a Guardiano Fratrum Minorum Oſſunen.	536
	IV.				Eadem de re.	538
	V.		Decembris	8	Provinciæ Lombardiæ Provincialis eligendus quolibet biennio.	538
	VI.			18	Ne Fratres Urbevetani moleſtiis afficiantur, cavet.	539
	VII.			23	Cœnobium S. Sabinæ, & Monaſterium S. Sixti de Urbe juris ſint Provinciæ Lombardiæ.	539
	VIII.	1535	Januarii	16	Unit Eccleſiaſticum beneficium Monaſterio B. Mariæ de las Duennas.	540
	IX.		Martii	1	De Dertuſenſi Collegio.	541
	X.				De eodem.	543
	XI.		Aprilis	10	Monaſterium S. Sixti de Urbe curæ Provincialis Lombardiæ committit.	543
	XII.		Junii	8	Provinciæ Dalmatiæ Provincialis eligendus quolibet quadriennio.	545
	XIII.		Julii	5	Pro Grottulenſi Cœnobio.	546
	XIV.			14	De fundando Neapolitano Collegio S. Thomæ.	547
	XV.			16	Firmat compoſitionem incolas inter & Moniales Monaſterii de la Torre factam.	548
	XVI.				Eadem de re.	549
	XVII.		Auguſti	9	De electione Prioris Provincialis Provinciæ Lombardiæ.	550
	XVIII.		Octobris	17	F. Auguſtinus de Recuperatis Generalis Vicarius Ordinis creatur.	550
	XIX.	1536	Aprilis	17	Utriuſque Lombardiæ Provinciam donat privilegiis conceſſis Congregationi Lombardiæ.	551

De

PAULUS III. Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
XX.	1536	Junii	30	De electione Provincialis utriuſque Calabriæ.	552
XXI.		Auguſti	25	Provinciæ Lombardiæ Fratres non ſecus ac alii morem gerant Generali Magiſtro.	552
XXII.		Octobris	20	Eccleſiaſticum beneficium unitur Cœnobio Alcalenſi.	553
XXIII.			23	De Comitiis Provincialibus Hiſpanæ Provinciæ habendis in Beneventano Cœnobio.	554
XXIV.	1537	Februarii	15	Firmat ea quæ pro Cœnobio Cordubenſi ſancita fuerant a Vicario Generali.	557
XXV.		Aprilis	20	De B. Virginis imagine, ac Confraternitate Sanctiſſimi Roſarii transferendis ex uno ad aliud Sacellum Cœnobii de Victoria.	557
XXVI.			26	Vicarius Congregationis S. Petri Martyris Inquiſitores conſtituere, & ab officio removere poſſit.	559
XXVII.		Maii	28	Unit beneficium Monaſterio S. Catharinæ de S. Geminiano.	559
XXVIII.		Julii	15	Idem pro Legionenſe Cœnobio.	560
XXIX.			20	Idem pro Salmanticenſi.	561
XXX.		Septembris	6	De electione Prioriſſarum.	562
XXXI.			13	Cordubenſis Cœnobii SS. Aciſcli, & Victoriæ Martyrum privilegia firmat.	563
XXXII.			24	Generale Capitulum transfert e Florentino Cœnobio ad Cœnobium Civitatis in qua Generale Concilium celebrabitur.	563
XXXIII.		Octobris	7	De viſitando Cœnobio Veneto SS. Johannis, & Pauli.	564
XXXIV.	1538	Januarii	4	Indulgentia conceſſa viſitantibus ædes ſacras loci de Avignoneto, ubi nonnulli Fratres Ordinis Martyrio coronati ſunt.	565
XXXV.			5	Ne trahentes originem ex Hebræis commorentur in Cœnobio Cordubenſi.	566
XXXVI.		Martii	14	De Decimis non ſolvendis.	567
XXXVII.		Maii	1	Quæ pro Mexicana Provincia ſancita ſunt confirmantur.	568
XXXVIII.				Idem.	569
XXXIX.			24	De electione Prioriſſarum.	569
XL.		Septembris	21	De nonnullis Fratribus Indis eximendis ſervitute Turcarum.	570
XLI.		Octobris	28	Univerſitas S. Dominici in ejuſdem nominis Civitate, & Inſula conſtituta.	571
XLII.				Placentino Cœnobio confert eccleſiaſticum beneficium.	572
XLIII.		Novembris	3	Confraternitatis B. Mariæ Annunciatæ Priores conſtituant unum collectorem Plumbi, qui ſerviat commodis, & utilitati ejuſdem Confraternitatis.	573
XLIV.				Eadem de re.	573
XLV.		Decembris	10	De electione Provincialis Lombardiæ.	574
XLVI.	1539	Februarii	1	Pro Monaſterio de Aldeanova.	575
XLVII.		Maii	23	De Generali Magiſtro eligendo.	576
XLVIII.		Junii	15	Pennenſis Cœnobii Fratres Decimis, aliiſque tributis, ſolvendis exempti.	577
XLIX.			25	Ne Mendicantes Fratres moleſtiis afficiantur in Polonia.	578
L.				Ne Fratres ab Epiſcopis in jus vocati ſiſtant ſe apud ipſos.	578
LI.		Julii	18	Quilibet Doctoris, ac ceteros gradus ſuſcipere poſſit in Hiſpalenſi Collegio S. Thomæ.	580
LII.		Auguſti	30	Æthiopes Fratres commendat.	581
LIII.		Novembris	7	De Ulyſſipponenſi Collegio transferendo Colimbriam.	582
LIV.			30	SS. Sacramenti Confraternitatem in ædibus ſacris S. Mariæ ſupra Minervam de Urbe conſtitutam, privilegiis, & Indulgentiis ornat.	583

De

PAULUS III. Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
LV.	1539	Decembris	23	De Provincia Peruana conſtituenda.	585
LVI.	1540	Januarii	10	Privilegia conceſſa Magiſtro Generali.	588
LVII.		Martii	5	Ne quis oriundus ex judæis inter alumnos Abnlenſis Cœnobii poſſit aſcribi.	590
LVIII.			18	SS. Roſarii Confraternitatem in Cœnobio S. Dominici de Victoria conſtitutam firmat, & inhibet, ne transferatur ad Eccleſiam Collegiatam.	591
LIX.		Aprilis	10	Confirmat ea quæ pro Peruana Provincia ſancita ſunt.	592
LX.				Ne Fratres, & Moniales peccata deponant apud extraneos qui huic muneri non ſunt deſtinati a Generali Magiſtro.	594
LXI.			16	De B. Mariæ Virginis imagine cuſtodiæ Monialium Bononien. Monaſterii S. Lucæ prorſus commiſſa.	594
LXII.		Junii	11	Ex Conſtitutione Nicolai V cavet, ne quis juriſdictionem Superiorum Ordinis declinare præſumat.	596
LXIII.		Auguſti	27	Privilegia Romanæ Provinciæ.	598
LXIV.		Septembris	30	F. Sebaſtianus Olmeda fit Capellanus Summi Pontificis.	599
LXV.		Octobris	29	Quæ pro Setubalenſi Monaſterio ſancita ſunt confirmantur.	599
LXVI.				Idem.	602
LXVII.		Decembris	6	Quid de Decimis, ac ceteris id genus ſolvendum ſit.	602
LXVIII.			9	De fundatione facta in Cœnobio B. Mariæ ad Nives.	603
LXIX.	1541	Martii	14	De electione Priorum Conventuum Provinciæ Lombardiæ, in Regno Neapolitano exiſtentium.	604
LXX.		Aprilis	3	Ne Bergomenſes Fratres Decimas ſolvant.	605
LXXI.		Auguſti	25	Pro Capitulo Generali celebrando.	606
LXXII.	1542	Januarii	14	Pro fidei Cenſoribus.	607
LXXIII.		Junii	3	Indulgentia Roſarium recitantibus conceſſa.	608
LXXIV.				Ne trahentes originem ex judæis, vel ab Inquiſitoribus damnati aſcribantur Aragoniæ Provinciæ, & ut aſcripti repellantur ab officiis.	608
LXXV.				Ut officium S. Raymundi de Peñaforti die qua mortuus eſt fiat in Aragoniæ Provincia.	609
LXXVI.		Julii	26	Ut ea, quæ pro Monialibus Hiſpanæ Provinciæ ſancita ſunt a Clemente VII, ſerventur a Monialibus Provinciæ Portugalliæ.	609
LXXVII.				Vota Fratrum, & Sororum Tertii Ordinis Collegialiter viventium ſolemnia eſſe decernit.	611
LXXVIII.				Fratres, & Sorores Provinciarum Hiſpaniæ, & Bæticæ, peccata deponant apud eos duntaxat quos Ordinis ſuperiores delegaverint.	612
LXXIX.		Auguſti	6	Certa quantitas ſalis Urbevetanis Monialibus quotannis tribuenda.	613
LXXX.			23	Ne quis ex Fratribus juriſdictionem ſuperiorum declinare præſumat.	614
LXXXI.		Octobris	12	Quid de Decimis a Conventibus Status Veneti ſolvendum ſit, decernit.	616
LXXXII.		Novembris	3	Ne Fratres in jus ab Epiſcopis vocentur, cavet.	617
LXXXIII.	1543	Januarii	8	De fundando Nepeſino Cœnobio.	618
LXXXIV.		Martii	30	Quod Ordo FF. Prædicatorum *Semper Fidei Catholicæ, Sanctæque Eccleſiæ Defenſor* fuerit, teſtatur, & in nonnullos de hæreſi ſuſpectos animadvertendum jubet.	622
LXXXV.		Octobris	27	Generalem Magiſtrum Privilegiis ornat.	622
LXXXVI.	1544	Februarii	8	De Cœnobio Montis Leonis.	623
LXXXVII.			28	De S. Theologiæ Magiſtris creandis in Provincia Lom-	

Digitized by Google

PAULUS III.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
					Lombardiæ.	625
	LXXXVIII.	1544	Martii	4	De Sepultura Sororis Tertii Ordinis.	625
	LXXXIX.		Auguſti	25	Admonet F. Dominicum de Soto nonnulla in Decreto Cæſareo Spirenſi Catholicæ Religioni exitialia contineri, iiſque malis occurrere jubet.	626
	XC.		Octobris	16	De Decimis non ſolvendis.	627
	XCI.		Novembris	15	Ut Florentinum Cœnobium S. Marci Fratribus Ordinis reſtituatur.	627
	XCII.		Decembris	3	De beneficio uniendo Lombayenſi Cœnobio.	628
	XCIII.	1545	Januarii	20	F. Franciſcus Romeus de Caſtiglione Vicarius Generalis creatur.	629
	XCIV.		Martii	5	Neſciovanenſis Archiepiſcopus a Fratribus, aliiſque Armenis eligitur, a S. Pontifice confirmatur, & privilegiis ornatur.	630
	XCV.			22	FF. Petro de Soto, & Gabrieli de Guſman gratulatur, quod in priſtinam concordiam Cæſarem, & Regem Galliarum reduxerint.	631
					Idem F. Petrus de Soto vindicatur a calumniis quibus nuperrimus Scriptor Gallus ipſius famam laceravit.	631
	XCVI.			25	Pro Minervitano Cœnobio de Urbe.	639
	XCVII.		Maii	1	Unit beneficium Baenenſi Cœnobio.	639
	XCVIII.		Junii	18	Fratres Prædicatores curam gerant Eccleſiæ Beatæ Mariæ del Glorioſo Terræ S. Severini.	640
	XCIX.			19	Firmat compoſitionem inter Florentini Monaſterii S. Catharinæ Moniales, & Plebanum S. Laurentii de Burgo factam.	643
	C.		Auguſti	29	Pro Cœnobio de las Navas.	645
	CI.			30	Ne Fratres, aut Moniales Ordinis, peccata deponant apud Sacerdotes extra Ordinem.	646
	CII.		Octobris	31	De Florentino Cœnobio S. Marci Fratribus Ordinis Prædicatorum reſtituendo.	647
	CIII.				Pro Capitulo Generali.	648
	CIV.	1546	Januarii	1	Pro Peruani Provincialis electione.	649
	CV.		Julii	11	Aragoniæ Provincialis, expleto quadriennio, ejuſdem Provinciæ Vicarius eſt quouſque Provincialis electus, confirmatus, & præſens ſit.	650
	CVI.		Auguſti	11	Firmat ea, quæ pro Cordubenſi Cœnobio ſancita ſunt.	651
	CVII.	1547	Februarii	26	Toloſanæ Provinciæ, & Congregationis Franciæ Conventus immobilia bona retinere poſſe declarat.	651
	CVIII.		Martii	18	Petraſiten. Cœnobio beneficium confert.	652
	CIX.				Idem.	653
	CX.		Aprilis	24	Pro Viglevanenſi Cœnobio.	654
	CXI.		Novembris	17	Valentinum Monaſterium S. Magdalenæ committit curæ Fratrum Prædicatorum.	655
	CXII.			29	Pro Abulenſi Monaſterio.	656
	CXIII.		Decembris	18	Bononienſis Cœnobii privilegia firmat.	657
	CXIV.	1548	Februarii	6	Pro Monaſterio de Villanova.	658
	CXV.			23	Statuta quædam pro Hiſpalenſi Monaſterio B. Mariæ Virginis de Gratia.	659
	CXVI.		Martii	9	Translata Moniali de uno ad aliud Monaſterium, bona, quæ reliquit, cum perſona translata cenſentur.	660
	CXVII.				Eadem de re.	661
	CXVIII.			22	Eccleſia S. Mariæ Conſolationis, & Domus Villæ Azanelli juris ſint Cremonenſis Cœnobii.	661
	CXIX.		Aprilis	27	Pro Oppitergenſi Monaſterio.	662
	CXX.				Pro eodem.	663
	CXXI.		Octobris	31	De Comitiis Hiſpanæ Provinciæ celebrandis in Beneventano Cœnobio.	663

PAULUS III. Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
CXXII.				Eadem de re.	669
CXXIII.	1548	Novembris	8	Valliſoletan. S. Philippi, & Hiſpalen. Nominis Jeſu Monaſteriorum curam committit Fratribus Ordinis Prædicatorum.	669
CXXIV.				Idem.	673
CXXV.	....	....		Quædam privilegia revocans excipit Confraternitatem SS. Sacramenti.	673

IN-

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS
Diplomatum hujus Quarti Voluminis.

INDEX RERUM REPERIETUR TOMO ULTIMO.

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
A			
ACcepimus:	LIII.	Leo X.	341
	LXXXIX.	Leo X.	369
	XXXV.	Clemens VII.	454
	XCI.	Clemens VII.	502
	XCVI.	Clemens VII.	506
Ad Apoſtolica.	X.	Leo X.	302
	XL.	Leo X.	326
	LVI.	Leo X.	344
	LXXI.	Clemens VII.	486
	VIII.	Paulus III.	540
	XXVIII.	Paulus III.	560
Ad circumſpectam.	XXXVI.	Julius II.	233
Ad ea.	LXXXVIII.	Innocent. VIII.	65
	XXXIII.	Alexander VI.	109
	LXIV.	Alexander VI.	131
	LXXIII.	Alexander VI.	139
	CXXI.	Alexander VI.	184
Ad fructus.	XCIII.	Alexander VI.	156
Ad hoc.	LXXXVI.	Alexander VI.	150
	LXIX.	Julius II.	261
	LXIV.	Clemens VII.	481
	LXII.	Paulus III.	596
Admonet.	L.	Innocent. VIII.	32
	XCVIII.	Alexander VI.	161
	XV.	Julius II.	223
	XLVI.	Julius II.	241
	LXXX.	Julius II.	269
	LXVIII.	Leo X.	353
Ad Sacram.	XXXIII.	Innocent. VIII.	17
	XXI.	Leo X.	308
Ad ubera.	XLIII.	Alexander VI.	117
	XLIX	Alexander VI.	122
A Fide.	XIX.	Julius II.	225
Alias ad	LIX.	Alexander VI.	128
	LXIII.	Julius II.	258
Alias emanarunt.	LVI.	Clemens VII.	475
Alias felicis.	XIII.	Paulus III.	546
Altitudo.	XXXIV.	Leo X.	320
Animas.	LXXIII.	Leo X.	356
	XXII.	Paulus III.	553
Annere conſuevit.	LXVII.	Alexander VI.	134
	LXXX.	Alexander VI.	145
Apoſtolica.	XXXI.	Julius II.	230
Apoſtolicæ.	LVIII.	Innocen. VIII.	39
	CIII.	Innocent. VIII.	74
	XVII.	Alexander VI.	98
	C.	Alexander VI.	163
	CIX.	Alexander VI.	170

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
	XLVI.	Paulus III.	575
	XCVII.	Paulus III.	639
A Summo.	XXIII.	Paulus III.	554
A Superno.	XXI.	Innocent. VIII.	8
	LXXI.	Paulus III.	606
	CIII.	Paulus III.	648
A Supremo.	LXXXVI.	Innocent. VIII.	63
	CVI.	Alexander VI.	167
	CXXIII.	Alexander VI.	185
	XXX.	Leo X.	317
B			
BEnignitas.	LXXXII.	Innocent: VIII.	60
C			
CAriſſimus.	XXVI.	Leo X.	313
Cathedram.	LXVI.	Leo X.	352
Circa regularis.	LIV.	Clemens VII.	472
Circumſpecta.	IX.	Paulus III.	541
Cognita.	LXI.	Innocent. VIII.	41
Congruit.	CXI.	Paulus III.	655
Conqueſti ſunt.	CXXV.	Alexander VI.	189
Conſiderantes.	VI.	Innócent. VIII.	5
	LXXI.	Innocent. VIII.	48
	XXIII.	Alexander VI.	102
	XXIV.	Alexander VI.	103
	XLV.	Alexander VI.	120
	V.	Julius II.	217
	VI.	Julius II.	217
	LXX.	Julius II.	262
	LXXVI.	Julius II.	267
	XI.	Leo X.	303
	LXXII.	Leo X.	356
	XCIII.	Leo X.	373
	VI.	Clemens VII.	430
	XLII.	Clemens VII.	462
Credita Nobis.	XCII.	Leo X.	372
Cum acceperimus.	CXXVIII.	Alexander VI.	190
	LXXIX.	Clemens VII.	495
Cum ad generale.	XCI.	Innocent. VIII.	66
Cum a Nobis.	XLVII.	Leo X.	332
	LXXXIII.	Leo X.	364
	CV.	Leo X.	381
	CXVI.	Leo X.	394
	VIII.	Adrianus VI.	413
	XII.	Clemens VII.	437
	XXVI.	Clemens VII.	447

Cum

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
	XXVIII.	Clemens VII.	448
	LXXXII.	Clemens VII.	496
	XXIV.	Paulus III.	557
	XXXI.	Paulus III.	563
	CXIII.	Paulus III.	657
Cum dilecta.	XLIX.	Clemens VII.	467
Cum dilectus.	XCII.	Innocent. VIII.	66
Cum dudum.	XC.	Innocent. VIII.	66
Cum ex.	XCIII.	Innocent. VIII.	67
	CVII.	Alexander VI.	168
	XLVI.	Clemens VII.	466
Cum in.	XVIII.	Julius II.	225
Cum iu cunctis.	LXIII.	Leo X.	349
Cum in haue.	XLVII.	Paulus III.	576
Cum iuſtigante.	LXXXIV.	Paulus III.	622
Cum iuter.	I.	Innocent. VIII.	1
	XXXV.	Julius II.	233
	IV.	Leo X.	298
	LXXXVI.	Leo X.	363
Cum itaque.	XVII.	Clemens VII.	459
	XVIII.	Clemens VII.	439
Cum uon ſine.	CVI.	Leo X.	382
Cum nuper.	LVII.	Alexander VI.	126
	XXXVI.	Leo X.	322
	XCVIII.	Leo X.	378
	VIII.	Clemens VII.	433
	XCIII.	Paulus III.	629
Cum olim.	XX.	Innocent. VIII.	7
Cum pro.	LXXXV.	Paulus III.	622
	LVI.	Paulus III.	588
Cum pro iujuncto.	C.	Clemens VII.	509
Cum proximis.	XXX.	Clemens VII.	449
Cum quoudam.	LII.	Julius II.	248
Cum ſæpius.	XCIV.	Leo X.	373
Cum ſicut.	XLII.	Innocent. VIII.	26
	LX.	Innocent. VIII.	40
	LVI.	Alexander VI.	126
	LXVIII.	Alexander VI.	135
	LXXXV.	Alexander VI.	149
	XII.	Julius II.	220
	XXX.	Julius II.	229
	XXXVII.	Julius II.	235
	LXXI.	Julius II.	263
	LXXXII.	Julius II.	271
	VI.	Leo X.	300
	XLVI.	Leo X.	332
	LXXV.	Leo X.	358
	XCVI.	Leo X.	376
	CXVII.	Leo X.	395
	X.	Adrianus VI.	414
	XIV.	Clemens VII.	438
	XXI.	Clemens VII.	442
	XXXIII.	Clemens VII.	452
	XXXVII.	Clemens VII.	455
	XLVIII.	Clemens VII.	467
	L.	Clemens VII.	468
	LI.	Clemens VII.	469
	LV.	Clemens VII.	473
	LXV.	Clemens VII.	481
	LXXXVII.	Clemens VII.	499
	XIV.	Paulus III.	547
	XLV.	Paulus III.	574
	LV.	Paulus III.	585
	LXXXII.	Paulus III.	617
	XXXIII.	Paulus III.	564

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
	CIV.	Paulus III.	649
	CV.	Paulus III.	650
Cum ſuperioribus.	XXXV.	Leo X.	321
	LXXXIII.	Clemens VII.	497
Cum te ob.	LXXVIII.	Leo X.	360
Cum temporibus.	XLVII.	Clemens VII.	466
Cum ut accepimus.	XVII.	Paulus III.	550
Cum vos.	CII.	Paulus III.	647
Cupientes.	XIII.	Alexander VI.	95
Cura.	XCVII.	Innocent. VIII.	69
D			
De benignitate.	CXIV.	Clemens VII.	525
Debitum.	XCII.	Alexander VI.	155
	XI.	Clemens VII.	435
	CXIX.	Paulus III.	662
Decet.	VII.	Leo X.	301
	XXXVII.	Leo X.	325
	LXXXVIII.	Clemens VII.	500
De miſerabili.	XXI.	Alexander VI.	101
De reformatione.	X.	Julius II.	219
De ſalute gregis.	LXXXVIII.	Leo X.	368
Deſideramus.	LXXIV.	Alexander VI.	140
De ſtatu.	XXVII.	Paulus III.	559
Devotionis et.	CXI.	Leo X.	387
	LXXIII.	Clemens VII.	487
Devotionis veſtræ.	LI.	Julius II.	248
Digua reddimur.	XL.	Julius II.	237
Dignum eſſe.	XXIII.	Clemens VII.	443
Dilectus filius.	XXIX.	Innocent. VIII.	15
Diſpoſitione.	LXIII.	Alexander VI.	130
Divini cultus.	XXXII.	Clemens VII.	451
Dominus noſter.	LIV.	Paulus III.	583
Dudum.	LXX.	Alexander VI.	136
	I.	Julius II.	216
	XI.	Adrianus VI.	414
Dudum ad.	XLII.	Julius II.	238
Dudum cum.	LXXX.	Paulus III.	614
Dudum cupientes.	XLVII.	Alexander VI.	121
Dudum dilectis.	XCIX.	Innocent. VIII.	71
Dudum ex certis.	XCVII.	Clemens VII	507
Dudum felicis.	LXI.	Alexander VI.	129
	III.	Leo X.	297
	X.	Clemens VII.	437
	XXVII.	Clemens VII.	447
	XCIX.	Clemens VII.	508
	XI.	Paulus III.	543
	LXXVI.	Paulus III.	609
Dudum per.	XLII.	Alexander VI.	117
	XCII.	Alexander VI.	158
	XLIII.	Leo X.	329
	CIX.	Leo X.	385
	CVIII.	Clemens VII.	520
Dudum poſtquam.	XVIII.	Leo X.	306
	XXVI.	Paulus III.	559
Dudum precibus.	LVI.	Innocent. VIII.	38
Dudum pro.	LVIII.	Alexander VI.	12
	LXXV.	Alexander VI.	140
	XXI.	Paulus III.	552
Dudum ſicut.	XXXIV.	Innocent. VIII.	20
	V.	Clemens VII.	430
Dum ad fructus.	XXXVI.	Innocent. VIII.	21
	CXX.	Alexander VI.	182

Dum

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
	XXXII.	Julius II.	230
Dum ad pia.	XLIII.	Paulus III.	573
Dum fructus.	L.	Julius II.	246
Dum gratos.	LI.	Paulus III.	580
Dum intra.	L.	Leo X.	337
Dum mente.	LVIII.	Leo X.	345
Dum præcelſa.	XVIII.	Alexander VI.	99
	XV.	Leo X.	305
	XVI.	Leo X.	305
Dum præclara.	XXV.	Julius II.	228
E			
E*æqua.*	XLI.	Alexander VI.	116
	XXXIII.	Leo X.	319
	C.	Leo X.	379
	CII.	Leo X.	380
	LIII.	Clemens VII.	471
	XCIX.	Paulus III.	643
Eccleſiarum.	XCVII.	Alexander VI.	160
	XXVI.	Julius II.	228
	LI.	Alexander VI.	123
Etſi ab.	LIV.	Julius II.	249
Etſi credimus.	LXXXIX.	Paulus III.	626
Etſi cunctæ.	L.	Alexander VI.	122
Etſi deceat.	XIII.	Leo X.	304
Etſi ex.	XCIV.	Paulus III.	630
Etſi loca.	LII.	Alexander VI.	123
Etſi pro.	LXXVI.	Leo X.	358
Etſi temporalium.	CXIII.	Clemens VII.	524
Ex Apoſtolicæ.	XVI.	Julius II.	223
	XV.	Clemens VII.	438
Ex commiſſo.	LXXX.	Leo X.	362
	LXVI.	Clemens VII.	482
Ex conſuetudine.	LVIII.	Julius II.	252
Ex debito.	XXXVIII.	Innocent. VIII.	22
	LXIV.	Leo X.	350
	CXIV.	Leo X.	391
	CX.	Paulus III.	654
Exhibita.	XXXII.	Alexander VI.	107
	CI.	Clemens VII.	511
Exigit.	XIX.	Alexander VI.	100
Exigunt.	XCVII.	Leo X.	376
	V.	Adrianus VI.	411
Eximiæ.	VI.	Alexander VI.	92
	CXI.	Alexander VI.	171
	XXIV.	Clemens VII.	444
Ex injuncto.	XXV.	Innocent. VIII.	11
	XLVIII.	Innocent. VIII.	30
	XLIX.	Innocent. VIII.	31
	LXXX.	Innocent. VIII.	57
	XCIV.	Alexander VI.	157
	CVIII.	Leo X.	384
	LIX.	Clemens VII.	477
	CIX.	Clemens VII.	521
	CXI.	Clemens VII.	523
	CXII.	Paulus III.	656
	CXV.	Paulus III.	659
Ex parte.	XXXV.	Paulus III.	566
	XXXIX.	Paulus III.	569
	LIII.	Paulus III.	582
	LXXXVIII.	Paulus III.	625
	CVI.	Paulus III.	651
Ex paternæ.	LXXXI.	Innocent. VIII.	59
Ex plurium.	XXIX.	Clemens VII.	449

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
Exponi.	XIX.	Innocent. VIII.	7
	XXX.	Innocent. VIII.	16
	XXXI.	Innocent. VIII.	16
	XLVI.	Innocent. VIII.	29
	XLIV.	Alexander VI.	119
	LV.	Alexander VI.	125
	LXXXIII.	Alexander VI.	147
	LXXXIV.	Alexander VI.	148
	XXI.	Julius II.	226
	XXII.	Julius II.	227
	XXXIII.	Julius II.	231
	XXXVIII.	Julius II.	235
	XLI.	Julius II.	238
	XLIII.	Julius II.	239
	XLV.	Julius II.	240
	LV.	Julius II.	251
	LXIII.	Julius II.	257
	LXIV.	Julius II.	257
	LXVII.	Julius II.	260
	LXXII.	Julius II.	263
	LXXIII.	Julius II.	264
	II.	Leo X.	296
	VIII.	Leo X.	301
	XXXIX.	Leo X.	326
	LIV.	Leo X.	343
	LX.	Leo X.	347
	LXXIV.	Leo X.	357
	LXXXII.	Leo X.	367
	LXXXVII.	Leo X.	367
	XC.	Leo X.	370
	XCIX.	Leo X.	378
	I.	Adrianus VI.	407
	XXII.	Clemens VII.	442
	XXV.	Clemens VII.	446
	XXXVI.	Clemens VII.	454
	XXXVIII.	Clemens VII.	456
	XLIII.	Clemens VII.	463
	XLV.	Clemens VII.	465
	LII	Clemens VII.	470
	LXVIII.	Clemens VII.	484
	XC.	Clemens VII.	502
	CV.	Clemens VII.	518
	CVI.	Clemens VII.	519
	V.	Paulus III.	538
	XXXVI.	Paulus III.	567
	LVII.	Paulus III.	590
	LVIII.	Paulus III.	591
	LIX.	Paulus III.	592
	LX.	Paulus III.	594
	LXI.	Paulus III.	594
	LXVII.	Paulus III.	602
	LXIX.	Paulus III.	604
	LXX.	Paulus III.	605
	LXXVII.	Paulus III.	611
	LXXXI.	Paulus III.	616
	XC.	Paulus III.	627
	CI.	Paulus III.	646
Expoſcit.	LII.	Innocent. VIII.	35
	CXIX.	Alexander VI.	182
	LVI.	Julius II.	251
	LXIX.	Clemens VII.	484
Expoſitum.	I.	Pius III.	215
Expoſuiſti.	LIX.	Julius II.	253
	LXXVIII.	Julius II.	268
	XXIV.	Leo X.	311
	XXV.	Leo X.	312

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
	CIII.	Leo X.	380
	LXXXVI.	Clemens VII.	499
Expoſuit.	LXVIII.	Julius II.	260
	I.	Leo X.	296
	XXIX.	Leo X.	316
	XCI.	Leo X.	371
	XXXI.	Clemens VII.	450
	LVII.	Clemens VII.	475
Ex ſolita.	XV.	Paulus III.	548
	LXVIII.	Paulus III.	603
Ex ſuſcepto.	XCIV.	Paulus III.	658

F

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
F*idem indubiam.*	XXXIV.	Clemens VII.	453

G

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
G*Erentes.*	LXXI.	Alexander VI.	136
Grata familiaritatis.	II.	Julius II.	216
Gratiæ Sedis.	V.	Innocent. VIII.	3
Gratum credimus.	XXXI.	Alexander VI.	206

H

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
H*Is quæ.*	XLIV.	Innocent. VIII.	27
	LIII.	Innocen. VIII.	36
	LXIII.	Innocent. VIII.	42
	LXXXVII.	Innocent. VIII.	64
	XII.	Alexander VI.	95
	XVII.	Julius II.	224
	XXXIX.	Julius II.	236
Hodie a Nobis.	LIX.	Innocent. VIII.	40
	LXXXIII.	Innocent. VIII.	61
	CXV.	Alexander VI.	179
	LXII.	Julius II.	256
	LXVII.	Leo X.	253
	LXIX.	Leo X.	354
	CVII.	Leo X.	383
	VI.	Alexander VI.	412
	XX.	Clemens VII.	441
	LXI.	Clemens VII.	479
	LXX.	Clemens VII.	485
	LXXXIX.	Clemens VII.	501
	XCIII.	Clemens VII.	504
	CXII.	Clemens VII.	523
	IV.	Paulus III.	538
	X.	Paulus III.	543
	XVI.	Paulus III.	549
	XXXVIII.	Paulus III.	569
	LXVI.	Paulus III.	602
	CIX.	Paulus III.	653
	CXVII.	Paulus III.	661
	CXX.	Paulus III.	663
Hodie cum.	CX.	Alexander VI.	171
	XLI.	Leo X.	328
Hodie dilecto.	LXXIV.	Julius II.	265
Hodie dilectis.	LXVII.	Clemens VII.	483
Hodie emanarunt.	CI.	Leo X.	378
Hodie inducti.	LVII.	Leo X.	345
Hodie quandam.	LXXVIII.	Alexander VI.	143
Hodie quaſdam.	XXII.	Leo X.	310
Hodie ordinationem.	V.	Alexander VI.	92
Hodie Sanctiſſimus.	LXXIV.	Paulus III.	608
	LXXV.	Paulus III.	609
Hodie unum.	XLIV.	Paulus III.	574
Honeſtis.	XXII.	Alexander VI.	102
	CVIII.	Alexander VI.	169
	III.	Clemens VII.	427
	XL.	Clemens VIII	459
	LXXV.	Julius II.	266
Humilibus.	CI.	Innocent. VIII.	72
	XXXV.	Alexander VI.	110
	XXXVI.	Alexander VI.	111
	LXXII.	Alexander VI.	138
	LXXXII.	Alexander VI.	146
	CIII.	Alexander VI.	165
	CXXVI.	Alexander VI.	169
	XLIV.	Julius II.	240
	CXIII.	Leo X.	390
	LXXXV.	Clemens VII.	498

I

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
I*Llecti odore.*	LXXII.	Clemens VII.	487
Illius qui.	XL.	Alexander VI.	115
	LX.	Leo X.	346
	VII.	Adrianus VI.	412
Immenſa Sedis.	XXIII.	Innocent. VIII.	9
In Apoſtolatus.	XLI.	Paulus III.	571
In Apoſtolica.	CXXII.	Alexander VI.	184
	CXXIV.	Alexander VI.	187
	VIII.	Julius II.	218
	LXXII.	Paulus III.	607
In cordis.	XVI.	Alexander VI.	97
Inducimur.	XXIX.	Alexander VI.	104
Ineffabilia.	XVII.	Leo X.	306
	LVIII.	Clemens VII.	476
Injuncto.	LXXXVIII.	Alexander VI.	152
Injunctum.	XXXIX	Innocent. VIII.	24
	LXXXIX.	Innocent. VIII.	65
	XXXVII.	Alexander VI.	112
	LXXVII.	Alexander VI.	142
	XC.	Alexander VI.	154
	CXIV.	Alexander VI.	175
	CXVII.	Alexander VI.	180
	XLII.	Julius II.	242
	LXI.	Julius II.	255
	XLV.	Leo X.	331
	LXI.	Leo X.	348
	LXXI.	Leo X.	355
	LXXXIV.	Leo X.	364
In ſacra.	XLI.	Clemens VII.	460
In ſuperna.	XXIX.	Paulus III.	561
	C.	Paulus III.	645
In ſuprema.	LX.	Julius II.	254
Intelleximus.	XXXV.	Innocent. VIII.	20
	LXXXI.	Leo X.	370
	XXXVIII.	Leo X.	325
	LXII.	Leo X.	349
	LXXVII.	Leo X.	359
	VI.	Paulus III.	539
Intelligentes.	LV.	Innocent. VIII.	38
Intenta ſemper.	XXVII.	Innocent. VIII.	14
Inter alia.	VII.	Clemens VII.	432
Inter animi.	XLIX.	Paulus III.	578
Inter cætera.	LXXXIV.	Innocent. VIII.	62
	XLIX.	Julius II.	244

In-

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
	XXII.	Paulus III.	563
Inter curas.	LVII.	Innocent. VIII.	38
	LX.	Alexander VI.	128
	XI.	Julius II.	220
	XLIV.	Leo X.	330
	LXV.	Leo X.	351
Inter multiplices.	XII.	Paulus III.	545
Inter perſonas.	XXXIX.	Adrianus VI.	114
Inter ſolicitudines.	XXXII.	Leo X.	328
Inter varias.	CXII.	Leo X.	388
Inter univerſa.	CIV.	Innocent. VIII.	74
Juſtis, & honeſtis.	XLVII.	Innocent. VIII.	29
	LXXVI.	Innocent. VIII.	53

L

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
Laborantibus.	IX.	Adrianus VI.	413
Licet dubium.	CIII.	Clemens VII.	514
Licet exacta.	LXXII.	Innocent. VIII.	49
Licet is.	XXVII.	Julius II.	228
	XXVIII.	Julius II.	229
	XXIX.	Julius II.	229
Licet per alias.	XXVIII.	Alexander VI.	104
Licet ſicut.	LI.	Leo X.	339
	LXXXI.	Clemens VII.	496
	XVIII.	Paulus III.	550
Licet ſuperioribus.	LXXXIV.	Clemens VII.	497
Literarum.	XCVIII.	Clemens VII.	508
Loca ſanctorum.	XII.	Leo X.	304

M

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
Manſuetudinis.	IV.	Julius II.	216
Militanti.	LXXVII.	Innocent. VIII.	54
Mittimus.	II.	Innocent. VIII.	1
	XLIII.	Innocent. VIII.	27
	XCV.	Innocent. VIII.	68
	C.	Innocent. VIII.	61
	CV.	Alexander VI.	167
Motu proprio.	XLVIII.	Alexander VI.	121

N

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
Nos Johannes.	XCVI.	Paulus III.	639
	CXVIII.	Paulus III.	661
Nos volentes.	IX.	Alexander VI.	94
Notum vobis.	LXIII.	Paulus III.	608
Nuper certis.	LXXV.	Clemens VII.	490
Nuper ex parte.	LXXVIII.	Paulus III.	612
Nuper in ſacro.	LXX.	Leo X.	354
Nuper Nobis.	L.	Paulus III.	578

O

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
Officii noſtri.	LXXIV.	Clemens VII.	488

P

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
Pacem.	XX.	Julius II.	226
Paſtoralis.	XCIX.	Alexander VI.	162
	CXVIII.	Alexander VI.	181
	VII.	Julius II.	217
	CII.	Clemens VII.	512
	XCII.	Paulus III.	628
Paſtoris æterni.	XCVI.	Innocent. VIII.	68
	XXIII.	Julius II.	227
	XIV.	Leo X.	304
	XXVIII.	Leo X.	315
	CXV.	Leo X.	392
	IV.	Adrianus VI.	410
Paterna.	XXXI.	Leo X.	318
	LXXXI.	Leo X.	363
Petitiones.	LVII.	Julius II.	252
Piis & devotis.	XIII.	Julius II.	221
Piis & honeſtis.	CII.	Innocent. VIII.	72
Piis fidelium.	LI.	Innocent. VIII.	33
	LIV.	Innocent. VIII.	37
	LXVII.	Innocent. VIII.	46
	LXVIII.	Innocent. VIII.	47
	XIV.	Alexander VI.	96
	XXXIV.	Alexander VI.	109
	LXIX.	Alexander VI.	136
	CXII.	Alexander VI.	173
	XXVII.	Leo X.	315
	LXXXVI.	Paulus III.	623
	XCVIII.	Paulus III.	640
Piis ſingularum.	LIII.	Julius II.	249
Piis ſupplicum.	XLV.	Innocent. VIII.	28
	XX.	Alexander VI.	101
	XCVI.	Alexander VI.	159
	LXVI.	Julius II.	259
Pio zelo.	XXXVII.	Innocent. VIII.	22
Pium & meritorium.	XL.	Paulus III.	570
Placuit intelligere.	XLIV.	Clemens VII.	464
Præclara.	XXIV.	Julius II.	228
Pro fidelium.	XLII.	Paulus III.	572
Pro parte.	IX.	Julius II.	219
	LXXXIII.	Julius II.	272
Pro paſtorali.	XIX.	Leo X.	307
	LXXVIII.	Clemens VII.	[illegible]04
Proviſionis noſtræ.	XLI.	Innocent. VIII.	[illegible]

Q

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
Quamvis.	LXXIX.	Julius II.	269
Quanto frequentius.	LIII.	Alexander VI.	123
Quia nos	XXX.	Paulus III.	562
Quoniam.	XXIV.	Innocent. VIII.	10
	CXXI.	Paulus III.	663

R

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
Ratio.	LXIV.	Innocent. VIII.	43
Rationi.	I.	Alexander VI.	88
	II.	Alexander VI.	89
	III.	Alexander VI.	90
	II.	Adrianus VI.	408
	III.	Adrianus VI.	410
	I.	Clemens VII.	417
	II.	Clemens VII.	426
	IX.	Clemens VII.	434
	I.	Paulus III.	533
Reformationi.	LIV.	Alexander VI.	124
Regimini.	LXXVI.	Alexander VI.	141
	XCIV.	Clemens VII.	504

Re-

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
	CVIII.	Paulus III.	652
Regis pacifici.	LII.	Leo X.	340
Religioſorum.	LXIII.	Paulus III.	598
Religionis.	LXIX.	Innocent. VIII.	48
	VII.	Alexander VI.	93
	VIII.	Alexander VI.	93
	X.	Alexander VI.	94
	XXXVIII.	Alexander VI.	114
	LXVI.	Alexander VI.	133
	LXXIX.	Alexander VI.	144
	LXXXI.	Alexander VI.	146
	V.	Leo X.	299
	XLVIII.	Paulus III.	577
	LXXIX.	Paulus III.	613
Romani.	LXX.	Innocent. VIII.	48
	LXXXIX.	Leo X.	361
	VII.	Paulus III.	539
Romano.	XXXVII.	Paulus III.	568
Romanorum.	II.	Paulus III.	534
Romanus.	IV.	Clemens VII.	428
	XXXIX.	Clemens VII.	457
	XCV.	Clemens VII.	506
	XXV.	Paulus III.	557
	XXXIV.	Paulus III.	565
	CVII.	Paulus III.	651

S

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Sacer.	XXVI.	Innocent. VIII.	32
Sacræ Religionis.	XXXII.	Innocent. VIII.	16
	LXII.	Innocent. VIII.	42
	LXV.	Innocent. VIII.	44
	LXXIII.	Innocent. VIII.	51
	LXXIV.	Innocent. VIII.	52
	LXXV.	Innocent. VIII.	52
	IV.	Alexander VI.	91
	XXX.	Alexander VI.	105
	XLVI.	Alexander VI	120
	LXV.	Alexander VI.	133
	XCI.	Alexander VI.	155
	CIV.	Alexander VI.	166
	XCII.	Clemens VII.	503
	CVII.	Clemens VII.	519
	CX.	Clemens VII.	522
	XIX.	Paulus III.	551
Sacrarum.	XLVIII.	Leo X.	333
Sacri Apoſtolatus.	III.	Paulus III.	536
Sacro.	LXXVII.	Clemens VII.	493
Salvatoris.	IV.	Innocent. VIII.	3
	XVI.	Clemens VII.	439
	LXXXIII.	Paulus III.	616
Satius eſſe.	LXXXV.	Leo X.	365
Sedis Apoſtolicæ.	XL.	Innocent. VIII.	24

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
	LXXVIII.	Innocent. VIII.	55
	LXXXV.	Innocent. VIII.	63
	XV.	Alexander VI.	96
	LXXXIX.	Alexander VI.	153
	XXXIV.	Julius II.	232
	LXXVI.	Clemens VII.	491
	LXV.	Paulus III.	599
Significarunt.	XI.	Alexander VI.	94
Significatum eſt.	IX.	Leo X.	382
Sincera.	XIX.	Clemens VII.	440
Sinceræ devotionis.	XX.	Leo X.	308
	XXIII.	Leo X.	210
Solet Apoſtolicæ.	LXXIX.	Innocent. VIII.	56
Solet nonnunquam.	XLII.	Leo X.	328
Solet Sedis.	CX.	Leo X.	386
Solleciti.	CIV.	Leo X.	381
Splendor.	XCIV.	Innocent. VIII.	67
Sub religionis.	CXIII.	Alexander VI.	174
	XIV.	Julius II.	221
Summi diſpoſitione.	III.	Julius II.	216
Summis.	III.	Innocent. VIII.	2
Super familiam.	XLVIII.	Julius II.	243
Superioribus.	LXXVIII.	Julius II.	267
	LV.	Leo X.	343
	XCI.	Paulus III.	627
Superna diſpoſitione.	CIV.	Clemens VII.	514
Supernæ Majeſtatis.	XLIX.	Leo X.	335
Supplicari.	XXII.	Innocent. VIII.	9
	LXVI.	Innocent. VIII.	46
	CV.	Innocent. VIII.	75
Supplicationibus.	XXVIII.	Innocent. VIII.	15
Supra gregem.	CXVI.	Paulus III.	660

V

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Vacante nuper.	CI.	Alexander VI.	164
Vacante pridem.	CII.	Alexander VI.	165
Vacantibus.	XCV.	Leo X.	374
Veniens.	XCV.	Paulus III.	631
Venuſtatem.	LXXXVII.	Alexander VI.	151
Veſtræ devotionis.	CXXVII.	Alexander VI.	190
Virtutibus.	LXIV.	Paulus III.	599
Vobis Religioſis.	LXII.	Clemens VII.	479
Volentes.	XCVIII.	Innocent. VIII.	70
	LXII.	Alexander VI.	130
	XIII.	Clemens VII.	437
	LXXX.	Clemens VII.	495
Vatis fidelium.	CXVI.	Alexander VI.	179
Univerſis.	LXIII.	Clemens VII.	480
	XX.	Paulus III.	552
	LXXXVII.	Paulus III.	625
Ut religioſa.	LX.	Clemens VII.	478

MENDA

		Errata.	Corrige,
Pag. 123.	Linea penultima.	*Sixti.*	*Sexti.*
Pag. 221.	Linea ultima.	reſurrectiomis.	reſurrectionis.
Pag. 259.	in margine.	29.	25.
Ibidem.		LVI.	LXVI.
Pag. 424.	Nota LX.	*Gregorii X.*	*Gregorii XII.*
Pag. 455.	Linea 9.	interpretrandi.	interpretandi.

VAL 1531394

Digitized by Google

Digitized by Google